


Knx

REYNER (Clement, 1589-1651, recusant)

With the Appendix (frequently wanting)

3 parts in 1 vol.

$110.00

Gross/Graves 1302







APOSTOLATVS BENEDICTINORVM

IN ANGLIA,

SIVE

DISCEPTATIO HISTORICA, DE ANTIQVITATE ORDINIS, CONGREGATIONISQVE MONACHORVM NIGRORVM SANCTI BENEDICTI IN REGNO ANGLIÆ:

In qua demonstratur S. Gregorium, eius nationis Apostolum, fuisse Benedictinum; ostenditur etiam obiter quanto numero, quibusque temporibus, alij Ordines Religiosorum, in eodem Regno cœperint agnosci.

Cum appendice copiosa instrumentorum venerandæ vetustatis, e quibus fides antiquitatum Benedictinarum demonstratur: in ijs præcipue inueniet Lector religiosus, CONCORDIAM REGVLAREM S. DVNSTANI; & STATVTA MONASTICA D LANFRANCI; & aliquot ACTA PRISCORVM CAPITVLORVM GENERALIVM CONGREGATIONIS, ORDINISQVE EIVSDEM IN ANGLIA: antehac nunquam typis excusa.

Iussu Patrum eiusdem Congregationis, in Capitulo Generali anni 1625 congregatorum, edita;

OPERA ET INDVSTRIA R. P. CLEMENTIS REYNERI S. Th. Professoris, & eiusdem Cong. Secretarij.

AD ILLVSTRISSIMVM REVERENDISSIMVMQVE DOMINVM D. GVIDONEM BENTIVOGLIVM S. R. E. CARDINALEM COMPROTECTOREM GALLIARVM

Nehemias apud Esdram, lib. 3. c. 4.
Veritas manet & inualescit in æternum.

























DVACI.
Ex officinâ LAVRENTII KELLAMI Typographi iurati, sub signo Agni Paschalis, 1626





APOSTOLATVS BENEDICTINORVM IN ANGLIA

Siue

DISCEPTATIO HISTORICA,

DE ANTIQVITATE

ORDINIS CONGREGATIONISQVE MONACHORVM NIGRORVM

S. BENEDICTI

IN REGNO ANGLIÆ:

In qua demonstratur S. Gregorium, eius nationis Apostolum, fuisse Benedictinum; ostenditur etiam obiter quanto numero, quibusque temporibus, alij Ordines Religiosorum, in eodem Regno cœperint agnosci.

Cum appendice copiosa instrumentorum venerandæ vetustatis, è quibus fides Antiquitatum Benedictinarum demonstratur: in ijs præcipuè inueniet Lector Religiosus, CONCORDIAM REGVLAREM S. DVNSTANI; & STATVTA MONASTICA D. LANFRANCI; & aliquot ACTA PRISCORVM CAPITVLORVM GENERALIVM CONGREGATIONIS ORDINISQVE EIVSDEM IN ANGLIA: antehac nunquam typis excusa.

Jussu Patrum eiusdem congregationis, in Capitulo Generali anni 1625. congregatorum, edita;

OPERA ET INDVSTRIA

R. P. CLEMENTIS REYNERI S. Theol. Professoris, & eiusdem Congregationis Secretarij.

AD ILLVSTRISSIMVM REVERENDISSIMVMQVE DOMINVM

D. GVIDONEM BENTIVOGLIVM

S. R. E. CARDINALEM

COMPROTECTOREM GALLIARVM.

Nehemias apud Esdram. *lib. 3. c. 4.*

Veritas manet, & inualescit in æternum.



DVACI,

Ex Officinâ LAVRENTII KELLAMI Typographi iurati, sub signo Agni Paschalis. 1626.



ILLVSTRISSIMO REVEREDISSIMOQVE
IN CHRISSTO PATRI AC DOMINO

D. GVIDONI BENTIVOGLIO,

S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO.
ET REGNI GALLIÆ
COMPROTECTORI.



IBRVM hunc, in quo ordinis noſtri, & Congregationis Benedictinæ in Anglia antiquam originem, fœlicem progreſſum, ac præſentem ſtatum deſcribimus, ſub tui nominis patrocinio edimus (*Cardinalis Illuſtriſsimè*) ea præcipuè ratione ducti, quod in eo, aliqua ex parte, opus (vt ſic loquamur) manuum tuarum defendimus. Tu enim nuperis his temporibus, tā in Belgio, quam in Gallia Nuntius Apoſtolicus Congregationem noſtram, ab hæreticis oppreſſam, ac pene deletam, ſed diuina prouidentia in vno homine mirabiliter conſeruatam, iamque denuò quaſi renaſcentē obſtetrica opera humaniſſimè fouiſti; & Cardinalis iam, pro ampliſſimis in eccleſiam meritis, factus, eandem fœliciter promouiſti. Meritò igitur eiuſdem defenſionem contra varios,

 qui

honoris illius, & innocẽtiæ noſtræ impugnatores, ſiue externos, ſiue domeſticos conſcriptam, ſub nominis tui auſpicijs euulgamus: vt quantum cauſæ noſtræ accedit tutelę ex rationum euidentium lumine manifeſto, tantum etiam authoritatis ex tuo eidem impartiatur patrocinio. Iamdudum eſt, quod hoc opus fuit inchoatum, & non niſi multorum flagitantium eiuſdem editionem admonitionibus lucem aſpicit. Putauimus enim antiquitatem ordinis noſtri in Anglia ſatis abundè, ac euidenter ab alijs fuiſſe demonſtratam, vt non eſſet nobis opus, calculum noſtrum adijcere. Putauimus etiam non eſſe opus innocentiæ apologetica aduocatione; nec propterea ſolliciti fuimus, aliquid in lucem emittere, quo declararetur ſyncera noſtra intentio in reſtauratione antiquæ Cõgregationis Angliæ: æſtimantes hoc nobis ſatis eſſe, eam tibi (*Cardinalis Ampliſſime*) alijſque digniſſimis eccleſiæ pugilibus fuiſſe cognitam. Sed longè alia mens fuit reliquorum Patrum Congregationis noſtrę in vltimo Capitulo generali Duaci collectorum, quibus iudicium de hac re remiſeramus, aſſerentibus omnibus cęcum (vt aiunt) plura ſcire in domo ſua, quam oculatiſſimum quemque in aliena: ideòque neminem poſſe ita exactè ſcribere de rebus & hiſtorijs Anglicis, ſicut poteſt homo Anglus; nec Anglum vllum non monachum poſſe ita ſecurè, & ſine erroris ſcrupulo de rebus Benedictinis hiſtoriã texere, ſicut poteſt eius ordinis alumnus, & profeſſor. Deinde, quia apud eos, qui nõ nouerunt cauſarum merita, ſæpe periclitari ſolet etiam innocentium fama; cenſuerunt valdè proficuam honori Congregationis noſtræ, ſi non planè neceſſariam fore aliquam ſyncerã narrationem, quâ toti orbi innoteſceret, quibus modis, & quo ordine continuata, & reſtaurata fuerit antiqua Congregatio Angliæ, & aſſerta in eum ſtatum in quo nunc cernitur. Quapropter voluntas, & iuſſio fuit totius Congregationis noſtræ vt in lucem ederemus hanc Diſceptationem Hiſtoricam, in qua vtrumque præſtitimus: Cuius Diſceptationis totius & controuerſię te iudicem facimus, ſed maximè quoad illam partem quę

compre-

comprehendit narrationem eorum, quæ facta ſunt in congregationis noſtrę nupera reſtauratione, aut erectione, quæ omnia, aut plęraque tuis oculis inſpexiſti: quoad reliqua non plus fidei poſtulamus quam vel rationum momenta, vel ſcriptorũ grauium, quos citamus authoritas exegerit, vel ſcripturarum, & inſtrumentorum autenticorum antiqua, ac indubitata monumenta quæ producimus, probauerint. Accipe igitur opellam tibi in gratitudinis obſequium a toto Congregatione noſtra oblatam, quæ certe non debuit alium quęrere patronum, aut iudicem poſtulare quam te (*Cardinalis Illuſtriſsime*) quem vt altorẽ, & nutritorem tenellæ adhuc Cougregationis habuimus indulgentiſſimũ. Fauere, vt ſperamus, non deſiſtes alumnę tuę, cuius omnes monachi perpetuis precibus tuam incolumitatem & proſperitatem Deo Opt. Max. fideli ſemper deuotione commendabunt; & in illis ego, vltimus merito, ſed non vltimus ſyncera erga te reuerentia: qui non author operis ſum, ſed iuſſu Congregationis editor, & dedicator, &

Illuſt^mæ, Reuerend^mæque D. T.

Humillimus, & amantiſsimus cliens

F. Clemens Reynervs

Lectori Beneuolo.



VM disceptationem hanc nostram, ad tantam molem peruenisse conspexisse (*Benigne Lector*) subijt animũ cõtrariũ eius quod in malo poeta ridebat Horatius: *Amphora cœpit Institui currente rota: cur Vrceus exit?* nos certè initio *Vrceum*, libellum animo complexi eramus, paruum, paucisque schedis explicandum: & ecce, creuit in *Amphoram*, in quod vides volumen. Nam cum iam liber sub prælo aliquousque prouectus esset, interquiescere subinde, dum in ipsa Anglia, originalium librorum, instrumentorumque inspectio fieri posset, coacti sumus; vt per hoc venerandæ antiquitatis scrutinium certiora de multis, (quæ obscuri cuiusdã calamus immeritò sugillat) ac euidentiora producerentur argumenta. Quæ nobis diligentia, periculis non contemnendis stetit, & sumptibus, sed quam non dolemus præstitam, dum sic cuilibet lectori probemus, tum præsertim superioribus nostris, maximè autem Ecclesiæ catholicæ summo Pastori, augustoque eius Senatui, nihil à nobis dictum, factum, aut suggestum magnis illis Ecclesiæ gubernatoribus, quod non fuerit summa fide, euidentique veritate subnixum. Et ea causa fuit cur liber semper sub prælo creuerit, dum propter authoris (quem dixi) importunam in veritatę impugnanda pertinaciam, & obscuram diligentiam, aliquid noui semper explicari debuerit aut confirmari. Et tamen propter difficultatem temporum, qua res Angliæ premuntur, transmitti non potuerint hæc instrumenta, nisi tardiusculè valdè & interpolatè: quæ nisi euenissent (ea autem nulla diligentia præcaueri poterant aut emendari) quæ hic damus, longè profectò meliori, exactiorique ordine dedissemus. Quod ad stilum attinet, non proposuimus nobis elegantiam illam nitidiorem, sed simplicem duntaxat narrationem; Historici enim voluimus esse, non Rhetores; lacertis, non flosculis contendere: quod an pręstiterimus, tuum esto, iudicare. Si argumentum spectes inueniet Antiquarius doctus reconditiorem doctrinam, quæ animum capiat, si non quã admiretur: & quiuis lector beneuolus nudam, candidèque propositam, (vt eo in eam libentius concedat) veritatem: qualẽ te fore, lector optime, confidimus, ideoque antequam disceptantes intuearis vna, aut altera admonitione te placuit præmunire.

Prima est in tanta multitudine instrumentorũ, consuetudinũque, quas passim produximus, succreuisse ingentem syluam nominum, ac vocabulorũ latinis auribus ignotorũ, quæ vel Saxonica simplicitas, vel Normannica feritas, vel denique ipsa nonnunquam dicendorum exacta proprietas, rebus nostris per Angliam, pręsertim superioribus illis sæculis, attulit. Ne igitur eiusmodi vocabulorum insitatus occursus animum tuum (Lector beneuole) ab incœpta veritatis inquisitione deterreret, Onomasticũ illarum vocum construximus, in quo cuiuscũque vocabuli explicationem, & sensum proprium apposuimus. Erit tibi vt confidimus non ingrata hæc nostra diligentia, vtpote quæ tibi, non solum in istis, sed etiam & in alijs quibusuis Antiquitatibus indagandis multam lucem adferre poterit.

Alterum etiam animaduertendum duximus, opere iam finito, & impresso, prodijsse in lucem quartum tomum R. Patris Francisci Suarez de statu religionis, in quo diligentius tractat quæstionem de monachatu Benedictino S. Gregorij Patris nostri, quam in tertio tomo leui manu duntaxat insinuauerat. Nos autem qui illum tomum tertium tantummodo videramus, promissam optimo seni, Historico nostri ordinis disputationem non inuenientes, mirati sumus, cur à tam solicito veritatis indagatore fuerat prætermissa,

causamque

causamque nostræ admirationis cum aliqua doloris nostri significatione posuimus. Nunc ea indicta volumus, quæ ibi diximus: cum ille Theologus maximus modestissimusque præstiterit, quæ promisserat: cuius propterea pijs manibus benè precamur, quod sicut copiosissima doctrina in alijs necessarijs veritatibus explicandis omnes Theologiæ studiosos adiuuerit; ita & in hac controuersia de ordinis nostri gloria benè mereri voluerit, & tantum eius ornamentum luculenta auctoritate stili sui asserere laborauerit.

Sed & vestigia nostra relegentes, nonnulla animaduertimus ex alijs etiam autoribus citasse, quæ in recentioribus editionibus aliter haberi inuenimus. Onuphrius Panuinus in opere magni laboris & diligētiæ, quod de Pontificibus Romanis, Cardinalibusque per eos creatis edidit, (quod penes nos est) Adrianum Pontificem, qui prius fuerat Nicolaus Hastifragus, Abbas S. Rufi, scripserat ex ordine S. Benedicti fuisse desumptum: quod eius testimonium nos opposuimns Augustinianæ regulæ hominibus, qui ipsum canonicum regularem fuisse contendunt. At in posteriori eiusdem operis editione, comperio ipsum sententiam retractasse, & Abbatem canonicorum regularium eundem fecisse. Quam rationem sit sequutus nescio: illud sane constat, Nicolaum prius fuisse Abbatem S. Rufi, quam Eugenius 4. (qui eum in Cardinalium munerum cooptauit) factus fuisset Pontifex summus. Certum etiam illud, quod doctissimus vir Seruatius Laruailz Canonicus regularis fatetur, se ex antiquitatibus Augustinianis comperijsse, illum Eugenium primum omnium priuilegio dato constituisse, vt superiores Canonicorum regularium, possent Abbatiali titulo insigniri, quum antea iuxta regulam suam Præpositi duntaxat vocarentur. Quomodo ergò potuit Nicolaus esse Abbas Canonicorum regularium, cum nondum illi Abbates habuissent superiores, sed Præpositos duntaxat? Nobis igitur multo probabilius videtur, fuisse Abbatem monachorum. Nam quod Neubrigensis noster alterius sententiæ auctor fuerit, eiusdem ferè temporis scriptor; parum nos mouet; cum alij autores Angli æquæui contrarium asserant; & idem Neubrigensis non in hac sola re conuinci possit erroris, & falsitatis.

Alphonsum etiam Ciaconium, (qui opus illud Onuphrij transcripsit, & multis historijs additis locupletauit) arguimus, quod Gregorium magnum, quem Onuphrius nobis asseruerat, ille sua sententia abstulisset: & id ex aduersarijs nostris, non inspecto (quia non erat ad manum) autore descripseramus. Postea verò cum ipsius historiæ copia nobis facta fuisset, inueni ipsum non quidem negasse ordini nostro tantum decus: sed nec asseruisse; simpliciter enim monachum vocans videtur voluisse ab ea controuersia, quam nos disputamus, consultò abstinere. Quamuis idem auctor alios Pontifices expressè nobis eripiat, alijsque religiosis concedat, quos nostri autores euidenter satis ostenderunt tunc temporis in ecclesia occidentis nusquam comparuisse.

Occurrebat prętereà recentior editio epitomes Barronianę ab Henrico Spondano elaboratæ, quam ea qua nos in hoc opere vsi fueramus: eam igitur consuluimus, an fortè sentētiam suā de apologia Gallonij mutasset; at reperimus vehemētius eandem affirmasse his verbis, ad annum Christi Domini 583. n. 5. Scias lector, ea quæ Baronius habet, „de tempore monachatus S. Gregorij, deque eiusdem professione sub instituto S. E„quitij, non autem S. Benedicti; ac de alijs quęstionibus eo pertinentibus, acriter im„pugnata fuisse à nonnullis monachis ordinis S. Benedicti: sed eadē satis validè defensa „ab Antonio Gallonio congregationis oratorij, apologia Romæ edita anno 1604. ad„uersus Constantinum Bellotum, ipso adhuc illustrissimo Cardinale superstite, & appro„bante. Post cuius obitum scripserunt & alij, eandem serram reciprocantes: sed qui vt „plurimum leuibus potius nituntur coniecturis; quam grauibus rationibus. Nec verò „tantummodo S. Gregorium sibi monachos Benedictinos vendicare, sed & alios qui ni„hil penitus ad ipsos pertinerent, iam varijs locis visum est superius anno 494. num. 5. „& 502. nu. 8. Quasi non sat haberet nobilissimus ordo legitimorum liberorum, nisi & „supposititios sibi vndique nundinetur. Verum nihil nos de istis iudicamus: qui sensa „duntaxat Baronij referenda suscipimus. Quæso te Spondane, quid tu vocas *nihil iudicare*? asseris Gallonium validissimè refutasse Benedictinos contra Baronium sentientes; ais Benedictinos qui post Gallonij apologiam editam scripserunt, non grauibus rationibus, sed leuibus duntaxat coniecturis inniti; affirmas cum stomacho, Benedictinos vendicare eos, qui nihil ad suum ordinem pertinerent, & suppositios vndique filios ordini suo nundinari. An hoc tu vocas nihil iudicare? Aut fortè *nihil iudicare* vocas, sine ratione

tione iudicare; iudicium sine vllius rationis præsidio ferre: hoc si vocas nihil iudicare, sane te nihil iudicasse fatebimur. Legisti tu, Spondane, quę Constantinus Caietanus contra Gallonij illam validissimam scil.cet apologiam scripsit; quę Antonius Yepes Hispanus; quæ Henricus Zipyus Belga; quæ Antonius Laurettus in ipsa Italia, scripserunt? Non legisti, nam si legisses, non vtrique eos condemnasses; qui apertissimis argumentis non coniecturis leuiculis, demonstrarunt, & Baronium in nostra hac controuersia deceptum fuisse, leuibus duntaxat coniecturis, tanto viro contra tam annosam sententiã indignis; & Gallonium tuum non solum nihil validè scripsisse, sed & inconstanter in multis à Baronio discessisse, & potius S. Basilio, quam S. Equitio, D. Gregorium addixisse; & in omnibus denique rationibus, quę pro se adduxit causam nostram stabiliuisse, suam verò, tanquam præuaricari statutum haberet, prodidisse. Quod si non legisti, quæ nostri contra Gallonium scripserunt, rem indignam facis tua ingenuitate, qui non auditos nec intellectos condemnas, vt meritò illud S. Gregorij contra Iulianum in te conuenire possit: Si legisti, non intellexisti; nam si intellexisses nunquam condemnasses. Sed ait Spondanus monstratum a se, & a Baronio varijs in locis Benedictinos vendicare alios, qui ad se nihil attinebant. Adeo numerum 5. anni 494 & inuenio hoc in genere dictum, sed nullo modo in specie probatum, itaque tanquam improbabilem accusationẽ prætereo. Quid verò ad annum 502? Cęsarium Arelatensem vendicat Tritemius, qui tamen Cæsarius episcopus iam fuit, cum D. Benedictus ordinis sui fundamenta Casini iacere inciperet. Primum, si errauit Tritemius, certè errorem minorem errauit quã ipsemet Barronius: sequutus enim autoritatem homiliæ Cæsario attributæ, quam non erat tunc temporis, cur Cæsarianã non esse putaret, Cæsariũ, qui in ea homilia D. Benedictum patrem suum vocauit, merito potuit Benedictinis ascribere. At illa homilia non est Cæsarij. Quo argumento hoc probatur? Imo verò Cæsarij proculdubio homiliam esse fatebitur, qui eam cum alijs eiusdem autoris comparabit; sed forte vbi in codice Tritemiano positum erat nomen D. Benedicti, debuerat poni nomen D. Honorati: in eius enim laudes putant nonnulli illam homiliam fuisse impensam. Debuit igitur (dicet aliquis pro Spondano) Tritemius ex ætate ipsa Cæsarij colligere, mendum in homiliam illam irrepsisse. Non debuit Tritemius vidisse plusquam oculatissimus Barronius: qui ipse quum fateatur se longissime deceptum in ætate Cæsarij fuisse, cur tantopere miratur deceptum fuisse Tritemium? Deinde falsum etiam est, Cæsarium iam tum fuisse episcopum, cum D. Benedictus ordinem suum fundare inciperet. Imo verò aliquot annos ante episcopatũ, imò aliquãtò ante abbatiatũ (si ita licet dicere) Cæsarij, S. Benedictus monachos celeberrima nominis sui fama collegerat, monasteria per Italiam fundauerat, regulam promulgauerat: quo igitur argumento conuincitur non potuisse Cæsariũ, & Lirinenses monachos regulam S. Benedicti suscepisse? S. Benedictus natus est anno 480. Cæsarius anno 481. S. Benedictus regulam Sublaci scripsit, & obseruandam monachis suis tradidit, anno circiter 506: factus est Cæsarius Abbas Lirinensis anno circiter 507: Episcopus verò, non ante annũ 510; mortuus est S. Benedictus anno 543: mortuus est S. Cæsarius anno 554: ætatis suæ 73. episcopatus 44. superuixit ergo vndecim totos annos S. Benedicto, conuixit totidem S. Mauro in Gallijs regulam propaganti: cur igitur videbitur vero absimile, etiam ipsum S. Cæsarium ante Episcopatũ fuisse saltem aliquandiu monachum Benedictinum? præsertim, cum Lirinense monasterium absque vllo dubio ipsius S. Cæsarij tempore regulam Benedictinam susceperit; & ipse S. Cæsarius sorori suæ in recapitulatione regulæ ipsi traditę, duo capitula regulę Benedictinę verbatim addiderit: & ipsum monasterium sororis eius hoc ipso Cęsarij tempore inueniatur reuera fuisse Benedictinum. Neque tamen Cæsarium omnino asserimus nostrum fuisse: sed ostendimus duntaxat, non leuibus coniecturis, sed valde prudentibus argumentis vendicare nos monachos ordini nostri: non (vt Spondanus loquitur) supposititios nundinari. Leues potius, imo valde leues sunt coniecturæ, quibus ipse Baronius (quamuis in plęrisque omnibus heroicus scriptor) sententiam per sexcentos annos ante ipsum receptissimam nisus est conuellere. Et multo leuiores sunt coniecturæ, quibus Gallonius Barronij opinationem nouam infæliciter conatus est propugnare. Hæc de hac annotatione Spondani dicere voluimus, ne sola magni Baronij auctoritate, quasi dictaturam, (ne dicam tyranidem) in historijs exercentes eius in omnibus laudatores, putent statim esse euidenter credendum, quod ille vna aut altera coniectura duxerit innouandum. Est eius

autoritas

autoritas nobis etiam ſacroſancta, vbi non occurrunt euidentia contra ipſum argumenta: ea ſi occurrunt, magnus etiam in coniecturis ſuis Baronius, magnus eius ſenſa referens Spondanus, ſed maior veritas, quæ nullius poterit opprimi autoritate.

Hæc pauca voluimus præfari: & vnà te orare, lector beneuole, vt communis hominum conditionis memor, quibus inſitum eſt in multis labi & cæcutire, condones nobis ſiquid minus accuratè probauerimus: quia licet fortaſſis in cunctis non aſſequuti ſimus eam, quam voluimus exactã vbique ſubtilitatem: conatum tamen certè, & amorem veritatis aſſerendæ ſyncerum adhibuimus. Conatum ergò noſtrum amplectere, defectum excuſa, quæ bona fuerint deo autori tribue, quę minus exacta, noſtræ imbecillitati imputa; non ex aſperitate cenſoris, ſed ex affectu pietatis.

Vale.

**
*



ONOMASTICVM

Nominum barbarorum, vel obſoletorum, quæ in varijs inſtrumentis antiquis huius operis alicubi occurrunt, ordine alphabetico diſpoſitum.

A.

BSCONSA : eſt laterna eius generis, vt in ea lumen pro libito abſcondi, vel oſtendi poſſit.

ACQVIETARE ; dicitur creditor cum debitorem à ſuo debito liberum eſſe declarat. Hinc *Acquietancia.*

ADVOCATIO : Anglicè *Aduouſon*; idem ſignificat apud peritos Iuris communis in Anglia, quod in Iure Canonico, *Ius patronatus.*

ALDERMANNVS : idem eſt quod Senator

ALLODIVM. Proprium cuiuſque hominis liberi patrimonium.

ALMVCIA : Almuciam vocant Monachi & Canonici, quoddam genus capucij pro eccleſia, pellibus inferius fulti; vulgò *omus.* Simile indumentum puto à græcis vocari *Epomidem*, ſiue ſuperhumerale ; & fortè vulgaris appellatio inde eſt, quia *omos*, græcis eſt humerus.

AMORTIZARE : vide, *Mortuamanus.*

ANGARIA, Æ. Coacta ſeruitutis alicuius, aut famulatus exhibitio.

ANTE ET RETRÒ : Eſt reuerentia, quam per profundam inclinationem monachi faciunt, primùm altari, quę vocatur *Ante* : ac deinde, conuerſo vultu, ac toto corpore in alteram partem, Abbati reſidenti plærumque in capite chori, quę vocatur *Retrò.*

APPVNCTVATIONES : ſunt conſtitutionum, ſeu aliarum quarumlibet rerum, per certa quędam materiarum capita, ſeu puncta, ordine diſpoſitarum, collectiones, ſeu diſtributiones.

ARRERAGIÆ : ſiue *Aureragiæ, arum*: verbum deriuatum à Gallico *Arrierage* : latino nomine etiam iam obſoleto dicitur *reliquatio* ; hoc eſt reliquum, ſeu reſiduũ alicuius debiti nondum ex toto perſoluti.

AVISAMENTVM : idem eſt quod Conſilium, aut deliberatio.

B.

BACCILIVM : videtur deriuatum ab Italico *Bacile*, ſeu *Bacino* : ſignificat polubrum, ſeu malluuium, aut conchã, in qua lauantur manus, aut pedes.

BALLIVVS : id eſt, Adminiſtrator, vel negotijs adminiſtrandis præfectus.

BANCALIA, ORVM : ſunt ſedilia oblonga pro pluribus ſimul ſeſſoribus aptata : vocantur etiam alicubi *formæ.*

BANCVS REGIVS : Eſt certa quædam Curia Londini, ſic dicta, eo quod olim Reges ibi ſedebant ad adminiſtrandam iuſtitiam : nam *Bancus* apud Anglos, (vt de *Bancalijs* iam dictum eſt) idem eſt quod ſedile. *Hinc Iuſticiarius de Banco* : eſt Iuſticiarius illius Curiæ.

BASILEVS : ideſt, Rex.

BIRRA : ſi non fallor, ſignificat illud genus panni ſpiſſioris, & denſioris materię, quam *feltram* vocant, vnde galeri conficiuntur. Hinc *Birratæ*, vel *Biriritæ tunicæ* videntur eſſe *pluuialia* ex eodem panno confecta contra imbres.

BLADVM : eſt triticum.

BLVETVS : color cæruleus, ſeu azurinus.

BOTONATA TVNICA : fabulis ornata.

BOTÆ

BOTÆ : sunt ocreæ.

BOVNDED : id est, certis limitibus vndique clausum.

BOVATA TERRÆ. Quatuor, aut sex *bouatæ terræ* significant eam portionem terræ, quę à totidem bobus arari potest: singulæ autem *bouatæ*, continent 13. iugera.

BRVERIA : sunt fundi, seu terræ coopertæ tamaricibus, & myricis, arbustisque similibus, quas vocant Galli *les landes*, Angli *heathes*.

BRVNVS : color pullus, fuscus, flauus obscurior.

BVGGIO FVRRATVM : hoc est, *furrurà* ex agnino vellere interius fultum, vel suffultum; quid autem sit *furrura* dicetur suo loco infra.

BVLETARE : est farinam abs furfure excernere.

BVRGESIVS : alicuius ciuitatis municeps.

BVRGVS : Castrum, aut melioris notæ pagus.

BVNDELLVS : significat fasciculum. Ita vocantur fasciculi chartarum, ac instrumentorum, qui per diuersa scrinia ordinati in Turri Londinensi asseruantur.

C.

CAPPA : plærumque sumitur pro ornamento ecclesiastico : sed hic non infrequenter in scripturis antiquis significat indumentum capitis, quo monachi vtebantur equitaturi.

CAVTICA : pauimentum : seu via lapidibus strata.

CAPELLVS : est galerus.

CASSATVS : vassallus, seu mancipium.

CASVLARII MOS : id est mos induendi casulam.

CATALLÆ : sunt omnis generis pecora.

CARVCATA TERRÆ : est portio terrę arabilis quanta vno aratro commodè per anni spatium coli potest.

CARRATA, Æ : Idem

CHARITAS BIBENDA ; vocatur cum ante completorium in Capitulo, vel alio aliquo loco regulari monachi pauxillum se potu reficiunt; quod S. Benedictus vocat *singulos biberes* accipere ; genus nimirum collationis in ieiunijs fieri solitæ.

CHARAXARE : vel *Caraxare* est scripto, vel stylo exarare; à græco *Charatto* : vnde *Character*.

CHARISTIA licet apud Val. Max. & alios, aliam veriorem significationem habeat, hic tamen alicubi inter instrumenta sumitur pro annonæ, & victualium caritate.

CIRCA : in Religione vocatur ille religiosus, cui post Completorium iniungitur cura domum circumeundi, & officinas visitandi, qui ideò vocatur *Frater Circa*, & aliquando *Circator*.

CLAMARE ALIQVEM IN CAPITVLO : est cuiuslibet monachi defectus, in obseruantia regulari commissos, superiori coram toto conuentu in loco Capitulari manifestare : & qui hoc ex officio faciunt vocantur *Clamatores*; alicubi *Zelatores*.

CLERIMONIA : est literatura, sic dicta fortè, quasi bonæ literæ, sit *Cleri patrimonia*, aut præcipua *Cleri alimonia*.

CLOCA : aliquando significat pallium; aliquando horologium.

COMITIVA PERSONALIS : est humanitas, vrbanitas.

CONSVETVDINARIÆ TERRÆ : quæ Anglicè dicuntur *Copie-holds*; sunt *tenementa*, seu terræ, quas quis *tenet per copiam rotuli curiæ*, quarum *tenura*, id est possessio, non expirat vllo certo tempore, sed descendit ad hæredes *Tenentis*, seruatis solummodò quibusdam consuetudinibus.

COMMVNA PASTVRÆ : sunt pascua communia.

CORRODIIS ONERATVS : id est ære alieno oppressus. Sed *Corrodia* propriè significant pensiones annuas de reditibus beneficiorum ecclesiasticorum ex impôsitione Collatoris persoluendas.

CVRIA ; præter propriam significationem pluries accipitur pro atrio.

CVRIALITAS ; Comitas, vrbanitas, humanitas.

CVRSORIE : id est, secundum communem ordinem, quem alij tenentur obseruare.

D.

DECASVS ÆDIFICIORVM ; est eorum ad ruinam inclinatio.

DEMAVNDA : petitio, postulatum.

DENARIVS, est nummus argenteus, qui apud Anglos non est nisi duodecima pars solidi, seu dimidij floreni Turonensis.

DISPENDIOSVS : id est, damnosus.

E.

EXCHATA; vel *eschaeta*: à Gallico *eschoir* id est

id est cadere, accidere, vel obtigere; significat bona, cuiuslibet generis, aut possessiones, quę Domino loci obtingunt per modum *satisfactionis*, aut confiscationis, aut per mortem sui tenentis decedentis sine hęrede: aut aliâs nonnunquã sumitur pro ipsa confiscatione.

F.

FASCIOLATVS : id est, accinctus ad iter.

FEODVM, vel *Feudum*: item *feoffatio*, vel *feoffamentum*, vel *feulda possessio*: est colonia, villa, seu prædium beneficiarium, aut rusticum.

FIRMA : idem. Quamuis apud leguleios hęc plæraque habeant diuersam significationem.

FORMÆ. Vide *Bancalia*.

FORISFACTIO, seu *forisfactura*; aliquandò *forfatura*: significat transgressionẽ alicuius legis pœnalis: sed plærũque sumitur pro ipso effectu, & sic denotat pecuniariam pœnam delinquentium.

FORSATVRA & omassa; sunt exta animalium, & ex ijsdem varij generis confecta cibaria. Forsaturæ quasi infarta ilia.

FVRRVRA : est quodcumque pellitij genus, seu pellis cum vellere, quo vtuntur homines, in interiori parte vestium, siue ad arcendum frigus, siue ad ornamentum.

G.

GARDINA : Hortus.

GELDVM : Vectigal.

GERVLVS : Nuncius.

GVERRA : Bellum.

GRANGIÆ : Villa, Colonia.

GRONNÆ : Stagna, Paludes.

GROVA : Lucus, Saltus.

GVILTIE : Reus.

GVARANTIZARE : Vide *Warrantizare*.

H.

HANAPERIVM : locus, siue repositorium, in quo recondebantur, & seruabantur thesauri regij.

HAMSOCHNA : est authoritas inuadendi domum etiam contra pacem Domini Regis; vel est immunitas à mulcta & pœna imposita ijs qui inuadunt domum aliquam gaudentem *mundiburdio*, seu patrocinio principis.

HERVATVA, vel *beriotum* : antiquitus erat tributum collatum Domino terræ cum se pręPararet ad bellum : sed nunc significat præcipuum inter omnia bona realia, quæ quis ab alio *Tenens*, eo die quo moritur, possidet, quod eo mortuo cedit in partem Domini, à quo habet suum *tenementum*: quid autem sit *tenementum*, & quis dicatur *tenens* explicabitur infra.

HIDA, est certa mensura terræ arabilis, quæ secundum aliquos continet centum iugera.

HISTORIA; præter communem interpretationem, apud monachos, atque etiam alios quoscumque viros ecclesiasticos, significat lectiones, quæ recitantur in primo nocturno officij diuini, eo quod in ijs variæ legantur hystoriæ ex sacris biblijs.

HVNDREDA, vel *hundredum* : id est Centuria; vt aliquibus videtur est decima pars vnius Comitatus, seu Satrapiæ, sic dicta quod contineat decem decimationes; quarum vnaquęque comprehendat decem familias.

HYPOTHECA : oppignoratio, vel pignus ipsum, seu arrhabo.

I.

IARDINARIVS : Hortulanus.

ILLVMINARE : aliquando significat depingere, vel auro fusili icones ornare.

INCAVSTVM : atramentarium; graphium.

INCOEPTIO : est graduatio Baccalaureorum, vel Doctorum in aliqua vniuersitate.

INCOEPTOR : est ipse graduatus.

INDENTATVRÆ, seu *indentatæ scripturæ*: quæ, mutuato à græcis vocabulo, latinè dicuntur syngrapha; sunt duę, aut plures alicuius contractus scripturæ, in eadem pagella exaratę, & postea certis quibusdam incuruis fissuris ita diuisæ per medium (salua tamen scriptura, & illæsa) vt futuris temporibus possit à quouis dignosci an sint authenticę, an verò adulteratę, per hoc quod dentes fissuræ vnius, & alterius sibi aptè conueniant.

INFANGTHEOF, vel *infangentheef* : est fur captus pro latrocinio commisso intra limites alicuius Dominij, qui propterea iudicabitur in curia Domini illius, qui talem habet libertatem. Vide *Outfangtheef*.

INRA-

INROTVLARI: est in registrum, seu communem ordinem catalogi cum alijs inscribi.

INTERVALLA: monachis peculiariter significant interstitia, quę interponebantur longioribus noctibus inter nocturnas, & matutinas laudes; & alias officij ecclesiastici partes, quæ alijs temporibus coniunctim dicebantur.

INTRATIONVM LIBER: est liber in curijs *legis communis*, in quibus notantur ingress, seu inchoationes *placitorum*, seu causarum, quę in illis curijs examinantur. Vel, est liber, in quo notantur tempora, & conditiones sub quibus *tenentes* intrant possessionem suorum *tenementorum*.

IVDICIVM IN CAPITVLO: est grauior pœnitentia etiam verberum, inflicta delinquenti publicè in loco Capitulari.

IVSTA: est ciphus, aut debita mensura vini, aut alterius potus.

IVSTITIA IN MENSA: est portio consueta obsoniorum seu victualium, quæ monachis sigillatim opponi solet in Refectorio.

K.

KVRIOS: Dominus.

L.

LARDVM: est caro porcina.

LESCIVA: est aqua cocta cum cineribus, aut alterius generis aqua confecta ad mundanda linteamina.

LOCELLVS: idem quod loculus, bursa, vel crumena.

LENIGATVM: id est mitigatum.

LINITVM, id est duplicatum, aut suffultum ab interiori parte syndone, furrura &c.

M.

MANERIVM: est domus, aut mansio principalis habitationi accomoda, cum latifundijs ad eam pertinentibus.

MANCVSA: genus monetę.

MANDRA: grex, aut conuentus, ouile; vnde Archimandrita.

MANSA: est *tenura*, vel *tenementum*, habitatio alicuius familię sub dominio alicuius Domini, seu feudi.

MANTELLVM: genus pallij.

MARCA: est summa pecunię valens duas tertias librę Sterlingę; hęc autem valet decem florenos.

MARISCA: locus paludosus.

MATRICVLA: est registrum: vnde *immatriculari*, est inscribi in album alicuius communitatis, Collegij, Academiæ. *Matricula de Camera*: est liber in quem referuntur acta, & negotia memoratu digniora pro causis monasterij: qui à camera Abbatis apud quem seruabatur, sic dicebatur.

MERIDIANA: absolutè sumpta, est somnus meridianus.

MESVAGIVM: domicilium, habitatio.

MIXTVM: in regula S. P. N Benedicti est iusculi, siue alterius cuiusuis concoctionis portiuncula.

MINVTIO: est apertio venæ ad minuendum sanguinem.

MORTHIDA: videtur significare *hidam amortizatam* siue possessam à *mortua manu*.

MORTVA MANVS: Possessiones dicuntur incidere in manum mortuam, quãdo deuoluuntur ad Collegia, Cœnobia, Ciuitates &c. quæ nunquam desinunt habere hæredẽ. Sed propriè videtur dici de monachis qui in iure pro mortuis habentur. Hinc possessio dicitur *amortizata* quæ est deuoluta *in manum mortuam*.

MOTA: id est fossa.

MVNDIBVRDIVM: pax, & protectio, atque patrocinium principis.

MVRDRVM: homicidium voluntarium.

MVRILEGINÆ PELLES: id est catorum, seu felium: murilegas enim vocant feles, à muribus colligendis, aut capiendis.

O.

OBEDIENTIARII: dicuntur monachi qui aliquod officium ipsis ex mandato pręlati commissum exercent.

OFFENSBEYNES, vel potius *Offencepaines*: pœnæ pro delictis.

ONOMA: nomen.

ORAMINA: preces.

OVTFANGTHEEF: vel *outfangentheef*; dicitur latro extraneus, veniens aliundè, de terra aliena, & qui captus in terra alicuius Domini, iudicabitur ab eo, si Dominus talem habeat potestatem. Habet contrariam significationem *Infangtheef*, de quo supra. Componitur ex tribus vocabulis Saxonicis antiquis, videlicet *Out*, id est, extra; *fang*, id est capere, vel captus: & *theef*, id est fur; quasi extraneus

fur

fur captus in meo Dominio.

P.

PARCVS, CI: est Theriotrophium, aut saltus vndique interclusus, in quo ferę pascuntur, & seruantur.

PERNVS TVRONENSIS: quid reuera sit non est opus disputare, hic alicubi significat quinquaginta asses monetę Gallicę, aut Belgicę.

PARLIAMENTVM: sunt comitia publica regni.

PERACTIZATVM: factum, in praxim redactum, frequentatum.

PERSONA: apud nostrates est rector alicuius ecclesiæ, sic dictus vel quia repręsentat ecclesiam suam, & subit in omnibus placitis seu vadimonijs personá illius vt loquuntur legulei; vel forte quia, cum persona propriè addat supra naturam proprietatē, seu qualitatem ad dignitatē pertinentem, vt habet D. T. 1. p. q. 40. a. 3. ad 5. (vnde & antiquitus omnes viri in dignitate constituti dicebantur Personę) deuotio nostrorum in prima sua conuersione, & reuerentia erga viros ecclesiasticos, nomen illud honoris appropriarit quasi antonomasticè Rectoribus ecclesiarum, quod aliâs erat commune omnibus quacumque dignitate fulgentibus.

PIETANCIA: est præbenda, seu constituta portio, quæ contingit cuique commensali in cibo, & potu.

PITTACIVM: propriè pugillares ex pice confecti, in quibus, aliquid possit memoriæ causa stylo exarari; sumitur pro quolibet codice paruo, in quo quidquam scribitur: quaternio.

PLACITARE: est in iudicio litigare, aut contendere: secundum placita legum, & iudiciorum agere.

PLVVIALE: pallium ad arcendum pluuiam.

PORTIFORIVM: Breuiarium portatile.

POTAGIVM: Iusculum.

PRÆCONIZARE: aliquem per præconis vocem suo nomine compellare.

PRÆMVNIRE: pro præmonere; etiam significat sententiam iudicialem, qua quis bonis omnibus confiscatis, condemnatur ad perpetuos carceres.

PRO TANTO: hoc est, ideo.

PROSTERNALES PSALMI: siue *prostrales*, seu etiam *prostrati*: psalmi, *Verba mea auribus percipe*, & aliqui alij; qui post vesperos, & aliquando ante collectas horarum in quadragesima dicebantur: ad quos seniores genibus flexis stallis seu formis suis quodammodo procumbentes innitebantur; iuuenes verò & pueri omnino prostrati in pauimento chori è regione stallorum, siue sedilium suorum iacebant.

Q.

QVARTARIVM, vel *quarterium*: quarta pars vlnæ.

QVARTERIA: est mensura tritici valens octo modios, vel razerias, vt hic loquuntur.

R.

REPORTAMEN: relatio, narratio, rumor.

ROTVNDELLA: est curta chlamys.

RVSSETVS: color russus.

ROSTRATÆ BOTÆ: sunt ocreæ, quarum pedes finiuntur quodammodo in rostrum.

S.

SACCA, vel *Sacha*: est regale priuilegium quo quis gaudet in suo *manerio* circa *placita*, & correctiones delinquentium.

SARRABAITA: vagabundus, erro.

SCACCARIVM: est tabula lusoria quadrata, diuisa in octies octo quadraturas bicolores; sed hic semper significat domum computuum regiorum Londini, qui Anglicè dicitur *Exchequar*, in cuius frontispicio est huiusmodi tabula.

SECVNDITAS: prosperitas.

SEISIRE: aliquando respicit personam, & ita significat prehendere, capere, arrestare; aliquando respicit bona, & sic idem est, quod possessionem capere rei confiscatæ.

SEISONA: est quodlibet anni tempus, vernum, æstiuum, autumnale, hyemale: tot enim sunt *seisonæ*, seu tempestates anni.

SENDATVM: genus tenuioris materię, *sendal* dictum, quo nuda colla tegunt mulieres.

SHIPVVRECK. Naufragium: seu bona quæ post naufragium vi ventorum, & fluctuum, seu ęstus marini ad litera deuoluuntur.

SKILLA

SKILLA : est minor Campana.

SOCCA, vel *Socha* : est potestas seu iurisdictio inquirendi, ac iudicandi quascumque causas criminales in aliquo dominio.

SOCMANNI : sunt *Tenentes*, qui possident suum tenementum per *tenuram Soccagij*; hoc est propter laborem agriculturę quem huiusmodi *tenentes* Domino suo elocatori quotannis præstare tenentur.

SOLIDVS : est nummus argenteus valens medium florenum Turonensem.

STATISSIME : superlatiuum, ex aduerbio, *statim*.

STERLINGVM : seu *libra sterlinga* : est summa pecuniæ valens decem florenos Turonenses.

SVMMA BLADI : mensura tritici.

SVMMARIVS : est equus onerarius, seu sarcinarius.

SVMMAGIVM : est onus ab equo *Summario* deportandum.

T.

TABARDA : est genus pallij curti itinerantium, manicatum, ita vt cum opus fuerit, possint exeri brachia; cum cuculla, seu capucio, vel sine eo.

TABVLA PVLSATA : genus signi est, quo Religiosi conuocantur ad certos quosdam actus conuentuales.

TALLAGIVM : tributum.

TEAM, seu *Tem*: Est priuilegium regale concessum Baronibus, & similibus viris principalibus à Rege, virtute cuius liceat ipsis possidere *villanos*, id est seruos & mancipia, & de illis, vt de cæteris suis, seu liberis, seu bonis mobilibus, vel immobilibus pro libito disponere.

TENEMENTVM : est possessio cuiuscumque generis, maximè domuũ, & latifundiorum; quam quis ad vitam, vel ad certos annos, vel sine termino sub solis conditionibus certarum consuetudinum, vel alijs quibusuis modis, *tenet* ab alio.

TENENS : qui habet tenementum : Inquilinus.

THAVMA Crucis: id est signum crucis in modum *Tau* literæ efformatum.

TOLLE, siue *Tol* : aliquando significat libertatem emendi, & vendendi in terra sua, hoc est nundinas, & forum instituendi : aliquando significat tributum, seu vectigal soluendum pro mercibus.

TOFTVM, vel potius *Tostum*; est locus vbi aliquando stetit *messuagium*. Vel aliter, est genus luci paruuli, seu loci consiti arboribus minusculis.

TRVFFIS INTENDERE : est tricis intendere, rebus ludicris, ac inutilibus.

TRICARE : tricis, & inuolucris implicare : pedicis illaqueare.

V.

VENIA : est satisfactio in choro, vel vbi vbi exhibita à monacho, secundum consuetudinem, pro quouis suo errato inter cantandum, vel recitandum.

VV.

VVORCETVS, vel *Wurcetus* : est genus panni, quod nomen habet à loco in quo fit.

WARRANTIZARE : vel *Guarantizare* à Gallico *Garranter* : est reddere aliquem securum, & indemnem ab omni fraude, & dolo, in contractu quem facit cum alio, aut aliâs.

FINIS.

INDEX EORVM OMNIVM, QVÆ IN TRIBVS TRACTATIBVS HVIVS OPERIS INVENIVNTVR: APPENDICIS VERO INDICEM INVENIES IN PRINCIPIO ILLIVS.

TRACTATVS PRIMVS.

In quo antiquitas ordinis, & Congregationis Benedictinorum in Anglia, generatim docetur,

SECTIO PRIMA.

Ordinis Benedictini inter Anglorum populos prima exordia.

SECTIO SECVNDA

Antiquitas Congregationis monachorum nigrorum S. Benedicti in Anglia; & variæ eius ætates, atque tempora.

SECTIO TERTIA.

Nouissima huius Congregationis instauratio.

TRACT. SECVNDVS.

In quo demonstratur fuisse iam olim insignem in Anglia Congregationem Benedictinam nullius alterius Congregationis extra Angliam positæ iurisdictioni subiectam.

SECTIO PRIMA.

Occasio controuersiarum, quæ hoc secundo tertioque tractatu disputantur.

SECTIO SECVNDA.

In qua proponitur quæstio vtrum antiquitus extiterit in Anglia Respublica, seu communitas monachorum nigrorum ordinis S. Benedicti, quæ rectè poterit vocari Congregatio Benedictinorum Angliæ, distincta, & independens à Congregatione Cluniacensi, & ab omni alia vltramarina Congregatione sub regula S. Benedicti?

SECTIO TERTIA.

Prima pars sententiæ nostræ, fuisse olim veram, propriamque Congregationem Benedictinorum in Anglia.

SECTIO QVARTA.

Altera pars nostræ sententiæ, Congregationem Angliæ hactenus probatam fuisse semper à Cluniacensibus independentem.

SECTIO QVINTA.

In qua dissoluuntur 5. argumenta aduersarij contra 2. conclusionem.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

In qua dissoluitur 6. & præcipuum aduersarij argumentum; ostenditurque nullam Abbatiam per vniuersam Angliam fuisse vnquam ordini Cluniacensi subiectam. Hæc sectio in plures paragraphos est distributa.

Membrum primum.

De Monasterio S. Albani.

Membrum secundum.

De Abbatia Abingdonensi, & alijs.

Membrum tertium.

Membrum quartum.

Membrum quintum.

Membrum sextum.

TRACT. TERTIVS.

In quo demonstratur Congregationem Angliæ ordinis S. Benedicti fuisse legitimis modis nuper à sede Apostolica instauratam.

An breue Apostolicum pro Instauratione Congregationis Angliæ Benedictinorum nigrorum fuerit surreptitiè obtentum, & an reuera fuerit inualidum.

SECTIO PRIMA.

Factum nostrum in breui Apostolico obtinendo, & promulgando: vnde status quæstionis elucescet.

SECTIO SECVNDA.

Fundamenta nostræ causæ probandæ necessaria.

SECTIO TERTIA.

Pronuntiata veridica nostræ sententiæ temerarijs Aduersarij assertionibus opposita.

SECTIO QVARTA.

Confutantur omnia Aduersarij contra factum nostrum obiecta.

Membrum primum huius sectionis.

De tribus primis obiectionibus.

Membrum secundum.

Soluitur 4. 5. 6. 7. obiectio.

Membrum tertium.

De Calumnia Monopolij.

Membrum quartum.

Soluitur 9. 10. 11. argumentum.

Membrum

Membrum quintum.

De vario modo explicandi vnionem.

Membrum sextum.

De protreptico Aduersarij hypocriticè adornato.

FINIS.



Errata in tractatu primo.

pag.	linea.	error.	correctio.
2.	26.	eoſque	eouſque
10.	20.	Epiſcopis	Epiſcopatibus
23.	5.	celando	Lelando
33.	31.	ante	poſt
37.	9.	cum	non
41.	19.	614.	714.
44.	56.	20.	2.
51.	43.	volumus	nolumus
83.	56.	autore vit	autor vitæ
112.	14.	patrem	petram
131.	2.	arrogamus	non arrogamus
167.	5.	habit	habitum

In ſecundo & tertio tractatu.

pag.	linea.	error.	correctio.
[illegible]	10.	prætioſa	pretioſa
3.	3.	inuolnit	inuolutus
5.	14.	facta a nobis	õ facta a nobis
15.	5.	nolumus ap-probare	nolum⁹ tráſfu-giũ approbare
37.	5.	70.	7.
81.	43.	in cap:	in corp.
198.	26.	Reſinant	Reſtant
198.	57.	horum	horror
198.	59.	impomani	in omni
202.	32.	vili	muli
215.	39.	tuus Doctorum	tuus (quem ta-men &c.) Doc-torum
220.	9.	triginta dum-taxat	duntaxat 38.

Censura Operis.

HIC liber cui titulus est: APOSTOLATVS BENEDICTINORVM IN ANGLIA, SIVE DISCEPTATIO HISTORICA DE ANTIQVITATE ORDINIS, CONGREGATIONISQVE MONACHORVM NIGRORVM SANCTI BENEDICTI IN REGNIS ANGLIÆ, opera, studio, ac labore Reuerendi Patris CLEMENTIS REYNERII monachi eiusdem ordinis, in lucem emissus, & euulgatus, contra æmulos quosdam, qui indiscreta æmulatione permoti, negare ausi sunt Congregationem aliquam eiusdem ordinis in Anglia, verè, propriéque dictam iam olim exstitisse; [Continens tres tractatus; quorum primus est de primordijs ordinis Benedictini in Anglia, Secundus, quod iam olim ibi insignis quædam Congregatio eiusdem ordinis fuerit, & Tertius demonstrans eiusdem Congregationis instaurationem non ita pridem à summis Pontifi cibus factam, cum fertili appendice, in qua referuntur authentica instrumenta quæ in toto opere passim citantur] Dignus est qui pro veritate, tuenda in lucem prodeat, eo vel maximè, quod Author sine vllo lenocinio verborum & aculeo veritatem ipsam nudè, sed neruosè pro dignitate materiæ ostendit, probat, & conuincit. Datum Duaci die 12. Iulij. 1626.

GEORGIVS COLVENERIVS S. *Theol. Doctor, & Regius, ordinariusque Professor, Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Præpositus & Canonicus, in Academia Duacena Librorum censor, & eiusdem Academiæ Cancellarius.*

IACOBVS POLLET S. *Th. Doctor & Regius, ac ordinarius Professor in Vniuersitate Duacensi.*

Licentia Superioris.

NOS Magister Frater RVDESINDVS BARLO Sacræ Theologiæ Doctor & Professor, Congregationis Angliæ Ordinis Sancti Benedicti Præses, necnon & Missionis Hyspaniæ eiusdem Ordinis in Regna magnæ Britanniæ Vicarius Generalis: Facultatem concedimus vt liber intitulatus, APOSTOLATVS BENEDICTINORVM IN ANGLIA; SIVE DISCEPTATIO HISTORICA DE ANTIQVITATE ORDINIS, CONGREGATIONISQVE MONACHORVM NIGRORVM SANCTI BENEDICTI IN REGNIS ANGLIÆ, Iussu Patrũ eiusdem Congregationis in Capitulo generali Anni 1625. congregatorũ, opera verò, & industria R. P. CLEMENTIS REYNERII editus, eiusdemque Congregationis grauium, ac doctorũ hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus. Datum in Conuetu nostro Sancti Gregorij magni, Duaci, die 7. Iulij 1626

F. RVDESINDVS BARLO
qui supra.

& apositum erat ✠ sigillum.

DE ANTIQVITATE ORDINIS, ET CONGREGATIONIS S.P.N. BENEDICTI IN REGNIS ANGLIÆ, *DISCEPTATIO HISTORICA.*



Controuersiam hanc, de qua maiores nostri vix vnquam disputauerant, quia nullam de ea dubitandi causam aut occasionem agnouerunt; visum est nobis (Deo iuuante) latius examinare: ob nonnullorũ æmulas opiniones nuper exortas, partim quidem eorum, qui Monachos Romanos, Anglorum procul dubio primos Apostolos, S. Benedicti regulæ mancipatos non fuisse contendunt, partim vero aliorum recentiorum, qui congregationem aliquam eiusdem ordinis in Anglia verè propriéque dictam aliquando extitisse, præsumptione magis contradicendi, quam zelo veritatis inuestigandæ inducti, pernegant. Et quia res est diffusioris ambitus, quam primo fortassis aspectu lector existimabit; in tres partes, siue tractatus totam hanc disceptationem nostram distribuemus, tractatusque ipsos in alias partiemur sectiones, & membra: vt sic legentis animus distinctius, & minore cum tædio solicitæ attentionis, ea, quæ dicturi sumus, animaduertat. Et primus quidem tractatus ordinis Benedictini in Angliæ Regnis primordia demonstrabit; Secundus congregationem aliquam eiusdem ordinis, & quidem insignem olim fuisse docebit. Tertius vero eiusdem congregationis instaurationem, non ita pridem à summis Pontificibus factam ostendet, & propugnabit. *Occasio huius disceptationis*

Sed prius quam ipsam aggrediamur controuersiam, scire volumus benignum lectorem nostrum, eam à nobis vix pro dignitate potuisse tractari, nisi inspectis Archiuis publicis Angliæ; quod nobis exulibus, & in aliena terra pauperem vitam religionis Catholicæ nomine degentibus, pene impossibile factu videri posset. Et tamen ita veritati causæ nostræ, quam tuemur, fauit Deus amator ipse veritatis & author: vt & per nosipsos multa inspexerimus, & per amicos plura nobis subministrata fuerint venerandæ antiquitatis instrumenta authentica, ab omni partium suspicione remota, quibus in asserenda veritate vsi sumus. Eorum pleraque, ne cursum lectionis interrumperemus, in appendicem quandam libro subiunctam separauimus: nonnulla tamen in ipso contextu ponere coacti sumus, quia serius ad nos peruenerunt, quam vt in appendicem (quæ primo excudi debuit, ob maiorem citandi commoditatem) conijci potuerint. Quæ etiam causa fuerit, cur longe serius, quam initio statuebamus, hæc nostra opella prodeat in publicum: dum & in ipsa Anglia, quæcunque potuimus, non paruo tempore lustrauimus; & quædam ab amicis reperta, & ad nos tardius transmissa (quæ tamen nullo modo debuerunt omitti) expectauimus. Hac admonitione præmissa, disceptare incipiamus: Faue benigne lector, & iudex esto, satisne claris & euidentibus argumentis antiquam veritatem comprobemus. *Vnde tot instrumenta antiquitatis prodierint.* *Cur tā sero opus euulgatum.*

TRACTATVS PRIMVS.

In quo Ordinis & Congregationis Benedictinorum antiquitas in Anglia generatim docetur; in tres diuisus Sectiones.

SECTIO PRIMA.

Ordinis Benedictini inter Anglorum Populos, prima exordia.

Synopsis totius Sectionis.

§. 1. *Primos Angliæ Apostolos & Magistros, fuisse Monachos Benedictinos:* 2. *Facillime demonstratur ex ipsa communi traditione populi Anglicani:* 3. *quæ probatur indu-*

 ctione,

ctione, primo ab Henrici octaui temporibus, vsque ad Gulielmi Normannici aduentum. ¶. 4. Exinde vsque ad Eadgarum Principem. ¶. 5. Et ab Eadgaro vsque ad Ethelbertum & Augustinum. ¶. 6. Alia demonstratio à monachatu Benedictino præcipuorum Angliæ magistrorum, vt Aldelmi Shirburnensis Episcopi. ¶. 7. Item Sanctorum Bonifacij, Willebaldi, sociorumque Germaniæ Apostolorum. ¶. 8. S. Wilfridi Archiepiscopi Eboracensis. ¶. 9. Sancti Benedicti Biscopi, V. Bedæ, Magni Alcuini. ¶. 10. Tertia demonstratio ex præcipuis monasterijs ipsa Augustini ætate fundatis: vt, Eliensi, S. Etheldredæ. ¶. 11. Euishamensi Sancti Eguini. ¶. 12. Glastoniensi omnium maximo. ¶. 13. Augustinensi Cantuariæ. ¶. 14. S. Mildredæ in Taneto insula, & S. Milburgæ sororis eius. ¶. 15. Certeyensi & Barkingensi, S. Erkonwaldi. ¶. 16. Westmonasteriensi S. Melliti. ¶. 17. Ecclesia Christi Cantuariæ, cæterorumque cathedralium monasteriorum. ¶. 18. Quarta probatio ex ipsa appellatione nigrorum monachorum, & discentione circa ritus Romanæ Ecclesiæ. ¶. 19 Quinta demonstratio ex varijs coniecturis. ¶. 20. Sexta demonstratio, non posse ostendi aliam originem ordinis in Anglia, nec alium ordinem aßignari posse primis Apostolis, & quandonam alij ordines in Angliam fuerint ingreßi. ¶. 21. Septima demonstratio, ex ipso D Gregorij monachatu. ¶. 21. Octaua demonstratio, ex testimonio peritorum Antiquariorum Angliæ.

§. 1. Primos Angliæ Apostolos fuisse Monachos ordinis S. Benedicti.

Primos Angliæ Apostolos fuisse Benedictinos.

ORdinem Sanctissimi Patris Benedicti, primos Christianæ fidei concionatores genti Anglosaxonum dedisse, vetusti scriptores eiusdem gentis omnes magno consensu tradunt. Quamuis enim Britonum natio, quæ prius insulam incoluit, aliquot antea sæculis, prædicante Iosepho ab Arimathia sub rege ipsorum Aruirago; & suscipiente postea fidem ab Eleutherij Pontificis legatis Rege altero eorundem Lucio, nomen Christo dederit: imo Simone Cananæo, & secundum aliquos etiam Petro Apostolo prædicatoribus potuerit gloriari; Anglorum tamen populus à tenebris Paganismi ad lumen admirabile Euangelij non per alios præcones est vocatus, quam per S. P. N. Benedicti monachos, quos magnum Ecclesiæ decus, ordinisque Benedictini fulgidum sidus Gregorius primus, cum S. Augustino Monasterij sui Præposito, siue Priore, ad prædicandum fidem, in Britanniam, (quæ nunc à maiore cultioreque Insulæ parte Angliæ nuncupatione cognoscitur) destinauit.

Atque ita semper creditũ, ante Baronium.

Erat hæc constans & perpetua Anglicanæ Ecclesiæ traditio, nec ab vllis authoribus in dubium vocata, vsque ad sæculum istud nouissimum, in quo, præeunte Cæsare Cardinale Baronio, pauci aliquot scriptores eius authoritate moti magis, quàm rationibus conuicti, aliter docere cœperunt & primos gentis Anglorum Apostolos, etsi monachos eos fuisse non negent, saltem Benedictini ordinis monachos fuisse pernegant. Extitit quidem ante Baronium obscurus quidam author Iacobus Wimphelingus Germanus, qui omnium primus hanc nouitatem nisus est propugnare; sed ita infœliciter, vt eius opus à Paulo Langio acri & docto viro, monacho Benedictino elisum, euanuerit. Et hic quidem inuidia cucullatorum (vt loquitur Langius) acerbius hunc suum conatum extulit, nec Gregorium solum, sed Bedã etiam, & Alcuinum (quod eosque nemo ausus fuisset) ordini nostro subtraxit. Non perennauit tamen opus, statim atque exijt, suffocatum. Baronius autem auctoritate magni nominis opinionem illius ita sustinet, vt verè primus eius auctor debeat existimari.

Eius laus, & quomodo primus nic nouarit

Fuit vir ille, (Cæsarem Baronium dicimus) immortali memoria dignissimus, cuius annales eruditionis & veracitatis fruge & fide grauidi, inter præstantissima monumenta, quæ vnquam à magnis sanctisque Ecclesiæ Doctoribus ædita fuerunt, merito debeant computari. Nec tantum doctrina & eloquentia fuit conspicuus; sed vitæ etiam in omni virtutum genere nobiliter exactæ gloria præcellens, & sanctitatis opinione post fælicem obitum nobis omnibusque Catholicis venerandus. Sed fuit tamen, dum vixit in carne mortali, homo: qui licet supra communem hominum sortem cælo propinquius volans, & crassis erroribus, quasi terrenis nebulis liberrimus existeret: potuerit tamen in aliquibus minoris momenti erratis falli; non tam nobilissimi ingenij, castigatique iudicij culpa, quam quod sublimioribus vniuersalis Ecclesiæ controuersijs intentus, in ijsque diuino zelo totus absorptus, ista minorum gentium dubiola non ita diligenter examinarit; nec verò debuerit pretiosum & Ecclesiæ necessarium otium, (quo nullus operosius fuit hæc ætate negotium,) in rebus vilioris metalli examinandis perdere.

A nostris hominibus confutatus.

Ergo inter pauca, in quibus humani aliquid passus est Baronius, etiam hanc eius sententiã ponimus, qua S. Gregorium, monachosque ab eo in Angliam missos, S. Equitij potius, quam S. Benedicti monachos fuisse opinabatur: Nec nos soli ponimus, (quis enim nobis perpu-

fillis

fillis contra magnum illum Cæsarem crederet?) Sed maximi etiam authores & grauissimi, præsertim illi, qui editis apologijs, ipso adhuc superstite Baronio, sententiam eius non impugnarunt modo, sed etiam expugnarunt; & Antonium Gallonium, virum quidem doctum & eloquentem, sed monachis tamen Benedictinis pro sententia Baronij nimis iuueniliter insultantem, ita exceperunt, vt quanquam forte ipse non deposuerit errorem, (sunt enim aliqui, quorum is est genius, vt nec demonstrationibus quidem Mathematicis contra sua præiudicia velint acquiescere,) tamen certe, spem omnem deponere debuerit, contra tantam veritatis lucem præualendi. Eorum authorum scripta legat, quisquis Benedictini ordinis honore, & veritatis zelo ductus, huius controuersiæ discussionem pleniorem desiderat; maximè doctissimorum Abbatum nostrorum Constantini Caietani Itali, & Henrici Van Zieppe Belgæ, qui adhuc (dum hæc scribimus) ad ordinis nostri gloriam supersunt; & venerabilis Patris nostri Antonij Yepes Hispani, qui nuper vitam hanc mortalem cum morte vitali sancte commutauit, septem veracibus Historiæ Benedictinæ voluminibus post se relictis, (quæ, si Deus votis nostris fauerit, ex Archiuis aliarum prouinciarum locupletata, iuxta authoris ipsius optata latinè dabimus,) in quorum primò docte, solidè, & modestè contrà Baronium, & Gallonium disputauit.

A nostris hominibus confutatus.

Neque verò existimes, lector benigne, superfluam esse, aut leuem vanamque controuersiam, pro qua non deberent monachi Benedictini tanquam pro aris & focis decertare: quoniam si Gregorium magnum, & missos ab eodem in Angliam Monachos ab ordine S. Benedicti ignauiter patiantur eripi, ceciderit præcipua corona capitis sui, ceciderit summa ordinis gloria, Apostolatus nimirum Angliæ, Belgij inferioris, Germaniæ, Noruegiæ, quæ à monachis Romanis & Anglis ad Christum sunt adductæ. Si igitur gloriosus Apostolus & Doctor gentium Paulus non dubitauerit ad se spectare, & ad sanctam, veram, necessariamque gloriam suam, ne pateretur filios prædicationis suæ sibi ereptos alijs patribus supponi: vnde illa eius ad Corynthios suos assertio paterni iuris sui, *Nam etsi decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui*: Certe possunt etiam discipuli S. Benedicti, tanti exempli fiducia fulti, pro suæ quoque regulæ gloria zelare, & Gregorium, Augustinum, Clementem Willebrordum, Bonifacium, cæterosque gentis nostræ, & aliarum nationum Apostolos nobis eripere molientibus fidenter resistere, & veraciter absque arrogantia dicere, quia etsi decem millia pædagogorum in Christo habuerint Angli, Frisones, Bataui, Germaniæ denique omnis populi, ex clero, ordinibusque alijs Ecclesiæ Catholicæ desumptos; sed non alios patres, quam Benedictinos; nam in Christo Iesu per Euangelium ipsos Benedictini monachi genuerunt, signaculum Apostolatus eorum in Domino hi omnes populi existunt.

Meritoque cõfutari debuisse.

Atque hanc verissimam esse gloriationem (reiecta, non sine summa in alijs plærisque omnibus reuerentia, opinione Baronij) authores prænominati probauerunt, & contrariæ nouitatis argumenta lucidissime dissoluerunt. Sed quia nec victa manus dare solet pertinacia; & adhuc sunt nonnulli, qui (nullo quidem vtilitatis aut gloriæ Ecclesiasticæ zelo, sed solo ordinis magni deprimendi studio) prostratam protritamque sententiam assertione audaci, non rationibus, (nisi forte illis, quæ iam sunt à nostris dissipatæ) sustentare nituntur: Nos etiam Autorum nostrorum laboribus eruditis fruentes, eorum defensiones ex Angliæ nostræ historijs desumptas ita per compendium repetemus, vt tamen multa hactenus nondum prolata, ex antiquissimis Angliæ monumentis addamus, quibus ista probatio ab historia gentis nostræ deprompta reddatur euidentissima.

A nobis per Apostolorũ nostrorum successiones conuincitur.

Ponamus autem primò tanquam basim firmissimam, quam nemo vocabit in dubium, Gregorium magnum, & Augustinum Cantuariensem eiusdē prorsus regulæ monachos fuisse: quandoquidem hic sub illo in monasterij sui regimine Præpositus siue Prior extitisse, ab ipsomet Gregorio dicatur. Audiamus ipsum loquentem: verba enim eius iucundissima nobis esse debent, in quibus mirabilem nostræ salutis zelum & ardorem vbique spirat: sic igitur l. 7. epistolarum suarum epist. 114. Syagrio Augustodunensi Episcopo scribens, loquitur: *Quia igitur in prædicationis opere, (quam diu cogitans Anglorum genti per Augustinum quondam mei monasterij Præpositum, nunc fratrem & Coepiscopum nostrum impendere statui,) ita solicitum atque deuotum, adiutoremque in omnibus te, vt oportuit, fuisse cognouimus, vt magnum me sibi fraternitas tua hac de re faceret debitorem: tantæ rei consideratione commonitus, ne infructuosus erga te viderer existere, fraternitatis tuæ petitionem nulla pertuli ratione postponere.* Sane per Præpositum monasterij sui, non alium intellexisse, quam conuentus sui Priorem, constat ex perpetua consuetudine Gregorij, qui quotiescumque de monasterij Præpositis loquitur, eos expressè distinguit ab Abbatibus monasteriorum; quo ipso se profecto declarat Benedictinum, quando

Præpositus apud Gregorium est Prior Monasterij.

regulæ Benedictinæ, & nullius alterius peculiare est, *Priorem* suum, seu eum, qui secundas post Abbatem tenet, *Præpositum* etiam vocare, vt apparet ex integro capite regulæ de officio Præpositi. Gregorium igitur ita etiam distinguere Præpositum ab Abbate, vt nunc vulgatiore loquendi modo Priorem solemus, (nam nunc vsus recentior obtinuit, vt Prior sit secundus ab Abbate in monasterio ipso, in quo Abbas viuit: Præpositus vero plærunque sit alterius alicuius conuentus minoris superior, sub Abbate qui in maiore conuentu sedem fixam habeat,) clarissimè constat legenti D. Gregorij dialogos, & epistolas, speciatim vero si adeatur lib. I. dialog. c. 7. vbi Nonnosum Præpositum monasterij in monte Soracte constituti, *sub asperrimo eiusdem monasterij Patre seu Abbate* degisse scribit, *eiusque mores* (inquit) *mira semper æquanimitate tolerabat: sicque fratribus præerat in mansuetudine, sicut crebro Patris iracundiam ex humilitate mitigabat.* Eodem loquendi genere vsus est in ep. 93. lib. 7. ad Fortunatum Neapolitanum Episcopum: *Quia seruorum Dei pater* (inquit) *quem in Neapolitana ciuitate transmiseram, Deo, (sicut ei placuit) disponente defunctus est: visum mihi est latorem præsentium Barbatianum monachum pro eorundem monachorum gubernatione transmittere. Quem & Præpositum esse decernimus, & si eius vita tuæ fraternitati placuerit, hunc post aliquantum temporis eorum patrem debeas ordinare.* Patrem autem, Abbatem intelligit, vnde in fine eiusdem epistolij dicit, *si hunc cautum in regimine, & humilem in suo sensu fieri cognouerit, tunc eum ad Abbatis honorem Deo auctore perducat.* Similiter & in epist 3. lib. 2. ita scribit Ioanni Abbati Regiensi: *Petiit dilectio tua, vt frater Bonifacius in monasterio tuo à te debeat ordinari Præpositus: quod ego valde miratus sum, quia ante factum non est, nam ex quo illum tibi dare feci, iam eum ordinare debuisti.* Eadem phrasi vsus est 2. dial. cap. 22. dum cuidam postulanti, vt in suo prædio S. P. Benedictus monasterium construeret, narrat, beatum virum *eidem roganti consentijsse, & deputatis fratribus Patrem constituisse, & quis ei secundus esset, ordinauisse*; eundumque secundum postea vocat Præpositum; *Nocte* inquiens, *eadem, qua promissus illucescebat dies, eidem seruo Dei, quem illic Patrem constituerat, atque eius Præposito, vir Dei in somnis apparuit.* Tandem lib. 9. epist. 38. ad Rusticianam Patriciam de miraculis sui monasterij Andreani ad cliuum Scauri scribens, ait: *Iudico autem, quia tanta miracula, tanta cura, tanta custodia monachorum in eodem monasterio eiusdem Apostoli est, ac si specialiter Abbas monasterij ipse sit. Nam vt pauca de multis loquar, quæ Abbate ac Præposito monasterij narrantibus agnoui, edicam.* & quæ sequuntur. Quare constat abundè satis ex istis, apud S. Gregorium, de monachis, ac præsertim de suo S. Andreæ monasterio loquentem, Præpositi nomen non Abbatis, sed Prioris, seu secundi ab Abbate munus denotare; Et expressè etiam de S. Augustino, ita Præpositum fuisse, vt non adhuc Abbatem, quando ad missionem Angliæ destinatus fuerat, etiam manifestè constat ex eiusdem sancti Pontificis epistola ad monachos in Anglia commorantes, in quo *Remeanti*, inquit, *Augustino Præposito vestro, quem & Abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite.* Epistolam vero hanc venerabilis Beda, ne periret, suæ historiæ inseruit. Fuit ergo Augustinus Præpositus seu Prior monasterij S. Andreæ ad cliuum Scauri, quod monasterium suum S. Gregorius appellare consueuit; & ita Præpositus, vt non aliunde, sed ex ipsius monasterij gremio assumptus sit: sic enim loquitur Gregorius lib. 7. episto. 3. ad Eulogium Alexandrinum: *Quoniam in bonis, quæ agitis, scio quod & alijs congaudetis, vestræ quoque gratiæ vicem reddo: quia dum gens Anglorum in mundi angulo posita, in cultu lignorum ac lapidum perfida nunc vsque remaneret, ex vestræ mihi orationis adiutorio placuit, vt ad eam mei monasterij monachum in prædicationem transmittere, Deo authore, debuissem; qui data à me licentia à Germaniarum Episcopis Episcopus factus, cum eorum quoque solatijs ad prædictam gentem in finem mundi perductus est. Et iam nunc de eius salute & opere ad nos scripta peruenerunt, quia tantis miraculis vel ipse, vel hi, qui cum eo transmissi sunt, in gente eadem coruscant, vt Apostolorum virtutes in signis, quæ exhibent, imitari videantur. In solemnitate autem dominicæ natiuitatis, quæ prima indictione transacta est, plusquam decem millia Angli ab eodem nuntiati sunt fratre & coepiscopo nostro baptizati:* Locum totum posuimus, quia gloriam Apostolorum nostrorum indicat egregiè; quæ nobis satis iustam causam præbet illis repugnandi, qui tam gloriosis Apostolis ordinem nostrum nituntur spoliare. Sed longe clarius docet alius locus, monachum monasterij illius, & in eodem enutritum fuisse Augustinum: qui locus est in lib. 12. Registri ep. 31. Requisitus enim sanctus Pontifex à Fælice Siciliæ Præsule, vtrum Augustino scripsisset, vt Anglorum quarta generatione contracta matrimonia minime soluerentur, humillimus Pater ita respondit: *Quod scripsi Augustino Anglorum gentis Episcopo, alumno videlicet nostro, vt recordor, de sanguinis coniunctione; ipsi, & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono (quod ceperat) metuendo austeriora recederet, specialiter, & non generaliter cæteris, me scripsisse cognoscas.* Vbi *alumnum* suum cum nuncupat Augustinum, discipulum à se in monasterij artibus educatum insinuat: cui videlicet ipse

Augustinus fuit Prior S. Andreæ:

Et sub ipso Gregorio Abbate educatus.

Abbatis

Abbatis officio & magisterio aliquando præfuisset; quod qui negant, oscitanter se Gregorij scripta & acta considerasse manifestant. Non solum enim Ioannes Diaconus annis ab hinc octingentis id affirmat in vita Sanctissimi Pontificis, verum & Breuiarium auctoritate Clementis Octaui à viris eruditissimis diligenter recognitum, sic de Gregorio loquens: *Monachi vitam professus, postea Abbas fuit: mox Diaconus Cardinalis creatus, Constantinopolim à Pelagio Pontifice ad Tiberium Constantinum Imperatorem legatus mittitur.* Quare ipsius Ecclesiæ Romanæ sententiam censendus est impugnare, qui hanc assertionem de Gregorij Abbatiali prælatura impugnet. Quin & eundem huius monasterij sui Abbatem fuisse didicit & docuit Photius in Myriobiblo, his verbis: Ἀνεγνώσθησαν ἐκλογαὶ τοῦ θεαρέστου βίου Γρηγορίου, ὡς ἱεροπρεπῶς ἀρχιερατεύσας τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας τοὺς βιωφελεστάτους τέσσαρας διαλόγους ἐφιλοπονήσατο. Οὗτος ὁ θεῖος Γρηγόριος μητρὸς μὲν περιῆλθεν ὄνομα Σιλβίας οἴκου τῶν περὶ τὴν Ῥώμην λαμπρῶν. Μονάζει δὲ ἐν τῇ μονῇ τοῦ ἁγίου Ἀνδρέου τοῦ Ἀποστόλου, ᾗ ἐπώνυμον κλειὸς καυρῖν. καὶ ὕστερον καθηγήσατο τῶν ἐν αὐτῇ, τ' ἄλλα μὲν πράττων, ἃ πράττειν ἔδει θεοφιλεῖ, ἔργον δὲ διδοὺς τῇ χειρὶ καὶ τὸ γράφειν, ἀρεταῖς δὲ τὸν βίον ἰθύνων, ἐλεημοσύναις περιέλαμπε.

Grego-rius enim ipse Abbas fuit S. Andreæ ante Cardinalatū.

Quæ verba in editione Pauli Stephani (quam putamus esse Geneuensem) sic obscure, & falso transferre existimamus: *Legimus excerpta è vita Deo charissimi Gregorij, quomodo piè Romanam administrans Ecclesiam quatuor illos dialogorum libros vitæ vtilissimos concinnarit. Hic Diuus Gregorius natus est matre Syluia, Patricius Rom. vixit in solitudine S. Andreæ Apostoli, cui nomen cliuus Scauri,* (clarius dixisset, vt Græca verba sonant, *Monachum egit in monasterio*, neque enim tam apte monasterium in vrbe positum solitudo vocatur) *postea cæteris in illa sanctitate præiuit* (debuit dixisse, *Monachis eiusdem monasterij præfectus est*; id enim græca significant,) *alia quidem faciens quæ pio necessaria sunt, & manum operi simul & scriptioni applicans; virtutibus vitam instituens, eleemosynis claruit.* Dicimus autem locum hic videri nobis in ipsa translationis editione corruptum, forsitan odio Monachorum, quibus tantum Abbatem inuiderent editores: neque enim existimare volumus Doctissimum Patrem Scottum ita obscurè & æquiuocè voluisse transferre; vt pro Abbate monachorum periphrasim poneret talem, quæ etiam in non Abbatem conueniret, nam & simpliciores monachi sæpè aliis etiam Abbatibus sanctitate præire possunt, & prælucere: præsertim cum in eodem opere translatio Latina in censura Sophronij Patriarchæ Hierosolymitani, num. 231. sine dubio inueniatur ab editoribus corrupta: vbi Sophronij literas ad Honorium Papam, dicit interpretatio scriptas ad Honorium Imperatorem, qui mortuus est circa annum Domini 422. cum Sophronius illas Romam miserit circa annum Christi 633. Causa autem vel occasio corruptelæ forsitan fuit, vt interpres indicaret, ex iudicio Sophronij Imperatorem in causis fidei discernendis potestatem habere, eò quod Honorium Romanum fateatur Sophronius, τὸν τῆς Ῥώμης Ὁνώριον, οἷα δὴ καὶ δυνάμενον ταύτης ποιήσασθαι, καὶ τὴν διόρθωσιν, καὶ τὴν ἀναπλήρωσιν; tali potestate præditum *vt potuerit suam epistolam, vbi opus videret, corrigere; aut vbi deficeret, supplere.* quæ quidem rectè Pontifici Honorio à Patriarcha Sophronio honoris causa deferrentur; & temporis characteri consonarent; Honorio autem Imperatori non nisi contra Episcopalem constantiam attribui possent, & nullò modo à Sophronio, qui tam diu post eum vixit, reuera ad illum Imperatorem potuerunt scribi. Ergo suspicio est, editores à castris ecclesiæ alienos ita locum corrupisse, vt Episcopos ecclesiæ Imperatorum tribunali subiicerent: nam doctissimus P. Scottus, qui Honorium Pontificem antea in annotationibus defendisset, non ita contra maiestatem Pontificij peccare potuisset; nec tam erat ignarus chronologiæ, vt Sophronium hunc Honorio Papæ coæuum, nesciret ducentis fere annis Honorio Principe posteriorem fuisse; nec tam præcipitatus interpres, vt non videret eo loco, τὸν τῆς Ῥώμης ἐπάρχοντα, non Imperatorem, sed Patriarcham Romæ significare, & ἐπαρχίαν non solùm sæcularis principatus prouinciam, sed etiam ecclesiasticæ iurisdictionis diœcesim denotare; vt & vox ipsa diœcesis ecclesiasticis vsitatior, tamen etiam pro imperatoriorum magistratuum ditione sæpe vsurpatur. Sed hæc obiter. Ad locum Photij propositum reuertamur: ex quo habemus (quod forsitan ad eleuandam fidem Dialogorum, aliqui cum Cano possent aduersarij negare,) Gregorium Magnum illorum authorem Græcis hominibus existimari, ipsosque vtilissimæ prorsus lectionis iudicari: quorum nos authoritate præcipue hic causam nostram defendimus; Deinde, quod præcipue intendebamus, etiam Photio Gregorium Abbatem fuisse sui ad Scauri cliuum monasterij. Quidni verò Abbatem iudicaret, cum ipsemet de se hoc fateatur expressis verbis Gregorius? nihil enim aliud sibi volunt illa eius verba libro tertio Dialogorum capit. 33. dum de languenti stomacho suo precibus sancti Eleutherij Abbatis Spoletani curato loquens, scribit: *Cæpi mirari quis essem, quis fuerim: quia & cum ad animum redibat infirmitas, nihil in me ex his, quæ memineram, recognoscebam. Cumque in dispositione monasterij mens occupata fuisset, obliuiscebar funditus ægritudinis meæ.* Hanc autem dispositionem monasterij sui, curam fuisse Abbatialem, (ne quis tanquam funda-

Photij locus ab editoribus male tractatus.

Alter locus Photij ab editoribus corruptus.

Ipse Gregorius Abbatem se fuisse affirmat.

torem dispoſuiſſe arguetur,) ſatis clarè oſtendit ipſe in Conſtituto, quod in concilio Epiſcoporum pro pace monachorum Romæ ſanciuit his verbis: *Quam ſit neceſſarium monachorum quieti proſpicere, & de eorum perpetua ſecuritate tractare, anteactum nos officium, quod in regimine cœnobij exhibuimus, informat; & quia in plerisque monaſterijs, multa à Præſulibus præiudicia, & grauamina monachos pertuliſſe cognouimus: oportet vt noſtræ fraternitatis prouiſio de futura eorum quiete ſalubri diſponat ordinatione.* Concilium hoc & conſtitutum agnoſcit Baronius, & habetur integrum in tomis Conciliorum: quare non poteſt dubitari, quin eiuſdem monaſterij monachus & Abbas fuerit D. Gregorius, cuius monachus & Prior ſeu Prępoſitus extitit Auguſtinus; adeoque euidens eſt vtrumque eandem monachalis vitæ regulam ſeu inſtitutionem ſequutum fuiſſe, ſicut & reliquos monachos, quos ſatis magno numero cum eodem Auguſtino duabus aut tribus diſtinctis miſſionibus idem Pontifex prædicationis cauſa in Angliam deſtinauit.

Auguſtinum monachos à ſuo inſtituto diuerſos non propagauiſſe. ſuadet mos aliorum ordinũ; et ipſa ratio.

Ponamus etiam tanquam æquè manifeſtum, miſſos à D. Gregorio Prædicatores Monachos, Auguſtinum, Laurentium, Mellitum, cæteroſque, cum in Angliæ regnis, per eos operante diuina gratia ad Chriſtum conuerſis, monaſteria liberrimè fundarent, non aliam in ijs regulam aut inſtitutionem exercuiſſe, vel diſcipulis exercendam tradidiſſe, quàm quæ ab ipſis in ſuis Romę & in Italia monaſterijs fuiſſet obſeruata. Sicut videmus hodierno die euntes in remotiſſimas Indiarum & Sinarum regiones patres Societatis, S. Ignatij diſcipulos, non fundare aut propagare cœnobia Benedictinorum, aut Auguſtinianorum, ſed ſui duntaxat ordinis domos & collegia Similiter & Auguſtinianos, Franciſcanos, Dominicanos, Carmelitas, in ijſdem Indiarum, Sinarum, aut Perſiæ etiam prouincijs facere certum eſt. Nec ſolum aliorum ordinum mos & conſuetudo hoc noſtrum fundamentum ſtabilire poteſt, verum & ipſa ratio: quod incredibile prorſus videri debeat, ſanctos illos monachos ſui inſtituti pertæſos, alienum inſtitutum in Anglia ſuſcepiſſe, ab eo, quod ipſi in monaſterijs. S. Gregorij imbibiſſent: ſuſcepiſſe, inquam, quoniam certum eſt, in primitiua illa gentis noſtræ Eccleſia, non ſolum in cœnobijs monachalem vitam ab Apoſtolis noſtris propagatam, ſed eandem prorſus, quam in cœnobijs ſtatuerant, ab ipſis etiam in Eccleſiarum cathedralium collegijs à ſe inſtitutis cultam fuiſſe.

Et Gregorij conſilium.

Quare etiam tunc temporis, cum D. Auguſtinus Cœnobium SS. Petro & Paulo Cantuariæ fundaſſet, quod poſteà ab ipſius nomen S. Auguſtini monaſterium appellatum fuit, ipſe cum ſuis clericis ſiue canonicis idem vitę monaſticæ genus in Eccleſia Cathedrali Saluatoris Chriſti, in ipſa vrbe Cantuariæ ſequebatur. Apparet autem ex litteris Gregorij ad Auguſtini quæſita, (quem locum inferius adducemus) conſilium illud fuiſſe Sanctiſſimi Pontificis, vt in Anglia non alijs vterentur clericis, quàm qui vitam monaſticam eſſent profeſſi: idemque conſilium, tanquam Eccleſiæ ſaluberrimum, Apoſtolicæque regulæ maximè conſentaneum, Pontifices Gregorium ſubſequuti confirmarunt, & contra impugnatores iteratis decretis, quæ & producemus, ſtabiliuerunt Fuerunt igitur eiuſdem inſtituti omnes monachi à Gregorij diſcipulis in Anglia collocati ſiue in Eccleſijs Cathedralibus, ſiue in priuatis monaſterijs.

Et affectus religioſorum erga ritus ſuos. Et reuerentia conuerſorum erga patres ſuos ſpirituales. Et reuerentia qua ipſi Apoſtoli Gregorium ſunt proſequuti.

Et ſane quæ ratio poteſt aliter ſuadere, quam quod monachi Romani (cum omnibus monachis proprium eſſe Baronius agnoſcat, & res ipſa clamet, ceremoniarum rituumque ſuorum eſſe tenaciſſimos) fide iam inter Anglos plantata, ſuum, quem ipſi & profeſſi fuerunt, & Gregorio magiſtro didicerunt, monachiſmum cœnobijs à ſe fundatis inuexerint? Cum pręſertim ita comparatum ſit, vt qui ad fidem & Chriſtianę Eccleſiæ gremium adducuntur, maxima reuerentia Apoſtolorum & Magiſtrorum ſuorum conſilia & mores proſequantur, libentiſſimeque illis per omnia obtemperent: quare Auguſtinus cum Anglorum Regibus & populis vteretur ſibi ad omnia pietatis obſequia paratiſſimis, quippe qui cupidiſſimè eidem ad Eccleſiarum, & monaſteriorum fabricas, opes fundoſque ſubminiſtrabant; nemo tam imperitus eſt rerum æſtimator, vt iudicare poſſit ipſum hac diſcipulorum promptitudine vſum fuiſſe ad monaſteria diſtincti inſtituti ab eo, quod ipſe ſocijque eius aſſumpſerunt, erigenda. Neque vero in tam paruo pretio apud ipſos erat Gregorij Patris ſui authoritas, vt quam ab eo acceperant Aſceſim, ſeu obſeruantiam regularem, quam etiam ſcriptis ad ſe literis agnouerant ab eo commendari, & quodamodo imperari: eam illi aut abijcerent, aut aliam ab ea diuerſam libentius pręferrent, & copioſius propagarent. Nam conſideremus quam in rebus etiam minutioribus anxius & ſcrupuloſus extitit Auguſtinus, vt ne in illis quidem aliquid, niſi conſulto Gregorio, ſtatuere præſumeret, veritus nimirum, ne ab eius ſententia in vlla re diſcederet, aut diſcreparet: ſatis hanc eius anxietatem declarant eius ad Gregorium quæſita, quibus fuſe Pontifex reſpondit; & in re tanta, quam ſciret Gregorio maximè fuiſſe cordi, auderet contra Gregorij conſilium facere? Nullo modo credendum. Maneat igitur certiſſimum, cœnobia, & cœtus monachorum quæ ab Auguſtino

socijsque per Angliam constituebantur, fuisse eiusdẽ habitus, regulæ, seu normæ, & instituti, cuius ipsi erant, cuius ipsemet fuerat Gregorius, cuius cœnobia à Gregorio ædificata, & gubernata, in quorum nonnullis primi hi Anglorum prædicatores educati fuerant.

§. 2. *Communis apud Anglos traditio, primos Apostolos suos fuisse Benedictinos.*

Atqui omnia Anglorum monasteria, quę ab Augustino, monachisque Romanis eiusdem in prædicationis officio socijs, instituta fuerant; regulæ S. Benedicti artibus & ritibus fuere mancipata. Hoc primum demonstrare possumus ex constanti omnium sæculorum in Ecclesijs Anglicanis conseruata traditione: quam apud Baronium certe, & Catholicos omnes tanti momenti par est haberi; vt qui eam parui faciant, eadem facilitate, etiam Catholicæ orthodoxiæ firmissimum fundamentum contemnant. Est enim locus argumentandi fundatissimus, & à magno Africæ, imo totius Ecclesiæ Doctore Aurelio Augustino sæpius approbatus, qui sumitur ab antiquitate doctrinæ eodem modo per sibi inuicem succedentia sæcula à primis Apostolis & Doctoribus traditę: eumque valere in omni veritate controuersa, idem clarissimus Christianorum magister affirmat lib. 5. de baptis. contra Donatistas cap. 26. vbi laudat Cypriani martyris canonem. *Iubentis nos, vt ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus.* Sic & contra Faustum Manichæum lib. 28. cap. 6. ab eodem loco disputans, ait. *Dices, illam narrationem non esse Mathæi quam Mathæi esse dicit vniuersa Ecclesia, ab Apostolicis sedibus vsque ad præsentes Episcopos certa successione perducta. Tu mihi quid contra lecturus es? Aliquem forte librum Manichæi, vbi Iesus negatur esse natus ex virgine. Sicut ergo ego credo, illum librum esse Manichæi quoniam ex ipso tempore, quo Manichæus viuebat in carne, per discipulos eius, certa successione præpositorum vestrorum ad vestra vsque tempora custoditus atque perductus est: sic & istum librum crede esse Mathæi, quem ex illo tempore, quo Mathæus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum, Ecclesia certa connexionis successione vsque ad tempora ista perduxit.* Et vniuersali assertione, lib. 4. de baptismo contra Donatistas, cap. 24. docet, & dicit: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Adeo rectissimè, vt alibi (nempe cap. 5. eiusdem libri) scribere non vereatur: *Siquid horum* (de ritibus Ecclesiasticis non scriptis agit) *tota per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendum sit, disputare, insolentißimæ insaniæ est.*

Argumentũ à traditione perpetua, maxime efficaciꝫ apud Catholicos.

Hanc Augustini *topicam* non solum valere in vniuersalis Ecclesiæ fide demonstranda, sed etiam in cuiusque particularis Ecclesiæ fide, puta Galliæ, Hispaniꝫ, Angliæ, nemo prudens negabit: eam scilicet doctrinam veram esse, catholicam, & orthodoxam, quæ ostenditur ab hodierna die per omnia sæcula, ad ipsos prouinciæ illius primos Apostolos ascensu facto, quasi per canalem non interruptum, neque dissipatum, deriuata. Itaque inuictum nobis argumentum fidei nostræ suppetit (quod non immerito Doctores nostri passim vrgent & inculcant) eandem per omnia doctrinã, quam nos Romanæ Ecclesiæ cultores hodie fide constanti retinemus sæculis omnibus, quæ præcesserunt Henrici octaui à nobis factam successionem, viguisse: nec posse ostendi quando pars eius vlla ab Anglis vniuersali obseruantia primo cæperit acceptari; donec ad Augustinum nostrum sociosque eius, Apostolos nostros à D. Gregorio missos, perueniatur. Cum tamen nostri hostorici diligentissimè annotauerint, quinam ab eo tempore in Anglia suum spiritum sequuti aliquid in vlla prorsus doctrinæ ab Augustino inuectę particula vel impugnauerint, vel reprehenderint, vel immutauerint. Quin ipsi Protestantium nostratum Coryphæi fatentur, doctrinam ab Augustino prædicatam, primum omnium à Ioanne Wicleffo palam fuisse reprehensam, Ideoque Foxius in actis martyrum suorum *Wicleffum primum post Christi tempora verum Apostolum gentis nostræ* vocare ausus fuit, quemadmodum & Laurentius Humfredus in vita Prouocatoris Iuelli, dictinctè & emphaticè eundem Wicleffum, *hisce nouißimis temporibus huius Euangelij tubicinem fere primum* alibi nominat; *huius* nempe, quod Wicleffus primum innouauit, & Protestates eum sequuti nunc mordicus amplectuntur; non illius quod Augustinus Anglis à Paganismo conuersis per signorum & portentorum veracissimos characteros probauit. Pari modo Tindallum, qui Wicleuistis exolescentibus puriorem scilicet Zizaniorum farinam Geneuâ in Angliam transtulit, idem Foxius *verum sui temporis Apostolum* nuncupat: & alius Puritanorum pugil Whetenhallus *Angliæ Euangelistam*, Stalbrigius verò è Basilea suos in Anglia commystas corroborans per epistolas, *primum veri nominis Apostolum Christi*, duntaxat *post Ioannem Wicleffum*, vocat. Atqui valde improbè & improbabiliter, vt Nouatorum genius, inspirare solet loquuntur. Nam nos quidem Augustinum Apostolum Angliæ vocamus, argumento prorsus eodem,

Traditio perpetua & non interrupta fidei ab Augustino prædicatæ.

Agnoscitur ab ipsis Protestantibus.

Rectè à nobis Augustinum dici Apostolum.

eodem quo Apostolus gentium Paulus, se Corynthiorum Apostolum esse demonstrat 1. ad Corynth. cap. 4. & 9. quod argumentum nullo modo his pseudoapostolis suis aptare possunt Protestantes. Etenim ex doctrina Pauli, Apostolus est spiritualis pater, qui nationem, prouinciam, aut ciuitatem aliquam ad fidem Christi primus conuertit, & in Christo Iesu per Euangelium gignit: quicunque postea ad eiusdem conuersionis complementum vel ornamentum aliquid conferunt, *pædagogi* forsitan possunt vocari, sed non *patres aut Apostoli*, etiamsi eandem doctrinam proponat. Sic enim desertè priori loco disputat Apostolus: *Non vt confundam vos hæc scribo, sed vt filios meos charißimos moneo: nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Ex quo fundamento, quasi iure patriæ potestatis infert: *Rogo ergo vo, imitatores mei estote, sicut & ego Christi*, imitator sum scilicet. Neque enim Iudices facit eos, an ipse Christum imitetur purius & propinquius, quam pseudoapostoli contra quos hac epistola suos armat Corynthios: sed reuocat illis in memoriam hoc axioma prudentiæ Christianæ, *potius credendum & obediendum esse Patribus, quam Pædagogis*; potius imitatione dignas esse vias Pauli, vtpote patris Apostolique sui, easque Christi vestigijs rectius & verius respondere, quam aliorum gressus, qui ad summum pædagogi tantum essent, non patres: qui quamuis multum excederent numero multitudinis, non tamen pondere aut dignitate auctoritatis. *Ideo* (inquit) *misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charißimus & fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas, quæ sunt in Christo Iesu*; nimirum, non vt vos, quasi patris vestri Censores facti examinetis an sint in Christo Iesu, sed vt eius instar, tanquam filij etiam obedientes, in ijs ambuletis, quia *sunt in Christo Iesu*, cui ego vos per Euangelium genui. Idem argumentum repetit vrgetque vehementius in posteriori loco, cap. 9. epist. 1. ad Corynthios: *Nonne opus meum* (inquit) *vos estis in Domino? Etsi alijs non sum Apostolus, sed tamen vobis sum, nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino.* Simili ergo defensione nos Catholici Angli vtimur, cum Apostolum nostrum Protestantibus necquicquam contra nitentibus vocamus Augustinum: nonne enim opus eius nos sumus in Domino? Etsi alijs non est Apostolus, Gallis, Italis, Ægyptijs, nobis tamen Anglis est Apostolus; nam signaculum Apostolatus eius nos sumus in Domino; Ille nos in Christo Iesu per Euangelium genuit, cum essemus adhuc suo tenebris Paganicę impietatis constituti. Potest ergo nunc de cœlo nos iure patriæ potestatis compellare, & rogare, vt imitatores ipsius simus, & obseruemus vias prædicationis ipsius quæ fuerunt in Christo Iesu, per virtutes & miracula (castissimos Apostolatus characteres quasi literas à Christo Rege commendatitias) comprobatæ. Alij omnes, quotquot venerunt post ipsum, *si eundem Christum, idemque Euangelium prædicarunt*, non fuerunt Patres aut Apostoli, sed pædagogi duntaxat fideles & vtiles, & in secundis post Apostolos habendi; sin autem *aliud Euangelium* prædicarunt, diuersum ab eo quod ab illo accepimus (sic insinuat Apostolus in 2. ad Corynthios epistola, cap. 11.) ne pædagogi quidem existimandi sunt à nobis, sed pseudoapostoli, *& seductores, & genimina illius serpentis, qui Euam seduxit astutia sua*; Sic enim isti seducunt conciues suos, *vt corrumpantur sensus eorum, & excidant à simplicitate quæ est in Christo Iesu.* Vt frustra noui magistelli simplicitatem priorum temporum nobis obijciant, & suorum temporum ostentent subtilem perspicacitatem, quam sanè non à columba non à Spiritu sancto, sed à colubro, ab Angelo tenebrarum acceperint, qui illis oculos aperuit, sicut Euæ in paradiso, vt viderent & eligerent malum, quod prius ignorauerant. An non prius est *seminare bonum semen in agro* Ecclesiæ, iuxta parabolam Dominicam in Euangelio, quàm *superseminare* zizanea? Seminauit Augustinus in agro Ecclesiæ Anglicanæ primus sementem Euangelij, bonum semen, verbum Christi in sulcis animarum nostrarum sparsit & recondidit: qui postea aliud semen ab eo diuersum in eodem agro sparserunt, Wicleuus, Tindallus, Iuellius, nonne apertè sunt superseminatores? Quod autem superseminauerunt, Christi tritico per Augustinum iactato, quid aliud potest vocari, quam *zizania*? Sic igitur nos æquissima defensione vtimur contrà aduersarios fidei nostræ, cum Augustinum, Laurentium, Mellitum, Iustum, Paulinum sociosque ipsorum nostros vocamus Apostolos & patres in Christo, ipsorumque verbo ac prędicationi consentientes vt fideles pædagogos audimus, illis primis Apostolis nostris subordinatos; Wicleuum autem, Tindallum, Iuellium, similesque tanquam alterius Euangelij prædicatores & zizaniorum superseminatores merito non audimus, sed reijcimus, & auersamur.

Eodem argumento probari fidem, & monachatū Apostolorum nostrorum.

Quodsi nobis Catholicis hæc defensio legitima videtur, doctrinam scilicet fidei, quam tenemus, ideo constantissime retinendam, quia per omnia retro sæcula ab hoc nostro sursum ascendentibus non potest ostendi, quandonam publice obseruari cœperit, donec ad Augustinum veniatur, quem in confesso est, fuisse primum illius promulgatorem; possumus digitum

gitum intendere in omnes religionis innouationes, quæ (post primam huius fidei nostræ prædicationem ab Augustino factam) per Wicleffum, Tindallum, Bucerum, Martyrem, Knoxium, cæterosque Euangelicos turbatores exortæ sunt; non possunt autem Protestantes docere, fidem nostram Augustino posteriorem fuisse; imo non negant, ipsam ab Augustino prædicatam; & ante eum concedunt non Christianitatem, sed Paganismum totam Angliæ superficiem operuisse: Si, inquam, hæc defensio legitima est, profectò valebit etiam apud omnes Catholicos similis pro monachatu Benedictino primorum Angliæ Apostolorum ratiocinatio, eritque nobis legitima hæc apologia, nimirum, omnia cœnobia per ipsos eorum discipulos fundata, plæraque omnes Ecclesias Cathedrales ab eijs erectas, temporibus Henrici octaui à monachis Benedictinis fuisse occupatas & possessas; atque ita fuisse eodem modo a Benedictinis possessas & occupatas temporibus Gulielmi Conquæstoris, Anselmo Lanfrancoque monachis nostri schematis omnia gubernantibus: similiter inde vsque ad Edgari pacifici regnum, Dunstano, Oswaldo, Ethelwaldo, Benedictini instituti sideribus Angliam illustrantibus; nec tunc primum occupasse nostros Ecclesias illas & monasteria, sed solum postliminio ad antiquam possessionem, vnde per Danicas clades, & tyrannicas laicorum iniurias eiecti fuerant, redijsse; in qua perseuerassent temporibus anteriorum regum Offæ, Ethbaldi, Inæ, Coenredi, Kentwini, Kenelwalchij, qui ipsam Apostolorum nostrorum ætatem attigerunt; siquidem Kenelwalchius eo ipso anno cœpit regnare, quo Sanctus Paulinus, vnus ex præcipuis Apostolis nostris desijt in humanis agere: Nullum denique Historicum, nullum Theologum, nullum consilium aut synodum ecclesiasticam, nullum conuentum politicum, nullum rescriptum Pontificale, nullum instrumentum Regium aut principale produci posse, quo comprobetur, monasteria, Ecclesiasue iam dictas ab alijs, quam à Benedictinis possessas fuisse; aut quo indicetur, vel saltem leuiter insinuetur, quandonam alia antiquior institutio in primis maximisque Angliæ nostræ cœnobijs & Ecclesijs esse desierit, & locum regulæ Benedictinæ cesserit: Produci autem posse ex singulis citatis monumentorum generibus aliqua valde insignia, authentica, indubitata, quibus expresse affirmetur, aut ex quibus inuincibiliter deducatur, ab hac nostra ætate vsque ad primi Doctoris nostri Augustini sociorumq; eius prædicationem, hæc omnia Collegia sacra à Benedictinis monachis inhabitata fuisse. Restat ergo, vt secundum Aurelij Augustini Catholicorumque omnium *Topicam* rectissimè, euidenterque inferatur regulam Benedictinam ab ipsis Gregorij discipulis in Angliam vna cum fide Christi inuectam fuisse, & primos, sequentesque omnes per aliquot sæcula Anglorum Apostolos ac magistros, monachos Benedictinos extitisse.

§. 3. *Antiquissima Angliæ monasteria fuisse Benedictina, à tempore Henrici octaui vsque ad Gulielmi Normanni ætatem.*

Neque vero magnopere laborandum nobis est, vt probemus omnia prorsus Angliæ monasteria, omnesq, Ecclesias Cathedrales, quę à religiosis fuere gubernata, non ab alijs, quam Benedictinis monachis fuisse, vsq; ad Gulielmi Normāni victorias, possessa: nam inferius clarè ostendemus, reliquos omnes ordines religiosorū, à Benedictino instituto diuersos, Gulielmi Victoris aduentu posteriores fuisse, nec ante ipsum vspiam in Anglia apparuisse; neq; sane potest vlla rationis vmbrâ contrarium ostendi. Ecclesiam vero Anglicanam, tam in Cathedralibus plærisque sedibus, quam in præcipuis monasterijs, non nisi Benedictinorum magisterijs gubernatam fuisse Gulielmi primi ætate, ipsoque adeo id procurante, testantur omnes historiæ nostræ, præsertim antiquiores, & synchroni fere auctores illorum temporum: Ordericus Vitalis, qui sub Stephano rege, iam valde senex Ecclesiasticam historiam copiosam, & veridicam, omnique affectu partium liberrimam, Anglus homo in Normannico monasterio educatus, descripsit; Gulielmus Malmesburiensis ei coæuus, eloquentissimus veritatisque amantissimus auctor; Eadmerus etiam Cantuariensis Monachus celeberrimus, magni Anselmi in tribulationibus & exilijs comes indiuiduus; alijque post Bedam historici nostri, à Gulielmo Camdeno, & Ioanne Seldenio, publici iuris facti: & qui adhuc sunt *hanecdotoi*, sed luce tamen dignissimi, Ailredus Rhieuallensis, Osbernus Cantuariensis, Ingulphus Crowlandensis, eiusque continuator Petrus Blesensis, qui istorum temporum facta resque gestas doctè & eleganter, & fideliter tradiderunt. Quin ipsius Lanfranci constitutiones, quibus & suam Ecclesiam Cantuariensem, Roffensemque, per seipsum; & monasteria reliqua per Paulum nepotem suum, secundum D. Benedicti regulam, Beccensisq; Abbatiæ disciplinam reformauit, habentur adhuc in manibus: quos, si tempus permittit, in appendice dabimus inspiciendas. Interim vera esse quæ de monastico statu ab Henrico octauo, vsque ad tempora Gulielmi

Ecclesias regulariū in Anglia Gulielmi I. tempore fuisse Benedictinorum.

lielmi Normanni diximus, facile iudicabit benignus lector, ex scriptura 40. appendicis, & ex omnibus scripturis quot in tertia parte appendicis habentur, maxime ea quæ est numero 59. in qua enumerantur viginti sex Prælati Benedictini, qui inter primos regni proceres habebant ius suffragij in comitijs Parlamentaribus: quibus si addas octo Ecclesias Cathedrales, quarum episcopi suffragijs monachorum Benedictinorum, (qui erant illarum sedum Canonici) eligebantur, duodecim etiam alios Abbates magni nominis, qui non accensebantur Baronibus Parlamenti, totidemque Priores Abbates proprios non habentes, quorum catalogus habetur pagina 188. appendicis: inuenies toto hoc tempore Benedictinos monachos eas omnes Ecclesias, domosque monasticas, possedisse, quæ ante Normannorum principatum, & ante aliorum quorumcumque ordinum in Angliam ingressum, fuerunt à monachis habitatæ. Sed præter illa instrumenta, duorum auctorum testimonia, qui omni exceptione maiores existunt, qui eandem assertionem nostram occulati testes confirmabunt, adferemus.

Idem probatur testimonio Orderici Vitalis.

Prior est Ordericus Vitalis historiæ ecclesiasticæ lib. quarto ad annum Christi 1070. vbi de Gulielmi primi vigilantia in ecclesiasticæ disciplinæ restitutione sermonem facit in hæc verba: *Simoniacam hæresim omnimodis abhorrebat: & ideo in eligendis Abbatibus vel Episcopis non tam opes seu potentiam, quam sanctitatem & sapientiam personarum considerabat. Probatas virtute personas cœnobijs Angliæ præfecit, quorum studio & rigore monachatus, qui iam aliquantulum tepuerat, reuixit; & qui defecisse videbatur, ad pristinum robur surrexit. Augustinus enim & Laurentius, alijque primi prædicatores Anglorum, Monachi fuerunt, & in Episcopis suis vice Canonicorum, (quod vix in alijs terris inuenitur) Monachos pie constituerunt. Cœnobia multa & preclara construxerunt, & conuersis instituta regularia verbis & exemplis tradiderunt. Magnifice igitur Monachilis ordo plusquam ducentis annis in Anglia floruit, & Christiana Religio Reges Anglorum, Edelbertum, Eduinum, Oswaldum, Offam, aliosque plures fœliciter coercuit, & fœliciter in montem virtutum sustulit.* Deinde breuiter attexens, quomodo per Danos Ethnicos omnia fere monasteria destructa fuerant, perque Regem Edgarum instaurata; Rursusque per iteratas Danorum irruptiones deiecta, subijcit: *His tempestatibus Cantuaria metropolis obsessa & combusta est; & S. Elphegus Archiepiscopus diuersis supplicijs à Gentilibus Danis martyrizatus est. Tunc aliæ vrbes concrematæ sunt, & Episcopales & Monachiles Ecclesiæ cum libris & ornamentis destructæ sunt. Grex quoque fidelium per diuersa loca tot procellis agitatus est, & luporum dentibus patens varijs modis horribiliter delaniatus est. Prolixam digreßionem, sed nisi fallor non inutilem protelaui, & de priscis annalibus collecta recensui, vt causa manifestè pateat studioso lectori, cur Anglos agrestes & pene illiteratos inuenerint Normanni, quos olim optimis institutionibus solertes instruxerunt Pontifices Romani. Gregorius enim & Bonifacius eximios Doctores cum libris & omnibus Ecclesiasticis vtensilibus Anglis miserunt, ac vt filios charißimos ad omne bonum educantes erudierunt. Deinde Vitilianus Papa tempore Oswij & Egberti regum sapientißimos viros Theodorum Archiepiscopum, & Adrianum Abbatem in Angliam misit, quorum peritia studioque Anglicus clerus tam Latina quam Græca eruditione affatim imbutus mirabiliter viguit.* Et post pauca. *Destructis* (per Danicam rabiem) *monasterijs monastica religio debilitata est, & canonicus rigor vsque ad Normannorum tempora reparatus non est. Per longum itaque retro tempus transmarinorum* (ita insulares vocat, vnde & transmarinam Saxoniam, S. Bonifacius Angliam appellat) *monachatus deciderat, & parum à sæcularitate conuersatio monachorum differebat. Habitu fallebant, ac profeßionis vocabulo dediti ganeæ, peculijs innumeris, fœdisque præuaricationibus. Hic itaque ordo Gulielmi Regis instinctu ad instituta regularia corrigebatur, ac ad consuetudines beatificas perductus valde honorabatur. Aliquanti Abbates à Rege nouiter ordinati sunt, & complures Cœnobitæ in monasterijs Gallicis competenter edocti sunt, qui regio iussu Anglis prælati disciplinam instituebant, & religiositatis exempla proponebant. Cœnobio beati Petri Apostolorum principis (quod Anglorum primus Doctor construxerat Augustinus) famosus Abbas scientia & bonitate pollens prælatus est Scollandus. * Hic ex nominato stemmate in Normannia natus in monte Michaelis Archangeli ad periculum maris regulariter educatus: ad emendationem morum Cantuarijs à Normannis est prælatus. Similiter in alijs monasterijs cita magistrorum mutatio facta est.* Hæc Ordericus, qui postea Lanfranci disciplinam prosequitur, quam melius est ex Eadmero, qui ipsum nouerat, audire: qui postquam Lanfranci industriam & pietatem in monasterijs reformandis, & Cathedralibus cœnobijs Cantuariensi & Roffensi reparandis prædicasset, hæc adiungit nostræ assertioni corroborandæ maxime idonea.

* Huius Scollandi constitutiones manuscriptas habemus: omnino cū Lanfranci legibus conuenientes.

Edmeri testimonium de Cathedralibus Benedictinorū cœnobijs.

Super hæc suis quoque & eisdem fermè diebus, omnes circiter qui ex clericali ordine per Regem Willielmum in Anglia constituti Pontifices erant, Monachos, qui in nonnullis Episcopatibus Angliæ ab antiquo vitam agebant, inde eliminare moliti sunt; & Regem ipsum in hoc sibi consentaneum effecerunt; in quo tam se effectu potituros certi extiterunt, vt Walchelinus Episcopus adunatos pene quadraginta

dragintaclericos, canonicorum more tonsura ac veste redimitos haberet, quos eiectis monachis, Wen-
tanæ Ecclesiæ, cui præsidebat, mox intromitteret. Sola mora hæc peragendi, nondum requisita ab Ar-
chiepiscopo Lanfranco licentia fuit. Vt autem eam dicto quoque citius impetraret, nulla menti eius
dubitatio inerat: sed aliter, ac sibi mens sua spoponderat, exitus rei prouenit. Nam vbi quod Episcopus
moliretur insonuit auribus eius, ilico facinus exhorruit, nec se dum viueret, vt effectum quoquo modo
talis voluntatis obtineret, consensurum asseruit. Ita ergo & Clerici, qui succedere monachis fuerant
per Walchelinum collecti, in sua dimissi sunt; & monachi, qui cedere Clericorum præiudicio quodam
damnati erant, gratia Dei, & instantia boni Lanfranci pristinæ conuersationis in sua Ecclesia compotes
effecti sunt. Nec ista pro sedandis quorundam animositatibus, quas ad deiectionem Monachorum con-
ceperunt, sufficere poterant. Namque pari voto, simili conamine, vno consensu, concordi animo Pon-
tifices, quos religionis ordo non sibi astrinxerat, eniti cœperint, quatenus saltem de primatu Cantua-
riensi monachos eradicarent, intendentes se hoc facto facillime alios aliunde exclusuros. De illis etenim,
potioribus, (sicut eis videbatur) rationibus ad id agendum fulciebantur, partim ob sublimitatem prima-
tus sedis, quæ dispositioni & correctioni Ecclesiarum per suas personas quaqua per Angliam inuigilare
habet, partim ob alias multiplices causas, quarum exequutio, iuxta quod ipsi confingebant, magis Cle-
ricorum, quam monachorum officium spectat. Deductus est in sententiam istam Rex & alij principes
Regni; Lanfranco, vt sui moris erat, totis viribus obnitente, & omnium molimini ac inuidiæ viriliusre-
sistente. Ne tamen post obitum suum fieret, quod se superstite sciebat per auxilium Dei nequaquam
perficiendum, nesciens mortis suæ diem vel horam, egit sagacitate & industria, qua pollebat, vt aucto-
ritate Romanæ & Apostolicæ sedis monachorum habitatio in eadem sede confirmaretur, & inconuulsa,
dum sæculum duraret in perpetuum stabiliretur. Hæc Edmerus, in Historia nouorum per doctis-
simum Seldenium nuper edita. Eandem historiam habet Malmesburiensis de gestis Anglo-
rum Pontif. lib 1. pag. 205. & Nicolaus Hapsfeldius historiæ eccles, Angl. sæculo 11. cap. 13.
& non sine magno laudum pondere extollit Baronius tom. 11. ad annum 1071. *Quin etiam* (in-
quit) *ne id auderent posteri, egit vt Alexander Papa scriptis inhiberet; magnum id, & laudandum, vt*
quod sedula Sanctorum benignitas tempore Regis Edgari inchoauerat, iste labefactari non permiserit;
quamuis nunquam comparatione factum huius cum illorum facto pensitetur: Nam illi totius Angliæ ma-
gistri, arridente etiam Rege, facile, quod vellent, efficerent: iste autem solus contra tot obsistentes rem
profligauerit, & vicerit. Merito hanc Lanfranci victoriam contra tot obsistentes ponderat
Baronius; merito monachos eiusdem cum Lanfranco instituti, *totius Angliæ magistros* tem-
pore Edgari fuisse affirmat; sed immerito & prorsus insidiose ne dicam inuidiose *hoc*
primum tempore Edgari inchoatum asserit, vt monachi in primatu Cantuariensi perseuerarent:
cum ex ipso Alexandri decreto, quod laudat, aperte ostendatur idipsum semper antea vigu-
isse, & à B Gregorio in persona venerabilis Augustini, successorumque eius monachorum,
constitutum fuisse: Adeo etiam magnis viris insitum diu fuit, & adhuc videtur, vt ordini Be-
nedictino, cum veritatis aperta obmurmuratione derogare nitantur.

Interim his tam apertis, tam præclaris, tam per aduersarios Benedictini Apostolorum no- Tēporibus
strorum monachatus approbatis testimonijs certum est, maximam partem Ecclesiarum om- Gulielmi
nem etiam multitudinem monasteriorum Anglorum. temporibus Gulielmi Normanni 3 m[illegible]
Benedictinis monachis fuisse insessam. Nam quod hi auctores Benedictinos non nominent, [illegible]is, idē
sed monachos simpliciter appellent, non officit assertioni nostræ, cum clarius ipso die pa- e[illegible]at,
teat, ante Normannicam victoriam nullum alium ordinem Monachorum à temporibus Ed- Mona-
gari regis in Anglia extitisse, sed Benedictinos tantum per vniuersam Angliam agnitos fo- chum,
ruisse, vt propterea idem fuerit illorum temporum scriptoribus *monachum*, & *Benedictinum* & Bene-
nominasse; nec opus fuerit monachi appellationi distinctionis gratia *Benedictinum* addi- dictinū
disse quasi epitheton, cum nulli tunc essent alij monachi, à quibus hac adiectione discrimina- dicere.
rentur; Et quod maius est, certum sit apud omnes, illos monachos, quos tunc Walchelinus
cæterique sæculares Prælati oppugnabant, & ex Cathedralibus monasterijs, Wintoniensi, ac
Cantuariensi eliminare communi conspiratione facta contendebant; pro quorum priuilegio
& prærogatiua, Lanfrancus tam fortiter decertabat; fuisse reuera Benedictinos, & vsque ad
tempus Henrici octaui sic perseuerauisse.

§. 4. *Nulla monasteria nisi Benedictina, fuisse apud Anglos ab ætate Gulielmi primi, vsque ad regnum Edgari.*

Iam vero quod toto illo interuallo temporis, quod inter pacificum Edgari sceptrum &
victricem Normannici Ducis expeditionem excurrit eadem cathedralia monasteria, & cœ-
nobia reliqua fuerint Benedictinis duntaxat monachis propria, pari facilitate & euidentia,
ex

ex indubitatis monumentis & instrumentis probabimus.

Probatur idē, à tempore Gulielmi primi ad Edgarū Regem.

Possemus quidem integras historicorum nostrorum paginas producere,è quibus constaret, monasticas ædes vniuersas, quas Gulielmus in Anglia victor inuenerat, à Benedictinis habitatas inuenisse, & non nisi Benedictini schematis Abbatibus gubernandas tradidisse, sed Orderici testimonium, Eadmerique verba cordatis omnibus sufficient : illud autem genus probationum,quod ab ipsis originalibus fundationum instrumentis desumi potest,quoniam plenissimam fidem facit, nec ab vllo, quantumuis peruicacis ingenij aduersario,potest declinari, nullo modo est omittendum. Consideret igitur lector, scripturam quadragesimam primam appendicis, quæ fundationem primordialem Abbatiæ de Ramsey in comitatu Huntingtonię exhibet, in honorem B.Virginis Mariæ, Sanctique Benedicti, omniumque Sanctarum Virginum, ex reuelatione diuina factam.

Ex fundatione Abbatiæ Rāseyēsis.

Narrat illud Edgari Regis instrumentum, Piscatori cuidam in somnis apparuisse B. Benedictum, eiq; pollicitum, fore vt Ailwino Domino suo pristina valetudo & immunitas à morbo podagræ(ex quo multos per annos decubuerat) restitueretur, si in honorem Deiparæ & ipsius B. Benedicti monasterium habitationi monachorum opportunum eo in loco erigeret, & dotaret, vbi armentum animalium suorum in modum crucis humi decumbere cerneret,tauro in medio ipsorum posito, & locum futuræ Ecclesiæ, pedis percussione designante. Duo insuper quasi indicia somnij veridici addita; nam & piscis enormis magnitudinis in retia ipsius piscatoris frustra antea laborantis iniectus & digitus eiusdem à B. Benedicto ita incuruatus, vt non nisi ab ipso Ailwino iam sanitati restituto potuerit ad pristinam rectitudinem reformari. Monasterio igitur ex beati viri reuelatione per Ailwinum ædificato, concedit magnificus Rex Edgarus inter alia, vt *semper sit habitatio monachorum, ac secundum Beati Benedicti traditionem, post obitum Abbatis ex eadem congregatione alter, qui dignus sit, eligatur : aliunde vero nullus ibi præficiatur, nisi nullum, (quod absit) ibi contigerit, qui dignus tali officio sit, inueniri ; quod si contigerit, potestatem habeant de alio noto monasterio Abbatem eligendi, cuius vita sapientia & religione clarescat.* Certe nemo ista legens non statim videt excellentem hic elucescere Regis, procerum, Episcoporum, Abbatum, totiusque regni erga B. Benedictum deuotionem, nemo non aduertit ipsius Benedicti erga ipsos tanquam prædicationis suæ filios, quasi familiare & domesticum patrocinium ; nemo tandem non perspicit, eiusdem instituti fuisse reliqua monasteria,quę hic insinuantur,ex quibus, si opus est, Abbatem sibi congregatio Ramseyensis potuerit desumere. Et ne ficta videantur istius scripturæ magnalia : ex alia scriptura insequente, quæ est in appendice quadragesima secunda, lucidissimè patent : in qua Rex sanctus Edoardus Confessor, Edgari prædecessoris sui concessionem corroborans, ita loquitur : *Sit hæc sancta mater Ecclesia specialis Dominæ nostræ perpetuæ Virginis Mariæ, ac Patroni nostri Sancti Benedicti, & omnium Sanctarum Virginum, libera & absoluta ab omni inuasione vel inquietudine hominum,cuiuscumque ordinis vel potestatis esse videantur. Præterea in perpetuum confirmo, vt monachi eiusdem Ecclesiæ per successiones secundum regulam Sancti Benedicti eligere sibi idoneos Abbates habeant potestatem.*

Ex confirmatione eiusdē per S. Edoardum facta.

Similis prorsus est modus loquendi in fundationis instrumento,quod Edgarus concessit monasterio Spineti,siue Thorneyæ ; nequis dicat excidisse tanto Eduardo illud elogium, quo S. Benedictum, *Patronum* suum vocat ; & non potius ex traditione communi prædecessorumque suorum Regum Angliæ deuotione hausisse. Ipsum instrumentum, hic transcribemus, quia serius ad manus nostras peruenit, quam vt in appendicem conijceretur. Desumptum est autem exemplum ex Confirmatorijs litteris,quibus succedentes sibi inuicem reges Angliæ Ricardus secundus, Eduardus quartus, tertius, secundus, & primus ipsum Edgari instrumentum verbatim (vt loquimur) *exemplificantes* agnoscunt, & corroborant, quod genus confirmationum, *Inspeximus*, vocant ; quia ipsis in litteris Reges dicunt se inspexisse ipsum originale instrumentum, quod confirmant. Est autem huiusmodi.

Ex fundatione Thorneiæ per Edgarum facta.

Vniuersis Sophiæ studium intento mentis conamine sedulo ruminantibus liquido patescit, quod instabile huius miserrimæ ac caducæ vitæ curriculum cum marcido inanis gloriæ flosculo tabescendo lugubriter deficit, & friuola eius gloria, nunquam in eodem statu permanens, velut fumus rotatu celerrimo euanescit. Attamen annuente Christi, mundi Creatoris ac redemptoris, gratia tam recidiuis præsentis vitæ munusculis futuram æternæ beatitudinem centuplicato quæstu adquirere lucrando, fide vrgente Catholica, prudentissime valemus. Quamobrem, ego Edgar totius Britanniæ Basileus, quoddam monasterium Beatæ Dei genetrici semperque Virgini Mariæ, ad laudem & honorem eiusdem Domini nostri Iesu Christi mundi saluatoris dedicatum, in loco, qui quondam Ancraig, nunc vero vsitato Dornig nuncupatur

cupatur vocabulo, & iura præfato monasterio subiecta, cum omnibus vtensilibus, pratis videlicet, pascuis, syluis, piscarijs capturis, grouis, atque culparum emendationum, quæ reatu aliquo in ipsis peraguntur, iuribus, Domino nostro Iesu Christo, eiusque genetrici semperque Virgini Mariæ, octauodecimo mei terreni imperij anno, attamen primo meæ Regiæ dedicationis, Adelvvaldo mihi Episcoporum dilectissimo, cum omni subiectionis humilitate impetrante, æterna largitus sum hæreditate; ea semper interposita conditione, vt nullius altioris vel inferioris gradus hominis reatu à Domino nostro Iesu Christo, sanctoque loco, quod tam à me, quàm à prædicto Episcopo, vel à cæteris Catholicis concessum, vel concedendum est, vlla occasione diabolo instigante priuetur. Si vero crimen, quod venia non sit dignum, suadente diabolo, quod absit, loci procurator commiserit, agatur rationabiliter de eo, quod de regis agitur præposito, vt videlicet reo rite securiato, ac iusto ordine depulso, ille quo dignus sit, Christo designetur; vti regis solet præpositura; à nullo sæcularium, Christi possessione violata. Nam in ipso præfato loco anachoreticæ vitæ aptissimo, duo quondam præcipuæ sanctitatis germani Antistites, Tanredus videlicet, & Torbredus, cælestis vitæ beatitudinem, alter martyrij, alter confessionis gloria, obtinentes, cum gloriosa egregij triumphi palma migrauerunt ad Christum. Tona vero, eorum soror, non solum carnalis propinquitatis fœdere compaginata; sed etiam imitatione virtutum, & charitatis repagulo connexa, in intima huius insulæ parte anachoreticam vitam ducens, agonem sanctæ conuersationis decentissime complens, ac putidam huius fragilitatis mortem deserens, membrū tripudians perrexit ad caput, quod est Christus humani generis Redemptor, qui cum coæterno Patre & Spiritu sancto, vtriusque milites tripudij, gloria beatificando coronat. Hic namque tantæ & tam secretæ quietis ac venustatis locus, peccatis promerentibus prius à Paganis vastatus, & diu postea miserabiliter à sæcularibus possessus, sine Dei seruitio, & spiritalium conuersatione erat. Tali igitur, tantæque miseriæ præfatus Præsul compassus, & insulam vnius videlicet mansæ quantitatem, à quadam muliere, quæ noto Ceyelford vocitabatur onomate, cum quadraginta auri mancusis emendo obtinuit; & ædificia monachorum habitationi conuenientia inibi construens, Ecclesiam ad laudem Trinitatis, quæ in coæterna deitatis vnitate consistit, in vnitate tripertitam construens, ad sanctitatis memoriam trium Sanctorum, quorum suffragijs præcipuè confidebat; Dei scilicet genetrici semperque virgini Mariæ orientale altaris presbyterium dedicans, occidentalem vero cleri ac populi eiusdem Ecclesiæ partem beato Petro regni cælorum clauigero, nec non Aquilonarem ipsius Basilicæ porticum Beato Benedicto omnium monachorum patrono consecrauit; multisque & diuersis telluris portiunculis locupletans, ac diuersi ecclesiastici iuris supellectili ornans decorauit. Vitæ igitur regularis monachos inibi constituens, ipseque Abbatis vice fungens, Abbatem sanctæ monachorum congregationi præferre post obitum suum instituit, vt ita deinceps Abbatum electio secundum regulæ præceptum ex eadem congregatione, vsu teneatur perpetuo: id est, vt ex eadem congregatione, qui ordinandus est, & aliunde nequaquam, nisi (quod absit) peccatis promerentibus, vel impediente imperitia, talis, qui dignus sit, in ea reperiri, nequiuerit, cum Regis consilio eligatur. Rex autem non ad tyrannidem, sed ad loci munimem & augmentum, vti mos est, super Pastorem & Christi gregem, Dominicum solerti vigilantia misericorditer custodiat: sæcularium verò, nec Episcoporum quispiam, ne ad magni detrimenti ruinam deueniat, vt dominium loci teneat, excepto rege, nunquam eligatur. Sunt etenim rura hæc, quæ à præfato rege, & diuinæ seruitutis obsequio, cum magna humilitate obtinuit, & auro argentoque, non solum à Rege, sed etiam à diuersis hominum personis comparauit, & in exordio Domino nostro Iesu Christo, eiusque genitrici semperque virgini Mariæ, nec non beato Petro Apostolorum principi, ad vsus monachorum inibi, sub regula Patroni nostri Beati Benedicti degentium, æterno concessit donario: id est, Yclesis, Miautum, Yideslun, Seakslea, & Oyer Seakslea, Fearres, Heafod, Bearuuy, Theasolstet, duas mansas iuxta Huntandun, & monasteriolum Sanctæ Mariæ extra oppidum dedicatum supradictum. Nam supradictam insulam, quæ Yclesis nuncupatur, totam prudentissimè acquirens, eius mediam partem ab Leoffis filij Celfise cum quadraginta meri

Cõmẽdatariorũ perniciosa electio.

argenti

*argenti libris, & cum ſex manſis ad Biſriaſam emendo obtinuit. Duas vero partes alterius medietatis cum viginti libris à Leòfroni filio Ayulphi comparando acquiſiuit. Tertiam vero partem eiuſdem medietatis, & duas partes illius ſtagni quod Yicleſmore nominatur, emit ab Vſan & ab eius vterinis fratribus, cum tri... a argenti libris puriſſimi : Has autem triginta libras præfatus Miles dedit Haenrico & ſibi ab eo Ru... quod Drigtun nuncupatur cum ipſa argenti pecunia, quam illi Epiſcopus ſubueniendo, ne depopularetur, dederat, multis coram teſtibus comparauit : rurſumque cum illi immutare vellent hanc commutationem, idem Epiſcopus illis viginti libras appendit. Nyantum à quodam milite, qui Celſrictild vocitatur, deuotiſſime primo cum viginti libris : ac deinde cum præfatus miles hoc etiam mutare diſporeret, prædictus epiſcopus illi duas manſas ad Riceynam, duaſque Yranceaſter, vnam quoque cer... ta... am mente, inſuper & tredecim libras pro pecunia appendit. Et ſic altera vice Vxantun mercando acquiſiuit Leoffian quidam miles ob patrocinium ſui muniminis Epiſcopo manſam & dimidiam in tutanmerſte gratuite dedit ; dimidiam vero manſam, quam fur quidam antea poſſederat, à Rege cum triginta auri mancuſis emit : Yndeſtun præfatus Præſul à Rege mutauit dans villã Palningtun in commutationem, quam Epiſcopo ſuperſtiti Celſide poſt obitum eius condixerat ; vigintiquinque manſas, quæ Seakſlea nominantur, quas dedit ſanctæ Dei genitrici ſemperque virgini Mariæ. Sed Wornig mutauit à Wolſtano, primo cum quatuor & viginti manſis in paſſenſatum in Sudſaxon, rurſumque cum ille totum hoc in aliud transferre moliretur, Epiſcopus alteram comparationem innouans, cum quadraginta puriſſimi libris argenti ab Cealfrico ſupra nominato prædictis quinque viginti manſas Sedtun, Seakſlea & fearresheafd comparauit. Nam villam, que Berny in Lundeſiſe nominatur, idem Epiſcopus à Rege præfato cum quadragintameri argenti libris emendo comparauit : & inſuper munera ſibi, multo hac pecunia cariora pro eadem reddidit tellure. Eccleſiam autem in Huntandune, cum cœmiterio, & tribus agelluli manſis Rex præfatus ſupradicto monaſterio ob æternæ beatitudinis præmium gratulabundus æterna largitus eſt hœreditate, hoc excepto, ſupranominata rura omnia mutauit vel emit à Rege, vel poſſeſſionibus maiori minoriue pretio. Piſcariã vero in circuitu villæ Sarum, Yillan ſcilicet & Eolum præfatus emit Epiſcopus cum viginti libris ac vna libra, in quibus per ſingulos annos quindecim millia anguillarum capiuntur; cuius medietatem capturæ, octo ſcilicet millia ad Yome, ſimiliter & ſeptem millia ad Burgh annuatim diſtribui idem conceſſit Epiſcopus. Quartam quoque partem ſtagni, quod ſolitò Ycleſmore nominatur, ac duo piſcuaria, decemque mutuata ſunt iugera, de Yornis videlicet ad Burgh, pro commutatione centum viginti porcorum, ac pro domorum, ſæpium & ſtabulorum emendatione. Sint igitur donanti Domino noſtro Ieſu Chriſto, eiuſque genitrici ſemper virgini Mariæ à prædicto Rege, & Epiſcopo perpetualiter repræſentata cum terrenæ ſeruitutis iugo libera, tribus exceptis, rata videlicet expeditione, pontis, arciue reſtauratione, *...... quorum infra caraxantur vocabula T. Ego Eadgar, totius Albionis Baſileus hoc priuilegium tanta roboratum auctoritate crucis * Thaumate confirmaui. † Ego Dunſtan Dorouernenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus hoc idem cum trophæo agiæ crucis corroboraui. † Ego Oſwold Eboracenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſi. † Ego Adelwold Epiſcopus conſignaui. † Ego Alſtan præſul faui. † Ego Alſtan Antiſtes aſſenſi. † Ego Adulf pontifex conceſſi. † Ego Aſtwit Abbas non renui. † Ego Oſgar Abbas impreſſi. † Ego Adelgar Abbas conſenſi. † Ego Celſhere Dux. † Ego Cewelime Dux. † Ego Beorgtnos Dux. Ego Oſſat Dux. † Ego Cewelard Diſt. † Ego Ganulph Diſt. † Ego Celſiſe Diſt. † Ego Celſweard diſt. † Ego Freigiſt. † Ego Wored. † Ego Wureferd. † Ego Celſhelme. † Ego Friena. †. Ego Wulf. † Ego Siſeferd. † Trump. † Wulx. † Wureferd. † Wulf. † Wulfric. † Offerd. † Wulfſtan. † Friegiſt. † Bringulf. † Alſtan. † Cewelſiſe. † Leoffwiſe. † Wulſeat. †. Ayclmund.* Ex anno regni Edgari notato apparet, ſcriptam hanc chartam confirmationis circà Annum Domini 977. ſiquidem Edgar cœpit regnare Anno Domini 959. cui numero ſi addantur octodecim anni, exibit annus nongenteſimus ſeptuageſimus ſeptimus.

* Per nos, aut quid ſimile.

*. ideſt Crucis ſigno in modum T. au literæ effigiato.

Idem probatur ex fundatione Abbatiæ de Hida.

Huius ſcripturæ verbis concinunt ea quæ habentur in fundatione Abbatiæ nouæ de Hyda „prope Wentam ſeu Wentoniam à Rege Edgaro conſtructæ. Regulares igitur Monachi „(inquit) non ſeculares in præfato, Chriſto comite, degentes monaſterio, regularibus mori„bus obtemperent. Ac deinde pluſculis præceptionibus interpoſitis, addit : Diuinarum ſtu„dio litterarum luculentiſſime eruditi, orationũ frequentia aſſiduè occupati, charitatis am„plexu lætiſſimi, fidei exercitio promptiſſimi, ſpe prouehente ſynceriſſimi, pace concorditer „fixi, omniumque virtutum flore decorati, ad finem vſque cæptum tantæ bonitatis initium, „Chriſto iuuante, perducentes ; eadem glorioſi fruantur libertate, quam beatus Patronus „Benedictus omnibus regulari præcepto ſubiectis inſtituit ; ſcilicet, vt poſt Abbatis obitum „tunc temporis regentis, Abbatem ex eadem ordinent congregatione, quem ſibi omnis „concors congregatio, ſiue pars quamuis minima cõgregationis ſalubriori elegerit conſilio. Hæc Edgarus in legibus illis, quas aureis exaratas characteribus originaliter adhuc habet extantes bibliotheca Cottoniana, vnde eas in lucem vna cum Edmero noſtro edidit clariſſimus Seldenius.

Seldenius. Ex quibus omnibus cum toties legamus, beatissimum Patrem Benedictum à regibus ornari maximo elogio *communis Patroni nostri*, & expresse asseratur *omnium monachorum pater, omnium regulari præcepto subiectorum institutor*, atque legislator: quis non videt Reges istos laudatissimos, Edgarum pacificum, & Eduardum confessorem, non alios in suo regno monachos, siue regulares agnouisse, quam Benedictinos? Docent etiam eandem veritatem manifestissimè instituta regularis concordiæ, in communi Concilio Episcoporum & Abbatum Angliæ Dunstano præsidente promulgata: cuius concordiæ prologum & epilogum Saxonicè simul & Latine euulgauit in Edmeri spicilegio is quem iam laudaui, Seldenius, ex bibliotheca Cottoniana, ex qua nos integram per amicos nacti Concordiam, in appendicis partem secundam coniecimus. Cæterum non erit abs re quædam verba prologi illius hic subtilius perpendere, vt inde elucescat, toto hoc tempore ab Edgaro ad Gulielmum, omnia Angliæ monasteria, & plerasque Ecclesias Cathedrales ad Benedictinos duntaxat monachos pertinuisse. Ait igitur Concilium in prologo regularis concordiæ, Regem Eadgarum, postquam iuuenilis ætatis erroribus abstersis, *Abbate quodam monente* (haud dubium quin ipso Dunstano, qui prius fuerat Abbas Glastoniæ, quam Episcopus) *sacra cœnobia diuersis sui regiminis locis diruta, ac pœne Domini nostri Iesu Christi seruitio destituta negligenter tabescere cerneret, eadem decentissime restaurasse: eiectis clericis, qui ea occupassent, introductisque* (quasi postliminio) *monachis & sanctimonialibus*, priscis nimirum cœnobiorum sacrorum incolis. *Regulari itaque sancti Patris Benedicti norma honestissime suscepta, tam Abbates quamplurimi, quam Abbatissæ, cum subiectis fratrum sororumque collegijs, sanctorum sequi vestigia vna fide, non tamen vno consuetudinis vsu, certatim cum magna studuerunt humilitate.* Hic certe videt lector ab omnibus Angliæ monasterijs susceptam S. Benedicti regulam: at non tum primo susceptam, neque enim omnes omnino Abbatiæ erant tunc dirutæ, (vt postea saltem de Augustinensi Cantuariæ monasterio probabimus, & de Glastonia constat, cuius iam antea Abbas fuerat Dunstanus; subscripsit enim vt Abbas tantum Glastoniæ priuilegio Edredi regis dato Abbatiæ Croulandensi, anno 948. sicut & Ethelwoldus Abbas Abandoniæ, & Turketulus Abbas Croulandiæ; Edgarus autem cœpit regnare Anno 959) sed ad paupertatem licentiamque nimiam prolapsæ, quas proinde ad pristinam disciplinam reformari oportuit; Propterea non dicit *omnino destituta*, sed *pene destituta* seruitio Christi, ac propterea negligenter *tabescere*: nec de nouo facta monasteria plæraque, quæ nunquam antea extiterant; sed reparata, & *restaurata* fuisse, quæ à Danicis furoribus fuere deiecta, ideoque in fundatione Abbatiæ Hidæ, Edgarus Rex expresse & notanter nouum monasterium vocat; quod anteà non extiterat vllatenus; & in subscriptione quasi congaudens deuotioni suæ, ait, *Ego Edgar diuina largiente gratia Anglorum Basileus hoc priuilegij donum nostro largiens redemptori, locoque eius sanctissimo, primus omnium regum, monachorum inibi collegium constituens, manu propria signum agiæ crucis imprimens confirmaui*: *Primus* (inquit) *omnium regum inibi*, seu in illo monasterio, à se fundato, collocauit monachos: cum in alijs fere omnibus, quæ reparari curauit, monachi à prædecessoribus suis regibus collocati fuissent. Quare non noua monasteria nouæ regulæ suscipiendæ: sed vetera antiquissimæ & communi monachorum omnium, qui tunc tempore agnoscebantur in Anglia, regulæ exercendæ pius Rex instaurauit. Nec ille primus in cœnobijs cathedralibus posuit monachos, sed iam longe anteà Augustinus, cæterique Pręsules fecerunt: quæ cum regum licentiosorum, procerumque conspiratione clericis sæcularibus fuissent tradita, Eadgarus iterum antiquum Gregorij, Augustinique institutum renouans, monachis restituit gubernanda. Iuuat hic lectori obijcere inspiciendam Regis huius erga ordinem Benedictinum admirabilem magnificentiam, quam non melius intelliget, quam ex ipsius verbis, in diplomate fundationis, seu instaurationis Ecclesię Wigorniensis, seu Worcestriæ, quæ cœnobium erat Cathedrale Benedictinorum. Sunt autem ista, ex scriptura 83. in appendice. Quapropter, "(inquit) & ego Christi gloriam & laudem in regno meo exaltare, & eius seruitium amplificare deuotus disposui, & per meos fideles fautores, Dunstanum videlicet Archiepiscopum, & Athelwoldum ac Oswoldum Episcopos, (quos mihi patres spirituales & consiliatores elegi) magna ex parte secundum quod disposui, perfeci. Siquidem temporibus antecessorum meorum Regum Anglorum monasteria tam monachorum quam virginum pro remedio animæ meæ reparare, & seruorũ & ancillarũ Dei numerum multiplicare deuoui. Et ipsis supradictis meis cooperatoribus strenue annuentibus, iam quadraginta & septem monasteria cum monachis & sanctimonialibus constitui: Et si Christus tam diu vitam mihi concesserit, vsque ad quinquagesimum remissionis numerum meæ deuotæ Deo munificentiæ oblationem prætendere decreui. Insignis & ferè prodigiosa in Dei cultum professio: tot monasteria, vel primitus struxisse, vel collapsa denuò reædificasse, & idoneis

prouentibus (qui iam in regium fiscum, aut priuatorum procerum prædam reciderunt) re-
ſtitutis locupletaſſe. Quibus etiam in verbis illud notandum, fateri regem, ſe *monaſteria tem-
poribus anteceſſorum ſuorum Regum* collapſa, *reparaſſe*; quæ omnia cum regulæ Benedictinæ
ſubiecta videamus, patet non tum primum eam à Dunſtano introductam, ſed vt diximus,
poſtliminio reuocatam, aut omnino in cœnobijs cathedralibus, vnde eam clerici elimina-
uerant; aut quantum ad puriorem obſeruantiã in reliquis monaſterijs, in quibus ob incurſio-
nes Danicas omnibus fere rebus deuaſtatis, etiam diſciplina paulatim pene fuerat extincta.
Facta eſt autem hæc obſeruantiæ reſtitutio, ex Gandauenſi maxime & Floriacenſi diſciplina,
“retentis tamen antiquis multis, quæ nondum penitus exoleuerant. Nam illico eius impe-
“rijs (Edgari ſcilicet, inquiunt patres in prologo iam citato) toto mentis conamine alacriter
“obtemperantes, ſanctique Patroni noſtri Gregorij documenta, quibus B. Auguſtinum mo-
“nere ſtuduit, vt non ſolum Romanæ, verum etiam Galliarum honeſtos Eccleſiarum vſus
“rudi Anglorum Eccleſiæ decorando conſtitueret, recolentes; accitis Florenſis B. Benedicti,
“nec non præcipui cœnobij quod celebri Ghent (Gandaui) nuncupatur vocabulo monachis,
“quæque ex dignis eorum moribus honeſta colligentes, vti apes fauum nectoris è diuerſis
“pratorum floribus in vno alueario: ita has morum conſuetudines ad vitæ honeſtatem &
“regularis obſeruantię dulcedinem, hoc exiguo appoſuerunt codicillo. Hic patres eadem
phraſi, qua Benedictum ſuum patrem, ac patronum, etiam Gregorium appellant: nimirum
non ſolum quia Apoſtolum Angliæ, ſed etiam quia monachiſmi ſui inſtitutorem proximè
poſt Benedictum agnouerint. Cuius præceptum Auguſtino datum, ſicut in ſeligendis op-
timis monaſteriorum aliorum conſuetudinibus impleuerunt: ita & aliud conſilium eiuſdem
Auguſtino datum, vt ipſe Epiſcopus monachus communem cum ſuis monachis, non ſæcu-
larem cum clericis ſæcularibus vitam ageret; hoc in concilio ſequi conſtituerint. Sic enim

De monaſterijs Cathedralibus Benedictinis.

“ſanciunt: Ita igitur hortante Patre noſtro Benedicto omnia deſtinctè pſallendo modifi-
“centur, vt mens noſtra concordet voci noſtræ, & impleatur illud Apoſtolicum, pſallam
“ſpiritu, pſallam & mente. Si autem pro qualibet neceſſitate, quid extra communem regu-
“laris conſuetudinis vſum addendum fuerit, tamdiu agatur, quoad vſque negotium, de quo
“agitur, Chriſti opitulante gratia, melioretur; & vt contempto arrogantiæ faſtu gratiſſimus
“obedientiæ acquiratur fructus, & gradus ille regularis, in quo præcipitur, vt nihil agat
“monachus, niſi quod communis monaſterij regula, vel maiorum cohortantur exempla,
“diligentiſſime cuſtodiatur: nequaquam vlterius præſumptuoſè vſu teneatur temerario,
“niſi Concilio ſynodali electum, traditumque cum diſcretione virtutum omnium matre ab
“vniuerſis fuerit Catholicis. Præfato equidem ſynodali Conciliabulo hoc attendendum
“magnoperè cuncti decreuerunt, vt Abbatum & Abbatiſſarum electio, cum Regis con-
“ſenſu & conſilio, ſanctæ regulæ ageretur documento; Epiſcoporum quoque electio, vti
“Abbatum, vbicumque in ſede Epiſcopali monachi regulares conuerſantur, ſi Domini lar-
“giente gratia tanti profectus inibi monachus reperiri potuerit, eodem modo agatur, nec

Epiſcopi monachi ad regulæ obſeruantiam aſtricti.

“alio quolibet modo, dum eiuſdem ſunt conuerſationis, à quoquam præſumatur. Si autem
“imperitia impediente, vel peccatis promerentibus, talis, qui tanti gradus honori dignus
“ſit, in eadẽ congregatione reperiri non potuerit ex alio noto monaſterio concordi Regis &
“fratrum, quibus dedicari debet, conſilio eligatur. Qui ordinatus videlicet Epiſcopus, in
“omnibus eundem morem regularem cum monachis ſuis, quem Abbas tenet regularis, dili-
“genti cura & magnopere excellenti iugiter ſine intermiſſione cuſtodiat: nec Epiſcopatus
“occaſione regulæ præcepta tumidus vel obliuioſus temerè intermittat; ſed quantum ex-
“cellit honore, tantum & opere. Sæcularium vero Prioratum, ne ad magni ruinam detri-
“menti, vti olim acciderat miſerabiliter deueniret, magna animaduerſione atque anathe-
“mate ſuſcipi cœnobijs ſacris ſapienter prohibentes, Regis tantummodo & Reginæ domi-
“nium, ad ſacri loci munimen, & ad eccleſiaſticæ poſſeſſionis augmentum voto ſemper ef-
“flagitare optabili prudentiſſimè iuſſerunt. Animaduerte lector quanta cum claritate di-
cant hic Patres in Concilio congregati, multas Eccleſias Cathedrales ſiue Epiſcopales An-

Cathedralia monaſteria Benedictinorũ.

gliæ ita à monachis fuiſſe gubernatas, vt non modo iuxta regulæ Benedictinæ documen-
tum à fratribus Benedictinis cœnobij cathedralis, ex ipſo eodem cœnobio, vel ſaltem de
alio noto eiuſdem conuerſationis monaſterio Epiſcopi harum Eccleſiarum eligi deberent;
idque ſub anathemate prohibentur mutari: verum etiam diſtricte obligentur ex decreto
concilij in omnibus regulę inſtituta cuſtodire, & ita Epiſcopalis apicis dignitatem diœceſa-
nis exhibere, vt tamen fratribus cathedralis Eccleſiæ ſuæ canonicis, monachis videlicet Be-
nedictinis (vt hic expreſſe dicitur, & ex praxi ipſa ab eo tempore, ad Henricum vſque octa-
uum ſeruata hiſtoriæ noſtræ teſtantur) Abbatialis dulcedinis & vigilantiæ ſolicitudinem pa-
ternam

ternam præstent. Vnde vna apparet nonnullorum ætatis nostræ & superioris scriptorum vel audax præcipitantia, vel supina negligentia, qui vel harum Ecclesiarum per Angliam, quæ cathedralia cœnobia vocabantur, ius penes Benedictinos fuisse negant, vel Episcopos ab eijsdem eligi solitos; ac proinde aliquando Canonicorum eis nomen regularium attribui consuetum legentes, ipsos propterea Augustinianę regulæ professores, non autem Benedictinæ fuisse pronunciant. Quibus, exteris plerumque hominibus, & in Anglicana historia leuiter duntaxat versatis, etiam illud imposuit, quod à celeberrimo S. Petri monasterio (quod postea Cantuariæ Sancti Augustini nomine appellabatur) monachos eiusdem Augustinenses sæpius dici animaduerterent: cumque vna in eadem Cantuariæ ciuitate, in cathedrali videlicet Christi Saluatoris æde, monachos seu regulares canonicos audirent, à quibus, & è quorum numero ipsum legi debere Archiepiscopum intelligerent, absque dubio canonicos regulares Augustinianæ regulæ fuisse asseruerunt; quos sole clarius constat, fuisse duorum cœnobiorum, vnius tamen eiusdemque regulæ Benedictinæ monachos, in Augustinensi quidem æde duntaxat cœnobitas, in Saluatoris Ecclesia, etiam Canonicorum vice & loco Archiepiscopo Abbati videlicet suo assistentes.

Error absurdus existimantium, hęc monasteria fuisse canonicorum S. Augustini Hipponensis.

Ex hoc etiam synodali decreto Dunstani, non mirabitur lector, quod antea statutum fuisse narrat venerabilis Beda (lib. 4. hist. cap. 5.) ab Archiepiscopo Theodoro in plena Synodo, anno 3. Egfridi Regis, 673. ab incarnatione: *Vt episcopi monachi non migrent de loco ad locum, hoc est, de monasterio ad monasterium nisi per dimißionem proprij Abbatis, sed in ea permaneant obedientia, quam tempore suæ conuersionis promiserunt.* Quod decretum ex regula D. Benedicti à synodi patribus desumptum esse, quis non videt? sic enim statuit sancta regula c. 58. *Suscipiendus autem in oratorio, coram omnibus promittat de stabilitate sua & conuersione morum suorum & obedientia, coram Deo & Sanctis eius.* Ex quo euidenter colligitur tempore Theodori Archiepiscopi antequam venerabilis Beda historiam istam scripsisset, regulam Benedictinam per vniuersam Angliam fuisse in tanta veneratione, vt non solum monachi simplices, sed ipsi etiam Episcopi ex monasterijs assumpti, ad eius tenerentur obseruantiam, adeo vt si ipsi Abbates non essent, etiam Abbatibus quoad regularia subesse tenerentur. Et quid potentius induci posset, ad ostendendam propositam nobis veritatem? Quomodo enim Regula S. Benedicti ad tantæ venerationis instar ascendere potuisset, vt etiam Episcopis imponeretur, nisi quia eius regulę professores fuissent, qui Angliam ad fidem Christi conuertissent? Nihil potest esse manifestius. Hunc itaque Theodori canonem non mirabitur, qui iam dictum Dunstani decretum legerit, minus mirabitur alium canonem posterioris longe concilij quod Gulielmi bibliothecarius Malmesburiensis lib. 1. de gestis Pontif. Anglor. pag. 213. producit: *Crastina* (inquit) *die concorditer perhibuere; quod Eboracensis Archiepiscopus ad dexteram Dorobernensis sedere debeat, Londinensis ad sinistram; Wentanus iuxta Eboracensem; si vero Eboracensis desit Londinensis ad dextram, Wentanus ad sinistram. Ex regula B. Benedicti & ex antiqua regularium locorum consuetudine, vt monachi* (Episcopi videlicet, nam de ijs est sermo) *proprium ordinem tenerent, & proprietate careant.* Quæ cum lego, & perpendo, portentum quoddam mihi videtur, esse adhuc aliquos, qui dubitent regulam nostram Apostolis nostris agentibus introductam fuisse, cum ipsam videant etiam Episcopis in synodalibus negotijs pro norma semper extitisse. Cur enim Episcopi monachi tantopere regulam illam vrgerent, nisi se prædecessoresque suos omnes, qui monachi fuissent, eiusdem regulæ subditos agnouissent? Quare etiam Episcopos Abbates cœnobiorum cathedralium videas per omnia Abbatum officia ac munia in claustris obijsse, pręsertim primis & syncerioribus temporibus, vt de Augustino constat ex præcepto Gregorij, *quia tua* (inquit) *fraternitas monasterij regulis erudita seorsim viuere non debet, à suis clericis in Ecclesia Anglorum, quæ auctore Deo nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituere conuersationem, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* De Aldhelmo, non ita diu post Augustinum, inferius patebit. De Dunstano & Episcopis monachis illorum temporum satis loquitur hoc concordiæ regularis præceptum. De Lanfranco posteà & Anselmo illustria exempla habentur apud Eadmerum in historia nouorum pagina octaua, vbi eius in claustro, assidua cum monachis conuersatio, & paterna dulcedo narratur; & in vita Anselmi ab eodem Eadmero descripta, vbi quam dulcis illi fuerit etiam tunc Archiepiscopo claustri custodia, pulchra similitudine declarat noctuæ, cui male est, quando inter reliquas aues versatur, omnibus videlicet ipsam insectantibus: benè autem est, quando in nidulo suo sola cum pullis suis quiescit; ita (inquit) & mihi conuersatio cum sæcularibus est molestissima, cum vobis autem filijs & fratribus in claustro sedens, bene mihi esse intelligo.

Euidés est regulã Benedictinam per totam Angliam floruisse sub Theodoro, qui Archiepiscopus Cantuariensis sextus ab Augustino fuit.

Rescripta, quę confirmant monachis Abbatis sui electioné, solis Benedictinis concessa antiquitus.

Cæterum ex his eijsdem Regum diplomatis, & concilij prænominati statutis etiam illud manifestissimè conuincitur, quid sibi velit in alijs tam eiusdem ætatis, quam anteriorū quoque temporum rescriptis Principalibus & Pontificijs, quod, sine speciali cuiuspiam regulæ mentione, cauetur tamen solenni formula, ne Abbates aliunde, aut alio modo, quam ex ipso monasterio (in cuius fauorem expedita fuerint rescripta) aut ex alio noto, hoc est *eiusdem conuersationis* (vt hic loquuntur Patres) & instituti, & ex concordi monachorum seu fratrum consensu desumantur. Illud nimirum volunt, pręceptum & institutum regulæ Benedictinæ ijsdem monachis saluum esse debere: monachosque eos Benedictinos esse, quibuscumque illud tacito regulæ nomine indulgetur, cum nullius alterius ordinis siue regulæ præcepto illud expresse caueatur, sed nostræ tantum, hoc est Benedictinæ normæ proprium sit, ac peculiare. Quare si cuncta Angliæ cœnobia, in quorum priuilegijs illa clausula inseritur, percurrãtur cuncta ea Benedictini etiam instituti fuisse deprehendentur. Quod si qua talis clausula alijs indulta regularibus inueniatur, non tamen quasi ex regulæ ipsius, quam profitebantur, statuto ea indulgetur; sicut in omnibus nostrorum monasteriorum rescriptis apertè insinuatur, idque aut ipsis regulæ verbis, aut saltem eodem verborum sensu semper cautum inuenietur. Sanctus siquidem monachorum magister Benedictus in Regulæ suæ capite 64. ita sanciuit: *In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur, quem sibi omnis concors congregatio secundum timorem Dei, siue etiam pars quamuis parua congregationis saniori consilio elegerit. Vitæ autem merito, & sapientiæ doctrina eligatur, qui ordinandus est, etiamsi vltimus fuerit in ordine congregationis.* Hæc S. Pater Benedictus, quæ vides à Patribus concilij, pro regulari concordia monachorum congregati, & ab ipsis principibus Edgaro & Edouardo ad verbum esse descripta; nec in regula D. Basilij, aut Augustini simile quid inuenitur constitutum; vt omittam dicere, nec regulam Basilij fuisse apud latinæ Ecclesiæ homines in vsu vitæ seruatam, nec Augustinianæ regulæ professores ante annum Christi nongentesimum in occidentali Ecclesia posse ostendi; in Anglia vero longe serius apparuisse inferius demonstrabimus, vt proinde necessarium sit huiusmodi rescripta Principum & Pontificum, quibus hoc priuilegium monachis saluum fore cauetur, non nisi Benedictinæ regulæ professoribus fuisse concessa. Quod semel ita fuse, & (vt arbitramur) clarè demonstratum, beneuolus lector apud se depositum habeat, quando in sequentibus, ex eo nos argumentari aduerterit.

§.5. Ea ipsa monasteria, etiam vsque ad Augustini ætaten, fuisse Benedictinæ regulæ subiecta.

Etiam ante Eadgarum, cathedralia, & Abbatialia monasteria fuisse Benedictina. Locus euidens ex priuilegio Ethbaldi Regis dato Croulandiæ. Item alius ex Bertulphi regis rescripto apud Ingulphū.

Quod autem diximus hæc omnia monasteria tam Abbatialia, quam Cathedralia, quæ munificus Rex Edgarus instaurauit, fuisse etiam ante instaurationem illam regulæ Benedictinæ institutis mancipata: quamuis ex eis quæ hactenus disputauimus, sit manifestum: ex abundanti tamen vlterius demonstrabimus ex eisdem archiuis Angliæ, monumentisque autenticis vnde hactenus allegata produximus. Igitur Ingulphus Anglus, monachus noster, in cœnobio Normannico Fontanellæ educatus, & Abbatiali regimine Croulandiæ ante annos quingentos & quinquaginta Regis Gulielmi primi iudicio dignus habitus: ex eiusdem Abbatiæ suæ archiuis depromit antiquissimum priuilegium ab Ethbaldo Merciorum Rege Croulandensi monasterio concessum anno Christi 716. in quo hæc habentur verba notatu dignissima, & quibus dissipatur facillime omnis contradictorum hac in re pertinacia: *Ad perpetuam securitatis memoriam hoc chirographo patenti dono, trado & concedo omnipotenti Deo, Beatæ Mariæ, & Sancto Bartholomæo, de Dominicis meis ad fundationem monasterij nigrorum monachorum sub norma S. Benedicti Deo famulantium, totam insulam Croulandiæ, ad sedem Abbatiæ, &c.* Ac paulo inferius; *Vnde quendam cœnobitam Euishamensem, probatæ religionis virum, nomine Kenulphum, vt secum eiusdem ordinis monachos probatos ibidem congregaret Abbatem constitui.* Totum hoc priuilegium in appendicis parte 2. scriptura 37. posuimus: & ne ex eo quod *monachos nigros* expressis verbis nominet, in suspicioně vocetur apud eos, qui antiquitatis omnia monuměta leuiculis sæpe de causis abijciunt; idem Ingulphus etiam hac in re succurret ipsorum incredulitati, dum priuilegium Bertulphi Merciorum regis adducit, qui anno 850 prædecessoris sui Ethbaldi concessionem confirmat; exordium rescripti hoc est *Bertulphus Rex Merciorum, venerabili Patri Domino Siwardo Abbati Croulandiæ, omnibusque fratribus suis monachis eiusdem monasterij præsentibus & futuris salutem in Domino sempiternam. Gratias debitas vobis omnibus dignissime reddo pro pecunia, qua me per vos dudum prætereuntem, in mea maxima indigentia contra Paganorum violentias, gratissimo & liberalissimo animo refouistis, &c.* Deinde confirmans monasterio omnia iura, possessionesque ipsius: adiungit: *Confirmo ergo vobis, & successoribus vestris, regulam S. Benedicti sub habitu vestro, tam nunc professis, quam post vos professuris, principalem Ecclesiam*

clesiam Croulandiæ, in qua venerandæ reliquiæ sanctißimi Christi confessoris & Patroni vestri B. Guthlaci corporaliter tumulati vltimam resurrectionem fœliciter expectant, totamque insulam adiacentem, &c. Inter cæteros autem approbatores, qui huic subscribunt Bertulphi Regis priuilegio, ponitur *Swithunus* sanctus Episcopus Wintoniensis Ecclesiæ, quæ erat cœnobium cathedrale Benedictinum, similiter & Elstanus Shirburnensis cathedralis cœnobij Episcopus, & Godwinus Roffensis: Abbates autem monasteriorum, quæ nemo Anglus negat fuisse Benedictina, Wolfardus Euishamensis, Liuingus Wincheltumbæ, Hedda sanctus Medamsted, seu Petroburgensis.

Rursus alius ex Edredi regis diplomate.

Rursus anno 948. cum monasterium ipsum Croulandiæ à Danis incensum, monachis pene omnibus martyrio affectis, Turketulus Edredi Regis cōsanguineus & antea Cancellarius, tunc autem Abbas Croulandensis reparauisset: Pius Rex Edredus ad preces Turketuli Abbatis omnia monasterij iura priuilegia possessionesque iterum plenissimè confirmauit regali diplomate, in quo hæc habentur manifestissima veritatis firmamenta: Non

App. p. à scrip. 39.

"modicum (inquit Rex confirmator) condolui & compassus sum, tam pro depopulatione "sanctæ matris Ecclesiæ quam pro minoratione beneficiorum spiritualium pro animabus "progenitorum meorum, per opera misericordię multipliciter & frequenter impensorum; "recolens ibi cœnobium nigrorum monachorū ordinis S. Benedicti à nobili Rege Merciorum, Ethelbaldo nomine, quondam Alwionis filio, esse fundatum, affluenter ditatum, & "regalibus priuilegijs sufficienter munitum, vt per inspectionem chartarum eiusdem Ethel"baldi ad securitatem dictorum monachorum compositarum, satis erat consilio meo declaratum. Huic priuilegio subscribit Sanctus Odo, primus ex sæculari factus Cantuariensis primas, non tamen prius quam monachalia sponte sua induisset; & S. *Athelwaldus* adhuc duntaxat Abbas Abendoniæ, Sanctusque *Dunstanus* Abbas Glasconiæ, notissimi ordinis nostri Præsules & Pugiles: vt proinde nihil clarius haberi possit, ad assertionem nostram firmandam, quâ, etiam ante Edgari tempora Abbatias Angliæ omnes fuisse diximus Benedictinas.

Charta de inspeximus: formula approbandi regularium priuilegia.

Ex hoc autem priuilegio, quod iam citauimus, videas lector antiquissimum exemplum regalis diligentiæ, qua monasteriorum priuilegia antiqua non prius confirmare consueuerunt, quam ipsa originalia à consiliarijs suis examinata fuissent, & approbata: quam diligentiam posteri reges imitati, omnium Ecclesiarum priuilegia hoc eodem modo examinata approbarunt, per rescripta principalia, quas idcirco *chartas de inspeximus* vocarunt; quia nimirum in illis litteris Reges, inspexisse se (per consiliarios suos) fatentur ea priuilegia, quæ admittunt & approbant. Ergo, (vt ad Ethelbaldi priuilegium reuertamur) aduerte etiam illi priuilegio inter alios subscribere Egbaldum Abbatem de Meadhamsted, seu Petroburgensem, quam

Monasterium Petroburg. Benedictinum à prima fundatione.

Abbatiam sub regula Sancti Benedicti, circa annum Domini 656. Peada primus Merciorum Rex Christianus fundare cœpit, fraterque eius Wolpherus Rex perfecit in expiationem impietatis suæ, qua, Paganus adhuc cum esset, duos filios suos Wolfeldum & Ruffinum non alia de causa, quam quod Christiani essent, trucidauit. Adiutus in ea Abbatia fundanda fuerat ab Ethelredo fratre suo, & Kineburga ac Kineswitha sororibus, quæ in eiusdem Abbatię Ecclesia sepulrę iacebant. Saxulphus primus illi persuasor operis, primus etiam Abbas extitit, qui anno 676. Lichfeldensis Episcopus factus ad annum vsque 692. sedit. Itaque qui hic subscribit Egbaldus, Saxulpho adhuc Episcopo, Abbas Petroburgensis fuit, quem non est mirum *deuote rogauisse* (sic enim subscribens profitetur) vt hæc Croulandina Abbatia fundaretur, cum ipse eiusdem ordinis monachus esset. Quod vt de cæteris quoque tunc temporis Abbatijs per Angliam credatur, facit etiam fundatio S. Albani, cuius prælatus semper Proto-Abbas Angliæ habebatur, sicut S. Albanus Abbatiæ patronus protomartyr Angliæ colebatur.

Monasterium S. Albāi Benedictinum à prima fundatione.

Ingulphus igitur paulo infrà locum, in quo primum hoc monasterij sui Croulandensis priuilegium recitauerat, hæc habet de S. Albani monasterio: *Offa* (fuit is Ethelbaldi Regis nepos & successor) *regnauit annis quadraginta, & fundauit monasterium nigrorum monachorum, in Verolamiæ ciuitate, ad honorem Dei, & protomartyris Anglorum, scilicet Sancti Albani:* Quanto propterea honore & amore antiquissimi isti Reges nostri Benedictinos prosequerētur, satis declarant verba eiusdem Offæ Regis in priuilegio Croulandensibus monachis concesso (quod ibidem Ingulphus totum recenset.) *Ideoque* (inquit) *Patricium Abbatem Croulandiæ & commonachos suos ibidem Deo seruientes, & seruos suos vniuersos, ipsumquue locum Crouland, & omnia quæ sua sunt, accipio in manum meam, & tanquam fratres meos, monachos de S. Albano liberos & solutos esse ab omni onere sæculari, &c.* Datumque est hoc priuilegium anno 793. Quod autem Monachos Albanenses, *fratres suos* vocat; inde existimo etiam exemplum sumpsisse posteriores Angliæ Reges, vt in monasterij S. Albani capitulo (vt inferius ex Matthæo Paris ostendemus) Reges *fraternitatis*, & Reginæ *sororitatis* beneficium non dedignarentur accipere. Tanto affectu, pij principes monachos nostros Christianitatis suæ auctores

per

per Deum factos coluerunt. Subscribit deinde huic priuilegio, seu fundationi Croulandensi *Tobias* Episcopus Roffensis, quod velim magnopere animaduerti à prudente lectore : siquidem Tobias hic sanctus & doctissimus antistes (testante & prædicante D. Herefordensi in diligentissimę inuestigationis opere, catalogo Episcoporum Angliæ) homo Anglus Latinę Græcæque linguæ æque ac vernaculæ peritus sub Theodoro Archiepiscopo Cantuarię, & Adriano Abbate S. Augustini, (quos omnes norunt Benedictinos fuisse) educatus, sedere cœpit anno Christi 693. & ad annum pertigit 726. Non est igitur dubium, quin eiusdem ordinis monachi reliquas Abbatias tunc temporis possederint. Videt enim lector me tacente, rem ipsam ita se habere, cum Ethelbaldus, Offa, Bertulphus, Edredus ordinem nigrorum monachorum S. Benedicti nominent, tanquam iamdudum per Angliam late propagatum : monachosque eiusdem ordinis pro Abbatia Croulandiæ anno 716. desumptos fuisse asserant ex alio eiusdem schematis, & ordinis monasterio, Euishamiæ nimirum iam antea æquo beato & disciplinæ regularis obseruantia celebrato. Idipsum de antiquioribus monasterijs ipsius Augustini tempore fundatis iam statim ostendemus : si prius hanc primam demonstrationem traditionis historicæ, quæ asserit Benedictinos monachos habitasse omnia Angliæ monasteria vsque ad ipsum Augustini aduentum, apertissimo S. Aldelmi Shirburnensis Episcopi testimonio concludamus : & quia non solum hanc primam ratiocinationem confirmat, sed & ipsum solú per se aliam demonstrationé firmissimam efficit, separatim à nobis discuti meretur.

Ordo nigrorū S. Benedicti, anno 700 iā florebat vbique per Angliam.

§. 6. Aldelmi testimonio, & exemplo clarissimè demonstratur assertio nostra.

Testimoniū Aldelmi clare conuincit, quod volumus. Aetas S. Aldelmi.

Igitur Aldelmus vir sanctissimus (vt constat ex antiquis chronicis manuscriptis Teukesburiensis Abbatiæ, quę legimus, & ex Florentio VVigorniensi) ordinatus est Abbas Malmesburiensis cœnobij: anno Christi 666. sic enim Florentius: *Anno D. 666. Sanctus Aldhelmus Melduini, in Ecclesia sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Abbas ordinatus est à B. Leutherio VVestsaxonum quarto Episcopo.* Iam antea Presbyterum fuisse & venerabilis Bedæ (qui agente adhuc in viuis S. Aldhelmo, circiter annum 34. agebat ætatis suæ) testimonio, B. Leutherij ordinatoris eius probare facile est. *Aldhelmus, cum esset adhuc presbyter* (inquit Beda) *& Abbas monasterij, quod Maildulfi vrbem nominant, scripsit de virginitate librum eximium, quem in exemplum Sedulij geminato opere & versibus exametris, & prosa composuit.* Et ordinatoris ipsius verba Gulielmus Malmesburiensis introducet, qui de gestis Reg. Anglor. lib. I. cap. 2. agens de Kenewalchio rege, qui eo ipso anno regnum suscepit, quo S. Paulinus mortuus est, hæc habet : Has animi regales dotes stimulis admonitionis animabant sancti suæ prouincię Episcopi, Angilbertus, (de quo multa in gestis Anglorum Bedæ inuenies) & nepos eius Leutherius post ipsum septenni Pontificio in VVestsaxonia functus; quod eo non prætermisi, quia de annis Præsulatus eius Beda nihil expressum reliquit; mihi ex chronicis cognitum dissimulare, præter religionem videbatur; Simul quia se ingerebat occasio, amplectenda erat prædicabilis viri mentio, qui Malmesburiense monasterium, in quo terreni incolatus prætendimus militiam, acri, & pene diuino mentis intuitu, ex humili ad amplissimum statum prouexit: quod à quodam Meydulpho, natione (vt aiunt) Scoto, eruditione philosopho, professione monacho, adeo angustis sumptibus elaboratum, vt inhabitantes quotidianum victum ægre expedirent; ipse diu multumque librato consilio, Aldhelmo eiusdem loci monacho, pro iure tunc Episcoporum, regendum contradidit. De qua re vt omnem sermo noster dubietatis deprecatur offensam, verba eius hic aliquà attexam : Ego Leutherius gratia diuina Episcopus. Pontificatus Saxonię gubernacula regens, rogatus sum ab Abbatibus, qui sub iure parochię nostrę cœnobiali monachorum agmini pastorali solicitudine pro rege noscuntur, vti terram illam, cui inditum est vocabulum Maildufesburgh, Aldhelmo presbytero, ad degendam regulariter vitam conferre, largirique dignarer. In quo videlicet loco, à primo æuo infantiæ, atque ab ipso tyrocinio rudimentorum liberalibus litterarum studijs eruditus, & in gremio sanctæ matris Ecclesiæ nutritus, vitam duxit. Et ob hoc potissimum hanc petitionem fraterna charitas suggerere videtur. Quapropter prædictorum Abbatum precibus annuens, ipsum locum tam sibi, quam successoribus suis normam sanctę regulę solerti deuotione sequentibus fraterna petitione coactus, vltroneus concedo. Actum publicè iuxta flumen Bladon, 8 calend. Septem. anno incarnat. Domini 675. Cum igitur industria Abbatis accederet fauori Pontificis, tunc res monasterij in immensam efferri, tunc monachi vndique aggregari, currebatur ad Aldhelmum totis compitis, his vitæ sanctimoniam, his litterarum scientiam desiderantibus. Hactenus Gulielmus eiusdem monasterij bibliothecarius, ex suæ domus archiuis monumentisque originalibus oculatus inspector prodidit.

Euidens testimonium pro regula S. Benedicti.

In

In quo testimonio, primū illud est aduertendū, literas Leutherij Pontificis datas esse, non ipso anno, quo ordinatus est Aldhelmus in Abbatem, quem iam diximus fuisse annum 666: sed esse literas priuilegij, quibus testatur Pontifex se totum monasterium ita Aldhelmo Abbati successoribusque eius concedere, vt iam pro instituto regulæ monachi Abbatem sibi possint eligere, & ita tam in hoc quam in dispensatione rerum monasterialiū essent per hanc concessionem ab Episcopali iurisdictione exempti, quod ipsum (vt postea docebimus) ipse etiam Aldhelmus Episcopus ordinatus eidem suo monasterio confirmauit. Quod ne potius ariolando conijcere, quam ex certa auctoritate ponere videamur, ipsius Aldhelmi confirmabimus testimonio, quod vnâ cum alijs, notatu dignis, quæ subijciemus, ex libro domestico seu registro manuscripto Malmesburiensis Abbatiæ, quod in officio Rememoratoris in scaccario D. Regis westmonasterij desumpsimus: habet autem hunc titulum; Quo āno factus Aldhelmus Abbas.

Epistola Beati Aldhelmi Præsulis, de libertate propriæ electionis omnibus congregationibus concessa sub eius regimine constitutis.

„Nihil in hoc seculo prolixa fœlicitate fruitur; nihil diuturna dominatione potitur; nihil, „quod non ad fatalem vitæ terminum veloci cursu tendere videatur. Et ideo sic nobis mun- „danarum rerum patrimonia sunt perfruenda vt tamen ęternæ patriæ emolumentis nun- „quam fraudaremur. Hinc est enim, quod ego Aldhelmus, postquam me immeritum, nul- „lisque prædignis moribus comprobatum in Pontificatus officij sedem diuina gratia sub- „thronizasset: proposui arcano mentis meæ affectu, vt monasterijs meis Maeldumesburgs, „Froom, Bradamford, quibus iam dudum in Abbatatus gradu constitutus suffragante Do- „mino regulariter præfui; religiosum Abbatem, quem sibi spontanea familiarum mearum „optio consona voce elegissent, canonica creatione atque regulari sanctione constituissent. „His voluntarijs propositionibus meis pia monachorum meorum restitit pertinacitas: & „cum hoc sedulo sępius in conuentu fratrum meorum fiducialiter narrassem nullus his „votis meis placidissimum præbebat assensum; dicentes: quamdiu vitali vegetaris spiritu „nobiscum presentis vitę studio deputaris, tuæ semper dominationis iugo humillimè colla „subdere non dedignamur. Sed hoc supplici prece communique rogatu deprecamur, quod „sub sacra scripturarum testificatione & fauorabilium virorum claro consensu corrobores, „vt nullus post obitum tuum nec regalis audacitas, nec pontificalis autoritas, vel aliquis „ecclesiasticæ seu sæcularis dignitatis vir, sine nostro voluntatis arbitrio in nobis sibi ven- „dicet principatum. Huic debitę monachorum meorum maxime famulorum Dei petitioni „libentissime consensi, & in monasterio, quod iuxta fluuium, qui dicitur Wimburnia, „situm est, cui venerandi Regis nostri Germana Cuthburg pręsidet, cum optabili famosissi- „mi Regis Yny consensu, & reuerentissimi fratris & coepiscopi mei Danielis præsentatæ „promissionis deuoto nutu, decentissimam vernarum Domini postulationem sacræ crucis „signaculo confirmaui. Itidem idem venerandus Rex & prænominatus Pontifex pari de- „uotionis manu subscripserunt. Nec multo post in sacrosancto concilio, quod iuxta fluuium „qui dicitur Woder, congregatum esse dinoscitur, idem omnium Saxonicæ gentis Archi- „mandritarum cum regali potentatus assensu, & Pontificali Prioratus nutu consensit auto- „ritas. Siquis verò contra hæc tam illustrium personarum decreta moliri machinetur, & sa- „cra præsentis schedulæ scita præuaricari pręsumpserit, sciat se ante terribilem diuinæ maie- „statis thronum cum pręuaricatoribus prœceptorum Domini lugubri damnationis iudicio „percellendum. Scripta est huius confirmationis chartula ab incarnatione Domini nostri „Iesu Christi 705. indictione tertia. †. Signum manus Danielis Episcopi. † Signum „Yny regis. † Signum manus patricij Ethelfridi. Decretum etiam Inæ regis, & Principum, ac præsulum & Abbatum ipsius, de alia monasterij sui libertate, sequitur, titulum hunc in registro præfato gerens.

De libertate, quam Ina Rex contulit Aldhelmo Præsuli & ecclesijs sub eiusdem regimine constitutis.

In nomine Domini Dei nostri saluatoris. Ego Yna, regnante Domino rex, cum consilio & decreto Præsulis nostri Aldhelmi, simulque cunctorum Dei sacerdotum suggestione & monachorum petitione qui in parochia saxonum conuersantur, hanc libertatem ecclesijs impendo, & hanc priuilegij dignitatem monasterijs confero: vt sine impedimento sæcularium rerum, & absque tributo fiscalium negotiorum liberis mentibus deo soli seruiant, & monasticam cœnobij disciplinam, Christo suffragium largiente, regulariter

regulariter exerceant, ac pro statu & prosperitate regni nostri & indulgentia commissorum criminum ante conspectum diuinæ maiestatis preces fundere dignentur; & orationum officia frequentantes in ecclesijs pro nostra fragilitate interpellare nitantur. Siquis verò contra huius decreti syngrapham venire temptauerit, sciat se coram Christo nouemque angelorum ordinibus in tremendo examine rationem redditurũ. Hoc verò decretũ à nobis libenter concessũ taliter confirmari & seruari decernimus, vt tam nobis, vita comite, propitia diuinitate regni gubernacula regentibus inextricabili lege firmiter roboretur. Nam pro ampliori firmitatis testamento, principes, & senatores iudices & patricios subscribere fecimus, quorum nomina infra tenentur ascripta. Actum publice & confirmatum, in loco, qui appellatur Eburleagh *septima calend. Iuniarum die, indictione secunda, anno ab incarnatione Christi.* 704. *fæliciter.* † *Signum manus Yni regis, qui hæc omnia manu propria confirmauit.* †. Ego Aldhelmus, *seruus seruorum* Dei *hoc decretum manu propria roboraui.* † Ego Hagona *Abbas consentiens subscripsi.* † Ego Heagha *Abbas Consentiens subscripsi.* † Ego Wedr *Abbas conf. subs.* † Ego Wilgar *Abbas conf. subs.* † Ego Froda *Abbas conf. subs.* † *Signum manus* Beoban. † *signum manus* Ceonberht. † *Signum manus Ædibfredi.* † *Signum manus* Dudue. † *Signum manus* Bealdhun. † Ego *Aedbertus Abbas consentiens subscripsi.* † Ego Wintra *Abbas cosent. subsc.* † Ego Beorvvald *Abbas conf. subsc.* † Ego Bealvvulf. *Abbas conf. subs.* † Ego Witta *Abbas conf. subscripsi.* † *Signum manus* Camberht. † *Signum manus* Coen. † *Signum manus* Easvvaldi. † *Signum manus* Ticceau. Habetur in eodem registro, aliud priuilegium Inæ regis, anterius isto, in quo Inas rex ita loquitur. *Idcirco pro remedio animæ meæ, & relaxatione criminum meorũ aliquam terræ particulam donare decreueram venerabili* Aldhelmo Abbati, *ad augmentum monasterij sui, quod vocatur* Maldumsburgh, *id est, quadraginta quinque cassatos in locis ab accolis infra nominatis, id est, quinque manentes in loco qui dicitur* Gersdune, *& vbi riuulus, qui vocatur* Corsaburna *oritur viginti, & in alio loco iuxta eundem riuulum decem.* Et hoc *actum est anno ab incarnatione* Christi. 701. *Indictioné decima quarta.* Deinde *subscriptiones:* † *Signum manus* Yni Regis. † *Signum manus* Oshelmi. † *Ego* Haeddi *Episcopus huic donationi consensi & subscripsi.* † Ego Winberchtus *hanc donationem dictans subscripsi.* Rogo autem benignum lectorem, vt æquanimiter prolixam istorum instrumentorum recitationem ferat; quæ quia serius ad nos fuerunt allata, quam vt in appendicem conijcerentur, (nam illum primò impressimus citationum causâ) hic visum fuit in ipso disceptationis filo inserere, tum ne perirent, tum quia ex ipsis etiam subscriptionibus, alijsque eorum particulis argumenta nobis suppetunt, alijsque rerum Anglicarum scriptoribus in posterum possunt suppetere.

Omnes Abbates Angliæ sub Ina rege Benedictini.

Ex istis igitur colligamus secundò Aldhelmum adhuc anno 701. fuisse Abbatem duntaxat, & non Episcopum: anno verò 704. iam Episcopum ab Ina rege nominari; cum tamen alij existiment non nisi anno 7 5. factum Episcopum sed hoc forsitan parui momenti fuerit: illud nostri refert plurimum, Wimberchtum virum venerabilem huic instrumento vltimò citato subscripsisse, qui magister magni Bonifacij Germanorum Apostoli fuit, notissimusque illo sæculo ordinis Benedictini Abbas, vt inferius ostendemus. Sic & priuilegio Inæ, quod secundo loco produximus, subscribit Beornwald eo tempore, vt ex Malmesburiensi notum est, Abbas Glastoniæ, quæ tunc (vt mox clare ostendemus) Benedictina fuit Abbatia. Cum igitur reliqui Abbates numero nouem eodem modo subscribant, nudo tantum Abbatum titulo, proculdubio eiusdẽ ordinis & schematis esse conuincũtur, cuius Aldhelmus ipse, Beorwaldus, & Wimberchtus esse comprobantur. Et quæ ratio postulat vt aliter credamus, cum isti Abbates tanta cum precum instantia Leutherium ad hoc induxerint, vt Aldhelmo Abbati priuilegium exemptionis indulgeret: quam quod eiusdem cũ illo regulæ fuerint, ac proinde tanquam commune religionis suæ bonum & honorem fraternæ charitatis zelo promouerint? Sed hoc ipsum apertissime probat illa Leutherij clausula, qua suæ concessionis priuilegio tanquam fundamentum & basim præsupponit, *normam sanctæ regulæ* in eo monasterio custodiri solitam: nam quæ alia regula, præter Benedictinam, potest ante eiusdem Benedictinæ promulgationem, ab Occidentis monachis ostendi obseruata? cum omnes concedant, ante illam nullâ scriptâ regula, sed non scriptis duntaxat patrum traditionibus & institutis monachos vixisse: nec vnquam modus hic loquendi, de monachis, *normam sanctæ regulæ solerti deuotione sequentibus,* probetur vsurpatus nisi post Benedictinæ regulę receptionem Quare hic verius Antonius Posseuinus, Aldhelmum ex Abbate Benedictino Episcopũ occidentalium saxonum factum scribit: quam Gregoriũ eiusdem ordinis fuisse neget; quum tamen non viderit, & vnum ex alio sequi, & necessario eiusdem ordinis esse debere Gregorium, cuius extitit Aldhelmus: Sed de Posseuini hac in re inconstantia posthac dicetur.

Nulla regula præter Benedictinam, ea ętate per Angliam monachis vsitata.

Aldhelmus fuit Benedictinus.

Hactenus ex alijs ostendimus Aldhelmum fuisse Benedictinum: Aldhelmum inquam, factum

Aldhelmus diu presbyter ãtequam fuerit Abbas.

factum abbatem anno 666. hoc eſt viginti duobus tantum annis poſt mortem S. Paulini, & tredecim tantum annis poſt mortem Honorij Cantuarienſis diſcipuli S. Gregorij à Paulino cõſecrati, qui Honorius mortuus eſt anno 653 Et quidẽ Aldhelmus factus eſt Abbas, cũ iam antea presbyter & Gymnaſiarches ſui monaſterij fuiſſet, doctrinæ gloria diſcipulorũque frequentia clariſſimus, (vt Balæus ex celando hiſtoriæ Anglicanæ peritiſſimo diligentiſſimoque ſcriptore, docet) ac proinde ſine dubio non valde iuuenis, cum ea ætate non ante 30. annum ad presbyterium promoueri ſolitos (niſi vrgentibus de cauſis) Bedæ venerabilis exemplum oſtendat; imò dubitari non debet, quin quadragenario proprior fuerit; ac proinde cum Paulino, Honorio, Archiepiſcopis Angliæ, & Nathanaele Abbate S. Auguſtini, Romanis hominibus Gregorijque magni diſcipulis, Auguſtini noſtri ſodalibus, aut conuerſatus fuerit, aut certe conuerſari potuerit; atque adeo oculatus teſtis omni exceptione maior ſine ambiguitate aut falſi ſuſpicione docere etiam potuerit, quamnam regulam monaſticæ vitæ Auguſtinus & ſocij eius Apoſtoli noſtri coluerint. Dicat erga iam nobis ipſe Aldhelmus (quod hucuſque alios de illo dixiſſe inſinuauimus) cuiuſnam ipſe regulæ cultor, & profeſſor, cuius alij omnes per Angliam Archimandritę ceu Abbates fuerint.

Profitetur omnes Anglię monachos fuiſſe Benedictinos.

In opere igitur eo quod de laude virginum geminato labore prius quidem verſa, deinde proſa oratione contexuit, poſtquam Antonium Baſiliumq;, monachorũ patres nulla quaſi mentione regularis inſtituti per eos ad occidentales diffuſi laudaſſet hæc habet de B. P. N. Benedicto:

Imperium mundi florens dum Roma teneret,
Atque gubernaret regnorum ſceptra per orbem,
Temporibus fauſtus Benedictus claruit hiſdem,
Quem Deus Auſoniæ clemens indulſerat autor,
Vt populum Domini vadentem tramite recto
Ferret ad æterni ductor veſtigia regni:
Quem prius abſtruſis ſæuis anfractibus error
Traxit ad inferni torrentis tartara nigra.
Sæpe tyrannorum contriuit templa priorum
Qui Dominum lucis tenebroſo corde negabant.
Mox illic figens victricia ſigna ſalutis,
Sic miles Chriſti deuicto ex hoſte triumphat,
Baſilicam Domini reſtaurans æde renata.
Quis modus aut numerus vel certe calculus index
Explanare valet virtutes illius amplas,
Quæ modulum & numerum excedunt pro mole ſuorum?
Namque cadaueribus reddebat lumina functis,
Quæ gelidæ mortis per vim natura necarat.
Auditu ſurdos, & claudos greſſibus ornat.
Aegrotos vegetat membrorum viribus augens;
Dæmonis arma fugans, nec non & ſpicula frangens;
Hoſtibus exploſis reſtaurat ſaucia corda.
Namque capiſterium rimarum fragmine ruptum
Innouat, vt nutrix lactrymarum flumina fundit.
Peſtiferum calicem qui mortis pocula cinxit,
Porrectâ rupit dextrâ per ſigna ſalutis.
Sic etiam chalybem prolapſam gurgite Gothi
Ad proprios iterum iuſſit remeare lacertos.
Primo qui ſtatuit noſtræ certamina vitæ
Qualiter optatam teneant cænobia formam,
Quoque modo properet directo tramite ſanctus
Ad ſuperum ſcandens cælorum culmina cultor.
Cuius preclaram pandens ab origine vitam
Gregorius præſul chartis deſcripſerat olim
Aethercam donec fælix migraret ad arcem.
Huius alumnorum numero glomerantur ouantes
Quos gerit in gremio fæcunda Britannia ciues:
A quo iam nobis baptiſmi gratia fluxit,
Atque magiſtrorum veneranda caterua cucurrit;

Et

Et hæc in carmine mens est Aldhelmi : quam antequam perpendamus subtilius, audiamus adhuc ipsum soluta oratione de. S. Benedicto ita deliciantem, ac si parum pro voto suo de ipso, dicere posset, vt proinde vel hinc amantissimum magistri sui discipulum agnoscas. Scripsisse autem opus prosaicum ante metricum, ipse in capite penultimo testatur his verbis, quibus etiam se adhuc Abbatem, senio saltem propinquum insinuat : Porrò (inquit)
„ quemadmodum intactæ virginitatis gloriam rhetoricis relatibus fauorabiliter venerari
„ nitebar : Sic identidem (si hoc carneum animæ ergastulum ante fatis, vt dicitur, crudescen-
„ tibus non obierit, ac dura Parcarum quies & ferreus lethi somnus palpebrarum conuo-
„ latus non tricauerint) heroicis sexamerrorum versibus eiusdem pręconium pudicitiæ, sub-
„ tiliter comere Christo cooperante conabor. Sed iam de. S. Benedicto loquentem inducamus. Nec prętereundum arbitror beatæ memoriæ Benedictum, quem ab ipsis infantiæ
„ cunabulis ita fortunatum vocabuli præsagium poscebat, vt penitus aliter in proposito di-
„ uinæ religionis viuere nequiret, quā propriæ appellationis dignitas, & cęlestis
„ prærogatiua permitteret. Nam gratuita supernæ liberalitatis munificentia cum actus puer
„ pollesceret, & fœcundis meritorum successibus per augustum Hesperiæ regnum latè cre-
„ bresceret : haud frustra fælix vocabuli priuilegium participauit cum aduocato & Redemp-
„ tore nostro, de quo lactantes Euangelici consona vocis hormonia psallentes concorditer
„ cecinerunt Benedictus qui venit in nomine Domini ; cuius rei regulam nostra quoque me-
„ diocritas (authentica veterum auctoritate subnixa) in sacrosancta palmarum solemnitate
„ binis classibus canora voce concrepans, & geminis concentibus O sanna persultans, cum
„ siccandæ iubilationis melodia concelebrat. Igitur præfatum Christi tyronem propter in-
„ corrupta & iugiter stellantia immarcessibilis pudicitiæ seruata dona sanctæ Trinitatis tu-
„ tela protectum prophetica signa sequebantur, & superna miracula cælitus comitabantur.
„ Siquidem post dirutā simulachrorum sacella, & dissipatas fanaticæ gentilitatis cæræmo-
„ nias (quę vitam veritatis expertem, fato & genesi gubernari futura, iuxta mathematicorū
„ constellationem, arbitratur,) bissena construxisse cænobia scribitur, in quibus opulenta
„ sanctę conuersationis sacra, & copiosa animarum emolumenta orthodoxis vbertim ac-
„ quisita Christo prouenerunt : quas Dominicę gnarus cultor vineæ, velut maturescentes
„ palmitum botros ac rubicundos sarmentorum racemos euangelica falce succidens, & re-
„ fertis fiscellis, onustisque corbibus ad prælum calcandos, & ecclesiæ torcularibus regula-
„ riter exprimendos aduexit ; vt merculenta defęcati nectaris defruta apothecis cęlesti-
„ bus recondenda, & angelicis cauponibus committenda fæliciter inferret ; quatenus su-
„ pernorum conuiuia huiuscemodi muneribus de terreno nundinarū mercatu allatis grątu-
„ labunda glorificarentur. Hæc Aldhelmus sanctissimus. Non dedignetur lector beneuolus, quod vtrumque encomium integrè transcripserim : feci ideo, quia alter locus alterum egregiè, ni fallor, interpretatur, & alter alterius quasi paraphrasis est copiosa ; in vtroque autem aliquid habetur ad rem nostram expressissimè pertinens.

Cōparatio encomiorū quibus Aldhelmus lādat D. Benedictum, & D. Basilium.

In his autem encomijs, primū illud occurrit considerandum Aldhelmum de D. Benedicto tanquam de recentis memoriæ sancto verba facere : *Beatæ memoriæ Benedictum* vocat: quippe qui centum tantum annos ante ipsius ortum Aldhelmi, è viuis excesserat. Vt proinde se de rebus sibi notis, & adhuc in omnium animis & notitia retentis sui tandem sæculi rebus, se loquutū insinuet. Deinde aduertendum quanta cum copia, quanta cum styli tum animi exultatione in sancti Benedicti laudibus delicietur Aldhelmus : vt si hæc encomia cum aliorum sanctorum, quos laudat compares elogijs, certe hæc omnibus illis inuenies pleniora dulciori quodam erga sanctum patrem affectu, & excellentiori tum miraculorum, tum virtutum ipsius expressione. In specie vero inspiciatur. S. Basilij encomium, (nam S. Pachomij, Paphnutij, aut alterius è græcis monastices institutoribus aut Equitij etiam omnino nō meminit, quem tamen à pudicitię laude & dono singulari cōmēdat Gregorius, cum eum propterea etiam monasteria puellarum gubernasse scribit) Basilij inquam encomium vide, quam maneat infra affectum & florem encomij quod S. Benedicto tribuit :

Basilius quondam Doctorum maximus auctor,
Condidit egregiam diuino dogmate legem
A qua processit libratæ normula vitæ
Vergere quæ nullum laxat sub pondere sæuo,
Trutinet electos sed iustæ lance libellæ,
Vocibus alternis reddens oracula sanctis,
Qualiter ornetur verax concordia fratrum,
Et iustæ iugiter fulgescant fædera mentis.

Nec non diserto digessit famine librum
Prima creaturum pandentem semina rerum,
Vtque potentatu quadratum conderet orbem,
Materiam mundi discernens ordine recto,
Aurea de nexu dum format sydera cæli.
Hinc nobis oritur mundi nascentis origo
Cuderet vt summæ rerum molimina princeps.
Hic se virgineum prodit seruasse pudorem,
Taliter affirmans perfecto famine Præsul:
Fœminea præceps cognoui corpora nunquam,
Nec tetigi penitus muliebres turpiter actus,
Non tamen immunis vocitabor nomine virgo.

A tribus hic laudat Basilium, ab asceticis libellis, quibus regulam monachorum per interrogata & responsa ipsum condidisse scribit, ab Hexameri historia, quam docte eum digessisse affirmat, &, (quod argumento suo congruebat) à pudicitia seruata. At S. Benedictum, primo commendat, ab eo quod datus fuerat à Deo diuinitus Ausoniæ, ad populos à tenebris Paganicis ad lumen Christi deducendos: & ne per Ausoniam intelligeret Gallonius aliquis particulam quandam Italiæ, tanquam vlterius eius aut operatio, aut fama non se extenderit: in prosaico encomio semetipsum exponens, per Ausoniam intelligit, *Augustum Hesperiæ regnum*, quod quis non idem valere conspicit, atque Occidentalis orbis imperium? & quid est aliud per hoc regnum *secundis meritorum successibus late crebrescere*, nisi per ordinis ipsius incrementa magnifica in totum Occidentem eius merita peruasisse? vt vel hinc errasse conuincatur Gallonius, qui regulam ipsius contendit non nisi in Italiæ angulis aliquibus diu cognitam fuisse; de quo inferius redibit sermo. Deinde vero laudat S. Benedictum à potenti virtute qua dæmones ex corporibus energumenorum eijciebat; à zelo, quo ipsorum cultum idololatricum exscindebat; à multitudine pene innumerabilium miraculorum, quorum aliqua seriatim accumulat, quæ prophetica & cœlestia signa nuncupat. Præterea & nomen ipsum perpendit, quasi quadam accommodatione superna ipsi & saluatori nostro commune, *Benedictus enim qui venit in nomine Domini* saluator mundi, & sic Benedictum communione eiusdem nominis dignatum prædicat, vt non potuerit aliter viuere, quam *fælicissimi nominis augurium* præsignificabat. Deinde quasi rationem reddens cur tantopere effusus fuerit in laudes S. Benedicti, clarissime, eum Patrem suum, omniumque per Angliam monachorum pronunciat:

D Benedicti regula Aldhelmo teste per Occidentem statim propagata.

Ipsum nomen Benedicti in laudes eius tractũ.

Primò qui statuit nostræ certamina vitæ,
Qualiter optatam teneant cœnobia formam,
Quoque modo properet directo tramite sanctus
Ad superum scandens cœlorum culmina cultor.

Quis enim tam iniquus est causæ disceptator aut arbiter, qui non hic aduertat, S. Aldhelmum monachum, ad sanctimoniales seu monachas scribentem, dum Benedictum affirmat, primò statuisse regulam monasticam quam ipse Aldhelmus & monachæ illæ sequebantur, (hoc enim est, *nostræ vitæ certamina*, nempe regularis trames seu norma, sub qua nos militamus) idem fecisse, ac si alijs verbis vocasset ipsum Patrem & institutorem illius monasticæ, siue asceteos regularis, quam monachi & moniales per Angliam complecterentur? Quem alium sensum, quam aliam sententiam vel æqualẽ torta illa verba exprimere poterũt, quam regularem normam, cui Aldhelmus, & moniales, ad quas scribit, subdebantur, à S. Benedicto auctore, seu scriptore & institutore (hoc est enim *primò qui statuit*) processisse? Nam quod aliqui dicere vellent, non ibi *nostræ, sed nouæ vitæ certamina haberi,* destituit eorũ maleuolam glossam ratio ipsa carminis, quæ spondæum ibi non iambum postulat, vt vel pueri norunt; nec in voce tam vulgari, eaque appellatiua mere latina, vbi nulla eius necessitas fuerat, peccasset Aldhelmus: vtcumque in græcis & peregrinis vocibus, aut proprijs nominibus, more eorum temporum sibi indulgeret, vt omittam quod nouum non posset ab Aldhelmo vocari institutum, quod per totam Angliam, imo per totum Occidentem late crebruisse iamdudum nouerat.

S. Benedictus institutor monachorum Anglorum

Tandem laudat à multitudine animarum, quas per ipsum & discipulos eius cœlitibus exultantibus & profectui tanto congaudentibus in ecclesiæ gremium pellexit: idque tam exquisitis verbis, tam picto schemate declarat, vt quiuis inde perspiciat, ipsum de Angliæ suæ conuersione ad fidem, per Benedicti discipulos facta sermonis sui colophonem hanc intellexisse, quod ostendit & ipse metrici encomij Epilogus,

Huius alumnorum numero glomerantur ouantes
Quos tenet in gremio fæcunda Britannia ciues
A quo iam nobis baptismi gratia fluxit
Atque magistrorum veneranda caterua cucurrit.

Apostolos Angliæ, Aldhelmo teste fuisse Benedictinos.

Significat enim hoc epilogo Aldhelmus, omnes Angliæ fideles alumnos esse S. Benedicto, cuius nempe discipuli ipsos lacte euangelij pauerunt, & suo magisterio ad sinum ecclesiæ perduxerunt. Neque enim ita debent illi versus intelligi, tanquam illud *huius* referat seu denotet Gregorium; ipsum siquidem non alia ratione induxerat, quam vt scriptorem vitæ S. Benedicti, nec in prosaico encomio eius expresse eum inter virginitatis exemplaria enumerat, sed semel tantum aliquid ex ipso citans, Magistrum quidem illum & doctorem Britanniæ simpliciter vocat. Esset autem omnino contra artis oratoriæ præcepta, encomium in S. Benedicti laudem institutum encomio S. Gregorij concludere. Et omnino conuincit colophon prosaici sermonis, non de Gregorio, sed Benedicto intelligi debere versus istos, qui paraphrasim quandam faciliorem & planiorem continent epilogi prosaici, in quo non sit S. Gregorij mentio sed omnis oratio de S. Benedicto continuatur: Idem ergo sibi volunt illæ allegoricæ ambages: *Bissena construxisse cœnobia scribitur, in quibus opulenta sanctæ conuersationis sacra, & copiosa animarum emolumenta orthodoxis vbertim acquisita Christo prouenerunt;* idem inquam, significant, quod ista carmina planius enunciant,

Huius alumnorum numero glomerantur ouantes.
Quos tenet in gremio fæcunda Britannia ciues.

Neque enim solum de duodecim monasterijs S. Benedicti loquitur Aldhelmus, sed de toto prouentu fęlicissimo, qui ex illis, & per illorum monachos ecclesiæ obtigit: & id omnino sibi vult magnifica illa prouentus huius exaggeratio: *Quas* (animas) *Dominicæ gnarus cultor vineæ, velut maturescentes palmitum botros, ac rubicundos sarmentorum racemos Euangelica falce succidens, & refertis fiscellis, onustisque corbibus ad prælum calcandos, & ecclesiæ torcularibus regulariter exprimendos aduexit, vt merculenta defæcati nectaris defruta apothecis cælestibus recondenda, & angelicis cauponibus committenda fæliciter inferret; quatenus supernorum conuiuia huiuscemodi muneribus de terreno mercatu allatis gratulabunda glorificarentur;* neque enim ista de monachis tantum intelligi, sed præcipuè de ijs, quas monachi in ecclesiæ gremium euangelica prædicatione compulerunt, verba ipsa declarant nec de paruo aliquo circa Cassinum numero, sed de maxima conuersorum multitudine, de qua *cælestes angeli & sancti in cælo lætabundi exultent loquitur*; atque adeo de Angliæ suæ per Benedictinos conuersione, quod in carmine clarius seipsum exponens pronunciat cum ait.

A quo (Benedicto) *iam nobis baptismi gratia fluxit,*
Atque magistrorum veneranda caterua cucurrit.

Quanquam si quis velit proteruire, vt illa vltima carmina de Gregorij discipulis immediatius dicta fuisse diceret, nihil tamen contra nos faciet, cum & ideo hanc Gregorio historico Benedicti laudem attexuit, vt magni patris magno filio, & eiusdem præceptoris discipulo; quippe cum in versibus prioribus aperte dicat Benedictum primum monasticæ regulæ per occidentem seruatæ institutorem, sequitur inde satis occidentem Aldhelmo iudice ipsos quoque Gregorij discipulos, ipsumque adeo Gregorium sub Benedictinæ asceseos vexillo militasse.

Nec potest vllus calumniari, hoc poeticum Aldhelmi encomion suppositititiũ esse, aut in ea parte, qua nobis tam aperte succinit, adulteratum: quandoquidem extet adhuc eodem prorsus modo manuscriptum antiquissimis characteribus in bibliothecis multis Angliæ, vt Cottoniana, Oxoniensi publica, Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti nomine insignito, & in ipsa serenissimi Principis Walliarum Caroli bibliotheca; Eodemque prorsus modo partem hanc, cui nostra innititur argumentatio, iam à septingentis fere annis citauerit Aimoinus Floriacensis in sermone de laudibus sancti Benedicti; quem nuper ex archiuis eiusdem sacri monasterij publici iuris fecit D. Ioannes à Basco in opere suo quod inscripsit bibliothecam Floriacensem. Vt propterea minime mirum sit Aimoinum illum, auctorem videlicet valde antiquum, audacter & sine vlla hæsitatione Gregorium magnum discipulis S. Benedicti connumerasse cum eius discipulos omnes per Angliam ab Aldhelmo ipsorum suppare, & familiari Abbate atque Episcopo Benedictinos nuncupari legeret. Sunt autem hæc Aimoini verba in proœmio libri secundi de miraculis S. Benedicti: *In calce prologi non putauimus prætermit-*

Testimoniũ preclarum Aimoini Floriacensis.

prætermittendum hoc, quod diuina pietas huic nostro Pastori inter cætera largitatis suæ contulit munera; quem videlicet ad ea promerenda quæ de se relatu erant digna nullius extraneæ personæ eguit [illegible] *Qui imo ipsius clientulum eius cœnobus illius ope educati atque edocti, quic-* [illegible] *promerendum erat, posteris mandare memoriæ sufficientes inuenti sunt, post beatum duntaxat Papam Gregorium, qui & ipse eius regulæ subditus disciplinis, quanta idem Pater effulserit virtutibus, eloquentissime enucleauit.* Nec tantum eam animi sui sententiam fuisse, sed & totius nationis [illegible] asserit, ipsam videlicet gentem Anglorum per Benedictinos Christo acquisitã fuisse: sic enim loquitur in vita S. Abbonis Abbatis (quæ habetur in bibliotheca Flor [illegible] *cap. 4.* [illegible] *Anglorum ad Floriacense venit cœnobium, postulans ali-* [illegible] *sapient* [illegible] *virorum.* [illegible] *S. P. Benedicti, memoratique* [illegible] *Vna quidem, quia Beati Papæ Gregorius missis ad eam fidei Christi prædicatoribus, eiusdem dilecti Domini Benedicti Regulam obseruandam specialiter inculcauit. Alia vero, eo quod vir quidam magnæ apud eos nobilitatis, Oswaldus vocabulo, spreto sæculo, ad seruiendum* [illegible] *conuersus est cœnobio.* Huius ergo auctoritate scriptoris tantæ antiquitatis testis, qui [illegible] S. Abboni, de quo scribit, pæne æquæuus fuit, apertè conuincitur communis traditio Anglicanæ gentis, quam huc vsque & varijs instrumentis, & S. Aldhelmi verbis comprobauimus, primos videlicet Apostolos Angliæ, fuisse regulæ Benedictinæ professores.

Item aliud eiusdẽ longe manifestius.

§. 7. *Idem demonstratur ex Benedictino monachatu S. Bonifacij S. Willibaldi & sociorum, Germaniæ Apostolorum.*

Corroborare possumus eiusdem assertionis veritatem historia trium maximorum Præsulũ gentis [illegible], qui ipso Apostolorum nostrorum sæculo floruerunt, nimirum Bonifacij Moguntini Archiepiscopi & martyris, sociorumque ipsius: Wilfridi item Eboracensis Archiepiscopi, & S. Benedicti Biscopij Abbatis, qui venerabilem Bedam habuit discipulum & alumnum. De S. Bonifacio negauit Gallonius, eo ductus argumento, quod Sturmionem nepotem suum, primum Fuldensis cœnobij Abbatem ad montem Cassinũ ablegauerit, vt ibi regularem disciplinam melius addisceret: inde enim putauit fieri Gallonius, nec ipsum Bonifacium, nec socios ipsius, neque adeo Anglorum sui temporis monachos vniuersos, regulam S. Benedicti sequutos fuisse, nam aliter opus non fuisse, vt eam tam longè peterent, quam domi suę didicissent. Quasi non sit familiaris loquendi modus, vt ad celebriora, & arctiora ordinis cuiusque monasteria proficiscantur aut mittantur minorum, vel recentiorũ cœnobiorum monachi non vt tum primum illius ordinis monachi fiant sed vt ordinis sui disciplinam & obseruantiam facilius discant, vel vbi maior & numerosior congregatio [illegible] in omnibus exercet regulæ custodiam, vel vbi primæ institutionis [illegible] quasi hæreditario iure diutius perseuerat.

S. Sturmionem fuisse Benedictinũ, antequam Casinũ adiret.

Sed alia longè causa Sturmioni fuit, vt obseruantię discendę studio Cassinum proficisceretur, quam à nostræ gentis [illegible] historico Gulielmo Malmesburiensi potuisset Gallonius haurire, si non maluisset suis potius coniecturis falli. Is igitur Malmesburiensis lib. 3. de gestis Pontificum Anglorum, de S. loquens Oswaldo, *Apud Floriacum* inquit, *alteratus est* [illegible] *Anglis* [illegible] *vt si qui bono afflati essent desiderio, in beatissimi Benedicti monasterio* [illegible] *susciperent habitum, a quo religionis huiusmodi manauit exordium.* Hæc igitur ratio sanctum mouit Bonifacium, vt suum nepotem ad S. Benedicti Cassinensem mitteret Abbatiam, quia nimirum ibidem sanctæ regulæ primordia illustrissima extiterant. Et quia in vtroque monasterio, Cassinensi & Floriacensi, corpus S. Patriarchæ nostri requieuerat, ideo vtrumque S. Benedicti nomine, apud Anglos vocabatur, & qui ad vtrumuis proficiscerentur, ad S. Benedictum proficisci dicebantur; vt potius ob sancti corporis venerationem, quam ob conuentus ipsius regularitatem eo se conferrent, tanquã ipsius legislatoris spiritum plenius hausturi in eo loco, cui propter beatas reliquias suas certiorem exhibere præsentiam crederetur.

Cur Casinum adierit.

Sanctus autem Sturmio, non Cassinense solum monasterium, verum & alia Romæ, Italiæque cœnobia inuisit: nec id vt regulã S. Benedicti, quasi antea sibi ignotam, addisceret; sed vt ex varijs præcipuorum eius regulę monasteriorum exemplis Fuldense suũ monasteriũ exactiori obseruantiæ sacræ politeia fundaret: sic enim S. Aegil ipsius Sturmionis discipulus, in eius vita profitetur: *Porro (ait) cum fratres regulam S. Benedicti inhianter obseruare desi-* [illegible] *normam* [illegible] *toto animo inclinassent, consilio* [illegible] *dicebantur monasteria, vt si* [illegible]

 diam,

diam, & conuersationem regularem perfectè discerent. Quod cum fuisset indicatum Episcopo (S. Bonifacio) *prudens illorum collaudauit consilium, & hanc legationem studioso Sturmi iniunxit. Qui præparatis itineri necessarijs, assumptis secum duobus fratribus, quarto ad locum prædictum ingressionis anno, Romam profectus est: atque in illa terra cunctis monasterijs lustratis, & omnium mores ibi fratrũ consistentium, traditionesque monasteriorum ad plenum discens, integrum annum apud illa monasteria perseuerans, secundo inde anno repletus quibus viderat virtutibus, regressus est.* Et deinceps post pauca: *Dum eum* (Bonifacius) *prudenter mores gentis illius, & disciplinas monachorum referre agnouit: vade inquit, & nouellum monasterium Fuldam, ad instar morum Monachorum, quorum ibi vitam contemplatus es, quantum quiueris, instituas.* Et tandem: *Desiderium tunc ingens inerat fratribus, ad omnia quæ eis dicta, vel ostensa fuerant, sanctorum exemplis semetipsos toto adnisu aptare, & regula S. Benedicti quam se implesse promiserant, ad omnia obseruabant.* Quibus ex verbis S. Aegilis oculati videlicet testis eorum, quę scribit, manifestè apparet, monachos S. Bonifacij, seu Fuldenses qui Sturmionem ad Italica miserunt cœnobia, iam antea regulam S. Benedicti fuisse professos; sanctumque Sturmi non vt fieret tum primo Benedictinus Cassinũ adiuisse, sed iam monachum, cum socijs monachis plæraque totius Italiæ lustrauisse monasteria vt quomodo in singulis regula seruaretur animaduerteret. Sicut nostro hoc sæculo, Monachi reformatissimæ congregationis Lotharingicæ, Romam Cassinumque adiuerunt, vt ibi regularem obseruantiam coram intuerentur, quam postea suis monasterijs, à strictiore obseruantia iam diu relaxatis inferrent: quos nemo propterea dixerit, tunc primum cæpisse Benedictinam regulam profiteri, quam nimirum cœnobia sua, quæ reformauerant, à prima sua fundatione per multa anterius sæcula seruauerant. Deinde apparet ex eodem S. Aegile, pro eodem ipsi, cæterisque eius ætatis scriptoribus haberi, Monachum, & Benedictinum; ideoque cum expressè aliquoties regulam S. Benedicti nominet, monachos & monasteria sæpissimè commemorans Italiæ, Romæ, Germaniæ, sine vllius regulæ adiectione, clarè Benedictinæ fuisse insinuat professionis nec facilè monachos alterius regulæ à tempore S. Benedicti apud occidentales historiæ scriptores inuenies.

Scriptoribus illius ęui, nō noti alij monachj, quam Benedictini.

Gallonij præcipitantia, & audacia.

Et profecto non est prætereundus sine spontaneæ pertinaciæ censura Gallonius, qui tam audacter rem ex ipsis auctoribus, qui Bonifacio fuere contemporanei, compertam, & expressè confessam, audeat negare: Nam S. Bonifacium regulæ Benedictinæ professorem ab infantia sua extitisse, & regulam eandem tunc per totam Angliam floruisse, testis omni exceptione maior Sanctus Wilibaldus Episcopus, ipsius martyris Bonifacij consanguineus affirmat, in vita eius à se conscripta, etenim postquam ipsum in puerili ætate sub Wolfardo Adencastrensis monasterij Abbate monachum factum dixisset, & inde studiorum gratia ad Abbatem Nutsallliæ Winchbertem missum sanctissime ibidem conuersatum asseruisset, hæc addidit: *Dictandi peritia laudabiliter fulsit, vt etiam alijs denuo paternarum extitit pædagogus traditionum, & auctor magisterij subiectorum, qui & discipulus antea subiectorum esse non recusauit. Quoniam sueræ mos est conuersationis, vt præferre se cæteris pertimescat, qui subijci alijs renuerit; quia & præcedentiæ operam subiectis impendere non valebit, quam superna prælatis dispensatione iuste non exhibebat Hanc enim ita omnibus in commune viuentibus, & maxime suo sub regulari videlicet disciplina, Abbati, monachica subditus obedientia, præbebat; vt labore manuum quotidiano, & disciplinali officiorum administratione incessanter, secundum præfinitam beati Patris Benedicti rectæ constitutionis formam insisteret.* Quin ipse Bonifacius epistola. 141. ad Zachariam Papam scribens, satis aperte insinuat & se, & socios suos monachos ex Anglia euocatos, fuisse Benedictinos: *Est præterea locus syluaticus in eremo vastissimæ solitudinis, in medio nationum prædicationis nostræ,* (Fuldam innuit) *in quo monasterium construentes, monachos constituimus sub regula sancti Patris Benedicti viuentes, viros strictæ abstinentiæ, absque carne & vino, atque sicera, & seruis, proprio manuum suarum labore contentos. Hunc locum supradictum per viros religiosos & Deum timentes maxime Carolomannum quondam principem Francorum iusto labore acquisiui, & in honore Saluatoris dedicaui. In quo loco cum consensu pietatis vestræ proposui aliquantulum vel paucis diebus fessum senectute corpus requiescendo recuperare, & post mortem iacere. Quatuor etenim populi quibus verbum Christi per gratiam Dei diximus, in circuitu loci huius habitare dinoscuntur: quibus cum vestra intercessione, quamdiu viuo vel sapio, vtilis esse possum.* Ipsum præterea Bonifacianæ vitæ scriptorem, simul & inspectorem Sanctum Wilibaldum, Benedictinum in ipsa Anglia fuisse, in Hodæporico ipsius docet Hildishemiensis monialis, eius consanguinea: *Confestim illum* (Wilibaldum adhuc puerum, parentes) *venerando fidelissimoque viro Theodredo commendabant, suaque prouidentia eum ad cœnobium ducere, omniaque prudenter de sua causa dispensare disponereque rogabant. Cumque perrexisset & illum ducerent ad monasterium quod vocatur Walthem, venerando Abbati illius monasterij, qui vocatur Egbalt, offerebant, & illum suæ conditionis iure iuniorem,*

Sanctũ Bonifaciũ fuisse à puero Benedictinũ docet S. VVilibaldus.

Et ipsemet Bonifacius,

S. VVilibaldũ etiam à puero fuisse Benedictinum.

„niorem, seu obediendo discipulum suo subdiderunt imperio. Statimque ille Abbas mo-„nasterij, secundum regularis vitæ disciplinam, declarabat ista suæ congregationi, sicque, vt „cum eorum consilio siue licentia hoc foret, ille flagitabat. Cui protinus omnis illa conuē-„tio fratrum simul responsum, seu licentiam dabat, acceptumque illum ocyus inter cœno-„biale vitæ eorum consortium iungendo sociabant... Ecce regulæ Benedictinæ ceremoniā, in capite de nouitijs suscipiendis præscriptam in hoc monasterio obseruatā. Pergit deinde: „Cumque venerandus vir Wilibaldus (in peregrinatione iam constitutus) & Diapertus, qui „cum eo pergebat per omnia, venissent ad sanctum Benedictum (Cassinum montē intelli-„git) non reperiebat ibi nisi paucos monachos & Abbatem nomine Petronacem. Statim „ille (Wilibaldus scilicet) magno mentis moderamine & dogmatum ingenio fælicem * „fratrum contubernium, sedulis disputationibus monens, non solum verbis, sed moribus „venustatis visitando docebat, & rectæ constitutionis formam, & cœnobialis vitæ normam „in semetipso ostendendo præbebat: ita vt omnium amorem seu timorem in seipsum pro-„uocando accerseret. Et in primo anno illuc veniens Cubicularius fuit ecclesiæ (thesaura-rium nunc, seu sacristam vocant) & in secundo Decanus erat in monasterio: & postea per „octo annos fuit Portarius in duobus monasterijs; quatuor annos erat Portarius in illo mo-„nasterio, quod stat supra in monte valde excelso; & alios quatuor in alio monasterio quod „infra stat iuxta Raphito; (nunc Raphium vulgo vocant, locum iuxta S. Germanum, ditionis Cassinensis. Vides hinc liquido constare, S. Wilibaldū, non vt addisceret regularem obseruantiam Casinum apud Petronacem hæsisse: sed (iuxta regulæ consilium) ab eodem Abbate retentum vt pauculis monachis suis in regularis vitæ norma magisterium simul, & exemplum exhiberet. Ideoque non vt tyro aliquis, sed vt iam veteranus præcipuę obseruantiæ officijs statim veniens honoratur Sacristæ, Decani, Portarij, quæ non nisi optimæ notæ monachis ex regulæ præscripto committi poterant; nec vnquam solent monacho alienæ regulæ prima statim ipsius admissione concredi. Sed inferius postea expressis verbis ipsum antea Benedictinum fuisse declarat, cum ait: Transacta itaque tunc decem annorū „intercapedine venerandus ille vir Wilibaldus, sacram S. Benedicti regularis vitę institutio-„nem (quam omnipotentis Dei auxilio illiusque adminiculo, quam super longa locorū „stadia, & super vastas marginum vias, in redemptionem animæ & in opem præsentis vitæ „requirebat) omnimodo prout fore poscit, obseruare conabatur; & non solū ipse, sed & „alios cum illo in veneranda regularis vitæ vestigia præeundo perducebat. Monachus siquidem ab ineunte ætate cum fuisset, pro innata Anglis erga S. Benedictum deuotione, & studio ad limina Apostolorum & sepulchrum dominicum peregrinandi, ad ipsum S. Benedicti primarium monasterium, vbi ipsemet sanctus in corpore olim conuersatus docuerat, anhelo desiderio proficisci studuerat: non vt ibi fieret ex alterius schematis monacho Benedictinus; sed vt ad corporis sancti præsentiā regulę suæ (quā iā antea nouerat, atq; ita nouerat vt in ea Petronacem ipsum, monachosque eius institueret) artes deuotius exerceret.

* Fælix: vel fælicium.

Et vt omnis prorsus dubitatio tollatur, apertissimeque constet Bonifacium, Wilibaldū, cęterosque Germaniæ Apostolos monachos, vnà cum Monachis vniuersæ Angliæ, iam diu ante Germanicam prædicationem fuisse Benedictinos: audi ipsum Wilibaldum in vita sācti Bonifacij id ipsum clarissime attestantem: Ina regnante in West-saxonia rege, subitanea „quædam incubuerat, noua quadam seditione exorta, necessitas; & statim Synodale à pri-„matibus ecclesiæ, cum consilio prædicti Regis, seruorum Dei factum est concilium: mox-„que omnibus in vnum conuenientibus, saluberrima de hac recenti dissensione concilij „quæstio inter sacerdotales ecclesiastici ordinis gradus sapienter exoritur; & prudentiori „inito consultu, fideles in Domino legatos ad Archiepiscopum Cantuariæ ciuitatis, nomine „Berechwaldum destinandos deputarunt, ne eorū pręsumtioni aut temeritati ascriberetur, „siquid sine tanti Pontificis agerent consilio. Cumque omnis senatus, & vniuersus clericorū „ordo tam prouidenti peracta collatione consentirent, confestim rex cunctos Christi famu-„los alloquutus est, & cui huius præfatæ legationis nuntium imponeretur, sciscitatur. Tum „repente summus in Christo Archimandrita, qui prædicto pręerat monasterio, nomine „Winberch; & Wintra, qui Monasterio, quod Disseburg, præsidebat; & Beorwald qui „diuina cœnobium gubernatione, quod antiquorum nuncupatur vocabulo Glastingaburg, „regebat; nec non & alij multi huius sancti propositi patres, sanctum hunc virum accitum „adduxerunt ad regem, cui & nuntium rex & legationis notitiam imposuit. Quibus in verbis, cum Winbertum & Beorwaldum nominasset, quos ex iam dictis, infraque dicendis constabit fuisse Benedictinos, *multos alios eiusdem propositi patres*, qui in Bonifacium legatū

Omnes Abbates Angliæ tēpore S. Bonifacij fuisse Benedictinos.

 consensere,

consensere, nemo non videt Benedictinos fuisse atque adeo propositum siue institutum Benedictinum iam tum per vniuersam Angliam inualuisse.

Idem pro [illegible] is ex monachatu S. Clementis Willibrordi Bonifacio paulilum antiquioris probare possemus: qui primum religionis tyrocinium in Monasterio Riponensi, quod S. Wilfridus excitauerat, & Benedictinis institutis informauerat, exegit: atque inde cum Beatissimo Egberto (qui Scotos ad paschalem ritum reuocauit) in Hiberniam profectus in Frisonum regionem primus Euangelium intulit: cui S. Bonifacius aliquamdiu coadiutor in Euangelio plantando, Monasticaque propaganda extitit. Eat nunc Gallonius, & qui cum eo, nouitatis admiratores, sub prætextu vmbratilis antiquitatis veritatem impugnant: & iactant audacter regulam S. Benedicti non nisi post tempora Bonifaciana in Angliam fuisse receptam, cum tamen Wilibaldus sanctissimus Bonifacij socius, ipseque adeo Bonifacius & Aegil ei contemporaneus Abbas testentur iamdiu ante ipsorum ætatem Abbates Angliæ Monachosque fuisse Benedictinos. Nam Wimbertus, Wolfhardus, Beorwaldus, & cæteri *eiusdem propositi patres* (vt eos nominat Wilibaldus) qui S. Bonifacio adhuc puerulo erant Archimandritæ ætate & sanctitate venerabiles circa annum 680. proculdubio Monachatum à Præsulibus, quę ætatem Augustini attingebant, adeoque ipsius fuerant discipuli & socij acceperunt.

§. 8. *Idem ostenditur ex Monachatu Benedictino Sancti VVilfridi.*

S. VVilfridum fuisse Benedictinum.

Quod de S. Bonifacio, sanctoque Wilibaldo ex irrefragabilibus probauimus monumẽtis, hoc de S. Wilfrido Eboraci Episcopo, & de S. Benedicto primum Augustiniani cænobij apud Cantuariam, deinceps Girwicensis, siue Geribennæ prope Dunelmiam Abbate simili euidentia ostendemus, ipsos nimirum monachos normæ Benedictinæ extitisse, qui Bonifacium & Wilibaldum aliquantum ætate anteuerterunt. Igitur sanctus Wilfridus, natus est anno. 634. octo annis ante mortem S. Paulini, viginti quatuor circiter annis ante mortem Honorij Cantuariensis, discipulorũ Sancti Gregorij magni: anno ætatis suæ decimoquinto, qui erat annus Christi. 648. in Lindisfarnẽse monasteriũ se contulit, pauloque post consentiẽtibus & collaudantibus fratribus cęnobij sui, peregrinationem Romanam vna cum S. Benedicto Biscopo suscepit vt in ipsa vrbe omnium ecclesiarum magistra ritus catholicos & monasteriales (inquit Beda) plenius addisceret, in quibus Scotos monachos aliquantulum à recto tramite deuiare animaduerterat. Quos ille ritus cum pro voto suo diligenter imbibisset, in Angliam ad Alfridum regem Nothumbrorum reuersus, anno 23. ætatis suæ factus est Abbas Ripponensis, quod monasterium ipsemet fundauerat acceptis à rege latifũdijs, & anno ætatis suę. 30. in eodem monasterio rogatu regis ab Agilberto Gennissorum episcopo presbyter ordinatus fuit: cum prius celebri disputatione Scotos omnes qui in Anglia manserant ad ritus ecclesiasticos monasticosque Romanæ ecclesiæ perduxisset, reliquis ad suam Scotiam sponte sua recedentibus. Anno vero Christi 664. ordinatus est ab eodem Agilberto (tunc Parisiorum Episcopo) Nordanhumbrorum, hoc est Eboraci Archiepiscopus, circiter triginta tres annos postquam Paulino inde pulso sedes vacasset, & à Iacobò diacono Paulini ibidem relicto vt Christianis adesset qui vt S. Wilfrido in concilio contra Scotos collecto adfuerat, fuisset gubernata.

Anno. D. 657.

Hic igitur vir tantus, sanctus Archiepiscopus Wilfridus, regulæ se Benedictinæ non solum perfessorem verum etiam propagatorem inter Northumbros fuisse asserit in pleno concilio apud Malmesburiensem lib. 3. de gestis Pontif. Anglorum: cuius verbis potius, „quam nostris vtemur: Itaque quasi pacificè suadere adorti sunt, vt quia frequentissimè „dissensiones in ecclesia Dei eius causa pullulabant, ipse voluntate sua possessionibus & e- „piscopatu cederet, & hanc renuntiationem scripto firmaret: hoc eius commendaret famã, „hoc accumularet gloriam, si priuatus mallet sub quiete degere, quam p[illegible] suo Pontifi- „catu vel per se, vel per alios procellas seditionum mouere. Sensit pater in his minis impli- „citum negotium, & respondit: nihil æque ad cumulum infamiæ homini valere, quam si se „sua damnaret voce; se primum fuisse, qui verum Pascha in Northanumbria Scotis eiectis „docuerit; qui cantus ecclesiasticos antiphonatim instituerit; qui sanctissimi Benedicti re- „gulam à Monachis obseruari iusserit: pro quibus omnibus nunc senem, & septuaginta „fere annorum Pontificem hoc in munere recipere, vt cogatur seipsum scripto damnare. Tria itaque pro se adducit in pleno Episcoporum totius Angliæ & Abbatum concilio S. Wilfridus, quibus se probet meruisse, ne ab eisdem malè haberetur, multò minus seipsum damnarę

Et regulam in Northũbria primum stabiliuisse: sicut Augustinus fecerat in Cãtuariæ prouincia.

damnare cogeretur: nimirum quod Northumbris rectam rationem Pasche, cantum Romanum, & monachatum S. Benedicti primus tradidisset. Quia enim eadem gens, Paulino post mortem Eduini regis, quem baptizauerat, reiecto, fidem quoque Christi magna ex parte abiecerat, per triginta amplius annos Episcopo proprio caruit, & in parte tantum ab Aidano, Finano, Colmano Episcopis Lindisfarnensibus Scotis regebatur, ideoque sicut ritus, ecclesiæ Romanæ, ita & monasterialē viuendi normam simul eliminauerant; receptis tamen ab Aidano sancto & venerabili viro, aliquousque Christianæ fidei rudimentis, etiam monasticam ab eodem cultam admiserint: Wilfridus autem ordinatus Episcopus, eodem prorsus zelo, quo Augustinus in Cantuariæ prouincia contra Britonum ritus in Paschate, baptismate, cantu, & tonsura certauerat, ipse quoque in sua Eboracensi prouincia Romanæ ecclesiæ disciplinam contra Scotos propagauit. Quam rem nunquam in sui defensionem in concilio æmulorum & aduersariorum suorum protulisset: nisi in his tribus capitibus disciplinæ, nimirum Paschali obseruatione, cantu ecclesiastico, & monachatu Benedictino, Cantuariensis prouinciæ atque adeo totius Angliæ Prælatos, siue Abbates, siue etiam Episcopos, magno zelo & communi consensu vnanimes cognouisset. Quæ enim, & quam absurda suæ causę fuisset defensio, si coram Abbatibus & Episcopis instituti Equitiani, aut Basiliani, aut alicuius alterius à Benedictino diuersi professoribus & æmulatoribus, ipse se eisdem cõmendabilem reddere conaretur, ob nouitæ recentiorisq; regulæ, ab earum, apud quos perorabat, professione differentes imò & aduersæ propagationem idque eodem pene verborum pondere, quo paschalem obseruantiam cantumque ecclesiasticum Romanum (quorum procuIdubio obseruantissimi erant patres in synodo illa collecti) à se Northumbris traditam deprędicabat? Certissimum itaque est, sicut Augustino cum Britonibus contentionem fuisse circa Paschatis obseruantiam, cantum, & tonsuram asserit venerabilis Beda; ita & eandem fuisse Wilfrido cum Scotis controuersiam; atque adeo, sicut monastica, quam Scotis eiectis, introduxit Wilfridus inter Northumbros, fuit Benedictina; sic & eam, quam Britonibus refutatis induxerat Augustinus, fuisse Benedictinam. Illa enim est Apologiæ S. Wilfridi sententia, sese primum in Northumbrorum regnum, Scotis qui contraria docuerunt abdicatis, inuexisse omnem illam Paschalis solemnitatis, rituum ecclesiasticorum, atque monasterialium disciplinam, quam Augustinus, & ab eo septimus Theodorus in Cantuariensi prouincia coluerant, quamque vt pleniùs addisceret, ipse laboriosa perfectione Romam fontem disciplinæ adiuerat. Vnde etiam fit, Wilfrido, totoque concilio teste, non solum regulam Benedictinam tunc ab Augustino per reliquam Angliam, à Wilfrido per Borealem Northumbrię tractum, fuisse stabilitam, verum etiam Romæ, in Italia; in Gallijs nullam aliam fuisse celebrem monasticen, nisi quæ Benedictinæ regulæ artibus celeretur: Quæ enim ratio alia reddi potest, cur S. Wilfridus adolescentulus inter Scotos monachos Lindisfarnenses educatus recusauerit apud ipsos attonderi in monachum; sed Romam & Gallias ea de causa (Beda teste superius citato) adiuerit? nisi vt oculatus testis perspiceret, monachatum quem Scoti ab Aidano acceptam colebant non fuisse tam perfectum, quam eum quem Cantuariensis prouincia ab Augustini discipulis acceperat quamque ipse post inspecta ipsa Romanæ & Gallicanæ ecclesiæ cœnobia, cum earundem ecclesiarum monachis conformem repererat?

Cantuariensis prouincia totā ferè Angliam & VValliani Eboracensis totam Scotiam & Borealem Angliæ tractum continebat.

Etiam omnis Italiæ & Galliæ monachos hũc fuisse Benedictinos.

Hanc autem laudem Benedictinæ regulę inter Northumbros stabilitæ, quam sibi pro magno duxit attribui Wilfridus inter æmulos suos concionatus, sine dubio solidam fuisse, & toti concilio consentaneam manifestissimè apparet: quoniam alioquin Episcopi contrà excepissent, & quod ille laudi sibi duxerat, hoc ipsi magno vitio, vel temeritatis vel nouitatis vertissent. Non enim potest quis vlla ratione sibi persuadere, omnes illos Episcopos & Abbates si antiquioris eiusdem monastices professores extitissent intra quadraginta duntaxat annos ab Augustini, sociorumq; eius morte elapsos, in tanta primitiuæ illius ecclesiæ Anglicanæ sanctitate, & monasticæ vitæ summa deuotione ac pietate, tam facile laturos fuisse, vt nouitia regula, suæ, quam ipsorum magistri Angliæ Apostoli, intulissent, disciplinæ præferrent. Nec vllo modo credibile est, antiquam illam, (si qua fuisset à Benedictina differens) seu regulam seu institutionem monasticam intra tam paucos annos, inter tantę sanctitatis cultores ita deferbuisse, aut defecisse, vt per Benedictinæ recentioris obseruantiā inductā debuerit reformari. Fuit ergo illa monastica, quam patres concilij amplexi eousque fuerant, Benedictina: ideoq; tanta cum fiducia illis vtpote Benedictinis, meritum zeli sui exprobrauit Wilfridus, quod nimirum Monasticam S. Benedicti obseruantiam, quam ipsi omnes profiterentur, quam cum hactenus non admiserant Northanhumbri, Scoticis ritibus ac religionibus addicti, ipse per totum eorum regnum eiectis Scotis, propagasset; quam per Italię

Galliæque regna, ipse suis oculis feruentem florentemque lustrasset.

§ 9. *Probatur idem ex Monachatu S. Benedicti Anglici, Venerabilis Bedæ & B. Alcuini.*

S. Benedictum Biscopũ fuisse Benedictinũ.

Quæ cum de S. Wilfrido monstrauerimus, etiam de S. Benedicto Biscopo pariter manent probata : quippe qui eodem zelo accensus peregrinationem Romanam iniuerat cum ipso S. Wilfrido, & postquam Romam fuisset veneratus in Lerinensi cœnobio monachus biennium egit, vt ibi perfectiorem formam monastices ageret, quam quæ in suo Northanhumbriæ regno sub Scotis agi vidisset. Lerinense autem cœnobium tunc temporis Benedictinæ regulę subditũ fuisse, & aduersarij sententiæ nostræ concedunt, & res ipsa ac monumenta antiqua satis clarè testantur. Etenim in vita S. Honorati Arelatensis ab antiquo valde authore descripta, in ipsius præfatione sic habetur : *Legitur quodam loco quod S. Maurus quum ad Galliam pergeret, huius Honorati discipulis in Lirinensi insula beatissimi Benedicti regulam tradiderit : quod reipsa quidem nunc probari potest.* Vt non tam se traditionem obtendere, quam rem compertã dicere ostendat : etenim omnem Galliam à Mauro suscepisse per monasteria sua regulam S. Benedicti, satis monstrant acta S. Aigulphi martyris : vbi hæc leguntur: Eo namque tempore „ erat beatæ memoriæ Leodebodus Abbas monasterij S. Aniani, quod in ciuitate Aure- „ liana vario est opere constructum : idem Pater venerabilis non immemor sanctitatis illius „ Patris sanctissimi Mauri, & bonorum vitæ morum, quos suis in Gallia successoribus de- „ reliquerat, diuino afflatus ardore, studebat propagare quantum poterat ordinem Mona- „ sticum. Qui dum pro colligendis animabus idonea loca solicitè perquireret, vallem ad- „ modum placidam & lata planitie amœnam reperiens, ad Regem Clodoueum Dagoberti „ Regis filium se contulit, rogaturus vt agrum quem Floriacũ vicini nuncupabant, largiri „ dignaretur ad construendum Monasterium. Cuius petitioni Rex satisfaciens, multa etiam „ dona ad Monasterium construendum, quod Floriacense modo dicitur, impertitus est : „ Et inferius : Monasterium Lyrinense, postquam ille acceptissimus Deo & charus mundo „ Honoratus ad cæleste regnum translatus est, à Barbarorum nationibus indigna satis & in- „ humana vsque ad ruinam pertulerat: vnde Monachi sanctam insulam absque habitati- „ one deserentes, proprijs desiderijs sine pastore seruiebant quos B. Aigulphus placide „ suscipiens, cognitis prius bellicis vastationibus, & eorũ viuendi moribus: Fratres (inquit) „ melius est, quod vnum ex vobis seniorem, cuius imperio & authoritate subijciamini, eli- „ gatis : nam meis vestros mores non conuenire perpendo. Erat in alijs tunc sicut diximus, „ omnis regularis disciplinæ custodia, quam Maurus Beatissimus Christi famulus cęnobijs dereliquerat. De Gallicanis Monasterijs loquitur, quæ vnà cum Lirinensibus ait disciplinę Benedictinæ, quam Maurus tradiderat subdita, hoc tamen discrimine, quod reliqua sane Galliæ Monasteria eam normam fideliter sanctèque custodirent, Lirinenses autem bellicis incursib⁹ turbati & pastoribus orbati, atque suę paulatim propterea voluntati derelicti, vel omninò deseruerant, vel magna ex parte neglexerant. Id enim significat illa tanquã antapodasis, siue causæ redditio, quã verbis illis Aigulphi, *Mores vestri meis non conueniunt*, subiecit author iste in alijs omnibus Gallię Monasterijs. atque adeo in Floracensi (in quo constitutus hæc loquitur Aigulphus) floruisse obseruantiam à S. Mauro fundatam in Lirinensibus defloruisse, atq; adeo non facile eos ad ipsam ductu Aigulphi, quẽ postulabant pastorem redituros.

Omnia Galliæ Monasteria a S. Mauro reformata.

Id quod reipsa expertus est Beatissimus Aigulphus : cum enim Lyrinenses suos diligentius ad rigorem vitæ Monasticæ reducere conaretur crudelissima morte cum alijs triginta socijs Monachis affectus fuit per Arcadium & Columbũ veteranos Monachos disciplinę illius seuerioris impatientes : Martyrium autem eorum anno Christi 660. completum est, postquam aliquot annos Aigulphus ijsdem Lyrinensibus Abbas præfuisset. Quod etsi nostro instituto satis sit vt Benedictus Anglicus (qui circa annũ 668. in Angliam redijt à Lyrino) Benedictini instituti fuerit : tamen quiuis prudens rerũ æstimator videt etiã ante Aigulphi tempora Monasteriũ Lyrinense Benedictinũ fuisse, neque enim Benedictinum Abbatẽ sibi institutorem dari postulassent Monachi Lyrinenses, nisi eidem regulæ iamdudum fuissent subiecti : nec si ipsi Augustiniani fuissẽt tunc instituti, & eiusdẽ alia vlla Monasteria in prouincijs Latinæ ecclesiæ extitissent, ad collapsam disciplinam erigendam recentioris & heterogeneæ regulę professores aduocassent. Quare hæc S. Aigulphi aduocatio signum est nec ipsos Lyrinenses tum fuisse Augustinianæ regulæ, nec vllos prorsus eius regulę professores agnouisse. Iam enim centum & amplius anni à morte S. Mauri effluxerant, postquam is quadraginta

totos

totos annos regulam exemplo, doctrina, & miraculis commendasset: vt mirum non sit, si dicere audeamus, omnia tunc Galliæ monasteria iam pridem sanctam regulam suscepisse obseruandam.

Vnde & eandem expresse sententiam tradit beatus Odilo in vita S. Mayoli, cum de S. Benedicto loquens, ait: *Post eius autem piissimi Patris ex hac vita migrationem, per beatum Maurũ eius discipulum omnis pene Gallia eius institutionis & religionis instituta suscepit, atque per eundem Maurum, eosque quos ille ad iustitiam erudiuit, per longa temporum spatia eadem religio ad perfectionis cumulum excreuit.* Item & Petrus Mauricius dictus venerabilis: lib. 1. epist. 28. *Discipulum ipsius B. Benedicti S. Maurum ad has Galliarum partes pro construendis secundum ipsius doctrinam cœnobijs ab ipso directum legimus.*

Sed quid istis recensendis immoramur, cum extent antiquissima Pontificum Regumque priuilegia hoc ipsum, quod molimur, attestantia? Etenim Ioannes 3. Pontifex maximus vix totos decem & nouem annos à morte S. P. Benedicti elapsos, sequentis tenoris priuilegium cœnobio S. Medardi contulit, quod habet Renatus Choppinus lib. 1. Monasticõ. tit. 2. nu. 19. *Diuina inspirante gratia, & præcellentissimi Regis Clotharij suadente clementia, monasterio sanctæ Mariæ, & sancti Petri, quod est extra Suessorum ciuitatem situm, vbi Dominus Medardus requiescit, & Daniel Abbas præesse videtur, hoc priuilegium indulgemus: vt terras, quas filius noster Clotharius ob salutem animæ suæ dedit, Croniacum scilicet, &c, liberè poßideat. Hoc quoque auctoritate sanctissimæ Trinitatis & inseparabilis vnitatis, vice beati Petri Apostoli coram rege Clothario & omnibus plebibus Francorum, scilicet, Archiepiscoporum, Episcoporum, iudicum, & omni populo Christianorum Romanorum Principum decernimus, vt nullus regum, antistitum, iudicum, terras sanctæ Mariæ & domni Medardi, siue ecclesias, altaria, telonea, decimas, nouas, banna & freda exigat &c. Statuimus etiam, vt velut hæc sedes B. Petri libera constat ab omni seruitio Regum & Potentatuum: ita remota omni consuetudine peßima monachi Deo vacent liberi, & per omnia regulæ sancti Benedicti artibus obediant sine vlla inquietudine. Præsenti quoque priuilegio hanc illis concedimus licentiam, vt defuncto Abbate, quemcumque voluerint Archiepiscopum vel Episcopum, causa ordinandi Abbatem, vocent, &c. Ac ne tantæ sublimitatis locus vilescat, eum caput constituimus monasteriorum totius Galliæ, nulliusque ditioni patimur esse subiectum; sed semper sub regali custodia positum huius S. R. E. antistitũ auctoritate aduocationem B. Petri habeat, &c. ann. 562. Indictio. 10.* Antiquissimum sanè priuilegium, quod ipso adhuc B. Mauro viuente datum fuit: etenim S. Benedictus anno 543. abijt in cælum; eoque ipsum sequutus est B. Maurus anno 565, tribus annis ante datam huius priuilegij, cum prius (vt diximus) quadraginta per annos monasticam in Galliæ propagasset. Idem priuilegium amplissimo rescripto confirmauit & auxit S. Gregorius magnus, quod est inter epistolas lib. 12. vltimo loco, bis ipsius priuilegij mentionem faciens, & in eo concessa corroberans: *Huiusmodi* (inquit) *priuilegia auctoritatis nostræ decreto indulgemus, & ea plenius priuilegia confirmamus, quæ a bonæ memoriæ Domino Papa Ioanne, comitante illustrium Regum clementia Clotarij scilicet, & Sigiberti huius nostræ filiæ* (Brunichildis) *iugalis, ipsi loco sub anathematis vinculo sunt concessa.* & paulo inferius: *Secundum prærogatiuam ipsius loci vobis modo recitatam, Beatißimi prædecessoris nostri Ioannis Papæ tempore decretam, & Apostolica auctoritate firmatam, ordinationem sui Abbatis ipsi fratres peragant &c.* Quid est autem in horum Pontificũ rescriptis, *Sancti Medardi Monasterium Benedictinum, caput cœnobiorum Galliæ statuere*: nisi vnà etiam insinuare, reliqua Galliæ monasteria Benedictina tunc fuisse? nam alioquin haud rectè eorum caput fuisset hoc insigne cœnobium, cui reliqua membra non fuissent homogenea, sed alterius regulæ, atque instituti, quemadmodum nec nunc monasterium aliquod Canonicorum regularium S. Augustini rectè constitueretur caput cœnobiorum Benedictinorum; aut Dominicanorum, aut aliorum quorumlibet heterogeneorum diuersi propositi atque instituti.

Cum igitur pleraque omnia Galliæ Monasteria, & inter ea etiam Lirinense S. Honorati cœnobiũ ex dictis pateat fuisse Benedictina: constetque Sanctum Benedictum Biscopium, Beda discipulo eius testante, in Lyrinensi cœnobio Benedictino biennium vixisse Monachumque ibidem professum extitisse, non potest negari fuisse eum etiam Benedictinum. Vnde in Angliam suam reuersus, biennium etiam præfuit cœnobio Cantuariensi S. Augustini nempe Benedictinus homo in strictissima Lirinensium disciplina educatus Benedictino Monasterio informando aptissimus est iudicatus. Cui tamen Monasterio cedens vt Adriano Abbati locum faceret, aliud insigne Monasterium Girwicense condidit. In quo & librum insignem composuit, quo omnes alias Monachorum regulas cum S. Benedicti regula conferens earum perfectionem in ista contineri docuit, cuius libri extant manuscripta exemplaria, tum alibi tum Floriaci, vnde ipsum speramus aliquando etiam in lucem edendum.

S. Benedictus Anglicus fuit Benedictinus.

Cum

Eum vero suos Monachos Girwicenses, siue Wiorenses secundum S. Benedicti regulam instituisse, amplissimum testem excitabimus Alcuinū Albinum Flaccum Caroli magni institutorem, qui in epistola ad fratres Girwicenses quam & impressam, & Manuscriptam legimus, hæc habet apertissima: *Vos vero, qui estis patres & pastores sanctæ congregationis, docete regulam S. Benedicti in conuentu fratrum, propria exponatur lingua vt intelligi possit ab omnibus, ad cuius institutionem vnusquisque corrigat suam vitam, vt quod Deo vouistis ante altare, inuiolabiliter custodiatur à vobis, dicente propheta, vouete & reddite* Domino Deo *vestro: displicet enim* Deo *infidelis promissio. Assuescant pueri adstare laudibus superni regis, non vulpium fodere cauernas, non leporum fugaces sequi cursus* (increpat immodicum venandi studium Angliæ inacutum semper fuisse, sed in monachis proculdubio plurimum vituperandum) *Discant nunc in infantia sacras scripturas, vt ætate perfecta veniente alios docere possint. Qui non discit in pueritia, non docet in senectute. Recogitate nobilissimum nostri temporis magistrum Bedam presbyterum, quale habuit in iuuentute discendi studium; qualem nunc habet inter homines laudem, et multo maiorem apud Deum remunerationis gloriam. Illius igitur exemplo dormientes excitate animos.* Hæc Alcuinus, qui & seipsum eiusdem monasterij ius, & fraternitatem obtinuisse scribit, & Eadbaldo Gerwicensi Abbati in memoriam vocat, epistola 150: *Non ignotum esse tuæ dilectioni venerande frater credo, quod*

Alcuinus Benedictinus. *olim sancti Patres antecessores tui* (Benedictus Biscopius, & Ceolfridus) *mihi licet indigno familiaritatis vestræ gratiam perdonauerunt, & in albo beatitudinis vestræ meæ paruitatis nomen conscribi iusserunt, ita vt vnus essem ex vobis, vbicumque, deo volente, essem.* Ex quibus habes lector, regulā sancti Benedicti in monasterio Wiorensi seu Girwicensi ab ipso Benedicto Biscopio fundatore primitus inductam, & Bedam venerabilem Ceolfridi secūdi eius loci Abbatis discipulum, sub eadem militasse, & Alcuini etiam seipsum illis aggregantis testimonio hoc confirmari.

Venerabilis Beda Bened.

Hoc in loco castigandus venit Crusenius Augustinianus, vir doctus quidem, sed sui ordinis zelo vltra metas scientiæ & veritatis abreptus: qui in opere suo, quod Monasticon Augustinianum inscripsit, vt Parisiensis Academiæ erectionem suo ordini attribueret, quam omnis antiquitas Flacco Albino Alcuino monacho Anglo Benedictino assignauit) eundem mira metamorphosi in duos transformauit, vt Albinus quidem esset Augustinianus eremita ex Hybernia seu Scotia & fundator Academiæ Papiensis, & Clemens Hybernus alter Augustinianus fundator Parisiensis; *Alcuinus vero* (inquit) *in partibus Angliæ degens, & hæc audiens, re sua composita in Galliam adublauit, eandem professionem aggressuris, spe honoris ac dignitatis concepta.* Sed quis sine indignatione ferre posset cacoethes hoc quidlibet sine certa ratione audacter asserendi? Nam quod Crusenius, quasi pro inexpugnabili fundamento suæ assertionis ponit, de antiquitate ordinis sui in Hybernia & Scotia, inferius ostēdemus esse fictitiū: ipsumque in historia Angliæ & Hyberniæ toto cælo errare: quod autem asserit de Albino & Alcuino tam est crassus error, vt mirum sit hominem doctum id ausum asserere. Opera enim ipsa D. Alcuini iam edita à diligentissimo viro D. Andræa Quercetano clarissimè ostendunt, non distingui Albinum ab Alcuino, magis quam Ciceronem oratorem à M. Tullio. Etenim ipsemet Alcuinus in epistolis suis, modo se Flaccum Albinum, modo Flaccum Alcuinum; aliquando simpliciter se Alcuinum, aut Albinum, aut Flaccum nominat. Ipsum autē Alcuinum non spe aliqua honoris in Galliam venisse, sed magnis precibus maximi imperatoris Caroli in Gallia fuisse retentum, postquam Carolo ipsi Romæ & Papiæ notus (nam fatetur Albinus Alcuinus se Papiæ aliquandiu hæsisse) atque etiam ad ipsum prius ab Offa rege amicitiæ confirmandæ causa missus ingenij sui sanctitatisque mirabile specimen ediderit: optimè demonstrat Quercetanus in proæmio operum Alcuini. Vbi etiam clarissimè ostendit Scotorum historicos falli, qui eum siue Scotum, siue Hybernēsem asseruerunt: cum ipsemet se Anglo saxonem in Northumbria natum, in monasterio Eboracensi educatum scribat: & Wilgiso patri S. Clementis Willibrordi Frisonum Apostoli consanguineum, eidemque (non tamen immediate) in regimine monasterij ab ipso erecti successisse. Est ergo idem omnino Albinus, qui & Alcuinus; monachus S. Benedicti, non S. Augustini; qui aliquando fuit auditor Bedæ: ac deinde Abbas cœnobij SS. Petri & Pauli apud Cantuariam, quod S. Augustini, seu Augustinense, ab Augustino Cantuariensi fundatore vocabatur. Diximus Alcuinum fuisse aliquando Bedæ auditorem, quia ita habet communis historicorum traditio, quamuis ab Egberto, & Alberto, seu Elberto Archiepiscopis Ebocacensibus fuerit præcipuè edoctus. Nec repugnat ætas Alcuini & Bedæ: nam Beda mortuus est anno 731. vt testatur autor vitæ Alcuini ipsi coætaneus, Alcuinus autem anno 804. erat ergo centenarius, quando mortuus est, imo centenario maior, siquidem iam alicuius famæ & autoritatis fuerat ipso Beda adhuc sene qui nimirum sub finē ætatis suæ historiam gentis Anglorum scrip-

sit,

sit, in qua ab Albino Cantuariæ Abbate, se adiutum scribit. Egbertus autem magister charissimus Alcuini eo anno factus est Archiepiscopus, quo Beda in cœlum receptus est. Quin & ipse Alcuinus se valde annosum senem indicat, dum in Epistola prima ad Carolum Imp. ait. *Mane florentibus per ætatem studiis seminaui in Britannia: nunc vero frigescente sanguine quasi vespere in Francia seminare non cesso.* Et postea, *sibi fracto corpore* inquit *solatio esse S. Hieronymi sententiam in ep. ad Nepotianum: omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola sapientia decrescunt cætera.* Ex quibus soluitur probabile dubium, quod de ætate Alcuini contra communem Angliæ traditionem de Beda Alcuini magistro obiecerat Quercetanus. Quod autem in vita Alcuini per eundem edita, dicitur Alcuinus *monachus sine voto*, de ipso intelligitur adhuc puerulo, de illa enim ætate ibi agitur: Monachum autem etiam cum voto fuisse, indicat vita vsq; ad virilem ætatem in monasterio inter monachos exacta, & dignitas Abbatialis tam in Anglia, quam in Gallia diu gesta; Nec obstat quod in fine illius vitę dicat autor, ipsum desiderasse Imperatoris cum bona venia apud S. *Bonifacium, hoc est Fuldæ, monasticam agere, secundum regulam S. Benedicti, seculumque relinquere*: neque enim illud optauit, quasi nondum monachus fuisset, aut sæculum nondum reliquisset: sed quia ab Imperatore ad seculares curas aduocatus & multis Abbatijs profectus, in senio iam sine curis illis priuatam monachi vitam agere, depositis Abbatialibus negotijs desideraret. Quod cum Imperator ei non permitteret, conatus est Abbas tantus, *monasticæ vitæ non inferiorem vitam agere* (vt loquitur idem autor) eandē scilicet regularis vitę austeritatē assumens, quam inferiores monachi exercebant. Docet etiam euidenter prædictus Quercetanus, falli eos qui canonicos in monasterio S. Martini tunc fuisse aiunt, quando ei Alcuinus præfectus fuit; nam Ademarus Engolismensis, canonicorum in eo monasterio habitationem, diu postea accidisse docet: *Tunc* (inquit nimirum sub Carolo caluo) *S. Martini monachi Turonenses nullo cogente, ante corpus eiusdem, abiecto monachi schemate Schema induunt canonicale: Sed mox in eos pestis irruit, vt vna nocte omnes morerentur, & de reliquo à canonicis ipse habitatur locus.* Sane ipsemet Alcuinus manifestissimè indicat in epistola 31. quæ est ad fratres Turonenses, in suo monasterio S. Martini, non canonicos, sed monachos adhuc habitasse; cui nemo sanus non adhibebit plus fidei de suis rebus scribenti quam chronicis recentioribus, quæ iam vidimus in multis alijs circa Alcuini historiam errauisse. Vt omittam Sangallensem monachum, autorē vetustum, lib. 1. de gestis Caroli, Alcuinum facere *Abbatem S. Martini, iuxta vrbem Turonicam,* hoc est maioris monasterij, non autem intra vrbem nisi forte monasterium in vrbe positum maioris monasterij fuerit quasi membrum, & vtrique præfuisse dicamus Alcuinum, quod videtur non improbabile: in maiori autem monasterio nunquam extitisse canonicos, sed monachos tantummodo, certissimum est. Et hæc de Alcuino vendicando diximus contra Crusenium: cui quantum fidei in similibus adhibendum sit, non solum ex hoc errore, verum etiam ex voluntaria assertione alia de S. Adelardo potest intelligi. Nam cum Paschasius Radbertus ipsius S. Adelardi discipulus & immediatus successor expressis verbis scribat, Adelardum Caroli Imp. consobrinum, anno ætatis suæ vigesimo Corbeię monachum fuisse, & post pauxillum temporis ad euitandam crebrarum visitationum distractionem ad montem Cassinū secreto transmigrasse, (*Cassinum*, inquit Paschasius, *quod totius fons religionis, & origo pietatis extat* intelligas etiā Paschasiū non aliā tūc agnouisse monasticā quā à Cassini fūdatore profectā) atque inde per nuntios regios Corbeiam retractum, factumque Abbatis sui viuētis & volentis coadiutorem & successorem, eo modo quo Augustinus sui Episcopi Aurelij factus fuit coepiscopus: hinc ausus est Crusenius frigidam coniecturam desumere, fuisse aemulando Adelardum Augustinianum; quia scilicet Paschasius eum magni Augustini in eruditione pedisequum fuisse asserit, nec videre voluit Crusenius eū qui à vigesimo anno ætatis in palatijs exacto factus fuisset Benedictinus, nec ab ea regula alio diuertisse, vsque ad hanc Abbatialem dignitatem susceptam, non potuisse Augustinianum vllo modo fieri, nisi vel antequam natus, vel postquam mortuus fuisset. Quodsi ideo fuerit quis Augustinianus quia Augustini delectatur eruditione & doctrina sane neminem non Augustinianū ex tota gente doctorum hominum probabit quorum nullus est tam magnus qui non fateatur se Augustini pedissequum. At de erratis Crusenij in historia Anglica & Hibernica, iterum inferius agetur.

Iam ex his tam apertis testimonijs apparet id quod Gallonius dicere ausus est; nēpe regulā Benedictinam post Bedæ mortem introductam; apparet inquam ex solo contradictionis studio, sine ratione, sine fundamento sine iudicio exacto ab ipso dictū fuisse cum iam clare ostenderimus ipsum Benedictum Biscopium in Lyrinensi cęnobio monachum sub regula nostra fuisse, & postea S Augustini cœnobio præfectum (quod semper nostri ordinis fuisse statim

tim demonstrabimus) atque adeo non aliam regulam nouo monasterio suo præscripsisse, ab ea, quam ipse & professus fuisset, & in alijs monasterijs exercuisset: Et clarissimis præterea S. Bonifacij, & S. Wilibaldi, & S. Wilfridi testimonijs docuerimus, regulam S. Benedicti longe ante venerabilis Bedæ obitum per omnem Angliam fuisse receptam: Atque ita receptam; vt cum non satis multa initio monasteria pro conuersorum votis in Anglia fuissent extructa (nam regnum Merciorum, quod magnam partem Angliæ occupauit, adhuc fuerat paganis ritibus obnoxium) ad Galliarum cœnobia tam nobiles pueri, quam etiam regiæ puellæ sanctæ conuersationis gratia peregrinarentur: id enim expressis verbis B. da venerabilis testatur historiæ Angl. lib. 3. c. 8. *Eo tempore* (inquit) ad annum domini 640. *nec dum multis in regione Anglorum monasterijs constructis, multi de Britannia monasticæ conuersationis gratia Francorum, vel Galliarum monasteria adire solebant, & filias suas eisdem erudiendas, ac sponso cœlesti copulandas mittebant.* Erant autem illa monasteria præsertim, Calense prope Parisios, S. Pharę siue Brigense, Audiligium, & Corbeiense, quæ nemo nescit ab ipsa sui origine fuisse Benedictina. Nec iste ardor sese Benedictinis institutis mancipandi aliunde nobilitati Anglicæ accessit quam (vt superius Aimoinum dixisse retulimus) ex eo amore, quem erga primos Apostolos suos tota natio imbiberat; & ex ipsa monachorum Anglorum, qui tunc floruerant, exhortatione; qui vtique non ad alterius instituti ædes suos conciues amandarũt ab eo quod ipsimet, in suis monasterijs profitebantur.

Probatur veritas assertionis ex historia monasteriorũ ãtiquissimorũ Angliæ.

§. 10. *Tertia probatio ex Monasterijs ætate S. Augustini fundatis.*

Hactenus ex personarum illustrium testimonijs & exemplis antiquitatem Benedictini ordinis in Anglia demonstrauimus: Sed nunc ex ipsorum monasteriorum, quæ ætate Apostolorum nostrorum fundata fuere, id ipsum clarè ostendemus.

De Eliensi monasterio.

Monasterium Eliense à tẽpore S. Augustini fuisse Benedictinum. Polydori Virgilij testimonium.

Incipiamus autem ad Eliensi cœnobio: de cuius sub regulæ nostræ antiquitate accipe quę dicat Polydorus Virgilius lib. 4. historiæ Anglorum, de Etheldreda Orientalium Anglorum „Regis filia Egfredi Northumbrorum regis vxore: Virgo (ait) libertatem nacta, contulit „se ad monacham Ebbam Egfredi viri sui amitam, quæ id temporis sanctitate virę florebat, „eratque Abbatissa quam dicunt monacharum cœnobij, quod erat ad id loci, vbi memoria „nostra est pagus in finibus Scotiæ, quem vocant Coldingham, ibique monacha facta est. „Post hęc ipsa pia virgo augendæ religionis cupida, ad suos Orientales Anglos redijt, ac „quamprimum in insula, quam Elym nominant, cœnobium instaurauit, atque in eo mona„charum collegium instituit, cui ipsa præfuit; & demum mortua in diuorũ numerũ ascripta „est. Cœnobium enim istud ab initio, auctore Augustino Archiepiscopo, sumptibus Ethel„berti Regis Cantiani conditum, ac D. Virgini Mariæ dedicatum tradunt; ibique collocatũ „monachorum ordinis D. Benedicti collegium, circiter Annum salutis humanę sexcentesimum. Idem docet Harpsfeldius historiæ eccles. Angl. sæcul. 7. c. 14. Planius autẽ & clarius rem euoluit, diligentissimus antiquitatum ecclesiasticarum indagator Dominus Herefordẽsis Godwinus in catalogo Anglico episcoporum, his ferè verbis: S. Etheldreda (cuius nomini „cathedralis ecclesia Eliensis dicata est) filia fuit Annę regis orientalium Anglorum: bis „nupta, semel quidem Tumberto principi Australium Anglorum, qui ipsi in dotem con„cessit hanc Insulam Ely: deinde eo post triennium mortuo, Egfrido regi Northumbrorum „cum quo postquam duodecim vixisset annos, ipsum dereliquit, omnemque pompam ac „delicias (quibus gaudere potuisset) vt deo inseruiret eo modo, quem ipsi maximè acceptũ „iudicaret. Ad insulam ergo Eliensem se recepit: cumque ibidem Ethelbertus rex Cantij an„tea, nempe anno 607, ecclesiam ex S. Augustini consilio ædificasset, eandẽ ipsa instaurauit, „& auxit ãno 677, suasuque Wilfridi Eboracẽsis Archiepiscopi, nõ sine auxilio fratris sui Al„dulphi (seu Ethelwolphi) Regis orientaliũ Anglorũ, in cęnobium sanctimonialiũ conuer„tit, cui ipsa pręfuit Abbatissæ munus exercens. Centũ octoginta tres annos sub ipsa Ethel„dreda, & post ipsam Sexbinga, Ermenilde, Wereburga, alijsque Abbatissis cœnobium il„lud perseuerauit: donec ad annum 890, ab Iuguare & Hubba Paganis duobus fuisset „deiectum. Diu postea desolatum, octo presbyteris sæcularibus habitaculũ præbuit: quos „inde summouit Ethelwaldus episcopus Wintoniensis: qui empta à Rege Eadgaro tota in„sula, auctoritate regia Abbates monachosque ibidem constituit, Brithnotum, qui cœnobij

„sui Wintoniensis prior seu Præpositus extiterat, primum Abbatem præfecit, circa annum „970. Hunc crudeliter occisum ferunt iussu Elstichæ Regis Edilredi vxoris, pugiunculis „sub axillis confossum, quod Actæonis instar ipsam infæliciter conspexisset in loco quodam „veneficijs operantem. Secundus Abbas ei successit Elfius, deinde suo ordine Leoffinus, „Leofricus, Leofsinus alter, Wlfricus, Thurstanus sub Gulielmo Normano, octauus Ab- „bas Theodwinus, tum Godofredus, decimo loco Simon, quo mortuo, cum vacasset Ab- „batia per sex prope annum Richardus Comtis Gilberti filius Abbas effectus, obtinuit vt fieret „ecclesia cathedralis, eiusque Abbas fieret Episcopus, cænobio nihilominus perseuerante, „monachisque canonicorum vicem habentibus: quo priuilegio ipse cum potuit perfui, „mortis necessitate subtractus, locumque fecit Heruæo quem ex voluntate regis Henrici „primi Monachi sibi prælatum elegerant anno 1109. Hactenus doctissimus vir Dominus Herefordensis. Quibus ex narrationibus per peritos antiquitatum inspectores collectis, & ex Chronico quodam Eliensi manuscripto, quod adhuc extat in bibliotheca Cottoniana, liquidò apparet ecclesiam Eliensem a prima fundatione per S. Augustinum facta, vsque ad nostra fere tempora fuisse Benedictinam Nam de toto illo tempore, quod ab Henrici 8. schismate ad S. Ethelwoldi instaurationem interuenit, nulla est controuersia, quin fuerit semper à monachis Benedictinis possessa, qui & toto illo interuallo temporis ius eligendi Episcopum, tanquam suum prælatum & Pastorem retinuerunt. Ethelwoldum quidem constat monasterium à Danis deuastatum, quod antea fuerat sanctimonialium, monachis eiusdem regulæ tribuisse. Nam sanctam Etheldredam sub regula Benedictina vixisse, tum ex dictis de S. Wilfrido constat, qui eiusdem normæ cum esset, eam & sacrauit monialem & consecrauit Abbatissam, circa annum 673. vt habent annales Teukesberiensis monasterij, qui eam narrant anno 679. obijsse. Vitam ipsius conscripsit autor antiquus Thomas Eliensis monachus, quã in ipsis Chronicis Eliensibus legimus: in ea inter alia, hæc scribuntur: Rex vero (Egfridus) „tandem victus ipsius (Etheldredæ) importuuis precibus, licet inuitus, tamen eam dimisit* „inuisibilem. Illa nimirum gauisa valde de regis consensu atque licentia, quamuis difficul- „ter & sero impetrata, sumptibus secum pluribus paratis nobilis virgo & potens regina in- „trauit monasterium S. Ebbæ Abbatissæ (quæ erat amita regis Egfridi, & S. Oswaldi martyris, & Oswini regum germana) positum, in loco quem Coludi nominant vrbem (Coldrigham) accepto velamine sanctimonialis, à præfato antistite Wilfrido. Ingressa igitur monasterium Etheldreda hostiam viuam sè Deo obtulit, cuncta quæ mundi sunt, deseruit, spreuit, atque à corde suo procul abiecit: insuper pro regali diademate, humili obumbratur velamine, pro bysso & purpura ambitur nigra vestis & aspera: &c. Vbi ex ipsa Wilfridi consecratoris, & nigri habitus mentione satis ostenditur Benedictinam fuisse. Iam enim superius demonstrauimus S. Wilfridum, & S. Benedictum Geruiensem, circa annum domini. 660. regulam S. Benedicti per totum Northumbriæ regnum stabiliuisse, atque adeo monasteriũ S. Ebbę Coludense ipsamque Ebbam cum reliquis aliorum cænobiorum religiosis iampridẽ eidem sacræ regulæ se subdidisse: atque adeo eandem regulam Iacobus Paulini diaconus, & Wilfridi in Scotis reducendis adiutor, quin & ipse Paulinus euidenter eiusdem regulæ fuisse monstrantur alumni. Quin & in hoc ipso monasterio Eliensi adhuc monachos Benedictinos licet paruo numero, superfuisse, ex quo ibidem primus per Augustinum auxilio Regis Ethelberti fuerant collocati, satis indicat superius adducta Polydori narratio. Sane Etheldredam in hoc eodem cænobio instaurato, centum religiosas personas, partim sanctimoniales in claustro proprio, partim etiam monachos in vicinis aliquot ædificijs posuisse, eisque iure Abbatissæ præfuisse ab anno 673. ad annum vsque 679. apud nostros historicos in confesso est, de quo vide fidelissimum scriptorem Stoum, in Anna rege, sanctæ Etheldredæ parente. Sed & addit huic considerationi vim maximam, sororum & consanguinearum ipsius parilis deuotio. Etenim sancta Withburga soror ipsius virginitatem Deo consecrans cænobium Detham construxit & ibidem Abbatissa virginibus præfuit; quod monasterium posterioribus sæculis Eliensi monasterio S. Ethelwoldus Abbas annexuit. Simili modo sancta regina Sexburga altera Soror, postquam Ercomberto magni Ethelberti à S. Augustino conuersi nepote Cantiorum regi liberos peperisset Egbertum & Lotharium reges deinceps Cantiorũ & Ermenildẽ atque Erkengodã, marito rege defũcto, sub sororis Etheldredæ gubernio monialis facta est, eiq́ue in regimine cænobij Eliensis successit; Traxit ad idẽ cænobiũ eadẽ pietas & filiã ipsius Ermenildã regina Merciorũ, quæ Wulferũ regẽ maritũ suũ Christo adduxit, eoque defũcto vnicã de ipso susceptã filiã sanctã Wereburgã secũ ad Eliense cænobiũ Christo Domino seruituram allexit. Erkengoda quoque altera Ermenildæ soror, vna cum Sithrica & Ethelburga materteris suis Annæ Regis orientalium Anglorum filiabus in

Annaliũ Teukesburiensium.

*intactã forte intelligit.

Brigensi sanctæ Pharæ, seu Burgundoforæ monasterio Gallicano moniales factæ, magnarũ virtutum fulgoribus radiarunt: adeo, quamuis peregrinæ, eiusdem tamen cænobij Brigensis factæ fuerunt Abbatissæ: Erkengodę vero sanctitatem etiam diuina miracula, & mors prætiosissima angelorum obsequijs honorata comprobarunt. Quis enim non videt istius familię Ethelbertanæ deuotionem ab Augustini pręceptoris sui cohortationibus & exemplis ortum ducere? vt à quo didicissent viam mandatorum Dei ambulare, ab eodẽ etiam arctissimã cõsiliorum Christi semitam currere discerent, eadem sub regula ijsdemque institutis, quę vidisset institutori suo placuisse. Quare cum omnes isti sancti ad Benedictinam formulam vitã iam composuerint; nemo enim dubitare potest, Eliense & Derhamense monasterium, & Brigense ac Calense cęnobium fuisse prima sui origine Benedictina (quod de prioribus duobus iam est ostensum, de posterioribus inferius manifestè docebimus:) sane non potest sine proteruia negari, eandem quoque regulam & institutionem S. Benedicti, primis Anglorum Apostolis cultam & obseruatam fuisse. Profecto Eliensis monasterij chronica manuscripta quæ adhuc exstant venerandæ antiquitatis in bibliotheca Cotoniana cum historiã cænobij illius à prima pertexant origine, nullum prorsus alterius regulæ vel ordinis mentionem faciunt, qui in ipso ante Benedictinam regulam floruerit: cum tamen tã in crebis Etheldredæ sanctæ miraculis, recensendis, quam in ipsis diplomatis ac priuilegijs referendis celeberrima S. Benedicti, regulæque eius habeatur mentio.

§. II. *Euishamense monasterium ipso S. Augustini sæculo fuisse Benedictinum.*

Probatur antiquitas Benedictinorũ ex monasterij Euishamensis antiquitate.

Pergamus iam ad aliud insignis antiquitatis cænobium, Euishamensis ecclesiæ, in diæcesi Wicciorum seu Wigorniæ: vnde superius docuimus regem Eadbaldum assumpsisse monachos & Abbatem Benedictini schematis pro Croulandensi cænobio, ad annum domini 716. Iam cum grandia monasteria non ædificentur subitò, & celeriter, sed aliquot annorum circuitus transire soleant, antequam perfecte compleantur: & eo anno 716. quo Croulandia fuerat consecrata, iam floruerit (Eadbaldo teste) disciplina & obseruantia Euishamensis Abbatiæ: quin aliquammultos iam annos ante Croulandensem fuerit ædificata, nemo prudens dubitauerit. Et ne quis imperitior forsitã dubitet, ipsam fundationis eius historiam & ætatem, non aliunde, quam ex originalibus fundationis instrumentis producemus. Sed prius tamen audiamus Nicolaum Harpesfeldium, sæculo 8. cap. 18. ex Gulielmi Malmesburiensis quarto libro de gestis Pontificum, Anglorum, breuiter fundationis historiam referen-
„tem. Euishamense monasterium, inquit, ope auxilioque Coenredi regis extruxit B. Egui-
„nus. Et fuerat ibi quidem olim ecclesia à Britannis posita. Hunc locum, licet spinis vepri-
„busque obsitũ, quia tamen in solitudine procul ab hominum oculis consortioque positus
„erat, in delicijs habuit Eguinus: ibi diem noctemque in ieiunijs, orationibus, sanctisque
„meditationibus transigere solitus. Quibus sanctis exercitijs dum se totum aliquando de-
„disset, Ecce B. virgo Maria, Christi mater, cum duabus alijs virginibus, omnem humanam
„speciem pulchritudinemque superantibus, se illi visendam obtulit, librum & crucem
„manibus gestans, quæ cruce Eguuinum adorantem benedixit. Ex hac maxime causa cænobium
„Benedictinorum hoc potissimum loco à fundamentis erexit. Quod Coenredus Rex Mer-
„ciorum, & Rex Orientalium Anglorum Offa varijs possessionibus locupletarunt; Constan-
„tinusque deinde Romanus Pontifex cum Eguino, Coenredo, atque Offa præsentibus, Ro-
„mæ ad annum septingentesimum octauum, apud Lateranum confirmauit. Hæc Harpsfeldius. Eadem scribit Balęus hęreticus, sed impotentibus permixta blasphemijs; Benedictinum eum monachum fuisse asserens: ex quo (more suo) D. Pittius, demptis intemperan-
„tibus calumnijs, hæc habet: Sanctus Eguuinus Wiccius, natione Anglus, Merciorum regũ
„sanguine satus, ordinis S. Benedicti monachus, & tandem Episcopus Wigorniensis tertius:
„vir sanctitate vitæ conspicuus, de quo pulchra memoriæ prodidit S. Bertwaldus Archie-
„piscopus Cantuariensis in eius vita. Eruditionis autem & ingenij sui nonnulla post se mo-
„numenta reliquit, quibus nomen suum posteris commendauit: Ex ergastulo sui corporis
„ad cælestem paradisi libertatem euolauit anno post descensum filij Dei ad terram. 716. & in
„suo cænobio Euishamensi requiei locum corpori elegit regnante apud Mercios Ceolredo.
Sed iam ipsa fundationum instrumenta videamus. Constantini Pontificis bullam, datam ãno. 709. ex ipso originali descriptam, quæ in ipso die dedicationis ecclesiæ per S. Wilfridum celebratæ anno. 714. publicè lecta fuerat, primo loco ponemus:

Constantinus

„Constantinus Episcopus seruus seruorum Dei, Brithwaldo Britanniarum Ecclesiæ Primati „salutem & Apostolicam benedictionem. Venerabilem virum Eguuinum episcopum quem „bis tua fraternitas ad Apostolicam sedem misit, etiam nunc secundò manipulis iustitiæ re- „fertum tibi remittimus, moneantes quatenus sic suos effectus adiuuando prosequaris, sicuti „illum à Deo incepisse, & in via Dei cucurrisse cognouisti: Porrò de visione illa, imò aperta „ostensione, qua se Beata virgo Maria ei manifestauit, æque ita certum esse teneamus, quē- „admodum de viri bonitate non dubitamus; denique vigilantiam tuam admonemus; qua- „tenus in illis partibus, in quibus manifestatio habita fuisse refertur, concilium totius An- „gliæ cogas, Episcopos, sacrique ordinis religiosas personas illuc conuenire facias, optima- „tesque regni cum proceribus suis adesse pręcipias: quibus in nomine domini congregatis „denunciamus, quod duo Reges Anglię, Koenredus & Offa cum quibus iam dictus Epis- „copus ad limina Apostolorum venit, in loco ostensæ visionis plurima de suis beneficijs in „prouincia illa Regia libertate donata, & Apostolica auctoritate confirmata contulerunt: „quatenus ibidem congregatio monachorum secundam regulam memorandi patris Bene- „dicti, quę minus in illis partibus adhuc habetur, possit instaurari, indesinenterque Christo „famulari. Ipsas autem donationes & beneficia, præfati Reges in ipsorum priuilegio illu- „minatim determinauerunt, & à nobis corroborari fecerunt. Igitur (frater dilecte) quo- „quomodo Christus annuncietur, lucrum Christi inquire, opus Christi exerce, promulga- „tisque in concilio vndique sententijs, tum à Deo ostensę visionis, tum Apostolicæ aucto- „ritatis, tum Regiæ libertatis & donationis, tum tui ipsius clerique & populi assensus & „fauoris, constitue ouile Christi diuinitus ostensum, Apostolica auctoritate fultum, regia „libertate donatum, cleri & populi benedictione sancitum. Tibi autem & successoribus „tuis memorato Episcopo Egwino assentiente, curam animarum eiusdem ecclesiæ præci- „pue iniungimus: vt si (quod absit) aliquo diaboli impulsu quisquam peruasor aut tyran- „nus locum sacrum imminuere aut impugnare præsumpserit, tibi à Deo concessæ potestatis „sententia, & anathematis percussus verbere, complere non audeat. Siquid vero sinistræ „partis inibi compertum fuerit oriri, auribus summi Pontificis patriæ potius deferatur, quā „per alicuius occultam sententiam sanctus locus iniustè deprauetur. Ipsum ergo locum, „quem Regia potestas regia libertate donauit, & nos authoritate Dei & sanctorum Aposto- „lorum, & nostra donamus, vt nullus cuiuscumque ordinis hominum hoc, quod consti- „tuimus, deprauare & minuere præsumpserit; qui hoc destruxerit, aut male contamina- „uerit, sit ille maledictus; qui vero seruauerit & adauxerit, benedictionibus repleatur. „Scripta est hæc epistola anno dominicę incarnationis. 709. in ecclesia saluatoris Latera- „nensi, præcipiente & confirmante Constantino Apostolicæ sedis antistite, astantibus & „confirmantibus Regibus Angliæ Kenredo & Offa, rogante venerabili viro Eguuino Epis- „copo, coram pluribus Archiepiscopis & Episcopis, Principibus & nobilibus diuersarum „prouinciarum, cunctis acclamantibus laudamus, concedimus, & confirmamus. † Ego „Constantinus Romanæ sedis Episcopus, per signum sanctæ crucis has donationes & liber- „tatem confirmaui. † Ego Eguuinus humilis Episcopus confirmaui. † Ego rex Kenred „corroboraui. † Ego Rex Offa consensi.

Bulla Constātini papæ pro fundatione Eouishamēsis monasterij

Hactenus ista confirmationis bulla, quæ descripta est, vt diximus ex ipso originali scripto characteribus Saxonicis, in forma epistolę: & est penes excellentissimum Comitem Arundeliæ, habeturque tota etiam apud Capgrauium, exceptis subscriptionibus: qui Capgrauius, eadem recitata, hæc subiungit, in vita S. Eguuini: Loco consecrato per sanctum Wilfridū „Episcopum, idem Wilfridus & Eguuinus coram omnibus sic loquuti sunt: Domine Deus, „qui in cælis habitas, & omnia creasti, conserua illum, qui locum istum pacificabit & con- „seruabit. Nos etiam præcipimus, in Dei omnipotentis & omnium virtutum cælestium no- „mine, vt neque Rex, neque princeps, neque vllius ordinis homo locum istum sanctum di- „minuat, sed sit, vt optamus, gregibus dei & pastoribus murus bene dispositus in potestate „proprij Abbatis secundum regulam Dei & sancti Benedicti. Si autem aliquis, quod absit, „auaritiæ spiritu arreptus vertere velit, indicetur ante tribunal Dei, vt nunquam veniat in „Christi memoriam, sed nomen eius deleatur in æternum de libro viuentium, & ligetur „æternarum pœnarum nodis in inferno, nisi in hac vita pænitens emendet. Huius ecclesiæ „dedicatio facta est anno gratiæ septingentesimo quartodecimo. Hæc Capgrauius. Regum vero priuilegium (Romæ etiam scriptum cuius in scripto Pontificis mentio facta est) ex manuscripto Clarissimi equitis D. Ricardi S. Georgij, Fecialis Clarencij viri humanissimi desumptum, est tenoris sequentis.

In nomine Patris & filij & spiritus sancti Amen. Quoniam transeuntis quidem mundi

„ vicissitudo quotidie per incrementa temporum crescendo decrescit, & ampliando minuitur; crescentibusque repentinis incursuum ruinis, finis esse cunctis in proximo cernitur: „ ideo vanis ac transibilibus mansura cælestis patriæ præmia mercanda sunt. Quapropter ego „ Kenredus Dei dono Rex Merciorum, & ego Offa diuina permissione orientalium Anglorum gubernator, pro redemptione animarum nostrarum ac prædecessorum & subsequentium nostrorum salute donamus & concedimus in loco, in quo B. Maria se venerabili „ viro Eguuino Episcopo manifestauit in Houme, & præsenti libello confirmamus ad honorem & reuerentiam eiusdem Dei Genitricis, sexaginta sex mansas ex duabus partibus „ fluminis, quod vocitatur Auona; tres videlicet, quæ sunt in Houme, in Leuheauic vnam, „ in Nortona septem, in Offeham vnam, in Lillintona tredecim, in Adintona vnam, in Badeseia octo & dimidiam, in Bretfortona duodecim, in Homburem duas, & dimidiam, in „ Wilberesia septem, in Wikewane tres, in Benigworth & in Hampton nouem. Et ex * mea „ liberalitate, sicut dignum est, & regali munificentia, prænominatas mansas, vbi manifestatio habita fuisse refertur, cum cæteris partibus præassignatis, regia liberalitate donamus, ac omnipotenti Deo, & beatis Apostolis eius Petro & Paulo in perpetuum liberas „ donamus, quatenus ibidem congregatio monachorum secundum regulam sancti Benedicti possit instaurari & indesinenter Christo famulari. Ad maiorem autem firmitudinem „ donationis nostræ, in notitiam tam præsentium, quam in posterum succedentium venire „ volumus quibus limitibus sacer locus quem regia liberalitate donatum Deo contulimus, „ circumseptus includitur. Imprimis à Troyforde &c. Volumus insuper ac decernimus in „ nomine Domini, terram quinque cassatorum, quæ Morton nuncupatur, eadem libertate „ in perpetuum gaudere: quam quidem terram ego Kenredus rex Merciorum anno dominicæ incarnationis septingentesimo nono, cum iam vna cum venerabili viro Eguuino „ Apostolorum limina visitare disponerem, inter quædam alia donaria ad fabricam monasterij construendi concessi eidem, & sub testimonio plurium potentum meorum scripto „ confirmaui. Statuimus igitur in nomine Domini, & in virtute summi Dei præcipimus tam „ viuentibus, quam Domini prædestinatione nobis in perpetuum succedentibus, vt huius „ donationis statuta ad irritum deducere minime quispiam audeat. Siquis autem hoc nostræ „ munificentiæ donum deprauare vel minuere attentauerit, deleatur nomen eius de libro „ vitæ. Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis septingentesimo nono in ecclesia Saluatoris Lateranensi, confirmante Pontifice Romanæ sedis Constantino, astantibus regibus „ Angliæ Kenredo & Offa, rogante venerabili viro Egwino Episcopo, cum pluribus Archiepiscopis & Episcopis, Principibus ac nobilibus diuersarum prouinciarum, cunctis clamantibus, ac dicentibus, Nos hanc voluntatem ac regiam liberalitatem laudamus, donationibus ac libertati consentimus. † Ego Constantinus Romanæ sedis Episcopus per hoc „ signum. † sanctæ crucis has donationes & libertatem confirmaui. † Ego Eguuinus humilis episcopus confirmaui. † Ego rex Kenredus corroboraui. † Ego Rex Offa consensi.

*Mera.

Priuilegium S. Eguuini Episcopi & Abbatis.

Iam ipsius Eguini priuilegium, tale est, ex eiusdem clarissimi Clarencij manuscripto „ desumptum: Ego Egwinus Wicciorum humilis Episcopus, volo manifestare omnibus fidelibus, Christi, qualiter per Sancti Spiritus inspirationem, & per labores multarum & „ magnarum visionum ostensum est mihi, quod ego primum vnum locum ædificare deberē „ ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei & sanctæ Mariæ, omnium electorum Christi, „ & etiam mihi ad æternam retributionem. Cum igitur maximè florerem in diebus Ethelredi Regis, expetij ab eo locum, qui Haum nūcupatur, in quo loco Sācta & perpetua virgo „ Maria primum cuidam pastori gregum Eoues nuncupato, dehinc etiam mihi cum duabus „ virginibus librum in manibus tenens apparuit. Mundaui itaque locum opusque inceptum „ Dei optimi laude gratia ad finem perduxi. Volo igitur ostendere omni sequenti generationi quas possessiones supradicto loco acquisiui, & ipsas terras ab omni exactione potestatum omnium adquietaui, ipsamque adquietationem applicitis authoritatibus & priuilegijs nec non & regalibus edictis confirmari feci, vt fratres secundum regulā Sancti Benedicti inibi Deo seruientes sine perturbatione vitam agerent. Nomina etiam villarum volo „ manifestare, quas omnes liberas & iustè acquisitas Deo & sanctæ Mariæ obtuli. Itaq; ab „ Athelredo Rege quoddam cœnobium, quod Flendaburch nominatur obtinui, quod „ postea pro alio cœnobio quod Streatforda nominatur, mutaui. Post paruum vero tempus, „ à Prædicti Regis fratre Oswardo viginti māsas in loco qui Troyford appellatur adquisiui. „ Postea vero succedente in regnū Kenredó, concessit & ipse mihi octoginta quatuor mansas super vtrasque partes illius fluminis, quod Auona vocitatur. Quidam autem adolescens

Athericus

,,Athericus nomine octo mansas mihi concessit; & Walterus venerandus sacerdos alias
,,octo mihi mansas donauit. Sicque, deo propitio breui tẽpore 120. mansas prædictæ Christi
,,ecclesiæ acquisiui, sicut scriptum est & confirmatum in chartis ecclesiæ, & in libro manife-
,,statur terra & termini eius, quem scripsit Brichtwaldus Episcopus & dictauit pręcepto Ro-
,,mani Pontificis, cũ consensu principũ totius Anglię. Hæc vero sunt nomina villarum, quas,
,,vt supradictum est acquisiui: Eouesham, Benyagurth, Hautun, Baddesey, Wicque, Hãburne,
,,Bradfortun, Willersley, Withleya, Samburne, Kinwartun, Saltford maior & minor, Am-
,,bresley, Vlbeory; Morrun, Buchtun, Meleygaresbery, Tittlestromp, Snella maior, May-
,,eldesbeordy, Sildswick quoque. Has omnes terras, vt præfatus sum, liberas ab omni ca-
,,lumnia adquisiui, & sanctæ Dei ecclesiæ obtuli. Qui ergo locum, quẽ Apostolica dignitas,
,,& regia potestas, regia libertate donauit, & nos auctoritate Dei & sanctorum Apostolorum
,,donamus, deprauare aut minuere vel contaminare præsumpserit, iudicetur ante tribunal
,,Christi, & nunquam in Christi veniat memoriam, nisi in hac vita pænitens emendet. Qui
,,vero seruauerit, & adauxerit, benedictionibus repleatur. Fiat. Amen. Scripta est hęc charta
,,anno dominicæ incarnationis 714. †. Ego Eguuinus per signum sanctę crucis. † Ego
,,Kenredus rex subscripsi. † Ego Offa per signum crucis confirmaui. Ego † Brichwaldus
,,Archiepiscopus subscripsi: Ego Oswardus frater Regis confirmaui.

Ex his instrumentis, quæ adhuc extant in matriculis & veteribus manuscriptis Euesha-miæ, constat dedicationem ecclesiæ Abbatialis factam anno 614: confirmationem vero Põtificiam obtentam anno 709: At Abbatiam ipsam anteà constructam, temporibus Ethelredi regis: quo autem anno fuerit constructa, ex quatuor manuscriptorum historicorum testimonijs didicimus: Nam in appendice scriptura 37. habes ex bibliotheca Cottoniana, defuncto Offoro Vicciorum Episcopo sanctum Egwinum successisse, & cito post, annuente Rege Ethelredo monasterium de Euesham construxisse circà annum gratiæ 691. Idem asseritur in manuscripto quodam registro, quod olim fuerat Prioratus S. Ioannis Euangelistæ de Pontefracto ordinis Cluniacensis, & nunc est penes nobilissimum virum D. Scintlo (Sanclaudium) Kniston fratrem perillustris Domini Knistoni equitis Baronettę in agro Darbeyensi, virum in chartularijs Angliæ versatissimum. Similiter & in alia historia antiquissima manuscripta, quam vidimus, hæc habentur: *anno domini 692, Sanctus Eguuinus tertius in ordine Wicciorum episcopus, Monasterium quod Eouesham dicitur, construxit.* idemque in annalibus Teukesberiensis Abbatiæ traditur. Fuit autem primus Abbas loci ipse sanctus Egwinus, qui cum antea monachus fuerit, aliasque Abbatias siue cœnobia se habuisse dicat: quin illa Benedictina fuerint, nemo poterit dubitare; præsertim quum eodem ipso tempore quo à rege Ethelredo tanta munificentia fuit ad suum monasterium promouendum adiutus ipsemet rex Ethelredus monasterium Benedictinum Bardneyense construxerit, & in eodem post 30. ãnos in regno exactos monachus factus fuerit & circa annũ domini 706. obiuit. Quĩ & ipse Kenredus monachus Benedictinus Romæ cõsecratus, ad finẽ vsq; vitæ suæ ibidẽ permansit. At vnde quęso tantus amor & ardor erga regulam Benedictinam, in sancto hoc episcopo, & gloriosis his regibus, tam citò post Apostolorum nostrorum decessum, nempe quinquaginta tantum annos post mortem S. Paulini, quadraginta vero post decessum Honorij vltimi ex discipulis beati Gregorij? nisi quia ipsimet Apostoli nostri eandem regulam amplexi fuerant, & in eiusdem etiam obseruantia semper vixerant? Nam quis credat regulã aliam (siquę fuisset) ab Augustino & socijs cultam tam citò fuisse obliuione sepultam, & eidem prælatam recentiorem aliquam ab episcopis & Regibus, ac principibus Angliæ, quos videmus per omnia suorum Apostolorum fuisse obseruantissimos, & omnia eorum facta magnificè semper extulisse? Neque enim defecit sanctitatis, deuotionis, ac pietatis laus in ipsis Apostolorum discipulis, vt propterea ad sanctiores illis Benedictinos sese conferrent quicunq; ad sanctioris vitę propositum anhelarent: quinimo apparet ex omnibus historijs, toto Augustini sæculo, vsque ad annum 700. nullum fuisse deinceps sanctorum multitudine & magnitudine gloriosius. Relinquitur ergo manifestum, non fuisse tunc alia monasteria per Angliam præter Benedictina, atque adeo eadem cum ipsa Christiana fide simul apud nos incepisse.

Nam quod in bulla Constantini dicatur, monasteria regulæ Benedictinæ illis in partibus minus adhuc habita fuisse; iam antea ex Beda didicimus, pro deuotione populi erga ordinẽ nimis pauca fuisse per Angliam monasteria, vt propterea debuerint ad Gallicana monasteria multi commigrare; non quasi pauca fuissent tunc in Anglia solius ordinis Benedictini monasteria, sed quia omnino pauca fuerint cuiuscumque regulæ; neque enim Beda distinctè asserit pauca fuisse Benedictinorum cœnobia, quasi alterius alicuius multa vel vlla fuissent; sed diserte asserit pauca adhuc extitisse per Angliam cœnobia; nimirum quia adhuc per

per totum Northumbriæ regnum, exceptis duobus aut tribus Scotorum non tam monasterijs, quam eremis, alia ante S. Wilfridum non extitissent, cœnobia, reiecto scilicet Paulino, & sede Eboracensi per 34. annos vacante, soloque Iacobo Paulini diacono & paucis Scotis Christianitatem à Paulino plantatam ægrè sustinentibus, magna pars Angliæ reliquæ, Mercijs recenter tunc vix dum cõuersis, mixtis Paganismi tenebris ad fidem duntaxat anhelabat. Et quod maximè facit ad nostrũ institutum per *partes illas, in quibus minus habebantur monasteria S. Benedicti*, intellexit Constantinus, vt clarè per epistolæ seu bullæ contextum apparet, illas in quibus visio cælestis Eguuino fuerat monstrata: in illius siquidem diæcesi, quæ prouincias Walliæ à veteribus Britannis (Anglorum tunc hostibus) conterminas amplectebatur, nondum fuerant multa cœnobia, quæ postea statim inibi cæperunt ædificari, vt Teukesberiense ad annum 706. inchoatum; Pershorense, diu postea temporibus Eadgari regis ab Egelraco duce Dorsatensi fundatum, Winchcombẽse trecentorum quondam monachorum cœnobium à Kenulpho rege Merciorum circa annum 742 extructum; Wigorniense ab Eadgaro rege, anno 964 Glocestrense ab Aldredo Wigorniensi Episcopo anno gratiæ 1060. erecta; & si quæ sunt aut fuerunt alia illis in partibus, omnia hac Abbatia Eueshamensi fuere posteriora. Itaque Eguinus in prouincijs quæ Wallijs adiacent erantque Merciorum regni pars magna monasticam propagauit, sicut Wilfridus in Northumbriæ regno fecerat; cum in regno Cantiorum, vicinisque prouincijs ipse S. Augustinus, Laurentius, Mellitus, Paulinus, Honorius eandem plantassent. Tam clara vero est huius Abbatiæ historia, vt adhuc acta catalogumque habeamus omnium Abbatum illius, à primo fundatore simul & Abbate Eguuino, ad Clementem vsque Luhfeldium, Abbatem vltimum, cuius Præturæ anno 23 per Hẽrici regis imperiũ Abbatia monachis eiectis & dissipatis fuit suppressa.

§. 12. Glastinburiense cœnobium ætate S. Augustini fuisse Benedictinum.

15. Haud absimile argumentum ab illustrissimo Glastoniæ monasterio potest desumi. Extat enim Inæ regis gloriosi priuilegium huic monasterio concessum, è quo satis euidenter colligitur fuisse Benedictinum viuentibus apostolis nostris: habetur autẽ in manuscripto libro Glastoniensis cœnobij, qui Secretum Abbatis inscribitur, in bibliotheca excellentissimi Comitis Arundeliæ, estque tenoris sequentis.

Idem probatur ex antiquitate monasterij Glastoniensis. Priuilegiũ Regis Inæ.

,,Adiuua nos Deus salutaris noster. Quæcumque secundum decreta canonum atque ecclesia-
,,stica instituta salubri consilio definiuntur, quanquam sermo tantum absque textu suffice-
,,ret: tamen quoniam plærumque nostris tẽporibus tempestates & turbines sæculariũ rerum
,,etiã portas ecclesiæ pulsãt; idcirco operæpretium censuimus ob cautelã futurorũ, ea quæ
,,definita sunt paginis scripturarũ annectere, ne in posterũ obliuioni tradita ignorẽtur. Qua-
,,propter ego Ina regali à Domino fretus dignitate, cũ cõsilio Sexburgæ reginæ, & licẽtia
,,Beorthwaldi Dorobernẽsis ecclesiæ Põtificis, & omniũ suffraganeorum suorum, nec non
,,etiam hortatu Baldredi & Athelardi subregulorum; Ecclesiæ vetustæ, quæ est in loco qui
,,dicitur Glasteye, (quam magnus sacerdos & pontifex summus Christus angelorum obse-
,,quio sibi & perpetuæ virgini Mariæ, & Beato Dauid, multis & inauditis miraculis olim se
,,sanctificasse innotuit) ex his quæ paterna hæreditate possideo & in Dominium peculiare
,,teneo locis continuis & congruentibus concedo ad supplementum vitæ regularis & ad
,,vsum monachorum, Brent decem hidas, Sowi decem hidas, Poulton viginti hidas, Doul-
,,tingam viginti hidas, Bledeny vnam hidam, cum his omnibus, quæ antecessores mei eidem
,,ecclesiæ contulerunt, Kenelwalchius qui sancto Theodoro Archiepiscopo interueniente,
,,Ferlingmere, Bokerie, Godeneye, Marteneseye, Edredseye; Kentwinus rex, qui Glastin-
,,geye matrem sanctorum vocare solitus fierát, & eam ab omni sęculari & ecclesiastico ob-
,,sequio immunem statuit, & hanc priuilegij dignitatem concessit; vt habeant fratres eius-
,,dem loci potestatem eligendi & constituendi sibi rectorem iuxta regulam Sancti Benedicti;
,,Hedde episcopus, qui Ceadwalla annuente, & propria manu, licet paganus, confirmante,
,,Lantokay id est Lengten; Baldredus qui Pennard sex hidas; Athelardus, qui Poeldum sex-
,,agintà hidas, me annuente & confirmante dederunt: quorum ego deuotioni & benignæ
,,petitioni assentio & contra malignantium hominum, & oblatrantiũ canum insidias, rega-
,,lium munimine inuigilo literarum, quatenus ecclesia domini nostri Iesu Christi, & perpe-
,,tuæ virginis Mariæ, sicut in regno Britanniæ est prima, & fons, & origo totius religionis,
,,ità & ipsa supereminentem priuilegij obtineat dignitatem, nec vlli omnino hominum an-
,,cillare obsequium faciat in terris, quę super choros angelorũ dominatur in cęlis. Igitur sũ-

mo Pon-

„mo Pontifice annuente Gregorio, & vt matrem domini sui, in sinum & protectionem san-
„ctæ Romanæ ecclesiæ me licet indignum cum ipsa, suscipiente, consentientibus etiam
„omnibus Britanniæ Regibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, atque Abbatibus, statuo
„ego atque confirmo, quatenus omnes terræ & loca & possessiones Beatæ Mariæ Glasteyæ
„sint quietæ & ab omnibus regijs exactionibus & operibus quę indici solent, videlicet, ex-
„peditione, & pontis, arcisue constructione; & ab omnium Archiepiscoporum & Episco-
„porum promulgationibus & perturbationibus, sicut in antiquis eiusdem ecclesiæ chartis
„ratum esse inuenitur, & à prędecessoribus meis, Kenewalchio, Kentwino, Cedwalla, Bal-
„dredo confirmatum esse dignoscitur, inconcussa & illibata permaneant, & quæcumque
„emerserint causæ in homicidijs, sacrilegijs, veneficijs, furtis, rapinis, in dispositione ec-
„clesiarum, & descriptione, in ordinatione clericorum, in conuenticulis synodalibus & in
„omnibus iudiciarijs examinationibus, absque vllius hominis præiudicio, Abbatis & con-
„uentus dispositione diffiniantur. Sed & omnibus regni mei Regibus, Archiepiscopis, Epis-
„copis, Ducibus, & principibus, super honorem suum & amorem meum præcipio, & om-
„nibus, tam eis, quam eorum ministris super salutem corporis sui præcipio, ne vllus eorum
„insulam domini nostri Iesu Christi, & perpetuæ virginis Mariæ Glasteyæ, nec eiusdem ec-
„clesiæ possessiones, causa placitandi, perscrutandi, rapiendi, percipiendi, interdicendi, vel
„aliquid faciendi, quod ibidem Deo famulantibus possit esse in scandalum, audeat intrare.
„Illud autem omnipotentis Dei, & perpetuæ virginis Mariæ, & beatorum Apostolorum Pe-
„tri & pauli, & omnium intercessione sanctorum, interdictione interdico, ne in ipsa Glaste-
„yensi ecclesia, nec in ecclesijs sibi subditis, videlicet, Sowey, Brente, Merlinghe, Scap-
„wike, Stretæ, Buddlecleigham, Pultonæ, nec in earum capellis; sed nec in insulis, aliqua
„interueniente occasione Episcopus cathedram sibi episcopalem statuere, nec missas solēnes
„celebrare, nec altaria consecrare, nec ecclesias dedicare, nec ordines facere, nec aliquid
„omninò disponere præsumat, nisi ab Abbate vel fratribus inuitatus fuerit quod si ad hoc
„inuitatus fuerit, nihil de rebus ecclesiæ, sed nec de ipsis oblationibus ipse sibi vsurpet:
„duobus in locis ex ipsius ecclesiæ possessionibus duas ei delegamus mansiones, vnam in
„Poelt alteram in villa quæ Pultona dicitur, vt habeat vbi aduenjens hospitetur, vel inde
„veniens sese recipiat neque enim eum ibi, nisi importunitate temporis, aut molestia cor-
„poris impeditus fuerit, aut ab Abbate & fratribus rogatus fuerit nec amplius quam cum
„tribus aut quatuor clericis pernoctare licet. Hoc autem prouideat idem Episcopus, vt sin-
„gulis annis cum clericis suis, qui fontanetum sunt, ipsam matrem suam, Glastonensem vide-
„licet ecclesiam, feria secunda post ascensionem domini cum letania recognoscat: quod si
„superbia inflatus eam distulerit, & quæ superius dicta & confirmata sunt præuaricauerit,
„mansiones sibi superius delegatas amittat. Abbas vel monachi à quocumque voluerint
„episcopo, qui Pascha canonicum celebret, ecclesiastica sacramenta In Glaston ecclesia, aut
„in ecclesijs sibi subiectis, aut in earum capellis percipiant. Quisquis autem huius meæ mu-
„nificentiæ & libertatis testamentum quouis deinceps tempore aliqua occasione, cuiuslibet
„etiam dignitatis vel profęssionis, vel gradus, peruertere, vel in irritum deducere tenta-
„uerit, sciat se cum Iuda proditore æterna confusione edacibus ineffabilium tormentorum
„periturum flammis Scripta est autem huius donationis & priuilegij pagina anno dominicæ
„incarnationis septingentesimo vigesimo quinto, indictione quarta, sub præsentia Inæ re-
„gis, & Beorthwaldi Dorobernensis pontificis, venerandorumque antistitum Danielis,
„atque Fordredi, & aliorum, quorum nomina inferius annotantur. Ego Ina rex propriæ
„manus subscriptione hanc donationem & libertatem sub sigillo sanctæ crucis ratam fieri
„decerno. †. Ego Ethelburga regina consensi. Ego Baldredus rex confirmaui. Ego Athe-
„lardus frater reginæ consensi. Ego Beorthwaldus Dorobernensis ecclesiæ Archiepiscopus
„Inæ regis donationem & libertatem sub sigillo sanctæ crucis corroboraui. † De hinc
„prædictus rex Ina literas regali signaculo signatas summo Pontifici direxit: in quibus hæc
„omnia prædicta cum possessionibus & libertatibus Glastoniensi ecclesiæ, continebantur
„scripta: simulque cum quodam scypho ex auro purissimo, & cum alijs regalibus donis,
„quæ idem rex prædicto pontifici transmisit; supplicauit, & supplicando obtinuit, vt Gla-
„stoniensem ecclesiam cum pertinentijs & libertatibus suis in sinum & protectionem sanctę
„Romanæ ecclesiæ susciperet, & ipsam Apostolica autoritate in perpetuum confirmaret.
„His autem omnibus à summo Pontifice acceptis, eoque annuente & suscipiente regiam
„petitionem per Apostolica scripta gloriose confirmauit. Et eodem anno idem Rex Romam
„personaliter adiuit, priuilegium Apostolico signaculo corroboratum in redeundo Glasto-
„niam apportauit; & postea iterum Romam cum regina sua, instinctu eiusdem redijt: ibi,

ne conuersionis suæ pompam faceret, vt solius Dei placeret oculis, amictu plebeio tectus, clam consenuit, & ibidem cum magnis miraculis, vt accepimus, de præsenti vita sanctißimè migrauit. Hactenus priuilegium cum appendice, ex præfato registro Glastenburiæ, quod secretum Abbatis inscribi, & in bibliotheca Excellentissimi Comitis Arundeliæ haberi diximus, fideliter descriptum.

Cui addamus historiæ vberioris causa, ea quæ veracissimus annalium nostrorum scriptor habet in vita Inæ regis quæ ille ex publicis Archiuis diligentissime inspectis, excerpsit: *De nouo (inquit) instaurauit a fundamentis Inas Abbatiam Glastenburiensem, in palustri loco & procul ab habitatione sæcularium, vt eo diligentius monachi animos cælestium rerum meditatione pascerent, & contemplationis dulcedine, quæ illorum decet professionem, maximè occuparent. Et hæc fuit quarta loci illius instauratio. Erexit in eadem Abbatia sacellum intus laminis aureis argenteisque ornatum, & vasis etiam ex auro argentoque instructum: quibus operibus insumpsit 2640. argenti pondo, in opus vero altaris 264. auri pondo; in calicem insuper cum patena contulit decem auri pondo, in thuribulum octo pondo, & viginti mancusas (*nummi genus est*) auri; in duo candelabra duodecim argenti pōdo; In euangelistarij laminas. 20. pondo, & sexaginta auri mancusas: in ampullas seu vrceolos altaris tredecim auri pondo, in peluim octo pondo: in vrnam aquæ benedictæ dicatam viginti argenti pondo; in statuas Christi & duodecim Apostolorum 175. argenti pondo, & 28. pondo auri: præter alia altaris & chori ornamenta auro gemmisque pretiosis subtiliter, intexta; quem vniuersum thesaurum monachis assignauit.* Hæc Annalium autor Stous.

Quæ ideo simul cum hoc priuilegio adduximus, vt Inam intelligamus instauratorem monasterij huius fuisse, non autem monachos in eo primum posuisse, sed eos, etiam Benedictinos in veteri ædificio eiusdem Abbatiæ, per varias calamitates ruinam minitante, ante ipsius Inæ principatum extitisse. Quod autem dicitur in priuilegio, Abbatia ista fons & origo totius per Britanniam religionis: aduertenter, & non otiose Britanniam dixit, quia Iosephum Arimathæum nobilem Euangelij Decurionem primum euangelij etiam præconem Britannis à S. Petro missum vetus est ecclesiæ Britannicæ traditio: eumque ab Aruirago Britannorum rege insulam hanc Glastoniæ, (quam Britanni Aualoniam, siue Pomenam ab arborum pomiferarum copia vocarunt) dono accepisse, & cum comitibus suis inhabitasse Vnde rectè Britanniæ originem religionis præstitit Glastonia, non autem Angliæ; quia nempe Britannis primo Christus innotuit per Iosephum: at Anglos primus Augustinus Christo lucrifecit. Et in hac quidem insula Iosephus cum socijs mortuus est, ibidemque requiescit: fuitque ibi diu postea cœtus monachorum, Aegyptiensium, seu Palæstinorum ritum sequentium qui aut Britanni fuerant, aut Scoti. Anglis autem per Augustinum conuersis, & monasterium hoc inhabitantibus, vt fides, ita etiam & monachismus Institutoris sui Augustini magis placuit; quod postea latius deducemus.

Ex ijs præterea, quæ paulo antea de S. Bonifacio diximus, oculato teste martyris sancti comite Wilibaldo scribente, constat Abbatem tunc temporis sub Ina rege, Glastoniam habuisse *Beornwaldum*: quare & illud primum ex huius priuilegij tenore colligimus, tam Beornwaldum quam reliquos (vt ibi loquitur Wilibaldus) *eiusdem propositi Abbates* fuisse Benedictinos: quandoquidem hoc princeps monasterium Inæ regi tam dilectum, Benedictinum fuisse in hoc priuilegio expresse affirmatur: Deinde patet, errasse Ioannem Spedum, quando in catalogo vltimæ editionis asserit Dunstanum Glasconiæ monachos commutasse in Benedictinos, cum iam antea ducentis fere annis Inas in hoc priuilegio Benedictinos Glastoniæ monachos agnoscat. Quin nec tū primū fuisse eos Benedictinos, cū Inas hoc illis priuilegiū indulsit, manifeste patet, cum dicat hic priuilegij autor Inas Kentwinum prædecessorē suū confirmauisse monachis Glastoniensibus illā regulæ Benedictinæ prærogatiuā, vt Abbatem sibi concordi fratrum electione constituerent. At inter regnum Inæ & Kentwini intercessit primò triennium Ceadwallæ, quem hîc Inas affirmat adhuc paganum huic monasterio fauisse, nimirum antequam ipsum cœnobium ab Ina fuisset instauratū. Etenim Ceadwalla S. Wilfridum ordinis Benedictini feruentissimum propagatorem summa coluit veneratione, adeo vt insulæ vectis armis suis subactæ quartam partem eidem sancto Wilfrido dederit, qui dispositis per loca commoda prædicatoribus totam insulam ad fidem Christi conuertit. Eiusdemque præsulis consilijs inflammatus, Romam profectus, Sergio Pontifice, ipsa vigilia paschatis baptizatus est, anno Christi 689. obijtque Romæ eodem anno 20. Aprilis, anno ætatis suæ trigesimo, & in ecclesia S. Petri sepultus est: Ceadwallæ nomine in Petri nomen ad sacrum fontem commutato, 20. anno Pontificatus dicti Sergij. Kentwinus verò regnare incepit anno 676. qui nouem duntaxat annos sceptrum tenuit; quare monachis Glastenburiæ prærogatiuam liberę electionis secundum regulam S. Benedicti ante annū 685.

quo

quo Ceadwalla ipsi successit, hoc est 42. annis ad summum post mortem S. Paulini Glastoniensibus largitus est. Apparet Kentwinum hoc priuilegium Glastingaburiensibus monachis iam Benedictinis vlterius indulsisse; nec eos primum ad regulam S. Benedicti obseruandam compulisse, tum quia nullo fundamento illud diceretur, tum quia hæc ipsa prærogatiuæ cõfirmatio, proculdubio ab ipso monachorum precibus obtenta, indicat eos iam antea regulã illam professos, cuius instituto liberam Abbatis de suo gremio electionem sibi relictam corroborari voluerunt; Tum vel maximè quia Kenewalchius, summus & ipse fautor huius Abbatiæ (quam videlicet matrem sanctorum appellare consueuerat) fuit etiam summus Benedictinorum patronus: etenim Malmesburiam seu Maydulfibuyum concessit Aldhelmo, vt eam in Abbatiam conuerteret, cum antea schola tantum fuisset, in qua idem Aldhelmus post Maydulphũ gloriose docuerit; quem eundem Aldhelmum Inas rex ex Abbate episcopum fecerat Shirbornensem: eique libertatem confirmauit liberæ electionis in Abbatia sua Malmesburiensi, sicut paulo superius docuimus, quemadmodum Kertioinus Glastenburiæ concesserat. Eidemque confirmationi, quam Aldhelmum Malmesburiæ reliquisse diximus, Beornwaldus Abbas Glastinburiæ, cum alijs multis Abbatibus, subscripsit. Quin & Kenewalchius baptismum in exilio apud Annam Orientalium regem susceperat, ad quem à Penda Merciorum rege Pagano prælio superatus confugerat: ibidemque Sexburgam duxit vxorẽ, sororem Etheldredæ Abbatissę Eliensis: quæ ipsa Sexburga post mariti Kenewalchij mortẽ facta est sanctimonialis, & sanctimonialium cœnobium in insula Sheppeyæ fundauit: ipsa vero sorori Etheldredæ in Abbatissæ munere apud Eliensiã Benedictinarũ monacharũ ecclesiam, successit. Quis hanc istarum principum fæminarum deuotionem erga regulam sancti Benedicti quam professę sunt perpendens, ipsiusque Kenewalchij erga eundem regulam amorem; non fateatur iam ante Kenewalchij principatum (qui eo ipso anno cœpit, quo Paulinus in humanis esse desijt) regulam S. Benedicti in monasterio Glastenburiensi cui ipse hanc prorogatiuam confirmauit, floruisse? Vnde sane clarissime sequitur, iam inde ab Augustini ingressu Glastenburiam sancti Benedicti normam suscepisse.

Hoc etiam docet luculenter concertatio monachorum Glastoniensium cum Thurstano Abbate Normanno, de cæremonijs mutandis: quam illorum temporum oculatus inspector Ordericus Vitalis describit lib. 4. historiæ suæ, ad annum 1070. pag. 523. *Prisci Abbates* (inquit agens de Normannica sub Gulielmo primo tyrannide in Anglos deuictos) *sæcularis comminatione potestatis terrebantur, & sine synodali discußione de sedibus suis iniuste fugabantur: pro quibus stipendiarij non monachi sed tyranni, contra sanctorum scita canonum intrudebantur. Conuentio & profectus fiebat inter commissos greges & Archimandritas huiusmodi, qualis inter lupos & bidentes sine defensore, solet fieri. Quod facile probari potest ab his, qui interfuerunt, in Thurstino Cadomensi & conuentu Glastoniensi. Nam dum proteruus Abbas cogeret Glastonios cantum, quem Angli a discipulis beati Gregorij Papæ didicerant, relinquere, & ignotum sibi, nec auditum antea cantum à Flandrensibus, seu Normannis ediscere, orta est lis acerrima, quam mox sequuta est sacri ordinis contumelia. Dum enim Monachi noua nollent suscipere instituta, & contumacis Magistri persisteret pertinacia, laici hero suo suffragati sunt ferentes spicula, à quibus ex insperato monachilis concio est circundata, & pars eorum est crudeliter percussa, ac (vt fertur) lethaliter sauciata.* Hæc Ordericus, eandemque narrat historiam Malmesburiensis, afferens etiam sagittam à militibus in ipsam crucifixi imaginem infixam fuisse: cuius rei indignitate cõmotus Gulielmus Rex, Thurstanũ deponi, & Cadomum deportari iusserit, monachis in antiqua disciplina sua perseuerantibus. Quod si mortem potius oppetere parati erant monachi, *quam cantum à Gregorij discipulis acceptum* derelinquere, vt Vitalis de eis affirmat: profectò à Gregorij discipulis monachatum suum acceperunt, & relicta disciplina monastica quem eousque à Scotis & Britannis monachis acceperant, ad ritum Benedictinum, & Catholicum Pascha transierunt, in quo vsque ad Normanni tempora eos perseuerasse vides ex Orderici testimonio. Quin & illa clausula in priuilegio Inæ regis posita, *vt à quocumque Episcopo canonicum pascha celebrante monachi Glastonienses possent ordinari*, euidens est character quo tunc tẽporis dignoscebatur monachismus Benedictinus ab antiquiore monachismo Scotorũ & Britannorum vt inferius peculiari cõsideratione declarabimus Hoc idẽ expresse docet Gulielm⁹ Bibliothecari⁹ Malmesburiensis in Ms. codice de antiquitatibus ecclesiæ Glastoniensis: locum exscripsit Clarissimus Seldenius in spicilegio ad Eadmerum, hoc modo: *Ante Augustinum scribit* (Malmesburiensis) *monachos Glastoniensis ecclesiæ (atque par est sane credere etiam cæteris) more Aegyptiensium monachorum vitam instituisse. Hinc (inquit, post aduentum scilicet Augustini) in diuersis locis ordinantur sedes Episcopales, construuntur monasteria secundum B. Patris Benedicti regulam deo militantia, ita vt postea in gente Anglorum nulli reperiantur monachi, quin fuerint B. Benedicti regulam professi. Inde his tem-*

Testimoniũ præclarũ Gulielmi Malmesburiensis.

his temporibus in monasterio Glastoniensi cœpit primo eadem regula exerceri, quod prius fuerat more cœnobiorum Aegypti. Hactenus Malmesburiensis, & ex eo Cl. Seldenus. Quod non asseruisset Malmesburiensis nisi ex ipsius ecclesiæ Glastonensis archiuis illud hausisset: vir diligentissimus, optimæ fidei, & eloquentissimus proculdubio, post B. dam duntaxat venerabilem historiæ Anglicanæ conditor; idque non per transennam, aut quasi aliud agens asseruit, sed in ipsa historia Glastenburiensis Abbatiæ, cuius propterea antiquitates omnes summa industria perquisiuerat. Nec abesse à vero eius assertionem, de antiquitate regulæ Benedictinæ in illa Abbatia, (etiamsi archiua ipse non conspexisset) docet hoc ipsum, quod produximus, Inæ priuilegium, ex quo clarè deduximus iam ipsius S. Paulini tempore Benedictinam regulam Glastoniæ fuisse receptam: nemo autem ignorat S. Paulinum vnum ex præcipuis S. Augustini commonachis & comprædicatoribus extitisse: Quare cum ipsis Apostolis nostris haud dubiè regula Benedictina in Angliam inuecta est.

§. 15. Cœnobium S. Augustini Cantuariensis ab ipsomet sub regula S. Benedicti fundatum.

14. Probemus idem ex celeberrimo cœnobiorum Cantuariensis, S. Augustini: vt tam multis vijs confirmata veritas seseque quasi eluctata ex nouitatibus recentiorum, moneat eos deinceps suas qualescumque & quanticumque ingenij coniecturas non tanti facere, vt propter eas receptas ecclesiæ in historicis rebus traditiones tam audacter, cum pernicie & contemptu quodam antiquitatis, conuellant. Igitur Sancti Augustini cœnobium fuit Cantuariæ nobilissimum ab ipso S. Augustino, faciente rege Cantiorum Ethelberto, constructum, vt in eo suum successorumque Episcoporum, & omnium etiam Regum Cantuariorum corpora sepelirentur: Eius monasterij primus Abbas Petrus Romanus monachus S. Gregorij discipulus ab Augustino est institutus: nec vnquam ab eo tempore quo cœpit esse monasterium, desijt Abbates & monachos suos habere, vsque ad infælicem Regis Henrici octaui ab ecclesia catholica discessionem. Adeo vt cæteris omnibus totius Angliæ monasterijs per Danorum barbaricos incursus penitus deuastatis atque deiectis, & diu in desolatione quasi sordentibus, donec ea magnificus rex Eadgarus instaurasset: hoc solum S. Augustini Cantuariensis cœnobium illa barbarorum incendia euaserit. Et cum iteratò multis postea annis sub Suano seu Suenone rege Danica tempestas iterum Angliam obruisset: iterum non sine diuinæ vltionis in perfidos inuasores euidenti argumento hoc monasterium fuit conseruatum. Historiam narrat T. Sprottus eiusdem monasterij monachus, quem habet manuscriptum D. Abbatus, qui nunc vocatur Cantuariensis Episcopus, & ex Sprotto, vt cętera ferè omnia descripsit Gulielmus Thornæus siue de spina, etiam commonachus eius, Augustinensis, in hæc verba. *Anno domini.* 1011. *inter festum natiuitatis B. Mariæ, & sancti Michaelis, tota Cantia à Danis vastatur; Ciuitas Cantuariæ obsidetur & vicesimo die obsidionis proditione Almarici Archidiaconi & ciuium, capitur & incenditur. Elphegus Archiepiscopus comprehenditur, & apud Grenvvich martyrizatur. Elmerus Abbas (S. Augustini videlicet) abire permittitur. Capiuntur Godvvinus Roffensis Episcopus, Leoffvvina Abbatissa S. Mildredæ, Alfredus Regis Præpositus. Ecclesia S. Trinitatis (nempe cathedralis seu Archiepiscopalis, quæ vulgo, Ecclesia Christi dicebatur) spoliata comburitur, grex monachorum & turba popularis vtriusque sexus occiduntur: Monachi ibidem decimantur, nouem trucidantur, & decimus reseruatur, vnde quatuor monachi tantum in illa occisione viui remanserunt (erant nempe in ecclesia Christi. 40. monachi, ex quibus. 36. sunt necati.) Sed quod dictu est mirabile, inter has Danorum persequutiones, Cantuariæ & totius Cantiæ, tam populi, quam ecclesiarum deuastationes, hoc solum monasterium, ipso Domino (in cuius sunt manu omnium iura regnorum) protegente, manebat intactum, & à Danica persequutione securum: quod ex hoc accidebat miraculo. Cum Dani Cantuariam ferro vndique & flamma vastantes sæuirent, quidam illorum sacrilegi, non causa orandi, sed deprædandi malicia monasterium istud vltrò introierunt: moxque vnus eorum ad malum procliuior, ad sepulchrum Apostoli nostri Augustini (vbi tunc iacebat tumulatus) improbè accessit, palliumque, quo illud pretiosum Augustini mausoleum operiebatur, furtim rapuit, atque sub axilla sua illud abscondit: sed diuina vltrix miseratio raptorem mox rapuit, palliumque i[illegible] sub axilla furis absconditum, quasi connatiuum cutis axillis furis inhæsit; nec vnguibus, nec vlla violentia aut arte deponi poterat, donec reatum suum coram sancto prædicto, & loci fratribus, veniam poscendo de commissis, fur ipse prodiderat. Quæ vltio ita cæterorum Danorum multitudinem terruit, vt*

omnes

huius monasterij non solum fieri timerent inuasores, sed magis eius præcipui forent defensores. Hæc ibi. A quo miraculo incepit Danicorum regum erga S. Augustinum nostrum deuotio, de qua in vltimo tractatu memorabile Canuti regis exemplum narrabimus. Sed ex eo (quod præsentis est instituti) discimus aperte, ex omnibus totius Angliæ monasterijs, quæ Danorum rabiem senserunt, hoc solum S. Augustini monasterium nunquam ab ipsis vel in ædificijs, vel in supellectili aliquod passum fuisse dispendium: vnde ipsius archiua & monumenta permanserunt integra atque intacta, vsque ad tempus Henrici octaui: adeo vt adhuc extent tum alibi, tum in illustri bibliotheca Cotoniana quamplurima registra historica manuscripta istius cœnobij, in quibus omnis eius historia continetur, omnium Abbatum vitæ resque gestæ; quæcumque demum memoratu digna monachi putauerant. Hos omnes libros & nos ipsi, & beneuoli amici nostri diligenter perlustrarunt, vna cũ bullis breuibusque Pontificis & regalibus diplomatis eidem cœnobio concessis: in quibus omnibus nulla cuiusquam alterius ordinis à Benedictino instituto diuersi mentio vnquam facta inuenitur: Sed cum in præcipuo eorum librorum registro, manuscripto contineantur priuilegia & diplomata pontificia & principalia illi monasterio diuersis temporibus concessa primo loco & in capite libri describitur regula S. Benedicti, & deinde prędicta priuilegia suoquæque ordine; nec alterius regulæ vmbram ibi reperies; nec vllam mutationis ab vno instituto ad aliud memoriam; nec alia prior institutio quam Benedictina, recensetur; nec quando alia prior aut introducta fuerit, aut obseruari desierit, narratur: quod tamen (rem videlicet maximi momenti) nunquam omisissent historiæ Augustiniensis scriptores, si vnquam tale quid accidisset.

Et quia non nudam disceptationem nobis proposuimus instituendam; Sed eam historicã appellauimus, ipso titulo indicantes, velle nos deuotioni nostræ indulgere, & multa tam gentis quam religionis nostræ monumenta inserere, quæ alioquin forte typis non mandarentur, monasterijs iam nullis in Anglia extantibus, pro quibus ista conseruare operepretium foret: ideo obsecramus benignum lectorem, ne fastidioso oculo legat, siquæ paulo longiora parerga ad disceptationis nostræ finem aut ornatum non admodum necessaria, multoties adducamus. Est quidem nobis animus, si tempora permiserint, exactiorem rerum ecclesiasticarum gentis nostræ ex veteribus manuscriptis historiam fideliter texere: Sed quia valde incertum est, an nobis subsidia pro voto suppeditabuntur, quæ sunt ad id necessaria; interea quæ non paruo labore collegimus, perire noluimus, sed ea etiam quæsita hac occasione lectoribus penè obtrudimus. Erunt fortasse aliqua vnde prudentes rerum antiquarum indagatores non parum proficiant. Ergo vt constet quam vera sint, quæ de Augustinensi cœnobio nostro diximus, primum illius fundationis, historiam à Sprotto, & Spinæo descriptam, quæ habentur apud D. Georgium Cantuariensem & illustrem D. R. Cattonum, hic apponemus.

,,Anno dominicæ incarnationis 578. beatus Gregorius Abbas monasterij S. Andreæ, (quod
,,ipse ad cliuum Scauri in vrbe Romana fundauerat, Benedicti Papæ primi anno secundo,
,,in quo post Laurionem & Maximianum primos Abbates, tertius ipse præfuit) vidit in foro
,,Romano tres pueros Anglicos lactei candoris venales: audiensque à mercatoribus totam
,,Angliam simili candore nitere, sed ritibus Paganicis detineri; longa trahens suspiria, pa-
,,triam, nomen Regis, & multa alia rhetorice ethimologizans, mox accessit ad Benedictum
,,Papam, & licentiam Angliam adeundi, pro fide Christi ibidem prædicanda instantissime
,,petijt, & vix impetrauit. Attamen tertio die sui itineris ad querelam Romanorum dicen-
,,tium, Petrum offendisti, Romam destruxisti, quia Gregorium dimisisti, idem Papa per-
,,territus Gregorium reuocauit, & ad proprij monasterij sui curam redire coegit. Sed pro- Gregorius ex Abbate Cardinalis.
,,ximo anno sequente prædictus Papa videns eum virtutum gradibus ad alta conscendere
,,violenter abstractum à monasterio Leuitam Cardinalem ad sui adiutorium consecrauit.
,,Mortuo Benedicto, scilicet anno incarnationis 581. per labores & afflictiones, quæ tunc
,,temporis in Italia per inuasiones Longobardorum imminebant, successit Pelagius secun-
,,dus, qui per aeris corruptionem cum fame maximam mortalitatem hominum inducentem
,,decimo anno sui regiminis extinctus est. Post quem fauente Deo ad Apostolatum Roma-
,,norum Gregorius electus est Anno incarnationis dominicæ 592. secundum Bedam in hi-
,,storia Anglorum, Gregorius in summum Pontificem consecratus est, & verbum Domini, Et summus Põtifex.
,,quod ipse aliquando in persona propria genti Anglorum disposuerat seminandum, per
,,suum alumnum Augustinum explere curauit. Igitur Gregorius quinto ordinationis suæ
,,anno, scilicet anno 596, absumpsit B. Augustinum monasterij sui, quod ipse in vrbe con-
,,struxerat, tunc præpositum; vt quondam Petrus Barnabam vel Paulum in opus domini-

cum,

Mittit in Angliā prędicatores monachos.

,,cum, & misit cum eo aliquamplures monachos ac verbi Dei ministros,quasi numero quadraginta, genti Anglorum fidem prædicare Catholicam : applicuerunt verò in insula de ,,Taneth, in loco qui dicitur Ratesbourgh, vbi patre Augustino de naue descendente supra ,,quandam petram à casu stetit, & pedem eius eidem quasi luto impressit: cuius rei gratia ,,idem lapis asseruatur, & intra capellam de eodem sancto ibidem fundatam honorificè ,,collocatur ; Sed & singulis annis die suæ depositionis ob deuotionem & spem recuperandæ sanitatis fit concursus populorum dicentium, adorabimus in loco vbi steterunt ,,pedes eius.

Laurio, idē qui Hilario aut Valentio.

Hactenus initium illius historię apposuimus, quia in eodem constanter traditionem Anglicanæ gentis de Abbatiali munere S. Gregorij in suo B. Andreæ monasterio consignatam habemus,& numero etiam tertium Abbatem fuisse discimus ; primumque loci Abbatem fuisse Laurionem, quem Hilarionem communiter vocant scriptores : vt non mirum sic etiam Valentionem eundem à nostris asseri, vel quia binomius fuerit , vel quia Valentionem pro Hilarione non assequentes antiquos characteres typothetæ & Exscriptores posuerint : sicut Angli nostri proculdubio Laurionem pro Hilarione posuere, familiari ipsis loquendi schemate, quo idem nomen sæpe vicino flexu varie efferunt , vt cum Adilbertam , & Bertam ; Aluredum, Alfredum, Ealfredum ; quæ duo tantum nomina sunt, tam variè tamē efferunt; vt & Hispani circà illa tempora Hildephonsum, Alphonsum, Alonsum pro eodem accipiebant, atque ita in similibus appellationibus proprijs. Deinde habemus hic notatam chronologiam aduentus S. Augustini, vnà cum loco in quem ènaui cum socijs descendit,& descensum ipsius insigni miraculo collustratum, memorabilique posteritatis douotione deinceps cultum. Pergit autem in sequentibus B. Augustini cum sancto rege Ethelberto colloquium, concionisque summa narrare, eiusdemque regis erga prædicatores suos, quamuis nondum ipsis crederet, humanitatem, hospitiumque ipsis à Rege concessum in vrbe Dorobernia suis limitibus designat : & deinde subiungit : Anno domini 597. Augustinus cum „socijs illo in loco conuersans vitam cœpit imitari Apostolicam,& ipsum regem Ethelbertū „per reginæ ambitus, per optimos accessus, per dulcia æternæ fælicitatis blandimenta , & „per vigilata ad Deum precamina debito modo accersiuit:ac ipse seruorum Dei mundissima „vita delectatus, & promissis eorum suauissimis , quæ miraculorum ostensione vera esse „perspexerat in fide roboratus catholica,cum suis Commilitonibus die Pentecostes Christo „regeneratus est Rege itaque baptizato & in fide confirmato Augustinus ad ciuitatem Galliarum Arelatensem progreditur, & ab eiusdem vrbis Archiepiscopo Etherio nomine „Archiepiscopus Anglorum ordinatus est 16. Kalend. Decemb. anno prædicto. Ordinatus „Augustinus Angliam redijt, & cum gloria, & omni, qua decuit solemnitate à rege & populo susceptus est : & continuo Laurentium presbyterum,& Petrum monachum Romam „misit, qui B.Pontifici Gregorio referrent Regem fidem Christi recepisse & se genti Anglorum Episcopum fore ordinatū Anno verò sequenti dedit idem rex palatium suum regium „infra ciuitatem Augustino & successoribus suis, vt vbi haberent sedem Metropolitanam „in perpetuum : quod regio fultus auxilio recuperauit in ecclesiam,& eam in nomine sancti „Saluatoris consecrauit , atque ibidem habitationem sibi statuit & cunctis successoribus „suis, quæ vsque hodie vocatur ecclesia Christi Cantuariæ totius Angliæ nutrix & metro- „polis.

Cōuersio Regis Ethelberti.

Ordinatio Augustini.

Fūdatio ecclesiæ S.Pancratij.

„Erat autem non longe ab ipsa ciuitate ad orientem, quasi medio itinere inter ecclesiam S. „Martini & muros ciuitatis fanum siue Idolium situm, vbi rex Ethelbertus secundum ritū „gentis suæ solebat orare & cum nobilibus suis Dœmonijs, & non Deo sacrificare : quod „fanum Augustinus ab inquinamentis & sordibus gentilium purgauit, & simulachro, quod „in eo erat, confracto, synagogam mutauit in ecclesiam , & eam in nomine S. Pancratij „martyris dedicauit. Et hæc est prima ecclesia ab Augustino dedicata. Extat adhuc altare in „porticu eiusdem ecclesiæ australi,in quo idem Augustinus solebat celebrare, vbi prius steterat simulacrum regis : in quo altari dum Augustinus primò missam celebraret,Diabolus „videns se de domo, quam per longa tempora inhabitauerat, expulsum, nitebatur prædictā „ecclesiam funditus euertere, cuius adhuc vestigia apparent exterius in orientali muro porticus supradictæ. His itaque gestis Augustinus prædictam S. Pancratij ecclesiam à Rege „obtinuit vnà cum terra adiacente, in cuius fundo prædictus rex suggestione sancti Patris „Augustini ecclesiam in honore Apostolorum Petri & Pauli à fundamentis construxit : & „in eadem ecclesia præfatus rex sibi & successoribus suis Cantuariæ regibus sepulturam elegit : in hac etiam Augustinus se & successores suos Cantuariæ Archipræsules statuit sepeliri. Hæc igitur ecclesia vsque in hodiernum diem monasterium Apostolorum Petri & Pauli

„Pauli sanctique Augustini ab omnibus terræ incolis appellatur. Sed & Episcopia, & alia
„monasteria idem Rex ob expiationem peccaminum suorum, suggerente semper Augustino
„& hortante, in dies passim fundare machinabatur: Et dum ista fuerunt sic in agendo, Au-
„gustinus cum cooperatoribus agri dominici per vniuersam regionem Anglorum verbi dei se-
„mina vndique seminauit. Ibat namque semper tam in via peregrinationis suæ versus An-
„gliam, & in Anglia tam post prælatum quam antea pedes absque vehiculo, patiens labo-
„rum, & vestigia sanctorum Apostolorum, nihil secum tulerat in hac peregrinationis
„via, de cupiditate mundana liber, & expeditus currebat mandatorum semitam, trahens
„secum sequacia agmina. Sed vt paucis multa comprehendam, visis tot miraculorum signis
„turmatim ad baptismum conuolarunt, sacrificia idolorum abnegando.

Apostolicus modus prędicandi quo vsus Augustinus.

„Suscepto pallio à beato Gregorio per Laurentium & Petrum, de quibus supra fit mentio
„Dorobernium reuersus est, & cum Apostolicis insignijs in sua sede consecratus inthroni-
„zatus: & in præfato monasterio monachos inibi perpetuis temporibus Deo seruituros
„instituens, Petrum monasteriali prælatione dignum eidem collegio pręfecit rege astipu-
„lante in Abbatem primum. Anno dominicæ incarnationis 605 Ethelbertus rex in fide ro-
„boratus catholica, vna cum * beata regina filioque ipsorum Eadbaldo, ac Reuerendissimo
„Præsule Augustino cæterisque optimatibus terræ, solemnitatem natalis dominici celebra-
„uit Cantuariæ. Conuocato igitur ibidem communi concilio tam cleri quam populi, die
„quinto idus Ianuarij, omnium & singulorum approbatione & consensu monasterium su-
„pradictum per ipsum B. Augustinum Deo & monachis ibidem perpetuò Domino Deo serui-
„turis cum dotatione eiusdem tradidit, atque perpetua libertate donauit, possessionibusque
„terrarum varijs, & alijs donis amplissimis ditauit, ac eidem monasterio congregationem
„monachorum, eisdemque Petrum monachum superius nominatum ad Abbatiam præpo-
„suit. Et vt hæc legentibus manifestius appareant, tenorem codicillorum Regis Ethelberti
„& Augustini dignum duxi annotare.

Pallium mittitur Augustino.

* Berta

„In nomine Domini nostri Iesu Christi. Notum sit omnibus tam præsentibus quam poste-
„ris quod ego Ethelbertus Dei gratia Rex Anglorum per Euangelicum genitorem meum
„Augustinum de Idololatra factus Christicola tradidi Deo per ipsum antistitem aliquam
„partem terræ iuris mei sub orientali muro ciuitatis Doroberniæ, vbi scilicet per eundem
„in Christo institutorem monasterium in honorem principum Apostolorum Petri & Pauli
„condidi; & cum ipsa terra, & cum omnibus, quæ ad ipsum monasterium pertinent, per-
„petua libertate donaui, adeo vt nec mihi, nec alicui successorum meorum regum, nec vlli
„vnquam potestati siue ecclesiasticæ siue sæculari quicquam inde liceat vsurpare, sed in ip-
„sius Abbatis sint omnia libera ditione. Siquis vero de hac donatione nostra aliquid immi-
„nuere, aut irritum facere tentauerit, authoritate Dei & B. Papæ Gregorij, nostrique Apo-
„stoli Augustini simul & nostra imprecatione sit hic segregatus ab omni sanctæ ecclesiæ cō-
„munione, & in die iudicij ab omni electorum societate. Circumcingitur hæc terra his ter-
„minis: In oriente ecclesia S. Martini, & inde ad orientem Sibbendoune, & sic ad Aqui-
„lonem be Ykingmearck, iterumque ad orientem & ad Austrum be Burgaweremarka, & sic
„ad austrum & occidentem be Kingsmearke, iterum ad Aquilonem & occidentem be Kin-
„gsmearke, ad occidentem to Rederchepe, & ita ad Aquilonem to Drentingstreet. Actum
„est hoc in ciuitate Doroberniæ anno ab incarnatione Christi 605. indictione octaua. † Ego
„Ethelbertus rex Anglorum hanc donationem meam signo sanctæ crucis propria manu
„confirmaui. †. Ego Augustinus gratia Dei Archiepiscopus libenter subscripsi. † Edbal-
„dus Regis filius faui. † Ego Hannigisilus Dux laudaui. † Ego Hocca comes consensi. †
„Ego Augemundus referendarius approbaui. † Ego Graphio comes benedixi. † Ego
„Tangisilus regis Optimas confirmaui. † Ego Pinca consensi. † Ego Gedde corrobo-
„raui.

Prædicta autem finium occultata interpretatio traditur sic intelligentiæ modernorum.
Circumcingitur &c in oriente ecclesia sancti Martini, & inde ad orientem be Mellehalle;
„& sic ad Aquilonem be Wilkesencuche, iterum ad orientem & ad austrum vsque ad Fishe-
„poole, & sic ad austrum & occidentem vsque ad regiam viam ducentem ad Chaldam crou-
„che vsque Cantuariam, sicque ad occidentem to Roderchepe, & ita ad Aquilonem to
„Drentington.

Subijcit deinde autor aliam præfati regis donationem; tenoris sequentis. „Rex Anglorum
„Ethelbertus misericordia Dei omnipotentis Catholicus, omnibus suæ gentibus fidelibus
„& aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi beata spe expectantibus,
„salutem vitæque æternæ beatitudinem largiente summi Regis clementia. Ego Ethelbertus

„ in solio paterno confirmatus, paceque diuinitus concessa eo iam per decem quinquennia
„ sceptrigera potestate potitus, per venerabiles sacrę fidei doctores spiritus sancti gratia
„ irradiatus, ab errore falsorum deorum ad vnius veri dei cultum toto corde conuersus: ne
„ ingratus beneficiorum appaream illi, qui de sua è cælis sancta sede nobis in regione vm-
„ bræ mortis sedentibus lux veritatis emicuit; inter alias, quas fabricaui ecclesias, monitu &
„ hortatu beatissimi Patris Gregorij & sancti patris nostri Augustini Episcopi, beatissimo
„ Apostolorum principi Petro, & doctori gentium Paulo monasterium à fundamentis con-
„ struxi, illudque terris, varijsque possessionum donarijs decorare statui, inibique monachos
„ Deum timentes aggregari feci: & cum consilio eiusdem reuerendissimi Archiprẹsulis Au-
„ gustini, ex suo sancto sanctorum collegio venerabilem virum secum ab Apostolica sede
„ directum Petrum monachum elegi, eisque, vt ecclesiasticus ordo exposcit, Abbatem prę-
„ posui. Hoc igitur monasterium ad prouectum debiti culminis promouere desiderans, sua-
„ rumque possessionum terminos dilatare gestiens, sana mente, integroque consilio, cum
„ Eadbaldi filij mei, aliorumque nobilium optimatum meorum consensu, ob redemp-
„ tionem animæ meæ, & spem retributionis æternæ, obtuli ei etiam villam nomine Sturiag,
„ alio nomine dictam Chisteley, cum omnibus reditibus ei iure competentibus, cum man-
„ cipijs, syluis cultis vel incultis, pratis, pascuis, paludibus, fluminibus, & contiguis ei ma-
„ ritimis terminis eam ex vna parte cingentibus, omniaque mobilia vel immobilia in vsus
„ fratrum sub regulari tramite, & monastica religione inibi deo seruientium; missarium etiã
„ argenteum, sceptrum aureum; item sellam cum fræno auro & gemmis ornatam, speculum
„ argenteum, * armigausa oloserica, camisiam ornatã quæ mihi de domino Gregorio sedis
„ Apostolicæ directa fuerat: quæ omnia supradicto monasterio gratanter obtuli. Quod etiã
„ monasterium ipse seruus dei Augustinus sanctorum Apostolorum ac martyrum reliquijs,
„ varijsque ecclesiasticis ornamentis ab Apostolica sede sibi transmissis copiosè ditauit, sese-
„ que in eo, & cunctos successores suos ex auctoritate Apostolica sepeliri præcepit, scriptura
„ dicente, * non esse ciuitatem mortuorum sed viuorum; vbi & mihi, & successoribus meis
„ sepulturam prouidi, sperans me quandoque ab ipso Apostolici ordinis principe, cui do-
„ minus potestatem ligandi atque soluendi dedit, & claues regni cælorum tradidit, à pecca-
„ torum nexibus solui, & in æternæ beatitudinis ianuam introduci. Quod monasterium, nul-
„ lus episcoporum, nullus successorum meorum regum in aliquo lędere aut inquietare prę-
„ sumat: nullam omnino subiectionem sibi vsurpare audeat: sed Abbas ipse, qui fuerit or-
„ dinatus, intus & foris, cum consilio fratrum secundum timorem Dei liberè eam regat &
„ ordinet: ita vt in die domini dulcem illam pijssimi redemptoris nostri vocem mereatur
„ audire, dicentis, Euge sena bone &c. Hanc donationem meam in nomine Patris & filij &
„ spiritus sancti largitate diuina, vt mihi tribuatur peccatorum remissio, per omnia cum cõ-
„ silio reuerentissimi patris Augustini condidi, idque ad scribendum Augemundum presby-
„ terum ordinaui. De his igitur omnibus, quæ hic scripta sunt, siquis aliquid inde minuere
„ præsumpserit, sciat se æquissimo iudice deo, & beatissimis Apostolis Petro & Paulo ratio-
„ nem esse redditurum. Confirmata est hæc donatio, præsentibus testibus, Reuerentissimo
„ patre Augustino Doroberniæ ecclesię Archiepiscopo primo, Mellito quoque & Iusto Lon-
„ doniensis & Roffensis ecclesiæ præsulibus, Edbaldo filio meo, Hamigislo, &c & alijs plu-
„ ribus diuersarum dignitatum personis. Actũ sanè 45. anno regni nostri, anno domini. 605.

Lege armiclausa; quoddam genus vestis quas nunc dalmaticas vocamus.

Non lũ ea tempestate licuit in vrbibus habere cœmiteria.

Subijcit huic scripturæ autor historiæ: „ Ista Xenia, missarium scilicet argenteum & cæ-
tera, quo iam deuenerunt, penitus ignoramus. Quidam opinantur, quod tempore, quo
„ Dani istam terram vastarunt, propter frequentes eorum in partibus istis irruptiones, ista
„ fuerunt abscondita in locis abditis, sicut & multæ reliquiæ tunc fuerunt, quæ nondum sũt
„ omnes adhuc patefactæ. Alij dicunt, quod tempore redemptionis Regis Richardi à car-
„ cere ducis * Ostriciæ, prædicta Xenia fuerunt extracta ab hoc monasterio, sicut & calices
„ & cætera vasa aurea & argentea in adiutorium redemptionis antedictæ. Quod saltem de
„ omnibus, non videtur esse verum, nam reliquiæ, quas sanctus Augustinus superius mon-
„ stratur huic monasterio dedisse, multæ manent vsque adhuc, sicut crux bifurcata, & de tu-
„ nica inconsutili, & de capillis beatæ Mariæ, & de virga Aaron & alia multa, quæ longum
„ esset enarrare; Habemus & bibliam sancti Gregorij, & * Euangelium eiusdem, & quasdã
„ cappas veteres, quæ omnia idem Gregorius misit Augustino vna cum pallio per Lauren-
„ tium presbyterum, & Petrum monachum.

Austriæ

quod adhuc extat in bibliotheca Cottoniana.

Subiungamus ex eadem historia & priuilegium ipsius S. Augustini, huic cœnobio suo cõ-
cessum cuius originale sub bulla plumbea inter alia antiquitatis monumenta seruatur penes
nobilissimum equitem, dominum Henricum Spelmannum; est autem tenoris sequentis.

Augusti-

,, Augustinus Episcopus Dorobernensis sedis famulus, quem superna inspirante clementia beatissimus papa Gregorius Angliæ genti Deo acquirendæ legatarium misit ac ministrum, omnibus successoribus suis Episcopis, cunctisque Angliæ Regibus cum suis posteris, atque omnibus Dei fidelibus in fide & gratia salutem & pacem. Patet omnibus, quod Deo amabilis Rex Ethelbertus primus Anglorum regum Christi regno sanatus nostra instantia, & sua prodiga beneuolentia inter cæteras ecclesias quas fecit & episcopia, monasterium extra metropolim suam Doroberniam in honorem principum Apostolorum Petri & Pauli regaliter condidit, & regalibus opibus ampliśque possessionibus ditauit, magnificauit, perpetua libertate & omni iure regio cum omnibus rebus, & iudicijs intus & foris illò pertinentibus muniuit, suoque regio priuilegio, & superni iudicij imprecatione, atque Apostolica sanctissimi Papæ Gregorij intermina tione excommunicatoria contra omnem iniuriam cōfirmauit. Ego quoque eiusdem libertatis adiutor & patrocinator omnes successores meos Archiepiscopos, omnesque ecclesiasticas vel sęculares potestates per Dominum Iesum Christum & Apostolorum eius reuerentiam obtestor, atque Apostolica memorati Patris nostri Papæ Gregorij interminatione interdico, ne quisquam vnquam vllam potestatē aut dominatum aut imperium in hoc dominicum vel Apostolicum monasterium, vel terras, vel ecclesias ad illud pertinentes vsurpare præsumat, nec vlla prorsus subiugationis, aut seruitutis, aut tributi conditione vel in magno, vel in minimo Dei ministros inquietet aut opprimat. Abbatem à suis fratribus electum in eodem monasterio, non ad sui famulatum, Sed ad dominicam ministerium ordinet; nec sibi hunc obedire, sed Deo suadeat; nec verò sibi subiectum, sed fratrem & consortem, sed collegam in comministrum in opus Dominicum eum reputet. Non ibi missas, quasi ad suę ditionis altare, nec ordinationes, vel benedictiones vsurpatiuè, sine Abbatis vel fratrum petitione exerceat: nullum sibi ius cōsuetudinarium vel in vilissima re exigat, quatenus pacis concordia vnum sint in domino vterque; nec quisquam quod absit dominandi dissidio in iudicium incidat diaboli, qui superba tyrannide corruit de cælo. Reges gentium (inquit Dominus) dominantur eorum, vos autem non sic; cumque ab alienigenis, non à filijs accipiantur tributa, sic ipse dominus concludit, ergo liberi sunt filij. Qua erga irreuerentia patres ecclesiarum in filios regni Dei sibi vendicant dominationem? maxime autem in hanc ecclesiam sanctorum thesaurariam, in cuius materno vtero tot Pontificum Doroberniæ, Regumque ac principum corpora speramus alma refouenda sepulturæ requie, ex authoritate scilicet Apostolica, & hinc ad æternam gloriam resuscitanda. Tales supremi iudicis amicos siquis offendere non metuens huius priuilegij statuta violauerit, vel violatorem imitando vim suam tenuerit, sciat se Apostolico B. Petri gladio per suum vicarium Gregorium puniendum, nisi emendauerit. Hæc igitur omnia, vt hic sunt scripta, Apostolica ipsius Institutoris nostri Gregorij comprobatione & authoritate seruanda sancimus, suoque ore confirmamus, præsente glorioso rege Ethelberto, cum filio suo Eadbaldo, & collaudante cum ipso, & omnibus optimatibus regijs atque vltrò volentibus reuerendissimis fratribus nostris à sancta Romana ecclesia huc mecum, vel ad me in Euangelium domini destinatis, scilicet Laurentio, quem nobis Deo fauente successorem constituimus, & Mellito Londoniarum Episcopo, & Iusto Roffensi Episcopo, & Petro venerabili eiusdem monasterij principum Apostolorū Abbate primo cum cæteris in Domino adiutoribus meis; obinxe postulantibus, simulque in eos, qui hęc fideliter seruauerint, benedictionem; aut in impænitentes, quod volumus, transgressores damnationem exercentibus. Deinde prosequitur author historiæ: Istud priuilegium habetur sub bulla eiusdem Augustini plumbea: de quo nemo miretur, nam cum Augustinus Romanus esset & legatione Anglorum Apostolus, eundem poterat seruare modum quantum ad personæ suæ dignitatem ratione legationis suæ Apostolicæ in ecclesia Anglicana, quem modum tunc seruauit Domnus Apostolicus Gregorius in Ecclesia Romana. Similiter etiam modernis temporibus quidam Episcopi in partibus transmarinis vtebantur bulla plumbea: vnde cum prædictum Augustini priuilegium argueretur falsi propter bullam plumbeam ab Archiepiscopo Cantuariensi, Richardus quidam Episcopus transmarinus dedit Domino Philippo Comiti Flandriæ talem bullam plumbeam, qua ipse Episcopus & antecessores sui vtebantur: quam bullam idem comes ad maiorem veritatis euidentiam misit Abbati S. Augustini: quæ bulla plumbea cūm cæteris munimētis semper reseruatur: in cuius bullę vna superficie hæc est scriptura, sigillum protomartyris Stephani, alterius superficiei scriptura minus apparente. Sancti autem Gregorij nullum omnino habemus priuilegium: nam idem Papa anno, 605. quarto idus Martij diem clausit extremum. Finit hanc totam narrationem autor historiæ Spina, chronologia exacta ætatis

Priuilegium S. Augustini

Tépus mortis S. Augustini.

S. Augustini, quem ex textu S. Adriani Abbatis (martyrologico libro, quem S. Adrianus Abbas monasterio illi reliquerat) probat defunctum fuisse anno 605. Septimo Kalendas Iunij: Cum igitur ad Angliam missus fuerit anno 596. & anno insequenti ordinatus Archiepiscopus, anno vero 601. palliũ susceperit, & tandem mortuus anno 605: fit vt falsa sit illorum opinio, qui eum non nisi anno 615. defunctum existiment, & annos 16. in episcopatu transegisse.

Confutatia ex his priuilegijs deducta.

Ex his autem primis Cœnobij huius priuilegijs, quæ ipse fundator Ethelbertus, & confirmator Augustinus concesserunt, conficimus primam rationem, cur illud cœnobium à prima sui origine fuerit Benedictinum. Ex istis enim manifeste constat, primos eius monachos & Abbatem ex sodalitio S. Augustini, & (vt loquitur Ethelbertus) ex ipsius sanctorum collegio fuisse: at hos ostendemus Benedictinos fuisse, cum de ipsa æde Christi Cantuariæ sermo est instituendus. Deinde in vtroque priuilegio, Regis & Archiepiscopi, aperte respicitur ad regulam sancti Benedicti; Nam Ethelbertus ait se ibi constituisse fratres *sub regulari tramite, & monastica*, religione Deo seruientes: regulam autem monasticam tunc temporis Anglia, imo occidens totus nullam aliam nouerat, pręter Benedictinam, quæ esset à monasterijs tanquam ius quoddam ipsorum obseruanda; siquidem regula S. Augustini nondum occidenti innotuerat, sed post aliquot sæcula primum Romæ sese ostendere cæpit, cum basilica Lateranensis, & nũcupatio cõgregationis Lateranensis illius regulæ canonicis est à Põtificibus concessa. Rursus in fine priuilegij sui idem gloriosus rex Ethelbertus, quasi exscribit admonitionem S. Benedicti in capite de ordinatione Abbatis: Rex *ait*; *Abbas ipse qui fuerit ordinatus intus & foris cum consilio fratrum secundum timorem* Dei *libere eam regat & ordinet: ita vt in die domini dulcem illam pijssimi redemptoris nostri vocem mereatur audire dicentis. Euge serue bone &c.* Quæ quis non videt ad illa S. Benedicti palam alludere in prædicto capite de ordinando Abbate monentis Abbatem, *vt sic omnia temperet, & sic regulam in omnibus conseruet, vt dum bene ministrauerit, audiat à domino, quod seruus bonus, qui irogauit triticum conseruis suis in tempore suo, Amen dico vobis* (*ait*) *super omnia bona sua constituet eum*? Et quis dubitet hic etiam non respici ad caput regulę de adhibendis ad consilium fratribus, vbi præcipit S. Benedictus Abbati, *vt audiens consilium fratrum, tractet apud se, & quod vtilius iudicauerit iuste & prouide faciat, & in eius pendeat arbitrio, quod debeat fieri*: quod hic pius rex ait, *cum consilio fratrum secundum timorem dei libere regat & ordinet*: Amannuensi enim seu notario vsus Augemundo, proculdubio monacho aut rerum monasticarum perito (neque enim alios habebat Augustinus presbyteros) ex ipsa monachorum regula desumit, quæ ad eorum instituta & priuilegia maxime faciebant. Augustinus item in suo priuilegio aperte regulam S. Benedicti indicat, dum *Abbatem a fratribus electum, & non aliunde*, vult ab Episcopis ordinari: quod iam superius ostendimus regulæ Benedictinæ per illa tempora proprium esse: & magna cura à fundatoribus monasteriorum nostrorum regibus pijs inculcatum, ne autoritate sua regali Abbates licentiosius monachis imponerent. Denique omnis illa Augustini ad successores suos cohortatio, ne quomodo in monasterium suum dominatum exercerent, ex doctrina & consuetudine Institutoris sui Gregorij desumpta est, qui (vt constat ex constituto Gregorij pro quiete monachorum edito; qui habetur in tomis conciliorum: & ex priuilegio concesso cœnobio Suessionensi S. Medardi) similia prorsus habet verba, similesque sententias; vt proinde qui illud Præceptoris Gregorij constitutum, & priuilegium S. Medardo concessũ legerit, quod ex ipso priuilegio constat fuisse Benedictinũ: etiam hoc priuilegium à discipulo Gregorij Augustino concessum legens, non dubitabit ipsum monachis Benedictinis fuisse donatum.

Pręterea cum ex his priuilegijs constet, illam formam monasticæ disciplinæ, *illum tramitem regularem* fuisse introductum, qui maxime placeret Augustino & Gregorio (nempe à cuius ore, id est, cuius vice tanquam legatus ipsius, vult monachis illis in perpetuum deo seruituris priuilegium hoc confirmatum iri.) & proculdubio illam monasticam religionem, quã Augustinus ipse, & commonachus eius Petrus primus loci Abbas ipsi professi fuerant: Scire velim ab ijs, qui eam non putant fuisse Benedictinam, quando nam cæperit illa prior desinere, vt Benedictinæ posteriori locum daret? Aut dicant, qua fronte, quo animo ausi fuissent contra mentem Augustini Apostoli & confirmatoris, atque institutoris sui religionis monasticæ normam ab ipso introductam abijcere, & aliam assumere? non reuerebantur Scilicet Apostoli sui memoriam, cuius sacrum corpus intra ecclesiæ suæ sanctuarium haberent reconditum? non reuerebantur comminationem anathematis authoritate dulcissimi Patris sui Gregorij factam in eos qui priuilegia hæc imminuerent aut mutarent? Aut forte minoris ponderis aut momenti existimanda esset mutatio facta in spiritualibus, hoc est in

regulari

regulari disciplina, quam in temporalibus, siue possessionibus aut latifundijs? Nullo modo. Sed illi procul dubio sanctissimum eorum temporum Præsules & monachi lōge pluris faciebant vel minimam cuiuscumque regularis obseruantiæ apicem, quam quantascumque mundanarum rerum varietates. Quādoquidem igitur sub Theodoro Archiepiscopo, & Adriano Abbate certum sit Augustinense cœnobium fuisse Benedictinum, (nam Benedictus Biscopius eiusdem loci Abbas ante Adrianum fuerat. eique cedens Geruicense cœnobium condidit, de quo iam antea ostendimus regulam S. Benedicti professum fuisse.) nec vllo modo credibile est, quin potius valde inuerecundum existimare Theodorum & Adrianum passuros illam disciplinam imminui quam sancti Gregorij discipuli in eo cœnobio constituissent: certe pene dixerim inuerecundum esse, existimare illam ipsam disciplinam non fuisse Benedictinam.

Narrat autor noster, quem hucusque exscripsimus, Thornæus, siue Spina; *Cuthbertum Archiepiscopum Cantuariensem in synodo apud Clouesho anno domini 747. mense septembri habita, omnibus Anglorum Episcopis subscribentibus inter cætera illius synodalia acta decreuisse, vt festiuitates sancti Gregorij Papæ, & sancti Augustini Anglorum Apostoli perpetuis temporibus præcipua solemnitate obseruarentur, Rege Ethelbaldo Merciorum tunc cum optimatibus præsente & approbāte:* Quorum ergo memoriam festiua solemnitate glorificabant: eorum institutionem eo ipso tempore in irritum labi, prorsusque contemni permitterent? Prorsus incredibile. Quid quod in omnibus Anglorum, & Germanorum monasterijs iam inde ab exordio ipsorum festum S. Benedicti cum vigilia, eo modo quo & S. Gregorij Apostoli sui solemniter celebrabant, idque sub titulo Patris ac Patriarchæ monachorum? Docet hoc Cornelius Scultingius ex antiquissimo manuscripto missali Fuldēsi (quod statim à martyrio ipsius sancti videtur scriptum, vt argumentis euidentibus idem Scultingius demonstrat) vbi officium diei tale est. Collecta: *Omnipotens æterne Deus qui radiantibus B. Benedicti confessoris tui exemplis arduum tuis imitabile famulis iter fecisti, da nobis inoffensis per eius instituta greßibus pergere, vt eiusdem in regione viuentium mereamus gaudijs admisceri.* Iam præfatio propria: *Honorandi Patris Benedicti gloriosum celebrantes diem, in quo hoc triste sæculum deserens ad cælestis patriæ gaudia migrauit æterna: qui sancti spiritus repletus dono decori monachorum, gregis dignus pater effulsit, & quod sacris monuit dictis, sanctis impleuit operibus; vt quam diuinis inchoauerat oraculis semitam, exemplis monstraret lucidis; & gloriosa monachorum plebs paterna intuens vestigia ad perpetua lucis æternæ præmia venire mereantur, per Christum Dominum nostrum.* Oratio tandem super populum, (quæ illis temporibus vsurpabatur, pro illis qui non communicabant in sacro, quod audiebant) *Omnipotens & misericors deus, qui B. Benedictum ad cælorum gloriam discipulis videntibus migrare fecisti, da nobis, vt sicut ille egregius pastor extitit monachorum, ita nos quoque orationibus eius adiuti illius exempla sectantes, te auxiliante ad vitam peruenire mereamur æternam.* Quod si in Fuldensi Abbatia iam à nongentis & amplius annis S. Benedictus *Pater, & Pastor, & patronus totius plebis monachorum* habebatur à nostris monachis Anglis Germaniæ prædicatoribus: sane quin illa fuerit communis & explorata omnium Anglorum fides & traditio nemo poterit dubitare. Et verò in eodem missali est peculiaris oratio pro congregatione Fuldensi, quæ talis est: *Deus Pater omnipotens & verus pastor fidelium animarum, concede famulis tuis in hoc præsenti monasterio S. Bonifacij martyris tui sub regula B. Benedicti constitutis in tuo amore charitatem & pacem, vt quibus in vnum congregatis tributa est communio facultatum, sit etiam te miserante sancta coniunctio animorum.* Cum autem iam antea demonstratum à nobis sit S. Bonifacium sociosque ipsius Germaniæ prædicatores, à prima pueritia regulæ Benedictinæ artibus fuisse educatos; certè hæc ipsorum in officijs diuinis tam præclara B. Benedicti regulæque eius professio, & proclamatio, rem facit indubiam primos Apostolos ipsius Angliæ à D. Gregorio missos etiam Benedictinos fuisse; nec aliam regulam, quam Benedictinam cœnobijs à se fundatis iniunxisse custodiendam.

Et potest hoc ipsum ex epistola Pontificis Innocentij exhortatoria pro morum honestate conseruanda ad Abbatem & monachos S. Augustini scripta circa annum domini 1139. quæ talis extat apud eundem Spinam & vna cum alijs huic cœnobia concessis priuilegijs habetur in officio regio Rememoratoris in Scaccario Westmonasterij in veteri manuscripto, quod matricula S. Augustini vocatur. *Innocentius Episcopus &c. Literas & nuntios vestros Paterna benignitate suscepimus, & ea, quæ nobis significastis diligenter attendimus. Et nos quidem monasterium vestrum, vt pote sub B. Petri tutela & proprietate consistens, speciali amore diligere volumus, atque in libertate a prædecessoribus nostris & nobis ei collata familiariter confouere, vestrosque turbatores autoritate Apostolica comprimere. Vestra itaque dilecti in Domino filij interest, vt sicut monasterium vestrum in Anglia religionis fuit initium, ita nihilominus ad monasticæ professionis obseruantiam lau-*

Argumētum à Pontificum autoritate Innocētij tertij.

 dabiliter

dabiliter intendatis, & tales vos coram Deo & hominibus exhibere curetis, quod Deus omnipotens de vestris actibus honoretur, sedes Apostolica maternis affectibus gratuletur. Mandamus etiam vobis vt bibliam manualem parui voluminis, qualem Romanum Pontificem habere deceat, ad opus nostrum fieri. Quia vero dilecte in domino fili Hugo occasione parentum tuorum idem monasterium multa damna & grauamina sustinere accepimus: mandando tibi præcipimus, quatenus eos à dominatione maneriorum monasterij amoueas vt locus ipse ab huiusmodi onere liberetur, & persona tua nullam exinde blasphemiam vel peccatum vlterius incurrere mereatur. Hubertum quoque monachum, quem turbatorem fratrum & eidem loco perniciosum esse audiuimus, ad suum monasterium, videlicet sancti Andreæ, redire compellas: & negotia ipsius loci Prioris & fratrum consilio, non extraneorum quorumlibet ordines atque pertractes, & numerum eorum, qui imminutus esse dicitur consilio eorundem, de honestis & religiosis personis studeas adimplere. Præcepta etiam quæ in Apostolicis priuilegijs collatis præfato monasterio continentur, firmiter teneas & obserues. Præterea si qua tibi vel fratribus tuis aduersi contigerit, tuum erit ad communem omnium fidelium matrem ecclesiam Romanam recurrere, vel eosdem fratres suos transmittere, vt tam tu quam ipsi dignis apud nos consolationibus foueantur, & à suis oppressionibus releuentur. Eodem tempore scripsit idem Innocentius commendatitias pro hoc monasterio literas ad Stephanum Angliæ regem, quas autor noster Spina refert, huiusmodi: *Innocentius Episcopus &c. Quanto omnipotens Deus &c. Vnde etiam tibi est iniuncta necessitas religiosa loca diligere, & quæ B. Petri sunt, filialis deuotionis intuitu nullis iniurijs aut molestijs fatigari permittere. Securè namque contra aduersarios consistit in terris, quisquis eundem Apostolorum principem patronum habere meretur in cœlis. Nunquam enim regnum tuum melius confirmari poterit vel augeri, quam si ecclesias vel personas ecclesiasticas studueris venerari. Proinde serenitati tuæ rogando mandamus & hortamur in domino, quatenus monasterium S. Augustini Cantuariensis, (quod vtique idem beatus vir Apostolorum principi obtulit, & Romani Pontifices ac prædecessor tuus Ethelbertus Anglorum rex libertate donarunt, & suis priuilegijs munierunt, nullis molestijs inquietes, aut ab aliquo infestari permittas: Sed sic illud ab omnibus forinsecis perturbationum tumultibus protegas, vt & illi, qui intus deo seruiunt, de sua quiete & libertate congratulantes ipsi Deo pro te & pro pace regni tui preces fundere attentius studeant & nos strenuitati tuæ vberiores inde gratias agere valeamus.* Hęc Innocentius Pontifex doctissimus vbi hoc ipsum monasteriũ, quod Stephano regi cõmendauit, quodque tunc temporis nemo dubitat fuisse Benedictinum, idem videlicet prorsus esse agnoscit, quod Augustinus B. Petro dicauit, quod Ethelbertus fundauit, quod prædecessores eius Pontifices Romani priuilegijs suis decorarunt, & hoc de eodem pronunciat elogium, *quod religionis in Anglia fuerit initium*: cuius vero religionis, nisi quam ipsi tum, cum hæc scriberet Pontifex, profiterentur; quam proinde ex huius priuilegij consequentia eandem esse oportuit cum ea, cuius initium in Anglia monasterium illud extitisse Pontifex affirmat?

Consectarium ex hoc priuilegio.

Eadem fuit Pontificis Bonifacij mens in alio priuilegio amplissimæ exemptionis, quod huic Abbatiæ concessit, quod in Abbatiali matricula prædicta sic refertur. Bonifacius E„piscopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Abbati & Conuentui S. Augustini Cantuariæ „ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, salutem & Apostolicam Benedictionem. Circumspecta sedis Apostolicæ prouidentia qualitates agendorum „cum summa deliberatione discutiens, fidelium statui libenter prosperitatis incrementa „procurat, noxia subtrahit, & molestis viã pręcludit euentibus, prout negotij qualitas exi„git, personarum & locorum requirit conditio, & instantia æquitatis exposcit. Et idcircò „quãuis vniuersæ orbis ecclesiæ Apostolicę sedi, quæ, disponente domino super illas princi„patũ obtinet, ordinariæ potestati subesse noscatur: aliquas tamen interdũ sedes ipsa de suæ „autoritatis plenitudine specialius sibi subdit, sic eas à cuiuslibet iurisdictione prorsus eri„piens, vt nullũ sibi, nisi Romanũ Pontificẽ, superiorẽ & dominũ recognoscãt, constituẽdo „ipsas quodã singulari priuilegio liberas penitus & exemptas, vt earũ, vitatis noxijs, votiuis „successibus & quietis plenitudine prosperentur. Nos quidẽ ad Apostolicæ dignitatis apicẽ „superna dispositione vocati, ex incumbente nobis pastoralis officij debito, circa omniũ ec„clesiarũ statũ solertem considerationem habentes, ad vos & monasterium vestrũ instantia „propensioris solicitudinis excitamur; & tanto libentius & fauorabilius quietis vestræ cõ„moda vestrorũq; incrementa profectuũ promouimus, quanto per amplius beatorũ patrũ, „Benedicti & Augustini recolendas memorias reueremur; quantoque benignius vos & mo„nasterium prælibatum, de quorum fama laudabili, & virtutum exercitio fragrantiam sua„uitatis accepimus, paternæ synceritatis affectibus amplexamur. Sane petitio vestra nobis „exhibita continebat, quod licet monasterium vestrum à principio fundationis ipsius, à tẽ„pore cuius memoria non existit, cum omnibus membris suis existentibus vbicunque fuerit exemptum,

Bonifacij octaui.

„exemptum, per specialia priuilegia sedis Apostolicæ à iurisdictione qualibet ordinaria, „prout euidentius in ipsis priuilegijs continetur: Vobis tamen postmodum nunc hinc, nunc „inde vexationibus & angustijs fatigatis super huiusmodi exemptionibus & libertatibus „contentis in ipsis; inter bonæ memoriæ Richardum Archiepiscopum Cantuariæ cum sui „consensu capituli ex parte vna, & quondam Rogerium tunc Abbatem cum consensu cō- „uentus dicti monasterij ex altera primò; & postmodum inter quondam Sinonem de Lāg- „ton Archidiaconum Cantuariæ, cum consensu sanctę memoriæ beati Edmundi Archie- „piscopi Cantuarię successoris dicti Richardi, & capituli ecclesiæ Christi Cantuariæ, & quō- „dam Robertum Abbatem illius monasterij cum consensu dicti sui conuentus: ac deinde „inter prætatos Edmundum Archiepiscopum & Archidiaconum, ac eosdem Robertum Ab- „batem & conuentum, quædam compositiones initæ, factæ, seu habitæ fuisse noscuntur: „quarum vna scilicet, cum eodem Edmundo habita, etiam fuit per sedem Apostolicam ex „certa scientia confirmata; Verùm cum per huiusmodi compositiones prædictis vestris pri- „uilegijs & libertatibus non modicum derogetur: nobis humiliter supplicastis, vt proui- „dere vobis & ipsi monasterio super his paterna sollicitudine dignaremur, vos, & illud ad „quietis immunitatis, libertatis & exemptionis plenitudinem reducendo. Nos igitur mo- „nasterium ipsum condignis efferre honoribus & communire libertatibus cupientes; vt „quo minus aliorum molestijs turbatum fuerit, eo amplius diuina gratia prosperetur; ve- „stris supplicationibus inclinati, huiusmodi priuilegia, exemptiones, & libertates eidem „monasterio & vobis à prædicta sede concessa volumus ac decernimus in suo robore per- „manere; ac nihilominus vt in prædictæ sedis sinu plenius quiescatis, vos & monasterium „ipsum cum omnibus membris suis & ecclesijs, capellis, Xenodochijs, hospitalibus, can- „tuarijs, nec non castris, villis, manerijs, domibus, grangijs & possessionibus, terris, rediti- „bus, & quibuscumque bonis ad vos & pręfatum monasterium in præsentiarum spectanti- „bus, ac his quæ ex largirione principum collatione fidelium & alijs iustis modis ac titulis „in posterum dante domino poteritis adipisci, in quibuscumque fuerint diocesibus consti- „tuta, & omnibus personis vestri ordinis & alijs subiectis vobis degentibus in eisdem, ab „omni potestate iurisdictione, subiectione, dominio, tam venerabilis fratris nostri Archie- „piscopi & dilectorum filiorum capituli Cantuariæ qui nunc sunt, & qui pro tempore fue- „rint, quam quorumlibet Archiepiscoporum capitulorum, Abbatum, & prælatorum, & of- „ficialiorum suorum, & aliarum quarumlibet ecclesiasticarum personarum absoluimus, „eximimus, & perpetuo liberamus de Apostolicæ plenitudine potestatis: ac ea omnia tota- „liter & immediate soli duntaxat Romano pontifici & præfatæ sedi decreuimus subiacere: „Ita quod nec idem Archiepiscopus Cantuariæ iure Metropolitico, seu diœcesano, aut lega- „tionis, vel tuitionis prætextu, quas in prouincia Cantiæ habere se asserit, nec Prior & ca- „pitulum dictæ ecclesiæ Christi occasione huius tuitionis, quam in dicta prouincia tem- „pore vacantis ecclesiæ Cantuariæ sibi vendicare dicantur; nec quiuis alius iurisdictionem „quamlibet ordinariam in diœcese seu prouincia Cantuariæ huius tempore vacationis ex- „ercens; nec idem Archiepiscopus, vel quouis ex eisdē Archiepiscopis, Episcopis, seu Præ- „latis, officiarijs, seu ministris, nec quæuis alia persona ecclesiastica, in vos Abbatem & con- „uentum, & prædictum monasterium, aut quæuis membra, vel loca, seu bona ad vos & „monasterium ipsum spectantia, seu quæ spectabunt in posterum quoquo modo; vel in ve- „stros & eiusdem monasterij subditos & personas præfatas, cuiuscumque status vel condi- „tionis existant; vtpote omnino libera & exempta, & præfatę sedi Apostolicæ duntaxat „immediate subiecta, possit vllatenus ex quacumque occasione vel causa iurisdictionem ali- „quam vel potestatem, siue dominium sibi vendicare, exactiones facere, collectas impo- „nere, obedientias vel procurationes exigere, visitationes, vel correctiones facere, aut cen- „suram ecclesiasticam quomodolibet exercere, sine mandato prædictæ sedis Apostolicæ „speciali. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostræ absolutionis exemptionis, libe- „rationis, irritationis, voluntatis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario con- „traire. Siquis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & „beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani 4. cal. „Martij Pontificatus nostri anno sexto. Ecce magnanimus hic Pontifex, ob recolendas Patrum Benedicti & Augustini memorias, monasterium hoc Benedictinum in pristinam libertatem asserit, quam ex priuilegijs fatetur euidentius probauisse sibi suoque conuentui debitam ab ipso eiusdem Abbatię exordio & fundatione. Fuerat ergo testimonio tanto hoc cœnobium in sua prima fundatione Benedictinum, & Benedictini monachi tam Petrus Abbas & monachi quos ibi primum Ethelbertus collocauit, quam etiam Augustinus ipse & socij,

Argumenta ex hoc priuilegio fluentia.

f...cij, quos vtique eiusdem cum Petro monachismi fuisse in confesso est. Quod si hoc nō insedisset omnium animis, tanquam veritas exploratissima: cur Richardus, Simon, Edmundus. Archiepiscopi Cātuarienses in hac exemptionis controuersia non exceperunt, id quod fuerat facillimum, si vllo modo fuisset dubium; olim quidem monasterium illud exemptionis priuilegio fuisse decoratum, quamdiu monachi illius instituti perseuerassent, quod institutū Augustinus & primi illius cœnobij monachi fuissent professi atque amplexi: illos autem Benedictinos non fuisse; ac propterea recentioribus istis Benedictinis, quibuscum tota erat controuersia, nihil prorsus, fauere exemptionum antiquarum prærogatiuas, quippe quæ non illis, sed Equitianis aut alterius schematis monachis fuissent concessæ? Nam dubio procul, si alij fuissent primi monachi, quibus priores pontifices libertatem immunitatis indulserant, ab istis quibuscum Archiepiscopi concertarunt: non magis istis profuissent antiqua priuilegia, quam si Iesuitæ, aut Hieronymiani, aut Basiliani monachi in locum eorum successissent; quibus apertissime & sine vlla circuitione Archiepiscopi dixissent, non vobis, sed alijs, qui nunc nullibi amplius existunt, illa priuilegia sunt concessa. Sed nihil tale fuit obiectum, nihil tale exceptum, cum tamen Ricardus Archiepiscopus (vt superius ex Spina retulimus) contra plumbeam bullam S. Augustini exceperit: multo libentius & fortius contra ipsorum Augustinensium habitum & regulam excepturus, si à regula & habitu primorum monachorum diuersi extitissent, sed illud non poterat obijcere: cum ipsis ecclesiæ Christi monachis, Priori & capitulo, penes quos sede vacante ius Archiepiscopalis regiminis fuit eodem modo similis posset fieri exceptio, cum illi etiam tempore huius controuersiæ Benedictini fuerint, ac proinde si alium habitum Augustinensibus exprobrassent, suū quoque quem gerebant, à prima ecclesiæ Christi fundatione vsurpatum fuisse probare deberent. At Augustinenses titulo primitiuæ exemptionis archiepiscopis Cantuariæ se subducebant, *adeo vt cum anno.* 1379. (narrante Spina supra laudato) Dominus Rex (Eduardus eius nominis primus) *facto homagio regi franciæ pro terris transmarinis rediens in Angliam hospitatus esset in isto monasterio: ad eum Ioannes Peccham Archiepiscopus Cantuariæ cruce prælata accedens, talem tamen protestationem promiserit: Vniuersis Christi fidelibus, ad quos præsentes literæ peruenerint, fr. Ioannes permissione diuina Cantuariæ ecclesiæ minister humilis &c. Noueritis, quod cum nos Abbatiam S. Augustini Cantuariæ in festo S. Dionysij anno* 1279. *causa visitandi Christianissimum Regem Angliæ & Reginam tunc existentes ibidem, cruce præuia intraremus: confitemur & recognoscimus de plano, quod per hoc non intendamus, nec volumus Abbati & conuentui loci eiusdem aliquod præiudicium generare, non per hoc etiam eorum priuilegijs nunc vel in posterum in aliquo derogare, nec nobis aliquid iuris acquirere, quod aliunde nobis aut ecclesiæ nostræ non fuerit acquisitum.* Erat autem hic Peckamus Archiepiscopus Minorita, vir non solum excellenti doctrina, verum etiam præcelsa animi fortitudine illustris, & autoritatis suę tenacissimus Præsul: qui procul dubio facillimè Augustinensibus os occlusisset exemptionis suæ antiquum ius iactātibus, si vel probabiliter iudicassent vlli tunc prudentes, primos Cantuariæ monachos non fuisse Benedictinos.

Argumenta ex diplomate regis desumpta.

Sed extat pręter omnia prædicta insignis charta de Inspeximus, siue diploma confirmatorium præcipuorum priuilegiorum Augustinensis monasterij, ab Edouardo tertio Rege victoriosissimo concessum: in qua cum omnia monasterij munimenta maioris prudentis verbatim inserta recenseantur, & regulæ Benedictinæ aliquoties expressa fiat mentio: nulla tamen apparet vmbra alicuius prorsus mutationis, per quam vel de nouo dicatur introducta prædicta regula, vel alij priori institutioni prælata; quod sine dubio in aliquibus chartis antiquioribus fuisset anectatum, cum talis mutatio vnius ordinis in alium nunquam fiat, nunquam facta legatur, nisi intercedente autoritate principum loci, & pontificum sanctæ ecclesiæ, aut Episcoporum saltem diocesanorum: quorum nihil in huius monasterij scripturis conspicitur, aut ab vllo nostræ gentis autore hactenus fuit productum. Ponemus autem totam Eduardi regis Confirmatoriam, vt ita nostram fidem plenius liberemus:

Diploma Eduardi 3.

„ Anno domini. 1362. (verba sunt registri, Augustinensis) Dominus Rex Edoardus tertius
„ confirmauit chartas tam de manerijs nostris, quam de libertatibus nobis quondam con-
„ cessis. Edwardus Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ & Dux Aquitaniæ, Archie-
„ piscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, iusticiarijs,
„ vicecomitibus, Præpositis, ministris, & omnibus Balliuis, & fidelibus suis salutem. Inspexi-
„ mus chartam claræ memoriæ Domini Edowardi nuper Regis Angliæ, Patris nostri in hæc
„ verba. Edwardus Dei gratia Rex Angliæ Dominus Hiberniæ & Dux Aquitaniæ, Archie-
„ piscopis, Episcopis, Abbatibus Prioribus, Ducibus Comitibus, Baronibus, Iusticiarijs
„ vicecomitibus Præpositis ministris & omnibus Balliuis & fidelibus suis salutem. Inspeximus

chartam

„chartam bonæ memorię Ethelberti quondam Regis Angliæ in hæc verba: In nomine Do-
„mini nostri Iesu Christi: Omnem hominem qui secundum Deum viuit, & remunerari à
„Deo sperat & optat, oportet vt pijs precibus consensum hilariter ex animo præbeat; quo-
„niam certum est, tantò facilius ea, quæ ipse à Deo poposcerit, consequi posse: quantò &
„ipse libentius Deo aliquid concesserit. Quocirca ego Ethelbertus Rex Cantię, cum con-
„sensu venerabilis Archiepiscopi Augustini ac principum meorum, dono & concedo Deo
„in honorem S. Petri aliquam partem terræ iuris mei, quæ iacet in oriente ciuitatis Doro-
„berniæ, ita duntaxat vt monasterium ibi construatur, & res, quę infra memorantur, po-
„testate Abbatis sint, qui ibi fuerit ordinatus. Igitur adiuro & præcipio in nomine Dei om-
„nipotentis, qui est omnium rerum iudex iustus, vt præfata terra subscripta donatione sem-
„piternaliter sit confirmata, ita vt nec mihi nec alicui successorum meorum regum aut prin-
„cipum, siue cuiuslibet cõditionis dignitatibus & ecclesiasticis gradibus de ea aliquid frau-
„dare liceat. Siquis vero de hac donatione nostra aliquid minuere, aut irritum facere temp-
„tauerit: sit in præsente separatus à sancta communione corporis & sanguinis Christi: &
„in die iudicij ob meritum malitiæ suæ à consortio sanctorum omnium segregatus. Cir-
„cumcincta est hęc terra his terminis, in oriente Ecclesia sancti Martini, in meridie via
„de Burgate, in occidente & Aquilone Drentingstreet. Datum in ciuitate Doroberniæ,
„anno ab incarnatione Christi. 605. indict. 6. †. Ego Ethelbertus rex Cantiæ sana mẽte
„integroque consilio donationem meam signo crucis propria manu roboraui confirmaui-
„que. Ego Augustinus gratia Dei Archiepiscopus testis consentiens libenter subscripsi. Ed-
„baldus. Hamigisilus. Augemundus Referendarius, Hocca Tangil. Pinca. Geddy. Inspe-
„ximus insuper chartam Edbaldi quondam regis Angliæ in hæc verba. In nomine Patris
„& Filij & Spiritus sancti. Edbaldus Rex gloriosi Regis Ethelberti filius, quem protodoctor
„& Apostolus Anglorum Augustinus cum suo regno ab æternis infernorum cruciatibus
„eripuit, & dealbatum fonte baptismatis sanctorum collegio copulauit) per venerabilem
„Laurentium B. Augustini discipulum (quem ipse pater nouellæ adhuc Anglorum ecclesię
„sibi successorem in Archiepiscopatu ordinauit) tandem sermonibus assiduis & signis, ac
„plagis in tergo pro me passis ostensis à volutabro scelerum lotus, & ad agnitionem crea-
„toris omnium creaturarum promotus, Dominum Deum meum recognosco & adoro.
„Proinde ego Edbaldus in solio paterno confirmatus patris vestigia imitans, & ecclesias
„Dei, quas vtiliter instantia Patris Augustini fundauit, & terris multis pro honoribus di-
„tauit, augens & confirmans, monasterio Apostolorum Petri & Pauli in suburbio Doro-
„berniæ ciuitatis fundato, & prærogatiua ecclesiasticæ libertatis priuilegio munito, terris
„ac varijs honoribus ditato ad honorem Dei & sanctorum Apostolorum, sanctique Augu-
„stini, pro remedio animæ patris mei, meæque, parentumque meorum gratanter concedo
„& immobiliter do quandam partem regni mei triginta aratrorum, nomine Northborne
„in ipsum monasterium ibidem Deo famulantium, vbi ipse pater Augnstinus & Pater meus
„requiescit, vbi etiam Archiepiscopi & reges sibi succedentes requiescere decreuerunt, vbi
„etiam corpus meum sepeliri præcipio. Hanc autem præfatam terram cum omnibus ad se
„pertinentibus pascuis, paludibus, pratis, syluis, ac finibus maritimis ita liberam ac quietam
„dono ac dico, sicut pater meus aut ego vnquam liberius habuimus. Huius donationis cõ-
„firmationem tropheo Hagiæ crucis †. & charta mea regia consignaui, assidentibus &
„collaudantibus Archiepiscopo baptista scilicet meo Laurentio, & subscribente, cum Re-
„gina mea Emma filijsque meis Egfrido & Ercomberto, cum duobus Episcopis Mellito Lõ-
„doniensi & Iusto Roffensis ecclesiæ, cæterisque multis comitibus & optimatibus meis cõ-
„sentientibus & subscribentibus in huius donationis fautores & auctores vitam æternam
„optantibus: inuidentes & imminuentes, Dei omnipotentis & sanctorum Apostolorum
„& patris nostri Augustini terribilem interminationem. Ego Laurentius gratia Dei Archie-
„piscopus. signo sanctæ crucis †. sicut regem vidi facere, hoc donum confirmo. Ego Em-
„ma Francorum regis filia & Regina Edbaldi copula, vexillo admirandæ †. armaui. Ego
„Mellitus London. Episcopus signo sanctæ †. quæ vidi astipulor. Ego Iustus Roffensis E-
„piscopus laudo & subscribo. † Ego Robertus signo †. libenter corroboro. Ego Ercum-
„bertus attestatione venerandæ †. gratanter concedo, contestor & subscribo. Ego Sinue-
„ardus consensi. Ego Cuthardus subscribo. Actum est hoc anno 618. inductione 4. Inspe-
„ximus etiam chartam Edmundi quondam regis Angliæ in hæc verba. In nomine sanctæ
„Trinitatis. Quamuis decreta Pontificum, & verba sacerdotum velut fundamenta montiũ
„in districtis ligaminibus fixa sunt: tamen plerumque per tempestates & turbines sæcula-
„rium rerum, etiam religio sanctæ Dei ecclesiæ maculis reproborum dissipatur, ac rumpitur.

Idcirco

„Idcirco incertum futurorum temporum statum prouidentes, posteris succedentibus profuturum esse decreuimus, vt ea quæ communi tractatu salubri consilio definiuntur certis „literulis roborata confirmentur. Quapropter Ego Edmundus Rex Angliæ, cæterarumque gentium in circuitu persistentium gubernator & rector, cuidam mihi fidelissimo ministro nomine Sigento deuotionis eius solertia, eiusdemque placatus obsequio, dignatus „sum impertiri duas aratras in illo loco, vbi iamdudum solicolæ illius regionis nomen imposuerunt à Ibrichtisweald. Tali autem tenore hoc præfatæ munificẽtiæ munus tradẽdo „cõcessi, vt possideat & firmiter teneat vsque ad vltimum vitę suæ cursũ cũ omnibus vtensilibus quæ Deus cęlorum in ipso telluris gremio creauit tam in notis causis & ignotis, in „modicis & in magnis, campis, pascuis syluis omnino donans dono libertatem. Et „postquam humani generis fragilitatem deseruerit, & ad desiderabilem * succedentium sibi cuicumque libuerit æternaliter derelinquat, sicut superius prętaui: Sit „autem prædictum rus liberum ab omni fiscali tributo, secularium que seruitiorum * siue „expeditione & pontis arcisue exstructione. Præcipioque in nomine Domini summi, tam „nobis viuentibus, quam etiam diuina præcepta prædicantibus, huius libertatis statuta ad „irritum deducere minimè quispiam præsumat. Quisquis beneuola mente meam donationem amplificare sategerit, in hoc præsenti sæculo vita eius amplificetur fæliciter, & æternæ vitæ gaudia teneat. Siquis autem propria temeritate violenter inuadere præsumserit, „Sciat se proculdubio ante tribunal districti iudicis titubantem timibundumque rationem „redditurum, nisi prius digna satisfactione emendare maluerit. Istis terminibus prædicta „terra circumcincta est, Ostymesingtou &c. Acta est hæc præfata donatio anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi 844. Indictione 2. In hac chronologia, aut est mendũ: aut cæteri chronologi omnes in assignandis annis errant: nam cum duo Edmundi sancti & martyres in Anglia regnarint, prior eorũ Edmundus senior, filius Alcmundi cœpit regnare anno 870. iuxta annales nostros: alter, Edmundus cognomẽto ob fortitudinem ferreum lateris, longe postea, circa annum 1016. Sceptra gessit. Quare adducor vt credam eum qui descripsit ex prototypo deceptum fuisse similitudine apharum antiquarum, & debuisse 877. scribere, quæ summa antiquitus etiam hac modo notari solebat 8ΛΛ, vbi procliue fuit 844 loco earum notarum substituere. Sed pergit Edowardus tertius in charta confirmatoria: „Inspeximus insuper chartam Adelwolph quondam regis Angliæ in hæc verba: Regnante „in perpetuum Domino nostro Iesu Christo cum cuius imperio hęc labens prosperitas in „adustis successibus sedulò permixta & conturbata cernitur; & omnia visibilia atque desiderabilia ornamenta huius mundi quotidie ab ipsis amatoribus transeunt: Ideo beati quique ac sapientes cum his fugitiuis sæculi diuitijs æterna & iugiter permansura gaudia cælestis patriæ adipisci properant. Quamobrẽ ego Adelwolph occidentalium Saxonum rex, „cum consensu ac licentia Episcoporum & principum meorum aliquam partem terræ iuris mei Alher meo principi pro eius humili obedientia in perpetuam hęreditatem libenter „largitus sum, in villa quæ nuncupatur Lenham, id est 40. * Casantos vt habeat & perfruatur, quam diu sub astrifero cælo vitam duxerit, cum omnibus vtilitatibus ad eam pertinẽtibus campis syluis pratis pascuis & piscarijs, & loco in quo sal adipisci potest, & cum „gressu triũ Carrorum in sylua quæ dicitur Blean: & post finem vitæ, illius hæredi cuicumque placuerit, æternaliter relinquat. Terra hæc prædicta secura & immunis omnium rerũ „permaneat regalium & principalium tributorum, & ab exactione operum, furisque compręhensione, simulque omni populariũ grauedine, nisi ab expeditione, & pontis factione, „& arcium munitione. Hæc sunt territoria præfatæ telluris Wilcumma, Vmbringa &c Et „qui hanc meam donationem augere & amplificare voluerit, multiplicet partem eius in „futuro sæculum: siquis autem infringere vel minuere tentauerit, sciat se separatum à consortio beatorum spirituum, & rationem in tremenda die iudicij coram Christo & angelis „eius redditurum, nisi ante satisfactione emendauerit. Scripta est hæc huius donationis „chartula anno dominicæ incarnationis 800. indictione vero 13. in villa regali quæ nominatio Wilton coram idoneis testibus, quorum nomina subtus annexa notantur. † Ego „Adelwolph Rex Cantiæ hãc meam donationẽ manu propria cũ signo sanctæ crucis Christi „roborando confirmandoque subscripsi. Ego Aedelbald dux, filius regis consensi & subscripsi: Ego Adelstan dux hoc consentiens signum crucis imposui &c. Hic etiam errauit „amanuensis noster, qui descripsit: nam Ethelwolphus cœpit regnare anno 839. qui dum Romam profectus esset post aliquot regni sui annos, reuersus filium Aedelbaldum inuenit rebellem, ita vt coactus fuerit regnum cũ eo diuidere: quæ causa est, quod hic se regem Cãtiæ dicat, cum fuerit ante hanc rebellionem etiam maioris partis Angliæ rex. Facta est ergo hęc

Hic Sigentus Monachos fecit hęredes

Desunt in apographo aliquot verba. *req iten. peru ne rit eam*

*deest vnũ aut alterum vocabulum in apographo.

Priuilegium Adelwolphi regis

*vassallos familiariter inseruiẽtes negotijs domesticis domini sui.

hæc donatio post annum 839. quo cæpit Ethelwolphus regnare, & ante annū. 857. quo filius eius Edbald [illegible] (& qui nouercam suam duxit vxorem) solus regnauit, credide-
„tim anno [illegible] Eduardus rex. Inspeximus etiam chartam bonæ memoriæ Cnudi
„quondam regis Angliæ in hæc verba. Ego Cnud per dei misericordiam Basileus Agelnoto
„Archiepiscopo, & omnibus Episcopis, & Abbatibus, Comitibus, Vicecomitib⁹ & omnib⁹
„fidelibus totius Angliæ salutem & amicitiam. Notum sit vobis omnibus mé dedisse sancto
„Augustino Patrono meo corpus sanctæ Mildredæ gloriosæ virginis cum tota terra sua in-
„fra insulam Thaneti & extra, cum omnibus consuetudinibus ad suam ecclesiam pertinen-
„tibus. Hæc omnia ita libera, & quieta reddo Deo & Abbati Aelstano & fratribus loci, sicut
„ego vnquam melius habui, tam in terra quam in mari & in littore, vt habeant & possideāt
„in perpetuum. Et qui hanc donationem meam infringere vel irritam facere temptauerit,
„à Deo omnipotente & omni sancta ecclesia excommunicatus sit, Amen. Inspeximus insu-
„per chartam bone memorię Edwardi quondam Regis Angliæ in hæc verba. Conditor cæli
„terræque Deus, vniuersitate totius creaturæ de nihilo perfecta primum hominem de limo
„formauit, cumque ad imaginem suam configurauit, cui etiam omnium operum suorum
„dominari præcepit, ea videlicet ratione, vt homo rationabilis irrationali vteretur creatura,
„& ipse Deo seruiens obediret, & obediendo creatorem honoraret: Deinde succedente
„generatione in generationem, templa & ecclesias fieri constituens, de primitijs & decimis
„ac de substantia suæ largitionis eas, in nomine suo honorari præcepit. Insuper & per E-
„uangelium nos instruens ait, thesaurizate vobis thesauros in cælo; Quapropter ego
„Edwardus Regis Regum gratia Rex, & Anglorum Princeps, post longam exulationem so-
„lius miserentis Dei nutu in regnum meum reuersus, & in solio patrum meorum residens,
„ecclesiam, quam hortatu B. Augustini Rex Adelbright in honorem Apostolorum Petri &
„Pauli à fundamento construxit, diuersisque donis ditauit, in qua ipsius regis & omnium
„Episcoporum Cantuariæ & regum corpora poni possent, cum omnibus appendicijs, vel
„adiacentijs suis liberam esse annuo & statuo. Quoniam quidem in eadem ecclesia supra-
„dictus rexconditus iacet, eiusque stirpis progenies deo dilecta requiescit virgo Mildreda.
„Ego etiam eiusdem regis stemmate ortus, & regno eius Deo iuuante potitus, Thanatos
„insulam trado quam Egbertus rex iure hæreditario concessit venerabili reginæ Dom-
„neuæ, matri scilicet sanctæ Mildredæ, quantum cerua cursu suo lustrauerat, pro inter-
„emptione duorum fratrum eius Aetheldredi atque Aethelberti, quos iussu eiusdem prin-
„cipis Deo odibilis Thimur iniqua strauit morte, quem mox cælestis vltio terribiliter
„subsequuta est ipsum perimendo. Sed & omnes donationes possessionum vel facultatum
„quas prisco siue moderno tempore prædecessores mei Reges eidem ecclesiæ contulerunt,
„& ego regia potestate contrado, atque firma astipulatione, cum consensu & testimonio
„Episcoporum, ducum, principum, & satellitum meorum, Abbati Aelstano ac monachis
„ibidem sub regula B. Benedicti Abbatis Deo militantibus ad habenda & perfruenda sibi
„perpetua libertate constituens attribuo. Sicui vero hęc largitio displicet, vel siquis, quod
„absit, hanc donationem Zelo ductus diaboli, quoquo ingenio infringere temptauerit, irā
„Dei & omnium sanctorum maledicta incurrat, & subita morte intereat, sicut prædictus
„Dei inimicus Thymur interijt, percutiat eum Deus amentia & cęcitate, ac furore men-
„tis, omnique tempore calumniam maledictionis Dei sustineat, nec sit qui eum liberet, nisi
„pænitens resipiscat, & digna emendatione satisfaciat. Hæc autem traditio regalis in eodem
„loco seruetur inconuulsa & incontaminata, Deo teste, qui dixit, mihi vindictam, & ego
„retribuam: contradicentibus verò ad ruinā, & ad condemnationem in die furoris Domini,
„cum eis, qui dixerunt Domino, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. &c.
Deinde sequuntur priuilegia, seu diplomata Gulielmi conquæstoris, & posteriorum Regum, quæ omnia Rex Eduardus hac *charta de Inspeximus* amplissimè confirmat; nec opus fuit ea hic ponere, quoniam nemo dubitat, quin tempore Gulielmi Regis, & Lanfranci Archiepiscopi Augustinense monasterium fuerit Benedictinum.

Priuilegiū Canuti Regis.

Priuilegium S. Edwardi Confessoris.

Cæterum ex ijs quæ posuimus, manifestum est, iam ante sexcentos annos, hoc est ante ipsa tempora Eduardi Confessoris, hoc monasterium militasse sub regula S. P. Benedicti, vt apertè sanctus ipse Rex in suo testatur diplomate: neque enim tunc primum suscepisse eius regulæ obseruantiam dici potest, licet in illo priuilegio expressa regulæ mentio primum facta sit; tum quia tale quid in isto aut alio quopiam instrumento non insinuatur, neque propterea donationem illam, aut aliam quamuis factam esse innuit, sed potius ob antiquam loci reuerentiam, monachorumque obseruantiā corporumque ibidem dormientium deuotionem; Tum quia idem Aelstanus Abbas Benedictinus est, cui S. Eduardus donationem concedit,

Confutaria ex his priuilegijs.

concedit, & cui antea Canutus Rex corpus & possessiones B. virginis Mildredæ donauit. Quamuis ergo prima regulę Benedictinæ mentio expressa in S. Eduardi Confessoris priuilegio reperiatur, inter ea quæ nos intueri poteramus; tamen, cum ea mentio fiat, non tanquam regulæ nouiter introductæ, Sed tanquam iam olim in eodem cœnobio florentis; nec in vllo prorsus diplomate vel priuilegio authentico fiat memoria mutationis alicuius in obseruantia regulæ; nec in alijs eiusdem cœnobij manuscriptis historijs, in quibus tamen etiã mutationum & actionum minutiorum conseruata est memoria; præterea, cum iam antea probauerimus, tempore Theodori (qui sextus ab Augustino sedit Cantuarię Archiepiscopus) regulam sancti Benedicti in hoc cœnobio fuisse obseruatam: profectò non est negandum, nisi proteruire velimus, quin eadem ibidem à prima cœnobij origine fuerit plantata.

Antiquissimum priuilegium Bonifacij quinti.

Sed omnium dubitandi occasionem amputabit priuilegium Bonifacij quarti concessum Regi Ethelberto fundatori in fauorem huius monasterij, quod ex alia veteri manuscripto eiusdem cœnobio in bibliotheca Catoniana descripsimus, in hæc verba: Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei, glorioso filio Regi Anglorum Aethelberto salutem & Apostolicam benedictionem. Omnipotentis Dei institutione, & Apostolica saluberrima incitamur monitione, vt pro omnium fidelium regimine impigra vigilemus solicitudine. Et quia diuina prouidente clementia totius sanctæ Dei ecclesiæ per vniuersum orbem diffusæ curam gerimus, omnibus nostra suffragia quærentibus auctoritate Apostolica subuenire cupimus: quoniam ex diuina & humana dispensatione sancitum est cunctarum ecclesiarũ negotia nostra reparari vigilantia. Quapropter Rex inclyte, ac fili charissime, omnia quæ tuæ amplectendæ voluntatis studium per coepiscopum nostrum Mellitum poscebat, Apostolica auctoritate libentissimè concedimus; quia nec æquum videtur difficultates pati huiusmodi rem petitam. Laudabilis atque Deo placita petitio tua hæc est, vt ecclesia beatorum Apostolorum Petri & Pauli ad orientem ciuitatis Doroberniæ sita (quam catholicæ religionis amore succensus & sanctissimorum Patrum tuorum Gregorij & Augustini hortatu admonitus in sepulturam tui & successorum tuorum regum & prefatæ vrbis Præsulum à fundamentis construxisti, & ob honorem diuini cultus habitantium sustentationem diuersis donis ditasti, in quæ & monachorum religiosorum congregationem sub Abbate * Ioanne ab hac Apostolica sede directo collocasti, vbi & ipse vester præfatus verè Deo dilectus & in gloria resurrecturus pater Augustinus requiescit) Apostolicis priuilegijs roborata, perpetua libertate donaretur, atque illius spiritualis petræ soliditate solidaretur, cui saluator ait, Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo ecclesiam meam; &, tibi dabo claues regni cœlorum. Huius igitur beatissimi Apostolorum principis auctoritate ordinamus, atque perpetua stabilitate stabilimus, vt pręfatum monasterium Apostolicis prærogatiuis præmunitum, in initio nascentis Christianæ religionis in vestro regno constructum, atque in monastico ordine primum, cum omnibus ad se pertinentibus ab omni seruitio sit liberum, ab omni mundiali strepitu inconcussum: nec ecclesiasticis conditionibus seu angarijs, vel quibuslibet obsequijs sæcularibus vllo modo subiaceat, nullis canonicis iuribus deseruiat quia indignum valde videtur qualicumque modo alterius ditioni deseruire, quod apud vos est primum in hac religione. Vnde interdicimus in nomine Domini nostri Iesu Christi, ex auctoritate ipsius beatissimi Apostolorum principis Petri, cuius vice huic Romanæ præsidemus ecclesiæ, vt à præsenti nullus Præsulum, nullus sæcularium præsumat in dominium huius ecclesiæ aliquo modo se ingerere, vel quamlibet imperandi potestatem sibi vsurpare, vel alicuius inquietudinis molestias inferre, vel aliquam omnino consuetudinem, quamuis leuissimam sibi attribuere, vel etiam, nisi rogatu Abbatis & fratrum in ea missas facere: Sed communis filius noster Abbas Ioannes omnia libere teneat, possideat, cum consilio fratrum Dominum timentium omnem vtilitatem loci intus vel foris bene ordinet atque disponat, & sic remota vexatione, & cuncto grauamine diuinum seruitium peragant cum tota animi deuotione. Post cuius obitum non extraneus assumatur, Sed de eadem congregatione, & quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit; & qui electus fuerit, sine dolo, vel venalitate aliqua ordinetur, atque in eodem loco consecratur. Si autem, quod non optamus, aptam inter se personam inuenire nequiuerint, solerter sibi de alijs monasterijs similiter eligant ordinandum. Hæc itaque nostræ institutionis decreta in synodo Episcoporum Italiæ, cui & interfuit tuæ dilectionis legatus Mellitus coepiscopus noster recitari & roborari facimus, tibique & ecclesiæ tuæ suprascriptæ, Ioanni Abbati, & cunctis successoribus suis custodienda atque perpetualiter obseruanda tibi, & genti tuæ per manum ipsius diximus. Quæ si quis successorum tuorũ

* qui Secundus est Abbas cœnobij, Petro in transitu maris submerso suffectus.

Regum

„Regum siue Episcoporum, clericorum siue laicorum contempserit, aut irrita facere tentauerit, ab officio cleri summotus Apostolicæ auctoritatis reus, & à sanctorum communione iudicetur alienus quoadusque quod temerario ausu præsumpsit congrua satisfactione recognoscat, & tanti excessus pœnitudinem gerat. Ipsa verò sæpedicta ecclesia tua largiente regali munificentia, ab hac (vt ita dicam) sede Apostolica constructa, ordinata atque educata, siqua sibi contingant aduersa, indurata aliquorum pestilentium pertinacia, ad matris ecclesiarum recurrat limina, Apostolica vtatur audientia, ipsiusque in perpetuum consoletur & regatur vigilantia. In Christo Domino fili valeas. Data die. 3. Kal. Mar. imperãte pijssimo Augusto Phoca. anno. 8. imperij eiusdem principis. indictione. 4. Hactenus Bonifacius, vt ex *data* priuilegij constat, eius nominis quartus, qui hic humana, Phocæ videlicet Principis dispensatione ostendit confirmatam Pontificis æcumenicam auctoritatem, quam diuina dispositione à Christo acceperat. Mellitus autem anno 604. factus Londinensis Episcopus, quarto post anno, qui erat octauus Phocæ, & Christi sexcentesimus octauus Romam profectus, hoc priuilegium obtinuit: ex quo dicimus apertissimè constare, cœnobium hoc fuisse Benedictinum, tum ex prærogatiua exemptionis, liberæque electionis Abbatis sui, iuxta ipsissima regulæ verba; tum præsertim ex decreto huius Bonifacij contra monachorũ Benedictinorum impugnatores in hoc ipso concilio (quod hic notatur) per eundem Mellitum obtento, de quo statim dicemus, quæ euidentissimam veritatis lucem nostræ afferant antiquitati. Interim ex sequenti Vrbani testimonio priuilegium hoc Benedictinis datum constare cuiuis non proteruo æstimatori poterit.

Concludamus igitur hunc locũ Pontificis Vrbani tertij testimonio, qui ad annũ 1185. sedisse scribitur: extat enim in matricula, seu registro cameræ Abbatis S. Augustini, priuilegium ab illo concessum huic cœnobio, in quo, præter alia, habentur hæc ad institutum nostrum facientia: *Præfat. m monasterium in honorem* BB. *Apostolorum Petri & Pauli à gloriosæ memoriæ Ethelberto Angliæ Rege ad Orientem Dorobernia ciuitatis, in suam, sibi successorum Regum, atque eius vrbis Præsulum sepulturam à fundamento constructum, & sub iurisdictione sedis Apostolicæ nullo mediante constitutum: ad exemplar prædecessorum nostrorum fælicis memoriæ Bonifacij, Adeodati, Lucij, Eugenij, Alexandri, & aliorum Romanorum Pontificum, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus; Imprimis quidem statuentes, vt ordo Monasticus, qui secundum Deum & B. Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur &c.* Testimonium hoc magnum est, tum quia ab antiquo Pontifice profectum, tum quia illud se ex prædecessorum suorum auctoritate fatetur proferre iam inde ab Adeodato, qui anno 701. Pontificari cæpit, & à Bonifacio quarto, qui ipsum præcessit, seditque circa annum Domini: 607. tum vel maximè quia prædicti Bonifacij quarti priuilegium, quod supra totum posuimus, clarissimè interpretatur, ostenditque per *monasticum ordinem* (in quo *primum* inter Anglos dicit Bonifacius esse cœnobium illud Augustinianum) *& per hanc religionem* (in qua ipsum cœnobium inter nos *primum* asserit) non alium ordinem nec aliam regulam intelligi debere, quam sancti Benedicti. Nihil apertiùs in rem nostram potest ab vllo æquo iudice desiderari. Sed & dicti Adeodati priuilegium legimus, quamuis præ angustia temporis describere non potuerimus: cuius argumentum erat, confirmatio prædictæ exemptionis & immunitatis, quam Monachi S. Saluatoris, seu ecclesiæ Archiepiscopalis vtpote canonici cathedrales, conabantur impedire, in aliquibus derogantes iuri & libertati fratrum suorum Augustinensium monachorum. Et hæc de S. Augustini monasterio satis multa, satisque manifesta dicta sunto.

§. 14. *S. Mildredæ in Taneto insula cœnobium, à prima sui origine* Benedictinum. *A. D. 669.*

Non discedamus longius à S. Augustini cœnobio: nam gloriosæ Mildredæ corpus in eodem olim quiescens, præbet etiam nobis eiusdem antiquitatis Benedictinæ irrefragabile argumentum. Historiam donationis corporis eius à Canuto & Eduardo factæ, quam superius producta memorant priuilegia, ex Thornæo, seu Spina repetamus. Anno Domini (inquit) „1262. decimo Calendas Martij, positum est corpus S. Mildredæ virginis in feretro, in quo „nunc iacet: Sed vt apertiùs hoc valeam referre, ordinem natiuitatis, & vitæ progressum „breuiter demonstrabo. Mildreda virgo ab vtroque parente regalem sanctamque traxit

 originem;

„ originem: nam Patrem habuit Merwaldum Pendæ Merciorum Regis filium, cuius Pendæ
„ frater Wulferus rex Merciorum a fide Christi, quam expulso Mellito abiecerant, Ori-
„ entales Saxones reuocauit. Huius Wulferi filia, sancta Werburga fuit. Matrem verò ha-
„ buit (Mildreda) Domneuam, de stirpe regum Cantuariæ, filiam scilicet Ermenredi, qui
Sancta Mildreda neptis S. Ethelberti primi Regis Anglorum Christiani.
„ fuit filius Eadbaldi, qui Eadbaldus fuit filius Ethelberti primi regum Angliæ Christiani.
„ Huius (Mildredæ) mater Domneua relictis postea pompis regalibus elegit Christo per-
„ petuò deseruire, quod contigit isto modo. Ermenredus pater Domneuæ duos habebat fi-
„ lios, scilicet Ethelredum & Ethelbertum, quos fratri suo Ercomberto (filio Eadbaldi)
„ tradidit nutriendos, vt cum adulti essent, iisdem hæreditatem suam resignaret. Erat tum
„ quidam Regis Egberti (qui filius erat Ercomberti) præfectus nomine Thymur, qui præ-
„ dictos paruulos in villa de Castri clam fecit occidi. Beati autem Theodorus & Adrianus
„ regem super hoc scelere arguentes, ad hoc eum excitauerunt, vt vocata ad se Domneua
„ Merciorum regina, & prædictorum Christi martyrum germana, eidem pro ipsorum iure
„ satisfaceret. Quæ veniens recepit terram in Thaneto, sc. terram 48. aratrorum, quod terræ
„ spatium ceruа sua vnico currebat cursu. Ipsa verò Domneua cum regis adiutorio constru-
„ xit ibidem cœnobium virginale, & filiam suam Mildredam Merwallæ Merciorum Regis
„ filiam de partibus transmarinis (monasterio videlicet Calensi prope Parisios) reuocauit, &
Occasio Monasterij S. Mildredæ ædificandi.
„ eidem cœnobio à sancto Theodoro Abbatissam consecrauit, vbi septuaginta virginibus,
„ quas sua mater congregauerat, præsidebat. Vixit autem cum sororibus suis vsque ad ter-
„ minum vitæ suæ: qua mortua cum matre sua Domneua in eodem monasterio sepulta, suc-
„ cessit Eadburga. Ista Eadburga corpus sanctæ Mildredæ transtulit in nouam ecclesiam ab
„ ipsa fabricatam, & ab Episcopo Cuthberto in honorem principum Apostolorum dedica-
„ tam: tunc corpore & vestibus totaliter incorrupta inuenta fuit (nimirum post valde mul-
tos annos à sepultura elapsos, siquidem vixit Mildreda, circa annum domini 667: Cuthber-
tus autem Cantuariensis, de quo hic sermo, sedit ab anno 742 ad vsque annum 758.) Cui
„ Eadburgæ sub annum domini 751 successit Sigeberta, & à prædicto Cuthberto benedicta.
„ Huius tempore Piratæ Danorum ipsum Mildredæ monasterium ferè singulis annis deua-
„ stabant. Cui successit Siledritha per regem Coendredum ab Athelardo Archiepiscopo (qui
„ sedit anno 753) consecrata, quæ statum sui monasterij tam in possessionibus, quam in nu-
„ mero sororum restituendo quamplurimum elaborabat. Cui etiam plures Matres in ipso
„ Monasterio successerunt, quarum vltima Leofrina censebatur Abbatissa, cuius tempore,
„ scilicet anno 1011 Suanus cum Danis & Gentilibus, non iam ad prædandum, sed ad subdē-
„ dum totam Angliam venientes, ipsum primo Thanetum nulli sexui vel ordini parcētes de-
„ uastabant, & dictum ipsum cœnobium cum suis virginibus funditùs concremarunt: à
„ quo tamen incendio mira Dei operatione Mildredæ monumentum permansit illæsum. Ex
Donatio, & translatio corporis S. Mildredæ.
„ tunc autem nullæ ibidem virgines permanserunt, sed reædificato loco facta est ecclesia
„ duorum vel trium clericorum plebeiæ parochiæ: donec regnante Cnuto prędicti Suani
„ filio prædictum virginale monasterium cum tota sua substantia monasterio S. Augustini
„ esset incorporatum. Dilata est tum per Regem virginis transferendæ licentia, donec Rex
„ Romam peregrè proficiscens hoc permittendum super tumbam S. Augustini solemniter
„ iurauerit, si prosperè remearet. Qui rediens in medio mari B. Augustino visibiliter sibi in
„ forma Episcopi apparente à naufragio liberatus, votum gratissimè adimpleuit. Abbas au-
„ tem habita licentia de virgine transferenda, sciens insulanorum ferocitatem, vt cautiùs ce-
„ laret conceptum animi propositum, conuocat eosdem Insulanos die festo Pentecostes ad
„ celebre conuiuium, vbi beata virgo quiescebat, vt deluso populo noctu aggrederetur tum-
„ bam virginalem. Sed ipsa durior chalybe resistebat, donec facta promissione, quod ipsius
„ virginis festum inter festa solemniora annotaretur, tali promisso virgine placata, permolli-
„ tur durities lapidum, & aperitur virginis sepulchrum. Abbas verò exhausit, quicquid re-
„ perire poterat in monumento, vix vllum puluerem reliquiarum Insulæ orbatæ relinquēs.
„ Vix ad naues peruenerant, & ecce tota fere occurrit insula vi & armis ablatum sibi pretiū
„ repetendo: quorum tamen iuribus & precibus præualuerunt orationes monachorum
„ deuotiores. Necdum è Thaneto exiuit ista fama, cum iam transito maris brachio tota
„ fere prouincia, vel, vt veriùs dicam, tota Cantia obuia virgini venienti processit. Facta est
„ autem hæc translatio anno domini 1030. decimoquinto Kalendas Iunij sub Benedicto
„ Papa, Henrico imperatore, Knuto Angliæ Rege, Agelnotho Archipræsule, Aelstano tunc
„ S. Augustini Abbate. Condita autem est tunc ante principale altare S. Petri, vbi & habebat
„ præeminentem tumbam, & altare, super quod, iuxta votum quod prædictus Abbas fece-
„ rat virgini transferendę, missa matutinalis quotidie celebrabatur. Conditum est autem

corpus

„corpus sanctæ virginis in loculo plumbeo, cum hoc epitaphio desuper posito:

Clauditur hoc saxo Mildreda sacerrima virgo
Cuius nos precibus adiuuet ipse Deus.

Hactenus Spina; in historia Abbatum monasterij S. Augustini: & per omnia consentiunt quantum ad tempus, & occasionem, ac fundationem monasterij acta ipsorum martyrum S. Etheldredi, & Ethelberti; itemque vita D. Mildredæ à Iocelino conscripta, & legenda S. Milburgæ sororis ipsius quæ & ipso eodem tempore facta est Abbatissa monasterij Wimnicensis à Merwaldo ædificati, quod postea Wenlok dictum fuit, monachisque Cluniacensibus tempore Gulielmi primi concessum: cum illud per Danos penitus euersum, Comes Salopię restituisset. Sed & insigne beneficium B. virginis Mildredæ Augustinensibus monachis diuinitus concessum narrat ibidem Spinæus, quod hic eius verbis inserendum duximus:
„Anno domini 1294. ad suggestionem æmulorum ecclesiæ Dei petijt dominus Rex (Edo-
„uardus primus) versus Abbatem S. Augustini maneria de Menstre & Langport, Chistelet,
„Sturre, & Salmonston cum pertinentijs, vt ius suum per quinque breuia de recto, dicens,
„quod D. Henricus Rex, Pater Domini Regis Richardi, consanguineus suus, de prædictis
„manerijs seisitus fuit tempore pacis, & de ipso Domino Henrico Rege descendit Richardo
„Regi vt filio, & hæredibus, quo sine hærede defuncto descendit ius Ioanni vt fratri &
„hæredi, & quod tale sit ius Domini Regis, paratus est verificare. Igitur. 4. Idus Iulij ac-
„cessit Cantuariam Rex Eduardus, cum Domino Ioanne de Berwiche & alijs iusticiarijs
„suis, super prætacta materia per breuia de Warranto & de recto processuri, & Ecclesiam
„Augustinensem manerio de Minstre damnabiliter priuaturi; & antiquum hospitium suum
„relinquens, (nempe, monasterium S. Augustini,) in ecclesia Christi reuerenter susceptus
„est. Noctè siquidem, quæ almę Mildredæ digno transitu illustratur, videbatur Regi in sõ-
„nis à Flandria nauigio Angliam aduenire, sed per pelagus tantis tempestatibus quassatus
„esse, quod & videbatur ei absorptibus maris incontinenti deperire. Iussit igitur (In som-
„nis hoc ei videbatur) vt insulæ Thaneto, quo citius poterant, nauem applicarent, quæ in-
„sula videbatur ferè vicina. Sed dum locum affectatum quasi adeptus esset, astitit super lit-
„tus Regia Virgo vestitu circundata monialis, & baculo suo rostrum nauis fluctibus maris
„per vices repellens: ita quod videbatur ipsi regi se in ianuis mortis ferè constitutum. Sed
„ita rex in vocem prorupit: O tu famula Dei, ecce adest nobis mortis periculum, & nos nõ
„finis applicare, sed nostram vitam infælicem his fluctibus proponis terminari? Ad hæc
„sancta virgo: cum tu o Rex terram istam, quæ mea est, à domo requietionis meæ crastina
„die auferre disponas: scias, te beneficio huius terræ à præsenti periculo liberari non de-
„bere. Igitur spiritu conturbato, & similiter strepitu signorum, quæ more principali in
„monasterio S. Augustini in matutinis laudibus pulsabantur, Rex expergiscens, cubicula-
„rium aduocauit, quare, & vbi esset iste sonitus, inquisiuit. Ad hæc ille, O Domine mi Rex
„iste sonitus in Ecclesia S. Augustini, ob annalem solemnitatem S. Mildredæ ibidem tumu-
„latæ, constat haberi, quæ Abbatissa in monasterio de Menstre extitit prima. Certe, inquit
„Rex, illa est, quæ per visum mihi apparuit; & in somnis plurimum me turbauit. Quid
„plura? Mane facto, misit idem Rex vnum militem, de Camera sua, vt interdiceret iusticia-
„rijs antedictis, ne super breui illo forent vlterius processuri. Quod cum sic ex parte Regis
„nuntiatum fuisset, vnus veritatis inimicus sic proterue respondit: O sapientia Regis! nos
„commodum suum affectamus; & quod in hac parte nobis incumbebat, soliciti eramus, &
„negotium quasi debito fine conclusimus: & ecce consilio minus prouido iam decretum
„est supersedere. Si vero super istis paulisper procederemus, in medulla Cantiæ eum incor-
„porassemus. Nuntiatum est Domno Abbati quod celebraret Regi missam solemnem ad
„tumbam S. Mildredæ, & quod vocem suam ob præsentiam & reuerentiam Regis per v-
„nam notam cantando exaltaret. Ad hæc Abbas: Charissime, benè nos & fratres nostri me-
„ritò, & perpetualiter possumus lugere; Scito pro certo; quod cantus me non delectat; Re-
„gijs tamen mandatis, prout debemus, volumus complacere. Volens igitur Abbas faciem
„Regis spiritu humilitatis pręuenire, præcepit vt vnusquisque monachus alba indueretur,
„& ita à gradu, quo ad corpora sanctorum ascenditur, vsque ad ostium claustri proni in ter-
„ram, se regio vultui ostenderunt. Cuius rei nouitate Rex obstupefactus, interrogauit Ab-
„batem, cur ita monachi se haberent? Cui ille: O Domine mi Rex, irruit super nos formi-
„do & pauor in magnitudine decreti tui, cum à manerijs nostris, nobis à Regibus Anglorũ
„antiquitùs collatis, simus auferendi. Cui Rex, confortamini, inquit deuoti mei, & nolite
„timere, in proximo est consolatio vestra; hęc verò mutatio dexteræ excelsi. Quibus au-
„ditis monachi spiritum consolationis resumserunt, & missam festiualem peregerunt: quia

„Rex Abbati visionem suam narrauit,& ob reuerentiam sanctorum istius cœnobij maneria, „quæ calumniatus est, eisdem in præsenti perpetualiter confirmauit. Ob quam causam iussũ est per Angliam ab exequutione huius breuis tam de Warranto quam de recto manus „continere. Propterea quamplurimi dicti Regni religiosi talem prouidentiam diuinam ex-„perti, Cantuariam vsque proficiscentes, almam Mildredam actionibus gratiarum deuotè „prosequebantur. Hactenus Spinæus noster.

Argumentũ ex dictis colligitur. Ex ijs autem colligimus argumentum non vanum antiquitatis Benedictinæ, quandoquidem constat anno 669, aut circiter,monasterium illud virginum in Taneto insula fuisse constructum sub regula S. Benedicti, Mildredam enim eiusdem Abbatissam in Calensi monasterio sub Wilcoma Abbatissa monialem factam docent omnes historici nostri, & inter alios ab annis plus iam sexcentis Iocelinus in sanctæ Mildredæ vita: Nec est vllus auctor qui hactenus dubitauerit, an Calense monasterium(sicut & Corbeyense,ab vna eademque Regina Francorum Batilde natione Angla extructum) non fuerint à prima sui fundatione Benedictina; Sicut & Theodorum Archiepiscopum sextum ab Augustino & Adrianum Abbatē S. Augustini,Benedictinos fuisse nullus negat; Qui cum vixerint triginta tantum annos post discipulos S. Gregorij Paulinum, & Honorium, proculdubio non alium ordinem monachalem tanto studio promouerunt, quam quem ipsi à sanctis prædecessoribus suis adamari cognoscerent. Neque enim illa ætas facilis ad mutationes, præsertim in rebus ecclesiasticis, & religiosis fuit. Eiusdem ergo proculdubio Benedictini ordinis fuerunt ipsi Apostoli nostri, cuius & hoc S. Mildredæ monasterium proximè ætatem eorum ædificatum, extitit; quod propterea deficientibus propter Danorum adhuc paganorum incursiones monialibus, à Canuto Rege Dano Christiano & sancto concessum fuit cœnobio S. Augustini eiusdem regulæ, eisdemque Apostolis beatissimis Petro & Paulo dicato, ipsa sancta Mildreda, donationem illam miraculosa propitiatione cęlitùs comprobante.

§. 15. *Monasteria à S. Erkenvvaldo ædificata, eandem Benedictinæ regulæ antiquitatem inferunt.*

Monasterium Certeseiæ, & Barkingæ Augustini sæculo fuère Benedictina. Sed & inuictum pro eadem antiquitate nostra præbent argumentum duo celeberrima monasteria à S. Erkenwaldo Apostolorum nostrorum sęculo ædificata, Certeyense monachorum, & Barkingense sanctimonialium: quorum fundationem verbis ijsdem referemus, quibus in vita ipsius apud Capgrauium, & Ioannem Anglicum describitur: Ex nobili pro-„sapia Albionum Offæ regis Estangliæ, licet strenui, tamen erroribus paganicis obfuscati, „duo luminaria præclara nutu diuino processerunt, Erkenwaldus, postea futurus Abbas „Certeseiæ, deinde Episcopus Londoniensis; & Ethelburga sanctimonialium monasterij „de Berkinga futura postmodum Abbatissa: ducentes originem de illa parte Angliæ, cui „nomen Lindeseia (Lincolnia nunc dicitur) in castro seu villa de Stallington olim nuncu-„pato. Erkenwaldus igitur Deo inspirante Christianæ religioni deditus fuit tempore quo „B. Augustinus cum Mellito & collegis eius in Angliam destinatus fuit à B. Gregorio, anno „gratiæ 596.ad verbum Dei prædicandum,& populum ad fidem catholicam conuertendum. „Sanctæ indolis puer Erkenwaldus doctrinæ sancti Melliti Præsulis adhæsit (qui anno 604. factus præsul Londoniensis anno. 617. Cantuariam translatus, ibidem vsque ad annum 622. „sedit Archiepiscopus.) fide moribus, & doctrina fęliciter instituendus. Ethelburga verò „soror eius deo disponente, vestigia fratris sui sequuta est: quam, quia omnium miserator „Deus futuram sibi sponsam destinauerat, in ipsius vitæ primordijs ei gratiam contulit bap-„tismalem, imposito sibi nomine Ethelburga, vt tanquam rosa de rhamnis, de infidelibus „electa virgo procederet, odorem sanctitatis posteris allatura: cuius bonis initijs inuidens „hostis antiquus,patrem eiusdem Offam,adhuc incredulum,sed fidelem futurum in tantum „furorem contra filiã concitauit, quod de progenitore factus est ei sæuissimus persequutor. „Mira res!in tanta patris sæuitia cor puellæ tam teneræ in bono proposito immobile perse-„uerat: suamque sanctitatem parentibus abscondens, sine scitu ipsorum & visu, ad capellã, „in qua regenerationis lauacrum acceperat, secretiùs se conferebat,ibi crebris suspirijs Deũ „inuocans,ne suam castitatem carnali corruptela permitteret violari. Crescente autem ętate „eius puellari,cum pater suus secundum sæculi consuetudinem eam tradere vellet copulæ „maritali: ipsa penitus renuit tanquam venenum detestans amplexus carnales, vtpote quæ „à pueritia sponsum sibi elegerat Dominum Iesũ Christum. Quapropter frequentes patris instantias

„instantias in hac re non sustinens, patrem reliquit & patriam, vnius ancillę simplici comi-
„tatu contenta Sanctus vero Erkenwaldus se & dictam sororem suam à mundi vanitatibus
„& illecebris abstrahere votis omnibus affectans, vt circa diuinam contemplationem in
„sancta religione mentem totaliter occuparet: ab aduentu sancti patris Augustini in An-
„gliam triginta tribus annis effluxis, sumptu suo, de bonis quæ iure hæreditario sibi obue-
„nerunt, postquam domum Cerotheiæ fundauerat & dotauerat pro seipso: fundauit domũ
„de Berkingã in area, quam infructuosam inuenit, & eam reditibus amplioribus dotari pro-
„curauit. sicque terrenam dignitatem & ampla patrimonia sua in diuinam & ecclesiasticam
„hæreditatem duxit transferenda, priusquam ad Pontificium Londoniensis ecclesiæ fuerat
„diuina dispositione vocatus (quod accidit anno 675.) & per sanctum Theodorum Doro-
„bernensem Archiepiscopum consecratus. Cum igitur B. virgo Ethelburga, vt virginitatẽ
„suam Deo conseruaret, ob paternam persequutionem, labores, vigilias, & ieiunia, varias-
„que afflictiones & defectus peregrinando esset perpessa propter amorem sponsi sui Iesu
„Christi: duce spiritu sancto peruenit ad Berkingam, locum à Deo destinatum, & per fra-
„trem suum Erkenwaldum præordinatum; Ipsoque sancto fabricæ domus pro sanctimo-
„nialibus ibidem, & dicta sorore sua Deo seruitura intendentibus; cum dictæ domus arti-
„fices *meremium suum mensurarent, diuersis locis iuxta decentiam operis coaptandum: *i. materiam ædificio aptam.
„inuẽta est trabs vna operi admodũ necessaria cęteris breuior, & ideo fabricæ domus minus
„apta. Sed vir totius sanctitatis Erkenwaldus, & soror sua Deo deuota Ethelburga, aridam
„trabem inter manus arripientes, ipsam in longum traxerunt, quousque cæteris æquaretur
„quod quidem miraculum communiter notum extitit, & publicè diuulgatum. Ipsa verò
„domo perfecta, cum virgo sæpedicta ad statum regularem transire decreuisset: quia tunc
„temporis non erat monasterium sanctimonialium in Anglia, sanctus Erkenwaldus vnam
„dominam religiosam moribus præclaram, & in artibus liberalibus sufficienter eruditam,
„nomine Hildelitham de partibus transmarinis accersiuit, cui tradidit sororem suam Ethel-
„burgam regularibus obseruantijs, & literarum apicibus imbuendam. At venerabilis puella
„bonæ indolis, & ingenij pręclari, magistræ doctrinam faciliter concepit, & memorię fir-
„miter commendauit: intantum quod ipsius magistram & omnes condiscipulas in virtuti-
„bus perfectis citò transcendit, & totius congregationis præfecta est mater & Abbatissa.
Hactenus vita S. Erkenwaldi: ex qua vides Certeiense monasterium, & Bankinghense tri-
ginta tres duntaxat annos post Augustini in Angliam ingressum fuisse fundata: hoc est circa
annum Domini .630: fuisseque Barkinghense cœnobium primum ferè omnium eorum, quæ
pro sanctimonialibus fuêre extructa: ideoque ex monasterio transmarina, nempe Calensi S.
Bathildis accersitã Magistram regularis vitæ Hildelitham sanctam; ac proinde Benedictinæ
regulæ cultricem. Sed & ipsum S. Erkenwaldum Benedictinum fuisse monachum, cum ne-
mo hactenus extitit qui ambigeret, tum ex eis, quæ de S. Mellito & Westmonasterio iam di-
cturi sumus constabit euidentissimè. Melliti enim discipulus cum fuerit obseruantissimus, vt
iam ex vita eius audiuimus, hauddubio monasticam regulam à Mellito doctore suo appro-
batam ipse cum Certeiensibus monachis suis, & sanctimonialibus Berchingensibus professus
est. Ergo hoc ipsum ex Melliti gestis demonstremus.

§. 16. VVestmonasterium S. Petri iuxta Londinum cœnobium à Mellito ædificatum, sententiam nostram omninò euincere.

Ea autem, quantum ad rem nostram spectant, duo præcipuè deducemus, nempe funda- S. Mellitus Benedictinus.
tionem monasterij S. Petri, quod quia in occidentali parte Londini situm est, Westmonaste-
rium appellatur: & profectionem Romanam eiusdem sancti, pro monasterij priuilegijs, &
causa ecclesiæ Anglicanæ: Vtrumque rem breuiter attigit conditor annalium Ecclesiastico-
rum Cardinalis Baronius tomo octauo, ad annum Christi sexcentesimum decimum: *Recens
namque (ait) erat erectum monasterium extra mænia londini, siue Londonij ciuitatis, pro cuius regu-
lari obseruantia Mellitus solicitus Romam se contulerat: vtpote quod illud ipsum fore sciret, si bene
custodiretur, amplum seminarium, ex quo omnes ecclesiæ, quæ erant in Anglia, sibi asciscerent, antisti-
tes.* Quæ sancti episcopi solicitudo manifestè profectò demonstrat ipsum monasterium eius-

dem fuisse disciplinæ, cuius ipsemet socijque eius, Augustinus, Paulinus, Iustus, Laurentius, alijque monachi Romani fuissent: Neque enim in vllius sensati viri cadet iudicium, ipsos tanta cura & zelo aliam disciplinam in cœnobijs à se erectis introducturos, nisi quam ipsi didicissent, & coluissent: præsertim in illa primitiua ecclesiæ Anglicarum infantia, quando varietas religiosorum ordinum nulla fuerat, quæ nō nisi post aliquot sæcula in Angliæ regnis conspecti fuerunt. At qui fuisse hoc monasterium Benedictinum, tam ex fundatione, eiusque confirmatione, quam ex Romana profectione beati Melliti, demonstrabimus: vnde & ipsum quoque Mellitum, Augustinum, adeoque Gregorium magnum Benedictinos fuisse luce clarius euadet.

Fundationem monasterij nō alio modo clarius & syncerius referre possumus, quam verbis sancti Regis, Edouardi Confessoris, qui à sexcentis ānis floruit, Pontificumque summorum illius ætatis, & eloquentis ac sancti Abbatis ordinis nostri de congregatione Cisterciensium, Ailredi Rieuallensis, quæ in vita eiusdem sancti Regis Eduardi ab eo conscripta inueniuntur.

Fundatio VVest monasterij per S. Mellitū testimonio S. Eduardi confirmata.

Ailredus igitur, cum Edoardum Regem factum pacificè descripsisset: Succedentibus „(inquit) prosperis, rex voti sui nequaquam oblitus (quo nempe se obstrinxerat ad reliquias „in vrbe Romana visitandas, si patris sceptro restitueretur) recogitans quanta sibi fecerat „dominus, qui ditauit egenum, sublimauit humilem, ingloriū coronauit: parat reddere „vota sua, parat sumptus, parat donaria. Vocatis autem regni proceribus, habuit cum eis „de statu regni, vel de sua peregrinatione sermonem, dicens: Non excidit nobis, quomodo „irruentibus in hæreditatem nostram Barbaris, facti sumus opprobrium vicinis nostris sub„sannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt; Alijs namque interfectis, alijs fugatis, „alijs iugo ignominiosæ seruitutis oppressis, nihil ferè honoris, nihil gloriæ nostro generi „reliquerunt. Tandem defuncto patre meo, præreptis fratribus, actis in exilium nepotibus; „& cū hostibus nostris in omnibus fortuna faueret: mihi profecto nihil spei superesse vide„batur. Ego vero contra spem in spem credens, & domini mei misericordiæ me totum de„dens, peregrinationem ad sanctorum Apostolorum limina voui, & deinceps diuinæ me „protectioni dispositionique commisi: Ille autem respexit in orationem meam, & non spre„uit precem meam: Sed abstulit opprobrium meum, & restituit me in regnum patris mei; „Insuper cumulatum diuitijs auxit gloria, donis cœlestibus illustrauit. Ipse sine sanguine re„belles subegit, hostes subuertit & omnia nostra amabili quadam pace composuit. Absit vt „tot ac tantis eius beneficijs inueniamur ingrati: quin potius de manu inimicorum nostro„rum liberati, seruiamus illi in iustitia & veritate, faciamusque quod ait propheta, vouete „& reddite domino Deo vestro. Decernite ergo mecum, quomodo me peregrinante, reg„num subsistat Anglorum, qua lege, qua pace, qua iustitia, quo iudice omnia disponantur: „quis castra, vrbes, priuata, publica negotia procuret. Erit autem vnus omnium custos & „protector Deus: & pacem, quam dedit, ipse seruabit, nobiscum proficisceus, & nobiscum „remanens, qui & vos custodiat, & me reducat. Tunc omnes in communi vociferantes ad „Regem, se non deserendos, se non exponendos gladijs, patriam hostibus non prodendā: „nec pro vno, vt putabatur, bono, tot admittenda pericula allegabant. Tunc rex eorum „vocibus & precibus se vrgeri sentiens, diu in animo fluctuabat: quia & voto supersedere „periculum; & tantorum precibus fletibusque non cedere, inhumanum arbitrabatur. Tā„dem peregrinationem differens exportabat, donec apostolico fultus consilio, an votum „redimeret, aut impleret. Hæc Ailredus: qui licet ibidem subijciat Pontificis decretum, vt tamen appareat superiora ab Ailredo, non ex Rhetorica prosopopæia, sed ex fide historica descripta esse: ab ipsomet Rege sancto Pontificam illam legationem, responsionemque audiamus.

Habet illustris & nobilissimus eques D. Henricus Spelman manuscriptum volumen bene magnum, & antiquum, in quo multa continentur diplomata Pontificia & principalia, quibus ius sanctuarij Westmonasterio concessum propugnatur. Ex eo vnum aut alterum sic desumemus. Sic igitur Rex sanctus Edouardus ad subditos suos in priuilegio loquitur.

Diploma primum S. Eduardi.

„Scire vos volo, quoniam tempore auorum meorum, patrisque mei, multa & grauia bello„rum pericula afflixerunt gentem Anglorum, tam à suis, quam extraneis concitata, adeò „vt inde periclitata sit hæreditaria Regum successio, magnumque interstitium inter fratrem „meum Edmundum, (qui patri meo mortuo successit) neque habitum sit, inuadentibus „regnum Suegno & Cnutho filio eius regibus Danorum, ac filijs ipsius. Cnuthi Haraldo, „& Hardicnutho. A quibus etiam alter frater meus Alfredus crudeliter est occisus, solusque,

„ ſicut Ioas occiſionem Athaliæ, ſic ego crudelitatem eorum euaſi. Tandem reſpectu miſe-„ricordię Dei poſt plures annos, Ego Eduardus ad paternum regnum reacceſſi, & eo potitus „ſine vllo bellorum labore, ſicut amabilis Deo Salomon, tanta pace & rerum abundantia „abundaui, vt nullus antecedentium regum ſimilis mei fuerit in gloria & diuitijs. Sed gra-„tia Dei, non me, vt aſſolet, ex opulentia, ſuperbia & contemptus inuaſit: imo cœpi cogi-„tare cuius dono & auxilio ad regni culmen euaſi, quoniam domini eſt regnum, & cui vult „dat illud. Et quia mundus tranſit, & concupiſcentia eius, qui autem totum ſe ſubdit Deo „fæliciter regnat, & perpetualiter diues eſt: Itaque deliberaui ire ad limina ſublimium A-„poſtolorum Petri & Pauli, & ibi gratias agere pro collatis beneficijs, & exorare, vt eam „pacem firmaret Deus mihi & poſteris meis. Præparaui ergo, & dinumeraui expenſas ne-„ceſſarias itineri, & honorabilia dona, quæ ferrem ſanctis Apoſtolis. Sed grauis ſuper hac „re mæror habebat optimates meos, vtpote memores malorum quæ ſub alijs regibus per-„tulerant, ne tanto domino, & pio patre Rege abſente, regnum nouiter ſedatum aliquâ „turbaretur hoſtilitate; & metuẽtes illud, quod & ſanctus Ezechias, ne ſi forte in via, aut „ægritudine, aut alio incommodo deficerem, hæreditarijs regibus carerent, maximè quia „nullum habebam filium. Itaque tandem habito conſilio rogabant me, vt ab intentione „deſiſterem: pollicentes ſe ſatisfacturos Deo pro voto meo, tam in miſſarum & orationum „oblatione, quam in eleemoſynarum larga diſtributione. Sed cum obnixè contradicerem, „tandem vtriſque placuit vt mitterentur legati duo ab vtraque parte, Edredus & Herma-„nus Epiſcopi, & Abbates Wulfricus & Elſinus, qui Apoſtolico meam voluntatem & vo-„tum, & illorum petitionem indicarent, & ſecundum eius ſententiam, quam mihi manda-„ret, promiſi me omnia facturum. Factum eſt ergo quod volumus, & venientes Romam „legati noſtri ex voluntate Dei, inuenerunt collectam ſynodum in eadem vrbe: cumque ex-„poſuiſſent meam voluntatem & ſuam petitionem, coram ducentis & quinquaginta epiſ-„copis, & alia multitudine ſanctorum patrum; tunc Apoſtolicus ex conſilio ſanctę ſynodi „hanc epiſtolam ſcripſit.

„Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio ſuo Eduardo Anglorum Regi, ſalutem & „Apoſtolicam benedictionem. Quoniam voluntatem tuam laudabilem & Deo gratam cog-„nouimus, gratias agimus ei per quem reges regnant, & principes iuſta decernunt. Sed quia „prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eam in veritate, & ſancti Apoſtoli cum ſuo ca-„pite coniuncti vnus ſpiritus ſunt, & pias preces æqualiter audiunt; & quia conſtat peri-„clitari regionem Anglicam ex tua diſceſſione, qui ſi æno iuſtitiæ ſeditioſos eius motus co-„hibes: ex auctoritate Dei, & ſanctorum Apoſtolorum, & ſanctæ ſynodi, abſoluimus te à „peccato illius voti pro quo Dei offenſam times, & ab omnibus negligentijs & iniquitati-„bus tuis, ea poteſtate vſi, quam Dominus in beato Petro conceſſit nobis, dicens: quæ-„cumque ſolueritis ſuper terrã, ſoluta erunt & in cælis. Deinde præcipimus tibi ſub nomine „ſanctæ obedientiæ & pænitentiæ, vt expenſas, quas ad iſtud iter paraueras, pauperibus „eroges, & cœnobium monachorum in honorem S. Petri Apoſtolorum principis, aut no-„uum conſtruas, aut vetuſtum emendes augeas, & ſufficientiam victualium fratribus de „tuis reditibus conſtituas: quatenus dum illi aſſiduè inibi Deum laudauerint, & ſanctis au-„geatur gloria, & tibi indulgentia. Cui loco quicquid contuleris, vel collatum eſt, vel con-„feretur, vt ratum ſit, Apoſtolica autoritate præcipimus, & vt ſemper habitatio mona-„chorum ſit, & nulli laicę perſonæ, niſi Regi, ſubdatur: & quæcumque priuilegia ibi con-„ſtituere volueris ad honorem Dei pertinentia, concedimus, & robuſtiſſima auctoritate „confirmamus, & infractores eorum æterna maledictione damnamus.

Epiſtola Pōtificis Leonis noni ad S. Eduardũ.

„Hæc & alia Apoſtolica mandata cum referrent nobis legati, interea reuelauit B. Petrus „cuidam probabilis vitę monacho incluſo, nomine Wulfino, voluntatem ſuam eſſe, vt „reſtruerem locum qui dicitur Weſtmonaſterium, quod à tempore S. Auguſtini primi An-„glorum Epiſcopi inſtitutum, multaque veterum regum munificentia honoratum; prop-„ter vetuſtatem & frequentes bellorum tumultus pene videbatur deſtructum. Cumque is „mihi hanc viſionem, & ego meis retuliſſem, & Apoſtolicæ literæ veniſſent: contuli vo-„luntatem meam voluntati Dei, & cum totius regni electione dedi me ad reſtructionem „eiuſdem loci. Itaque decimari præcepi omnem ſubſtantiam meam tam in auro & argẽto, „quam in pecudibus & omni genere poſſeſſionum; & deſtruens veterem, nouam à funda-„mentis baſilicam conſtruxi, & conſtructam dedicari feci quinto calendas Ianuarij. In qua „collocaui ipſo die reliquias, quas Martinus Papa, & Leo (qui eum coronauit) dederunt „Alfredo Regi & quas ipſe à Carolomanno Rege Francorum dari ſibi impetrauit, cuius fi-„liam pater eius Athelwolphus rex, poſt mortem primę coniugis, duxerat vxorem: quæ-

Reparatio VV-ſtmonaſterij viſione cæleſti approbatur.

„ que ab ipso ad successorem eius Athelstanum, deinde ad Edgarum, ad vltimum ad nos „ peruenerunt: scilicet duas partes crucis Domini, & partem vnius claui, partemque tu-„ nicæ eius inconsutilis, & de vestimentis sanctæ Mariæ, & reliquias Apostolorum Petri, & „ Pauli, Andreæ, Bartholomæi, Barnabæ, & aliorũ plurimorum sanctorum. Et quinque „ capsas alijs sanctorum reliquijs plenas. Et statui, vt quicumque reus maiestatis regiæ, vel „ cuiuslibet alterius offensæ, ad locum, in qua pausant istæ reliquiæ, confugerit: eius rei,& „ membrorum, ac vitę impunitatem consequatur &c.

Historia fundationis VVestmonasterij per S. Mellitum.

Hæc eadem, quæ in isto habeatur priuilegio, suo stylo eleganter pinxit Ailredus: quibus subijcit, quomodo à Mellito fuerit olim hoc cœnobium fundatum, verbis sequentibus: „ Tempore quo rex Ethelbertus, qui regnauit in Cantia, prædicante beato Augustino fidei „ sacramenta susceperat; nepos eius Sebertus, qui orientalibus Anglis præfuit, fidem eodẽ „ Episcopo prædicante suscepit. Hic Londonijs, quæ regni sui caput habebatur, intra mu-„ ros ecclesiam beati Pauli fabricauit, & episcopali honore, Mellitum episcopum instituẽs, „ honorauit. Extra muros vero in occidentali parte, in honore beati Petri, monasterium in-„ signe fundauit, & multis possessionibus ditauit. Nocte autem dedicationem eiusdem ec-„ clesiæ præcedente, piscatori cuidam Thamensis fluuij, qui eidem monasterio præterfluit, „ in vlteriori ripa in habitu peregrino beatus Petrus apparens, promissa mercede transponi „ se ab eodem & petijt, & promeruit. Egressus autem de nauicula, ecclesiam, piscatore cer-„ nente, ingreditur. Et ecce subitò lux cælestis emicuit, miroque splendore illustrans omnia „ noctem conuertit in diem. Affuit cum Apostolo multitudo ciuium supernorum egredien-„ tium & ingredientium, melodiaque cælestis insonuit, indicibilis odoris fragrantia nares „ perfundebat. Peractis enim omnibus, quæ ad ecclesiæ dedicationem spectant, solemnijs; „ redit ad piscatorem piscium, piscator egregius hominum: quem dum diuini luminis ful-„ gore perterritum, & alienatum pene sensibus reperisset: blanda consolatione reddidit ho-„ minem sibi, animum rationi. Ingredientes simul cymbam vterque piscator; ait Petrus, „ nunquid pulmentarium non habes? Et ille: inconsuetæ inquit lucis perfusione stupidus, „ & expectatione tui detentus nihil cepi: Sed promissam à te mercedem securus expectaui. „ Ad hęc Apostolus ait: Laxa nunc retia in capturam. Paruit imperanti piscator, & mox im-„ pleuit rete piscium maxima multitudo. Omnes erant eiusdem generis pisces, præter vnum „ miræ enormitatis Esicium. Quibus ad ripam extractis, dixit Apostolus: hunc qui præ cæ-„ teris pretio & magnitudine præcellit, Mellito ex mea parte piscem defer Episcopo: pro „ nautica vero mercede cætera tolle tibi: Huius generis copia abundabis in vita tua,& lõgo „ tempore post te progenies tua, tantum ne vltrà piscari audeatis in die Dominica. Ego sum „ Petrus, qui loquor tecum, qui eam meis conciuibus constructam in meo nomine basilicã „ dedicaui, Episcopalemque benedictionem meæ sanctificationis auctoritate præueni. Dic „ ergo Pontifici quæ vidisti & audisti, tuoque sermoni signa parietibus impressa testimoniũ „ perhibebunt. Supersedeat igitur dedicatione, suppleat quod omisimus, dominici corporis „ sacrosancto mysterio, populumque sermone erudiens. Notificet omnibus hunc locum „ me crebrò visitaturum, hic me fidelium votis & precibus affuturum: sobriè verò piè, & „ iustè in hoc sæculo viuentibus cęli ianuam reseraturum. His dictis confestim ab oculis eius „ disparuit. Mane autem facto Episcopo Mellito ad dedicandam ecclesiam procedenti cum „ pisce piscator occurrit, & omnia, quę sibi mandata fuerant, pandit. Stupet antistes, rese-„ ratisque ecclesiæ valuis, videt pauimentum vtriusque alphabeti inscriptione signatum „ parietem bissenis in locis sanctificationis oleo linitum: tot cereorum reliquias duodenis „ crucibus inhærere, & quasi recenti respersione adhuc cuncta madescere. Quod videns E-„ piscopus vna cum populo, Deum benedicebat, & ipsi gratias referebat. Dat fidem mira-„ culo piscatoris illius tota successio, quæ sicut à patre acceperat, totius emolumenti, quod „ ars illa deinceps ei conferret, beato Petro eique deseruientibus decimas offerebat. Vnus „ tamen semel fraudem ausus inferre, mox tam diu artis caruit beneficio, donec confessus „ reatum, & ablatum restitueret, & promitteret correctionem. Hæc cum sanctus Eduardus „ relatione ac scriptis veterum didicisset: ad monasterium illud ædificijs, possessionibus, & „ dignitatibus altius extollendum exarsit animus eius, & pro priuilegijs illius loci, cæterisque „ causis nuntios Romam transmisit.

Consecratur ab ipso D. Petro.

Secũdũ diploma S Regis Eduardi pro VVestmonasterio.

Hæc Ailredus: Sed quæ postea narrat rursus ex ipsius Regis Edouardi priuilegio, maiori cum auctoritate, narrabimus, ex libro manuscripto, quod iam antea laudauimus: In no-„ mine sanctę & indiuiduæ Trinitatis: Propter eos qui iustitiam Dei contemnunt, & suam „ volunt constituere, quoniam iustitiæ Dei non sunt subiecti, procurandum est his, qui ec-„ clesiarum Dei priuilegia constituunt, vt multiplices chartas, & multitudinem testium at-

que

„que maledictionum congerant: quibus etsi non semper, tamen aliquoties pessimorum ho-„minum impia proteruia, & perniciosa præsumptio tutiùs propellatur, retundatur, ac re-„uerberetur, nec non fortissimo defensionis robore funditùs eradicetur. Quapropter ego „Edouardus Dei gratia Anglorum Rex notum facio omnibus futuris post me sæculi genera-„tionibus, quoniam præcepto Leonis Papæ pro pænitentia & remissione peccatorum meo-„rum renouaui, & melioraui basilicam sancti Petri, quæ sita est prope mænia principalis „Anglorum vrbis Londoniarum, & ab occidentali ora eiusdem vrbis dicitur Westmona-„sterium: quæ ædificata quidem fuerat sub Mellito Londoniarum primo Episcopo, socio „& contemporaneo primi Cantuariæ Archiepiscopi: & per ipsum beatum Petrum angeli-„co famulante seruitio sanctæ crucis impressione, & sacri chrismatis perunctione dedicata: „Sed per frequentes incursiones barbarorum, & maximè Danorum, (qui patre meo Ethel-„redo viuente irruptionem in Angliam fecerant, & eo mortuo, cum fratre meo Edmundo „dimidium regni sub amicitiarum pactione tenuerunt, fratremque alium Alfredum misera-„biliter interemptum enecauerunt,) neglecta penitus, & destructa videbatur. Cum ergo „renouassem eam & multa priuilegia regiæ potestatis & Apostolicæ auctoritatis per beatum „Leonem Papam in ea constituissem: defuncto ipso Leone, & confirmato in eius loco Ni-„colao: placuit mihi renouare, meliorare & confirmare consuetudines, & donationes pe-„cuniarum, quas antecessores mei Reges sancto Petro instituerunt, propter deuotionem „summam, quam habuit semper Anglorum gens erga eum & eius vicarios. Itaque propter „hoc negotium & alia quamplura, legatos misi Romam Episcopum vnum Alfredum, & „duos electos ad ordinandum episcopos Glisonem scilicet, & Walterum, vt à Domino „Papa sacrarentur. Venientes autem Romam ab Apostolico Nicolao honore, quo decebat „suscepti, inuenerunt ibi ad synodum congregatam multitudinem magnam Episcoporum „Abbatum, Monachorum, & Clericorum cæterorumque fidelium. Cumque audiente sy-„nodo suæ legationis causam perorarent, huiuscemodi Epistolam Domino Papę obtule-„runt:

„Summo vniuersalis ecclesiæ Patri Nicolao, Eduardus gratia Dei Anglorum Rex debitam „subiectionem & obedientiam. Glorificamus Deum, quia curam habet suæ electæ ecclesiæ, „quoniam in loco boni prædecessoris vos optimum successorem constituit. Quapropter iu-„stum iudicamus apud vos, velut ad solidam petram, accire, & probare omnes bonas actio-„nes nostras, & vestram notitiam atque societatem in bono habere: quatenus eas donatio-„nes & priuilegia, quę obtinuimus apud prædecessorem vestrum, renouetis, & augeatis no-„bis; videlicet, vt quod ille iniunxerat nobis sub nomine obedientiæ & pænitentiæ, prop-„ter votum, quo voueram ire Romam; & in remissionem omnium peccatorum meorum, „construere cœnobium monachorum in honorem Apostoli Petri, ratum faciatis: & priui-„legia possessionum & dignitatum eiusdem loci confirmetis, renouetis, & decernatis. Ego „quoque pro modulo meo augeo, & confirmo donationes, & consuetudines pecuniarum, „quas habet sanctus Petrus in Anglia, & ipsas pecunias collectas, cum regalibus donis, mitto „vobis, vt oretis pro me, & pro pace regni mei, & continuam ac solemnem memoriam in-„stituatis totius gentis Angliæ coram corporibus Apostolorum sanctorum. Epistola Regis ad Nicolaum Pontificem.

„His igitur literis à summo Pontifice susceptis, cum fæliciter ad votum suum omnibus per-„actis à Roma redirent: consulente sancta synodo transmissam à Domino Papa mihi tule-„runt Epistolam:

„Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, Gloriosissimo, ac pijssimo, omnique honore „dignissimo, speciali quoque filio nostro Eduardo Anglorum Regi, visitationem omnimo-„dam, salutem mellifluam, & benedictionem Apostolicam. Omnipotenti Deo referimus „grates, qui vestram prudentissimam excellentiam in omnibus ornauit & decorauit, erga „B. Petrum Apostolorum principem nobiscum habere dilectionem, & in omnibus, Apo-„stolicis consentire censuris. Literas igitur vestrę nobilitati transmittimus, & per eas sancto-„rum Apostolorum societatem & nostram damus; orantes misericordiam illius, qui est do-„minus omnium, & Rex super omnia solus, vt ipse vos participem faciat ex omnibus (siqua „sunt coram Deo) bonis operibus nostris, & fratres nos ac socios in sua dilectione consti-„tuat in omni tempore; ampliùs, & non minorem partem obsequij nostri vobis in suo reg-„no reconsignet, quam nobis metipsis prouenire optamus. Erimus etiam deinceps pro vo-„bis sine dubio orantes assiduè, vt ipse Deus subijciat hostes & inimicos, qui contra vos vo-„luerint insurgere, & confirmet vos in paterno solio, & propria hæreditate; ac B. Petrus sit „vobis custos & adiutor in omni tribulatione. Claret enim Anglorum Reges, pro reuerentia „& deuotione quam exhibuerunt beato Petro, gloria & honore floruisse: ac ipsius patro- Rescriptũ Nicolai Pontificis ad Regem.

cinio

„cinio famosos triumphos obtinuisse; cuius B. Apostoli meritis vestro desiderio & voluntati omnipotens Deus præstet effectum, & confirmet vobis paterni regni imperium, & tribuat pacis incrementum, & post præsentis vitæ decursum perducat ad æternum permanentis gloriæ imperium. Renouamus ergo, & confirmamus, & augemus vobis priuilegia vestra, scilicet vt absolutus sitis ab illo voto, quod timebatis, & ab omnibus alijs peccatis & iniquitatibus vestris, auctoritate illius, qui me, licet indignum suæ sanctę præesse voluit Ecclesiæ. Propterea illi loco, quem sub nomine sanctæ Pænitentiæ construendum, & meliorandum suscepisti, quoniam (vt fertur) primam antiquitus consecrationem à B. Petro accepit, cuius, licet indigni, vicarij sumus; & quia Regia antiquitus sedes est; ex auctoritate Dei, & sanctorum Apostolorum, atque huius Romanæ sedis & nostra concedimus, permittimus, & solidissimè confirmamus, vt amplius in perpetuum regiæ constitutionis & consecrationis locus sit, atque repositorium regalium insignium, & habitatio perpetua monachorum, qui nulli omninò personæ, nisi Regi, subdantur: habeantque potestatem secundum regulam S. Benedicti per successiones eligere ex se idoneos Abbates, neque introducatur per violentiam extranea persona, nisi quam concors congregatio esse prælegerit. Absoluimus etiam eum locum ab omni seruitio, & Dominatione Episcopali, vt nullus Episcopus illuc introeat ordinaturus, aut præcepturus aliquid, nisi ex petitione & consensu Abbatis & Monachorum. Et habeat idem locus liberum procinctum, id est, ambitum & cæmiterium mortuorum circa se, absque Episcopali vel cuiuslibet respectu, vel exactione: & omnia, quæ ad libertatem & exaltationem illius loci ad honorem Dei pertinentia per nostram auctoritatem accedere possent, hilari & promptissima voluntate concedimus. Possessiones autem, quas antiqui Reges, seu quicumque alij homines, vos quoque & vestri Barones ad eundem locum contulistis, & chartas quæ ex eis factæ sunt, diuina & nostra auctoritate roboramus, & ratas, & stabiles esse decernimus; & infractores earum, vel inuasores, aut diminutores, aut dispersores, venditores etiam, æterna maledictione cum Iuda proditore damnamus, vt in beata non habeant partem resurrectione; Sed à B. Petro Apostolo se iudicandos sciant, quando sedebit cum suis coapostolis iudicans duodecim tribus Israel. Vobis verò, & posteris vestris regibus, committimus aduocationē & tuitionem eiusdem loci & omnium totius Angliæ ecclesiarum, vt vice nostra, cum consilio Episcoporum & Abbatum constituatis vbique, quæ iusta sunt: scientes pro hoc vos recepturos dignam mercedem ab eo, cuius regnum & imperium non desinet, neque minuetur in sęculum. Valete.

Confirmatio Regalis priuilegiorum & prærogatiuarum.

„Hanc igitur Epistolam Apostolici priuilegij placuit inserere huic nostrę confirmationi, vt secundum quod sancto Leoni prius placuerat, mihique præceperat, concordante ad hoc successore eius Nicolao, & eadem, aut maiora mihi præcipiente; Sciant omnes futuræ generationes, me pro voti prædicti absolutione, peccatorumque meorum omnium remissione, & æternę vitæ remuneratione, & pro animabus Regum tam successorum quam prædecessorum meorum, & omnium parentum meorum, & pro pace & stabilitate regni mei, & prosperitate totius Anglorum populi, loco illi omnimodam libertatem quantum ad potestatem terrenam concessisse: & quod illi de ecclesiastica, hoc ego regia libertate statuo. Eius igitur amoris stimulo, & fide plenissima ac deuotissima suffultus, cuius largiflua miseratione in cathedra regali promotus sum; cum consilio & decreto Archiepiscoporum, Episcoporum, Comitum, aliorumque omnium optimatum prospiciens, hoc ipsi ecclesiæ & habitantibus in ea, siue pertinentibus ad eam, vtile fore, non solum in præsēti, sed in futuro elegi sanciendum, atque perpeti stabilimento ab omnibus firmandum; vt pro Christi honore & amore, & pro reuerentia summi Apostolorum Principis Petri, cuius patrocinio meipsum commisi, & pro deuotione & veneratione sanctarum reliquiarum quas eidem loco contuli; beatorum videlicet Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & virginum; vt omnipotens Deus per istorum suffragia sanctorum, depulsis cunctis aduersitatibus cum pacis, & honoris sui stabilitate, ac perpetuæ tranquillitatis sublimatione locum custodiat, disponat, protegat. Et pro magnifica dignitate siue regali excellentia ipsius ecclesiæ, & pro quiete monachorum ibidem Deo famulantiū, tantus honor eidē ecclesiæ habeatur in perpetuum & obseruetur, vt neque nos, neque successores nostri, neque quilibet Episcopus, nec quicūque de iudiciaria potestate in ipsam sanctam basilicā, vel in manentes in ipsa, vel in homines, qui cum suis terris, vel quibuscumque substantijs ad ipsā tradere, vel deuouere se voluerint, nisi per voluntatem Abbatis & eorū monachorum, vllam vnquam habeant potestatem. Sed sit hæc sancta mater Ecclesia peculiaris Patroni nostri Domini & magni Apostoli ter beati Petri, libera & absoluta ab omni

„omni inuasione vel inquietudine omnũ hominum cuiuscumque ordinis vel potestatis esse
„videantur. Præterea aliud constituo atque in perpetuum confirmo, vt quisquis fugitiuo-
„rũ de quocumque loco, pro quacumque causa, cuiuscunque conditionis sit, ipsum sanctũ
„locũ, vel precinctum eius fugiens intrauerit immunis omnino hanc plenam libertatem
„consequatur &c. Hanc igitur chartã meæ donationis & libertatis in die dedicationis præ-
„dictæ ecclesiæ recitari iussi corã Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & omnibus optima-
„tib⁹ Angliæ, omnique populo audiente & vidente, & secundũ Apostolici Leonis, eius-
„que successoris Nicolai constitutũ, excommunicari feci eos. qui decretum nostrum in-
„fringerent, vel infringi permitterent, quantũ in ipsis esset. Quisquis autẽ successorum me-
„orum hanc donationis libertatem firmiter atque inuiolabiliter custodierit, æterna corone-
„tur claritate, cœlestisque regni plena perfruatur fœlicitate. Siquis vero, (quod absit) de-
„struere voluerit, vel huius nostri decreti contradictor, conuulsor, & temerator extiterit, cũ
„Iuda traditore æterno anathemati subiaceat, nisi Deo & beato suo apostolo Petro digna
„pœnitentia satisfecerit. Vt ergo hęc auctoritas nostris & futuris temporibus circa ipsum
„sanctum locum perenniter firma & inuiolata permaneat, vel per omnia tempora illæsa
„custodiatur, atque conseruetur, & ab omnibus optimatibus nostris & iudicibus pu-
„blicis & priuatis melius, ac certius credatur, manus nostræ subscriptione subter
„eã decreuimus roborare, & idoneos testes annotare, atque sigillo nostro iussimus sigillare
„† Ego Eduardus dei gratia Anglorum Rex hoc priuilegium iussi componere, & com-
„positum cum signo Dominicæ crucis confirmando impressi † Ego Edgitha Regina om-
„ni alacritate mentis hoc corroboraui. † Ego Stigandus sanctæ Metropolis Eccle-
„siæ Cantuariæ Episcopus confirmaui. † Ego Eldredus Archiepiscopus Eboracensis
„Ecclesiæ consignaui. † Ego Wilhelmus Episcopus Londoniensis ecclesiæ ad
„omnia suscripta consentiens subscripsi. † Ego Heremanus Episcopus consensi & sub-
„scripsi. † Ego Wlsinus Episcopus consensi & supscripsi. † Ego Walterus Episcopus cõ-
„sẽsi & subscripsi. † Ego* Leofricus Episcopus cõsensi & subscripsi. † Ego Guiro Epis
„copus consensi & subscripsi. † Ego Wulstanus Episcopus consensi & subscripsi. † Ego
„Siwardus Episcopus consensi & subscripsi. † Ego Goowicius Episcopus consensi & sub-
„scripsi. † Ego Agelsius Episcopus consensi & subscripsi. † Ego Edwinus Abbas consensi
„& subscripsi. † Ego Agelwius Abbas consensi & subscripsi. † Ego Leofricus Abbas cõ-
„sensi & subscripsi. † Ego Baldewinus Abbas consensi & subscripsi. † Ego Wulfwoldus
„Abbas consensi & subscripsi. † Ego Edmundus Abbas consensi & subscripsi. † Ego
„Rembaldus Regis cancellarius relegi & sigillaui. † Ego Osbernus Regis capellanus. †
„Ego Petrus Regis capellanus. † Ego Robertus Regis Capellanus. † * Ego Haraldus dux.
„† Ego Edwinus Comes † Ego Gud. Comes. † Ego Leofwinus Comes. † Ego Mar-
„kerus Comes. † Ego Esgarus minister. † Ego Bondius minister. † Ego Radulphus
„minister. † Ego Rodbertus minister. † Ego Agelnodus minister. † Ego Wigodus mi-
„nister. † Ego Adnothus minister. † Ego Wulfricus miles. † Ego Siwardus miles. †
„Ego Colo miles. † Ego Wulfwardus miles. † Omnes consentientes subscripsimus.
„Stabilita apud Westmonasterium quinto Kalendas Ianuarij, die sanctorum Innocentum.
„Anno dominicæ incarnationis millesimo sexagesimo sexto, indictione tertia. Anno regni
„Eduardi nobilissimi & clementissimi Regis vigesimo quinto. Ego Alfgeatus Notarius ad
„vicem Rembaldi Regiæ dignitatis Cancellarij hoc priuilegium scripsi, & subscripsi in Dei
„nomine feliciter. Amen.

Subscriptiones Regis Reginæ. Episcoporum. *Crudensis Episcopus transtulit sedem Excestram. 1049 Abbatũ. Cancellarij Presbyterorũ. *Frater reginæ qui Eduardo successit. Ducum & Comitum. Officiariorum Regiorum. Notarij.

Et hactenus historia fundationis, & secundæ etiam instaurationis Westmonasterij: quam etsi vno verbo potueramus dixisse: ne tamen perirent hæc Regis sancti diplomata, & vt cis constaret, quanta pietate Anglici sanguinis Reges Apostolicam sedem prosequebãtur; quia etiam manifestum huius monasterij, quod repositorium est corporum Regalium, & locus coronationis & vnctionis regum nostrorum sacrum olim & inuiolabile, *sanctuarium* autem testabantur, voluimus ea ad longum hic interere. Ex eodem manuscripto volumine habemus aliud Eadgari Regis anterioris priuilegium, quo eędem huic monasterio prærogatiuæ, atque immunitates conceduntur: quod etiam easdem ob causas interendũ duximus. Anno igitur Edgarus.

Diploma Edgari regis de ijsdem ferè prærogatiuis.

„Ego Eadgarus diuina annuente gratia, paterna successione in regnum Anglorum inthronizatus & confir-
„matus ... omnia ecclesias Dei, tam peccatis exigentibus, quam crebris barbarorum ir-
„ruptionibus dirupta: & maxime sanctam & Apostolicam vitam, id est, monachicum or-
„dinem, per omnes regni mei prouincias funditùs deperisse; grauiter dolens & consilium à
„spirituali ... Dunstano Archiepiscopo & Athelwoldo Wintoniensi Episcopo
„hoc negotium inuenit, vt omnia monasteria, quæ intra terminum totius Angliæ sita sunt,
supra

„ supra vel infra circumirent, ac reædificarent. Et tanquam dicente mihi Domino, à capite „ incipe, imprimis ecclesiam Domni specialis & patroni ac protectoris nostri beati Petri, „ quæ sita est in loco terribili, qui ab incolis Thorney nuncupatur, ab occidente scilicet vr- „ bis London, quæ olim est Dominicę incarnationis anno sexcentesimo quarto beati Ethel- „ berti hortatu primi Anglorum Regis Christiani, (destructo prius ibidem abominationis „ templo regum paganorum) à Seberto prædiuite quondam subregulo London, nepote vi- „ delicet ipsius Regis, constructa; & non ab alio, sed ab ipso sancto Petro Apostolorum „ Principe in suum ipsius proprium honorem dedicata; Dehinc ab Offa & Kenulpho regi- „ bus celeberrimis possessionum priuilegijs, & varijs ornamentorum speciebus vehementer „ fuerat ditata; Et in qua sedes regia, locus etiam consecrationis Regum antiquitùs erat: „ Hanc præcepi vt studiosius restruerent, & omnes possessiones eius readunarent &c. Cog- „ noscat ergo magnitudo seu vtilitas vestra, quoniam determinamus & in perpetuum man- „ surum iubemus atque constituimus, vt pro reuerentia reliquiarum gloriosissimi Apostoli „ Petri, & pro quiete monachorum ibidem Deo famulantium, honor & laus eiusdem ec- „ clesiæ habeatur & obseruetur: Id est, vt quisquis fugitiuorum pro quocumque scelere ad „ pręfatam basilicam beati Apostoli fugiens procinctum eius intrauerit, siue pedes, siue „ eques, siue de curia regali, siue de ciuitate, seu de villa, siue cuiuscumque conditionis sit, „ quocumque delicto facinoris contra nos vel succedentes reges Anglorum, vel contra aliũ „ quemcumque fidelem ecclesiæ sanctæ Dei forisfactus sit, relaxetur, & liberetur, & vitam „ atque membra absque vlla contradictione obtineat &c. Præterea statuimus diuina aucto- „ ritate & nostra, vt neque nos, neque successores nostri, nec quilibet Episcopus vel Ar- „ chiepiscopus, nec quicumque de iudiciariæ potestate in ipsam sanctam basilicam, vel in „ manentes in ipsa, vel in homines, qui cum sua substantia vel rebus ad ipsam tradere vel „ deuouere se voluerint, nisi per voluntatem Abbatis & suorum monachorum vllam vn- „ quam habeant potestatem. Sed sit hæc sancta mater ecclesia peculiaris patroni nostri beati „ Petri Apostoli libera & absoluta ab omni inuasione vel inquietudine omnium hominum „ cuiuscumque ordinis vel potestatis esse videantur &c. Et vt hæc auctoritas nostris & fu- „ turis temporibus circa ipsum sanctum locum perenniter firma & inuiolata permaneat, per „ omnia tempora illæsa custodiatur atque conseruetur, & ab omnibus optimatibus nostris, „ & iudicibus publicis & priuatis meliùs ac certiùs credatur, manus nostræ subscriptione „ subtus eam decreuimus roborare, & sigillo nostro iussimus sigillare. Signum. † Ed- „ gari inclyti & serenissimi Anglorum regis. Signum Eduardi filij Regis. † Signum. † E- „ theldredi fratris eius.

* etsi.

Ioannē 13 Papā intelligit.

„ †. In nomine Christi, Ego Dunstanus * acsi peccator, Dorobernensis ecclesiæ Archiepis- „ copus, hanc libertatem sanctæ crucis agalmate consignaui, ac deinde secundum Aposto- „ licum Ioannis præceptum obseruatores huius libertatis auctoritate qua perfruor peccatis „ suis absolui, infractores verò perpetim maledixi, nisi resipiscant, & tribus annis à limini- „ bus ecclesiæ sequestrati, pęnitentiam agant. † Ego Oswaldus Eboracensis Archiepisco- „ pus imposui. † Ego Eldstanus London. ecclesiæ Episcopus acquieui. † Ego Ethelwol- „ dus Wintoniensis ecclesiæ Episcopus corroboraui. † Ego Elfstanus Roffensis ecclesiæ „ antistes supposui. † Ego Estwius Dorcacestrensis ecclesiæ Episcopus impressi. † Ego „ Aelfegus Lichfeldensis ecclesiæ Episcopus consolidaui. † Ego Adelsinus Sarisberiensis „ ecclesiæ Episcopus commodum duxi. † Ego Wulgarus Wiltunensis ecclesię Episcopus „ confirmaui. † Ego Adulphus Herefordensis Episcopus ouanter diuulgaui. † Ego A- „ thelgarus * Cislenensis ecclesiæ Episcopus gaudenter conclusi. † Ego Aluricus Cridensis „ ecclesię Episcopus Amen dixi. † Ego Sigarus Almanensis ecclesiæ Episcopus consigil- „ laui, atque cum prædictis Archiepiscopis, & Episcopis, & Abbatibus, luminibus accen- „ sis violatores huius munificentiæ, dignitatis, imo Apostolici transgressores decreti, in „ perpetuum excommunicaui, nisi prætitulatam pænitentiam resipiscendo peragant. † „ Ego Folcmerus Abbas. † Ego Alfricus Abbas. † Ego Kinewardus Abbas. † Ego Os- „ garus Abbas. † Ego Athelgarus Abbas. † Ego Sidemannus Abbas. † Ego Folbrithus „ Abbas. † Ego Godwinus Abbas. † Ego Leofricus Abbas. † Ego Somer Abbas. † „ Ego Aldredus Abbas consensi: & rege suisque præcipientibus hanc libertatis syngrapham „ scripsi anno dominicæ incarnationis nongentesimo sexagesimo octauo, Indictione duo- „ decima, idus martij anno decimo quarto regis Edgari. † Ego Thuredus presbyter. † „ Ego Adelbaldus presbyter. † Ego Leoffa presbyter. † Ego Wolstanus presbyter. † Ego „ Wulfgat presbyter. † Ego Bermud presbyter. † Ego Athelphege presbyter. † Ego Wine- „ man presbyter. † Ego Oswardus presbyter cum supradictis & cum alijs centum septem

* postea vocabatur Cisancestria, & nunc Chichestria.

presby

„presbyteris infractores huius firmitatis excommunicaui. † Ego Alfera dux. † Ego Marchar dux. † Ego Oslac dux. † Ego Barnoth dux. † Ego Osred dux. † Ego Fordwin dux. † Ego Fridealf dux. † Ego Anulf dux. Ad vltimum, vna cum Rege & filijs eius, nos omnes confratres & Coepiscopi, cum tota populosa & sancta synodo eiusdem loci, omnes futuros Abbates Decanos atque præpositos contestamur, verum etiam in nomine Patris & filij & Spiritussancti prohibemus, quatenus sacros illius ecclesię thesauros non destruant neque terras, seu reditus, vel beneficia, in suis vel parentum suorum vsibus, stolidè expēdāt neque à seruis Dei, quæ pro illis ibidem habetur substantiam subtrahendo minuant: quod si aliquis præsumpserit, illum sicut violatorem atque transgressorem huius nostri decreti, imo Apostolici ante summum iudicem, cum venerit iudicare sæculum per ignem, responsurum denunciamus.

Hactenus priuilegium Edgari Regis: quod cum reliquis posuimus, bona cum venia lectoris, tum vt ex eis appareat deuotio & pietas regum & Principum Anglorum, summaque obedientia & reuerentia erga sedē Apostolicam, & res personasq; ecclesiæ, quæ tanta fuit, vt non solum Episcopi & Abbates, verum etiam sacerdotes simplices seu presbyteri (velut ex his apparet diplomatibus) ob Dei reuerentiam, in actis publicis, ante regni proceres & duces, subscribere consueuerint. Tum præsertim quia hinc patet, (quod ad nostrum attinet institutum) Westmonasterij fundationem à S. Mellito anno 604. factam, & eiusdem ecclesię dedicationem ab ipso S. Petro celebratam, totius regni communi traditione traditam; & ipsum monasterium, expresso Pontificis Nicolai testimonio, sub regula S. Benedicti fuisse erectum. Fuit autem hic Nicolaus non ille primus, qui magnus ob pietatem & res gestas nuncupatur, (in quo lapsus est Reuerendissimus & non sine laude nominandus Abbas noster Caietanus, deceptus forte homonymia Eduardorum regum Anglorum, quorum vnus, qui & primus saxonici sanguinis ac propterea Eduardus senior dicitur, non longè ab ætate Nicolai magni vixerat) sed Nicolaus secundus, qui circa annum domini 1058. sedere cœpit, cui diu superuixit Eduardus Confessor, cuius sunt ea, quæ adduximus diplomata. Iam ex his omnibus colligat prudens lector, quanta veritatis luce perfundatur nostra assertio: quis enim prudens & æquus rerum arbiter, perspecta tanta solicitudine Melliti Episcopi in huius monasterij statu confirmando, tanta maiestate eiusdem cœnobij, qua meruit ab Apostolo Petro consecrari, tanta reuerentia Principum & Episcoporum gentis nostræ, qua ipsum monasterium constituerunt locum esse consecrationis & inaugurationis regalis, repositorium sacrum corporum Principalium, sanctuarium & asylum venerabile quorumcumque delinquentium, tanta Pontificum & regum diligentia amplificatum, quis inquam, his perpensis non videt, hos Pontifices, reges, & principes, nullo modo commissuros, vt monasterium à primis Apostolis fundatum, à principe Apostolorum consecratum, ab alijs religiosis alterius instituti habitaretur, quam ab illis, quos primi fundatores introduxerant? præsertim, cum in historijs nostris nulla regulæ aut instituti mutati vmbra vel vestigium appareat, cum tamen aliæ omnes eiusdem monasterij vicissitudines, sub Danis ante Eadgarum, sub ijsdem ante Eduardum, sub Normanno victore, regibusque sequentibus amplificatoribus, sub Henrico octauo euersore, sub Philippo & Maria instauratoribus vltimis, sub Elisabetha quæ monachos penitus eiecit, diligentissimè sint à nostris hominibus annotatæ. Sane nullus dubitabit, quin inter tot mutationes alias, etiam regularis instituti prioris, in aliud posterius mutatio fuisset memoriæ prodita, si vnquam vlla talis mutatio extitisset. Sed nulla profecto extitit, ideoque nullius vnquam mentio facta inuenitur. Vnde quod Nicolaus Pontifex mentionem regulæ S. Benedicti fecerit, indicat semper ibi monachos fuisse Benedictinos ab exordio cœnobij, cum certissimum sit non tunc primò ibidem constitutos, sed longè antea sub Edgaro, agentibus Dunstano & Oswaldo sanctis nostris restitutos: neque verò Eadgarus alios monachos nouos à veteribus, seu veteris instituti monachis diuersos, in cœnobijs à se instauratis collocauit, vt alibi superiùs est à nobis demonstratum. Et de hoc cœnobio pleniùs demonstrabit sancti Melliti Romana profectio, de qua nunc agemus.

In his diplomatis lucet pietas Anglorum.

Et veritas expressa nostræ sententiæ.

Conuerso ad fidem Seberto (vt iam est ex Ealredo & regijs diplomatis ostensum) circa annum domini 604., monasterioque S. Petri ad Orientem Londini ædificato, circa annum domini 606. Idem Mellitus à sancto rege Ethelbetto, & sancto Archiepiscopo Laurentio Romam missus est. Causam itineris, non eam, quam indicat Baronius, sed maiorem & magis necessariam assignat venerabilis Beda lib. 2. historiæ gentis Anglorum, cap. 4. *Et cum idem Papa Reuerendissimus* (Bonifacium quartum intelligit) *cogeret synodum Episcoporum Italiæ de vita monachorum & quiete ordinaturus, & ipse Mellitus inter eos assedit*, vbi vides non pro priui-

legijs Westmonasterij, sed pro quiete totius ordinis monastici. Mellitum profectionẽ suscepisse. Quod mirum dissimulasse Baronium; nam ignorasse non potuit, qui Bedæ verba sine dubio legisset. An vt ait ille, *etiam tantæ animis cælestibus iræ?* Prouiderat quidem iam antea S. Gregorius magnus in constituto, quod etiam in synodo Episcoporum sanciuerat, quieti monachorum, ne ab Episcopis Diœcesanis vllam paterentur molestiam: Sed ex eo quod D. Gregorius conuersionem infidelium monachis commisisset, inde orta est noua monachorum vexatio, tum in alijs prouincijs, tum præsertim in Anglia, quam conuerterant contendentibus Clericis, qui monachi non fuissent, fide iam in populis fidelibus plantata, non licere monachis presbyteris sacramentorum administrationi se immiscere. Nam in primitiuę Ecclesiæ temporibus, monachi aut non initiari sacris ordinibus consueuerant, aut initiati, plærumque è Monasterijs suis ad ecclesias parochiales abstrahebantur: vnde Cassianus, monacho claustri quietem amanti, duo hominum genera fugienda consuluit fœminas, & Episcopos; illas, ne eos ad carnalia desideria deijcerent, hos autem, ne ipsos ad mundi siue sęculi curas, inter quas prima est sæculariũ in spiritualibus gubernatio, retraherẽt. Postquã verò Gregorius monachis prædicandi munus iniunxisset inter infideles, paulatim cœperunt cœnobia repleri presbyteris monachis, quæ consuetudo ita inualuit, vt extinde nulli fere monachi, nisi ad opus euangelij, & administrationem sacramentorum apti, aut certa ad altaris ministeria solemniter celebranda idonei admitterentur; quod vsque hodie perseuerat. Igitur Clerici, & Canonici cathedrales, (quasi cœnobia solum monachis secundum antiquum ecclesiæ morem inseruire deberent, ita vt solitariæ vitæ dediti, penitus à cura animarum abstinerent,) hanc litem illis intenderunt, quam vt pontifex dissolueret, sanctus Mellitus Romã directus est, & ad eandem litem decidendam Pontifex Bonifacius synodũ coegit, in qua, post diligẽtem tractationem, insignem illum canonem edidit, quem ex parte Gratianus in decretum suum retulit. Nos hic canonem integrũ ponemus, quem habet Iuo Carnutensis parte. 7. cap. 22. suo hoc titulo præfixo: *Quod liceat monachis cum sacerdotali officio, vbique ministrare; ex concilio Bonifacij Papæ, qui quartus à Beato Gregorio fuit.* Et ante Iuonem longè emendatius citauit S. Petrus Damianus, lib. 6. Epistolarum. ep. 19. apposita hac epigraphe: *Decretum Bonifacij Papæ, quod monachi presbyterij honore decorati, potestatem habent ligandi & soluendi. Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissime quidem zelo magis amaritudinis quam dilectionis inflammati, asserentes monachos, quia mundi mortuo sunt, & Deo viuunt, sacerdotalis officij potentia indignos, neque pænitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absoluere posse, per sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem. Sed omnino labuntur. Nam si ex hac causa veteres æmuli, vera prædicarent, Apostolicæ compar sedis beatissimus Gregorius monachico cultu pollens ad summum nullatenus apicem conscenderet, cui quidem hæc ligandi soluendique potestas à Deo summo conceditur. Augustinus quoque eiusdem sanctissimi Gregorij discipulus, Anglorum prædicator egregius; & Pannoniensis Martinus beatissimus, cuius sanctitatis famam longè lateque diffusam totus personat mundus; alijque, quamplurimi viri sanctissimi pretiosissimo monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo pontificali subarrarentur. Sed quamuis monachi fuerunt, prædictis vti perhibentur. Neque enim B. Benedictus monachorum præceptor almificus huiuscemodi rei aliquo modo fuit interdictor; Sed eos sæcularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo. Quod quidem Apostolicis documentis, & omnium sanctorum Patrum institutis, non solum monachis, verum etiam Canonicis maximopere imperatur. Nemo enim militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus. Nos vero tantorum patrum instituti exemplis quibus periculosissimum est refragari, credimus à sacerdotibus monachis, ligãdi soluendique officium, Deo operãte, digne administrari, si eos digne contigerit hoc ministerio sublimari. Quod incunctanter affirmat, quisquis statum monachorum & habitum, potestatemque euidenter considerat. Verbi gratia Angelus græcè latinè nuncius sonat: sacerdotes igitur monachi atque Canonici, qui quotidie Dei præcepta populo nunciant, angeli vocantur ratione non incongrua. Sed vnusquisque angelicus ordo, quantò claritatẽ Dei vicinius contemplatur, tantò maiori virtute eius diuinitati adhærens, sine dubio roboratur. Eorum Cherubim ordo eximius prædicatur: quorum figuram monachorum cultus competenter habere comprobatur. Nam vti Cherubim, ita monachi sex alis velantur; duæ quidem in caputio, quo caput tegitur, verisimilibus demonstrantur assertionibus: illud verò tunicæ, quod brachijs extenditur, alas duas esse dicimus; & illud tandem quo conditur corpus, sex alarum numerum certissimè implere asseritur. Decertantes igitur, monachicæ professionis presbyteros, sacerdotalis potentiæ arcere officio, omnimodè præcipimus, vt ab huiusmodi nefandis ausibus reprimantur in posterum, quia quantò quisque est celsior, tantò in his est potentior.* Hactenus Bonifacius: & de materia quidem ipsa controuersia in hoc canone, inferius recurret loquendi occasio; nunc quam clarissimè ex eo probabimus Gregorium, Augustinum, sociosque eius, & omnes illius ætatis per Angliam & occidentem monachos in ordinem sancti Benedicti transijsse. Nam cum synodum hanc collegerit Pontifex

Decretum Bonifacij in causa monachorũ

Nõ potest intelligi de alijs monachis quã Benedictinis.

vt

vt Mellito ad se misso satisfaceret, quemadmodum & ex ipso decreto apparet, & ex venerabili Beda diximus: profecto quod Pontifex hic decernat, licere monachis presbyteris sacramenta administrare, quia sanctus Benedictus id eis non prohibuerit; existimatque nec Gregorium magnum, nec Augustinum eius discipulum, qui Anglorum Apostoli fuerunt, vnquam Episcopalem apicem ascensuros fuisse, si illud sanctus Benedictus monachorum præceptor vetuisset: euidenti argumento est, & ipsos, & omnes per Angliam monachos, (quorum præcipue causa synodus hæc est celebrata) regulæ Benedictinæ fuisse professores. Quinimo quod ex auctoritate regulæ S. Benedicti, hoc ipsum pro monachis contra Canonicos seu Clericos decreuerit: indicat proculdubio, tanti ponderis fuisse Patriarchæ nostri iudicium in illa insula, in qua tam multi ipsius viuerent alumni, vt satis fuerit in hac controuersia, illud Pythagoricum, αὐτὸς ἔφη Magister dixit, Benedictus non prohibuit, ad litem totam componendam. Vbi etiam illud est notatu dignissimum, in decretis pontificijs prius inueniri Benedictinæ regulæ honorificam mentionem, quam aut Basilij, aut Augustini magnorum Episcoporum: idque eo cum pondere, vt monachorum omnium per occidentem vita ac mores ad eam componi Pontifices, & concilia constituant, nec vnquam ad aliam regulam, cum de monachis agitur, prouocent. Adeo vt Iurisconsultus, in glossa ad hunc canonem ab omnibus laudatus affirmare non dubitet *Quicquid ergo non prohibuit sanctus Benedictus, hoc monachis licet*. Monachis, inquam, quos in hoc decreto contra Canonicos Pontifex distinguit: vt hinc pateat, eo tēpore nō agnouisse Pontificē aliam monachorum regulā per Occidētem, quā Benedictinā; nam etiāsi Augustini regula pro Canonicis lata, si qua talis fuerit tunc extra Africam, aut in Anglia fuisset agnita, (quod hactenus nō est vllo certo probatum argumēto) tamen contra illos nō fuisset hæc lis cōmota, quippe qui ex suo instituto clerici, nō monachi esse deberent. Quod si eremitæ Augustiniani tunc tēporis in Britannijs fuissent, quod Crusenius improbabiliter valde contendit; adhuc nec contra illos hæc orta fuisset tempestas, nec pro illis lata foret hęc Pontificis sententia; tum quia eremitas suos Augustinus in regula non Præpositis tantum suis, verum etiam presbytero Ecclesiæ cathedralis subdi voluerit, vt proinde, non fuerit opus ad Pontificis oraculum recurrere, sed ad ipsam sancti Augustini regulam & institutionem, Tum vel maximè, quia valde abhorrenter & ineptè respondisset Pontifex, *sacerdotalis officij potestatem Monachis licere, quia Benedictus monachorum præceptor id eis non prohibuisset*, si alium monachorum, eius ætatis præceptorem, pręter D. Benedictum agnouisset. Maxime in Anglia, pro qua hoc decretum præcipuè Pontifex; Mellito petente, protulit: vt monachorum videlicet Anglorum (sicut Bedam docuisse diximus) quieti cōtra impugnatores & murmurantes consuleret; quos proinde monachos euidens hinc est fuisse Benedictinos. Vt omittamus, monachorū appellationem, nō solum hic à Canonicis (siuè sæculares, siue regulares, & cathedrales fuerint) distingui, imo Canonicis opponi, verum etiam in toto iuris corpore: *in odiosis* de Benedictinis tantummodo à iurisconsultis & iudicibus intelligi, vbi particularis restrictio non additur: quod euidens est indicium, monachorum nomen per occidentem, primum absolutè à Pontificum & conciliorum decretis Benedictinæ familiæ fuisse attributum, ac deinde ad alios regulares per analogiam quandam extensum.

Neque vero huius argumenti vim euasit Gallonius, vtcumque sese miserè torserit, vt aliquo modo eam eluderet; Martinum, qui hic nominatur, Turonensem accipiens; vnde apparet sane ipsū, magis pro sua sentētia pugnaciter, quā pro veritate ingenuiter cōtēdisse qui vt locum hunc pro monachatu Benedictino S. Gregorij ineuitabilem infirmaret, Pontificē, bis absurde & inconsequenter loquentem, inducere maluit. Primum quidem ex eo quod in exemplis allegandis Martinum magnū, & Thaumaturgum, qui tot annis Gregorium ipsum & D. Benedictum præcesserat, D. Augustino Gregorij discipulo postponeret; quod nunquā Pontifex fecisset, si Martinum Turonensem innuisset. Deinde verò, quod horum Pontificū & monachorum Episcopatum licitè ab eis probet assumptum, quia id eis S. Benedictus monachorum præceptor non inhibuisset: quod cum Gregorio & Augustino nostro optime cōueniat, ineptissime pro S. Martino Turonēsi proponeretur. Martinus ergo ille, de quo Bonifacius hoc in decreto loquitur, nō est ille antiquior sancti Hilarij discipulus & clericus, qui nō illo *Pānoniēsis* titulo, sed *Turonēsis* sēper apud antiquos appellatur, quāuis Pānonijs ortus fuerit. Est ergo *Martinus Dumiēsis & Bracarēsis* ecclesię in Gallęcia episcopus & monachus, primū Abbas Dumiensis, (quod monasterium ipse ędificauerat, ac postea in episcopatum, pro familia regia gubernanda erectum, illustrauit) deinde Archiepiscopus Bracarensis. Hic enim celeberrimus religionis & prædicationis gloria in Gallæcia claruit, ipsius Gregorij magni sæculo, & *Pannoniensis* à patria vocatur: quemadmodum de ipso Gregorius Turonensis eiusdem sæculi sanctus scriptor asserit, lib. 5. historiæ Francorum. c. 37. Hoc *eodem tempore*

Friuola Gallonij tergiuersatio

Martinus iunior, nō Turonensis in hoc decreto positus.

Martinus Gallæciensis episcopus obijt, magnum populo illi faciente planctum; nam hic Pannonijs ortus fuit, & exinde ad visitanda loca sancta in Oriente properans, in tantum se literis imbuit, vt nulli secundus suis temporibus haberetur. Et Fortunatus in carmine ad ipsum Martinum adhuc in viuis agentem.

Martino seruata nouo Gallæcia plaude,
Sortis Apostolicæ vir tuus iste fuit:
Qui virtute Petrum præbet tibi, dogmate Paulum,
Hinc Iacobi addens, inde Ioannis opem.
Pannoniæ, vt perhibent, veniens à parte Quiritum
Est magis effectus, Gallica vera salus.

Quin & ipse de se Martinus, in versibus quos ad Isidori librum de viris illustribus citat Peterius eius libri Scholiastes, idem profitetur,

Pannonijs genitus, transcendens æquora vasta,
Galiciæ in gremium diuinis nutibus actus.

De isto ergo *Martino iuniore*, loquitur Pontifex, qui Apostolus Galiciæ est, & Sueuos (ita tunc vocabantur illius regni habitatores) ab Arianismo conuertit ad fidem catholicam, sicut Augustinus Anglorum prædicator eadem ætate Anglo-Saxones conuertit ad Christianitaté. Atque ita valdè consequenter, & ex decoro loquitur Bonifacius, eiusdem ætatis vtens exemplis, cuius ætatis erant, qui controuersiam hanc excitarunt; & minoris regni Archiepiscopum Martinum tertio loco post Pontificem Gregorium, & totius Britanniæ primatem Augustinũ, eiusdemque regulæ monachalis professorem producens. Cum igitur Pontifex Bonifacius in concilio Episcoporũ decernat, posse Monachos licitè sacramenta Christi dispensare; & deinde asserat, Gregorium Papam, Augustinum Anglorum prædicatorem, Martinum Pannoniẽsem, Galiciæ scilicet Apostolum, nunquam Episcopi munus suscepturos, si monachis id non liceret, suscepisse autem, quia Benedictus præceptor monachorum id neutiquam vetuisset: proculdubio rectissime infertur, Martinum, Augustinum, Gregorium, atque adeo Mellitum aliosque Angliæ monachos, fuisse Benedictinos; Aliter canon hic ineptè fuisset cõtextus, indecorè, & inconsequenter: nec vlla esset ratio cur regulam S. Benedicti allegaret, potius quàm Basilij, Pachomij, Augustini, qui monachorum etiam præceptores fuere. Sed quum Benedicti Patriarchæ regulam, tanta cum veneratione pro sententiæ suæ firmamento præcipuo alleget, eum *Monachorum præceptorem almificum* (vt & Gratianus citat) nuncupãs; profectò omnes sui temporis per occidentem monachos (de quibus hic agitatur quæstio) non alia regula, quam Benedictina regi innuit, sanctumque Gregorium, Augustinum, & Martinum ideo Episcopos fieri potuisse, & sacerdotalia munia obire significat, quia id ipsis Benedictus pater, præceptor, & legislator ipsorum nequaquam prohibuisset. Quin & illa mystica sex alarum seraphicarum pictura, quam Monachalem habitũ dicit exhibere, optimè nostro conuenit habitui, seu cucullæ regulari qua in chori officijs vtimur: & quem postea canonici cathedralium ecclesiarum, multis in locis imitati assumpserunt, qui olim byrrati, nõ capuriati seu cucullati procedere consueuerunt: vnde in concilio Aquisgranensi prohibetur expressè canonicis, ne monachorum capucijs vtantur. Hæc autem comparatio aliorũ regularium cappis seu cucullis ita aptè & concinnè nequit accommodari, quippe quorum caputia non sint bifida in morem alarum, & sub mento tamen connexa, nec manicæ ita laxæ, vt alarum vllam gerant similitudinem. Vt omittamus, eorum omnium habitus seu vestes regulares longè posteriores nostris esse, longeque diuersos ab illis, quibus antiqui in oriente, & meridie monachi, vel eremitæ vsi sunt.

Et hunc, quem diximus, verum esse canonis istius sensum apparet ex ijs, quæ iam à sexcentis annis disputat Conradus scriptor vitæ S. Wulphelmi Abbatis, & ex canonico Coloniensi monachi nostri, qui inter primos impugnatores Berengarij emicuit, & ante annum domini millesimum floruit. Huius inquam scriptor vitæ, qui & ipsius auditor fuit atque discipulus S. Wolfelmi ingressum in nouitiatum in Abbatia S. Maximini Treuerensis describit his verbis. *Iuxta illud ergo Gregorianum, pedem, quem quasi in ingressu mundi posuerat, retrahens, ruptis terrenarum voluptatum catenis, morarum impatiens, fugam iniJt, latenter discessit, sanctumque Maximinum in Treuerica vrbe expetijt, vbi sub venerabilis patris Bernardi regimine amplius & perfectius tunc temporis monachicam vitam feruere cognouit. Ibi præoptati diu voti compos effectus, se monachum est professus, seniisque cum seraphim alis amictus, Deum excelso gloriæ solio subnixum, tranquilla mentis acie contemplari lætatur.* Quod ne abusiue videatur prolatum, nouerit lector *Romana auctoritate decretum, illius ordinis habitu significantiam exprimi sex alarum. Duas alas illo, quo totius corporis velatur altitudo, duas, quo brachiorum tegitur latitudo: Duas vero superiores inuicem sibi iunctas,*

iunctas, capitis operimento. Quod quia priorum sancta definiuit auctoritas, nulla argumentatione refellere debet posteritas. Agnouit ergo antiquitas, decretum Bonifacij de monachis loqui Benedictinis; habitumque ab eo, mysticis alis seraphim assimilatum, cucullam esse nostri ordinis, scriptor hic pius ac doctus ante sexcentos iam annos, ita certum existimauit, vt tanquam Romanæ sedis doctrinam à nemine impugnari debere iudicaret.

Hinc ergo constat apertissime monachos Anglos, pro quibus Bonifacius hoc in concilio pronunciat, vna cum institutoribus suis Gregorio, Augustino, Mellito, fuisse Benedictinos: vt nihil amplius ad hanc rem probandam opus sit adducere; & tamen vberioris probationis causa id ipsum ex cathedralium per Angliam cœnobiorum institutione, maximè Cantuariensis Christo saluatori dicati, confirmabimus.

§. 17. *Ecclesiam Metropoliticam Cantuariæ, cæteraque Angliæ cathedralia monasteria, antiquitatem Benedictinorum fidei ab Anglis receptæ æquæuam probare.*

Etenim duo genera cœnobiorum habuit Anglia, à prima fidei Christianæ receptione: vnũ claustralium duntaxat, aliud vero cathedralium; vocabantur claustralia, in quibus sub Abbate aut Priore, Abbatem proprium non habente, occupabatur conuentus in diuinis officijs, actibusque regularibus ad perfectionem singulorum monachorum acquirendam ordinatis, sine onere aut cura regiminis diœcesani. Cathedralia vero, quorum Abbas erat Episcopus, & conuentus erat capitulum cathedralis ecclesiæ, atque adeo monachi erant canonici cathedrales, ad quos omnia munia pertinebant, quæ in ecclesijs cathedralibus sæcularibus, ad sæculares canonicos spectare dignoscuntur. Succedenti verò tempore, erat & tertium genus, quando nimirum quibusdam Abbatijs non cathedralibus, committebatur tamẽ cura aliquarum paræciarum sæcularium. Et initio quidem receptæ ab Anglis fidei plæræque omnes ecclesiæ, seu sedes Episcopales erant monasteria cathedralia, vt Cantuariensis sub Augustino, Eboracensis sub Paulino, Roffensis sub Iusto, Londinensis sub Mellito; Lindisfarnẽsis sub Aidano, Sherbornẽsis sub Aldelmo, Wicciensis, seu Wigorniensis sub Egwino. Posterioribus vero temporibus quędã ecclesiæ factæ sunt capitula canonicorũ sæcularium, vt Eboracensis, Londinensis, Sarisburiensis quæ olim fuerat Sherbornensis. Manserunt tamen vsque ad Henrici octaui schisma hi Episcopatus in monasterijs cathedralibus; Cantuariensis Primatialis & Metropolitica in ecclesia & monasterio Christi saluatoris; Dunelmensis, vulgo de Durham; Ventana seu Wintoniensis, vulgo de Winchester; Eliensis; Nordouicensis; Wigorniensis; Bathoniensis; Couentrensis; Roffensis, vulgo de Rochester. Omnes hæ Episcopales ecclesiæ, in monasterijs perseuerarunt, & capitula ipsarum erant conuentus ipsi, monachique canonici, & Episcopi eorum Abbates; donec Henricus octauus vt singularis ferus depopulatus est vineam Christi; qui suppressis vbique monasterijs, eiectisque monachis, in hos episcopatus, vt sic dicam monasticos, induxit capitula canonicorũ sæculariũ; & quatuor Abbatias, quas suppresserat, alias in quatuor etiam cathedras Episcopales cũ canonicis etiã sæcularibus, nimirum in Abbatia Glocestrẽsi, Cestrensi, Petroburgensi, Westmonasteriensi, quod tamen post ipsius tempora sub Philippo & Maria restitutum ordini, postea sub Elisabetha factum est Decanatus, seu ecclesia collegiata sæcularium cum decano, & ludo literario, seu schola, cum scholarcha & certo numero studiosorum adolescentum, qui reditibus monasterij alerentur. Tertij generis monasteria, quibus nempe erant annexæ aliquæ parochiæ sæculares, quarum cura penes ipsos foret monachos, fuere valde multæ Abbatiæ, prętertim Albanensis, & Croulandensis, quæ habebant ex suo gremio Archidiaconos, penes quos erat regimen totius Archidiaconatus sui, monasterijs illis annexi, etiam exemptæ iurisdictionis, quemadmodum auctores sunt Mathæus Paris, & Ingulphus eorundem monasteriorum monachi. Pari modo Abbatiæ Glastoniæ concessus est Archidiaconatus, monacho per conuentum electo conferendus, vt testatur Godwinus in catalogo. Hæc quæ de cathedralibus monasterijs diximus & mixtæ iurisdictionis Abbatijs, tam sunt certa, vt nemo versatus in historijs Angliæ, poterit ignorare, præsertim qui Mathæi Paris annales, aut D. Godwini Herefordensis Antistitis catalogum Episcoporum Angliæ legerit: sed quia fortassis ij libri non facilè in manus exterorum perueniant, probabimus ea, quæ proposuimus. Primum quidem ex capitulis generalibus congregationis Benedictinorum Angliæ, quæ habes in

Quod fuerint in Anglia & al ibi Monasteria cathedralia.

 bes in

bes in appendice, scriptura 60. partis 3. cuius in calce ponuntur nomina Abbatum & Priorum Abbates proprios non habentium, qui ad capitula generalia seu prouincialia conuenire tenebantur, in quo Priores, si cathedrales, nominatim citantur; habeturque catalogus ille non in registro duntaxat Selbiensis Abbatiæ, verum etiam in alijs tribus registris manuscriptis nimirum in registro Euishamensis Abbatiæ, penes nobilissimum D. Robertum Cottonū; Dunelmensi apud doctissimum virum D. Augustinum Linselium Canonicum illius ecclesiæ; & in registro Aloanensis Abbatiæ quod habet D. Radulfus Starkius. Videatur etiam scriptura 63. de loco & prerogatiuis Suppriorum cathedralium. Ex eisdem scripturis citatis & positis in appendice, apparet manifestè, hæc omnia cœnobia cathedralia fuisse Benedictina, & de iure membra capituli Prouincialis seu generalis Angliæ nigrorum monachorum, quod ex decreto Innocentij tertij, & Benedicti duodecimi ordo noster per Angliam diligentissimè frequentauit. Deinde ex authore antiquitatis peritissimo, D. Godwino, qui instar omnium scriptorum nobis erit, qui ex archiuis ipsis, authenticisque actis tribunalium & ecclesiarum inspectis, & historiam Henrici regis octaui, & catalogum Episcoporum Angliæ magna fide, & maiore (quam cæteri Protestantium historici solent) modestia conscripsit; quam tamen in scripto Anglicano melius, quàm in Latinæ editionis catalogo seruauit. Is igitur in historia Regis Henrici ad annum Christi 1539. cum sacrilegam Henrici hypocrisim pinxisset, qui monasterijs, ecclesijsque collegiatis deiectis fiscum ditauit, speciosæ prætextu Episcopatus nouos loco ecclesiarum otiosarum erigendi; nomineque præcipuarum Abbatiarum recensuisset, quarum Prælati in consessu Parlamentario locum inter Proceres, & ius suffragij habuerant: ista valde notanda in rem nostram subiecit. *Tot hominum, & doctorum plærumque & sapientium in summo Regni concilio iacturam vt aliquo modo rex resarciret: simul vt ex tanta præda, si non decimam partem Herculi, at aliquam tamen Deo consecraret; id, quod ab initio pollicitus fuerat, nouos aliquot Episcopatus cōstituit; vnū videlicet Westmonasterij, quod ciuitas est Lōdino adeo vicina, & perpetuo domorum serie ipsi coniuncta, suburbiorum pars iure poßit censeri. Hic Regiarum præcipua sita est; hic summa Angliæ tribunalia; Hic deinde Basilica visitur magnificentißima, in qua regum nostrorum plærique tumulantur, prout etiam summorum procerum atque nobilium: vt in vniuerso mundo templum vix reperiri credam, tot, tam splendidis & sumptuosis defunctorum monumentis spectabile. Alium deinde placuit in celeberrimo Oxoniensi Academia collocare, in ipso nimirum collegio per Wolseium Cardinalem ædificato* (collegium Christi vocant) *Alium item Petroburgi* (in cœnobio Benedictino) *Bristolliæ* (in cœnobio canonicorum Augustinensium,) *Cestriæ, Glocestriæ* (in cœnobijs item Benedictinis) *alios. In hodiernum vsque diem hæc ordinatio vim obtinet: nisi quod Westmonasterium ad primam institutionem à Maria reuocatum, & Benedictinis monachis rursus repletum est; quos Elizabetha soror eiecit, Episcopalibus prædijs* (imo Abbatialibus) *ad scholasticorum alimoniam aliosque pios vsus conceßis. Porro cum veterum ecclesiarum cathedralium multæ a solis monachis poßiderentur, non est visum his quicquam eripere* (nescio an D. Godwinus hic ex sensu suo loquatur, vix enim persuadebit, integra Ecclesiarum illarum prædia ipsis fuisse relicta;) *Monachi duntaxat facessere iußi, & Canonici pro illis substituti; quemadmodum etiam in sedibus, quas nuper constitutas diximus.* (Nam in illis prius monachi, aut canonici Augustiniani fuerant) *Ecclesiæ autem quæ præbendarios, & Canonicos ab initio aluerint, quæ nouæ, vt appellamus fundationis censeantur, hæc breuis tabella demonstrabit.*

Canonicos & præbendarios habebant antiquitus — In Anglia	In Wallia	*Has ecclesias monachi insederunt.*	*Nouæ sedes vbi olim monasteria.*
Eboracum.	*Meneuia siue S. Dauidis.*	*Cantuariensem*	*Oxonia*
Londinum	*Landauia*	*Wintoniensem*	*Glocestria*
Lincolnia	*Bangora*	*Eliensem*	*Cestria*
Sarisburia	*S. Asaphi.*	*Norwicensem*	*Petroburgum*
Exonia		*Wigorniam*	*Bristollia.*
Wellia		*Roffum*	
Lichefeldia		*Dunelmum*	
Herefordia		*Carleolum*	
Cicestria			

Hæc in

Hæc in prædicta historia sua Godwinus. In cuius verbis. Primo notandum est, ipsum Welliam & Lichefeldiam inter Episcopatus canonicales numerare; cum tamen illi Episcopatus & olim, & nunc bipartiti sint, vocenturque Episcopatus Bathoniensis & Wellensis; Couentriensis, & Lichefeldensis; ob binas nempe vtriusque Episcopatus ecclesias cathedrales, quarũ priores erãt Monasticæ, posteriores verò canonicæ. Audi ipsum de Couentrensi loquẽtem in catalogo: cum narrasset quomodo monachi ab Hugone Episcopo ex ecclesia Couentrensi vi armata eiecti, post mortem dicti Hugonis subintroductos ab eo clericos sæculares Pontifice mandante eiecissent, circa annum Domini 1199. subdit hæc verba: *Ad Episcopi electionem se accingunt* (monachi nimirum) *hoc vnice cauentes, ne eum sibi præponant, qui bonis monachis otiam velit interturbare.* Audi etiam eundem ad annum 1224. in Alexandro Sauensby Episcopo Couentriensi: *Illo sedente, lis in curia Romana diu agitata inter monachos Couentrienses & canonicos Lichefeldenses de iure eligendi Episcopum sic terminata est, vt alternis vicibus eligerent, sed ita, vt vtrobique, tam apud Lichfeldenses, quam apud suos Prior Couentrensis suffragium ferret, idque omnium primum.* Erat ergo hic Episcopatus potiori ex parte etiam monasticus.

Coventrensis ecclesia, monasterium cathedrale.

De Bathoniensi idem etiam nos instruet D. Godwinus in catalogo: vbi postquam docuisset hanc Wellensem ecclesiam (dicta est à copia fonticulorum ibi ebullientium, teste Malmesburiensi, quos Angli Welles vocant) à Kenolpho rege in monasterium fuisse conuersam, anno Domini 766. quo eiusdem regis fundatorium diploma signatur; Episcopalem cathedram ibi collocasse ait Plegmundum Archiepiscopum Cantuariensem, sub annum Domini 905. dato Episcopo Adelmo Abbate Glastoniensi; nec videtur adhuc, collegium Canonicorum ibidem erectum fuisse, sed quia adhuc Ecclesia erat monasterij, etiam monachos Episcopo fuisse loco Canonicorum credibile est, præsertim cum plærique Episcopi eius fuerint Abbates monachi, aut Glastoniæ, aut Midletoniæ aut aliarum; & Abbatiæ Glastoniensi Archidiaconum à monachis & è monachis annuum eligendum cum vicinę regionis iurisdictione concesserint; & canonicorum prima mentio, atque adeo proculdubio prima stabilitio fuerit facta sub Dudoca, seu vt alij vocant, Bodeca & Opisone ad annum 1059. successore ipsius, Lotharingis, qui morem patriæ suæ sequentes, Canonicos (eiectis antea per Haroldum monachis, qui ibi vsque ad illa tempora seruierunt) introduxerunt, & sub communis vitæ regulâ instituerũt, sicut eodem fere tempore, anno scilicet 1049. Leofricus etiã Lotharingus Episcopus Exoniæ factus, monachis qui ibidem fuerant Westmonasterium translatis, sedem Episcopalem à Cridia, seu Creditoria Exoniam transtulit, veterique monasterio diruto ecclesiam cathedralem, claustrumque canonicorum sæcularium, communem vitam degentium instituit. Ab eo igitur tempore Canonicos habuit Wellia. Sed ita, vt successor Gisonis Ioannes Turonensis, vitam hanc communem canonicorum claustro ipsorum deiecto euerterit; & cathedram Episcopalem ad vrbem Bathonicam in monasterium à se renouatum trastulerit; Iocelinus autem de Wellis circa annum Domini 1205. se Episcopum Bathoniensem & Wellensem primus vocauit, omnesque post eum successores illum titulum constanter retinuerunt: anteà vero iam per concordiam initam fuerat ordinatum, vt à delegatis pari numero monachis & canonicis Episcopus eligeretur, & in vtraque ecclesia installaretur: quod narrat idem D. Godwinus ad annum 1136. accidisse sub Roberto Episcopo.

Item Bathoniensis.

Et ipsa olim Vvellẽsis.

Quę postea clericalis.

Deinde etiam notandum est huius docti viri, in antiquitatis historia periti iudicium, *primam institutionem* Westmonasterij fuisse *Benedictinam*, & ad eam sub Maria regina reuocatum fuisse cœnobium, quod Pater suus eiectis monachis in Episcopatum transformauerat. Quod autem in reliquis monasterijs cathedralibus, quæ enumerauit, ita sederint monachi, vt penes eosdem ius eligendi Episcopos resederit, idem passim significat in catalogo: De Wintoniensi quidem, cum Reges Pontificesque sæpius monachorum electiones neglexissent, docet ad annum 1174. in Richardo Toclinio Episcopo; his verbis: *Cardinalium quorundam intercessione mediante, electionis liberæ facultatem Rex monachis Wintoniensibus concessit, qui Episcopum designarunt, Ricardum Toclinum Archidiaconum Pictauensem.* Cæterum olim, non solum erat illis, suum eligendi Episcopum liberrima potestas, verum etiam tenebantur non alium quam Monachum Episcopum eligere. Cuius rei testimonium

Vvintoniæ monasteriũ cathedrale.

„(inquit Parkerus in Elphego) ex Ioannis Papæ ad Edgarum epistola de Wintoniensi E-
„piscopatu lucidum habemus: nec procul à vero esse potest, similes Papæ epistolas pro reli-
„quis Episcopatibus, vbi Monachi præfuerunt, emanasse. Ioannes Episcopus seruus seruo-
„rum Dei, Eadgaro Regi excellentissimo, atque omnibus Episcopis, Ducibus, Comitibus,
„Abbatibus, & cuncto populo Anglicæ gentis Christianam salutem & Apostolicam bene-
„dictionem. Quoniam semper sunt concedenda, quæ rationalibus quæruntur desiderijs:
„oportet vt vestræ pię petitionis studiũ in priuilegijs minimè offendatur præstandis. Scimus
„enim

Decretum Ioannis Papæ pro monachis

Vvintonienſibus.

„ enim, glorioſe fili, imperij veſtri dignitatem, zelo diuinæ legis ita vndique munitã, vt indeſinenter pro venerabilium locorum peruigilet ſtabilitate, quatenus prouenıente, pro labore, ſchola dominici multiplicetur ſeruitij, & largitori omnium Deo abundè fructus referantur milleni. Quare Rex inclyte, ac fili chariſſimè, quod veſtra excellentia per fratrem & coepiſcopum noſtrum Dunſtanum ab hac Apoſtolica ſede, cui, licet immeriti præſidemus, expoſcit, omnibus modis concedimus, auctoritate Apoſtolica ſancientes, vt de monaſterio, in Wintonia ciuitate, in honorem S. Trinitatis & beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli conſtructo, (quod vetus, differentia noui illius, quod iuxta eſt, cœnobij, cognominatur,) Canonici Domino, & Epiſcopo, & omnibus catholicæ fidei cultoribus ex patentibus culparum ſuarum turpitudinibus odibiles, & in eiſdem ſecundum impænitẽs cor eorum inuerecunde perſeuerantes, cum ſuo præpoſito, vt pote vaſa diaboli, eijciantur; & , ſicut veſtra ſublimitas deſiderat, dilectiſſimus frater & Coepiſcopus noſter Ethelwaldus, regularibus diſciplinis apprimè imbutus, monachorum ſecundum precepta regulę viuentium gregem enutriat, eiſque inibi perpetuam manſionem ſtatuat: illeque eorum vitam, ita ſanctis moribus exornet, vt paſtore ad laboris ſui præmium vocato, non aliũde, quam ex illa Congregatione, alter in locum regiminis, ſuccedat. Quodſi impedientibus (quod abſit) peccatis ad hoc pontificale officium in eadem Congregatione idoneum inueniri minimè poſſe contigerit: auctoritate Apoſtolorum Principis Petri, cui Dominus ac ſaluator noſter ligandi ſoluendique poteſtatem contradidit, præcipimus, vt nemo de clericorum ordine, ad huius regimen eccleſiæ promoueatur. Sed potius ex alia qualibet Congregatione, qui dignus inuentus fuerit monachus aſſumatur, & huic eccleſiæ præficiatur. Siquis enim interea, quod non credimus, hæc Apoſtolicæ ſedis priuilegij decreta irrita facere, & ea, quæ à nobis pie indulta ſunt, contaminare præſumpſerit: authoritate eiuſdem cæleſtis clauigeri Petri, omniumque ſucceſſorum eius ſciat ſe anathematis vinculo innodatum, & in illo magni iudicij die perpetualiter damnandũ. In Chriſto valeas Domine fili.

Hæc ex Parkero recitauimus. Eſt autem Ioannes hic Papa, qui Octauiano (inquit Malmeſburienſis) ſucceſſerat: ac proinde vulgo dictus decimus tertius, nam Octauianus dictus eſt Ioannes duodecimus; Apud Malmeſburienſem tamen dicitur duodecimus, hic octauiani ſucceſſor, quia ob perturbatam tunc à tyrannis ſedis Apoſtolicæ ſucceſſionem, multum in numeris variant ſcriptores, dum vni eſt decimus tertius qui alij eſt duodecimus. Ex illo autem reſcripto Pontificis etſi alia argumenta non ſuppeterent, conſtat per hanc Regis & pontificis auctoritatem, non tunc primo collocatos in eccleſia Wintonienſi monachos, ſed quaſi poſtliminio reſtitutos: cur enim alias *vetus monaſterium* vocaretur, ad differentiam noui, quod ſcilicet Hidæ vocatum, à Rege Eadgaro fundatum eſt ibidem: niſi qui antea in eo monachi ſeruiuiſſent. Illis autem per Danicas inuaſiones, ſicut & per alia contigit monaſteria, occiſis, & diſſipatis: inuaſerunt cœnobium clerici vt & alia cœnobia monachis viduata tunc temporis inuaſerant; quos quia in alienam poſſeſſionem irrepſerant, & maximè quia concubinas, contra canones, fouere non deſiſtebant, ab eccleſiæ officijs merito rex & Epiſcopi abigebant, reſtitutis in locum eorum monachis, priſtinis videlicet monaſterij illius habitatoribus. Ita ergo ab initio, & deinceps fuit penes monachos Wintonienſes, ius eligendi Epiſcopum ſuum: Obſerua etiam hunc Pontificem inhæſiſſe fere verbis & ſenſibus Bonifacij quarti (quem ſtatim citabimus) qui idem ſtatuerat in eccleſia cathedrali Cantuarienſi Ethelberto rege poſtulante: quod idcirco animaduerti cupimus, vt vna etiam videatur ſanctos Pontifices in his priuilegijs concedendis non leuiter aut temere ſeſe geſſiſſe, ſed libratis cauſarum ponderibus & meritis, conſultiſque ſemper prędeceſſorum ſuorum (ſi qua poterant inueniri) ſimilibus in cauſis decretis atque reſcriptis. Exercitium huius libertatis ab eis frequentatum deinceps ſæpius memorat Godwinus, præſertim ad annum 1248. cum Guhelmum de Raley, rege Henrico. 3. terribiliter eos propterea vexante, & ad annum 1246. cum Ethelmarum prædicto Guilelmo ſucceſſorem dederunt, & ad annum 1365. cum, Rege *Eduardo*. 3. (ait auctor ille) *enixius petente, Gulielmus Wickamus à monachis Wintonienſibus in* [Ep]*iſcopum electus eſt*. Idem docet crebro de Elienſi cœnobio, quod ab Auguſtino [Apo]ſtolo ædificatum fuiſſe docet anno. 607. ab Etheldreda ſanctiſſima ex conſilio Wilfridi Ar[ch]iepiſcopi reparatum, à Richardo vndecimo loci Abbate in Epiſcopalem ſedem ſublima[t]um anno 1109. reſidente penes conuentum monachorum electionis iure vt aperte innuit, [a]d annum 1255 de Guhelmo Kilkenı à monachis electo agens; & clarius de ſucceſſore eius, Hugone de Balſam, his verbis: Quamprimum ad regem Henricum. 3 de obitis Kilkemẽus nuncius peruenit, literas illico dedit ad Priorem & conuentum Elienſem, quibus petebat enixè, vt Henricum de Wengham cancellarium ſuum in Epiſcopum eligerent, rationibus

multis

„ multis allatis, cur id ab eis fieri debere contenderet. Illi vero commendationem regiam „ suæ scientiæ postponentes. 1. Nouemb. 1247. Hugonem Balsam Suppriorem suum in pa- „ storem cooptarunt. Pergit dein Regis indignationem hinc ortam denarrare, quam leniuit Henrici Cancellarij sui integritas, Regem nobiliter pro monachis deprecantis; Inuocato „ (inquit ille) Dei nomine, per spiritus sancti gratiam hominem elegerunt eo munere me „ longe digniorem: absit igitur vt ego per vim coner occupare nobilem illam ecclesiam, & „ presulatum eiusdem cauteriata conscientia vsurpare.) Contentionis huius hic tandem fuit „ exitus: Henricus Wengham Londiensis factus est Episcopus, & Hugo Balsam electione „ confirmata in Eliensem est consecratus. Similiter alias electiones ab illis postea sepius celebratas expresse recenset. Quemadmodum & de Nordouicensi ecclesia (in quam à Thetfordia cœnobium simul & cathedram Heribertus Episcopus transtulerat ante annum 1119.) ius electionis monachis consuetum fuisse testatur tum alibi sæpius, tum presertim ad annum „ 1151. his verbis, post Euerardum Hereberti successorem: Hunc consequutus est Guli- „ elmus cognomento Turbus, genere Normannus, & ineunte ætate Norwicẽsis monachus, „ postea Prior, demum Episcopus à commonachis suis electus, atque à Theobaldo Cantua- „ riensi anno 1151. consecratus; & postea, ad annum 1288. Radulphus Walpoole Archidi- „ aconus Eliensis à monachis Norwicensibus electus est, similiter & post annum 1337. Guli- „ elmus Batemannus Archidiaconus Norwicensis à Monachis in Episcopum electus, con- „ secrationem breui post obtinuit, vir magnanimus, & iurium ecclesie suæ propugnator acerrimus. Et sæpe deinceps: Pari modo & conuentui monachorum cœnobij cathedralis Wigorniensis, quod ante annum 670. fuit institutum; & ab Edgaro rege, vt in appendice te- *Et Vvigorniẽse.* statur eius diploma, restitutum; ius electionis ratum fuisse commemorat, in Wulstano, cum Alfredum ab ea ecclesia, ad Eboracensem exaltatum docet, Wulstanum sibi substituendum curasse: *Ad eam rem* (inquit) *aptissimum putauit, Wulstanum, Priorem Wigorniensem, virum magna animi humilitate, & tanta vitæ morumque sanctimonia præditum, vt, Rege liberam eligendi facultatem concedente, sine aliqua difficultate à monachis eum curauerit eligendum, clero omni & populo vniuerso, eam electionem vehementer probantibus.* Dunelmensem cathedrã, non solum quã diu in ipsa ciuitate Dunelmi fuit eius recentior status, verum etiam ab initio prædicatæ fidei, *Dunelmense etiam.* in Lindesfarnensi ecclesia monasticam fuisse, & inibi monachis ius electionis fuisse, quamuis ægrè concedat Godwinus, concedit tamen; neque enim huius rei veritas, ex eo impeditur, quod vna cum monachis etiam clerici sæculares in illa seruierint ecclesia: cum hoc in ipsa etiam principe ecclesia Cantuariæ fieri consueuerit, in qua tamen semper priore loco monachos fuisse statim docebimus. De priore statu huius ecclesiæ, quamdiu in Lindisfearne hæsit, postea viderimus; nunc de posteriori statu, quem habuit Dunelmi ipsum audiamus Goduinum ad annum 990. Defuncto Alfio Lindisfarnensium postremo, de Aldwino Dunelmensium primo loquentem: *Aldwinus* (inquit) *circa annum salutis 990. consecratus est. Hoc sedente Monachi Lindisfarnenses, postquam bellorum calamitate per annos ferme ducentos à Danis exagitati, incertis sedibus cum reliquiis S. Cuthberti fuissent vagati, Dunelmi tandem oraculo admoniti consederunt:* quod postea fuse ex registro ipso Dunelmensis cœnobij probat, & ab eo initio, ciuitatis etiam amplitudinem exortam dicit. Habemus iam ipso Godwino consentiente cœnobium in cathedrali ecclesia Dunelmensi positum; ius autem electionis ita penes monachos præcipue fuisse, vt electus etiamsi non antea monachus extitisset, fieri tamen post electionem deberet, narrat idem Godwinus in successore Aldwini Edmundo; narratque verbis Malmesberiensis, quę etiam nos ponemus, vt sit vnitum & conueniens duorum autorum testimonium: *Electio Præsulum & Abbatum tempore Anglorum* (Hoc dicit, quia postea Normanni victores omnia iura ecclesiastica soliti sunt confundere) *Penes clericos & monachos erat. Defuncto ergo Aldwino antistite, clerici consederunt, de rectoris futuri electione consultantes, nec, (vt fit in talibus) quicquam certi, pro schismate partium, definientes. Tum Edmundus, (quem nullus accersendum putauerat) cunctantibus superueniens, consuetaque vsus facetia, næ, inquit, me accipite, & Episcopum facite: Illi omnes, quasi diuinitus accensis spiritibus rapuerunt ex ore eius verbum, quasi diuinum oraculum, stupentemque ac dicti pænitentem, (vt pote qui mallet lusum pilæ, quã vsum cuculli) monachum fecerunt, & regi Etheldredo (qui tunc regnabat) in Episcopum sibi postularunt.* Hæc ex Malmesberiensi Godwinus; quibus ex verbis, cum electionem Præsulum & Abbatũ (hoc est Episcoporum qui simul essent Abbates, in hac ecclesia Lindesfarnẽsi & Dunelmensi) olim penes clericos, & monachos fuisse constet; & ex Aldwini vita iam viderimus, monachos Lindesfarnẽses in ecclesia Dunelmensi ab Aldwino positos, exordium & ecclesiæ cathedrali, & ciuitati dedisse: Satis inconstãter videtur D. Godwinus, in Walcheri vita scribere: *clericos sæculares, à Walchero, Dunelmensi ecclesia eiectos, & monachos tum primum introductos,*

troductos, Rege, Papa, & Archiepiscopo Eboracensi approbantibus. Quomodo enim tum primū introducti monachi, quos cum Aldwino initium dedisse ecclesiæ cathedrali tradunt scriptores: & quos ante Aldwinum semper Lindisfarnensis ecclesiæ Capitulum constituisse manifestum est, vt postea ex venerabili Beda demonstrabimus? Sed quid fuit monachos introducere, & clericos eijcere, declarabit Gulielmus de Carilepho, successor Walcheri, qui post-„quam Episcopus creatus est, anno vno aut altero (inquit Godwinus) Romam profectus „facultatem impetrauit à Gregorio 7. Pont. monachos Yarrowenses (.i. Giruicenses quorum Priorem supra docuimus tunc temporis fuisse Aldwinum qui Yarrow reædificauerat, „monachum Winchelcombæ.) Dunelmum transferendi. & quo nouis hospitibus locum fa-„ceret, Clericorum sæcularium nonnullis, ibi adhuc à Walchero relictis, de sacerdotijs, alibi „prospexit: atque monachis prædia contulit à se coempta: quorum donationes, sicut & „priuilegia, ab alijs principibus concessa Dunelmensi ecclesiæ, à Gulielmo primo diplomate „regio confirmari curauit. De hoc Gulielmo ait Malmesburiensis, quod defunctus Glo-„cestriæ, Dunelmumque delatus, pulchrum suæ industriæ monumentum apud monachos „habuerit, quod & eos congregauerit (nimirum adiunctis veteri conuentui, monachis „Yarrowensibus) & tam libris, quam cæteris ornamentis ecclesiám decorauerit; quin & „Priorem loci, hoc insigni extulerit, vt in toto Episcopatu Decanus, & vicedominus esset. Deinceps vero penes monachos electionem Episcopi fuisse, sæpius postea in illo catalogo insinuat Godwinus, speciatim, ad annum 1217. cum elegissent Morganum Præpositum Beuerlacensem, qui maluit se regis Ioannis Spurium (vt erat) profiteri, in adulterio genitum, quam equitis aurati filium mentiri, vt electione frueretur. Sic ad annum 1228. narrat. *Henrico tertio regi fuit quidam a sacris, Lucas appellatus; Hunc magna vi Dunelmensibus obtrusit, vt in Episcopum eligeretur, deierans subinde, per totum septennium Antistite carituros, si hunc sibi præficere abnuerent. Illi vero tanto Præsulatu hominem cognoscentes indignum, Gulielmum quendam Scotum Archidiaconum Wigorniensem suffragijs suis Episcopum declararunt.* Quod licet regi displicuerit, declarat tamen eos iure Episcopi sui electores extitisse. Sic postea ad annum 1241. sub eodem rege Henrico narrat eos Priorem suus elegisse: atque electione cassata, dein, vnanimiter Episcopum renunciasse Nicolaum Feraham, quem cum recusaret electioni de se factæ consentire, ad consentiendum impulit Robertus Grosthead Lincolniensis, his verbis (vt refert Matheus „Paris) Ecce monachi Dunelmenses & eorum ecclesia destituta pastore lachrymis coortis, „solatium flagitat pastorale: nec tu consentis, cum canonicè eligaris? Adiuro per aspersio-„nem sanguinis Iesu Christi, vt hoc onus subeas & honorem, quia rex nullo modo, nisi ma-„nifestè desipiat, vestram reprobabit electionem. Si autem non consentias, Rex ibi apponet „sua machinatione, aliquem alienigenam &c. Monachi igitur Dunelmenses, gaudentes eum „regi repræsentarunt tanquam suum electum: rex autem eius electionem gratanter accep-„tans, cum in electione, vel electo nihil posset reprehendere, suscepit electum sine moræ dispendio. Similiter postea sæpissimè electionem à monachis celebratam narrat.

Similiter & Roffæ Episcopatus ex testimonio Godwini, erat Benedictinus; cathedram nimirum in monasterio & capitulo monachorum nostrorum habens collocatam, quamuis à Spedo nostrate in catalogo habebatur pro cœnobio Canonicorum. Sed deceptus est, aut certe potuit decipi vocabuli homonymia, nam & Episcopatus nomen est Roucestria, atque etiam Cœnobij cuiusdam Canonicorum Augustinianorum in Comitatu Staffordiæ: de quo extat charta *de Inspeximus* fundationis, (quam vidimus) tempore Henrici primi vel Stephani Regis, cuius chartæ exordium est, *Wilelmo Dei gratia Eboracensi Archiepiscopo, & R. eadem gratia Cestriæ, & R. Comiti Cestriæ & omnibus &c. Ricardus Bacun omnibus ecclesiæ filijs &c. Noscat vniuersitas vestra me pro salute animæ &c. de disse &c. Deo, & beatæ Mariæ & Canonicis regularibus ordinis S. Augustini in ecclesia B. Mariæ Roucestria perpetuò seruituris &c.* Estque antiquissima scriptura omnium, quas extare credimus, & prima quæ faciat expressam mentionem Canonicorum regularium S. Augustini; nam quamuis alia forte antiquior Canonicorum regularium inueniri possit mentio, nulla tamen prior occurrit nobis canonicorum S. Augustini apud nos expressa memoria. Huius vero scripturæ exemplar inuenitur in manuscripto antiquo nobilis viri D. Brooki Fecialis *Yorkij* vocati. At Episcopatus Roucestriæ (qui prius Roffa, & postea Roffecestria, nunc Rochestre appellatur) est in comitatu Cātij, & primum ab Augustino erectus, Iusto, & Paulino postea Episcopis monachis (vt satis probauimus) Benedictinis clarus: qui postea ad summam redactus paupertatem à Lanfranco Archiepiscopo & Gundulpho Episcopo, Benedictinis (vt omnes historici profitentur) monachis ita fuit instauratus, vt sexaginta monachos aluerit in claustro, qui Canonicorum vicem obibant, quemadmodum expressè habet Godwinus in catalogo, & euidenter constat ex

Roffensis ecclesiæ semper habuit monachos, nunquā canonicos S. Augustini.

autographo

autographo Prioratus cathedralis Roffensis, quod inspeximus, & cuius exemplar descripsimus: in eo enim inter alia, sic loquitur Gundulphus Fundator: Cum non meis meritis, sed „gratia Dei, & vocatione Domini Lanfranci Archiepiscopi Cantuariæ, ad curam Episco„patus Roffensis fui vocatus: ecclesiam B. Andreæ Apostolorum mitissimi à Rege Ethel„berto olim fundatam, debito cultu diuino, per quinque clericos male degentes, & famu„lantes in ea, destitutam inueni. Ideo auctoritate, voluntate & mandato Domini Regis „Willelmi ipsius Ecclesię Patroni; ac etiam consilio, auxilio assensu, & ordinatione Domini „Lanfranci Archiepiscopi Cantuariæ, eisdem clericis ex voto consentientibus, & habitum „religionis deuotè suscipientibus, tandem sexaginta monachos congregaui, introduxi, & „instituiad famulandum Deo, dignoque sancto Andreæ in ecclesia sua amodo & vsque in „sempiternum. Et postea: Istam ordinationem feci pro amore Beati Andreæ Apostoli, au„ctoritate * regni & sacerdotij apud Roffam, vicesimo septembris die, anno gratiæ 1089. te„stimonio istorum: Radulphi Abbatis de Sagio, Radulphi Abbatis de Bello; Ordouini Prioris. Et sequuntur nomina aliorum, quæ non est opus exscribere. Nemo autem ignorat vel ipsum nomen monachorum, illo sæculo, solos Benedictinos significare, cum Canonici nigri Augustinenses non intrauerint Angliam (vt infra ostendimus) nisi post annum 1100; emansitque Prioratus ille cathedralis in Benedictinorum possessione vsque ad generalem cœnobiorum sub Henrico octauo dissolutionem. Cæterum nolumus ignorare, benigne lector, hanc fundationem à Gundulpho profectam, non fuisse primam monachorum in hac ecclesia collocationem; quasi nunquam antea fuissent ibi monachi, quia parum antea solos ibi Clericos seu Canonicos sæculares in ecclesiæ famulatu fuisse Gundulphus ipse cõmemorat. Extat enim adhuc registrum eiusdem Prioratus cathedralis in ipsius ecclesiæ Archiuis, quod textus Eardulfi inscribitur, quoniam quædam ad illius ecclesiæ statum pertinentia ab Eardulfo quondam Priore ecclesiæ Christi, & postea ex Abbate Petroburgensi, huius ecclesiæ Roffensis episcopo, collecta scriptaque comprehendit, ex eo descripsimus vnum aut alterum priuilegium longè ante tempora Gundulphi, prædictæ ecclesiæ sub nomine monasterij concessum; Præterea habet ipse Roffensis Antistes D. Ioannes Bucrigius (vir cuius mores reuerentiam mererentur, si ecclesiæ catholicæ foret vnitus) aliud eiusdem ecclesiæ registrum, quod, ab operimenti colore, rubrum vocare possumus, in quo habetur tractatus non indiligenter conscriptus, cuius argumentum est, hoc ipsum quod asserimus, nempe in ea ecclesia à prima ipsius institutione, monachos semper Deo diuinisque officijs famulantes habitasse, vsque dum Danorũ vltimis de paupertata cladibus, ad pauculos clericos fuerit redacta. Quin & militat ratio, cur ex omnibus regularibus, soli Benedictini fuerint aliquot ecclesiarum cathedralium Canonici: quoniam nimirum Angliæ Episcopatus omnes fuerunt erecti atque stabiliti, longe ante aliorum quorumcumque regularium aduentum in Angliam; omnes, in quam Episcopatus, præter quos infælix Henricus octauus in aliquibus monasterijs (quæ suppresserat) instituit, & reditibus Abbatialibus, valde diminutis, dedit Canonicis sæcularibus possidendos.

* quia rex Gulielmus, & Archiepiscopi Lanfrãcus & Anselmus approbarunt.

Ergo illa, nominis Rouceſtriæ & Rofsceſtriæ, similitudo Spedum nostrum in errorem induxit. Nam quod simili errore captus Balæus ille coprostomus asseruit, in sede Dorcacestrensi posuisse Canonicos regulares sanctum Birinum paulo post tempora Augustini Cantuariensis, falsum esse autores ipso, fide digniores, ostendunt; saltem ad mentem ipsius acceptum. Quia illo longe antiquior fideliorque Capgrauius Augustinianus eremita, in vita Birini contrarium ex veteribus monumentis docet; verba eius apponemus; Anno tricesimo „octauo, post ingressum sancti Augustini in Angliam, prædicare cæpit Birinus Westsaxoni„bus, & baptizare, Anno Domini sexcentesimo trigesimo quinto, tempore Regis Kinegilsi „Canonicos sæculares instituit apud Dorcestre, ab Oxonia miliaribus septem distantem, vbi „ipse & successores eius viginti & septem Episcopi manserunt, per annos circiter quadrin„gentos quinquaginta septem. Tempore vero regis Gulielmi Conquestoris, per Remigium „Episcopum apud Lincolniam sedes Episcopalis translata extitit; Tempore autem Regis „Stephani per Alexandrum Episcopum, apud Dorcestre Canonici regulares instituti sunt. Circa annum domini 1140. Hæc Ioannes Capgrauius: qui sane hanc antiquitatem suæ regulæ hominibus neutiquam inuidisset, si eam veram putasset. Atqui nec Capgrauius videtur in priore parte veritatem assequutus: proculdubio, enim Birinus monachus, monachos in ecclesia sua Canonicos habuit, iuxta consuetudinem cæterarum ecclesiarum, per illa fidei Christianæ primordia, quos propterea autorę vitæ S. Birini apud Surium vocat regulares, quia religiosi erant, non quia Canonici fuissent Augustiniani (quæ mens Balæi fuit) quos idem

vitæ

vitæ scriptor asserit, diu postea per Alexandrum Lincolinę Episcopum Dorcestriæ fuisse collocatos.

Carleolum autem, quod insessum dixit D. Godwinus à monachis, intelligendus est loqui modo, núc citationib⁹ recepto, quo omnes ferè religiosos, monachos vulgo vocãt; itaque Fráciscanos, Dominicanos, Carmelitas, etiam catholici recepta phrasi, sed abusiue monachos vocant; nouatores vero etiam Iesuitas, Canonicosque regulares illo vocabulo significant. Sed vterque modus miras infert historijs intelligendis tenebras; cum apud autores omnes sæculi anterioris, monachus non nisi Benedictinę regulæ, aut Carthusianis, vel Brigidanis in occidenti fuerit attributum, Canonicis regularibus nunquam appropriatum legatur. Sed nec omnibus mendicantium, qui fratrum vocabulo semper agnoscebantur. Quod si mos antiquus loquendi non fuisset à recentioribus, elegantiæ cuiusdam nitidioris, quam lucidæ distinctionis in historia studiosioribus: non tantopere laboraremus in hac nostra controuersia, sed quiuis lector, etiam oscitantior animaduerteret, quæcumque dicuntur de monachis, nisi adderetur aut Carthusiani, aut Brigidani ordinis nota, intelligenda esse de Benedictinæ regulæ professoribus, quos (vt antea monuisse meminimus) Iurisperiti proprietatis in loquendo tenacissimi, monachi nomine semper intelligi in dispositionibus iuris docent, quando de onerosis, & quæ restringi debeant, non ampliari, iuris conditores agũt. Ergo intellexit Godwinus Canonicos regulares, quos in Episcopatu Carleolensi nouiter à se erecto, ad annum domini 1133. collocauit Thurstanus Archiepiscopus Eboracensis, ijsdemque ius eligendi Episcopi sui, vtpote capitulo cathedrali illius ecclesiæ stabiliuit. Collegium auté ipsum, primus eius Episcopus Athelwaldus, opibus cuiusdam Walteri viri prędiuitis in simile opus testamento relictis, dotauit, vsus ad hoc auctoritate Henrici primi, cuius fuit confessarius ante Episcopatum, & primus Prior S. Oswaldi in Nostella, in agro Eboracensi. Et quamuis nusquam legerim expressè Canonicos istos vocatos Augustinianos, tamen cum circa hæc tempora, vt antea tetigimus, prima ipsorum apud Anglos etiam in Archiuis reperta fuerit memoria; & Athelwaldus hic à Godwino & alijs dicatur, ante Episcopatum primus Prior S. Oswaldi fuisse, apparet istos fuisse Canonicos Regulares S. Augustini, quos Canonicos nigros vocabant Angli; verissimileque est, hunc Priorem gratia Regis florentem, ordini ipsi ingressum in Angliam patefecisse.

Hæc de cathedralibus cœnobijs in genere dicta sint; quę quamuis plæraque notissima sint nostratibus Anglis; tamen quia hæc exteris hominibus scribimus, quibus historiæ nostræ nõ sunt familiariter notæ, volumus ea ita fuse probare; vt veritate huius fundamenti ostensa, inde quiuis prudens arbiter videat esse consequens, non nisi propter insignem Apostolatus honorem ordini Benedictino hanc in regno Anglorum concessam fuisse prærogatiuam, vt plerique omnes antiqui Episcopatus, essent cœnobia illius ordinis, qui Anglos ad fidem Christo opitulante perduxit. Quare antiquus autor Chronicorum Normanniæ, ante quadringentes annos hoc ordinis nostri decus, quasi Angliæ proprium & peculiare annotauit, ad annum 1151. *Hoc anno* (inquit) *Gaufridus Arthurus, qui transtulerat historiam de regibus* **Britonum** *de Britannico in latinum; fit Episcopus sancti Asaph in Nortgallis. Sunt itaque hodie in Vuallijs quatuor Episcopatus, in Anglia septemdecim; in octo eorum sunt monachi in Episcopalibus sedibus. Hoc in alijs prouincijs, aut nusquam, aut raró inuenies: Sed in omni Anglia hoc reperitur, quia primi prædicatores Anglorum, scilicet, Augustinus, Mellitus, Iustus, Laurentius, monachi fuerunt. In alijs octo Episcopalibus sedibus sunt sæculares; in vna Canonici regulares; nempe in Carleolensi.* Hæc auctor Normannus editus nuper cum alijs Normanicis à Parisiensibus. Quibus in verbis primo animaduertat lector, illud quod ab eodem auctore dicitur: non facile inueniri posse in alijs prouincijs Episcopatus, quorum capitula ex monachis (Benedictinos, iuxta consuetam illorum sæculorum phrasim, quam sæpe tetigimus, intelligit) consisterent. Rectè enim dixit, quod & aduertendum, *aut raró, aut nusquam inueniri*: aliqua enim huius generis cœnobia cathedralia aliæ prouinciæ possunt exhibere. Nam & Wormatiensem ecclesiam sub S. Ruperto fuisse cathedrale monasterium docet Antonius Demochares in libro doctissimo de sacrificio missę & postea cum idem vir Apostolicus Bauariam assidua prædicatione conuertisset Iuuaniæ seu Salzeburgi cathedrale monasterium ordinis nostri statuit circa annum Domini 600: quod ita perseuerauit vsque ad Pontificatum Virgilij qui ecclesiam cathedralem primus separauit à monasterio, quæ adhuc floret, S. Petro dedicatum, & insigni collegio atque Academia per illustrissimum Principem Archiepiscopum ipsi coniunctis, & à monachorum cura ac magisterio gubernatis insigniter armatum. Facit hoc Pontifex ab Anselmo admonitus, qui in suis apud Edmerum literis ad eandem pontificem ea de re scriptis hoc ipsum insinuauit, dicens *vt sedes Episcopalis, in Abbatia de Heli constituatur, monachis ibidem permanentibus: sicut sunt multi*

Episcopatus

Est etiã in Sicilia Archiepiscopatus Môtis-regalis, in quo hodie seruatur regula S. Benedicti, capitulũque ecclesiæ faciunt eiusdẽ regulæ monachi: sicut & in Episcopatu Catanẽsi, Archiepiscopatus illius suffraganea ecclesia. Similiter in Aquitania Ioãnes vigesimus secũdus Pontifex maximus in duobus insignibus monasterijs ordinis nostri duos erexit Episcopatus, Vapracẽsem & Sarlatensem, quibus ipsos monachos sub regula Benedictina voluit esse canonicos cathedrales: Idemque modus canonicorũ cathedraliũ fuit in Gallia Narbonensi seruatus, cum Episcopalis sedes posita esset in clarissimo ordinis nostri cœnobio quod S. Pontij de Tomer nunc appellatur.

Inuenio etiam duo ordinis nostri celebria monasteria, in regnis Hispaniarum sita, quæ hoc etiam priuilegio ob singularem erga S. Benedicti regulam reuerentiam sunt ornatã, vt Episcopi Diœcesani, non aliunde quam ex illorum cœnobiorum conuentu, monachisue olim potuerint assumi. Vnum est S. Ioannis de Rupe, seu vulgo *de la peña* in cuius monasterij Capitulari domo habitum est concilium, æra 1062. hoc est Anno Christi Domini 1024. cuius fragmentum citatur à R. P. Antonio Yepes tomo tertio Chronicorum, in hæc verba: Residentibus vniuersis fratribus & clericis sui regni, in capitulo prænominati cœnobij, ita Sanctius Aragonensis Episcopus exorsus est loqui: Pro disciplina & ordine Ecclesiastico, cũ diligẽti cura ac prouidentia tractemus, si placet Domino nostro Ranimiro Regi, ac Episcopis, Abbatibusque astantibus, nec non etiam Monachis ac vniuersis clericis, ea quæ ad ordinationis tenorem pertinent, iuxta diuinæ legis pręcepta, & Nicenorum canonum constituta; ac cum adiutorio Domini in omnę æuum mansura solidemus, sicut est prædestinatum & constitutum ab inclyto rege Sanctio totius Hesperiæ Domino, in præsentia Episcoporum subscriptorum, scilicet, Sanctij Episcopi Aragonensis, & Sanctij Pampilonensis, & Garsiæ Najarensis, & Arnulphi Ripacurtiensis, & Iuliani Castelliensis, & Pontij Ouetensis & aliorum plurimorum Episcoporum, nomina quorum longum est dicere. Hoc vero est nostræ institutionis decretum; Vt Episcopi Aragonenses ex monachis præfati cœnobij habeantur & eligantur. Ranimirus rex stans in medio Concilij, dixit: Ego laudo & corroboro decreta genitoris mei Sanctij, ac huic vestræ definitioni subscribo. Vniuersi Episcopi & Abbates simul cum clericis dixerunt: laudamus, ac huic definitioni nos subscribimus. Et sequebatur anathematismus in eos qui hoc decretum violare tentarent. Alterum est S. Saluatoris Legerensis, siue de Leyra, diœcesis Iruniensis quæ postea Pampilonensis est appellata: quo in monasterio per annos plurimos sedes Episcopalis (quę solebat esse Iruniæ) erat constituta, Abbatibus illius cœnobij simul etiam Episcopales infulas gerentibus. Sanctius Maior cognomento Abarca (vt ex priuilegio Sanctij Ramiri nepotis ipsius, Aragonum regis, concesso eidem Abbatiæ; quod est apud R. P. Antonium tomo 4. Chronicorum) cum deuictis barbaris Mauris, *Ecclesias ab illis dirutas & deuastatas renouare* (verba sunt priuilegij præfati) *gregemque seruorum Dei, & Beatissimi Patris Benedicti normam per monasteria ordinare vndecimo Kalend. Maij, æra* 1062. (hoc est anno Christi 1024) *currente* constituisset, *conuocatis Principibus & maioribus terræ suæ, Concilium in monasterio Legerensi celebrauit.* In eo concilio dicit priuilegium constitutum esse, vt ex aliquibus possessionibus huius cœnobij dotaretur Ecclesia diœcesana Iruniẽsis siue Pampilonensis, per Maurorum prædationes nimium depauperata, & *restauraretur* ibidem cathedra Episcopalis, & *Canonicum ordinem ibidem institueret*; id est, canonicos cathedrales: & in compensationem huius beneficij ex monasterij possessionibus Episcopali cathedræ præstiti, maxima priuilegia summamque libertatem huic cœnobio à sede Romana Rex impetraret: Quæ priuilegia alio diplomate, ab eodem rege cõcesso (quod habet ibidem P. Antonius) narrantur: titulus diplomatis hic est: *Regale simul & Pontificale priuilegium ob honorem Sanctæ Mariæ sedis Pampilonensis, & cœnobij S. Saluatoris Legerensis decretum à Clarissimo rege Sanctio, in Pampilonensi concilio. 3. Kal. Octobris*: concipitur vero concessio hoc priuilegio facta, verbis sequentibus: Post nostrum vero obitum (*inquit rex*) ne vlterius vt nunc vsque, sancta Ecclesia pro indignis periclitetur rectoribus, neue à nobis inchoatus renouatusque Episcopatus exhæreditetur; potius Ecclesiasticus status hactenus nostra in patria ignorãtię caligine offiscatus renouetur, & melioretur vitæ regularis ordo ab antecessoribus regibus, scilicet meis parentibus & ab Episcopis, Abbatibus in cœnobio Legerensi, ad honorem sancti Saluatoris, & sanctarum martyrum & virginum Numilonis & Allodiæ constitutus continuãdo conseruetur; & indę propagando per monasteria regni nostri dilatetur: Regali auctoritate præcipimus, vt sanctæ matris huius prælibatæ Ecclesię Iruniensis futuros Episcopos rectores & gubernatores de præfato cœnobio cum electione comprouincialium Episcoporum, cum fauore omnium seniorum, & militum vigilantissima cura præcipiatur ordinę de regulari eligere egregios sponsos, prudentissimos viros, bonę operationis sedulitate probatissimos, sacerdotalis & Pontificalis honoris dignissimos, qui cum totius populi præco-

„nio, asserentis eos idoneos esse, sint ad Episcopalem sublimitatem commodi. Et postea præscribit illis professionem fidei catholicæ, obseruantiæ canonum in administrandis sacramentis, præsertim ordinationis, fidelitatis erga Regē, & obedientiæ erga suum Metropolitanum: & addit tandem: *Ad hæc vero concludant in votis, quod sint soliciti secundum rectas horas dierum ac nocturna, diuinum in suis Ecclesijs celebrare officium, & cunctas eis oues commissas, in quantum valuerint, à faucibus luporum rapacium liberare* Quid intelligatur in his priuilegijs, per canonicum ordinem, quem Episcopi ex Benedictino cœnobio semper assumendi debeant in Ecclesia cathedrali statuere, anceps mihi est: an scilicet eo veniant intelligendi monachi Canonicorum cathedralium vicem subeuntes, vt ecclesijs iam enumeratis vidimus; quia expresse statuit regularem ordinem ex hoc cœnobio per omnia sui regni monasteria dilatandum esse, quod videtur capiendum de regula monastica: an vero canonici, quales inferius ostendemus in concilio Aquisgranensi sub Ludouico Pio fuisse informatos, qui solent plærumque nomine Canonici ordinis accipi. Quicquid de eo sit, hoc patet ex priuilegijs istis Episcopum semper de gremio monachorum Legerensium, qui Benedictini erant assumi. Quinimo Pontifices Romani, ne prætextu noui Episcopatus erigendi destrueretur penitus Abbatiæ, reperiuntur statuisse, vt siquando Abbatia in Cathedralem ecclesiam conuerteretur, monachi tamen inde non amouerentur, sed ipsa ecclesia cathedralis semper monasterium esse perseueraret. Ita cum Heruæus Episcopus quondam Bangorensis obtinuisset à Rege Herico primo, & Archiepiscopo Anselmo, vt Abbatia Eliensis in Episcopatum erigeretur (quam telam vltimus eius loci Abbas Ricardus primum orditus est) ita concessum id est à Paschali Papa in literis ad Anselmum, quas V. C. Seldenius in spicilegio ad Edmerum profert, vt tamen monasterij incolumitati consultum voluerit: *Porrò (inquit Papa) de monasterio in quo sedes Episcopalis constituitur, Anglicorum monasteriorum, in quibus Episcopatus constituti sunt, consuetudo seruabitur.* Ea vero fuit, vt monachi talium Episcopatuum essent canonici cathedrales. Fecit hoc Pontifex ab Anselmo admonitus, qui in suis apud Edmerū literis ad eundem pontificem ea de re scriptis hoc ipsum insinuauit, dicens *vt sedes Episcopalis, in Abbatia de Heli constituatur, monachis ibidem permanētibus, sicut sunt multi Episcopatus, qui monachos in matre ecclesia habent, nō Canonicos.* Quibus in verbis agnoscas & clarum de cathedralibus cœnobijs Benedictinis testimonium, & sedis Romanæ de eorundē prærogatiuis conseruandis solicitudinē singularē. Haud absimili causa generali sanctione monasterijs omnib⁹ prouidere voluit Innocētius tertius primo libro Epistolarū decretaliū, in ea, cuius titulus est, *Willelmo Rhemensi Archiepiscopo, sanctæ Sabinæ Cardinali; quod nouam cathedram ipsi erigere liceat, cœnobia tamen in alios vsus non conuertantur, sed cœnobia permaneant*: Hoc enim illi concedit Pontifex: *Ita tamen* (verba eius exscribimus) *quod ab eodem monasterio monachi nullatenus excludantur; ne forte venire contra sanctiones canonicas videremur, quibus prouida fuit deliberatione statutum, vt quæ semel Deo dedicata sunt monasteria semper maneant monasteria. Cum & hodie generaliter statuatur, vt ordo monasticus, qui in aliquo monasterio, secundum Deum & B. Benedicti regulam dignoscitur institutus perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.* Vbi iterum monendus est mihi lector vt diligenter animaduertat, etiam tot post Benedicti Patris nostri sæcula hunc doctissimum & magnanimum Pontificem in decretis ecclesiæ versatissimum, non alios religiosos monachorum nomine agnoscere, quam Benedictinos. Quod enim nunc vulgo apud latine loquentes, aut etiam, alijs in linguis, quorumcumque ordinum, etiam mendicantium, etiam canonicorum aut clericorum regularium religiosos appellare consueuerint monachos; extensio quædam (vt diximus) nominis est, quod ante hæc sæcula solis regulæ nostræ professoribus post tempora Gregorij magni apud historicos autoresque veteres tribuebatur. Quam appellationum distinctionem vsque ad hunc diem exacte sermo Anglicanus custodit, qui monachos solum vocat, nigros, & albos seu Cistercienses, & Carthusianos; Canonicos nigros, Lateranensis formæ, & albos Præmonstratenses; Fratres vero seu Freros nuncupat omnium ordinum mendicantium professores, nec vnquam eos monachi vocabulo solet designare.

Secundum notatu dignum in Chronici Normanni verbis aduertat lector, ipsam rationem cur tam multa monasteria cathedralia sint apud Anglos monachis nostris erecta: *quia nimirum primi fuerint Anglorum prædicatores*; Ab illis nimirum monachis, seu illius regulæ cultoribus ea monasteria cathedralia possessa clarè profiteris, cuius regulæ professores erant Anglorum (vt rex Edbaldus supra in priuilegio loquitur) *Protodoctores.* Nam quia proteruire possent aliqui, & dicere, id quidem à Dunstano, & Lanfranco stabilitum fuisse, pro ea, qua apud Angliæ Monachos potentissimos, gratia florebant: ab initio autem sic non fuisse; quamuis hanc proteruiam, seu peruicaciam facile ex [illegible] hactenus in præcedentibus elidere possemus: in Metropolitica tamen Cantuariæ eccl[illegible] clarè ostendemus eum semper fuisse ab ipso S. Augustino morem; vt ita facilius in alijs, quas diximus, ecclesijs eundem viguisse credant, qui res Anglicas, aut monasticas minus [illegible] habent, aut minus charas. Po-

Cantuariensis Ecclesia semper fuit Benedictinorum.

namus autem primum, temporibus Henrici octaui, fuisse in ecclesia Christi Cantuariæ mo-
nachos Benedictinos; quod inter exteros testabitur Erasmus in colloquio profano de pere-
grinatione religionis ergo: ex nostratibus verò antiquariorum nominatissimus Cambdenus,
„ qui in descriptione vrbis Cantuariæ hęc habet: A Normannorum ingressu, cum Gulielmus
„ Rufus (vt est in tabularijs monasterij S. Augustini) dedisset ciuitatem Cantuariæ Episcopis
„ ex solido, quam tenuissent antea ex beneficio: religionis nomine, & Præsulum benigni-
„ tate, imprimis Simonis Sudbury, qui mænia restaurauit; non modo respirauit; sed eo
„ splendoris subito accreuit, vt priuatorum ædificiorum pulchritudine omnes Britanniæ
„ ciuitates adęquârit: sacrarum verò ædium magnifica structura & frequentia, celeberrimas
„ quasque superarit; inter quas duæ maxime enituerũt, Christi scilicet, & S. Augustini, vtrũq;
„ Benedictinis monachis oppletum: Christi autẽ templũ in medio quasi vrbis sinu tanta ma-
„ iestate se in cœlum erigit, vt procul etiam intuẽtibus religionẽ incutiat. Idẽ testatur magnæ
diligentiæ author Ioannes Spedus in catalogo posterioris editionis; & summæ authoritatis
vir Gulielmus Cardinalis Alanus in epistola ad P. Gregorium Sayrum Casinatem monachũ,
quam suo loco inferius dabimus. Sed ne singulares tantum aduocemus testes, clarissime idi-
psum testantur acta capitularia congregationis Angliæ Benedictinorum, quæ iam ex appen-
dice designauimus, in quibus citatur Prior ecclesiæ Christi, (hoc est cathedralis & Metro-
politicæ ecclesiæ) vt inter reliquos ordinis Prælatos in Capitulo Generali compareat: decer-
niturque à patribus Capituli contributio communis, & potestas Abbati S. Albani demanda-
tur, vt nomine Capituli agat tam in curia Romana, quam alijs locis & modis, contra eundem
Priorem declaratum contumacem, & mandato ac citationi capituli parere recusantem. Te-
stantur idem vna voce omnes authores qui historiam Ecclesiæ & Archiepiscoporum Can-
tuariæ texuerunt. In quadrilogo (hoc est historia vitæ & passionis S. Thomæ Cantuariensis,
quam ex quatuor diuersis vitę eiusdem scriptoribus, Heriberto de Hoscham, Ioanne Carnu-
tensi, Wilielmo Cantuariensi, & Alano Abbate Teukesburiensi, Stephanus Langton quin-
tus ab ipso D. Thoma Cantuariensis ecclesiæ Archiepiscopus concinnauit,) libri primi ca-
pite vndecimo, hæc habentur verba, Regis Henrici ad Thomam tunc Cancellarium regni:
„ Meæ (*inquit rex*) voluntatis est, te Cantuariensem Archiepiscopum fore: Cui Cancellarius,
„ schemata quædam risibilia, quibus tunc indutus erat, subridendo ostendens, & quasi ocu-
„ lis ingerens, quàm religiosum, inquit, virum, quam sanctum in tam sancta sede, & super
„ tam celebri, tam sancto conuentu monachorum constitui desideras? Et postea: Omni igi-
„ tur tandẽ suspicione amputata & altercatione omissa, diuinâ (cui cuncta militant) dispen-
„ satione, regio quoque in hoc voto militante, Episcoporum prouincialium & conuentus
„ sanctæ Cantuariensis ecclesiæ cum omni consensu vnanimi Thomas eiusdem ecclesiæ Ar-
„ chileuita in Archipræsulẽ apud Londonias in regio illo & præclaro monasterio, quod di-
„ citur Westmonasterium], eligitur. *Et capite decimo quarto, docet ipsum*, habitu monachali
„ cum cilicio suscepto, triplicem personam in triplici veste gessisse, sic vt exteriori clericum,
„ interiori Monachum occultaret, intimâ heremitæ molestias sustineret; gaudens etiam, quia
„ exteriori mundum falleret, interiori se fratribus suis conformaret, intima motus illicitos
„ temperaret. Nam à quodam cœnobita Cantuariensis ecclesiæ sanctissimæ conuersationis
„ viro acceperat, (cui Dominus in visione loquutus fuerat,) quod si monachum indueret,
„ Dominum in negotiis propitium & coadiutorem haberet. His igitur ornatus Pontifex
„ quotidie procedebat in publicum: nec non cilicium & religionis veritatem celabat, admo-
„ dum in occulto, nemine, præterquam sine quo tale quid geri non poterat, conscio. Vnde
„ & istud sui insigne tyrocinij non deposuit deinceps toto vitæ suæ tempore, donec gloriosi
„ certaminis sui consummasset triumphum. *Et cap.* 15 Dum pacem ei licuit habere, plærum-
„ que in claustrum se recipiebat, & sicut vnus monachorum ibi sedebat, studens in aliquo li-
„ bro vtili. Post, ibat ad visitandum monachos infirmos, vt eorum audiret & impleret desi-
„ deria. *Et lib.* 2. *cap.* 13. Accepta itaque benedictione beatus Thomas cũ paucis familiaribus,
„ alibi destinatis, vt dictum est, cæteris, Pontiniacum ingressus, iudicauit se non digne curá
„ pastoralem de manu Apostolica accepisse, nisi etiam & habitum religionis reciperet. Nimi-
„ rum qui episcopali sede primogenitos filios suos monachos haberet regere, & à prima fun-
„ datione Cantuariensis ecclesiæ Archiepiscopos didicerit fere omnes monachos fuisse; Nec
„ (secundum veteres historias) aliquando regni scissuram vel translationem accidisse, nisi dũ
„ quis alterius professionis Cantuariensi ecclesiæ præfuerit. Missis proinde nuntijs remisit ei
„ Dominus Papa habitum monachalem, quem ipse benedixerat de laneo panno grosso &
„ crudo: vnde & nuntijs iniunxit dicens; dicite Domino Cantuariensi, quia habitum ei mi-
„ simus, qualem habuimus, non qualem vellemus. *Rursus lib.* 3. *c.* 6. *De receptione Sancti*

Thomæ Cantuariæ: *Et ingressus monasterium toto corpore prostratus cum lachrymis formam humilitatis exhibuit. Deinde Fratres omnes a minimo vsque ad maximum cum lachrymis in osculo pacis suscepit.* Tandem lib. 3. cap. 22. Cum de parricidarum impio proposito narratur, quod sancti martyris corpus in paludes essent proiecturi; hæc verba subiunguntur: Monachi igitur tam
„sibi, quam sancto timentes, ne vel ipse vilius tractaretur, vel ipsi pretiosum thesaurum a-
„mitterent: eum cum summa festinatione sepelire studuerunt. Vnde nec eis sacratissimum
„eius corpus lauare, nec balsamo, (sicut moris habet sancta Cantuariensis ecclesia) licuit re-
„fouere: quod non tam humana nequitia, quam diuina pietate creditur euenisse; cum enim
„proprij sanguinis vnctionem procurauerit Dominus, quæ necessitas erat odore vilioris vn-
„guenti? Exuentes autem eum vestibus exterioribus, & Pontificalibus induentes, corpus eius
„cilicio sui duritia molesto inuolutum inuenerunt; & quod à nullo sanctorum exemplifica-
„tum legimus, vel audiuimus, ipsa eius femoralia interiora vsque ad poplites cilicina, habi-
„tumque superindutum monachalem, stamineam scilicet, & cucullam repererunt. Extant præterea in libro quinto quadrilogi, epistola Alexandri Papæ ad conuentum eiusdem Ecclesiæ Cathedralis Cantuariensis (quæ nunc ecclesia Trinitatis, nunc ecclesia Christi vocari solebat) qua mandat, ne habeant alium Priorem, quam illum, quem Thomas Archiepiscopus præponeret; & alia epistola S. Thomæ ad Gulielmum suppriorem ecclesiæ Cantuariensis; alia insuper Richardi Archidiaconi Pictauiensis ad Dominum Priorem ecclesiæ Cantuariensi; ex quibus euidentissimè apparet tam ipsum conuentum cathedralem Cantuariensis Archiepiscopatus fuisse Benedictinorum, quam ipsum etiam S. Thomam martyrem, ideo habitum suscepisse Benedictinum, quia semper ante se monachos eiusdem sedis Præsules fuisse cognouerat. Nec hoc siluerunt authores alij, monachis non satis æqui, Parkerus, & Godwinus in catalogis episcoporum Cantuariensium. Sed cum Magni Archiepiscopi Stephani, literarum gloria illo æuo celeberrimi, & à S. Thoma quinti testimonium habeamus, & testimonium aliorum quatuor scriptorum, qui Thomæ vitam texuere, assertionem confirmaus; superuacaneum est alios ea de re testes recentiores adducere: At non est omittendum aliud testimonium Eduardi, qui & scripsit vitam Sancti, & dum eum ab occisoribus vulneratum sustentaret, brachium amputatum amisit: ille igitur in vita S. Thomæ hæc habet.
„Cum autem mussitassent monachi, quod contra morem in sæculari habitu visitaret cho-
„rum; quidam ex domesticis eius ait illi, astetisse ipsi quendam vultu terribili, & minacibus
„verbis ita dixisse: vade dic Cancellario, (Archiepiscopū enim præ indignatione dicere no-
„luit) vt sine cunctatione mutet habitum, alioqui me perpetuo aduersarium habiturus.
Hic enim domesticus eius, est venerabilis ille cœnobita de quo quadrilogus suprà citatus loquitur: & hæc mutatio habitus sæcularis in monasticum, apertè docet vitiatum esse eiusdem Eduardi historiam, dum paulo ante hæc verba dicitur in ea; S. Thomam assumpsisse habitum canonici regularis: Nam habitum regularem monasticum scilicet, dicere debuit, vt patet ex dictis; alias enim mussitationi monachorum non satisfecisset, cum habitus Canonici regularis in choro non fuisset conformis monachis mussitantibus: præsertim, quia, vt iam vidimus, S. Thomas ideo de habitu mutando fuit solicitus, quia omnes prædecessores suos monachos fuisse, & se cathedralium monachorum pastorem esse animaduerteret, adeoque vt prædecessoribus suis assimilaretur, monasticum, non Canonicorum regularium habitum assūpsisse euidens est, quia canonici regulares (nisi reuera monachi sunt) monachorum nomine (vt sæpe diximus) nunquam intelligi consueuerunt. Sed & de habitu monastico, non Canonici regularis ipse Baronius D. Thomæ historiam intellexit tomo 12. ad A. C. 1162. vbi ait de ipso Sancto martyre: *Porro consecratus Episcopus habitum induit monasticum ea de causa, quod experimentis multis declaratum fuisset, eos, qui non monachi Cathedram illam ascendissent, a Deo malemulctatos esse.* Non indignetur lector, si ita crebrò alios refutamus: coegit nos ad hoc, non nostræ naturæ acerbitas, aut vlla [illegible]; sed eorum qui de hoc argumento scribūt, vel erga sacrum ordinem nostrum maleuolentia, vel præcipitantia in rebus non intellectis aliter ac debent, exponendis; nam aliqua duarum causarum istarum facit; vt tam multi recentiores sponte oculos claudant, nec velint in hac re videre quod verum est, propter vnius magni viri authoritatem; Sed nostris Anglis historicis tam nota testataque est veritas ista, quam hic defendimus, de habitu monastico D. Thomę, vt Parkerus in antiquitatibus dicat,
„Ex quo quidē existimare facile est, quamuis monachorū studia sibi hac dissimulatione ad-
„iunxerit, quantum tamen Regis, præsulum, atque procerum animos abalienauerit: siquis
„ea, quæ de communi omnium voto, de monachis ab Episcopali deinceps repellendis in
„Rodolphi vita antea scripsimus, animaduerterit. Atque hæc prima esse poterat offensio-
„nis & dissensionis regiæ causa, quod cum antea politius vrbaniusque vixisset, iam odiosam illam

Error in vita D.Thomæ per Eduardum scripta.

„lam monachalem institutionem susceperit, siue sponte sua, siue quod illam obsoletam Pa„palis excommunicationis sententiam in Elphegi vita antea descriptam timuerit. Ex quibus hæretici verbis intelligis, clarissimum de monachatu S. Thomæ testimonium. Sed quod ille hanc vitę mutationem autumet causam aliquam dissensionis fuisse, ex suo erga monachos odio deprompsit, non ex rei veritate: Nam propter constantiam in iuribus ecclesiæ tuendis, & reiectum munus Cancellariatus regi odiosior factus est; non ob monasticam vestem aut vitam, quam Rex ille magnus in Anselmo, Rodolpho, & Theobaldo dilexit & veneratus est, sicut & in multis alijs sui regni Episcopis, & nominatim in præcipuo D. Thomæ æmulo, Gulielmo Foliot Londinensi Episcopo. Sed de huius Parkeri censura, postea latius agetur.

Ascendamus igitur paulo altius ad anteriora tempora, & Ordericum Vitalem, qui aliquot annis, ante S. Thomæ Archiepiscopatum floruit, hac de re loquentem audiamus. Is „igitur lib. 12. historiæ pag. 873. ad annum 1123. sic ait: Tandem anno ab incarnatione „Domini 1123 indict. 1. Radulphus Archiepiscopus 13. Cal. Nouembris Cantuariæ obijt. Cui „Gulielmus Corbuliensis Canonicus regularis post aliquot annos successit. Ecce antiquus „mos pro inuidia, qua clerici contra monachos vrebantur, deprauatus fuit. Augustinus „enim monachus, qui primus in Anglia Christum prædicauit, ac Edilbertum regem & Se„bertum nepotem eius cum populis Cantiæ & Londoniæ ad fidem Christi conuertit, iussu „Gregorij Papæ primas Metropolitanus totius Britanniæ floruit. Omnes exinde vsque ad „Radulphũ Dorobernię Archiepiscopum (præter Frigeardum, & Odam, atque Stigandum) „fuerunt monachi. Frigeardus quippe capellanus Lotheri regis ad præsulatũ fuit elatus, & „Romam, vt ab Agathone Papa consecraretur, destinatus. Deinde datis à Papa decem dierũ „inducijs, expectans benedictionem decidit in lectum, & sine Præsulatus vnctione exha„lauit spiritum. Odo vero pro nobilitate & morum benignitate, de clero assumptus & Ar„chipræsul est consecratus: qui postquam omnes antecessores suos monachos fuisse compe„rijt, libenter ac deuote habitum mutauit, & religiosus monachus ac Archipræsul vsque ad „mortem Deo militauit. Stigandus autem Emmæ reginæ capellanus admodum sæcularis & „ambitiosus extitit, qui primo Londoniæ, postmodum Cantuariæ cathedram inuasit: verum „à Romano Papa nunquam pallium habuit, imo ab Alexandro Papa interdictus Haraldum „prophanauit, dum in regem benedicere debuit. Quapropter idem, sicut à se exaltatus in„tumuit, sic à Deo humiliatus & confusus ingemuit. Nam Gulielmo primo in regno con„firmato clarescentibus culpis iudicio synodi depositus est: vnde nec in catalogo Pontificũ „deputandus est. Angli monachos, quia per eos ad Deum conuersi sunt, indesinenter dili„gentes honorauerunt: ipsique clerici reuerenter & benigne sibi monachos præferri gaui„si sunt. Nunc autem mores & leges mutatæ sunt, & clerici vt monachos confutent & conculcent, clericos extollunt. Hæc Ordericus, qui tunc vixit & scripsit ista, cum Curbulius ille in Archiepiscopum electus est. Vbi animaduertas *monachorum* nomen pro Benedictinis sumi, tales enim tunc erant Cantuarienses, cæterorumque cathedralium in Anglia monasteriorum religiosi, de quibus à clero depressis contra mores antiquos conqueritur: imo nomen monachorum opponit religiosis alijs non monachis, nempe Canonicis regularibus. S. Augustini, è quorum numero putat Ordericus fuisse Gulielmum Curbulium; eumque modum loquendi generaliter (vt ante notauimus) obseruant authores illorum temporum, ita constanter, vt apud Philippum Abbatem bonæ spei horum etiam temporum scriptorem de controuersijs suis cum D. Bernardo loquentem, sæpius inuenias, monachos nempe S. Bernardi qui Benedictinæ regulę professores noscuntur, clericis Augustinianis nempe Canonicis S. Norberti seu Præmonstratensis ordinis fundatoris contraponi.

Testimoniũ Orderici Vitalis.

Quod autem Ordericus dicat hunc Gulielmum Curbulionem (cuius gratia hæc diximus) fuisse Canonicum regularem: videntur contra sentire Parkerus & Godwinus, qui eum primo clericum sæcularem, deinde Monachum Benedictinum, postea Priorem S. Osithæ de Chiche fuisse scribunt; qui Prioratus erat Canonicorum regularium S. Augustini: Et certe S. Thomas videtur non potuisse ignorare, an Curbulius fuisset Augustinianus Canonicus, quando ipse (vt superius retulimus) ideo suscipere voluit habitum monachalem, quia plærosque eius prædecessores monachos fuisse cognouerat. Nam quod hic Gulielmus Curbulius fuerit Prior Canonicorum S. Osithæ, non impedit, quin fuerit Monachus: cum & S. Thomas Prior fuerit Bridlingtonæ, qui etiam conuentus fuit Canonicorum S. Augustini, certissimum tamen sit ipsum, quamdiu fuerat Prior & Archidiaconus, nunquam induisse habitum regularem, vix etiam clericalem, vt superius ipsum Regi respondisse retulimus. Potuit ergo Ordericus absens in Normania inde falli, quod audiuisset Priorem Canonicorum regularium electum fuisse, in Archiepiscopum; de quo nõ audiuisset fuisse Monachum, atque

adeo Priorem commendatarium S. Osithæ, sicut D. Thomas fuerat Bridlingtonæ.

Sed habemus adhuc antiquiorem Orderico Eadmerum, socium indiuiduum D. Anselmi, cuius testimonium sicut est fidelissimum loquentis nimirum de rebus quas oculis suis viderat, ita profectò est euidentissimum. Is igitur lib. 5. historiæ nouorum, quem ex bibliotheca nobilissimi equitis D. Roberti Cottoni Brucæi edidit clarissimus iure consultus Seldenius, ita scribit pag. 109. „Igitur vbi beatus & fælix Præsul Anselmus ab ærumnis vitæ labentis in beatitudinem vitæ permanentis translatus est, omnia ad Episcopatum quidem Cantuariensem pertinentia, morem fratris sui Willielmi Regis sequutus, in suum dominiũ Rex Henricus redigi præcepit: rebus monachorum in ea, qua illas Pater Anselmus posuerat, libertate & prouidentia persistentibus. Vnde & tunc multa in decorem domus Domini Christi facta sunt. Quapropter cum maligni quidam Regi suggessissent, Monachos insanire, & quæ Regalibus expensis magnificè possent adminiculari, in superfluos vsus ab eis quotidie profligari: ipse, vt vir prudenti bonitate conspicuus; Quid, inquit, in externas expensas? in sæcularia aliqua? in vana, vel ordini suo contraria opera, res suas monachi ponũt? At, si in augmentum & gloriam domus Dei eas expendunt, benedicatur Deus qui & illis huiusmodi animum inspirauit, & hanc mihi suo munere gratiam tribuit, vt meis diebus mea mater Ecclesia crementum potius capiat, quam detrimentum. Sic itaque & Ecclesia proficiebat; & ne à quouis infestaretur, Regia censura prospiciebat. Agebat quoque in ea curam Pontificalis officij Rodulfus Roffensis antistes, & ea intus & extra, siqua emergebant, assiduus propugnator erat & fidelis. Ipse Ecclesias in omnibus terris totius Pontificatus Cantuariensis intus & extra Cantiam inconsultis Episcopis; vti petebatur, dedicabat. Ipse quæ ad Christianitatem pertinent, in eisdem terris, prout res exigebat, sedulus ministrabat. Et hæc ita integro quinquennio, quo à transitu patris Anselmi Ecclesia ipsa viduata permansit, in filijs ac rebus eius agebantur. Quo tempore pene peracto, Rex Henricus, & monitis Domini Papæ, & precibus fratrum Cantuariensium, aliorumque multorum; imo, quod maximum est, instinctu Dei permotus, Episcopos & principes Angliæ in vnum apud Windeshoram fecit venire, eorũ consilium in constituendo Pontifice Cantuariensi volens habere. Inuitati etiam sunt præfatus Radulphus Roffensis Episcopus, & Prior ac nonnulli fratres Cantuarienses Curiam venire, ignorantes certitudinem causæ, propter quam inuitabantur. Iuimus ergo illuc; quamplures vero nobis euntibus obuiantes, & se à curia venire, & nos absque omni contradictione Abbatem Abendoniæ, Faricium nomine, Archiepiscopum habituros asseuerabant. Quod nos, industriam hominis probatam habentes, gaudenti animo amplectebamur; placeret solummodo Dei voluntati, in quo totam spem nostram locaueramus. Quid multa? ad Curiam venimus, & ecce omnia plena erant de Abbate, quæ audieramus. Et re uera regia voluntas hoc proposuerat, ac propter id ipsum iussus à rege idem Abbas curiæ se præsentauerat. Animus tamen Episcoporum & quorundam Magnatum in aliud vergebat, preoptantium videlicet aut quemlibet Episcopum de ordine clericali, aut clericum aliquem de capella Regis in opus illud asscisci. Verum, vbi eis obiectum est, nullum à beato Augustino, nisi de Monachico ordine, vnquam Pontificatui Cantuariensi præsedisse, vno duntaxat excepto, qui ob hanc præsumptionem, & alia quædam peruerse ab eo commissa, depositus per Romanum Pontificem fuit; & ea re tam antiquam & autenticam consuetudinem, cum nulla ratio vel necessitas exigeret, subuerti non oportere; desistere ab incepto, quod plurimo conatu perficere laborabant, compulsi sunt. Disponente igitur prouidentia summi Dei in prænominatum Roffensem Episcopum subito versa Episcoporum sententia est, illum scilicet in Primatem totius Britanniæ constitui cupientium, & assensum Regis in hoc sibi cooperari postulantium. Ad quod Rex statim, mutata mente quam in promotione Abbatis habebat, libens in ea, quæ de Episcopo suggerebantur animum transtulit. Vellent tantummodo Monachi, & populi Cantuarienses. Nec mora, requiritur quale sit in istis velle eorum, & vota omnium inueniuntur esse vnum &c. Habes lector in his Eadmeri verbis constanter assertam traditionem antiquitatis perpetuã, quod nulli præter Stigandum, fuerint Archiepiscopi Cantuarienses vsque ad illa tempora, qui nõ item fuerint monachi Benedictini: neque enim de alijs monachis possunt (vt iam diximus sæpius) verba authorum ætatis illius exponi, cum alios monachos nusquam viderint, aut agnouerint, vt vel hinc constet frustrà cõtra niti Parkerum & Godwinum, aliosque paucos recentiores, ex prauo erga monachos affectu abreptos, aut leuissimo fundamento & rerum nostrarum non intellectarum imperitia deceptos: ob quam imperitiam certe Parkerus frequentissimè errat in historia; Sicut cum de Dunstano loquens, eumque in Glastonia edu-

catum

catum ſcribens, nondũ ibi poſitum fuiſſe monaſterium,nomenque Abbatis ignotum aſſerit;
cum nos antea ex diplomatis regijs oſtenderimus iam ab Inæ temporibus fuiſſe ibi Abbatiã
& monachos, primumque eius Abbatem Worgreſium, quartum Brithwaldum (qui poſtea
Cantuarienſis fuit antiſtes) hiſtorici noſtri antiquiores agnoſcant. Sed quia legerat Par-
kerus, Edgari temporibus ita Danorum cædibus vaſtatam fuiſſe Angliam,& monaſteria ferè
omnia diruta, vt Abbatis & monachi nomen fuerit penè iam abolitum, aut incognitum: id
ille accepit, ac ſi tum primum cœpiſſent Abbates eſſe, cum eos reſtituit Eadgarus: non ani-
maduertens, aut aduertere non volens, per exaggerationem dictum à ſcriptoribus, Abbatis
nomen incognitum, quia pauci de tam multis Abbates & monachi Danorum inuaſionibus
ſuperfuiſſent. Et hoc obiter de Parkero notauimus: vt ſciat lector non eſſe illi neganti fidem
adhibendam,contra auctores oculatos affirmantes. Habes pręterea ex ipſius Eadmeri verbis,
conuentum monachorum Cantuarienſem Archipræſulem ſuum eligere ſolitum: quod au-
ctores catalogi, quos iam frequenter citaui, ſingulis fere paginis inculcant, & profitentur.

Producemus & alios teſtes non inferiores iam laudatis;& vt omittamus Lanfrancum Bene-
dictinum, de quo Eadmerus idem aſſerit hæc, præclara: Eccleſiam Chriſti Cantuarienſem cũ Teſti-
„omnibus officinis, quæ infrà murũ ipſius Curiæ ſunt,cum ipſo muro, ædificauit. Qua vero moniũ.
„prudentia,& quo paternitatis officio Monachos in eadem eccleſia conſiſtentes, à ſæculari Lãfrãci.
„vita, in qua illos inuenit plus æquo verſari,erexerit,omnique ſanctæ cõuerſationis tramite
„imbuerit,ac multiplicato illorum numero,qua eos,dum vixit, benignitate confouerit, cui
„vnquam ad plenum declarare poſſibile erit? Et quæ ſequuntur de conuentu cathedrali di-
„lecto & ampliato clariſſima. Hæc inquam omittenda duximus;& ne quis forte ſequentium
annorum conſuetudinem ab hoc Lanfranco, pro ſumma qua apud victores Normannos
gratia pollebat, introductam contendat: oſtendamus vlterius aſcendendo, fuiſſe iam ab ipſo
Auguſtino tanquã pro lege receptam, prout iam aliquot teſtimonijs probauimus; & primò
ſanè hoc ipſe fateatur Lanfrancus, cuius ſententiam ex Edmero ſupra allatam, iterum hic
oportunè ſaltem per compendium repetemus. Ibi ergo narrabamus ex Edmero, quomodo
Walkelinus Antiſtes wintonienſis cæterique cum eo Epiſcopi ſæculares cum aliquot proce-
ribus conſpirarint contra monachos, vt eos è ſedibus cathedralibus,maximè Cantuarienſi &
Wintonienſi eijcerent, canonicoſque ſæculares eorum loco introducerẽt; quantaque animi
fortitudine & prudentia Lanfrancus hanc iniuriam à monachis auerterit,impetumque iniu-
ſtorum inuaſorum fregerit. Addamus nunc, quod eodem loco ſcribit Edmerus (nos autem
huc reiecimus ponendum) qua prouidentia cauerit Lanfrancus, ne idem conatus poſt eius
mortem, idemque tumultus contra monachos ſedis ſuæ Metropoliticæ recrudeſceret: obti-
nuit enim ſententiam expreſſam Romani Pontificis Alexandri, qua poſt cauſam per archiua
Romanæ eccleſiæ teſtificatione ſufficiente comprobatam, conſtituitur, nequis vnquam po-
ſtea monachus de poſſeſſione & inſeſſione cathedralium eccleſiarum, quas in Anglia de an-
tiquo habuiſſent, maximè Cantuarienſis eccleſię Chriſti Saluatoris, litem mouerent, nego-
tiumue laceſſerent. At nequis forte potentiæ Lanfranci, non meritis ipſius cauſæ attribuat
hoc priuilegium monachis conceſſum: age Lanfranco prætermiſſo, oſtendamus longè ante
illius tempora monachos Cantuarienſes hac grauiſos prærogatiua, vt & conuentus ipſorum
Capitulũ eſſet Metropoliticum, & Archiepiſcopus ipſorum non niſi monachus ab ijſdem
electus de iure eſſe deberet. Teſtabitur hoc qui ex antiquis archiuis omnia ſua teſtatiſſima ſo-
let producere, venerabilis Chriſti cõfeſſor Nicolaus Harpsfeldius Cantuariæ Archidiaconus,
qui in centuria 11. hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. 11. longe alio ſpiritu quam nouatores nempe ve-
„ritatis amantiſſimo plenus, hæc habet: Illud quoque hic etiam animaduertere erit operę- Grauiſ-
„prætium, nullum, ante hunc Stigandum, Cantuariæ, ab Auguſtino primo initiatore & de- ſimum
„dicatore illius ſedis, Epiſcopum ſediſſe, qui monaſticam prius non fuiſſet profeſſus. Hoc Teſti-
„igitur ſummam ſacerdotij adhuc non vacantem ſedem, ita pręter ius & conſuetudinem ec- moniũ
„cleſiaſticam occupante, Gulielmus, qui vulgo Nothus dictus eſt, ipſum etiam regnum,nec Nic.
„meliore quidem iure, violenter occupat; Edouardo illo Athelingo,de quo diximus, adhuc Harpſ-
„ſuperſtite, quam & regij proxima ſanguinis coniunctio, ipſumque adeo ius ad regni po- feldij.
„tius habenas vocabat. Atque ita licet (id quod paſſim in Chriſtiana republica alias obſer-
„uare poterimus) animaduertere; cum religionis, ſacrorum rituum & conſuetudinum in-
„teritu contemptu, aut conuerſione, coniunctam reſpublicæ quoque ciuilis conuerſionem
& ruinam. Hæc ille grauiter & verè, de conſuetudine ab Auguſtino deducta, quæ neminem
non monachum Cantuariæ Archipręſulem agnoſceret: cuius conſuetudinis contemptum
ſicut ille coniunctũ tanquam fatali lege cũ reipublicę ruina animaduertit: ita eodem pariter
fato cum neglectu contemptuque ordinis monaſtici Benedictini, religionis ab eodem

 planta-

plantatæ depressionem coniunctam fuisse vidimus; vt cum Henricus, Benedictinos omnes ex cœnobijs expulisset Episcopis conniuentibus, religio catholica statim exturbata locū hæresibus protestantibus Deo indignante concesserit. Quasi vt de rebus naturalibus dicunt philosophi, ijsdem ali principijs, quibus sunt constituta: ita & religio cum ijsdem prædicatoribus, à quibus est seminata, coaluisse, & cum ijsdem in regnis Angliæ exspirasse videretur.

Sed pauci erant ita imperiti historiarum, vt hoc à Lanfranco initium habuisse dicant priuilegium, quin potius à S. Dunstano ortum eius cum magno Baronio volent accersere. At quamuis illius, purpuratorum Patrum grauissimi & doctissimi, in rebus vniuersalis ecclesiæ auctoritas à nobis, vt par est, plurimi fiat; tamen contra euidentia & perpetuo sibi consentientia auctorū nostrorū testimonia in particulari Anglicanę historia valere non debet. Neque enim ille ex reuelatione diuina scripsit, quæ de rebus habet Anglicanis; sed ex relatu historicorum gentis nostræ, aut certe ex collatione diplomatum gestorumque pontificalium, quæ de rebus Anglicanis inspicere potuit: Siquid ergo minus viderit in rebus ordinis nostri, gentisue nostræ; homo in catholica Pontificum Imperatorumque historia texenda præcipuè occupatus, & ista nostra tantum obiter, & per transennam attingens; ea ita debent illi condonari, vt tamen sine vlla auctoritatis eius iniuria ex ijsdem fontibus, è quibus ille sua hausit, historijs nimirum Anglicanis, Pontificúmque gestis Angliam attingentibus, debeant emendari. Ergo quamuis Dunstanus, & cum ipso Præsules totius Britanniæ sub Edgaro Rege (vt ex regulari concordia in appendice posita manifeste elucescit) constituerint, vt in monasterijs cathedralibus non alij quam monachi crearentur Episcopi; non tamen eum primum omnium hoc constituisse, sed iam ante ipsum ab exordio religionis in Anglia plantatæ constitutum fuisse, pergamus ostendere. Ostenditur autem hoc facillime facto Odonis Seueri, qui ante Dunstanum sedit Cantuariæ Archiprimas: cuius facti seriem, prout in diuersis narratur auctoribus, describemus vt quo plures in eandem historiam consentiant authores, eo euidentior sit lux veritatis. Dicat igitur primus sententiam de hoc facto, is, quem modo merito laudauimus, Harpsfeldius, in cap. 5. sæculi decimi, vbi cùm de Odonis apud Reges gratia & auctoritate dixisset, ob quam Wulfelmo Cantuariensi Archiepiscopo eum iudicassent substituendum, ita prosequitur: Sed mirum est, quantopere Odo „renitetetur, inidoneū se tanti muneris magnitudinini clamitans. Sed cum testata eius virtus, omnique exceptione & calumnia maior, hanc causationem infringeret; præuentum se „Wiltoniensi, quasi altera vxore, & summi instar piaculi duos Episcopatus eundem hominem occupare, non minus quam duas vxores simul asciscere vociferabatur. Sed cum Rex „regereret, canones non reijcere translationem Episcoporum à communi fratrum consilio ad Reip. Christianæ vtilitatem & necessitatem manantem; sed priuatam & effrœnem „ambitiosorum hominum cupiditatem, qui vltrò, & sæpe indigni inuolarent, & se ingererent; & Melliti Londinensis, Iusti Roffensis, alijsq; vetustatis probatis exemplis suā postulationem fulciret: cæteris omnibus destitutus Odo, huc confugit: Absit, inquit, vt consuetudinem ab Apostoli nostri Augustini vsque deductam temporibus, qua monachi solum „hactenus huic ecclesia asciti sunt, ego huiusmodi nulla vnquam professione illigatus, pessimo primus exemplo perturbem & labefactem. Nec diffiteor animum meum ad hoc semper genus vitæ propendisse, sed fuisse aliquot semper impedimenta obiecta, quo minus „meo satisfacerem voto. Et quoniam non tua solum Rex optime voluntas, sed & aliorum „multorum, quibus temere repugnare nolim, ad istam me dignitatem Sacerdotalem inuitum & indignū vocat: age hactenus quidem parebo, vt monachum profiteri primo quoque „tempore non recusem. Cæterum quod ad Pontificatum spectat, totam eam curam ad Deū „reijcio. Erectus hoc responso Rex, celerrime transmisit nuntios ad Floriacense cœnobiū, „præ cęteris id temporis, propter exquisitam monasticæ vitæ disciplinam celeberrimum: „pauloque post Abbas Floriacensis in Angliam venit, à quo & illius vitæ præscripta accuratè didicit, & sacro diui Benedicti amictu ornatus est. Nec deinceps tergiuersari potuit, „quo min⁹ Archiepiscopatui initiaretur. Quæ breui⁹ & succinctius dixerat antea Malmesburiensis, in hoc solo diuersus, quod Odonem Floriacum adijsse putet: verba eius accipe ex lib. 2. de gestis Pontif. Angl. Ille, qui nondum monachum amicisset (De S. Odone loquitur) „constantius reniti, ne morem maiorum ambitione sua turbare videretur: nullum enim „ad id tempus, nisi monachili schemate indutum, Archiepiscopum fuisse. Sed cum regiæ voluntati Episcoporum omnium consensus accederet, tandem vix reuerentissimus propositi „sui rigore edomito in communem pertexit sententiam, recogitans illud prouerbium, vox „populi, vox Dei. Itaque transito mari apud Floriacum monachilia accepit: frugi homo, & pru-

Testimoniū ex gestis S. Odonis Cantuariensis.

„& prudens; vt nec fauorem ciuium rideret, nec priscam consuetudinem decoloraret.
Accedat alius testis antiquior Malmesberiensi Osbernus, in vita Odonis, de quo sic scribit:
„Electus itaque ad Archiepiscopatum Cantuariensem dixit: Nouerit tota Britannia, me
„nullo vnquam pacto consensurum, vt in clericali habitu constitutus, ecclesiæ Cantuariæ
„præsideam, cui nullus antea, qui monachus non fuerat, scitur præsedisse. Missis igitur à
„Rege nuntijs ad Floriacense monasterium, Abbas cum nonnullis fratribus prospere An-
„gliam ingreditur, & Odoni habitu sanctæ religionis tradito cum honore regreditur.
His tribus catholicis testibus accedunt alij tres ab ecclesiæ ouili segreges: Balæus in centurijs:
„Odo Seuerus, inquit, in orientali Anglorum regione ex Danis oriundus, vtriusque linguæ
„græcæ & latinæ tam promptus fuit, vt quicquid vellet, aut sermone ornato, aut qualicũque
„carminum genere vt tunc erat, ex tempore proferre posset. Sub rege Eadmundo primo,
„constitutus Episcopus Sarisberiensis, postea Cantuariensis Archiepiscopus, nolebat me-
„tropolitanæ ipsi præsidere sedi, priusquam factus esset à Floriacensi Abbate monachus:
„audierat namque omnes illius sedis antistites fuisse cucullatos. Ita ironice loquitur ex cu-
cullatus & vxorius fraterculus, qui abiecto habitu Carmelitarum, tanquam characterem
Euãgelicæ reformationis suæ, assumpsit sibi vxorem (vt ipse vocat) *Fidelem Dorotheam.* Parke-
rus Pseudoantistes Cantuariensis in antiquitatibus Britannicis, verba ex Osberno à nobis
producta (quæ ille Edmero tribuit, fortè vt auctori vitæ Odonis, quam alij Osberno tri-
buunt) prorsus eadem ponit, additque iudicium secta sua dignum, persuasum hoc Odoni à
monachis fuisse, fingentibus hanc prærogatiuam in monachatus sui patrocinium. Prodeat
vtroque modestior, qui tamen in monachos nimis iniquus sæpe iudex est, Dominus Hære-
fordensis, Godwinus in catalogo: cuius de Odonis hoc facto, hæc est oratio: Honorem (*Ar-*
„*chiepiscopatus*) vltro delatum non nisi cunctanter accepit, & post multas tergiuersationes:
„non decere inquiens vt aliquis apici Archiepiscopali admoueatur, qui monachus non fuis-
„set; & non alios quam monachos Cantuariæ ad hunc vsque diem sedisse videbatur existi-
„masse. (cum certum sit, Nothelmam, aliosque nonnullos presbyteros, vt loquuntur, sæcu-
„lares, ibi ante illum præfuisse) Is tamen in errore pertinax, electioni de se factæ non consen-
„tit, priusquam vel missis Floriacum legatis, vel illuc ipse profectus (nam vtrumque tradi-
„tur) in illius cœnobij sodalitium admissus, ad monachismum induto cucullo fuisset initia-
tus. Hæc isti tres de Protestantium secta suscitati testes, in facto Odonis iudicio que consen-
tientes: At iudicium factumque eius errori præconcepto, & in figmẽtis monachorum funda-
to tribuentes: quorum sententia, quia contra veritatem historiæ pugnat, & cum sanctorum
virorum iniuria coniungitur, est a nobis euidentibus argumentis conuellenda. Ac primum
lectori proponenda est ipsorum verbis causa, cur tantopere figmenti crimen monachis im- Cur nouatores S.Odonis iudicium in monachatu suscipiendo vituperẽt?
ponant, quam fatebitur Parkerus, & cum felle solito exprimet: *Quid vero est*, inquit, *quod insa-*
na monachorum rabies comminisci non audeat, vnde aliquod monachatus sui patrocinium in coniuga-
tos sacerdotes arripiant? quem ordinem ob illorum coniugium sanctum omnibus spretum, & ludibrio
habitum Odo *conspiciens, prauo monachorum consilio inductus, ad Floriacense cœnobium se contulit,*
in quo monachalem habitum suscepit. Hinc videlicet illæ lachrymæ; hinc nostri fundi calamitas;
hinc falsum crimen fictionis intentum innocentibus monachis, quia *Clericorum coniugia san-*
cta scilicet auersabantur tunc Christiani, à monachis (vt isti placet) persuasi: cum Ecclesia, sal-
tem latina omnis (græca enim recentior licet coniugatos ante presbyteratum susceptum to-
leret, post presbyteratum nemini permittit coniugium inire, Episcopum autem nec ante
nec post Episcopatum vllatenus coniugatum nunc sustinet) omnis inquã latina Ecclesia, Ec-
clesiasticorum in sacris positorum, post initiationem subdiaconatus inita coniugia, non ma-
trimonia, sed concubinatus, & sacrilegia, semper existimauerit. Voluerunt quidem non pauci
luxuriosi, clericorum nomine indigni, concubinas suas vxorum nomine cohonestare at-
que ita aliquando per sarcasmum à nonnullis hostoricis nostris vocantur: sed quam semper
hoc genus hominum toti populo catholico fuerit in Anglia, sitque adhuc per totum orbem
Christianum infame & exosum, non ignorauit Parkerus; ideoque fœdissimo mendacio mo-
nachis imposuit vituperati concubinatus crimen, quem Reges & Episcopi etiam monachis
iniquissimi, etiam Henricus octauus vt historicis nostris quorumcumque auctorum per-
uolutanti passim occurret, non solum vt sacrilegam copulam sunt execrati, verum
etiam grauissimis legibus, & supplicijs semper sunt persequuti.
Et D. Godwinum quidem missum faciamus, qui coniugia sacerdotum, aliquanto mode-
stius, sed æquè improbabiliter tamen sæpiuscule in catalogo suo vrget: non quod pro suo
matrimonio defensionem & aram parare opus putauerit; laicus enim est, & merè laici filius,
& non clericus, aut Episcopus, nisi forsitan Commendatarius; ideoque tam potest licitè ma-

trimonio

Parkerus primus vxoratus Cantuariensium vocatus Archiepiscopus.

trimonio coniungi, quàm quiuis alius de plebe laica Forte ideo, cum de sua patrísque sui ordinatione agit, ita particulariter attingit tempus ordinationis, & ordinatorum qualitatem, vt tectè insinuaret, nec eos potuisse ipsum clericum facere defectu potestatis, nam & ipsi erant laici; nec se voluisse clericum reuera fieri, sed nomen solum obtinere vt rei nominatæ debitum honorem & beneficium retineret. Nam consecrationem Episcoporum & presbyterorum secundum ordinem Angliæ, non Melchisedech proposuit (an etiam eodem fine?) cùm de Parkeri agit promotione, secundum quam non possit fieri verus presbyter multò minus Episcopus: expresse enim asserit, ipsum Parkerum fuisse ordinatum, *secundum ritus authoritate parlamenti sub Eduardo Sexto constitutos;* (non secundum canones Ecclesiæ catholicæ, & Conciliorum Oecumenicorum, traditionemque Apostolicam, hæc enim omnia Parlamentaribus istis Prælulibus sordent,) & magnificè vrget catholicos, tanquam euidenter conuictos falsi, (qui ordinationes illas parlamentares non iniuria rident vt prorsus illicitas & inualidas) eo quod quibusdam doctis nationis nostræ presbyteris illos ritus ostenderint; qui si eosdem validos fuisse iudicarint (videtur enim ea narratione hoc insinuare velle, quamuis aperte id non dicat) sanè non videntur rituale ipsum curiose satis inspexisse. Nos dum hæc scriberemus in manibus ipsum habebamus, & inspeximus, inuenimusque in illo rituali sacerdotem, hoc est sacrificij oblatorem non constitui, nec mentionem vllam sacrificij fieri; dispensationem tantum sacramentorum committi; quod sacrificium Deo dignè offerendum potestatem valide non dare quiuis versatus in praxi Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ fatebitur. At Parkerus, qui reuera scelerato coniugio, seu potius concubinatu sese polluit, tanquam manifestè reus sceleris, quod non potuit negare; non mirum si palliare facinus suum honesto nomine voluerit, & concubinariorum sacerdotum prosequutionem monachis affricare ad odium ipsis suscitandum, cum non potuerit negare etiam maximos hostes monachorum & Clericos omnes sæculares honestioris vitæ, non magis, imò multo plus quam monachi fecerant, concubinatui sacerdotum semper restitisse. Inde Henricus octauus, Episcopique illi consentientes, qui Monachos ex cœnobijs Pontificísque authoritatem ex Anglia pepulerunt. Legem tamen *sex articulorum* seuerissime mandabant exequutioni cuius tertius articulus tam sacerdotibus, qui post ordinationem vxores duxissent, quam etiam id licitum esse contendentibus, viuicomburij supplicium infligendum statuebat. Parkerus autem, qui sub Henrico illo octauo capellanus, & canonicus seu prębendarius Eliensis, ideoque presbyter sine dubio fuerat (narrante Godwino) *Sub regina Maria his omnibus priuatus fuit, ac per vim expulsus, nullū aliud ob crimen, quam quod vxorem sibi legitimo matrimonio* (sub rege forsitan Eduardo, nam sub Henrico non fuisset ausus) *copulasset.* Hæc est igitur vera causa, cur monachos tanto prosequatur odio, tot proscindat in sua historia conuitijs: eo prorsus modo, quo infames meretriculæ prostituti pudoris sibi consciæ, honestis castísque matronis contumeliose solent obtrectare.

An fuerint ante Stigandū aliqui Archiepiscopi Cantuariæ non monachi.

Veniamus à motiuo, ad rationes ipsorum, videamusque an forte probent, id quod asserunt fuisse nimirum aliquam multos presbyteros sæculares Archiepiscopalibus infulis ornatos, etiam ante Stigandum, & sanctum Odonem. Et Frigeardum quidem electum cum Orderico fatemur, sed ante consecrationem Romæ mortuum, vt proinde hic in numerum venire non debeat. Primus ergo, de quo addubitant, est Tatwinus Mercius, Brithwaldi Glastoniensis monachi successor: de quo Parkerus: *Monachus* (inquit) *Ordinis S. Benedicti in Abbatia Brenton; quanquam alij eum non fuisse monachum scribunt. Beda sacerdotem illum fuisse monasterij Brenton in prouincia Merciorum constanter affirmat.* Non est ausus negare, fuisse ipsum Monachum: sed ab aliquibus id negatum fingit; quis enim Beda posterior, qui hominem nouisset, auderet ipsi constanter affirmanti, sese opponere negatorem? Affirmat autem constanter fuisse sacerdotem monasterij de Brenton: affirmat ergo constanter fuisse monachum illius monasterij:

Non Tatvvinus.

nam Beda, qui hoc de illo affirmat, etiam se asserit presbyterum fuisse sui monasterij Geruiensis, nec vnquam à monachorum choro abfuisse, nunquam à monasterio abstractum fuisse. Et à temporibus D. Gregorij magni monachi omnes nostri ordinis officijs altaris fuerunt addicti, exceptis pauculis quibus cura temporalium commendari consueuerat, quos ad priorum distinctionem, non simpliciter monachos, sed monachos conuersos vocamus. At videtur Parkerus in ea fuisse sententia, eo ipso quo aliquis presbyter vocatur, monachum non fuisse, aut esse desijsse: quod quam imperitè ab illo dicatur, nemo temporum Gregorianorum peritus ignorat; Est ergo Bedæ testimonio constanti hęrendum qui ad huius Tatwini ab Augustini noni ætatem perduxit historiam suam. Quare D. Godwinus Parkero oculatior, & veritatis amantior, sine vlla dubitatione ipsum asserit *fuisse monachum Benedictinum religione insignem, & in sacris literis egregie instructum.* Neque vllo modo scrupulum Parkeri, de presby-

teratu

teratu Tatwini, nec alienum testimonium à Parkero fictum admisit; contrà tam euidentem Venerabilis Bedæ auctoritatem. Successorem tamen Tatwini Nothelmum idem Godwinus in sancto Odone vult esse presbyterum sæcularem, non alio vsus argumento, quam quod Ecclesiæ Paulinæ presbyter, Bedæ familiaris, fuisse inueniatur. At hæc familiaritas ipsa cum Beda monacho notissimo & presbytero, potius ipsi persuadere debuit hunc Nothelmum fuisse presbyterum monachum; & quamuis non persuadeat familiaritas, conuincit tamen, quod Paulinæ Ecclesiæ presbyter fuisse dicatur, sicut Tatwinum ideo monachum crediderat, eo quod monasterij Brenton presbyter à Beda dicatur. Tam enim fuit ea tempestate monasterium Ecclesia Paulina, quam cœnobium de Brenton; constat hoc ex ipsa charta fundationis, quam Ethelbertus rex sanctus Præsuli Mellito concessit, cuius hoc est exordium: *Adilbertus Rex, Deo inspirante, pro animæ suæ remedio dedit Episcopo Mellito terram, quæ appellatur Tillingham, ad monasterij sui solatium, scilicet, sancti Pauli. Et ego Adilbertus ita firmiter concedo tibi Præsuli Mellito potestatem eius habendi & possidendi, vt in perpetuum in monasterij vtilitate permaneat &c.* Citatur à Ioanne Stow in annalibus, & in antiquitatibus Londinensibus, qui etiam docet Sebbam regem Orientalium Saxonum, siue Londinensium, sextum à Seberto (quo regnante, & baptismi gratiam adepto, Ethilbertus patruus ipsius illud monasterium cathedrale S. Pauli fundauit) in eodem habitum sumpsisse monasticum; auctoremque citat antiquum & fide dignum, Radulphum de Diceto sancti Pauli quondã Decanum. Quare videas Apostolos nostros sibi semper similes, vbique monachismum suum etiam in Ecclesijs cathedralibus propagasse; & sicut Augustinus eiusque successor Laurentius monachos in Episcopatu habuerunt canonicos, nihilominus monasterium aliud in alia parte Cantuariæ ædificarunt; sic & Mellitus ad eorum exemplum, monasterium monachosque habuit in cathedrali Ecclesia sua S. Pauli; & tamen vlterius in remotiori parte vrbis seu non longe ab vrbe aliud posuit monasterium S. Petro dicatum, quæ nunc à situ loci, Westmonasterium dicitur, seu monasterium in occidentali parte locatum, ad differentiam illius cathedralis, quod in ipsa vrbe positum Orientem magis spectabat. Fuerit ergo Nothelmus presbyter, sed Ecclesię Paulinæ, id est, cœnobij cathedralis presbyter, atque adeo monachus, vt proinde hic à monachorum Archiepiscoporum catalogo frustra ab istis dematur. Ante S. Odonem adhuc vnus est Celnothus & post ipsum S. Agelnothus sub Canuto rege, de quibus dubitant isti an fuerint monachi propterea quod Decani Cantuarienses appellati inueniantur. Hoc nimirum tempore „(inquit in Agelnotho Godwinus) permisti cũ monachis Canonici cathedrales ibi degebãt, „habitum quidẽ monachalem gerentes, sed regula normaque viuendi ab illis plurimum dis„crepantes. Itaque cum in illa immani Cantuariensiũ per Dacos decimatione, monachi, ex„ceptis quatuor, omnes fuissent necati; Canonici iam numero potiores, præfectũ, seu præ„positum suum ex aliarum Ecclesiarum cathedralium more, Decanum appellabant, & ad id muneris Agelnothum assumpserũt. Hæc ibi Godwinus, valde quidem volens, sed non tamen aperte audens ipsum sæcularem presbyterum facere. Videns enim contra se insigne Malmesberiensis testimonium militare, & præterea cognoscens istos numero potiores canonicos cathedrales, tamen monachi habitum gestasse: ne in falso apertè depræhendaretur, subijcit: *Dicit Malmesberiensis, monachum fuisse Agelnothum è Glastoniensi cœnobio, ideoque à Canuto Rege (apud quem gratia & auctoritate multum valebat) diploma in Glastoniensium gratiam impetrasse, quo omnia eorum iura & priuilegia confirmauit; cuius quidem diplomatis exemplar videre est apud illum lib. 10. de regul. cap. 11. Hoc quam verum sit, haud multum refert, ideoque rem totam lectori diiudicandam relinquo.* Imo verò multum refert, scire an hoc verum sit; ex eo enim aperte sequetur, frustrà te gratisque cum alijs recentioribus paucis, antiquam traditionem de perpetuo vsque ad Odonem & Stigandum Archiepiscoporum Cantuariensium monachismo conuellere, si hoc verum sit. Sed bene habet, quod falsum esse non pronuncias, adeoque lectori iudicium permittas: vt ergo lector beneuolus rectè iudicium ferat, ponamus verba Malmesberiensis: Astabat (*inquit*) regio lateri supradictus Edelnothus (*vel Egelnothus*) qui septimus Glastoniẽsis cœno„bij præsidebat cathedræ Cantuariensi. Primus Brictuualdus; secundus Athelmus, qui pri„mus Wellis Episcopus; tertius nepos eius Dunstanus; quartus Egelgarus, qui noui mona„sterij Wintoniæ Abbas primus, deinde Cicestrensis Episcopus; quintus Siricius, qui factus „Archiepiscopus nutriculæ suæ septem dedit pallia, de quibus in anniuersario eius tota an„tiqua ornatur Ecclesia; sextus Elphegus, qui ex Prioratu Glastoniæ primus factus est Ab„bas Bathoniæ, deinde Episcopus Wintoniensis; septimus Edelnothus, qui cum regi ante„cessorum suorum priuilegia ostendisset, rogauit, & rogando obtinuit, vt scripto regio in „hæc verba confirmaret. Regnante in perpetuum Domino, qui sua ineffabili potentia om„nia disponit atque gubernat, vicesque temporũ hominumque mirabiliter dis[illegible]ns, ter-

minumque

Nec Nothelmus.

Ecclesia Paulina fuit olim monasteriũ cathedrale.

Celnothus & Agelnothus, monachi, non clerici seculares.

„ minumque incertum, prout vult, æquanimiter imponens, & de secretis naturę mysterijs
„ misericorditer docet, vt de fugitiuis & sine dubio transitorijs mansura regna Dei suffragio
„ adipiscenda sint: Quapropter ego Cnut rex Anglorum, cæterarumque gētium in circuitu
„ persistentium gubernator & rector, cum consilio & decreto Archipræsulis nostri Edelno-
„ thi, simulque cunctorum Dei sacerdotum, & consensu optimatum meorum, ob amorem
„ cœlestis regni, & indulgentiam criminum meorum, & relaxationem peccaminum fratris
„ mei Edmundi Regis, concedo Ecclesiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ Glastonię, iura & con-
„ suetudines in omni regno meo, & omnes forisfacturas omnium terrarum suarum, & sint
„ terrę eius sibi liberę & solutæ ab omni calumnia & inquietatione, sicuti meæ mihi haben-
„ tur. Verum illud præcipue ex Omnipotentis Patris & Filij & Spiritus sancti auctoritate, &
„ perpetuæ virginis interdictione prohibeo, & vniuersis regni mei præpositis & primatibus
„ super suam salutem præcipio, vt nullus omnino insulam illam intrare audeat, cuiuscunque
„ ordinis aut dignitatis sit; sed omnia tam in Ecclesiasticis quam in sæcularibus causis Abba-
„ tis iudicium & conuentus expectent; sicuti prædecessores mei sanxerunt & priuilegijs con-
„ firmauerunt, Cenwines, Ines, Cuthredus, Ailredus, Alfredus, Eduardus, Ethelredus, Ailsta-
„ nus, & gloriosissimus Edmundus, & incomparabilis Edgarus. Si quis autem quouis dein-
„ ceps tempore sub aliqua occasione interrumpere, atque irritum facere huius priuilegij te-
„ stamentum nisus fuerit, sit à consortio piorum vltimi examinis ventilabro dispertitus. Si-
„ quis vero beneuola intentione hæc facere, probare, & defensare studuerit, beatissimæ Dei
„ genitricis Marię & omnium sanctorum intercessione amplificet Deus portionem eius in
„ terra viuentium. Scripta est huius priuilegij donatio, & promulgata in lignea basilica sub
„ præsentia regis Cnutonis, Anno ab incarnatione Dominica 1032. Hactenus verba Malmesberiensis, & priuilegij ab eo citati: in quibus, quid quæso lector inuenisti, de cuius veritate dubitare merito debuerit Godwinus? An quod tantam libertatem Ecclesiæ Glastoniensi concesserit & confirmauerit rex Canutus? at longe ante illum concesserant alij Reges, quorum ipse tantum confirmat concessiones; nihil noui adijciens, quod ab illis non fuerit prius donatum: presertim ab Ina, cuius priuilegium integrum supra posuimus Et ab Edgaro, cuius priuilegia posuerat idem Malmesberiensis lib. 2. de Regibus. cap. 8. in quo eadem omnia de nouo conceduntur, quę Kenwinus, Inas, Ethelredus, Cuthredus, Elfredus, Eowardus, Elstanus & Edmundus concesserant; & præterea clerici totius insulæ Glastingaberiensis Abbati & conuentui subijciuntur; qui Rex etiam hæc sua priuilegia à Ioanne Papa. 12. corroborari curauit, rescripto quod eodem capite Malmesberiensis recitat. Ex quibus patet nullo modo esse dubium, quod Rex sanctus Canutus, quique Anglis gratificandi omnem occasionem arripiebat, tanti monasterij, prædecessoribus suis regibus tam dilecti, libertatem confirmaret. An vero dubitat Godwinus, vtrum hac gratia apud Canutum valuerit Egelnotus, vt hoc ab illo obtineret rogando? quare non obtineret, qui etiam illi persuasit (vt ibidem refert Malmesberiensis) etiam in exteras nationes liberalitatem suam extendere, summamque grandem pecuniæ in fabricam Ecclesiæ Carnutensis in Gallia largiri. An verò dubitat vtrum Malmesberiēsis recte hunc Egelnotum annumeret monachis Glastoniensibus? sine vlla causa dubitat, cum Malmesberiensis indicet se res Glastoniensium curiosissima diligentia indagasse, & de antiquitatibus eius Ecclesiæ seu Abbatiæ scripserit egregium commentarium, (qui manuscriptus habetur in bibliotheca Cotoniana) ac propterea poterit proculdubio recte de monachis illustribus illius loci pronunciare, cum incredibile sit, inter reliqua monumenta, non fuisse in tabularijs illius Abbatiæ annotatum, qui monachi ex ea ad sedes Episcopales, præsertim Primatis Ecclesiæ promouerentur. Denique ipse Godwinus significat, eos quos vult haberi clericos, adhuc *vsos habitu monachorum sed norma tamen ab eis discrepaße*: quod nihil est aliud, quam non seruasse adamussim regulam. S. Benedicti, sicut ante cladem Danicam consueuerant, sed paulatim ab auita religione in sæcularem penè licentiam degenerasse; quemadmodum paulo ante Lanfrancum eos fecisse narrat Malmesberiensis, cuius ea de re verba superius citauimus. Itaque quemadmodum Lanfrancus sui temporis, monachos Metropoliticos ad bonam frugem reuocauit: sic & antea Elphegus, Aluricius, & Siricius; quod monachos ob Danicas calamitates rectoribus priuatos, & propterea licentiosius agentes, ad meliorem disciplinam reduxissent; Ethelwoldus etiam & Dunstanus, quia & monachos & clericos pristinis moribus viuere coegerunt, clericosque in aliquot monasteria vi sæculari introductos eiecerunt: dicuntur ab istis nouatoribus primi monachorum in prædicta loca introductores. Nam quod in hoc monasterio cathedrali Cantuariæ, nunquam desierint esse monachi; ipse Godwinus eo ipso fatetur, quo monasticum habitum canonicos ipsos portasse fatetur; hoc enim indicat vitæ quadam sæcularitate, non professionis diuersitate à monachis

ipsos

ipsos discrepasse. Quod vero Agelnothus, & Celnothus Decani appellati inueniantur Cantuarienses; cum potuerit intelligi de Decanatu monachorum (qui dignitas est in monasterijs iuxta regulam Priori proximus, & aliquando etiam iuxta regulam, si Abbati placuerit Priorem non habere, instar Prioris est: tamen vt de officio Ecclesiastico intelligatur, meminisse debuit Godwinus etiam in Episcopatu Dunelnensi Priorem in toto Episcopatu Decani & Vicedomini officium gessisse; vt proinde sicut ibi, alibique monachi fuerint & Decani & Archidiaconi, sic etiam in hac Ecclesia Cantuariensi. In qua non negamus clericos monachis permixtos vixisse, imo & sequioribus sæculis canonicos sæculares; sed eos in monasterio cathedrali locum non habuisse, nec ante monachos in choro stetisse, quantumuis illud sibi arrogare voluerint, constat ex decreto Innocentij Papæ tertij contra canonicos pro monachis „lato & ad Archiepiscopum Cantuariensem misso, tenoris sequentis. Cum bona sint co„ram Deo & hominibus secundum Apostolum prouidenda, Episcopis, qui successores Apo„stolorum existunt, & lux mundi, & sal terræ, veritatis testimonio perhibentur, est sum„mopere attendendum, vt via regia incedentes, nec declinantes ad dexteram vel sinistram, „neque conscientiam propter famam, neque tamen famam pro conscientia derelinquant: „sed sic inter ea irreprehensibiliter gradiantur, quod neque impij apud Deum, qui videt in „corde; neque crudeles apud homines, qui vident in facie iudicentur. Sane conquerentibus „dilectis filijs monachis Cantuariensibus nostris est auribus intimatum, quod te præsente in „processionibus, quæ in Ecclesia ipsa solemniter celebrantur, quandoque præcedunt, „quandoque sequuntur inter te ipsosque monachos, quasi separantes caput à membris cle„rici sæculares; eorumdem insuper stalla in choro contra consuetudinem coarctantes. Ex „hoc autem dignitati Cantuariensis Ecclesiæ plurimum detrahitur, & honori, & scanda„lum (sicut dicitur) generatur in cordibus infirmorum, & quies Deo famulantium perturba„tur, & deuotio deperit popularis: dum in eodem collegio diuersæ professionis & habitus „cernuntur homines sociari, quorum alij vestiuntur vilibus alij prætiosis, quidam velatis „incedunt capitibus, alij denudatis. Cum igitur sit incongruum, vt in vno & eodem officio „professio dispar existat, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus circa „ea, quæ præmisimus, corrigenda, solicitudinem adhibeas pastoralem: vt & scandalum „tollatur de medio, propter quod multa sunt sæpius omittenda, sicut iam alia vice tibi re„colimus intimatum; atque in Cantuariensi Ecclesia regimini tuo commissa, quæ celebrem „locum obtinet inter Ecclesias Anglicanas, nihil reprehensioni dignum occurrat, vnde ad „alias religionis & honestatis exemplum conuenit deriuari. Tunc enim melius, sicut tua fra„ternitas non ignorat, subditos tuos corrigere poteris, & ad frugem reducere meliorem, „cum in capite nihil inuentum fuerit, quod merito debeat reprehendi. Datũ Lateranis. &c.

Decretum Innocẽtij 3 pro monachorũ Cantuariẽsiũ prærogatiua.

Restat iam ex omnibus de quibus dubitari posset an monachus fuerit, Edsinus penultimus in catalogo Godwini ante Stigandum, quem sacerdotem sæcularem autumat, quia capellanus fuit Reginę; sed argumentum friuolum est, cum Dunstanus iam monachus, & postea etiam eremita, deinde fuerit Capellanus regis sui, & ei capellano Rex contulerit Abbatiam Glastoniensem in qua antea vitam monachi & Eremitę transegisset. Potuit ergo Eadsinus & monachus, & capellanus esse; potuit prętera Archiepiscopus electus monachum inducere etiamsi prius sæcularis fuisset, exemplo videlicet S. Odonis prædecessoris sui & iuxta ritũ Dunelmensis Ecclesię paulo superius ostensum, in qua etiam sæcularis presbyter in Episcopum electus; debuit tamen prius attonderi in monachum, quam consecraretur in Episcopum. Quod & verisimilius est, nempe aut monachum prius fuisse, aut posterius, quia cum esset affectæ valetudinis, totam Primatus sui administrationem Abbati Abindoniensi monacho vtique commisit; Nam aut hoc fecit, quia monachus monachum voluit habere Vicariũ: aut quia ipse nouo exemplo Vicarium clericum sęcularem habere non ausus fuisset, cum antea semper penes monachos ea administratio fuisset. Iam ergo consideret & iudicet æquus lector, quibusnam magis credendum sit de perpetuo monachatu Archiepiscoporum Cantuariensium, an Parkero, Godwino, paucis nouatoribus ex odio monachorum negantibus; an vero plærisque omnibus alijs historicis, siue protestantibus, siue catholicis imo ipsis sanctis Thomæ Cantuariẽsi, Odoni Seuero affirmãtibus? Affirmãt nostro sæculo Harpfeldius & Camdenus; affirmat Ordericus tempore Henrici primi, eademque ætate Malmesberiensis, & suppares illis Mathæus vterque, Albanensis & Westmonasteriensis; asserit Eadmerus ætate S. Anselmi, & cum eo omnes Angliæ Episcopi in electione Rodolphi Archiepiscopi; Asserit S. Thomas; asserit S. Odo, & qui eorum vitas scribunt, Osbernus, & Stephanus Langton Archiepiscopus Cantuariensis à D. Thoma quartus: & hi tamen recentiores ex non intellectis Presbyteri, Decani, Capellani vocabulis aut officijs audent contradicere. Tam stupidi scilicet

Eadsinus monachus, non clericus sęcularis.

hi et erant omnes Angliæ Episcopi, qui Walkelino duce monachos ex cathedralibus Ecclesijs expellere nisi sunt, & qui postea ijdem post Anselmum sæcularem aliquem in primatu Cantuariensi substituere feruentissime laborarent: vt monachis perpetuitatem hanc objicientibus non potuerint exceptionem falsi regerere, & Eadsinum virum sanctum, parum ante Stigandum impium, Clericum fuisse sæcularem, Agelnotum quoque & Celnothum, & Tatwinum ab Augustino septimum, si id verum credidissent? aut probabile potest vlli videri viros illos magnos, prudentes, acerrimos, in negotijs sub prudentissimis regibus versatissimos: non potuisse, non voluisse falsam hanc monachorum iactationem authenticis probationibus de propinqua ipsis ætate desumptis elidere, si falsam existimassent? Sed nimirum fuit illis hoc certissimum, ante illa tempora neminem Cantuariæ sedisse Archiepiscopum, qui non monachus fuisset, præter vnicum Stigandum. Et vt ad S. Odonem redeamus, mirum est istos non authores non hoc aduertisse, illum sanctum, doctum, prudentemque fuisse rerum æstimatorem, non hebetem, non scrupulosum, non exigui angustique pectoris virum: adeoque non facile obiecturum fuisse tot Regis & Coepiscoporum instantijs traditionem incertam à monachis iactatam, nisi eam etiam sciuisset ipsius veritatis firmissimis radicibus subnixam.

Prærogatiua monasteriorū cathedralium ortum non habuit à S. Dunstano.

Ex hoc autem S. Odonis facto, & ijs quæ in eius illustratione diximus, ruit illa artificiosa impugnatio, qua tacite vsus est Cardinalis Baronius, dum (vt suprà vidimus) hanc dignitatem Archiepiscopalem monachis auctoritate S. Dunstani vult attributam & stabilitam. Vnde enim habuit S. Odo Archiepiscopus, cum Dunstanus tantum Abbas fuisset, traditionē illam, si ea consuetudo à S. Dunstano cœpisset originem? Sed clarissime apparet ex concordia regulari, quam S. Dunstanus præcipue curauit promulgari, illam quidem consuetudinem Dunstani authoritate roboratam, non ab eius industria aut gratia apud principes pios introductam. Certè illa verba, quæ habet in prologo regularis concordiæ non sonant recentem „introductionem, sed consuetudinem iam ætate diuturna roboratam. Præfato equidem sy„nodali conciliabulo hoc attendendum magnopere cuncti decreuerunt, vt Abbatum & „Abbatissarum electio cum Regis consensu, & consilio, sanctæ regulæ ageretur documen„to; Episcoporum quoque electio, vti Abbatum, vbicumque in sede Episcopali Monachi re„gulares conuersantur, si Domini largiente gratia tanti profectus inibi monachus reperiri „potuerit, eodem modo agatur, nec alio quolibet modo, dum eiusdē sunt conuersationis, à „quoquam præsumatur. Si autem imperitia impediente, vel peccatis promerentibus, talis, „qui tanti gradus honore dignus sit, in eadem Congregatione reperiri non poterit: ex alio „noto monachorum monasterio concordi Regis & fratrum, quibus dedicari debet, consilio „eligatur. Qui ordinatus videlicet Episcopus in omnibus eundem morem regularem cum „monachis suis, quem Abbas tenet regularis, diligenti cura, & magnopere excellenti, iugi„ter sine intermissione custodiat, nec Episcopatus occasione regulæ præcepta tumidus vel „obliuiosus temerè intermittat: sed quantum excellit honore, tantum & opere. Sæcularium „vero prioratum ne ad magni ruinam detrimenti, vti olim acciderat (*nempe sub Danicis in„cursibus, & Regibus socordibus illorum incursuum temporibus*) miserabiliter deueniret, magna „animaduersione atque anathemate suscipi cœnobijs sacris prohibentes, Regis tantum„modo & Reginæ Dominium ad sacri loci munimen, & ad ecclesiasticæ possessionis aug„mentum voto semper efflagitare optabili prudentissimè iusserunt. Prudens lector animaduertit hoc decreto Synodico, non institui de nouo vt monachi regulares in Ecclesijs Cathedralibus collocentur: sed ordinare, vt quandoquidem in multis Ecclesijs Cathedralibus iamdudum constituti essent monachi, quorum quasi Abbas esset Episcopus; illorum monasteriorum Episcopi Abbatum more iuxta B. Benedicti institutum concordi fratrum suffragio eligerentur. Similiter & pestiferum commendatariorum, aut prælatorum sæcularium in regularibus ecclesijs (qui sub aliquibus regibus, vt dixi socordibus antea inoleuerat vt etiam patet, ex actibus conciliaribus Cuthberti Archiepiscopi apud Malmesberiensem) abusum damnant in hac Synodo Patres, & anathematizant. Quod non recentem institutionem, sed antiqui instituti restitutionem, abusu pessimo remoto, insinuat. Et ita intelligendum esse hoc decretum factum istud S. Odonis in veteri notissimaque traditione fundatum satis conuincit.

Testimoniū Venerabilis Bedæ.

Vnde ergo tam annosam consuetudinem perpetui monachatus in Cantuariensibus Archiepiscopis, cuius maiestate perculsus Odo ab Augustino vigesimus secundus non prius audebat Archiepiscopus consecrari, quàm monachus fieret, vnde inquam accersemus, nisi ab ipsomet Augustino, sanctoque Gregorio nostris in Christo Patribus ac Apostolis? Sane ipsi authores catalogi Parkerus, & Godwinus fatentur expresse omnes Episcopos vsque ad S. Odonem, excepto forte Tatwino & Nothelmo, fuisse monachos; quare non potest negari, quin

ri, quin ab Augustino & Gregorio debeat accerseri; Sed ne videamur solum cõsequentijs agere, prodeat testis irrefragabilis Venerabilis Beda, qui Apostolorum nostrorum discipulos familiariter nouit: hic ergo hunc viuendi modum, vt Episcopalis Cathedra à Præsule monacho, Canonicisque monachis gubernaretur Augustino discipulisque suis in Angliam profecturis à D. Gregorio commendatum fuisse scribit: idque (ne leuiter, aut obiter, aut parum considerate ab eo scriptum putaretur) duobus in locis testatum reliquit. Primus locus est in tertio lib. historiæ gentis Anglorum cap. 3. Vbi rationem reddens, cur Eatta Lindisfarnensis Episcopus, Cuthbertum monasterio Lindisfarnensis ecclesiæ Præpositum seu Priorem præfecisset, quem locum idem R. Pater (Episcopus nimirum Eatta) Abbatis iure regebat, „ait: Quia nimirum Aidan, qui primus eius loci Episcopus fuit, cum monachis illuc & ipse „monachus adueniens, monachicam in eo conuersationem instituit: quomodo & prius „beatus pater Augustinus in Cantia fecisse noscitur, scribente ei reuerendissimo Papa Gre„gorio, quod & supra posuimus: Sed quia tua fraternitas, inquit, monasterij regulis erudi„ta, seorsim fieri non debet à clericis suis, in ecclesia Anglorum, quæ nuper authore Deo ad „fidem perducta est, hanc debet conuersationem instituere, quæ in initio nascentis ecclesiæ „fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum, ex his, quæ possidebant, aliquod suum esse „dicebat, sed erant eis omnia communia. Alter locus est in vita S. Cuthberti cap. 16. quem totum ponemus, & diligentius perpendemus: quoniam Gallonius, & Caracceolus, & alij clerici regulares, adeo cupidè arriperent priorem locum, vt stabiliant in his Ecclesijs Cantuariensi scilicet, & Lindisfarnensi, non monachos, sed clericos regulares, seu Canonicos Apostolicos fuisse. Sed ex ipso loco posteriori venerabilis Bedæ, apparebit clarissime, recentiores istos aut imperitia rerum Anglicarum, quod malim de illis credere, aut confidenti assertione, quasi ita debeat esse quicquid illi iudicant, potius quam quomodo nostri auctores scribunt, (quod certe apparet verius esse, non enim tam leui oculo legerunt res nostras, vt Bedam non animaduerterint expresse de monachis clericis, non de clericis non monachis loqui;) pessimo exemplo vt suis opinionibus authoritatem concilient, ordini monachali decus summum „detrahere, sibique iniuria arrogare: Dicit ergo venerabilis Beda: Cum ergo venerabilis „Domini famulus (*Cuthbertus*) multos in Mailrosensi monasterio degens annos multis vir„tutum spiritualium clarescerct signis, transtulit eum Reuerendissimus Abbas ipsius Eatta „in monasterium, quod in Lindisfarnensium insula situm est, vt ibi quoque regulam mona„chicæ perfectionis, & Præpositi authoritate doceret, & exemplo virtutis ostenderet. Nam „& ipsum locum tunc idem reuerendissimus Pater Abbatis iure regebat. Neque aliquis mi„retur, quod in eadem insula Lindisfarnæa, cum permodica sit, & suprà Episcopi, & nunc „Abbatis & monachorum esse locum dixerimus: reuera enim ita est. Namque vna eadem„que seruorum Dei habitatio vtrosque simul tenet, imo omnes monachos tenet. Aidanus „quippe, qui primus eiusdem loci Episcopus fuit, monachus erat, & monachicam cum suis „omnibus vitam semper agere solebat: vnde ab illo omnes loci Antistites vsque hodie sic E„piscopale exercent officium, vt regente monasterium Abbate, quem ipsi cum consilio fra„trum elegerint, omnes præbyteri, diaconi, cantores, lectores, cęterique gradus ecclesiasti„ci monachicam per omnia cum ipso Episcopo regulam seruent. Quam viuendi normam „multum se diligere probauit beatus Papa Gregorius, cum sciscitanti per literas Augustino, „quem primum genti Anglorum Episcopum miserat, qualiter Episcopi cum suis clericis „conuersari debeant, respondit inter alia: sed quia tua fraternitas monasterij regulis eru„dita seorsim fieri non debet à clericis suis, in ecclesia Anglorum, quæ Deo authore nuper „adhuc ad fidem perducta est, hanc debet conuersationem instituere, quæ in initio nascen„tis ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his quæ possidebant, aliquod „suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia. Igitur ad Lindisfarnensem ecclesiam „siue monasterium vir Domini aduenlens, mox instituta monachica fratribus viuendo pari„ter & docendo tradebat: sed & circumquaque morantem vulgi multitudinem, more suo, „crebra visitatione ad cælestia quærenda ac promeranda succendebat. Nec non etiam signis „clarior effectus, plurimos varijs languoribus & tormentis compræhensos, orationis instan„tia priscæ sanitati restituit: nonnullos ab immundorum spirituum vexatione non solum „præsens orando, vel certe eorum sanationem prædicendo curauit, in quibus erat & illa „Præfecti vxor, de qua supra retulimus. Erant autem quidam in monasterio fratres, qui „priscę suæ consuetudini, quam regulari mallent obedire custodiæ: quos tamen ille modesta „patientiæ suæ virtute superabat, & quotidiano exercitio paulatim ad melioris propositi sta„tum conuertebat. Denique sæpius in cœtu fratrum de regula disputans, cum acerrimis „contradicentium fatigaretur iniurijs, exurgebat repente, & placido vultu atque animo e-

Ecclesia Lindisfarnẽsis quæ nunc Dunelmensis semper Benedictina.

„grediens dimittebat conuentũ; ac sequenti nihilominus die, quasi nihil obiectionis pridie „sustinuisset, eadem, quæ prius, monita eisdem dabat auditoribus, donec illos paulatim, vt diximus, ad ea quæ vellet, converteret. Ex hoc luculento venerabilis Bedæ testimonio multa colliguntur ad rem nostram apprimè facientia. Primo quidem, non solum imperitè, sed etiam audacter, & proteruè Gallonium, & Caracciolum, & alios cum illis nouitatis eiusdem assertores hæc verba Bedæ trahere inuitissima, & palam reluctantia, ad probandam in hac Ecclesia Lindisfarnensi (quæ postea Dunelmum est translata) vitam communem Episcopi & Canonicorum non-monachorum: dicit enim apertissimè Venerabilis Beda, non solum Episcopum vnà *monachosque* locum illum constituisse, *sed omnes ibi monachos fuisse*; dicit totum clerum Episcopalem, *Presbyteros, Diaconos, Cantores, Lectores, cæterosque gradus* Ecclesiastici viros à prima institutione Cathedræ Episcopalis ad sua vsque tempora, per septuaginta amplius annos *monachicam regulam, cum ipso etiam* Episcopo *seruasse*; Quid ergo compulit istos recentiores ex hoc Bedæ testimonio Clericalem non monachorum vitam extundere? An vita monachica significat regulam clericorum, aut canonicorum, à monastica distinctam? Aut quid non possit à quolibet affirmari, si istis liceat tam aperte proteruire? Sed satis multis exemplis ostendit R. Abbas noster Constantinus, Galloniũ, aliosque tales magis ad opinionem suam pugnaciter tuendam, quam ad veritatem asserendam disputasse: qui etiam asserere aude et regulam Benedictinam Beda viuo nondum in Anglia receptam, quam ante Bedam natum Sanctus Wilfridus, & S. Benedictus Biscopius Ceolfridi, qui Bedam monachum fecerat Abbas, in toto regno Nordanhumbrorum triginta tantum annos post Paulini mortem, Iacobo Paulini diacono adhuc viuente & adlaborante plantauerunt, quam & legere potuisset apud eundem Bedam Paulino prædicante inter primos qui fidem susceperant, fuisse nominatissimam regulæ nostræ Abbatissam Hildam Edwini Regis neptim, quæ propterea S. Wilfrido pro paschali ritu contra Scotos disputanti, cum regina, filioque eius Alcfrido assistebat: Putauit forte Gallonius transalpina ingenia tam esse insulsa, vt ipsi confidenter duntaxat affirmanti aut neganti sine vlla probatione contra suarum antiquitatum testatissimam fidem & auctoritatem crederent. Secundo loco (quod superius huc vsque distulimus, aperte constat in hac ecclesia Lindisfarnensi, & Dunelmensi, ad quam postea eius cathedra est translata, semper monachos fuisse, omnemque eius clerum, vnà cum Episcopo debuisse & consueuisse monachicã vitam regulamque seruare. Tertio, quod Gallonius solita sua præfidentia negauit, ex hoc eodem testimonio aperte colligitur, vitam monachicam, quæ in hoc cœnobio cathedrali viguit, secundum regulam S. Benedicti fuisse. Non quidem planè sub Aydano, Finano, & Colmano Episcopis & monachis Scotis: hi enim, quãuis monachi fuerint, nondũ tamen ex toto regulam S. Benedicti susceperant; sed exorta sub Colmano controuersia de canonico Paschate, & tonsura regulari, in quibus ritibus Scotti monachi ab vsu Romano, monachorumque Romanorum dissentiebant: Scotti victi nec tamen suas traditiones adhuc relinquere parati, locum cesserunt tam Episcopatus quam monasteriorum Nordanhumbrię Wilfrido, & Iacobo, cæterisque qui pascha catholicum celebrare, tonsuramque Romano more ferre statuerant, in quibus erat etiam Eatta, factus ex Abbate Mailrosensi Abbas simul & Episcopus Lindisfarnensis; qui cum suadente S. Wilfrido in monasterio Mailrosensi per sanctum Boisilum Præpositũ suum regulã S. Benedicti introduxisset, eandem etiã in ecclesiã hanc cœnobij Lindisfarnensis per S. Cuthbertum præpositum introduxit, Hoc enim significant illa verba, *vt ibi quoque* (hoc est æquè in Lindisfarnensi, sicut antea in Mailrosensi) *regulam monachicæ perfectionis, & Præpositi authoritate doceret, & exemplo virtutis ostenderet.* Nam antea sub Scottis non vtebantur alicuius regulæ præscripto, sed traditione tantum à maioribus accepta gubernabantur; ideoque vt eosdem *Regulæ* auctoritati subijceret, Præpositum illis Cuthbertum Eatta Abbas præfecit: Quanta autem cum difficultate eos ad regulam suscipiendam adegerit, ostendunt tum illa verba, *Erant autem quidam in monasterio fratres, qui priscæ suæ consuetudini, quam regulari mallent obtemperare custodiæ*; quæ innuunt longe aliam à Cuthberto insinuatam illis disciplinam, quam quã antea fuissent imbuti; eamque disciplinam non *consuetudine* aliqua niti, sed *regulæ* scriptæ videlicet ordinatione contineri; & propter diuersitatem inassuetam monachis illis non placuisse; Tum etiam quotidianus labor Cuthberti, quo *regulam in conuentu* explicabat, & contradicentibus ei monachis prędictis, placida constantique disputatione persuadere nitebatur: Tum denique quia hic illius conatus, dicitur à S. Beda, *quotidianum exercitium* quo monachos illos paulatim *ad melioris propositi statum conuertebat*, hoc est ad exactioris, probatiorisque disciplinæ obseruantiam. Hæc enim omnia aperte indicant, Eattam Abbatem, Prępositumque seu Prioré ipsius Cuthbertũ satagisse totis viribus, & ipsos monachos Scoticæ disciplinæ assuetos, ad aliã obseruãtiã securiorem

Bedã de regula monachorũ, non de regula clericorum loqui.

Bedam apertè loqui de regula S. Benedicti.

Regulá monaſterij Lindiſfarnēſis fuit S P. N. Benedicti.

ſecuriorem pellicerent. Hanc diſciplinam vocat Beda *regularem cuſtodiam*, opponitque eam *priſcæ eorum conſuetudini*; vocat *propoſiti melioris ſtatum*; vocat expreſsè *regulam, quæ in conuentu explicaretur:* At quæ alia potuit illa eſſe, quàm D. Benedicti? Scotti regulam non habebant; non erat regula clericalis, vt fruſtra & temerè pronunciat Gallonius, quia erat monachis, & non meris clericis propoſita; ac proinde neque regula Auguſtiniana, quæ *Præpoſitum* patrem, non *Abbatem* habebat, vſque ad tempora Eugenij quarti; eumque ita exiguę authoritatis, vt à presbytero aliquo eccleſiæ Cathedralis dependere ex ipſa regula teneretur; cum hic Abbas presbyteros regeret, imo & Epiſcopum aliquando in regularibus haberet ſubiectum, vt ſuprà docuimus ex Concilio Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi. Erat ergo proculdubio regula S. Benedicti, quæ antonomaſticè ſemper *Regulæ* nomine apud Latinos intelligi ſolet, quando de monachis ſermo habetur quam Gregorius per eccleſiam Latinam mandauit obſeruari: quam diſcipulis ſuis, in Angliam proficiſcentibus commendauit. Præſertim cũ S. Wilfridus, ſanctusque Benedictus Biſcopius, & Iacobus Paulini Diaconus, quibus annitentibus Scottorum diſciplina atque doctrina eſt reformata, Benedictini monachi, regulæque eius propagatores per Northumbriam ſtudioſiſſimi fuerint, quod ſuperius clarè demonſtrauimus. Quare ridiculum eſt, quod Gallonius hic excepit, Bedam expreſſe regulam S. Benedicti non nominaſſe: at nominauit regulam, quæ (vt Benedictus Pater in ſua mandat) in conuentu explicabatur; quam ſeruabant monachi Romani Paſcha catholicum celebrantes; quam Venerabilis Beda tandem ſuam agnoſcebat, & à Patribus ſuis, Ceolfrido & Benedicto Biſcopio, alijſque per reliquam Angliam monachis ſeruari ſciebat. Alioqui, ſi non eſt regula S. Benedicti, quia illius nomen non appoſuit, nullius erat regula, quia nullius nomen appoſuit. Appoſuit autem Beda notas ſatis euidentes, vnde ſciremus de qua regula loqueretur. Quarum *prima* eſt, ipſe ſtylus narrationis vitæ S. Cuthberti per omnia ſtylo Gregoriano, quo vitam S. Benedicti delineauit, perſimilis; *altera* euidentior, conformitas quædam miraculorum S. Cuthberti & S. Benedicti: nam cum in cap. 13. vitæ narraſſet, quomodo ipſo prædicante & præmonente *hoſtis nequiſſimus fantaſticum deferens ignem domum iuxta poſitum incendit, ita vt viderentur faces ignium totam volitare per villam; & exiliens quaſi ad extinguendum ignem tota turba quam docebat, certatim aquas iactabat, nec tamē vnda vera falſas reſtinguere flammas potuiſſet, donec orante viro Dei Cuthberto fugatus autor fallaciarum ficta ſecum incendia vacuas reportaret in auras*; & in ſequenti cap. 14. aliud miraculum veri incendij B. Cuthberti precibus reſtincti retuliſſet; ſubiecit hoc Epiphonema: *Sicque in duobus miraculis duorum Patrum eſt virtutes imitatus; in fantaſticis quidem præuiſis, & euacuatis incendijs virtutem Reuerendiſſimi & Sanctiſſimi Patris Benedicti, qui ſimulatum ab antiquo hoſte quaſi ardentis coquinæ incendium ab oculis diſcipulorum orando pepulit: in veris vero æque victis ac retortis ignium globis, virtutem viri venerabilis Marcellini Anconitarum antiſtitis, qui ardente eadem ciuitate ipſe contrà ignem poſitus, orando flammas compeſcuit, quas tanta ciuiũ manus aquam proijciendo nequiuerat.* Confer hæc cum Gregorij dialogo cap. 10. lib. 2. in quo ſimile miraculum Diui Benedicti narrat, & videbis vt miraculum miraculo, ita verba narrationum ſibi inuicem correſpondere. Pari modo in cap. 18. vitæ S. Cuthberti, narrat venerabilis Beda miraculum aquæ de rupe aductæ: Cernitis (verba ſunt ſancti Cuthberti ad fratres Beda
„ narrante) qui fontis inops ſit manſio, quam adij: ſed rogemus obſecro illum, qui conuertit
„ ſolidam petram in ſtagnum aquę, & rupes in fontes aquarum, vt non nobis, ſed nomini ſuo
„ dans gloriam, de hac quoque rupe ſaxoſa nobis venam fontis aperire dignetur: fodiamus in
„ medio tuguriunculi mei, credo torrente voluptatis ſuę potabit nos. Fecerunt ergo foueam,
„ quam in craſtinum emanante ab interius vnda repletam inuenerunt; vnde dubium non
„ erat hanc orationibus viri Dei de aridiſſima prius terra elicitum fuiſſe aquam; quæ videli-
„ cet aqua mirum in modum primis contenta ripis, nec foris ebulliendo pauimentum inua-
„ dere, nec hauriendo nouit deficere: ita moderata gratia largitoris: vt nec neceſſitate acci-
„ pientis ſuperflueret, nec ſuſtentandæ neceſſitati inopia deeſſet. Deinde ſequenti cap. 19.
narrato alio miraculo de alitibus ſolo iuſſu à ſegete ſua abactis, ſubijcit; Et hic quoque ve-
„ nerabilis Chriſti famulus in duobus miraculis duorum patrum eſt facta ſequutus: in aqua
„ videlicet elicita de rupe, factum Beati patris Benedicti, qui idem pene, & eodem modo legi-
„ tur feciſſe miraculum; ſed idcirco vberius, quia plures erant, qui aquæ inopia laborarent.
„ Porro in arceſſitis à meſſe volatilibus, reuerendiſſimi & ſanctiſſimi patris Antonij ſeque-
„ batur exemplum, qui à læſione hortuli, quem ipſe plantauerat vno onagros ſermone com-
„ peſcuit. Et immediate in cap. xx. ſequenti: Libet etiam quoddam B. Cuthberti, in exemplũ
„ præfati Patris Benedicti factum narrare miraculum: in quo auium obedientia & humilita-
„ te palam contumacia & ſuperbia condemnatur humana. Et ſubijcit miraculũ, de corn[illegible]

cto eius obedientibus sicut B. Benedicti iussu coruus venenatum panem in auia asportauit. Vbi merito castiganda est Gallonij [redacted] & contentiosus disputandi modus, qui cum in priori testimonio legisset, aut certe legere debuisset (nisi statutum illi fuisset proteruire potius, quàm veritati manus dare) quanta cum honoris præfatione nominetur à V. Beda Diuus Pater Benedictus: obijcit Abbati nostro Caietano maiori specie reuerentiæ citari in secundo, quod posuimus, testimonio D. Antonium: quasi prius D. Benedictum æque honorabili elogio non ornasset; aut quasi necessarium illi semper fuisset, quandocumque mentio D. Benedicti fieret, eosdem semper exortis cuiusdam reuerentiæ titulos vsurpare. Noluit etiam animaduertere, monachos omnes Benedictinos D. Antonium tanquam primum cœnobitarum parentem pene pari cultu cum Benedicto Patre suo venerari; noluit intelligere etiam notissimos Benedictinos, quosque tales esse nemo negauerit, quando obiter sancti Benedicti facienda occurrit commemoratio, simpliciter eius nomen plerumque ponere sine epithetis illis encomiasticis, quæ non est opus latinis hominibus adijcere, quorum nullus est, qui Benedicti præcipuam sanctitatem aut ignoret, aut non agnoscat. Vt autem Gallonius, & siquis illi similis dubitator existit, dubitare desinat, quàm dulciter, quam reuerenter, quam filialiter Benedictum Beda noster compellat, quando ex professo de ipso sermonem instituit, statim ostendemus. Nunc in comparatione conformitatis inter Cuthbertum & D. Benedictum inchoata procedamus. Quemadmodum igitur apud Gregorium *Clerico energumeno per multa martyrum loca transmisso sancti Dei martyres noluerunt sanitatis donum tribuere, vt quanta esset Benedicti gratia demonstrarent; qui propterea clericus ductus est ad omnipotentis Dei famulum Benedictum, qui Iesu Christo Domino preces fundens antiquum hostem de obsesso homine protinus expulit*; ita etiam apud Bedam cap. 41. *Cum puerum energumenum ad monasterium Lindisfarnense parentes deferrent, atque ad reliquias beatorum martyrum, quæ ibi sunt Dominum pro illo deprecarentur, noluere sancti Dei martyres ei petitam reddere sanitatem, vt quàm celsum inter ipsos locum Cuthbertus haberet ostenderent; Aquâ igitur, quâ ipsius S. Cuthberti corpus lotum fuerat, obsessi pueri ori infusâ, protinus est sanatus.* Pari modo quod S. Gregorius de S. Benedicto, hoc eodem orationis filo de S. Cuthberto Beda cap. 41. pronunciat: *Cœpit interim vir Dei prophetiæ etiam spiritu pollere, ventura prædicere, præsentibus absentia nuntiare.* Conferat benignus lector ea quæ hic ex Beda citauimus in vita Cuthberti, cum ijs, quæ habet Gregorius in vita Benedicti lib. 2. dialogorum cap. 5. 8. 12. & 16. Videbisque Bedam ita imitatum fuisse Gregorij D. Benedictum depingentis verba & stylum, sicut Cuthbertus in se curauit exprimere Benedicti Patris acta & spiritum. Quod vtrumque diximus esse quasi notam & characterem monachorum Benedictinorum. Legantur enim omnes vitæ siue legendæ sanctorum post tempus B. Gregorij à monachis scriptæ, & comperientur quadam amoris præcipui æmulatione verbis loquutionibusque Gregorianis, quibus ille in vita Patris nostri Benedicti narranda vsus est, sese conformare: sicut & ipsi sancti, quorum acta scribunt vitam S. Benedicti, tanquam exemplar suum domesticum, conantur æmulari. Vidimus hoc in miraculis Cuthberti à Beda relatis: videamus in ipsa vitæ ipsius conformatione. Nam quod tam ipse Cuthbertus quam præceptor eius Boiselus, *Morantem circumquaque multitudinem crebra visitatione ad cœlestia quærenda succendebat*: nonne est idem B. Benedictus apud Gregorium lib. 2. c. 7. qui Casinum demigrans, *Paganorum subuertit aras succendit lucos, & commorãtem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat* sic & in ipso duplicis vitæ cœnobiticæ & eremiticæ cultu, Patris sui Benedicti Cuthbertus imitator sedulus esse voluit; hoc solo diuersus, quod Beatus quidem Benedictus Pater monachorum præcipuus futurus, atque adeo non ab homine, sed à Deo vocatus, in ipsa pueritia eremum petijt, & ab altissima perfectione, sicut vere Theodidactũ decuit facere, ad alios docendos exordium sumpsit: sanctus vero Cuthbertus, vt discipulus debuit, exemplum magistri, prout ab ipso magistro edoctus est, expressit: docuit autem sanctus Patriarcha initio regulæ, statum Eremitarum esse, *Horum qui non conuersionis feruore nouitio, sed monasterij probatione diuturna didicerunt contrà diabolum multorum solatio iam docti pugnare*; atque ita Cuthbertus *Postquam in monasterio multa annorum curricula expleuit, tandem diu cõcupita solitudinis secreta, comitante præfati Abbatis sui simul & fratrum gratia lætabundus adijt: gaudebat namque quia de longa perfectione conuersationis actiuæ, ad ocium diuinæ speculationis iam mereretur ascendere.* Et quẽadmodum B. Benedictus *Genus cœnobitarum mon asteriale, militans sub regula vel Abbate, fortissimum* & suauissimum docuit esse: sic & Cuthbertus magistri sui doctrinæ insistens *Fratribus solebat crebrius intimare, ne conuersationem eius, quasi singulariter celsam mirarentur, quia contemptis sæcularibus curis secretus viuere mallet: sed iure inquit, est cœnobitarum vita miranda, qui Abbatis per omnia subijciuntur imperijs, ad cuius arbitrium cuncta vigilandi, orandi, ieiunandi atque operandi tempora moderantur.*

Quin

Quin etiam, quam *de sepulchro sibi præparando viuus adhuc* curam habuisse legitur Pater noster Benedictus apud Gregorium, cap. 34. habet & Cuthbertus apud Bedam cap 37. discipulisque suis *Indicat in parte quadam oratorij sui Sarcophagum terræ cespite abditum, quod cum ei Cudda venerabilis Abbas donauerat, in quo corpus suum reponeretur*. Tandem sicut vitæ totius tenore ita etiam & exitus sui modo Patrem Benedictum meruit imitari: nam quemadmodum apud B. Gregoriũ cap. 37. moriturus gloriosus Patriarcha Benedictus: *Portari se in oratorium à discipulis fecit, ibique exitum suum dominici corporis & sanguinis perceptione muniuit: atque inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans, erectis in cœlum manibus stetit, & vltimum spiritum inter verba orationis efflauit* Haud absimili modo apud Bedam ca. 38. Cuthbertus *Cum increscente languore videret tempus suæ resolutionis instare præcepit se in suam mansiunculam atque oratorium referri*. Et cap. 40. *Vbi consuetum nocturnæ orationis tempus aduenerat, acceptis* (ab vno discipulorum, qui ipsi aderant) *Sacramentis salutaribus exitum suum, quem iam venisse cognouit, Dominici corporis & sanguinis communione muniuit; atque eleuatis in cœlum oculis extensisque in altum manibus, intentam supernis laudibus animam ad gaudia regni cælestis emisit*. Leuia fortasse videbuntut hæc indicia, at nobis sunt inter clarissima annumeranda: sicut enim indiuidui dilectissimique sodales solam vocem consodalium suorum audientes ipsos ab alijs distinguunt; & sicut eiusdem linguæ seu idiomatis populi, ex ipso modo flexuque pronunciationis facile internoscunt ciuem à peregrino: ita familiaris & vsitatus nobis monachis sermo nostris, vt sic dicam, idiotismis ac characteribus fluens, clarissime nobis ostendit regulæ nostræ comprofessum. Sed est adhuc alia nota insignis apud Bedam, qua nulla potest esse euidentior: nempe veteranos monachos, à quibus venerabilis Beda gesta S. Cuthberti didicit, quique Cuthberti discipuli, alumni, & ministri fuere, omnes istos Bedæ confessione fuisse Benedictinos. Etenim monasterium Wiorense seu Geruiense in quo Beda monachum egit, fuisse regulæ S. Benedicti subiectum ab ipso fundatore Biscopio, & Abbate Bedæ Ceolfredo, superius luce clarius demonstrauimus: Et illos, quos dixi, Cuthberti ministros quibus referentibus acta viri admirandi cognouit Beda, sui monasterij Wiorensis monachos ipsemet vidisse se testatur. Nam cap. 5. cum narrasset quomodo miraculose sibi atque equo suo de cibo pabuloque Cuthbertus prouidisset, subiecit: *Hæc mihi religiosus nostri monasterij, quod est ad ostium Wiri fluminis, presbyter nomine Ingwald, qui nunc longæ gratia senectutis magis corde mundo cœlestia, quam terrena carnalibus contemplatur aspectibus, ab ipso Cuthberto iam tunc Episcopo se audisse perhibuit*. Rursus cap. 6. citat testimonium Sigfridi, his verbis: *Sicut religiosus ac veteranus Dei famulus & presbyter Sigfridus solet attestari, qui eidem Boisilo* (Mailrosensis Abbatiæ Pręposito seu Priori) *hæc dicenti*, (de Cuthberto ad se habitus suscipiendi causa veniente) *inter alios astabat, tunc in ipso monasterio* (Mailros) *adolescens primis adhuc monachicæ vitæ rudimentis institutus: nunc in nostro, id est, Gyruensi monasterio perfectum agens virum, & inter ægra spiritus extremi suspiria lætum vitæ alterius sitiens introitum*. Rursus cap. 35. Cum retulisset miraculum aquæ in saporem optimi vini conuersæ, gustantium testimonium profert his verbis: *Confitebantur alterutrum, quia viderentur sibi nunquam melius vinum bibisse: sicut vnus ex ipsis posteà in nostro monasterio, quod est ad ostium Wiri fluminis, non paruo tempore demoratus, ibidemque nunc placida quiete sepultus, sua mihi relatione testatus est*. Fuerint igitur monachi Lindisfarnenses & Mailrosenses, eiusdem schematis & obseruantię monachi, cuius & Beda, & monachi Giruienses seu Wiorenses fuere; & Cuthbertus, Boysilus, Eatta, reliqui omnes monachi per Northumbriam, qui recedentibus inde Scotis canonicum pascha more Romano seruauerũt, eiusdem regulæ monachi fuerunt, cuius & Ceolfridus, Benedictus Biscopius, Wilfridus extiterunt: quos superius euidenter probauimus fuisse Benedictinos; & hic ex Bedæ stylo & loquutionibus Benedictinis manifestè ostenditur.

Vt autem hi characteres reddantur Lectori beneuolo euidentiores, repræsentabimus hic debitum, quod supra contraximus, & Bedam clarissime se inter Benedictinos monachos computantem exhibebimus. Extat inter sermones eius hyemales de Sanctis, homelia dulcissimis plena affectibus, & quodammodo ad Origenis Magdalenam conformata de laudibus sanctæ Scholasticę sororis S. Benedicti in festo die ipsius virginis ab ipso iam sene vt videtur recitata: quod festum haud scio an vllus ordo religiosorum (qui non profiteatur Benedictinam regulam) celebret solemniter, sicut in monasterio Bedę celebrari solitum illa indicat homelia; quæ tota certe loquitur monachum Benedictinum. Postquam enim Euangelium in festo virginis explicuisset, more suo ad ipsius laudes descendit, proponitque sibi miraculum imbris Scholasticę precibus impetrati apud D. Gregorium, pro basi & themate „laudum, in quo suauissime deliciatur. His (*inquit*) breuiter prælibatis, fratres charissimi, „quia beatæ Scholasticæ natalitia colimus, libet de eius vitæ meritis aliquid de vita beatissimi Be-

Euidenter probatur, monasteria omnia Angliæ Bedæ temporibus fuisse Benedictina.

„mi Benedicti huic opusculo introducere, quantæ excellentię sanctitatis fuerit, silentio non „tegatur, sed primitus omnipotenti Deo preces mittamus, qui omnia in sapientia fecit, vt „ipse donare dignetur (qui dignatus est dicere, qui sitit, veniat & bibat; &, de ventre eius „fluent aquæ viuæ:) vt cœpta sic dignè prosequamur, vt tantæ festiuitatis pertineat ad ho„norem, & vestræ charitati præbeat incrementum. Erat ergo festum S. Scholasticæ ex solemnitatibus maioribus illius monasterij, in quo Beda vixerat, nec tamen vllas corporis ipsius reliquias habuisse leguntur: quæ igitur potuit esse causa solemnitatis alia, quam quod fuerit legislatoris soror? *Sed videamus* (inquit in progressu sermonis) *quis huius tantæ sororis possit esse germanus per omnia Benedictus, non solum nomine, sed & opere, non solum in terris, sed etiam in cœlis.* Et postea dum verba Gregorij eleganti parodia suo sensui attemperans, ipsam Scolasticam in possessione monasterij, non in ipso monasterio colloquentem introducit: „Quam sanctus (inquit) quàm pudicus, quàm discretus accessus? vt fragilis sexus nos las„sesseret, obuius frater accurrit, ne forte labor itineris frangeret deuotionem; An illicitum „cernebat, vt tanti limen cœnobij calcari fæmineo pede debuisset? An forsitan sæcularium „latratus vitabat, qui bonos monachorum mores canino morsu deuastant, & hoc cre„dunt in illis, quod suis malis actibus agere non recusant? Etsi hoc de tanto patre sperare il„licitũ esset, de tenerioribus discipulis inflato gutture crisparent cachinnos; Idcirco non in „sæcularium, sed id proprijs possessionibus descendebat Pater almificus. Vide & hic, lector non leue pondus reuerentiæ, & epithetum Benedicti proprium, haud dubię ex Bonifacij quarti decreto desumptum, vbi vocatur Benedictus *Monachorum Pater Almificus.* Rursus, cum Scholasticæ petenti vt secum illa nocte manês diuinis eam colloquijs satiaret Benedictus pater negaret; quàm pulchra paraphrasi, quam reuerenter verba negantis expendit? Tanquam „si diceret, (inquit) non bene est hoc quod rogas, vt insolitus extra cellam maneam, quod „implere minimè possum. O Sanctitatis amator, quare germane denegas, quod etiam extra„neis præbes: sed hoc religio faciat, non causa doloris. Scis Domini præceptum, qui diligit „patrem, aut matrem, vel sororem plusquam me, non est me dignus. Ideoque ad assuetum „recurris orationis locum, vbi magis Deo, quam sorori solitus es adhærere. Sed præsumen„ti voce dicimus, Nunquid non Deus hic est, vbi bona soror sacramenta Dei perquirit si „cum ipse dicat, vbi duo vel tres congregati fuerint, in nomine meo, in medio eorum sum? „Ecce non rogat, vt longo te tempore cernat, more * parentum; sed vnius noctis spatium „poscit, quo præbeas colloquia sacra. Quam dure attendis, sancte frater, preces sororis, ob „tuæ causam sacræ religionis. Illa bene quærit vt à te habeat; tu similiter, vt redeas; illa fide, „tu fide; illa amore Dei, tu pariter vt illa; illa vt cum sorore in prædicatione tempus noctis „exoluas: tu vt cum fratribus solitas Domino referas laudes. Sed quis è duobus melius, se„quens sententia monstrat. Deinde narrata imbris subitanei per preces Scholasticæ demissione: post multa eleganter perpensa, subijcit: *Gaude & lætare virorum sanctißime, quia ecce tenes quod voluisti, ecce habes quod semper quæsiuisti: ecce miracula cernis insignia, cœlo terræque probata. Verè si non negasses, quod expetebas non fuißent signa humanis oculis nata, quæ toto semper mundo lectio sacra sonat. Ecce iam Scholasticæ nomen virtutum laude coruscat, ecce illius miracula, plebs sancta cor gaudet; ecce quam cultasti sarculo cœlesti, fructus fert signorum.* Vbi uidet lector honorem Benedictini proculdubio monasterij, vt lectio sacra officij gesta sonet sanctæ Scholasticæ, tanquam ex ordine suo ad cœlum assumptæ. Deinceps, cum B. Benedictus sorori subirascens dixisset, Parcat tibi omnipotens, soror, quid est quod fecisti? subijcit V. Beda: *O vir Dei, tibi mentes hominum patescunt, tibi aer numismata fundit, tibi arida dolia oleum manant, tibi alta profundi laci ferrum reducunt ab imo, ipsi inferi animam reddunt; & nunc quasi contristatus nesciens dicis, Quid fecisti? Ò pater beate, si fas est dicere, quantum fuerat iustius dicere Parcat mihi omnipotens Deus, qui tuas bonas non audio preces!* Sane in his verbis, qui non videt spirare dulcem & filialem reuerentiam erga Patrem, nihil mihi videre videtur. At illa iam verba quid significant, quæ sorori iam quasi triumphanti, dicentique modo egredere si potes, Sanctissime Benedicte, & me dimissa ad monasterium redi; subtexit Beda? *Et cur (inquit) Pater fatigaris? nunquid non hic est monasterium vbi tu es, qui caput es omnium monasteriorum, & doctor omnium monachorum dum non locus hominem, sed homo sanctificet locum? Sta nunc Pater sanctißime inuitus, vt alterius diei sol tibi præbeat gressus.* Certè si Benedictus est Bedæ, Pater sanctissimus caput omnium monasteriorum, doctor omnium monachorum; quin caput ipsum agnouerit sui cœnobij omniumque per Angliam monasteriorum, doctoremque omnium per Angliam monachorum, nemo prudens potest negare. Quod si tam clara professio non conuincit proteruientem negatorem, conuincat saltem inuitũ, deprecatio illa, qua narrata visione animæ S. Scholasticæ in „columbæ specie cœlum petentis, homeliam Beda claudit: Gaude iam virgo Dei tantis sublimata

* i. more consanguineorum, qui nimium erga se inuicem afficiũtur.

„blimata triumphis; Exulta Benedicte Pater ſanctiſſime Patrum, Doctor dulciſſime Do-
„ctorum, quia conſummatis operibus ſanctis, pariter congaudetis ſuper regna polorum. In-
„tercedite pro vobis commiſſis, poſtulate pro nobis afflictis, rogate pro noſtris delictis;
„poſcite Chriſtum, non ſolum pro monachis commiſſis, ſed etiam pro veſtris ancillis, vt
„omnis ætas, omnis ſexus, omnis ordo, qui veſtris præceptis colla ſubmittunt, peritura
„mundi deſpiciant, gaudia ęterna concupiſcant, regna beata appetant, proſpera animarum
„& corporum percipiant. Nulla diabolica fraude moleſtentur, nullis incurſionibus malig-
„norum affligantur, nulliſque calamitatibus annihilentur. Euge Pater beate, faue precanti-
„bus, appone aures precibus famulorum tuorum, da veniam poſcentibus, da dona quæren-
„tibus, parce peccantibus: quia tu paſtor es, nos vero oues, audi balatus ouium tuarum;
„trahe nos poſt te, vt veniamus ad te, vt illic vera paſcua inueniamus, vbi ſunt vera gaudia
„ſempiterna. Redde Deo talenta cumulata de nobis, reporta cum vſuris credita dona do-
„ctrinarum, meque indignum huius operis præſumptorem tuis coniunge ſeruulis ſacris, vt
„cum omni grege commiſſo pręmia vitæ aſſequamur, vt tibi dicatur à Deo, Euge ſerue bone
„& fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuprà multa te conſtituam, intra cum his omni-
„bus tibi creditis in gaudium Domini tui. Habent hic Gallonij ſimiles, duræ fidei in rebus Benedictinis, vnde aliquantulum diſcant temerarias in hiſtorijs aliarum gentium aſſertiones non tam præfidenter propugnare: habent hic profeſſionem expreſſam, Bedæ venerabilis, ſe, monachoſque omnes & ſanctimoniales omnes ſua ætate per Angliam, imò & per Eccleſiam Latinam eſſe oues de grege Paſtoris Benedicti, Benedicto creditas, ſub ipſo à Deo conſtitutas, cum ipſo in æterna gaudia (ſi eum recte æmulantur) intraturas: Vt iam nemo etiam proteruire cupiens, poſſit negare, iudicio ſaltem venerabilis Bedæ, Gregorium ſuis diſcipulis in Angliam profecturis monaſticam vitam Benedicti regulis informatam tantoperè commendaſſe; vt nemo iam amplius dubitet, apud ſcriptores Gregorio poſteriores, vſque ad tempora, quibus ordo ſanctus Carthuſianorum, & poſtea mendicantium à Deo fuerint ſuſcitati, non aliud ſonare aut ſignificare nomen monachi in literis hiſtorijſque aut canonibus Latinis, quam monachum Benedictinum.

Maneat ergo hinc firmiſſime demonſtratum, quod in ſupra citatis teſtimonijs venerabilis Bedæ ex vita Cuthberti dicitur, conſilium B. Gregorij Auguſtino datum, *Vt ſeorſim à clericis ſuis non degeret; ſed quia monaſterij regulis eruditus fuerat, communem cum illis vitam ageret*: de monaſtica vita ſecundum regulam S. Benedicti dictum eſſe Beda hic profitetur, & praxis ipſa Lindisfarnenſis & Cantuarienſis Eccleſię ab eo producta id confirmat, ſemper enim in vtraque Eccleſia fuere monachi Benedictini. Sed & hunc fuiſſe traditionem totius Angliæ iam longè ante tempora S. Dunſtani, & Odonis docet antiquus autor Aimonius Floriacenſis in vita S. Abbonis (cui ipſe ferè æquęuus extitit) ſcribens: *Interea legatio gentis Anglorum ad Floriacenſe venit cœnobium, poſtulans aliquem ſibi ſapientum concedi virorum. Eadem quippe natio ad amorem S. Benedicti memoratique loci duabus ex cauſis acceßit: vnà quidem, quia beatus Papa Gregorius mißis ad eam fidei Christi prædicatoribus, eiuſdem dilecti Domini Benedicti regulam obſeruandam ſpecialius inculcauit.* Alia erat Oſwaldi in Floriacenſi eccleſia monachatus. Prima illa cauſa manifeſte oſtendit, omnium Anglorum publico perpetuoque conſenſu regulam S. Benedicti a S. Gregorio Anglicis eccleſijs monaſterijſque fuiſſe commendatam. Quidni enim dilectiſſimæ ſibi prouinciæ, cuius tanto zelo ad Chriſtum conuertendæ flagrabat, vt niſi ea Chriſto acquiſita non quieuerit, regulam etiam ſibi dilectam, quam toto orbe Latino à monachis obſeruandam ſtatuerat, commendaret. Quinimo, quod amplius eſt, ita exponendum eſſe ſanctum Gregorij conſilium docuit Alexander Pontifex eius nominis II. vir ſanctus & doctus, circa annum Domini 1608 in reſcripto ad Lanfrancum, quod apud Eadmerum habetur, tenoris ſequentis: Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Reuerendiſſimo fratri
„in Chriſto Lanfranco, venerabili Cantuariorum Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam bene-
„dictionem. Accepimus à quibuſdam venientibus de veſtris partibus ad limina ſanctorum
„Apoſtolorum Petri & Pauli, quod quidam Clerici aſſociato ſibi terrenæ poteſtatis, Laico-
„rum videlicet auxilio, diabolico ſpiritu repleti, moliuntur de Eccleſia ſancti Saluatoris in
„Dorobernia, quæ eſt Metropolis totius Britanniæ, Monachos expellere, & clericos inibi
„ſtatuere. Cui nefario operi molitionis ſuæ hoc adijcere conantur vt in omni ſede Epiſcopali
„ordo monachorum extirpetur, quaſi in eis non vigeat auctoritas religionis. Qua de re ze-
„lo Dei compulſi ſcrutinium de priuilegijs Eccleſiarum fieri præcepimus: & venit ad manus
„ſtatutum Prædeceſſoris noſtri beatæ memorię Gregorij maioris, de Eccleſijs Angliæ, quo-
„modo ſcilicet præcepit Auguſtino gentis veſtræ Apoſtolo, vt eiuſdem ordinis viros, cuius
„& ipſe noſcitur eſſe, poneret in prælata ſede metropolitana. Cuius præceptionis inter alia,

Fuiſſe Gregorij I. cõſiliũ, vt Benedictini ponerẽtur in eccleſijs cathedralibus.

Ex communi traditione Anglorum.

Ex bullis Põtificum antiquorum.

hæc

„ hæc subnexa sunt. Quia tua, inquit, fraternitas monasterij regulis erudita, in Ecclesia An-„ glorum, quæ nuper auctore Deo ad fidem perducta est, hanc debet conuersationē institue-„ re, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his quæ „ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia; Quam communio-„ nis regulam ordini monachorum permaximè congruere, nemo qui dubitat. Hinc habetur „ epistola Bonifacij, qui quartus à B. Gregorio Ecclesiæ Romanæ, cui auctore Deo præside-„ mus, præfuit quam Athelberto regi Anglorum, & Laurentio Archiepiscopo prædecessori „ vestro misit; in qua quibusdam præmissis, huiusmodi censura anathematis vsus est: Glorio-„ se, inquit, fili, quod ab Apostolica sede per coepiscopum nostrum Mellitum postulastis, li-„ benti animo concedimus, id est, vt vestra benignitas in monasterio Dorobernensi ciuitate „ constituto, quod sanctus doctor vester Augustinus beatæ memoriæ Gregorij discipulus „ sancti Saluatoris nomini consecrauit, (cui ad præsens præesse noscitur dilectissimus frater „ noster Laurentius) licenter per omnia Monachorum regulariter viuentium habitationem „ statuat: Apostolica auctoritate decernentes, vt ipsi vestræ salutis prædicatores monachi mo-„ nachorum gregem sibi associent, & eorum vitam sanctis moribus exornent. Quæ nostra „ decreta siquis nostrorum, Regum, siue Episcoporum, Clericorum siue Laicorum irrita fa-„ cere tentauerit, à Principe Apostolorum Petro, & à cunctis successoribus suis anathe-„ matis vinculo subiaceat, quoadusque quod temerario ausu peregit, Deo, placita satisfactio-„ ne pœniteat, & huius inquietudinis vestræ emendationem promittat. Vnde quia ratione „ dictante quieti ecclesiarum vtile esse perspeximus, præsens decretum suprà nominatorum „ Patrum confirmamus, & vice Apostolorum sub eodem anathemate eos cōstringimus, qui-„ cumque huic obuiare contenderint. Hactenus Rescriptum Alexandri Pontificis ad Lanfrancum. Rescriptum autem Bonifacij, cuius partem suo inseruit Pontifex Alexander, habetur integrum apud Gulielmum Malmesberiensem lib. I. de gestis Pontif. Anglor. in historia Cantuariensium Antistitum: & in ipsa bulla scribitur, *missa per manum Melliti Episcopi Londoniensis anno Dominicæ incarnationis 615.*

Ratio cur Gregorius id præceperit discipulis suis.

Quis modestus arbiter manifestius requireret testimonium? Exponit apertissime Gregorij magni præceptum, eo modo quo nos exponendum esse hactenus aliunde probauimus, rationemque reddit apertam; quia vitam communem, quam in exordio ecclesiæ Anglicanæ Gregorius induci cupiebat, cū inter clericos iam omnes ecclesiæ Latinę exoleuisset, facile Augustinum in Anglia posse instaurare iudicauit, qui ipse iamdudum eidem in Monasterio assueuisset, & cooperatores monachos eiusdem instituti monastici professores omnes haberet; ideoque monuit vt vitam Apostolicam, quæ inter clericos alios desueuisset, ipse inter suos Clericos monachos, retineret, & in ecclesijs à se erigendis plantaret. Deinde secundo loco producit decretum Bonifacij quarti, decem tantum annos post Augustini mortem datum, quo sub anathemate instituitur collegium seu capitulum monachorum in Cantuariæ sede metropolitica perpetuo perseueraturum; & expressis verbis asseritur, S. Augustinum Gregorij discipulum, & reliquos prædicatores primos Anglorum eiusdem ordinis fuisse, cuius hoc collegium esse iubetur: cui decreto suæ quoque auctoritatis pondus addit Alexander, prædecessorum suorum vestigijs inhærens: Quis autem nescit monachos, pro quibus Alexander ad Lanfrancum scripsit, fuisse Benedictinos? Quis ignorat bellum illud Clericale illatum monachis in sedibus cathedralibus eo tempore constitutis, illatum fuisse monachis Benedictinis? Quodsi illi Episcopi, acerrimo iudicio viri, qui tantopere laborabant vt monachis de possessione Ecclesiarum cathedralium deturbarent iudicassent vel micam probabilitatis habere sententiam, quæ negaret primos Cātuariæ monachos fuisse Benedictinos: proculdubio excepissent contra Lanfrancum, & rescriptum hoc Pontificium; quod decreta Gregorij & Bonifacij alijs monachis Equitianis, aut alterius cuiuspiam ordinis concessa, nullatenus deberent pro Benedictinis produci; quare ergo hoc non obiecerunt Lanfranco? nisi quia certissimum illis extiterat, nullum aliud genus monachorum ad illa vsque tempora vidisse Angliam, præter monachos regulæ Benedictinæ, & monachos Scotos, qui forte temporibus Augustini nostri nondum vbique regulam susceperant; sed quos tamen certum est nunquam sedisse Cantuariæ, aut in Episcopijs quę Romani monachi erexerunt. Præterea, tam ignarus erat Pontifex Alexander iurium Canonicorum, vt scribenti Lanfranco pro monachis Benedictinis, proferret decreta lata pro alijs monachis, qui habitu & regula, & essentia tota ordinis ab eis essent diuersi? Nam quæ esset hæc rationis consequentia, monachos Benedictinos in possessione ecclesiæ conseruandos, propter decreta Gregorij & Bonifacij, si pro alijs, non pro illis Gregorius & Bonifacius ea decreta condiderunt? Respondissent vtique Lanfranco Walkelinus & Coëpiscopi ac Proceres; monachos illos, quos Gregorius & Bonifacius sedi huic incardinarunt, vtique nec nos, si ibi essent, amoliri niteremur: sed istos illis

Euidenter hinc infertur primos Anglorū prædicatores fuisse Benedictinos.

Grego-

Gregorianis longè recentiores, aut à te Lanfrance, aut ad summum à Dunstano subintroductos nihil iuuant illa decreta; proferantur decreta; quæ monachos Benedictinos nominatim in his sedibus stabiliant ante Dunstani ętatē; & præsertim in hac sede Metropolitica. Sanè ita respondet Gallonius, putatque se bellam rem dixisse, cum Constantino Caetano nostro vrgenti, quomodo Gregorius Augustino regulam monasticam Clericis suis imponendam commendasset, regerit, verum id quidem esse, sed non tamen regulam Benedictinam. Atqui Pontifex Alexander, Benedictinam eam fuisse regulam affirmat, alioquin frustrà hæc Lanfranco rescripsisset; regulam Benedictinam fuisse agnouerant omnes Lanfranci ætate Episcopi proceresque: alioquin nullo negotio contra decreta illa excepissent. Certe enim decretum quod in sede aliqua statueret monachos Augustinianos, ridiculæ obtenderetur à Benedictinis pro eadem sede vendicanda. Benedictinam eam fuisse profitebantur omnes Angli teste Aimonio, ante tempora S. Dunstani, Sanctique Odonis, & longe anterior illis, vt satis probauimus, venerabilis Beda. Et ipsa illa authoritas tanta eligendi Metropolitam totius Angliæ, etiam exclusis reliquis Comprouincialibus Episcopis, quomodo Benedictinis monachis fuisset per pontifices, episcopis contra laborantibus adiudicata: si alios monachos in illa sede priores antiquitas vnquam agnouisset? Ecce tibi, lector beneuole, diploma Innocentij tertij doctissimi fortissimique Papæ super ea controuersia expeditum: Maiores ecclesiæ causas ad sedem Apostolicam referendas, & canonica tradit autoritas, & approbata consuetudo declarat. Cum igitur inter vos & dilectos filios nostros Priorem & monachos Cantuariensis ecclesię, super iure illius Archiepiscopi eligendi controuersia verteretur, proponentibus vobis, quod tum ex iure communi, tum ex antiqua consuetudine, vnà cum illis debetis ipsius Archiepiscopi electionem celebrare: illis autem è contrario respondentibus, quod de iure communi & priuilegio speciali, & de consuetudine probata & antiqua, Cantuariensem Archiepiscopum eligere deberent sine vobis: Lite coram nobis per procuratores idoneos super hoc legitime contestata, diligenter audiuimus, quæ partes in præsentia nostra proponere curauerunt. Pars siquidem vestra & decreta pariter & exempla studuit allegare, quosdam testes producens, & testimoniales literas exhibens, quibus ostendere nitebatur, quod vos tres Metropolitanos elegeratis vna cum illis: cum per literas & attestationes sit probatum, vos & alio loco, & alio tempore, non sine illis electiones huiusmodi celebrasse. Testes autem producti ex parte monachorum legitimè probauerunt, quod Prior & conuentus Cantuariensis ecclesiæ à longis retro temporibus electiones Episcoporum in capitulo suo sine vobis, vsque ad hæc tempora celebrarunt, & easdem obtinuerunt à sede Apostolica confirmari. A nobis etiam & prædecessoribus nostris per priuilegij paginam est statutum, vt decedente Archiepiscopo Cantuariensi, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violētia præponatur, nisi quem communi consilio maior pars monachorum consilij sanioris secundum Dominum, & sacrorum canonum sanctiones prouiderit eligendum. Nos igitur his & alijs, quę coram nobis allegata sunt, auditis, & perspicaciter intellectis, quia constat euidenter, quod vos sine illis, secundum assertionem vestram, eligere non debetis, monachis exclusis vestra non valet electio: & electio monachorum sine vobis celebrata quia à sede Apostolica meruit confirmari, valebat; cumque necessarium fuerit alterutrum confirmare: de communi fratrum nostrorum consilio vobis & successoribus vestris super iure Cantuariensem Episcopum eligendi, silentium perpetuum imponimus; & monachos Cantuarienses ab impetitione ac molestatione vestra & successorum vestrorum per sententiam definitiuam absoluimus, auctoritate Apostolica decernentes, vt monachi Cantuariensis ecclesiæ & successores eorum de cætero Archiepiscopum eligant sine vobis. Datum Romę apud Sanctum Petrum, duodecimo Kalendas Ianuarij Pontificatus nostri anno nono. hoc est, anno Domini 1206. Habemus ecce ex testimonio huius Pontificis Innocentij tertij, & ante ipsum Alexandri secundi, virorum doctrina, fortitudine, & pietate præstantium, monachos Cantuarienses suæ ætatis, illos ipsos esse quoad normā regulamque vitæ, & habitum religionis, legitimamque & immediatam, minimeque interruptam aut interpolatam successionem, quos B. Gregorius per Augustinum, & Bonifacius quartus per Laurentium in Cathedrali ecclesia Cantuariensi voluerunt incardinari; atque Benedictinæ regulæ monachos eos fuisse. Siquidem nemo ignorat monachos, pro quibus decreta sua tulere Innocentius, & Alexander, addo & Ioannem 13 Octauiani antecessorem illis longè antiquiorem, fuisse Benedictinos: ac proinde nemo potest negare, quin hi pontifices, atque adeo Lanfrancus & omnes Angliæ proceres cum illis, sanctus quoque Elphegus & tota illius temporibus Anglia iudicauerint, Benedictinos esse eosdem prorsus habitu regulari, & ordine monachos, cum primis monachis, quos Augustinus & Laurentius in cathedrali ecclesia Cantuariensi iuxta D. Gregorij magni consilium collocarunt. Idem fuisse

Decretum Innocentij 3.

fuisse S. Dunstani, & Episcoporum ac Abbatum, magnificique Regis Eadgari procerumque ipsius iudicium liquido satis apparet, neque enim alios vllos in Anglia monachos ætas Eadgari & Dunstani agnouit quam Benedictinos. Tales prorsus monachos inuenit S. Odo prædecessor Dunstani in Ecclesia Cantuariensi, quales iam ante ætatem Dunstani fuerant: neque enim aut Odo aut Dunstanus monachos in Cantuariensi ecclesia posuerũt, sed eos ibi iam collocatos repererunt: Quare monachatus, sine quo S. Odo se nullatenus Archiepiscopatum suscepturum protestatus est, Benedictinus fuit: quem vt maiori cum reuerentia susciperet, Floriacum, quasi ab ipso S. Benedicto, qui ibi tunc corpore iacebat eum suscepturus adiuit. Non quod Cantuariæ in ecclesia cathedrali monachi nulli fuissent, sed, vt dixi, propter ipsius sancti reuerentiam Benedicti; nam ecce ante ipsum Athelredus ab Augustino decimus octauus, & Wulfredus ab eodem decimus quintus, monachi ædis Christi Cantuariæ fuere; Et notissima est historia litis inter conuentum cathedralem & Augustinianum, de iure sepulturæ Archiepiscopalis, quam Augustinianis monachis debitam, ad se trahere cupiebant Cathedrales: narrabimus summam rei verbis D. Godwini, quibus consentit narratio quoque Parkeri, & Malmesberiensis: *Monachis Augustinianis* (inquit, ad annum 764.) *quam primum Archiepiscopi Bregwini mors innotuit, Lambertus eorum Abbas armato milite stipatus Archiepiscopiũ ingressus, defuncti corpus per vim auferre satagit. Cum vero se dolo iterum circumuentum ac clausum videret* (nam & Bregwinum, & Cuthbertum eius prædecessorem, ipsorum iussu, monachi cathedrales secreto in sua sepeliuerant ecclesia) *iniquissimo id animo ferens, ad Papam appellando futuris huiusmodi conatibus occurrere decreuit. Quapropter ædis Christi monachi, quibus pro veteri consuetudine Archiepiscopi noui eligendi ius competebat; huiusmodi litis sumptum reformidantes, Lambertum antedictum sedi vacanti præfecerunt: sperantes, Augustinianos monachos, in Lamberti sui modo Abbatis gratiam, (id quod reuera factum est) appellationem deserturos.* Ecce igitur omniũ consensione habemus monachorum conuentum cathedralem in ecclesia Cantuariensi, etiam diu ante Odonem, & talium monachorum, qualium ille habitum religionis scrupulo ductus præoptauit, antequam eorum Pastor & Archiepiscopus fieri sustineret. Et illos proculdubio tales fuisse sub Cuthberto, Tatwino Bedæ coætaneo, quis dubitare merito posset? quis enim ausus fuisset illum ordinem seriemque monachatus antiqui in ecclesia Metropolitica interpolare, aut immutare, quem ne immutaret tanto scrupulo cauebat Odo sanctus? Et si quis id ausus fuisset, nullusne prælatorum monachorum (quales omnes ferè tũc per Angliam fuerant Episcopi) ausus fuisset saltem talem nouitatem reprehendere, cum Episcopus Odo, adhuc sæcularis nouitatem similem ita horruisse scribatur? Iam ergo quis non videt, cum hucusque nulla vestigia apparuerint mutati in hac ecclesia primatiali habitus, multo minus posse inueniri sub Archiepiscopis præcedentibus, Brithwaldo Glastoniensis Abbatiæ monacho, quam ex ipso Regis Inæ priuilegio suprà docuimus ante hæc tempora, id est, ante annum 692. quo sedere cœpit, imo ante annum 660. fuisse Benedictinam; Aut sub Theodoro eius prædecessore homine Græco, cui ne quid à Latina ecclesia diuersum, aut Gregorianis discipulis qui vsque ad illum Cantuariæ sederant dissonum faceret aut doceret, Beatus Benedictus Biscopius, & Adrianus Abbas S. Augustini, (Biscopio prius ibidem Abbate vt narrat Malmesberiensis locum cedente, Abbatiamque sibi in proprijs patrimonij fundis alibi fundante) quasi tutores datos existimat Baronius, homines sanè Benedictinos, vt & Baronius, & omnes nostri fatentur historici. Quem ergo hi monachatum, quem ordinem, quam regulam inuenerunt Cantuariæ, nisi quem ibidem plantauerant, Honorius, Iustus, Mellitus, Laurentius, Augustinus, prædecessores sui, omnes D. Gregorij magni discipuli illustrissimi? Cum enim iam habeamus Bonifacio confirmante, Gregorio consulente Augustinum & Laurentium monachos in cathedrali Ecclesia posuisse: quis ita iniquus erit arbiter rerum, vt putet à successoribus statim mutatum, quod tanta authoritate à primis Apostolis nostris viderit stabilitum? præsertim cum nullum in historijs, nullum in traditione, nullum in vllo prorsus totius Angliæ monumento extet vestigium, ex quo talem aliquam mutationem vel suspicari quis posset. Fuerunt ergo Benedictini à primis fidei inter Anglos prædicatæ temporibus monachi Ecclesiæ Cantuariensis. Vnde & consequens est, etiam Benedictinos fuisse, Augustinum, Laurentium, Mellitum, Paulinum, Iustum, cæterosque primos Angliæ Apostolos & prædicatores: tales enim ipsos extitisse monachos, hoc est eiusdem regulæ, atque professionis, cuius erant & monachi in cathedrali cœnobio per eos collocati, satis clarè docet, & expressè rescriptum Bonifacij quarti: *Apostolica*, inquit, *authoritate decernentes, vt ipsi vestræ salutis prædicatores monachi monachorum gregem sibi associent, & eorum vitam sanctis moribus exornent*; hoc est, conuentum monachorum sibi similium in ecclesia Cathedrali statuant, ijsdemque, quibus ipsi assueuerunt, regularibus disciplinis instituant; hoc est, artibus & ob-

Euidentissima deductio.

seruantijs

ſeruantijs regulæ Benedictinæ; Tales fuiſſe docet reſcriptum Alexandri Pontificis: expreſſe enim affirmat; *Scrutinio diligenti facto in Romanis archiuis, veniſſe in manus ſtatutum beatæ memoriæ Gregorij maioris de eccleſiis Angliæ, quomodo præcepit Auguſtino gentis Anglorum Apoſtolo, vt eiuſdem ordinis viros, cuius & ipſe noſcebatur eſſe, poneret in eccleſia Metropolitana.* Et quia monachi, pro quibus ſcripſit Alexander, erant iſtorum (quos Gregorius poni ibidem præcepit, ſucceſſores, nec hoc vllus iſtorum, qui contra monachos ipſos agebat, dubitare poterat, propterea pro illis contra iſtos ſententiam pronunciauit. Atqui iam eſt euidenti ſatis deductione monſtratum ab ipſo Alexandri tempore, ad vſque tempus Auguſtini, hos monachos cathedrales ſemper fuiſſe Benedictinos: vnà igitur demonſtratum eſt eiuſdem ordinis ac regulæ fuiſſe Auguſtinum, Laurentium, Iuſtum, Paulinum, Mellitum, omneſque primos Anglorum in ſaluberrima fide Chriſtiana Protodoctores Patres & Apoſtolos. Atque ita ſatis apparet quam regulam intellexit venerabilis Beda, cum Cuthbertum ſanctum *de regula* introducit in *conuentu diſputantem*; quam regulam intellexerit S. Gregorius in Epiſtola ad Ethelbertum Regem, cum dicat Auguſtinum *in monaſterij regula eruditum*; quamnam etiam intelligat in reſcripto ad ipſum Auguſtinum, in quo dicit ipſum *monaſterij regulis eruditum*; nempe regulam S. Benedicti, quam quia multas regulas, multas ordinationes, leges, præcepta, præſcripta de omnibus agendis (vt loquimur) monaſticis continet, regulas monaſterij vocauit: quam regulam ipſemet Gregorius (ſequitur enim hoc aperte ex prædictis) profeſſus eſt, quandoquidem non aliam Auguſtinus Præpoſitus, aliam Gregorius Abbas eiuſdem monaſterij, ſed vnam penitus eandemque regulam ambo profeſſi ſunt.

§. 18. Quarta demonſtratio, ex ipſa appellatione monachorum nigrorum, & diſſentione exorta cum Scottis circa ritus eccleſiaſticos.

QVÆ deinceps producentur rationes, non tam ad probandam noſtræ ſententiæ veritatem, quæ luce clarius iam eſt demonſtrata; quam ad eam ornandam, & congruis cōiecturis amplificandam valebunt. Etenim tam antiqua eſt Benedictini inſtituti apud Anglos gloria, vt inde primum omnium exiſtimemus appellationem ordinis Benedictini Nigrorum per reliquam Europam fuiſſe diffuſam. Certe (vt noſtri iudicij rationem reddamus) nos ſaltem nuſquam huius appellationis mentionem tam antiquam inuenimus, quam quæ eſt in diplomate regis Ethbaldi, in appendice, ſcrip. 38. pag. 45. Vbi rex inſulam Croylandiæ ſe donare deo profitetur, *ad fundationem monaſterij nigrorum monachorum ſub norma ſancti Benedicti*; Nec tum demum exortam illam appellationem, hoc eſt anno 716, quo diploma hoc expeditum eſt, ſed iam dudum in monaſterijs Anglicis receptum inſinuat expreſſe, dum ait, *Se quendam cœnobitam Eueshamenſem probatæ religionis virum, nomine Kenulphum, vt ſecum eiuſdē ordinis monachos probatos ibidem congregaret, Abbatem conſtituiſſe.* Clariſſimè ergo ex hoc regio diplomate monſtratur, iamdudum per Angliam appellationem ordinis monachorum nigrorum S. Benedicti vſurpatam fuiſſe, etiam diu ante annum. 716. quo hoc diploma ſcripſit Ethbaldus Rex (quo & V. Beda annum agens, 15. monachilia iam per octo annos in cœnobio Giruienſi geſtauerat, atque adeo ipſo Apoſtolorum noſtrorum ſæculo, quorum vltimus Paulinus non ante annum 644. defunctus eſt. Certe monaſterium S. Eguini Eueshamenſe fuiſſe monachorum nigrorum dicit in hoc priuilegio rex Ethbaldus: S. Eguinum ante monaſterij illius Eueshamenſis fundationem, Benedictinum fuiſſe omnes fatētur, & ex legenda ipſius, (cuius ſcriptor eſt Birthwaldus Cantuariēſis Archiepiſcopus ab Auguſtino ſeptimus) ſtudioque eius & deuotione erga S. Benedictum manifeſtum eſt; quinimo alia monaſteriola habuiſſe, quibus præfuerat, quæque pro fundis Eueshamenſi eccleſiæ addicendis commutauerat, in ipſo fundationis inſtrumento fatetur. Concurſus denique Abbatum Benedictinorū ad eccleſiæ dedicationem præſertim S. Wilfridi regulæ Benedictinæ per regnum Northumbriæ, (quod tunc temporis magnā partem illius prouinciæ habebat, quam nunc Scoti recentiores occupant) propagatoris acerrimi, qui officium dedicationis exequi voluit, id ipſum clamat. Eandem autem nigrorum monachorum appellationem memorat ab Ethbaldo vſurpatam vnus ex eius poſteris, Edredus rex, in priuilegio Croylandiæ ad annum Domini nongenteſimum quadrageſimum octauum conceſſo: *Recolens* (inquit in priuilegio, quod eſt in app. ſcrip. 39. pag. 46.) *ibi cœnobium nigrorum monachorum ordinis S. Benedicti à nobili Rege Merciorum Ethelbald nomine, quondam Alwionis filio eſſe fundatum, affluenter ditatum, & regalibus*

Appellatio Nigrorum exorta in Anglia.

libus priuilegijs sufficienter munitum: vt per inspectionem chartarum eiusdem Ethelbaldi, ad securitatem dictorum monachorum compositarum, satis erat concilio meo declaratum. Existimamus igitur, hanc appellationem, *Ordinis nigrorum monachorum* S. *Benedicti*, in Anglia cœpisse, & ex ea ad alias prouincias promanasse; quia in Anglia maior extitit occasio, & fere necessaria, quam extra eam in Europa reliqua, distinctiua hac appellatione vtendi; Nempe vt monachos Romanos, qui auctoritate D. Gregorij fidem Anglis primi prædicabant, & Romanæ ecclesiæ traditionem ritumque per omnia sequebantur, distinguerent fideles à monachis Britonum & Scottorum, qui in paschatis obseruantia, rituque tonsuræ ecclesiasticæ à Romana ecclesia dissentiebant. Britones autem & Scotti monachi colore vestium albicante seu natiuo ipsius velleris, qui ad albedinem plerumque accedit, vtebantur in vestibus: idque ità constanter, vt etiam Lindisfarnenses monachi, à Scottis primum educati, postquam S. Cuthberti patientia & assiduitate (vt suprà tetigisse meminimus) ad Benedictinam regulam suscipiendam fuerunt inducti, adhuc tamen colorem illum natiuum lanæ in vestimentis diu postea retinuerint. Igitur vt Romanorum rituum assertores monachi, ab alijs appellatione facili internoscerentur, à colore nigro habitus, monachi nigri cœperunt deinceps vocari.

Ratio & occasio huius appellationis.

Quæ & quanti momẽti fuerit controuersia de pascha.

Occasionem autem distinctionis necessariam diximus, magis quam in cæteris Europæ prouincijs, quia in illis nulla prorsus erat in ecclesiasticis ritubus dissensio, propter quam vlli à fideli plebe vitandi forent: at Hiberni Britonesque nimium pertinaciter in his à Romana ecclesia dissidebant, vt sæpius ea de re ab Augustino primum, à Laurentio deinde moniti, postea à S. Wilfrido publica collatione confutati, vix ac ne vix quidem resipuerint tandem, prædicantibus in Huensi præcipuo ipsorum monasterio, Ecberto, in Hiberniæ vero Australibus partibus Adamanno conciue suo, alijsque Romani ritus monachis, hoc est, vt iam probatum eo ipso relinquitur, Benedictinis. Fuisse autem non leuem hanc contentionẽ nec de re parui momenti, sed maximi omnino ponderis docet primò ipsa historica narratio, „Venerabilis Bedæ: lib. 3. c. 25. His temporibus (*inquit*) quæstio facta est frequens & „magna de obseruatione Paschæ; confirmantibus eis, qui de Cantia vel de Gallijs aduene„rant, quod Scoti Dominicum Paschæ diem contrà vniuersalis ecclesiæ morem celebrarent. „Erat in his acerrimus veri Paschæ defensor, nomine Ronan, natione quidem Scottus, sed „in Galliæ vel Italiæ partibus regulam ecclesiæ veritatis edoctus: qui cum Finano confligẽs, „multos quidẽ correxit, vel ad solertiorem veritatis inquisitionem accendit; nequaquam „tamen Finanũ emendare potuit, quin potius, quod esset homo ferocis animi, acerbiorem „castigando, & apertum veritatis aduersarium reddidit. Obseruabat autem Iacob diaconus „quondam, vt docuimus, venerabilis Archiepiscopi Paulini verum & catholicum Pascha, „cum omnibus quos ad correctionis viam erudire poterat. Obseruabat & Regina Eanfled „cum suis iuxta quod in Cantia fieri viderat, habens secum de Cantia presbyterũ catholicę „obseruationis nomine Romanum. Vnde nonnumquam contigisse fertur illis temporibus, „vt bis in anno vno pascha celebraretur: & cum Rex Pascha Dominicum solutis ieiunijs fa„ceret, tunc Regina cum suis persistens adhuc in ieiunio, diem palmarum celebraret. His verbis præcipuum (vt solemus dicere in scholis) punctum & articulum ipsum controuersiæ tetigit Beda: nempe, quod non vno & eodem die, quo ecclesia Romana, celebrarent Scoti Pascha. Non tamẽ inde sequitur eos in Quartadecimanorum hæresim cecidisse, vt aliqui imperite existimant; apertè enim contrarium docet Beda lib. 3. c. 4. de ipsis loquens: „In tempore quidem summæ festiuitatis dubios circulos sequentes, vtpote quibus longè „vltrà orbem positis, nemo synodalia paschalis obseruantiæ decreta porrexerat. Et *infra*: „Quem tamen non semper in luna quartadecima cum Iudæis, vt quidam rebantur: sed in „die quidem Dominica; alia tamen, quàm decebat, hebdomada, celebrabant. Sciebant „enim vt Christiani, resurrectionem Dominicam, quæ prima sabbati facta est, prima sabbati „semper esse celebrandam: Sed vt barbari & rustici, quando eadem prima sabbati, quæ „nunc Dominica dies cognominatur, veniret, minimè didicerant. Et eiusdem libri cap. 17. cum multa insignia de virtutibus Aidani prædicasset: Hæc (*inquit*) in præfato Antistite „multum complector & amo, quia nimirum hæc Deo placuisse non ambigo. Quod autem „pascha non suo tempore obseruabat, vel canonicum eius tempus ignorans; vel suæ gẽtis „auctoritate, ne agnitum sequeretur, deuictus, non approbo, nec laudo. In quo tamen hoc „approbo, quia in celebratione sui paschæ, non aliud corde tenebat, venerabatur, & præ„dicabat, quam quod nos: id est redemptionem generis humani per passionem, resurre„ctionem, ascensionem in cœlos mediatoris Dei & hominum hominis Iesu Christi. Vnde „& hanc non vt quidam falso opinantur, quartadecima luna in qualibet feria cum Iudæis, sed

In quo errabãt Scoti.

Error erat venialis.

„sed die Dominica semper agebat, à luna quartadecima vsque ad vicesimam; propter fidē
„videlicet Dominicæ resurrectionis, quam vna sabbati factam; propter spem nostræ resur-
„rectionis, quam eadem vna sabbati, quæ nunc Dominica dies dicitur, veraciter futuram
„cum sancta ecclesia credebat. Ergo non erant isti hæretici quartadecimani, quia non in
quamcumque feriam incidisset luna quartadecima, in ea pascha celebrabant; sed in Domi-
nica die semper; At errabant, quia non in ea Dominica, in qua cum tota ecclesia debebant;
Et hic error primò quidem in illis tolerabatur: Sic enim Beda: lib. 3. c. 25. *Hæc autem disso-
nantia paschalis obseruantiæ viuente Aidano, patienter ab omnibus tolerabatur: quia patenter intelle-
xerant, quia etsi pascha contra morem eorum qui ipsum miserant, facere non potuit; opera tamen fidei,
pietatis & dilectionis, iuxta morem omnibus sanctis consuetum, diligenter exequi curauit. Vnde ab om-
nibus, etiam his qui de Pascha aliter sentiebant, merito diligebatur; nec solum à mediocribus verum ab
ipsis quoque Episcopis: Honorio Cantuariorum, & Fælice orientalium Anglorum, venerationi habitus
est.* At cum iam satis manifeste videre potuissent, consuetudinem suam vniuersalis ecclesiæ
obseruantiæ repugnare, nec tamen ab ea vellent desistere, iam non amplius tolerari debebāt:
vt rectè & discretissimè contrà Colmanum Wilfridus, in eodem capite à Beda disputans in-
„troducitur: De patre autem vestro Columba (*inquit*) & sequacibus eius, quorum sancti- Donec consti- tit illis de contraria ecclesię consuetudine.
„tatem vos imitari, & regulam ac præcepta cœlestibus signis confirmata sequi perhibetis;
„possem respondere, quia multis in iudicio dicentibus Domino, quod in nomine eius pro-
„phetauerint, & dæmonia eiecerint, & virtutes multas fecerint, responsurus sit Dominus,
„quia nunquam eos nouerit. Sed absit vt de patribus vestris hoc dicam: quia iustius multo
„est de incognitis bonum credere, quam malum. Vnde & illos Dei famulos, ac Deo dilectos
„esse non nego, qui simplicitate rustica, sed intentione pia, Deum dilexerunt. Neque illis
„multum obesse Paschæ talem reor obseruantiam, quamdiu nullus aduenerat, qui eis insti-
„tuti perfectioris decreta, quæ sequerentur, ostenderet: quos vtique credo, si quis tunc ad
„eos catholicus calculator adueniret, sic eius monita fuisse sequuturos, quomodo ea quæ Tunc enim nō amplius debebāt tolerari.
„nouerant, ac didicerant, Dei mandata probantur fuisse sequuti. Tu autem & socij tui, si
„audita decreta sedis Apostolicæ, imo vniuersalis ecclesiæ, & hæc literis sacris confirmata,
„sequi contemnitis, absque vlla dubietate peccatis. Etsi enim patres tui sancti fuerunt, nun-
„quid vniuersali quæ per orbem est, Christi ecclesiæ, horum est paucitas vno de angulo ex-
„tremæ insulæ præferenda? Et, si sanctus erat ac potens virtutibus ille Columba vester, imò
„& noster, si Christi erat, nunquid præferri potuit beatissimo Apostolorum Principi, cui
„Dominus ait, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ in-
„feri non pręualebunt aduersus eam; & tibi dabo claues regni cælorum? Hæc perorante
„Wilfrido dixit rex Oswius: Verè ne Colmanne, hæc illi Petro dicta sunt à Domino? Qui Quod ipse Rex Oswius euidenter conuicit.
„ait, verè, rex. At ille: Habetis, inquit, vos proferre aliquid tantæ potestatis vestro Colūbæ
„datum? At ille ait; Nihil. Rursum autem rex: Si vtrique vestrum, inquit, in hoc fine vlla,
„controuersia consentiunt, quod hæc principaliter Petro dicta, & ei claues regni cælorum
„sunt datæ à Domino? Responderunt; Etiam, vtrique. At ille ita conclusit: Et ego vobis
„dico quia hic est ostiarius ille, cui ego contradicere nolo, sed in quantum noui vel valeo,
„huius cupio in omnibus obedire statutis: ne forte me adueniente ad fores regni cœlorum,
„non sit, qui reseret, auerso illo, qui claues tenere probatur. Hæc dicente rege, fauerunt
„assidentes quique necnon astantes, maiores vnà cum mediocribus: & abdicata minus perfecta
„institutione, ad ea, quæ meliora cognouerant, sese transferre festinabant. Cæterum iam
ita ventilata hac controuersia, agnitaque eius veritate, cœperunt qui pascha catholicum non
seruabant, à reliquis per Angliam catholicis vitari, pene tanquam schismatici; Testantur Propterea deinceps vitabātur à catholicis
hoc ipsa diplomata Regalia, & Episcopalia, quę tunc expediri solebant: Quare Ina Rex in
priuilegio concesso Glastoniæ, quod superius, §. 12. posuimus, statuit: *Abbas, vel monachi à
quocumque voluerint, Episcopo, qui pascha canonicum celebret, ecclesiastica sacramenta in Glaston
ecclesia, aut ecclesijs sibi subiectis percipiant.* Quo ipso excipit Episcopos Britonum, qui adhuc à
ritu catholico paschæ dissentiebant. Sanctus vero Cuthbertus, in vltima ad monachos fra-
tres suos admonitione, hoc ipsum obseruauit: *Cum alijs* (inquit apud Bedam vitæ eius cap.
39.) *Christi seruis mutuam habetote concordiam, nec venientes ad vos hospitalitatis gratia domesticos
fidei* (verba sunt regulæ nostræ cap. 53.) *habeatis contemptui, sed familiariter ac benignè tales sus-
cipere, tenere, ac dimittere curate; nequaquam vos meliores arbitrantes cæteris eiusdem fidei & vitæ
consortibus. Cum illis autem, qui ab vnitate catholicæ pacis, vel pascha non suo tempore celebrando,
vel peruerse viuendo aberrant, vobis sit nulla communio.* Et hinc quidem abundè satis constat, quę Cōtrouersia de tonsura.
fuerit, quantique momenti discrepantia Scotorum Britonumque Romanis monachis An-
glorum prædicatoribus, in obseruantia paschalis solemnitatis. Altera dissensio fuit de co-

ronæ eccleſiaſticæ & monaſticæ tonſura, de qua audiamus S. Benedictum Biſcopium in epi-
ſtola ad Naitanum Regem Pictorum Septentrionalium (quem ea epiſtola ad ritum catho-
licum conuerſum narrat Beda lib. 5. cap. 22. Verum his de paſcha ſuccinctè (*inquit*) vt peti-
„ ſtis ſtrictimque commemoratis, tonſuram quoque (de qua pariter vobis literas fieri vo-
„ luiſtis) hortor vt eccleſiaſticam, & Chriſtianæ fieri congruam habere cutetis. Et quidem
„ ſcimus, quia neque Apoſtoli omnes vno eodéque ſunt modo attonſi, neque nunc eccleſia
„ catholica, ſicut vna fide ſpe & charitate in Deum conſentit: ita etiam vna atque indiſſimili
„ totum per orbem tonſuræ ſibi forma congruit. *Eſt poſtea*: Verum ſi profiteri nobis liberum
„ eſt, quia tonſuræ diſcrimen non noceat, quibus pura in Deum fides. & charitas in proxi-
„ mum ſyncera eſt, maximè cum nunquam patribus catholicis, ſicut de paſchæ vel fidei di-
„ uerſitate conflictus, ita etiam de tonſuræ differentia legatur aliqua fuiſſe controuerſia; In-
„ ter omnes tamen quas vel in eccleſia, vel in vniuerſo hominum genere reperimus tonſuras,
„ nullam magis ſequēdam nobis, amplectendamque iure dixerim ea, quam in capite ſuo ge-
„ ſtabat ille, cui ſe confiſtenti Dominus ait; Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo
„ eccleſiam meam, & portæ inferi non pręualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni
Catholici attonſi vt S. Petrus; Scoti vt Simon Magus.
„ cęlorum. Nullam verò magis abominandam deteſtandamque merito cunctis fidelibus cre-
„ diderim ea, quam habebat ille, cui gratiam ſancti-ſpiritus comparare volenti, dicit idem Pe-
„ trus, pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſi-
„ deri. *Eſt poſtea*: Sicut enim omnis eccleſia, quæ per mortem ſui viuificatoris eccleſia facta
„ eſt, ſignum ſanctæ crucis eius in fronte portare conſueuit, vt crebro vexilli huius manimine
„ à malignorum ſpirituum defendatur incurſibus; crebra huius admonitione doceatur ſe
„ quoque carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs crucifigere debere: ita etiam oportet
„ eos, qui vel monachi votum, vel gradum clericatus habentes, arctioribus ſe neceſſe habent
„ pro Domino continentiæ frænis aſtringere, formam quoque coronæ, quam ipſe in paſſione
„ ſua ſpineam portauit in capite (vt ſpinas ac tribulos peccatorum noſtrorum portaret, id
„ eſt, exportaret & auferret à nobis) ſuo quemque in capite per tonſuram præferre; vt ſe
„ etiam irriſiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo ſufferre ipſo etiam fron-
„ tiſpicio doceant; vt coronam vitæ æternæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, ſe ſemper
„ expectare, proque huius perceptione & aduerſa mũdi & proſpera contemnere deſignent.
Qualis corona Magi.
„ Cæterum tonſuram eam, quam Magum ferunt habuiſſe Simonem, quis rogo fidelium non
„ ſtatim cum ipſa magia primo deteſtetur, & merito exufflet? quæ ſaſpectu, in frontis qui-
„ dem ſuperficie coronæ videtur ſpeciem præferre, ſed vbi ad ceruicem conſiderando perue-
„ neris, decurtatam eam, quam te videre putabas, inuenies coronam. Vt merito talem Simo-
„ niacis, & non Chriſtianis, habitum conuenire cognoſcas, qui in pręſenti quidem vita à de-
„ ceptis hominibus putabuntur digni perpetuæ gloria coronæ, ſed in ea, quæ hanc ſequitur
„ vitam, non ſolum omni ſpe coronę priuati, ſed æterna inſuper ſunt pœna damnati. Neque
„ vero me hæc ita proſequutum æſtimes, quaſi eos qui hanc tonſuram habent condemnãdos
„ iudicem, ſi fide & operibus vnitati catholicæ fauerint: imo confidenter profiteor, pluri-
„ mos ex eis ſanctos ac Deo dignos extitiſſe. Quare ergò? ſequitur poſtea in verbis, quæ re-
fert ſe ad Adamannum dixiſſe: Iudicio ſit, quod ea, quæ Apoſtoli Petri ſunt in abdito cordis
„ amplectimini, ſi, quæ eius eſſe noſtis, etiam in facie tenetis. Namque prudentiam tuam fa-
„ cillimè iudicare reor, quod aptius multo ſit, eius quem toto corde abominaris, cuiuſque
„ horrendam faciem videre refugis, habitum vultus à tuo vultu iam Deo dicato ſeparare: &
„ è contra eius, quem apud Deum patrem habere patronum quæris, ſicut facta vel monita
„ cupis ſequi, ſic etiam morem habitus te imitari condeceat. Hæc venerabilis Beda, ex ſancti
patris ſui Ceolfridi epiſtola retulit, quæ oportuit nos ita prolixe referre, vt intelligeretur cō-
trouerſia de ritibus Paſchæ, & tonſuræ, quæ inter eos verſabatur. Et patet quidem ex illis,
Qualis differētia in Paſchate.
differentiam in eo extitiſſe; quod in paſcha quidem diſſiderent, fere eodem modo, quo nũc
nouatores à catholicis, dum calendarium eccleſiæ admittere recuſant, eo præcipue, quia ab
eccleſia catholica præſcriptum eſt; in tonſura autem, quia Romani monachi & clerici inte-
gram rotundamque coronam per totum caput ità geſtabant, vt infrà, ſupraque coronam
raſi eſſent; Scoti autem Britoneſquę monachi ſemi-coronam tantum geſtarent quæ frontem
Qualis in tonſura.
vſque ad aures tantum occuparet, caput autem reliquum non raſum, ſed paulatim vſque ad
verticem attonſum geſtarent, quem tonſuræ modum Simonem magum geſtaſſe catholici
obijciebant. Et vtraque quidem diſſonantia (vt vidimus) initio tolerabatur, quia nulla erat
in alijs rebus fidei diſſenſio; & in iſtis ex ignorantia magis ruſticæ ſimplicitatis quam ex vo-
luntatis pertinacia errabatur; at poſtquam iam ſufficienter detecta eſſet vtriuſque cęremonię
difformitas ab eccleſiæ vniuerſalis ritu: non iam amplius ignorantiæ, ſed obſtinationi re-

putari

putari debent, quod in eis mallent perseuerare, quam cum reliquis fidelibus in ritubus publicis conspirare. Et quidem etiam ipsi Deo displicuisse illam eorum in hac difformitate obstinatam voluntatem, satis apparet ex eorum conuersione per diuinæ reuelationis iussionem suscepta & effecta, quam narrat Beda lib. 5. cap. 10. vbi cum Egberti apparatum pro suscipienda prædicatione Euangelij inter Saxones, narrasset; ait: Venit die quadam mane primo
„ ad eum (*Egbertum intelligit*) vnus de fratribus, discipulus quondam in Britannia, &
„ minister Deo dilecti sacerdotis Boisili (cum esset idem Boisil Præpositus monasterij Mail-
„ rosensis sub Abbate Eatta vt supra notauimus) referens ei visionem, quæ sibi eadem nocte
„ apparuisset Cum expletis (inquiens) hymnis matutinalibus in lecto membra deposuissem,
„ ac leuis mihi somnus obrepsisset, apparuit magister quondam meus, & nutritor amantissi-
„ mus Boisil, interrogauitque me an eum cognoscere possem? aio, etiam; Tu es enim Boisil:
„ At ille ad hoc, inquit, veni, vt responsum Domini saluatoris Egberto afferam, quod te tamē
„ referente oportet ad illum venire; Dic ergo illi, quia non valet iter, quod proposuit, im-
„ plere: Dei enim voluntas est, vt ad Columbę monasteria magis docenda pergat. Erat au-
„ tem Columba primus doctor fidei Christianæ transmontanis Pictis ad Aquilonem, pri-
„ musque fundator monasterij, quod Hu insula multis diu Scotorum Pictorumque populis
„ venerabile mansit. Qui videlicet Columba nunc à nonnullis composito à cella & Columbę
„ nomine Columcelli vocatur. Audiens autem verba visionis Egbertus, præcepit fratri qui
„ retulerat, ne cuiquam hæc alteri referret, ne forte illusoria esset visio. Ipse autem tacitus
„ rem considerans, veracem esse timebat: nec tamen à parando itinere, quo ad gentes docen-
„ das iret cessare volebat. At post paucos dies rursus venit ad eum præfatus frater dicēs, quia
„ & ea nocte sibi post expletas matutinas Boysil per visum apparuerit dicens, quare tam ne-
„ gligenter ac tepide dixisti Egberto, quæ tibi dicenda præcepi? At nunc vade & dic illi, quia
„ velit nolit, debet ad monasteria Columbæ venire, quia aratra eorum non rectè incedunt:
„ oportet autem eum ad rectum hæc tramitem reuocare. Qui hæc audiens, denuo præcepit
„ fratri, ne hæc cuiquam patefaceret. Ipse autem, tametsi certus est factus de visione, nihi-
„ lominus tentauit iter dispositum cum fratribus memoratis incipere. Cumque iam naui
„ imposuissent, quæ tanti itineris necessitas poscebat, atque opportunos aliquot diebus ven-
„ tos expectarent: facta est nocte quadam tam sæua tempestas, quæ perditis nonnulla ex
„ parte his, quæ in naui erant, rebus, ipsam in latus iacentem inter vndas relinqueret. Sal-
„ uata sunt tamen omnia, quæ erant Ecberti & sociorum eius. Tum ille, quasi propheticum
„ illud dicens, quia propter me est tempestas hæc, subtraxit se illi profectioni, & remanere
domi passus est. Hactenus voluntas Domini per visum tantum narrata: iam quomodo per euentum fælicem fuerit comprobata, audiamus ab ipso Beda eodem lib. cap. 22. & 23. Vbi primum narrat conuersionē Pictorum Septentrionalium ad ritum catholicum per Ceolfridi magistri sui prædicationem, his verbis, de Rege Pictorum loquens: Statim namque iussu pu-
„ blico mittebantur ad transcribendum, discendum, obseruandum, per vniuersas Pictorum
„ prouincias circuli paschæ decēnouēnales, obliteratis per omnia erroneis octoginta & qua-
„ tuor annorum circulis. Attondebantur omnes in coronam ministri altaris ac monachi: &
„ quasi nouo se discipulatui beatissimi Apostolorum principis subditam, eiusque tutandam
„ patrocinio gens correcta gaudebat. *Deinde prosequitur & Scotorum Hiensium corre-
„ ctionem*: Nec multo post illi quoque, qui insulam Hiu incolebant, monachi Scoticæ na-
„ tionis, cum his, quæ sibi erant subdita, monasterijs, ad ritum Paschæ ac tonsuræ canonicū,
„ Domino procurante, perducti sunt. Siquidem anno ab incarnatione Domini septingen-
„ tesimo sexto, cum venisset ad eos de Hybernia Deo amabilis & cum omni reuerentia no-
„ minandus pater ac sacerdos Ecbertus, honorifice ab eis, & multo cum gaudio est suscep-
„ tus. Qui quoniam & doctor suauissimus, & eorum, quæ agenda docebat, exequutor erat
„ deuotissimus, libenter auditus ab vniuersis, immutauit pijs ac sedulis exhortationibus in-
„ ueteratam illam traditionem parentum eorum; (de quibus Apostolicum illum licet profer-
„ re sermonem, quod æmulationem Dei habebant, sed non secundum scientiam) catho-
„ licoque illos atque Apostolico more celebrationem (vt diximus) pręcipuæ solemnitatis
„ sub figura coronæ perpetuæ agere perdocuit. Id est, docuit & persuasit, pascha ritu Romano celebrare, & coronam perfecte rotundam in capite, supra infraq; coronam ipsam raso gestare; reiecta tonsura semicoronæ quam antea descripsimus. *Et postea*: Susceperunt autem
„ Hienses monachi, docente Ecberto, ritus viuendi catholicos, sub Abbate Duunchado,
„ post annos circiter octoginta, ex quo ad prædicationem Anglorum (*in regno Northumbriæ
„ ipsis contiguo*) Aidanum miserant Antistitem. Mansit autem vir Domini Ecbertus annos
„ tredecim in præfata insula, quam ipse velut noua quadam relucente gratia ecclesiasticæ

Vterq; error Scotorū diuina reuelatione emendatus.

 societatis

„ societatis & pacis, Christo consecrauerat: annoque incarnationis Dominicæ septingentesimo vicesimo octauo, quo Pascha Dominicum octaua Kalend. Maiarum die celebrabatur, cum missarum solemnia in memoriam eiusdem Dominicæ resurrectionis celebrasset, eodem die & ipse migrauit ad Dominum, ac gaudium summæ festiuitatis, quod cum fratribus, quos ad vnitatis gratiam conuerterat, inchoauit, cum Domino & Apostolis cęterisque cœli ciuibus compleuit. Erat tunc Beda, qui hæc scribit, annum agens quasi vigesimum septimum, de rebus exploratis sine dubio fidelissimus relator. Soli adhuc monachi Britonum (eorum qui non erant sub Anglorum Regum imperio) tempore venerabilis Bedæ, *adhuc inueterati* (inquit cap. 23. lib. 5.) *& claudicantes à semitis suis & capita fieri sine corona prætendunt, & solemnia Christi, sine Ecclesiæ Christi societate venerabantur.*

Hæc omnia tam diffusè ex V. P. nostro Beda deduximus, primo quidem, vt constaret, quanta esset dissonantia in ritubus ecclesiasticis inter monachos Britonum, Scotorumque qui iam diu ante Anglos fidem suscepissent, & Monachos Romanos primos præcipuosque Anglorum prædicatores & Apostolos. Deinde vt appareret, quamuis dissonantia illa tamdiu fuerit in Britonibus Scotisque venialis, quamdiu non fuerit apud eos aliquis, qui eam in viā veritatis reduceret; postea quam tamen admoniti fuissent, consuetudinem suam sedis Apostolicæ obseruantiæ repugnare, iam errorem perniciosum illis ob pertinaciam esse cœpisse; atque adeò vt diuino monitu Ecbertus missus fuerit ad Scotos, qui minus pertinaciter errassent, ab errore conuertendos mitteretur. Minus autem pertinaciter errauisse Scotos ex eo cum venerabili Beda recte colligitur, quam Britones; quia Scoti fidei notitiam, quam habebant, Anglis adhuc paganis summa charitate maximaque diligentia instillare non desistebant, cum Britones viciniores (fortasse ob ereptam sibi Angliæ fertilem glebam odio nimis indulgentes) Euangelij gratiam Anglis communicare nunquam voluerint. Reuocati autem postea & ipsi, tempore Alfredi Regis videntur, cum Asserus Abbas Bangorensis apud Regē gratia florens, cum multis subsidijs regalibus, afflictæ genti suæ etiam communionem catholicam videatur aut intulisse, aut certe valde confirmasse. Tandem ideo hæc tā prolixe retexuimus, vt pateret causa cur monachi Angli appellarentur Nigri monachi Ordinis S. Benedicti; nimirum vt ista appellatione à monachis Scotorum & Britonum, qui albicante colore vtebantur, distinguerentur, Sciretque plebs fidelis, qui in exordijs fidei apud Anglos præcipuo quodam affectu Ecclesiasticos viros venerabatur, quos prædicatores audire, à quibus cauere deberet; Quia licet Britones Scotique in doctrina fidei non errarent, in societatis tamen Ecclesiasticæ catholica vnitate nondum omnino versabantur; non quidem extrà eum permanentes, vt essent omnino schismatici; sed tamen ita ab ea dissidentes, vt peccarent, & periclitarentur de salute propter defectum omnimodæ vnitatis; quæ tanti debuit à Christianis fieri, (quemadmodum ex S. Cuthberti admonitione vidimus) vt vitare etiam tenerentur eos, qui quomodolibet in hac vnitatis professione claudicarent.

Hinc monachi Benedictini appellati nigri.

Iam vero animaduertendum est diligenter, controuersiam istam non fuisse primum omnium à S. Wilfrido eiusque socijs contra Lindisfarnenses monachos & Scotos post Aidani decessum suscitatam: Sed in exordio prædicatæ Anglis fidei ab ipso Apostolo Anglorum Augustino cum Britonibus monachis disceptatam. Ea narratio tametsi apud Venerabilem Bedam lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ cap. 2. habeatur: quia tamen non omnibus est in manu opusculum illud Bedæ, & nobis aliqua sunt in illius verbis notanda, quæ & ad rem nostram, & Apostolatus Benedictini gloriam faciunt iudicauimus lectores ad ipsum non esse remittendos, sed totum ipsum caput recitandum, vt hic haberent, quod legerent. Ait ergo vir venerabilis. Interea Augustinus adiutorio vsus Edilberti regis, conuocauit ad suum colloquium Episcopos siue doctores maximæ & proximæ Britonum prouinciæ, in loco vbi vsque hodie, Augustinis, Ac, id est robur (seu quercus) Augustini, in confinio Wicciorum & occidentalium Saxonum appellatur. Cœpitque eis fraterna admonitione suadere, vt pace catholica secum habita, communem Euangelizandi gentibus pro Domino laborem susciperent. Non enim Paschæ diem Dominicum suo tempore; sed à decimaquarta vsque ad vicesimam lunam obseruabant: quæ computatio octoginta quatuor annorum circulo continetur. Sed & alia plurima vnitati ecclesiæ contraria faciebant. Qui cum longa disputatione habita, neque precibus, neque hortamentis, neque increpationibus Augustini ac sociorum eius assensum præbere voluissent: sed suas potius traditiones vniuersis quæ per orbem sibi in Christo concordant, ecclesijs præferrent: Sanctus Pater Augustinus hunc laboriosi ac longe certaminis finem fecit, vt diceret; Obsecremus Deum, qui habitare facit vnanimes in domo patris sui, vt ipse nobis insinuare cœlestibus signis dignetur, quæ sequenda

Cōtrouersia Paschalis ab Augustino primū Britonibus mota.

„ quenda traditio, quibus sit vijs ad ingressum regni illius properandum. Adducatur aliquis
„ æger; & per cuius preces fuerit curatus, huius fides & operatio Deo deuota, atque om-
„ nibus sequenda credatur. Quod cum aduersarij, inuiti licet, concederent: allatus est qui-
„ dã genere Anglorum oculorum luce priuatus; qui cum oblatus Britonum sacerdotibus,
„ nihil curationis, vel sanationis horum ministerio perciperet tandem Augustinus iusta ne-
„ cessitate compulsus flectit genua sua ad patrem Domini nostri Iesu Christi, deprecans vt
„ visum cæco, quem amiserat, restitueret; & per illuminationem vnius hominis corporalẽ,
„ in plurimorum cordibus fidelium spiritualis gratiæ lumen accenderet. Nec mora, illumi-
„ natur cæcus: ac verus summæ lucis præco ab omnibus prædicatur Augustinus. Tum Bri-
„ tones, confitentur quidem intellexisse se, veram esse viam Iustitiæ, quam prædicaret Au-
„ gustinus: sed non se posse absque suorum consensu ac licentia priscis abdicare moribus.
„ Vnde postulabant, vt secundo synodus pluribus aduenientibus fieret. Quod cum esset sta-
„ tutum, venerunt, vt perhibent, septem Britonum Episcopi, & plures viri doctissimi, ma-
„ ximè de nobilissimo eorum monasterio, quod vocatur lingua Anglorum Bancournaburg,
„ cui tempore illo Dinooth Abbas præfuisse narratur: qui ad præfatum ituri concilium, ve-
„ nerunt primo ad quendam virum sanctum ac prudentem, qui apud eos anachoreticam
„ ducere solebat vitam, consulentes, an ad prædicationẽ Augustini, suas deserere traditiones
„ deberent? Qui respondebat, si homo Dei est, sequimini illum: dixerunt, Et vnde hoc possu-
„ mus probare? At ille, Dominus, inquit, ait, Tollite iugum meum super vos, & discite à
„ me, quia mitis sum, & humilis corde: si ergo Augustinus ille mitis est & humilis corde cre-
„ dibile est, quia iugum Christi & ipse portet, & vobis portandum offerat: sin autem im-
„ mitis ac superbus est, constat quia non est de Deo, neque nobis eius sermo curandus est.
„ Qui rursus aiebant, Et vnde vel hoc dinoscere valemus? Procurate, inquit, vt ipse Prior
„ cum suis ad locum synodi adueniat, &, si vobis appropinquantibus assurrexerit, scientes
„ quia famulus Christi est, obtemperanter illum audite. Sin autem vos spreuerit, nec coram
„ vobis assurgere voluerit, cum sitis numero plures; & ipse spernatur à vobis. Fecerunt vt
„ dixerat. Factumque est, vt venientibus illis sederet Augustinus in sella: quod illi videntes
„ mox in iram conuersi sunt, eumque notantes superbiæ, cunctis, quę dicebat, contradicere
„ laborabant. Dicebat autem eis, quod, in multis quidem nostræ consuetudini, imò vni-
„ uersalis Ecclesiæ contraria geritis: & tamen si in tribus his mihi obtemperare vultis, vt
„ pascha suo tempore celebretis; vt ministerium baptizandi, quo Deo renascimur iuxta morẽ
„ Romanæ sanctæ & Apostolicæ ecclesiæ compleatis; vt genti Anglorũ vnà nobiscum præ-
„ dicetis verbum Domini: cætera, quæ agitis, quamuis moribus nostris contraria, æquani-
„ miter cuncta tolerabimus. At illi nihil horum se facturos, neque illum pro Archiepiscopo
„ habituros esse respondebant: conferentes ad inuicem, quia si modo nobis assurgere no-
„ luit, quanto magis si ei subdi cœperimus, iam nos pro nihilo contemnet? Quibus vir Do-
„ mini Augustinus fertur minitans prædixisse, quod, si pacem cum fratribus accipere nollẽt,
„ bellum ab hostibus forent accepturi: Et, si nationi Anglorum noluissent viam vitæ prędi-
„ care, per horum manus vltionem mortis essent passuri. Quod ita per omnia, vt prædixerat,
„ diuino agente iudicio, patratum est. Siquidem post hæc, ipse, de quo diximus, rex Anglorũ
„ fortissimus Edilfredus, collecto grandi exercitu, ad ciuitatem Legionum, quæ à gente
„ Anglorum Legacestir, à Britonibus autem rectius Kaerlegion appellatur, maximam gentis
„ perfidæ stragem dedit. Cumque bellum acturus videret sacerdotes eorum, qui ad exoran-
„ dum Deum pro milite bellum agente conuenerant, seorsum in tutiore loco consistere:
„ sciscitabatur, qui essent ij, quidue acturi illo conuenissent; Erant autem plurimi eorum de
„ monasterio Bancor, in quo tantus fertur fuisse numerus monachorum, vt cum in septem
„ portiones esset cum Præpositis sibi rectoribus monasterium diuisum, nulla harum portio
„ minus quam trecentos homines haberet: qui omnes de labore manuum suarum viuere so-
„ lebant. Horum ergo plurimi ad memoratam aciem, peracto ieiunio triduano, cum alijs
„ orandi causa conuenerunt: habentes defensorem nomine Brocmalium, qui eos intentos
„ precibus à Barbarorum gladijs protegeret. Quorum causam aduentus cum intellexisset
„ Rex Edilfredus, ait: ergo, si aduersum nos ad Deum suum clamant, profecto & ipsi, quam-
„ uis arma non ferant, contra nos pugnant, quia aduersis nos imprecationibus persequuntur.
„ Itaque in hos primum arma verti iubet, & sic cęteras nefandæ militiæ copias, non sine
„ magno exercitus sui damno, deleuit. Extinctos in ea pugna ferunt, de his qui ad orandum
„ venerunt, viros circiter mille ducentos: & solum quinquaginta fuga esse elapsos. Broc-
„ malius ad primum hostium aduentũ cum suis terga vertens, eos, quos defendere debuerat
„ inermes ac nudos ferientibus gladijs reliquit. Sicque completum est præsagium sancti

Sententiã verã miraculo confirmat.

Repugnantibus prędicit diuinam vltionẽ.

Quam & passi sunt.

„ Pontificis Augustini, quamuis ipso iam multo antea tempore ad cœlestia regna sublato: vt „ etiam tēporalis interitus vltionem sentirent perfidi, quod oblata sibi perpetuę salutis con„ silia spreuerant.

Post mortē D Augustini. Hactenus narratio venerabilis Bedæ. In qua illud primo notatu dignum est, illum dicere conceptis verbis, hanc Britonum vltionem factam longe post mortem sancti Augustini: quasi reuera præuidisset, futuros hæreticos, qui cladem istam non diuinæ vltioni, sed Augustini imputarent crudelitati; ipsum in Britannos innoxios Edilfredum incendisse dictitantes; Cū tamen & longe ante hanc cladem obijsse Augustinum Beda asserat; & improbabile sit valde Augustinum id potuisse apud Edilfredum Ethilberti regis sui hostem iuratum; & nemo nisi hæreticus id de viro sancto, Apostolo gentis suæ suspicari posset, quod infideles Paganos in Christianorum, etiam errantium necem concitaret. Aliud quod hic notare dignum duximus est, quanto periculo animarum dissentiant homines ab vniuersalis ecclesiæ consuetudine iniuncta, etsi in rebus forsitan aliàs indifferentibus. Et quidem dissensus hic Britonum, primo venialis erat, quamdiu non eis annunciata fuerat contraria ecclesiæ consuetudo: at vbi iam & auctoritate ecclesiæ Romanę, & inuictis rationibus, & diuino præterea miraculo veritatē didicissent, & faterique coacti fuissent: profecto nullo modo excusari possunt, quod Augustino prædicanti non obtemperauerint. Friuola enim illa fuit non assurgentis ipsis Augustini Non possunt ab errore suo excusari. accusatio: qui si in ea comitatis cæremonia (quæ nihil aliud erat, quam cærimonia) humana fragilitate minus prouidè se gessisset: adhuc tamen, cum veritatem, quam prædicauit, & verbo Dei, & auctoritate vniuersalis ecclesiæ, & diuino præterea miraculo cōprobauerit, eam debuerant illi acceptare, sicut erat, tanquam doctrinam Dei, & non tanquam hominis quātumcumque humilis prædicationem. Verum quidem signum serui Dei est humilitas & mansuetudo: Sed si catholicæ ecclesiæ doctrinam diuinis miraculis attestatam etiam superbus concionator adferat, non est propter ipsum ea doctrina abijcienda, sed ipse propter eam doctrinam, saltem quantum ad prædicationis officium spectat suscipiendus. Neque enim omnes veri & catholici prædicatores sancti simul & mansueti sunt. Verum est signum boni viri mansuetudo & humilitas, sed si catholicam etiam fidem amplectatur; alioqui nihil proderit mansuetum pectus, quod à virtute morali potest proficisci, si non adsit gratia diuina quæ sine fide catholica non consistit. Verus character in homine fideli est humilitas & mansuetudo: sed non est verum & sufficiens humilitatis indicium, exterior & cæremonialis exhibitio reuerentiæ; quæ sæpe & potest in multa cordis humilitate omitti; & verò debet erga proteruiter errantes; Augustinus ergo non assurrexit, quia regulam Apostoli, huiuscemodi hominibus ne Aue quidem dicatis, non solum erga aperte hæreticos, verum etiam erga pertinaciter impugnantes aut impedientes vnionis catholicæ professionem nouerat esse custodiendam. Qui ergo Augustinum vera (vt ipsi vel inuiti fatebantur) prædicantem, ideo sunt auersati, quia ipse eis venientibus non assurrexit: non eum faciunt superbum, cuius humilitatem & mansuetudinem, non cęremonia assurrectionis, verum rebus ipsis experiri potuerant; sed seipsos & superbos & imprudentes declararant, quia propter omissam cæremoniam ciuilitatis, professionem detrectarunt catholicæ veritatis & communionis. Quodsi Augustinus superbus, qui eis non assurrexit: at quo eos nomine vocabimus, qui veritatem agnitam ideo non receperunt, quia non est illis debitæ reuerentiæ præstitus affectus; qui veritatem vitæ paganis postulantibus prædicare recusarunt? Quibus cum tria solum proposuerit Augustinus, duo ad professionem fidei necessaria, tertium ad quod ex diuino charitatis mandato astringebantur: nihil horum admiserunt, quia non assurrexit eis Augustinus? vtri superbiores: Augustinusne, qui si illa tria ab eis obtinuisset, nihil amplius postulasset, etsi pro iure Archiepiscopi potuisset: an illi, qui ne illa quidem, quæ ex dei voluntate sciebant à se debere fieri, facere tamen noluerunt, quia reuerentiæ signo omisso visus est illos inhonorasse Augustinus? Sed his pro Apostolo nostro contrà Britones breuiter dictis, quos in hoc erratico iudicio præferunt Augustino sæculi nostri nouatores: notemus etiam tertio loco ad hanc Bedæ Patris nostri, narrationem, quam nihil valeat extra catholicam communionem, quæcumque vitæ austeritas, etiamsi Apostolicę sanctitati compar videatur. Ecce isti Britones monachi, tanto numero in vnico monasterio sub obedientia viuentes pauperem vitam, de labore manuum suarum victitantes, etiam corpora sua pro fratribus martyrio offerentes: adhuc tamen verendum est ne illis nō profuerint hæc omnia, quia vera prædicantibus, honesta suadentibus non parebant. Vnde subit animum huic causæ valde conuenire id quod habetur in vita S. Fulgentij ab eius discipulo conscripta. Cum enim Fulgentius ex institutionibus & collationibus Patrum Aegyptiorum (Cassiano autore, quem codicem etiam secum circumferebat) ad eorum imitationem inflammatus, eo proficisci, interque eos austeritissimam

rissimam vitam viuere meditaretur: à S Eulalio Episcopo Syracusano ab ea cogitatione potenter prudenterque est dissuasus: Rectè facis (ait ibi sanctus Episcopus Eulalius ad Fulgentium) cupiens meliora sectari: sed scis quoniam Deo sine fide impossibile est placere. Terras, ad quas pergere concupiscis, à communione Beati Petri perfida dissensio separauit. Omnes illi monachi, quorum prædicatur mirabilis abstinentia, non habebunt tecũ altaris sacramenta cõmunia. Quid ergo proderit affligere ieiunijs corpus: vbi solatijs spiritualibus indigebit anima, quæ multo melior est corpore? Reuertere fili, ne vitæ melioris intuitu, periculum rectæ fidei patiaris. Ego etiam quondam iuuenis, antequam me Pontificalis honoris gratia præueniret indignũ; diu cogitaui sanctissimæ huius professionis in ipsius prouinciæ monasterijs adimplere propositum: sed hæc causa me prohibuit assumpta perficere. Consensit B. Fulgentius monentis Patris consilio salutari; Atque vtinam aureum hoc consilium nouatores perpenderent, eandemque à Petri cathedra separationem ipsis ita crederent esse perniciosam, vt quantumcumque alias magna sibi pollere videantur innocentia, sine ea tamen sciant impossibile esse Deo placere. Sane ex illa sanctissima admonitione possumus iudicare, parum profuisse Britonibus monachis austerrissimam paupertatem, & ascesin rigidissimam, sine communione cathedræ Petri: cui haud dubio in tantum repugnabant, quantum Augustino Apostolicæ sedis prædicatori resistebant; quos si à damnabili schismate fragilitas aliqua prudentiæ humanæ poterit excusare (secundum indulgentiam dicimus) certe non omni culpa vacuos debemus pronunciare, cum veritatem agnouerint, eumque propter humanas friuolasque coniecturas de persona prædicatoris, cuius doctrinam veram fatebantur reiecerint; & ne duro subijcerentur Archiepiscopo, prout vanè ominabantur, noluerint habere partem in communione cathedræ Petri, nec societatem in prędicatione Euangelij. Vltimo tandem aduertimus ex hac narratione, propter quod eam adduximus, controuersiam hanc de paschate, à sancto P. N. Augustino primitus Britonibus motã, eamque tantã fuisse, cũ appendicibus illius, vt diuino miraculo sententiã Patris Deus cõfirmauerit, & contradictores vltione tẽporalis mortis terribiliter percusserit. Vnde sane arbitramur sequi, cõtrouersiã hãc à Romanis monachis ducibus & antesignanis Augustino, Laurentioque (nam & illum Beda etiã de eadẽ literas Scotis scripsisse testatur) tanti ęstimatam: dedisse etiam occasionẽ, vt ipsi vocarentur monachi Nigri, quo facilius compendio quodam appellationis, à monachis Albis Britonum Scotorumque in catholicæ paschate aberrantium, tanquam tessera quadam distinguerentur. Sequi etiam arbitramur, hoc ipsum monachorũ nigrorũ nomen ideo nostris Benedictinis adhæsisse perpetuo, quia patrum suorum vestigijs inhærentes per Wilfridum, Cuthbertum, qui Scotos in Anglia morantes ad paschatis rectum vsum perduxerunt; Aldelmum, qui contra Britones de Paschate librum scripsit, Echertum qui finem huic controuersiæ imposuit; aliosque proceres ordinis sui tandem hanc dissensionem ecclesiasticam eliminarunt, ipsosque Britones & Scotos paulatim ad suam regulam pellexerunt. Quod igitur pręcipui post S. Augustinum & Laurentium Gregorijque discipulos alios Scotorum Britonũque impugnatores, & acerrimi ecclesiasticorum rituũ, qui à Sede Apostolica emanarũt, propagatores fuerint S. Wilfridus S. Benedictus Biscopius, S. Cuthbertus notissimi ordinis Benedictini professores, quodque eo tempore quo maximè ventilata est illa controuersia de ritibus ecclesiasticis, Benedictinorum ordo Nigrorum appellationem sortitus inueniatur in ipsis Principum Anglorum indubitatis diplomatibus, & hactenus satis probatum putamus, & vtramque rem tum paschalem controuersiam, tum Nigrorum appellationem quasi indubitatos Benedictini habitus characteres esse, quibus & à Scotis Britonibusque distinguebantur monachi nostri, & pro ipsis S. Augustini & Laurentij aliorumque Apostolorum nostrorum in eodem habitu discipulis & successoribus agnoscebantur.

S. Eulalij consilium diuinũ.

Paschalis cõtrouersia Benedictinorũ Anglorũ quasi character distinctiuus.

Cuius igitur erant instituti monachi isti Britones, & Scotti, à quibus Nigrorum appellatio discriminabat monachos Romanos, siue Benedictinos? Certe ipsa controuersia Paschalis ostendit, non fuisse ipsorum monachatum ab Europæis aut Africanis acceptum, quoniam certum est Europæos omnes & Africanos in Paschatis obseruantia concordes fuisse, nec vlla inter eos hac de re mota est Augustini tempore, aut post eius ætatem controuersia. Non erant itaque Augustiniani, vt sine vllo prorsus fundamento asserit Crusenius, qui vbicumque inuenit Eremitas, eos transformat in Augustinianos; ac si nulli alij fuissent Eremitæ, præter eos, quibus multis post Augustinum sæculis regulam Augustini obseruandam Pontifices tradiderunt. Vt illud non dicamus (quod alio loco opportunius videbimus) nullam viris regulam ab Augustino præscriptam, ne quidem ipsis Canonicis suis, præter regulam Apostolicam, id est historiam illam Actus Apostolorum, qua vita Apostolorum tempore communis clericorum narratur. Sed cum certum sit religiosos omnes primi institutoris sui summos

esse

esse admiratores, nec possit ostendi, aut credibile vlli videri, totam aliquam prouinciam religiosorum, in rebus maximi momenti, ab Institutoris Patriarchæ sui doctrina & præceptis differre: Certe isti nullo modo potuerunt esse Augustiniani, qui tam longe ab Augustini mente & spiritu, in consensu cum orbe catholico circa Paschatis obseruantiam exorbitabant. Quæ ratio etiam nobis semper videbatur euidens probatio, cur nec Africani, nec Massilienses, nec Lyrinenses monachi fuerint Augustiniani: cum incredibile sit quem hominem venerarentur vitę suæ institutorem, ab eo tam acriter velle dissentire in grauissimis fidei quęstionibus de gratia & libero arbitrio, vti certum est Massilienses, & Lyrinensem Abbatem Faustum, non vtique solum de suo monasterio, & Africanos monachos multos fecisse. Quodsi forte in sententias illas ex ignorantia incidissent, satis tamen fuisset illis solius Augustini authoritas vt ab eis sententijs discederent, si Augustinum illi præceptorem & institutorem vitæ suæ existimassent. An vllus nunc ex Societate Iesuitarum toleraretur ab ordinis sui religiosissimis Patribus, qui in rebus fidei, vel ecclesiasticis dissentiret ab eo quod sciret placuisse sancto Patri Ignatio? Idemque de S. Francisco, de S. Dominico, de S Brunone, Bernardo, alijsque ordinum fundatoribus dictum volumus. Sed Africani & Massilienses, & Lyrinenses monachatum suum, ab Ægyptijs & Palęstinis acceperunt: quod nemo dubitabit, qui vel Seueri dialogos de monachis orientalibus, vel Cassiani instituta, vel sancti vitam Honorati Lirinensium fundatoris perlegerit. Sed & breuis traiectus ab Africa in Ægyptum hoc indicat: vt mirari satis non possim, quid D. Baronio maximo viro, sed in hoc proculdubio labenti, venerit in mentem, vt diceret Augustino Africam debere monachorum examina, quæ & ante Augustinum in Africa fuerint; quod genus vitæ ipse à se non inuectum in Africam profiteatur; imo cum multi passim per Affricam monachi ab Augustini doctrina in plurimis contentiosissime dissentirent: quod certe nunquam fecissent, si eum monasticæ suæ institutorem agnouissent. Quin & qui magni Fulgentij vitam diligenter perpenderit, ab authore ipsi coæuo scriptam, inueniet nec ipsum, nec monachos illius temporis per Africam Augustini discipulatum in monasticis agnoscere: quamuis in veritatis doctrina, ipsum omnes posteri theologi merito cognoscant præcipuum post Apostolos ecclesiæ Magistrum. Quanti ibi facit Fulgentius institutiones & collationes Patrum Ægyptiensium à Cassiano conscriptas? quanto ardore incenditur, vt inter eos viuat: & vix tandem magni Eulalij consilio ab ea profectione reuocatur. Et quis credat Fulgentium tantopere anhelaturum post Ægyptiensium instituta à Cassiano descripta, si monastica ab Augustino, tanto videlicet patre, tam recenter legibus sanctis fuisset inter Afros fundata? Res ipsa clamat, legantur vitæ monachorum Fulgentij, Eugypti, & similium, ne verbũ quidem de Augustini regula aut institutis, de Ægyptiorum vero & Thebaidis, & Palęstinæ plurima mentio. Præterea Augustiniani ipsi nigrum colorem exteriori vesti suę proprium semper existimarunt, & par est credere talem fuisse Augustini vestem, etiam ante presbyteratum: at isti monachi alba vestiebantur. Docet hoc clarè Iocelinus in vita S. Patricij, à quo Hiberni seu Scoti, sicut Christianitatem ita & monasticam ascesin didicerunt. Verba eius de S. Patricio, capite 185. vitæ ipsius, hęc sunt. *Super cætera indumenta cuculla candida amiciebatur, vt ipsa habitus forma & colore morachatus sui speciem, & candidatum humilitatis & innocentiæ repræsentare videretur. Vnde & monachi in Hibernia sancti Patricij sequendo vestigia, per multa temporum volumina habitu simplici contenti erant, quem ouium ministrabat lana, qualibet extrinseca tinctura remota.* Nec dubium est quin idem fuerit Britannicorum monachorum in habitu color, tum quia S. Patricius Britannus ipse fuerat, tum quia à Britannis monachis etiam præceptoris loco cultus, vt ex vita S. Winwaloci apud Surium patet. Quare Crusenius, cum videret hunc colorem contrarium nigro, quo in vestimentis vtebatur Augustinus, & quo in exterioribus semper vtebantur eremitæ Augustiniani: ne tamen Patricium suis eremitis eripi pateretur, allegoriam excogitauit, & quia inter candidos eremitas ipsum vixisse legerat de candore morum non vestium interpretari ausus est. At extra iocum, S. Patricium monachum de schola Martini auunculi sui, non de schola S. Augustini, tum res ipsa clamat, cur enim omisso celeberrimo & charissimo auunculo ad Africanã institutionẽ transfugeret? tum vero Iocelinus idem cap. 12. vitæ eius docet, de S. Martino loquens: *Quia idem sanctissimus sacerdotum carbunculus monachus fuit, cognato suo Patricio monachicum habitum & eius instituta tradidit obseruanda, quæ iste deuote suscepta actibus habitui respondentibus adornauit.* Ecce instituta habitumque S. Martini, non S. Augustini, qui eo adhuc tempore nondum monasticam vitam egerat. Martini autem monasticam ab Ægyptiensibus profluxisse satis apparet ex discipuli eius Seueri Sulpicij relatione de moribus monachorum Orientalium: qui Sulpicius tam longe fuit à S. Augustini discipulatu, vt inter acerrimos D. Augustini impugnatores in controuersia diuinæ gratiæ compute-

computetur. Adde etiam etiam hanc coniecturam non vltimo loco habendã: monachos & moniales Scotorum atque Britonum ab Abbatibus & Abbatissis gubernari consueuisse: & Augustinianos eremitas ex regulæ suæ præscripto, quam profitentur, quam aiunt ab Augustino viris datũ, à Præpositis ita gubernari debere constat, vt nunquã Abbates habuerint; & ipsi eorum Prępositi in rebus grauioribus ad presbyterum, qui nomine Episcopi tam prępositi quam monachorum erat inspector, recurrere debuerint; quod tam non conuenit istis monachis Scotorum, vt sæpius etiam ipsis Episcopis eorum Abbates præfuerint, vt in Hyensi insula docuit Beda. Adde vlterius quod in conflictu seu disputatione prætacta monachi isti vt suam Paschatis traditionem defendant, S. Wilfrido objicienti sedis Apostolicæ authoritatem, Asiaticam authoritatem reponunt, & Anatolium, Orientalium doctorem; vt se inde monachatum suum arcessere insinuarent, vnde doctrinam de Paschate, nempe ab Orientalibus, in quibus aliquando error ille pręualuit. Sane nullus verus Augustini discipulus Orientalem aliquem doctorem opposuisset authoritati sedis Apostolicæ, & consuetudini vniuersalis ecclesiæ. Eadem omnes rationes efficiunt, istos etiam monachos minime fuisse Benedictinos: Maior enim, præsertim in exordio purioris obseruantiæ, fuit inter eos animorum coniunctio, maior cura admonitionum Patris sui, quam vt à Romanæ ecclesiæ consuetudine, in qua essent innutriti, contra omnẽ monachorum suorum consensum discreparent. Nec Benedictini propriè.

Vera ergo est Gulielmi Malmesburiensis sententia, quam supra ex historia eius nondum edita, beneficio clarissimi Seldenij citatam protulimus, §. 12. ante Augustini aduentum in Angliam monachos Britanniæ & Scotiæ seu Hiberniæ more Ægyptiensium monachorum vitam instituisse; hoc est rigidiorem illum modum viuendi, quo monachi per Ægyptum & Palæstinam sese exercebant, vsurpasse; quod ex ipsa historia sanctorum Hiberniensium, & Brittannorum, Columbæ, Brendani, Dauidis, Gildę, manifestè cuiuis patet. Quin & ex verbis V. Bedæ paulo ante citatis vidimus, numerosam illam Britonum monachorum sub Dinotho Abbate sub septem Præpositis in Bangoriæ monasterio militantem omnino specimẽ exprimere disciplinæ, quam eodem modo, parique monachorum numerositate S. Pachomius instituit. Inde Pelagius ex primis monachis Britannicis, apud Palęstinam quasi inter sui schematis homines fuit in pretio: quem propterea Balæus existimauit primum omnium ex Palæstina in Britanniã, monasticam deportasse; sed falso hoc laudis hęreticus osor monachorum, hæretico hosti gratiæ diuinæ imputat: neque enim ille primus fuit sed à primis enutritus monachis, aut forte inter primos ex Palęstina in Britanniam reuersus. Et omnino potius credibile est, propterea eum in hæresim incidisse, quia non habuit inter illos monachos primatum, alijs ipso melioribus concessum; insinuat quidem Balæus ipsum vexatum à clero tandem discessionem fecisse: quod non leue argumentum est ambiuisse plus honoris quam quo à suis commonachis dignus haberetur; adeoque apud notos sibi Palæstinę monachos iterum quæsiuisse. Sane in hoc credendum est Balæo, qui antiquissima Angliæ monimenta se inspexisse testatur. Habuisseque authores aliquot doctos ineditos qui de origine variorum ordinum in Anglia scripsissent accuratissimè: quandoquidem igitur hac in re eius testimonium cum Gulielmi Malmesburiensis authoris diligentissimi assertione consentiat: proculdubio monachi Britones & Scoti iuxta instituta Palęstinorum Ægyptiorumque monachorum (eadem enim fuit in vtrisque illis prouincijs monachorum disciplina) vitam suam gubernabant: sine regula scripta, per solas traditiones Patrum suorum. At postquam per S. Wilfridum. Sanctũque Anselmum in Anglia, in Hibernię partibus Australibus per rescripta sedis Apostolicæ, in alijs omnibus regionibus ipsorũ per S. Egbertum ad catholici paschatis ritum conuersi sunt, vna cum eo ritu etiam regulam S. Benedicti susceperunt, vt aperte patet in Lindisfarnensibus & Mailrosensibus, cæterisque, qui in Northũbria post disputationẽ S. Wilfridi manserunt, quos omnes S. Wilfridus, & S. Benedictus Biscopius, Sãctus etiam Boisilus & Cuthbertus eiusdem regulæ artibus imbuerunt: vt reliquos postea per Hiberniam & insulas S. Egbertus eiusdem regulæ professor, vt patet ex discipulis Boisili, qui post magistri sui obitum ad Egbertum, tanquam eiusdem propositi monachum venerunt: quorum vnus ei præceptum Dei, à Boisilo monitus per visionem indicauit, vt Huenses (à quorum authoritate plerique omnes monachi Scoti pendebant) ad rectum tramitem reduceret. Qui vtique per tot annos Pastor eorum perseuerans, Benedictinam proculdubio regulam, non ibi solum, sed & in cætera monasteria eorum promulgauit.

Sed Ægyptiẽses siue Palæstini.

Postea facti omnes Benedictini.

§. 19. *Quinta*

§. 19. *Quinta demonstratio ex coniecturis irrefragabilibus desumpta.*

Religiosi studiosissimi conseruandæ Fundatoris sui memoriæ.

ET profectò, quicumque apud se rectè perpenderit ipsam conditionem, & quasi alteram naturam, quam induunt omnes fere religiosi cuiuspiam instituti sectatores, præsertim si antiquitate & gloria nobile fuerit: potius mirabitur quomodo potuerit cuiquam in mentem venire, vt vel somniaret alium à Benedictino fuisse ordinem illum, quem primi Apostoli nostri professi fuerint, quam quod nos illos sub eodem ordine militasse dicamus: illud enim omnino paradoxum, istud vero maxime rationi consentaneum manifeste apparebit rem ipsam diligenter pòderanti. *Nam cum videamus exemplis* (verba sunt illustrissimi Cardinalis Baronij ad annum 664.) *quosuis, etiam regularis disciplinæ solutissimos monachos, sui ipsorum institutoris memoriæ tenacissimos esse, vt pro ea conseruanda parati sint vitam quoque profundere:* an non par est credere, religiosissimos Monachos Romanos Augustinum sociosque eodem gratitudinis affectu & pietatis erga suum institutorem præditos fuisse? Et si illi institutorem suæ monasticæ D. Equitium (vt volunt Baronius, Gallonius aliique pauci) aut etiam D. Basilium, vel Pachomium, vel quemuis alium sanctum Patrem agnouerunt; nonne iuxta hanc regulam Baronianam, proculdubio rectè rationi, naturæque dictamini maxime conformem, omni diligentia adniti, vt institutoris sui memoria conseruaretur, instituti sui gloria propagaretur? Nullus poterit hac de re prudenter dubitare. Age igitur, tu quicumque propter magn[illegible] [illegible]tatem contendis, discipulos D. Gregorij non fuisse Benedictinos monachos, produc [illegible] patrem, cuius memoriæ conseruandæ consuluerint, cuius regulæ vel disciplinæ amplificandæ insudauerint: produc in vniuersa Britannia, per omnium sæculorum memoriam, vel vnum monasterium, vel vnam ecclesiam, vel vnum sacellulum D. Equitio à discipulis Gregorij magni dicatum; Profer vel vnum cœnobium, vel vnum monachum, qui regulam, aut institutum D. Equitij, aut D. Basilij, aut D. Augustini, aut D. Pachomij, aut cuiuluis alterius monasticæ Institutoris disciplinam primis sexcentis annis ab introitu Augustini in Angliam obseruasse ab vllo scripto authentico, ab vllo diplomate regio vel Pontificio, vel Satrapali, ab vllo authore docto & celebri, imo ab vllo prorsus authore vel scriptore illorum temporum asseratur. Aut erat illa S. Equitij regula valde accommodata spirituali profectui animarum, contemplationique cœlestium; aut minus, quàm aliæ patrum regulæ; non credo quod hoc sint dicturi, qui S. Equitium authorem regulæ comminiscuntur, quod secundo loco assumpsimus: nam S. Gregorius sine vlla dubitatione illam nullatenus assumpsisset vt in minus idonea norma mentem suam sublimibus exercitijs aptissimam excoleret. Quod si dicatur fuisse insigniter idoneam, ad quam diuini illi spiritus, Deoque pleni, formarentur, absque vlla hæsitatione dicendum, eos talem viuendi formulam non modo non derelicturos, verum omni studio, opera, & authoritate amplificaturos. Quid dicent Galloniani? defuisse Sanctis illis voluntatem conseruandi & ornandi memoriam instituti & institutoris sui, quam Baronius ponit non abesse etiam à solutissimis religionum professoribus? & ex eò, tanquam principio stabili, quodque nemo sapiens audeat negare, colligit incredibile prorsus esse, corpus D. Benedicti potuisse ita ex monte Casino transferri, vt nulla ibidem manserit eiusmodi translationis commemoratio? Sancti fuerunt gloriosissimique Sancti, hi Patres & Apostoli nostri, monachi Gregoriani, non potuit in eos cadere tanta Præceptoris sui obliuio, tanta erga eum ingratitudo, tanta officij sui negligentia. Dicent adfuisse quidem illis voluntatem, sed defuisse authoritatem? Erant Protodoctores Anglorum, vt loquitur Eadbaldus secundus rex Christianus inter Anglos ab ipsis educatus; vsi sunt Rege Ethelberto Sanctissimo, potentissimo, ad omne obsequium eorum promptissimo, eoque maxime longæuo, & beata pace ac tranquillitate quamdiu vixit, fruente: Cuius sumptibus profusissimis, Cantuariæ, quod erat regni caput, duo monasteria amplissima construxerunt, vnum cathedrale, alterum claustrale, vtrumque monachis de suo grege sancto (sic loquitur Ethelbertus ipse in fundationum instrumento) desumptis, hoc est de ipsorum Apostolorum nostrorum numero, & societate: duo alia cathedrale scilicet, & monasteriale cœnobium Londini; vnum cathedrale Roffæ; eaque monasteria vsque ad tempus Henrici octaui perseuerarunt, nisi quod cathedralis ecclesia Londinensis, in sęcularem iam dudum abiuerit: quare in his omnibus, quare saltem in aliquo eorum non instituerunt regulam Sancti Equitij? quare saltem in aliquo Sacellulo, vel altari eorum S. Equitij memoriam non erexerunt? aut S. Basilij, Sanctiue Pachomij, aut S. Augustini; si aliquem istorum venerabantur

bantur vt patrem, colebant vt monasticę suæ fundatorem? Omnia illa, & omnia per totum Anglię Scotiæque regnum cœnobia fuerunt Benedictina, prout iam demonstrauimus ex perpetua temporum successione minime interrupta, vsque ad tempora ipsa Apostolorum nostrorum: quis ergo credat illa non fuisse ab ipsis Apostolis sub ordine & regula S. Benedicti instituta? quis credat ea fuisse sub illo ordine instituta, qui non vna credat fundatores & promotores horum monasteriorum, siquidem monachi fuerint, fuisse etiam eiusdem regulæ monachos, quam in cœnobijs sua cura ædificatis seruare voluerint? An vero viri religiosissimi Societatis Iesu patres, discipuli beati Ignatij, in latissimis Indiarum prouincijs alia quã sui ordinis instituunt collegia? an illi Dominicanorum, aut Franciscanorum claustra tanto studio eis in regionibus erigunt, vt paucissima, imo nulla sui instituti propagent hospitia? Ordo S. Dominici, ordoque S. Francisci, qui ante Patres Societatis, in Occidentales Indias profecti Euangelium Barbaris prædicauerunt, monasteriaque & Scholas erexerunt: nunquid illi Benedictinorum, aut Augustinianorum, vel Carthusianorum domos propagarunt: sui vero instituti immemores, nomen ordinis sui inglorium præterierunt? Qui hoc non credit ab istis recentioribus posse fieri, si credit ab antiquissimis nostris Apostolis factum fuisse, næ ille sic credendo & iniuriam facit sanctissimorum virorum memoriæ; & se ipsum duci magis pertinaci præiudicio semel arreptæ opinionis, quam accurato rationis iudicio demonstrat; magisque id agere vt ipse non videatur victus, quam vt vincat omnium rerum amabilissima, veritas.

An forte dicent, monasteria quidem Equitiana aut Basiliana, vel Pachomiana, fuisse illa, aut aliqua saltem ex illis, quæ S. Augustinus ædificauit in Anglia; sed statim à morte ipsius sociorumque suorum, abijsse in mores Benedictinos, priore suo instituto derelicto? Primum quidem siquis hoc velit asserere, consideret quam nobis contrà affirmantibus regulam præscribat Gallonius in sua apologia pag. 47. *Non enim recentioribus de antiquioribus testantibus fidem adhibemus, nisi quæ dicunt, vel ratione, vel antiquorum testimonio fulciantur. Alioquin si via ista aperitur, vt nouissimo cuique quælibet asserenti absque auctoritate, vel ratione probata credatur: in potestate cuiuslibet erit, quod vult asserere, & antiquitus tradita dissipare.* Nihil potuit præscribere modestius aut mitius: sed nihil assertionibus ipsius magis contrariũ. Baronius etiã, cum inciperet Ioannis Diaconi fidem, vsque ad sua tempora receptã in dubium vocare, & Cardinalis Cardinalem de fide narrationum suspectum reddere: nouitatem in ratione minimè fundatam ei obiecit, propter quam voluit licite se ab eius authoritate posse recedere. *Sic igitur* (inquit tomo 7. ad annum 585.) *haud quisque prudens in verba auctoris dixerit esse iurandum, qui post annos ferme trecentos, ea de Sancto Gregorio scriptorum monumentis, posteris commendauit.* Sane ita est, si recentior Gregorio trecentis annis Ioannes, aliquid affirmauerit, aut scripserit de Gregorio contrà communem receptamque tunc temporis sententiam: si aliquid nouum, inauditum, incredibile, sine ratione prudenti asseruerit; si homo nullius authoritatis, cui nulla opportunitas archiua Romana inspiciendi fuerit; qui sua curiositate, non Pontificis summi iussu & mandato vitam Gregorij scribendam susceperit. Hic talis omnino tantum duntaxat mereatur fidei, quantum adfert rationis, aut probati testimonij. At verò, quod Ioannes Diaconus, qui iussu Pontificis Ioannis scripserit vitam D. Gregorij, & eum in finem vetera monumenta Romani scrinij scrutatus est diligentissime, dixerit omnes Gregorij discipulorum discipulos in Anglia Benedictinos fuisse, atque adeo ipsum propterea D. Gregorium; quod confirmauit non leui argumento habitus ipsius in quo sepultus fuit D. Gregorius; quod probauit testimonio gentis Anglorum, quod potuerat facile conuinci falsitatis, si verum non fuisset, cum non desierit tunc temporis Anglicana ecclesia Romanæ cathedræ obsequentissimè parere; quod nemo ante Ioannem Diaconum negauit, aut in dubium vocauit: hoc iam propter trecentorum duntaxat annorum interuallum, à Baronio quamuis magno, & Gallonio, quamuis eloquenti viro post mille annorum intercapedinem, primum omnium vocari in quæstionem, sine ratione solida, imo per argumenta vel falsis innixa principijs, vel asyllogistis extructa consequentijs, & nullis prorsus, nullis, inquam, ne vnis (vt sic dicam) veterum munita testimonijs; an non est reuera ianuam aperire nouatoribus, vt omnia negent, inficientur, & inficiant, quæ in ecclesia habita sunt hucusque sacrosancta & indubitata. Vos ipsi primi, tu Magne Baroni, tu imprimis docte Galloni in regulas vestras peccatis: homines sanè in historijs diligentissime versati; sed qui septingentis annis iuniores estis Ioanne Diacono, dicitisque Gregorium & discipulos eius Equitianos fuisse, non Benedictinos: quibus id euinciris demonstrationibus? quem profertis hominem, qui id ante tempora Ioannis Diaconi asseruerit, scripserit, crediderit, vt ita probetis Diaconum à communi sententia, imo ab opinione alicuius vnius authoris grauis & eruditi recessisse? Nullum. Quod vetus instru-

mentum ex venerabilibus ecclesiasticarum bibliothecarum pluteis pro vestra nouitate depromitis? ne vnum quidem. Quod cœnobium, quod templum, quod sacellum, quod altare, quam imaginem; in aliqua prouincia Angliæ, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, imo ipsius Italiæ in S. Equitij honorem, & regulæ ipsius memoriam per trecentos à D. Gregorij Pontificatu annos inuenistis, quorum vel vnum Diaconi nostri auctoritati opponatis? Ne ipsum quidem vnum illud ipsius Equitij, quod tam celebre dicitis fuisse, cœnobium, vbinam fuerit, adhuc indicare potuistis: aut si illud vnum (& nemo negabit vnum saltem debere ostendi in quo Sanctus vixerit Equitius;) si illud vnum potestis indicare, certe nullum aliud hactenus potuistis. Quando igitur nos ex maximo cœnobiorum Benedictinorum numero, eorumque in illustribus locis positorum ostenderimus, regulam S. Benedicti solam, nullamque aliam, vsque ad annum Domini sexcentesimum sexagesimum in Anglia floruisse: idque non ostenderimus leuibus rationibus, aut locis authorum male intellectis, aut catalogis prælatorum imperitè collectis: sed apertissima testatione historicorum veterum, instrumentorum dotalium, Regum & Pontificum, qui illis temporibus floruerunt: Tu Galloni, vos si qui illius sententiam tuemini, qui asseritis ante illum annum floruisse aliam regulam S. Equitij, aut sancti Basilij, aut S. Pachomij, sanctiue Augustini Hipponensis, aut cuiusuis alterius monasticæ magistri, quæ illo anno defloruerit, & Benedictinæ locum cesserit: quem authorem pro vobis laudatis? quod testimonium veteris instrumenti pro opinatione vestra exhibetis? quam rationem inuictam, claram, irrefragabilem? quam coniecturam probabilem aut prudentē pro tātæ rei, tam paradoxę stabilimēto extruitis? Si aliqua ex his, audiemus: si nulla, & nulla sane produxistis, non solum non audiendi, sed meritò etiā increpandi estis, quia contrà illam æquitatis regulam, quam nobis præscripsistis, ipsi facitis, & veteres traditiones sine teste, sine ratione, sine coniectura dissipatis, & quidlibet de qualibet historia asserendi contra nos transalpinos authoritatem vobis assumitis.

Produximus plurimos testes; aduersarij nullos.

Certe hic nuditas assertionis vestrę detegitur. Produximus vobis testes maximos, qui annum octingentesimum anteuerterunt, imo quorum multi ante septingentesimum Christi annū floruerunt; Bonifacium, Alcuinum, Bedam, Aldelmum, Eguinum, Benedictum Biscopiū, Wilfridū, Cuthbertū, qui quinque postremi ita fūt antiqui vt aliquos ex primis apostolis nostris videre potuerint, certe Paulinum, & eius Diaconum Iacobum, qui diutius reliquis vixerunt, viderint: qui omnes expressè D. Benedictum asserunt monasticæ, quę in Anglia viguit parentem fuisse. Produximus vobis instrumenta seu diplomata Pontificum, non solum recentiorum qui id expressè affirmant, & affirmandum etiam contra plærosque Angliæ Pontifices (non id negantes, sed ordinem ex possessione reali, & ab ipsismet agnita eijcere molientes) statuerunt, verum etiā antiquissimorum, Constantini videlicet, & Bonifacij post Gregorium quarti qui idem decretis suis statuerunt: protulimus decreta concilij sub Bonifacio, alterius etiam sub Gregorio; diplomata Eguini Episcopi, qui anno 660. floruit, Eadbaldi regis qui anno 712. Regum multorum subsequentium, qui ab eo sæculo, ad annum vsque millesimum regnauere, qui idem suis sigillis subscriptionibusque testantur: produximus omnium historicorum nostræ nationis, qui vel Regni, vel ecclesiarum, vel cœnobiorum, siue nostri, siue alterius cuiusque ordinis conscripsere annales aut historias: quorum nullus est qui contrà nos pro vobis agat: fere nullus inueniri potest editus vel ineditus qui non disertis verbis afferat Apostolos nostros, omnesque Angliæ monachos, vsque ad annum millesimum semper fuisse Benedictinos; nulla alia fuisse cœnobia, quam Benedictina: Et hanc tantis assertoribus per tot sæcula, sine vlla temporum interpolatione traditam affirmationem, duo tresue Itali, tam longè à nostrâ Anglia positi, qui propterea archiuorum nostrorum monumenta non potuerunt inspicere; tam longè à sæculo sexto viuentes, qui propterea nihil de eo sine certo teste & ratione saltem probabili afferre debuerunt, negant sine teste, sine ratione: & inueniuntur viri docti, viri religiosæ vitæ professores qui istis fidem adhibent; omnibus alijs veteribus derogare non verecundantur. Et quid est hoc aliud, quam quidlibet de quolibet pro libito affirmare?

Fierine potuit, vt regula illa monastica; aut si regula scripta non fuerit; traditio illa seu disciplina monastica, quam Gregorius per discipulos suos in Anglia anno 600. plantauit, anno 666. defierit? vt illi ipsi qui fidem ab Augustino socijsque eius susceperunt constanterque vsque ad annum 1500. custodierunt, qui Apostolos illos suos summa coluerunt reuerentia, qui ipsorum monasticæ clarissima extruxere cœnobia: intra sexaginta tantum annorum spatium, ita monasticam illam alij recentiori posthabuerint, vt nulla illius prioris remanerent vestigia, nulla superesset memoria? Certe ob aliquam rationem vrgentissimam, ob aliquod insigniter notabile euentum debuit hoc fieri, si factum fuit: proferatur. Videamus verò quas ob causas

ob causas consueuere monasteria antiqua priorem, quæ in eis à fundatione plantata fuit professionem, in aliam recentiorem mutare. Proculdubio vel quia alia sese obtulit, quæ antea fundatoribus fuerit ignota, aptior tamen & instituto spirituali magis idonea: non potest hoc de regula Benedictina dici, quæ D. Gregorio ita nota fuit, ita placuit, vt nullam aliam prorsus regulam in operibus, quæ extant legatur citasse aut laudauisse, illam autem in commentarijs ad lib. 1. Regum nominatim citauerit, & præconio maximo ornauerit; ita cognita fuit discipulis D. Gregorij, vt iam ex eius scriptis, ipsius celeberrimum nomen D. Benedicti fuerit, ipsiusque monachos iam per vniuersum occidentem (vt nominatim sequenti diuisione enumerabimus) fuisse disseminatos. Vel solet aliquando fieri, quia prioris disciplinæ professores, à puritate regulæ suæ, & à primæuæ obseruantiæ flore degenerantes, emarcuerint, vt propterea nullis illius professoribus existentibus, qui eam disciplinam restituere potuissent, necessarium fuerit recentioris regulæ alumnos introducere: nec hoc in causa nostra potest sine impudentia, imo sine blasphemia dici; cum vsque ad annum 700. sanctissimi gloriosissimique confessores fuerint, pene omnes quotquot in monasterijs & ecclesijs Anglicanis inueniebantur monachi. Vel potuit accidere, vt irruentibus hostibus, omniaque deuastantibus prioris illius normæ sectatores optimi perierint gladijs aduersariorum, aut ita fuerint dissipati, vt non potuerint postea recolligi, sed alij alterius schematis debuerint eorum loco substitui: sed nulla fuit in sexto sæculo tanta calamitas: Ethelbertus, Eadbaldus, quinquaginta sex annos in summa tranquillitate regnauerant, & ex illis nouemdecim totos post baptismi gratiam receptam; Eadbaldus Ethelberti filius viginti quatuor tranquille compleuit, ad annum vsque 665. Pontifices Cantuariæ toto hoc tempore fuere Augustinus, Laurentius, Mellitus, Iustus, Honorius, discipuli S. Gregorij. Deus dedit etiam ipsorum discipulus, ab ipsis educatus. Roffiæ, in eodem regno Cantuariorum fuere Episcopi, Iustus. Romanus, Paulinus, etiam Gregoriani monachi: Londini quidem vnus sedit Mellitus per decem circiter annos: qui ibi cathedrale cœnobium S. Pauli & claustrale S. Petri quod westmonasterium adhuc vocatur, posuerat; & vacauit sedes per quadraginta ferè annos; successit tandem Erkenwaldus de stirpe Regis Ethelberti, & qui ipso Augustino atque Laurentio prædicantibus fidem acceperat, sibique monasterium Certeseię, sorori suæ S. Eadburgæ cœnobium Barkingæ ædificauit, eiusdem prorsus normæ cum ijs quæ Augustinus & Mellitus fundauere. Non potest igitur dici propter irruentes bellicas clades monasteria Cantuaritarum prioribus cultoribus viduata, nouos alterius schematis habitatores accepisse. Vel tandem potuit causa mutationis esse, quod aliquis Episcopus potens, aut rex quispiam magnificus alterius regulæ recentiori sanctitate permotus eam priori eliminata in vetera monasteria introduxerit. At hoc de Angliæ monasterijs, intra sexaginta annos à fide recepta dicere, absurdissimum fuerit: vt cœnobia ab Apostolis suis ædificata, sanctissimæ adhuc disciplinæ, & obseruātiæ laude pręcipua, obseruantiā illā ab Apostolis suis receptā quis eorum mutare coegerit, & aliā illius loco suscipere; prorsus fuerit inhumanū, ne dicam impium. Si alterius regulæ, quæ illis digna videretur, propagandæ tenerentur, potius noua illi monasteria ædificassent, sicut noua veteri illi regulæ excolendæ passim erexerunt; quam veteribus è monasterijs primam regulam moribus & sanctitate florentem sine vllo monachorum demerito exturbassent. Quis igitur non videt, prorsus esse improbabile, quod asseritur ab aduersarijs, quos impugnamus, aliam regulam in monasterijs Cantuaritarum introductam anno 700. quam quæ ab ipsis Apostolis introducta fuisset? Et hanc nos coniecturam, modesto vocabulo vsi vocauimus: quam tamen ita irrefragabilem lectori apparituram credimus, vt in re historica locum demonstrationis non immerito possideat.

Nulla causa cur relinquerent.

Sicut omnes monachi sunt memoriæ Patriarcharum suorum studiosissimi; omnes fideles sunt Apostolorum suorum gloriæ feruentissimi, defensores: ita cæremoniarum suarum tenacissimos custodes esse solere regulares omnes, nullus negabit. Quantæ difficultates oborirentur, si ex monasterio San-Dionysiano Galliæ; aut Casinensi Italiæ; aut Fuldensi Germaniæ; aut Vedastino Belgij, eiectis monachis Benedictinis, antiquis videlicet à sæculo possessoribus, in eadem introducere vellent ipsi Pontifices & Principes Dominicanos, aut Carthusianos, aut Iesuitas? aut etiam Canonicos sæculares vel regulares? posseтne hoc ita pacificè fieri, vt nullus inde oriretur tumultus? Pontifici hoc molienti, nemo principum repugnaret? Principi hoc conanti, nemo Pontificum resisteret? nullumue populi murmur, & seditio; nulla ipsorum monachorum ad idonea tribunalia existeret appellatio? Quid dicemus de monialibus, quarum sexus impotentior, & in dilectis ac assuetis rebus mutandis intractabilior: illæne sine planctu solitam regulam passæ sunt sibi auferri? omnino oportuit magna cum nota fieri, si vnquam id factum fuit. Quantis contentionibus acta est controuersia inter con-

 cubinarios

cubinarios Sacerdotes, & monachos? quam diligenter propterea notant historiæ, quando & vbi monachi eiecti, concubinarij introducti, & vice versa. Vidimus, paulo antea, dum de monasterio Glastoniensi agebamus, ob cantum duntaxat choralem, quem Abbas Normannus, mutare voluerat, tantum exortum fuisse monachorum tumultum, vt in cæde & sanguine finierit: & qui non sunt ausi ne Abbatem alienigenam sibi inuitis impositum recusare: ausi sunt vsque ad sanguinem repugnare ne cantum, quem à discipulis S. Gregorij se recepisse gloriabantur, cantu Normannico mutarent: nec veriti sunt Triumphatoris Gulielmi, omnia pro suo arbitrio in Anglia, cui tunc iure victoris gladij dominabatur, disponētis iram, aut superciliū: nec ille Rex tātæ authoritatis, qui tāto studio passim Anglis deiectis suos Normannos Ecclesijs & Abbatijs præficiebat, indignam bonis monachis illam repugnantiam iudicauit, sed Abbatem propterea Turstinum, quamuis Normannum, in exilium deportari iussit. Quid facturos putamus istos monachos, quid istum Regem, si Abbas ille, non cantum solum, sed etiam habitum & regulam mutare præsumpsisset? Videbimus dum de monasterio Petroburgensi postea fiet sermo, cum Abbas Henricus cœnobium illud; disciplina mutata, non regula; Cluniacensi ordini subijcere tentasset: non monachos duntaxat, sed omnes etiam regni proceres & antistites ob rei indignitatem fuisse commotos; nec antea destitisse, quàm Abbas ille, etsi Regi Gallis impensius fauenti etiam sanguine coniunctus fuisset, mandato regio Abbatia illa eiectus, aliusque eiusdem cum monachis disciplinę fuisset ipsorum suffragijs concessus: quid facturos istos censemus, si aliam prorsus regulam, aliam monasticen Henricus ille introducere tentauisset? Quam est ergo incredibile, potuisse cathedralem Ecclesiam Archiepiscopatus Cantuariensis, aut Roffensis, aut insigne cœnobium claustrale S. Augustini, quæ ab ipsis Apostolis nostris sunt monasticis disciplinis informata, potuisse in aliam regulam, alium habitum, aliam disciplinam transferri, non dico sine tumultu, & repugnantia monachorum, principum, pontificum, aut populorum: sed nequidem vlla existente talis rei memoria, aut vestigio, aut vmbra vestigij? Sanciunt pontifices in bullis, Episcopi fundatores, Augustinus & alij in diplomatibus, Rex Ethelbertus, & Eadbaldus in dotalitijs & confirmatorijs instrumentis, sub grauissimis pænis, sub horrendis diris, & execrationibus, ne quis libertates, hæreditates, loca, res, iura monachis istis prædicatoribus suis, prædicatorum suorum alumnis & discipulis dilectissimis auferri, abalienari, aut quomodolibet infringi, vel diminui: quomodo ergo est creditu dignum, potuisse hæc omnia mutari, & ab antiquis possessoribus ad nouos alterius moris & regulæ, heterogeneos monachos deuolui? si reges & Pontifices, & Episcopi fundatores, in hoc consenserunt, quare non profertur illius consensus aliquod saltem vestigium? si non consenserunt, quis potuit tantam mutationem rerum ab illis tanto molimine stabilitarum inuehere? Omnino oportet eum, qui id credit fieri posse, ita esse comparatum, vt cœlum, & terram potius misceat, & quidlibet paradoxum procudat, quam veritatem, quam odio proinde habere conuincitur, amplectatur.

Quorū regum aut pōtificum consensus ad habitus fuit in mutationem.

Reges & Episcopi, & proceres Angliæ, tanta antiquitus cathedram Romanā prosequuti sunt reuerentia; vt nullam ecclesiam insignem fundare, nullum monasterium illustre ditare voluerint, cui non statim priuilegium perennitatis à Pontifice Romano concessum iri satagerint. Ipsi crebro ea de causa Romam misisse scribuntur; Inas pro monasterij Glastoniensis Benedictini à se restituti stabilitate; Koenredus & Offa pro cœnobij Euishamensis quod S. Eguinus à B. Virgine monitus pro monachis eiusdem regulæ ædificauerat firmitate, Romam profecti sunt, vt ex ipsis priuilegijs, quæ obtinuerunt superius ostendimus: Sanctus Rex Eduardus confessor, primum à Leone nono, deinde à Nicolao secundo Pontificibus priuilegia pro perpetuo robore donationum suarum quas Westmonasterij Abbatiæ S. Petri Londini, à se instauratę largitus est, missis ea de causa legatis, Ealduino Abbate Ramseyensi, & Burchardo comite, Algari filio, Leofrici Cestriæ illustris comitis nepote. Similia possunt pro omnis fere monasterij fundatione, cuiuscumque ordinis aut regulæ narrari. Non potuerunt noui ordines, nisi postulato expresse regum consensu in insulam admitti: ipse Augustinus consensum Regis Ethelberti expectauit; Gulielmus de Warenna magnificus Surreyæ comes, tanta præualens apud Regem Gulielmū socerū suū gratia, non nisi petita & obtenta Regis licentia Cluniacenses introduxit: de qua licentia concessa ipse sibi in charta fundationis gratulatur. Idem de alijs ordinibus tam monasticis & canonicis, quàm etiam mendicantibus potest speciatim ostendi: nullum ipsorum, sine expresso Regum licentia admissum; nullum sine expressis Pontificum Romanorum bullis in cœnobijs suis confirmatum. Qui ergo fieri potuit, vt ordo primus Apostolorū nostrorum à regibus primis Christianis fundatus, à Pontificibus per ipsorum Regum instantissimas preces amplissimis bullis confirmatus: sine Pontificum dispensatione & mandato, sine Regum consensu & permissione fuerit pro alio recentiori diuerso

uerſo commutatus? Certe qui hoc aſſerunt, debent oſtendere bullas Pontificum & diplomata principum, quibus ea mutatio vel iniungebatur, vel permittebatur. Sic inferius oſtendemus factum, cum Ameſbérienſes moniales ob turpitudinem vitæ eiectæ fuerint, & Fontiſ-ebraldenſes earum loco in cœnobium illud ſubſtitutæ. Habetur enim in archiuis regijs facti ratio in diplomate regio Fontiſ-ebraldenſibus conceſſo. Tale quid debet hic apparere, aut temeraria prorſus & imprudens erit aſſertio. Non poterant ipſi Abbates à conuentu eligi niſi regius conſenſus præiret, quo monachis permitteretur ſuffragandi & eligendi poteſtas: quam noſtri Iuriſperiti *Conge deslire*, Licentiam eligendi, appellabant; & poſteriorum Regũ temporibus, formula certa ſub regio ſigillo expediebatur; prioribus, ſufficiebat verbalis cõſenſus regis: Ita videmus Inam regem licentiam monachis prælatum de gremio ſuo eligendi concedere; ita reliquos omnes, quorum & ſuperiùs, & in appendice diplomata poſuimus: In quibus tametſi ius quoddam quaſi generale electionis liberæ cœnobijs ſtabilitur, tamen aliunde conſtat, exercitium iuris huius ſẽper fieri ſolitum ex ſpeciali præmonitione Regum: ita conſtat ex concordia regulari D. Dunſtani in proœmio, quod videtur hanc Regiorum priuilegiorum libertatem ſic interpretari: *Præfato* (inquit) *Synodali conciliabulo hoc attendendũ magnopere cuncti decreuerunt, vt Abbatum & Abbatiſſarum electio cum Regis conſenſu, & conſilio, ſanctæ regulæ ageretur documento*, (i. per ſuffragia conuentualium) *Epiſcoporum quoque electio vti Abbatum, vbicumque in ſede Epiſcopali monachi regulares conuerſantur.* Atque ita per omnes hiſtorias ſolent autores notare, quibus nuntijs ad regem miſſis licentia illa eligendi fuerit obtenta, ſæpe memorat hoc Mathæus Paris Albanenſis, ſæpe Gulielmus Malmeſberienſis, ſæpe etiam vtriſque ſenior in paruo quamuis libello, Ingulphus Crowlandenſis. Multo ergo magis per omnem modum debuit obtineri à Regibus, præſertim in monaſterijs fundationis regalis, vti erant hæc prima quæ Apoſtoli noſtri locarunt, obtineri etiam ſpecialis Regum permiſſio, vt noua regula, nouus habitus, nouus ordo, excluſis veteribus, importaretur. Etenim ſicut corpus propter animam eiuſque functiones: ita monaſterium propter regulam eiuſque ſancta & hierarchica exercitia; nec minus ergo intererat monaſterijs mutatio regulę, quam corporibus intereſt mutatio animæ, & ſicut licitè non eijcitur anima de corpore, niſi Rex iuſtis de cauſis hominem adiudicet morti: ſic nec regula de monaſterio, niſi Princeps conſultus etiam æquitate ſuadente velit monaſterium illud regula, quaſi anima priuare. Clarius hoc apparebit conſideranti Regum noſtrorum diligentiam in priuilegijs & fundationibus eccleſiarum ac cœnobiorum recenſendis, ac per chartas de *Inſpeximus* (vt anteà notatum eſt) confirmandis, & aliquando, ſi opus eſſet reualidandis: ne qua fraus fieret aut Regi, ſi falſa priuilegia obtenderentur, aut cœnobijs, ſi vera impugnarentur. Nullum cœnobium, nulla eccleſia fuit temporibus antiquis, cui huiuſmodi chartæ de *Inſpeximus* non fuerint à Regibus noſtris honorificè conceſſę; aliquas earum poſuimus ſuperius, dum de monaſterijs S. Auguſtini, ſanctique Petri Weſtmonaſterienſis ageremus. Siqua fuiſſet mutatio regulæ primitus in monaſterio aliquo plantatæ: non effugiſſet oculatiſſimos Anteceſſores iuris Anglicani; quia nihil ſimile, cum ad prærogatiuam regiam pertineret, prętrijſſent illi non examinatum. Et cum nihil in omnibus chartis prædictis appareat, quod vel vmbram mutationis inſinuet: profectò nullam mutationem extitiſſe manifeſtum eſt.

Dicet aliquis: non nominatur in priuilegijs antiquioribus S. Benedicti regula vel ordo ſed in recentioribus tantum. Sic prima mentio regulæ S. Benedicti pro monaſterio S. Auguſtini, & pro Weſtmonaſterio, facta eſt in priuilegijs S. Eduardi Confeſſoris. Primum dicimus, etſi non in illis, in alijs tamen antiquiſſimis, vt Euishamenſis & Glaſtonienſis cœnobij quæ ipſo Apoſtolorum ſæculo ſunt fundata, expreſſam regulæ ordiniſque S. Benedicti commemorationem fieri. Deinde fieri etiam in iſtis implicitè; tum quia ita nominat S. Eduardus regulam, vt ſupponat in omnibus antecedentibus priuilegijs monachos illius regulæ profeſſores fuiſſe: dat enim priuilegium, & firmat libertatem, non monachis de nouo introductis, ſed ſucceſſoribus legitimis illorum monachorum, quibus anteceſſores ſui, Ethelbertus, Eadbaldus, & reliqui principes primitus cõceſſerunt. Tum quia Ethelbertus & Bonifacius quintus, expreſſe dicunt, monachos illos fuiſſe de numero prædicatorum primorum Anglię, quos alij Reges & Pontifices exorta ſæpe de cathedralibus monachis amouendis controuerſia, aſſerũt non alios fuiſſe quam Benedictinos, vel quod idem eſt, eiuſdem fuiſſe regulæ atque ordinis cum illis monachis, de quibus amouendis Epiſcopi controuerſias illas ſuſcitantes tam diligenter contendebant. Qui Epiſcopi, cum tanto ſtudio acerrime de monachis ex Epiſcopali eccleſia deturbandis contra Dunſtanum, contra Lanfrancum, contra Radulphum Archiepiſcopum pugnarent: non tam hebetes erant & tardi, (quod antea notauimus) vt non obijcerent, monachos illos quibus prærogatiuam cathedralis monaſterij Pontifices & Reges

Mentio ordinis S. Benedicti in antiquiſſimis priuilegijs.

primi concessissent, iamdiu desijsse, istos, de quibus agebatur, sine Pontificum Regumue licentia subdole irrepsisse; si hoc tam facile probari, quam dici posse vidissent. Non erant tam plumbea illorum temporum ingenia, vt hoc non viderent: qui monachis S. Augustini exemptionis priuilegium ex Augustini scripto plumbea bulla munito obtendentibus, exceptionem doctam opposuerunt, de vsu plumbearum bullarum, non eius tantam fuisse antiquitatem, vt ad Augustini tempora posset applicari; Certè qui ibi tam subtiliter ex quæstione antiquaria non contemnendam obiectionem formauerunt: hic non tacuissent recentiorem Benedictinæ regulæ nouitatem, si ipsis Apostolis suis æquæuam non vidissent. Quare ergo, inquit, non tam crebrò nominatur in antiquis priuilegijs, quam in posterioris æui rescriptis? Primum, quia non est tam notabilis res, continuatio vel perseuerantia rei in eodem statu, ac insignis eius mutatio; nemo describit quoties luceat sol per annum, quia ille est cursus eius ordinatus, vt dies noctesque vicissim faciat, sine vlla interpolatione: at notarunt autores, quando Sole stante ad iussum Iosuæ, alio hemisphærio nox est prolongata, vnde Poetæ fabricati sunt suum Trinoctium Herculem; notarunt eclypses luminarium; nam ista rara sunt, ideoque notantur ab omnibus; assueta quadam sui copia vilescunt. Ita quare debuerũt historici notare, quandò regulæ Benedictinæ obseruantia perseuerauit? notarunt autem quando aliqua insignis in ea facta fuit mutatio; vt cum Amesbéria de Benedictina nigrorum monialium æde, facta est Fontis-Ebraldensium; quando Thetfordia desijt esse nigrorum, cœpit esse Cluniacensium; quando Paulina ecclesia de monastica facta est canonicorum sæcularium; Denique à tempore Augustini, vsque ad Danicas persequutiones nullam ordo Benedictinus passus fuit ecclipsim, sed fælicissimò cursu Angliæ toti lucem suam spargebat; quasi dies continuus, non est notatus; notata est ecclipsis sub Danis, & relatum est in tabulas omnia monasteria ab eis euersa, præter Croulandiam, S. Augustini Cantuariensis, & paucissima alia. Præterea circa annum 660. & aliquot deinceps annis, mentio fiebat monachorũ nigrorum S. Benedicti, quia erant Scoti Britonesque monachi albi, à quibus distingui possét ac deberent: transeuntibus deinde per vltimum S. Egberti conatum omnibus omnino monachis Scotis atque Hibernis in mores habitumque Benedictinum, non iam fuit causa retinendę distinctiuæ illius appellationis; nam cùm Britannis nulla fuerunt, aut rarissima Anglorum commercia, sed odia bellaque perpetua: cum Scotis & Hybernis erat quotidiana conuersatio, sed iam erant eiusdem moris in domo. Circa tempora Normanni, rursus assumpta est appellatio Benedictinorum, nigrisque monachis quasi κατ' ἐξοχὴν appropriata: iam enim cœperunt esse plurimi à quibus distinguerentur: Cluniacenses, Cistercienses sub eadem regula; Canonici nigri, & albi, & eremitę ac Dominicani sub regula Augustini; Gilbertini mixti, quorum moniales erant Cisterciensis disciplinæ, viri autem canonici albi, seu regulares; Franciscani quoque & Carthusiani, & ex Syria primo omnium in Anglia, tanquam olim ipsis nota sede, Carmelitę. Ab his omnibus distingui oportuit, ideoque tunc crebrius nomen Benedictinorum in priuilegijs apparet. At toto tempore intermedio, quia soli erant monachi Benedictini, nec vllus, alius ordo in Anglia agnoscebatur: eo ipso quo vocabantur in priuilegijs monachi intelligebantur Benedictini. Quod enim nemini erat ignotũ, non debebat inutiliter notari: nemo ignorabat monachos fuisse Benedictinos; nemo sciebat alios monachos quam Benedictinos. Quare, sicut frustra historicus ciuitates Angliæ enumerans, aut earum propria quædam attributa, priuilegia, prærogatiuas recensens, adderet ijs omnibus ciuitatibus communem esse linguam Anglicanam; hoc enim ipsius nationis Angliæ nomine compræhendi nemo ignorat: ita monachorum monasteria, eorumque priuilegia describentes, non opus habebant illud tunc addere, monachos illos, de quorum priuilegijs agebatur, fuisse Benedictinos; ipsum enim nomen Monachorum toto illo tempore hoc significabat. Vide hoc in aliquibus exemplis. Omnes historici nostri magno consensu notarunt (sicut antea diximus) quisnam primus in habitu sæculari factus fuerit Archiepiscopus Cantuariæ; nempe Stigandus: cæteros omnes ante illum fuisse monachos; & post illum omnes, vsque ad Gulielmum Corbulium, qui primus fuerat non monachus; (sic enim hoc notauerat Ordericus Vitalis) qui Canonicus regularis fuisse à multis putatur. Quis hic non videt ipsos per monachum, intellexisse Benedictinum? Sane siquis monachus inter illos extitisset, qui non fuisset Benedictinus, & hoc notassent sicut notarunt, quis primus de clero sæculari; Stigandus scilicet: quis primus de Canonicis regularibus; Corbulius népe: Quis primus Cisterciensis, puta, Balduinus; quis Cardinalium primus, in hanc sedem inductus, nimirum Stephanus Langton: quis primus Franciscanus, videlicet, Robertus Kilwarby. Sed quia ante Stigandum nemo alios monachos nouerat in Anglia prçter Benedictinos, ideo simpliciter scribebant, omnes ante illum Archiepiscopos monachos fuisse.

Nec caret magno pondere consensus quasi omnium historicorum nostrorum: qui siquãdo dicunt D. Augustinum Benedictinum fuisse (de antiquis loquor, qui antequam Baronius litem hanc suscitauit scripsere) semper id rotundè dicunt, & sine hæsitatione; non sicut de Curbulio aliqui scribunt, *canonicus, vt ferunt, regularis*; Sed tanquam de re ipsis comperta, & explorata incunctanter pronunciant, *Augustinus monachus niger*: *Augustinus monachus S. Benedicti*: idque cum minimè expectaretur vt hoc dicerent, nec materia postularet; Sed addere videntur solum vt nota ab omnibus nota secerneretur à magno Augustino Africano. Sic in martyrologijs, siue emortualibus libris, in quibus quotidiè pronunciabantur obitus, qui singulis diebus contigissent, siue sanctorum, siue fratrum & familiarium, siue benefactorum; vt primos orarent, pro alijs preces funderent; de Patriarcha nostro ita pronunciabant, *Obijt Benedictus Pater monachorum*. Alium scilicet patrem nunquam agnouerãt. Quod ne imperite ab illis factum quis dicat, voluit ecclesia sic dici in martyrologio publico Romano: 21. Martij: *In monte Casino, natalis S. Benedicti Abbatis, qui monachorum disciplinam in occidente pæne collapsam restituit, ac mirificè propagauit*; nempe per se, & discipulos suos dum viueret, quædam de nouo extruens cœnobia, plæraque omnia vetera per latinam ecclesiam sua disciplina informans: alias sane nec restituisset, nec mirificè propagasset, si pauca duntaxat cœnobia, & non plæraque omnia Occidentis cœnobia regulę suæ reformatione illustrasset: Aliũ sensum tam insigni præconio ecclesię nemo potest probabiliter affingere. Nec vero leuiculam esse hanc coniecturam dicat aliquis: nam nec vlli alij assignatur hoc elogium in toto Martyrologio, præterquã D. Benedicto, vt sit restitutor & propagator Monachismi per Occidentem. Quod nostra per Angliã Martyrologia significant, cum eum vocant Patrẽ monachorum; nec in vllo Martyrologio per vniuersum Occidentem à monachis conscripto nominatur Equitius Pater monachorum, non apud Adonem Treuirensem, non apud Florum aut Vsuardum Gallos, non apud Bedam, aut Wandalbertum Anglos, nec apud Rabanum, aut Notkerum Germanos, qui tamen ab Anglis suum monachatum acceperunt; qui omnes proinde ab Equitio monachatum se deriuare pernegant, eo ipso quod illum ne quidem in Martyrologio suo nominant nunquam vtique omissuri, si patrem suum existimassent. Addatur huic coniecturæ, quod regula S. Benedicti, iam ab initio in Capitulis Anglicorum cœnobiorum explicaretur, vt Cuthbertus fecit, vt faciendum monachis Wierensibus Alcuinus pulcherrima Epistola ex Gallijs scripta docuit. Tanti præterea ab ipsis regibus factam, vt Eadgarus S. Ethelwoldo villam integram dederit pro regula ab ipso in linguam Saxonicam traducta, vt in Chronicis manuscriptis Eliensis cœnobij legimus.

Sed & illud consideremus: nullum fere totius Angliæ monasterium antiquum extitisse, cuius non vsque hodie in bibliothecis Angliæ habeantur historiæ manuscriptæ: & quidem exactissimæ. In illis consignarunt, non solum gesta euentaque præcipua cuiuscumque Abbatiæ, verum etiam res minutissimas & quaslibet domuum mutationes; insigniores benefactores; imò & illustres hospites; ædificiorum ruinas & reparationes; bibliothecarum augmenta, sacrarij ornamenta, officinarum aliarum penè singula notabiliora, quis quæ dederit, auxerit, alienauerit: imo præterea celebriora Regum, Procerum, Episcoporum gesta: Adeo vt nihil fere extet in historijs plenioribus Angliæ digestum, quod non sit ex istis Abbatiarũ particularibus registris depromptum. Qui ergo tam exacte reliqua omnia notarunt: rem tantam quanta est mutatio regulæ Apostolorum nostrorum in Benedictinam non notassent? Omnium omnino monasteriorum, præsertim antiquorum natales & origines consignarunt: quo fundatore, qua occasione, quo Rege, quo Episcopo cœnobia fuerint erecta: seriem ipsam Abbatum à primo ad vltimum posuerunt; vt apud Ingulphum Croulandiæ, apud Mathæum Paris Albanensis cœnobij; vidimus ipsi catalogum plenum omnium Abbatum Euishamensis monasterij, & quod præcipuè notandum dicimus, S. Augustini Cantuariensis: nam cum istud monasterium nunquam fuerit aut bello vastatum, aut incendio vel ruinis dirutum aut alia quauis de causa dissipatum, vsque ad Henrici octaui tempora: quis non videt, siqua alia regula ibi pręter Benedictinam fuisset antiquitus & prius obseruata; voluisse scriptores historiarum illarum eum Abbatem signare, cuius ætate prior illa desierit obseruari, & nostra successerit obseruanda? Decem diuersa volumina seu registra manuscripta Augustinensis cœnobij nos ipsi vidimus, & reuoluimus, octo sunt in bibliotheca Cotoniana; nonum est in cista veterum librorum, in officio Scachariæ, quod vocatur Fanshewi; decimum habuit Grauissimus iuris antecessor, seu Seruiens ad Legem, D Henricus Finchius; Hæc omnia etiam peruolutauisse se asserit Clarissimus Seldenius in Spicilegio ad Edmerum: & nec ille inuenit, nec nos reperimus vllum huiusmodi mutationis vestigium. In illis tamen habẽtur exemplata, seu descripta omnia diplomata regũ, Pontificum, & Episcoporũ, quæcumque

Nulla memoria mutationis in regula Benedictina per Angliam factæ.

pro negotijs monasterij fuerant obiecta vel expedita nec illū cōparet pro regulæ Benedictinæ noua introductione, aut veteris vllius (quia nulla fuit veterior) extinctione: inter illa, quod videtur antiquissimum volumen, primo loco habet regulam S. Benedicti: deinde immediate diplomata S. Ethelberti, sanctique Augustini. Similiter in registro Malmesberiensis Abbatię, ab ipsa regula ducitur exordium, vt & in alijs aliquot aliorum cœnobiorum registris quæ inspeximus. Et Malmesberiensis liber post regulam ab ipsa S. Aldelmi infantia texit historiam, habetque omnes bullas Pontificales, à prima quam ponit Sergij Pontificis ad ipsum Aldelmum. Pari modo à regula initium ducit liber Dunelmensis, in bibliotheca Cotoniana, & ipsius Ecclesiæ Dunelmēsis; & liber Petroburgensis, qui à Saxulpho Abbate, anno 666 producitur ad tempora Eduardi primi post conquæstum Normannorum. Registrum etiam Abindoniæ ab anno 670. in collegio D. Benedicti Cantabrigiæ. In omnibus istis primo ponitur regula, deinde historia monasterij: nec vlla mutatę ab antiqua aut nouiter introductæ regulæ memoria: vt nec in additamentis Mathæi Paris, adhuc inæditis, in quibus antiquissimas res Albanensis monasterij persequitur. Sed & antiqui auctores, vt Bostonus, Scropus, Lelandus, Ecclestonius, alijque aliquammulti, quos se habuisse dicit Balæus, qui de introitu religiosorum ordinum in Angliam, aliud tempus Benedictinis nō assignant, quam ipsum S. Augustini aduentum. At in Glastoniensi Abbatia, quia reuera ibi viguit ante aduentum S. Augustini monachatus Ægyptius, notauit hoc ipsum Gulielmus Malmesberiensis, vt ex historia Glastoniensi manuscripta Seldenius diligenter admonuit: sed & primum eius cœnobij Abbatem, qui Ægyptio monachatu relicto Benedictinum susceperit, fuisse scribunt Worgresium Britannum. Sic & in monasterio Lindisfarnensi, quia prius viguit monachatus Scotorum sub Aidano, Finano, & Colmano: notatum est Benedictinam regulam introductam ibi sub Eatta Abbate à S. Cuthberto ipsius Præposito fuisse; vt & in Malmesberiensi à S. Aldelmo, ante quem, non quidem Abbatia, sed Schola tamen sub Maidulpho monacho Scoto, locus ille fuerat. Cum igitur in monasterio S. Augustini, & S. Saluatoris Cantuariensis ab ipso Augustino ædificatis, non appareat vlla prorsus interceptio aut interpolatio obseruantiæ monasticæ, sed eadem quæ fuit sub Lanfranco, Dunstano, Odone, fuerit etiam sub Theodoro, Henrico, Augustino; certè quin illa fuerit Benedictina negari nullatenus potest, nisi ab incredulis & male affectis ingenijs.

Sed & illud consideratione dignum est: in monasterio S. Augustini primorum Archiepiscoporum septē corpora, vsque ad Brichtwaldum (quem certum est fuisse Benedictinū ex Glastonia, postquam Inas rex illam libertate electionis Abbatum secundum regulam D. Benedicti donasset) tumulata fuisse: est ne credibile, monachos illos primos qui adhuc sanctitatis laude florebant, voluisse regulam illam derelinquere sub Bertwaldo, quam tam paucis antea annis ab Augustino Gregorioque suscepissent obseruandam? ad eorum corpora præsentia quotidie canebant sine rubore, quorum memoriam tam neglectam habebant, vt regulam ab eis receptam abiecerint? Ipsum hodie psalterium quo vsus est in officio recitando S. Augustinus, ipse liber Euangeliorum in duo partitus volumina, quem secum vir sanctus adduxit hodieque ostenditur: tam diligentes erant monachi illi custodes librorum quos ab Apostolo & fundatore suo acceperunt: & regulam ab eo acceptam, secundum quam actus & mores suos formare debebant, quam sine dubio instantissimè illis commendauerat Gregorius, adhuc calentibus ossibus defunctorum patrum suorum, tam facile pro noua aliqua institutionis regula dereliquerint? Iniuriam profecto illis facit, qui facit eos Fundatorum & Apostolorum suorum tam irreuerenter immemores.

§. 20. Demonstratio sexta:

Non posse ostendi aliam originem ordinis in Anglia: nec alium ordinem Apostolis nostris assignari.

QVod si hęc dubia adhuc manent Gallonijs aliquibus: ostendant illi quādonam ordo D. Benedicti inuectus fuerit in Angliam: quis eam importauerit, si non importauerit Augustinus, quandoquidem eo ipso tempore floruisse illam vidimus, quo vixit Augustinus. Atqui non poterit aliud initium ordinis ostendere, quam fidei prædicatæ in Anglia; nec alium ordinem Apostolis nostris assignare, quam illum. Quid enim per omnem iam Italiam, Galliam, Hispaniam, imo in aliquibus partibus Germaniæ & Palæstinę disseminata fuit hæc regula

gula: idque Gregorio ipso mandante, & diligenter procurante: & Gregorij discipuli eam in Angliam à se conuersam non intulerunt? Aut quasi Equitianæ regulæ miserti, quam videlicet ex toto reliquo occidéte succressens Benedictina regula deiecerat, & quasi de possessione deturbarat, & ciuitate exulatum miserat, ei sedem aliam quærenti receptum dederint in Anglia? Nugæ meræ. Ostendemus igitur & nullam aliam regulam monasticam, aut religiosam viguisse in Ecclesia Latina à tempore S. Gregorij, quam Benedictinam; & illam reuera ab eo tempore, & ante illud tempus per totum reliquum occidentem receptam fuisse: & tunc demum apparebit, quã imperitè, & improbabiliter Gallonius eumque sequuti Spondanus & alij eius sententiæ proxenetæ, dictitant, sine fundamento nos Gregorij discipulos, prædicatores Anglorum, Benedictino ordini inserere. Nam si totus occidens reliquus iam tum Benedictinæ regulæ sua subiecerat cœnobia: idque ex Gregorij præcepto; & propterea alij Gregorij discipuli eam alijs in locis plantauerint: quæ ratio suadere poterit prudentibus, vt idem non credant factum fuisse à nostris primis in Anglia Magistris & Apostolis? Erit autem vtrumque eorum, quæ proposuimus, probatum & demonstratum, si probauerimus, à temporibus D. Gregorij, vel paulo antea nullum aliud genus religiosorum in occidente viguisse, præter monachos, & per illos vsque ad ea tempora intelligi duntaxat Benedictinos, ac proinde rectissime, ab eius ætate descendendo, omnes per occidentem monachos ab ordine nostro tanquam propaginem prolemque suam vẽdicare. Ponamus autem primo loco, quod verissimum arbitramur, omnes olim monachos vt illius nominis communione ita etiam modo viuendi, & fine exercitationis inter se conuenisse, vt pro vna eademque specie religiosorum, seu votis astrictorum haberentur; sicut diuerso omnes ecclesiasticos, sæculares etiam hodie communi nomine, eademque vt sic dicam specie clericorum compræhendimus. Quare, sicut cuiuscumque Ecclesiæ clerici sæculares, in quamcumque alterius prouinciæ Ecclesiam deuenerint, non censentur tamen habere diuersi generis clericatum; ita & monachi eodem penitus modo, quacumque incederent, non reputabantur diuersi generis monachatum gerere. Differebant quidem nonnullis cæremonijs, varietatibusque victus, & vestitus, & mortificationum, pro qualitate locorum & regionum, quæ vt non omnes eiusdem erant temperaturæ, ita nec eundem ferebant victus vestitusque modum: quæ varietas etiam in clericis inueniebatur necessario, nec tamen, vt diximus, diuersum faciebat clericatum, vt perinde etiam diuersum non efficeret monachatum. Iam finis quoque immediatus omnibus monachis vnus idemque tunc erat propositus, nempe fuga sæculi, mortificatio sui, contemplatio Dei; occupatio operum manuum & chori; erantque omnino exempti à vitæ actiuæ munijs in plebe exercendis; nec ad animarum curam assumebantur, aut ad officium aliquod Ecclesiastici gradus, quin etiam vt plerumque ab Abbatis imperio monachorumque sodalitio eximerentur. Adeo vt sæpius etiam presbyterum aliquem de clero diœcesis ab Episcopo haberent assignatum, in occidente præsertim, qui in monasterio sacrificia sacramentaque fratribus dispensarent: sæpe tamen ex ipso monachorum gremio presbyter aliquis monachis postulantibus ad eum duntaxat finem arbitrabatur, nec nisi vnus aut paucissimi talem dignitatem etiam in numerosissimis monasterijs adipiscebantur: qui quamuis adhuc monachi essent, tamen quia clericale intra septa monasteria officium exercebant, iam non amplius monachi, sed honoris causa presbyteri appellabantur; vt Hieronymus presbyter, Beda presbyter, & ita alij. Ex quo valde decipi conuincuntur, qui quem diaconum aut presbyterum, nominatum inueniunt, statim monachum esse pernegant. Ergo omnes viri Ecclesiastici, qui sub nutu Episcopi, aut in eius conuictu exteriora Ecclesiæ principalis ministeria peragebant, aut in parochijs vrbanis vel ruralibus administrandis, animarumque cura occupabantur, Clericorum nomine, aut etiam canonicorum veniebant: qui verò separati conuictu plebis & secularium, arctioribus votis astricti, possessionibus proprioque abrenunciabant, sub nutu & directione Abbatis, ij omnes monachorum nomine censebantur; & siue sub magno Antonio, siue sub Pachomio, siue sub Basilio exercerentur, pro distincto tamen genere non habebantur; sed sicut clericus quispiam Athanasij, aut Chrisostomi, aut Romanæ Ecclesiæ, non erat distincti clericatus à reliquis per orbem terrarum clericis: ita nec monachus Pachomij, aut Antonij, aut Hilarionis, aut Basilij, distincto monachatus ordine censebatur: vt neque nunc quidem in Græcia, & Ægypti, Libiæ, Palæstinæ, Abyssinorumque regionibus censetur. Quare nec Sanctus Benedictus regulam scripsit vt peculiare genus monachorum, à reliquis diuersam institueret: sed vt omnes omnino monachos, qui tunc passim sine regula certa in occidente viuebant, certa fixaque disciplinæ norma informaret; idemque de S. Pachomij, Sanctique Basilij regulis in Orientali & Græca Ecclesia. Tunc autem cœperunt vocari in Occidente Monachi Benedictini, aut potius secundum

Quãdo cœperint distincti ordines monachorum haberi.

cundum

cundum normam & regulam S. Benedicti, quando Gregorio magno approbante, & mandante omnibus monachis per Latinam Ecclesiam proposita est, vt secundum eam sua formarent monasteria: & quia tunc totus occidens huic sese conformans pastoris sui ordinationi, regulam hanc in omnia cœnobia introduxit, ab eo iam tempore cœpit Latinorum monachorum essentialis quasi distinctio, à reliquis monachis antiquioribus, quiue in Græca & orientali ecclesia viuerent: quod hi quidem non ad regulæ vllius scriptę certam limitatamque disciplinam agerent, sed antiquas à prioribus Abbatibus consuetudines & traditiones; Latini vero iam præter selectas, & naturæ Occidentalium hominum conuenientiores consuetudines regulam S. Benedicti sub tribus solemnibus votis, statisque & immutabilibus legibus profiterentur: Vnde postea & alij per Ecclesiam Latinam monachorum ordines à Benedictinis distincti orti sunt, qui distinctas regulas à Pontificibus approbatas profitebantur, vt Augustini, Francisci; ipsiusque adeo Basilij: qui in Ecclesia Latina distinctum genus monachorum, nostris valde simile effecerunt; cum in Gręcia ipsa & Palæstina & AEgypto, vt iam diximus omnes prorsus monachi, vnius generis & ordinis habeantur.

Quinā monachi vnius & eiuldem ordinis debeant æstimari.

Ponendum etiam secundo loco duximus ex philosophiæ decreto, legumque ciuilium statutis, ad vnitatem communitatis cuiuscumque requiri continuitatem, sine vlla interpolatione & interruptione perseuerantem. Sic ignis vnus dicitur, qui sine intermissione substitutis lignorum fomentis alitur: quodsi semel deficiente nutrimento penitus extinctus fuerit, iam non erit vnus idemque ignis qui in eodem altari vel camino excitabitur. Ita Pōponius. §. *Si grege*; D. *de legatis* dicit: *Si grege legato aliqua pecora viuo testatore mortua essent, inque eorum loca alia essent substituta eundem gregem videri: & si diminutum ex eo pecus esset, & velut vnus bos superesset, eum vendicari posse, quamuis grex desijsset esse.* Sic & Alphenus in L. *Proponebatur* D. *de iudicijs*, afferit: *Legionem eandem haberi, ex qua multi decessissent, quorum in locum alij subiecti essent.* Sed longe clarius L. *Sicut municipium.* §. *In decurionibus.* ff. *Quod cuiusque vniuersitatis nomine, vel contra eam agatur*; docet Vlpianus: *In decurionibus vel alijs vniuersitatibus, nihil refert vtrum omnes ijdem maneant, an pars maneat, vel omnes immutati sint. Sed si vniuersitas ad vnum redijt magis admittitur posse eum conuenire & conueniri: cum ius omnium in vnum reciderit, & stet nomen vniuersitatis.* Quare secundum Philosophiam & iura, quę semper in veris Philosophiæ decretis fundantur, monasterium, Congregatio, vel ordo Religiosus haberi debeat pro vno eodemq; corpore seu collegio, etiamsi multa sæcula durauerit, & sit reuera vnū quid successione tantum hominum sibi inuicem in eadem corporatione seu collegio substitutorum; modo id factum fuerit sine interruptione: at si indiuiduorum seu personarum successio in communitatis nomine & iuribus non fuerit continua, sed aliquando penitus interpolata iam desijt esse collegium seu communitas, quæ prius fuerat; & si noua excitetur, alia erit à priore diuersa. Quare cum ab ipso D. Benedicti tempore per totum occidentem nunquam hucusq; desierint esse monasteria, Congregationesque, & communitates illustrissimæ, quæ regulam illius custodierint; imo multi sint conuentus, atque etiam monasteria, quæ continuata sine vllo interruptionis interuenientis obiectu successione monachos sub eius regula ab ipsius exitu, hucusque habuerint, vt de Casinensi in Italia, S. Æmiliani, & Caradigniensi in Hispania, S. Medardi in Francia certissimo constat: propterea Ordini S. Benedicti inter reliquos ordines regulares perfectæ, & indubitatæ antiquitatis prærogatiua debetur. Vnde quamuis sancti ordines qui regulam S. Augustini profitentur, regulam quidem ostendant ab Augustino (qui diu ante S. Benedictum Patriarcham nostrum floruit) conscriptam; & fortassis viris, absque vllo dubio fæminis iniunctam: non tamen hanc antiquitatis habet in occidente dignitatem: cum non videatur posse suarum communitatum cum monasterijs quæ Augustinus, aut eius discipuli erexerint, continuitatem. Similiter & de alijs ordinibus dictum volumus, qui successionem minime interpolatam nequeunt ostendere. Quare sanctos monachos, & illustria cœnobia, quæ regulam D. Benedicti ab eius vsque exordijs per orbem suscepere tanquam eiusdem nobiscum ordinis homogenea membra merito vendicamus: Quos autem sanctissimos monachos animaduertimus, vel ante D. Benedictum vixisse, vel post ipsum, qui illius regulam professi non videntur fuisse, quamuis forte colore tantum habitus, & paucissimis obseruantijs ab eius instituto differentes, nostri tamen ordinis esse non putamus. Vnde nec Scotos Britannosque maioris insulæ Britanniæ incolas, ante tempora Augustini, prædicationemque (vt diximus) Wilfridi, Cuthberti, & Egberti, nostro numero adijciendos putamus, nec eos etiam, qui in Hibernia exercebantur, donec à sede Apostolica, monachisque Anglis correcti catholicum pascha, tonsuramque monachorum Romanorum receperunt: quia nimirum quantumuis moribus & ascesis seu exercitationis genere parum aut nihil à nostris distabant: regulam tamen S. Benedicti nondum susceperant. Simili causa & eos

& eos qui ante D. Patrem Benedictũ viuebant, siue in Lirinensi & Agaunensi aut Massiliensi clarissimis cœnobijs Galliarum, siue per monasteria Italiæ, aut Aegypti vel Siriæ, arrogamus tanquam ordinis nostri communitates: quia regulæ nostræ, quæ anima est & forma ordinis nostri, non fuere subiecta: vtcumque S. Benedictus ipse regulam scribens, non magis suos ab illis distinctos monachos videatur arbitratus, (nec reuera ante hanc à regulæ professione ortam distinctionem fuerint) quam nunc sint clerici sæculares horum temporum, ab illis, qui antiquis primitiuæ ecclesiæ temporibus floruerunt. Quare propter eandem hanc in disciplina monastica continuatam successionem, quod nos non facimus (qui vltrà regulæ nostræ Legislatorem Benedictum natales nostros non arcessimus) suo tamen iure videntur facere Carmelitæ: qui cum reuera à monachis Syriæ Palestinæ per non interruptam seriem sese deriuent (à Carmeli enim monast. ijs in Angliam, vt posteà videbimus, ab Anglia in reliquas prouincias sese dilatauerunt) merito antiqui monachatus Aegyptij Palæstinique professores, tanquam patres suos, ordinisque sui sydera colunt & venerantur.

Iam vero ostendamus, quod initio huius paragraphi proposuimus, alium ordinem religiosum non floruisse in ecclesia Latina, à tempore S. Gregorij, & ante, quam Benedictinum cumque ab illis hucusque temporibus passim in eadem viguisse. Id vero sic docemus quia nõ alia nomina ordinum, seu communitatum Deo in disciplina religiosa seruientium ab anno octingentesimo quinquagesimo sursum ascendendo (vt in antiquitate familiarum probãda fieri solet & debet) quam canonicorum, & monachorum; & canonicos illos qui ante illum annum in historijs, concilijs, monumentis veteribus, non fuisse regulares propriè dictos, votis astrictos, & proprij abrenuntiationi obligatos; monachos autem illos fuisse vsque ad D. Gregorij ætatem Benedictinos facilè demonstrabimus; Et hoc agentes, Gallonij regulam habebimus ante oculos positam, vt non ampliorem nobis fidem à lectore postulemus, quam rationes firmissimæ, & veterum attestationes veridicæ, & indubitatæ promeruerint.

Incipiamus à concilio Aquisgranensi, quod anno 836. sub Gregorio 4. Pontifice, & Ludiuico Pio Imp. celebratum fuit in quo habetur hoc Capitulum num. 15. In custodijs verò „Congregationum tam Canonicorum, quamque Monachorum, nec non Sanctimonialium „summopere studendum censuimus, vt in omnibus locis claustra eis prouideantur religioni „eorum congruentia, sed & habitacula domorum in quibus religio Deum sequi volentibus „perfici atq; augeri possit, potius quã vitia nutriri. Hoc tamen vt non negligatur à Prælatis „congregationum, * Missis Dominicis committatur. Modus autem erga ipsarum congre„gationum disciplinam hic esse debet, id est, vt canonici secundum id quod continetur in li„bro, qui de eorũ vita collectus est, religiose conuersentur; Monachi veri secundum tradi„tam à B. Benedicto regulam vnanimiter, quantumcumque posse est, cuiusque religionis „regularem vitam in omnibus sectentur. Sanctimoniales denique secundum id, quod earundem sexus fragilitati congruit, religioni cum omni diligentia subdantur. Concilium hoc Aquisgrani iussu Imperatoris conuenit, vt ab Episcopis statueretur regula pro ipsis Episcopis, & pro Abbatibus ac inferiorũ graduum ecclesiasticis, & pro ipso Imperatore eiusque familia: Cum ergo in secundæ partis, cap. 1. de Abbatibus Canonicorum, in cap. 2. de Abbatibus monachorum; in 3. de reuerentia monachorum erga presbyteros parochiales; in 4. & sequentibus vsque ad 12. de presbyterorum parochialium ac ruralium vita, in 12. 13. & 14. pauca de Sanctimonialibus statuissent: in hoc cap. 15. remittunt tam Canonicos; quam monachos & moniales, ad latiorem institutionem, quæ vtrisque per anteriora concilia fuerat præscripta: Canonicos quidem, ad librum de eorum vita & moribus formandis, in concilio Aquisgranẽsi alio, anno 816. celebrato: Monachos vero ad regulam S. Benedicti; Et quia duo etiam erant genera monialium, vnum Canonicarum, aliud Monacharum, vtrumque ad supradicti concilij institutionem ablegat in cæteris, quæ hic non traduntur. Quare hic primo certum est, hoc Concilium ex professo agens de personis Deo dicatis in toto imperio Occidentis, non agnouisse alias personas, quam vel Canonicos, vel Monachos Benedictinos. Videamus hoc clarius ex concilio Aquisgranensi anteriori; anni 816. In quo de Canonicorum vita præcipuè agitur; & ex eo clarissime ostendamus, & Canonicos illos, quos ibi instituit, non fuisse Augustinianæ regulæ professos; & ne quidem religiosos, siue regulares ea notione vocabuli, qua nunc vocamus regulares seu religiosas personas illas tantum, quę Deo per tria vota, & plenam abrenuntiationem Deo sese dedicauerint. Primum istorum clarum est, ex ipso Concilij proœmio quo paucis præmissis de Pij Imperatoris sancta intentione in hoc „concilio congregãdo, hæc subduntur: Eousque inter cætera peruentum est, vt eundem san„ctum & venerabilem, Deo annuente aggregatum conuentum consuleret, imo consulendo admoneret,

Vsque ad annũ 836. non alij monachi noti Europæ, quam Benedictini.

* Legatis siue Nũcijs.

Canonici quibus Patres Aquisgrani regulã dederũt fuere sæculares.

„admoneret, super quibusdam ecclesiarum Praepositis, qui partim ignorantia, partim de-
„sidia, subditorum curam parvipendebāt, & hospitalitatē minus iusto diligebant; quid facto
„opus esset. Adiunxit etiam monendo, vt quia Canonicorum vita sparsim in sacris cano-
„nibus & in sanctorū Patrū dictis erat indita; propter simplices quoq; minusque capaces,
„aliquam ex eisdem sacris canonibus & sanctorum Patrum dictis institutionis formam pari
„voto, parique consensu excerperent, per quam patenter praelatorum & subditorum vita
„monstraretur; quatenus omnes qui canonica censentur professione, per viam propositi
„sui inoffenso gressu incederent, & in Christi militia deuotius vnanimes atque concordes
„existerent. *Et postea de Episcopis*: Suscipientes ergo libentissimè hilariterque eius saluber-
„rimam, multis, Deo iuuante, profuturam admonitionem, licet plerique auxiliante Deo,
„deuote ac religiose cum sibi subiectis canonicam seruent institutionem; & in plærisque
„locis idem ordo plenissimè seruetur: omnium tamen id animis sedit, vt secundum eiusdem
„principis admonitionem, vnà, diuino freti auxilio, & eiusdem pijssimi principis non mo-
„dico adiuti iuuamine; (eius videlicet liberalissima largitione copiam librorum præmanibus
„habentes) ex canonica auctoritate & sanctorum Patrum dictis, veluti ex diuersis pratis
„quosdam flosculos carpentes, hanc institutionis formam excerperent, & Canonicis obser-
„uandam conferrent. *Et postea de regula Canonicis monialibus, seu canonissis præscripta*:
„Nam & in altero libello idem sacer conuentus, eodem religiosissimo Augusto monente,
„quandam institutionis formulam ex sanctorum patrum dictis studiose excerpsit, & in vnū
„breuiter satisque congruenter congessit, & Sanctimonialibus canonicè degentibus tenen-
„dam porrexit: In qua continetur, Quales eis Abbatissæ præferendæ sint; Qualiter eis-
„dem Sanctimonialibus infrà claustra monasterij viuendum; Quid à Prælatis stipendiorum
„dandum; Quibus documentis, & virtutum instrumentis exornandæ sint; quatenus hac
„formula viuendi inspectâ, & Deo sibi adiutorium præbente, humiliter suscepta; & effica-
„citer impletà, cum bonorum operum lampadibus venienti sponso occurrere, atque eius
„thalamum ingredi mereantur.

Sicut & Canonissæ.

Deinde sequitur institutio Canonicorum descripta ex multis Conciliorum antiquorum canonibus, ex multis Capitulis S. Isidori, Sanctique Prosperi, & S. Gregorij: ex aliquot Epistolis S. Hieronymi, & ex duobus sermonibus S. Augustini de communi vita clericorum, & vno sermone eius de pastoribus: Itaque primo ex Isidoro, Prospero, Gregorio, & Hieronymo, hoc est, ex vnoquoque istorum patrum longe plura sumpta sunt quam ex S. Augustino; deinde nulla prorsus fit mentio regulæ S. Augustini, nec quicquam ex illa decerptum est: quippe quam non viris, sed mulieribus; nec canonicabus, sed monachabus datam esse aperte supponunt. Cur enim alias; si hic de Canonicis Augustinianis informandis ageretur non potius & præcipuè ex Augustini regula desumpta esset informatio? Imo, si Canonici isti essent Augustiniani, quare sicut patres in sequenti synodo Aquisgranensi monachos omnes ad regulam S. Benedicti instituendos ablegant non etiam Canonicos ad regulam S. Augustini remittunt; sed disertè ad hanc institutionem ex canonibus conciliorum dictisque longe pluribus aliorum patrum, quam S. Augustini, collectam, tanquam regulam canonicæ conuersationis eosdem particularius informandos reuocant? Sane non aliam ob causam, quam quia nullos tunc Canonicos S. Augustini nouerat occidentalis ecclesia; nec vllam Canonicis regulam præscripsit Augustinus, vt expressè constat ex sermonibus de communi vita clericorum; sed duntaxat communem vitam Apostolorum eis imitandam præscripsit.

Non fuere secundum regulā S. Augustini.

Et quamuis hæc deductio satis manifesta cuilibet appareat: adhuc tamen ex secundo capite fiet manifestior. Nā quin Canonici regulares S. Augustini, sint vere & propriè loquēdo religiosi, perfectamque abrenuntiationem profiteantur, nemo est qui ignorat: Atqui Canonicum ordinem, seu Canonicos fratres, quibus informandos hic patrum Aquisgranensiū labor inuigilauit, quibus pius Imperator regulam aliquam præscribendam ex Canonibus ecclesiæ dictisque sanctorum consuluit, non fuisse propriè loquendo religiosæ abrenuntiationi astrictos apertissime dicit ipsum concilium, primò quidem cap. 114. Vbi hanc proponit obiectionem contra magnam ex Canonibus Ecclesiasticis, patrumque sanctionibus perfectionem clericis iniunctam: *Propter quorundam simplicium verba, qui religiosis & eruditis viris se admonentibus ac redarguentibus plærumque obijcere solent, solos monachos scripturarum sanctarum præcepta obseruare debere; operæ pretium duximus quædam Euangelica & Apostolica quam breuissime ad medium deducere præcepta, vt hæc huiuscemodi imperiti homines audientes, hisque aurem cordis accommodantes, intelligant quæ sibi, quæ monachis conueniat obseruare præcepta.* Deinde quid pertineat ad monachos, sic exequitur: *Qui enim mente & corpore vult contemnere sæculum, & pauper sequi Christum, audiat ipsum dicentem in Euangelio, Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes,*

Non abrenūciabant sæculo.

habes, & da pauperibus, & sequere me. Et iterum; *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Ad discipulos autem, *vos, inquit, qui reliquistis omnia & sequuti estis me, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Hæc & huiusmodi præcepta, solis specialiter congruunt monachis, & quanto singularia, tanto præcipua.* Itaque indicat Concilium monachis conuenire illam perfectionem, quæ non solum mentis præparatione, sed etiam actuali corporis abrenuntiatione, sæcularia relinquit. Cæteris autem non monachis, eam solum perfectionem dicit esse à Domino iniunctam, quæ in animi præparatione consistit, quando videlicet optio datur, aut Deum offendendi, aut sęcularia relinquendi; *Dicit etiam Saluator generaliter omnibus* (inquit Concilium) *Omnis qui venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & vxorem, & filios, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et iterum: *Qui amat filium & filiam super me, non est me dignus*: Et ita deinceps longa serie enumerat auctoritates multas scripturę, quibus hæc interior animi præparatio quidlibet potius patiendi, quam vt in Deũ peccare sustineamus omnibus omnino Christianis præcipitur velut necessaria. Cõstat igitur apertè Concilij patres, à canonicis suis quos informat, nihil amplius exigere, quam à sæcularibus (quos hodie vocant) canonicis siue clericis exigunt aut sane iuxta antiquos canones, exigere possunt Episcopi. At ne videatur hæc tantum nostra collectio & non mens ipsa Concilij esse, in sequenti capite 215. disertis verbis id rotunde enunciat. Quamquã enim Canoni-
„ cis (*inquiunt Concilij patres*) quia in sacris canonibus illis prohibitum non legitur, liceat
„ linum induere; carnibus vesci; dare & accipere; proprias res & ecclesiæ cum humilitate &
„ iustitia habere; quod monachis, qui secundum regularem institutionem arctiorem ducunt
„ vitam, penitus inhibitum est: tamen in cauendis vitijs & amplectendis virtutibus, eorum
„ & monachorum distare non debet vita. Monachi namque, qui Euangelicum præceptum
„ sequentes, distractis atque renunciatis patrimonijs sua Christo dedere; merito de facultati-
„ bus Ecclesiæ subsidium accipiunt temporale: vt quia tanto mentis desiderio cælestia appe-
„ tunt, sic in hac peregrinationis via sumptibus dominicis sustententur, quatenus ad ea, quę
„ contempserunt, minime redire qualibet necessitatis causa compellantur. Et quia nihil sibi
„ proprium reliquerunt, manifestum est illos copiosius Ecclesiæ sumptibus, quam canoni-
„ cos, qui suis & ecclesiæ licite vtuntur rebus indigere. Vnusquisque enim (vt ait Aposto-
„ lus) proprium donum habet à Deo. Hic certe ita nulla circuitione vsi sunt patres, ita clarè mentem suam explicuerunt, vt nihil possit amplius requiri, ad illud probandum, quod assumpsimus; nempe tempore Ludouici Pij, nondum fuisse cognitos canonicos regulares ordinis S. Augustini; & Canonicos in commune viuentes, etiam sub Abbatibus & Præpositis illo tempore, non fuisse regulares (prout nunc vsus habet vocabuli) sed reuera sæculares, quibus præter præbendas aut (vt concilium hoc vocat) *stipendia* quæ ab Episcopo & Ecclesia cui inseruiebant, accipere oportuit, etiam sua licuit retinere, & quibus vellent dare; solumque in hoc à sæcularibus canonicis nostri temporis differre; quod in communi domo ad mensã cõmunem, in dormitorio cõmuni viuerent, sicut nunc in Academijs Seminaria clericorum faciunt. In Gallijs autem quam plurima adhuc collegia canonicorum sæcularium visuntur illius veteris instituti; quos licet pios & sanctos viros, & ex virtutum actibus religiosos dicere poterimus: non tamen religiosos, aut regulares, ea notione, qua nunc ita vocantur soli illi, qui perfecte abrenunciantes sæculo, nihil prorsus retinent in sua potestate, de quo possint, tanquam re propria, disponere. Et sicut tales intellexit & agnouit Aquisgranense concilium Canonicos: ita Canonicas non alias informauit alia simili regula ex dictis patrum, quam quas vulgo Dominas, & Canonissas simplici voto duntaxat sub Abbatissæ regimine astrictas vocant. Quamquam enim non extet, aut saltem nobis nondum innotuerit illa canonicarum regula, quam concilij patres se collegisse scribunt: ex concilio tamen Cabilonensi secundo, sub eodem Pio Imperatore eundem in finem congregato, satis colligitur euidenter, non aliud intelligi vocabulo Canonicarum, quam quod diximus. Sic enim ibi cap. 53. dicitur: *Libuit namque huic sacro conuentui quasdam admonitiunculas breuiter sanctimonialibus scribere, quæ se Canonicas vocant: quoniam hæ, quæ sub monasticæ regulæ norma degunt, totius vitæ suæ ordinem in eadem, quam profitentur, regula scriptum habent.* Et post vndecim capitula canonicarum istarum informationi impensa, subditur cap. 65. *Quicquid in his capitulis minus est, ab Episcopo suo Abbatissa requirat: & illi in omnibus obediens sit, secundum canonicam institutionem, sicut iustum & rectum est.* Cur non remittunt ad regulam S. Augustini monialibus præscriptum? nempe quia istæ non erant religiosæ solemnibus votis astrictæ, & sub Abbatissis, viuebant; & cum proprio: quod sane Augustinianæ regulæ non competit. Pręterquam quod vel hinc apparet eam regulam nondum in nostris regionibus fuisse admissam. Per monasticam autem regu- Idem de Canonissis.

M lam,

lam capi debere Benedictinam, constat, tum ex capite decimo-quinto secundæ partis
concilij posterioris Aquisgranensis, quod supra posuimus; tum etiam ex capite 22. huius ip-
sius Concilij Cabilonensis secundi, quod est in hac materia pro causa nostra apertissimum:
De Abbatibus verò & monachis (inquiunt concilij Patres) *idcirco hic pauca scribimus, quia pene*
omnia monasteria regularia in his regionibus constituta, secundum regulam S. Benedicti se viuere faten-
tur: quæ Beati Benedicti documenta per omnia demonstrant, qualiter eis viuendum sit. inquirant ergo
diligenter, vbi secundum ipsum ordinem viuitur, & vbi ab ipso ordine digressum est: & iuxta eiusdem
beati viri institutionem viuere certent, qui se vt ita viuerent, cum attestatione professi sunt. Et vide-
tur sane Pius Imperator hoc ipso decreto inductus, vt Aquisgrani concilium indiceret, anno
817. præcipuorum Abbatum Occidentis, ad hanc inquisitionem de recta regulæ Benedicti-
næ obseruantia conuocasse: quo in concilio decreta sunt ab Abbatibus octoginta capitula
siue canones cum expressa multoties regulæ Benedictinæ eiusdemque obseruationis iniun-
ctione, imo verbis & præceptis eiusdem sæpius syllabatim sententiatimque positis: quæ in
tomo 3. conciliorum ad annum illum 817. habentur: quæque testatur Leo Holsténius à Casina-
tibus monachis pari pene veneratione cum ipsa regula custodiri; Nec ab illis solum custodie-
bantur: nam & per omnes Abbatias imperij Missi siue deputati à Principe grauissimi viri in
eo laborarunt diligentissime, vt eadem capitula ab omnibus monachis seruarentur. Pari mo-
do, (ne quis dicat hoc primùm anno iniunctam fuisse regulæ nostræ obseruantiam, tanquã an-
tea passim non obtinuerit, & non potius quasi reformationem quandam & visitationem
fuisse, ad eiusdem regulæ iamdudum vbiuis receptæ obseruantiam sartam tectam tuendam;)
etiam sub Imperatore Carolo magno Pij patre, eadem habetur regulæ vbiuis custodiendæ
„ sanctio, in concilio Moguntiaco tempore Leonis Papæ tertij, *sub Archiepiscopis Ricolpho,*
Arnone, Bernario, vna cum multis alijs Episcopis, Abbatibus, & cætero clero, secundum iussionem
Principis in ciuitate Moguntiaca adunati in claustro Basilicæ S. Albani martyris, (quod erat est-
que ordinis S. Benedicti cœnobium) anno salutis 813. In cuius concilij procœmio, hæc haben-
„ tur lucidissima: Incipientes igitur in nomine Domini, communi consensu & voluntate
„ tractare pariter de statu veræ religionis, ac de vtilitate & profectu Christianæ plebis: con-
„ uenit nobis de nostro communi collegio clericorum seu laicorum tres facere turmas, sicut
„ & fecimus. In prima autem turma consederunt Episcopi cum quibusdam notarijs legen-
„ tes atque tractantes sanctum Euangelium, nec non Epistolas & actus Apostolorum, cano-
„ nes quoque ac diuersa Sanctorum patrum opuscula, pastoralemque librum Gregorij cum
„ cæteris sacris dogmatibus; diligenti studio perquirentes quibus modis statum Ecclesiæ Dei
„ & Christianæ plebis profectum sana doctrina, & exemplis iustitiæ inconuulsum, largiente
„ gratia Dei, proficere & conseruare potuissent. In alia vero turma consederunt Abbates
„ ac probati monachi, regulam Sancti Benedicti legentes, atque tractantes diligenter, qua-
„ liter monachorum vitam in meliorem statum atque augmentum cum Dei gratia perduce-
„ re potuissent. In tertia denique turma sederunt comites & iudices, in mundanis legibus
„ decertantes, vulgi iustitias perquirentes, omniumque aduenientium causas diligenter exa-
„ minantes, modis quibus poterant iustitias terminantes. Deinde in ipsius concilij cap. 9. &
10. disponunt de modo viuendi canonicorum & clericorum sæcularium, summatim ea tra-
dentes, quæ postea in concilio Aquisgranensi ad annum 816. plenius in libello pro institu-
tione clericorum sæcularium collecto, disputarunt. *In omnibus igitur,* inquiunt, *quantum hu-*
mana permittit fragilitas, decreuimus vt canonici clerici canonicè viuant, obseruantes diuinæ scriptu-
ræ doctrinam & documenta sanctorum patrum; hæc enim duo continent iuxta mentem concilij
plenam regulam clericorum. Deinde primo loco, in cap. 9. informant disciplinam exterio-
rem clericorum erga se & superiores. *Nihil sine licentia Episcopi sui, vel magistri eorum Præ-*
positi (ita enim videtur legendum, non vt in æditis habetur, compositi) *agere præsumant in*
vnoquoque Episcopatu: & vt simul manducent & dormiant vbi his facultas id faciendi suppetit, vel
qui de rebus ecclesiasticis stipendia accipiunt, & in suo claustro maneant, & singulis diebus mane pri-
mo ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam vero similiter lectionem audiant,
& obedientiam secundum canones suis magistris exhibeant. Deinceps in cap. 10. informant eosdem
canonicos & clericos, de interna puritate, & ædificatoria inter sæculares conuersatione; a-
perte supponentes, agere se de illo genere canonicorum & clericorum, quibus cum ex offi-
cio cura animarum Deo lucrandi, & plebem sacramentis verbòque pascendi incumbat, ne-
cessarium sit crebro cum plebis multitudine conuersari, aliquando etiam cũ eis sobriè con-
uiuari, aliquando viduas virginesque visitare; quibus omnibus rebus, quia multum solet ru-
biginis affricari etiam melioris metalli viris, modum innoxiæ conuersationis sanctissime ap-
ponunt. Et hæc ibi de Canonicis. De monachis vero cap. 11. & 12. Primo quando inter se con-
uersari

Idem probatur de sæculo septimo.

uersari debeant: *Abbates autem* (inquiunt) *censuimus ita cum monachis suis pleniter viuere, sicut ipsi qui in præsenti Synodo aderant, palam nobis omnibus promiserunt, id est secundum doctrinam sanctæ regulæ Benedicti, quantum humana permittit fragilitas*; & cap. 12. *Ac deinde decreuimus, sicut sancta regula dicit, vt monasteriũ vbi fieri poßit, per Decanos ordinetur, quia illi Præpositi sæpe in elationem incidunt, & in laqueum Diaboli*: Deinde subiungunt, de conuersatione cũ externis, quã-„do opus fuerit, & non aliter exercenda: Hoc tamen omnino nolumus, vt monachi ad sæ-„cularia placita veniant, neque ipse Abbas sine consilio Episcopi sui &c. alioquin per ad-„uocatos suos hoc faciat. Abbates & monachi vsque ad interrogationem silentium habeant; „& cum interrogantur, cum humilitate & reuerentia respondeant, aliasque querelas om-„nino deuitent. In eorum claustro permaneant, nullusque ex eis foras vadat, nisi per neces-„sitatem ab Abbate mittatur in obedientiam; nec foris manducent, neque bibant, sine per-„missione, nec ad conuiuia sæcularia vadant. Quæ ideo integra produximus, vt clarius pateat Canonicos illos horum temporum collegialiter in communitate quadam viuentes, nihilominus verè seculares clericos fuisse, & nõ regulares. Quod adhuc apertè patet ex modo loquendi de monialibus in cap. 13. *Abbatissas autem* (inquiunt) *cum sanctis monialibus, omnino recte & iuste viuere censemus: quæ vero professionem Sanctæ regulæ Benedicti fecerunt, regulariter viuant; Sin autem, canonice viuant pleniter, & sub diligenti cura custodiam habeant; & in claustris suis permaneant neque foras exitum habeant: sed & ipsæ Abbatissæ in monasterijs sedeant, nec foras vadãt sine licentia & consilio Episcopi sui.* Vbi aperte eas sanctimoniales, quę monachæ sunt Benedictinæ, vocant *regulares*, & distingunt contra eas quæ non sunt regulam professæ, quas vocant Canonicas. Similiter cap. 14 Cum omnia mũdana negotia tam monachis quam Canonicis prohibuissent; iusta tamen & necessaria negotia excipiunt, quæ licere probant, Canonicis quidem, ex Apostolica, monachis vero ex Benedictina regula: *Non tamen iustum negotium est contradicendum* (inquiunt) *propter neceßitates diuersas; quia legimus sanctos Apostolos negotiasse; & in regula S. Benedicti præcipitur præuidere, per quorum manus negotium monasterij transeat.* Eodẽ prorsus modo distinctionis inter Canonicos, monachosque loquũtur patres Concilij Rhemensis eodem anno, 813. vbi Episcopi Gallicani conuenerant disciplinæ stabiliendæ causa, sicut in Moguntiaca vrbe prælati Germanici; aiunt igitur Rhemenses patres *Wulfarius Archiepiscopus, & cæteri quamplurimi patres ac fratres in eodem conuentu residentes*, cap. 8. & 10. *Lecti sunt sancti canones, vt quisque Canonicus legem vitamque suam minime ignoret: quod omnimodis non expedit, sicut in decretali legitur Innocentij. Lecta est regula S. Benedicti, vt ad memoriam reduceretur Abbatibus minus scientibus, qui si forte adfuerint* (forte inter multos ibi pręsentes, aliqui minus docti, aut muneris sui imperitiores inuenti fuerint) *qualiter & se & suos secundum eandem regulam custodire valerent, atque gubernarent.* Nam cur in his concilijs Canonicos & Canonissas per canones ecclesiæ reformant, non autem per regulam S. Augustini: sicut monachos & monachas non per canones Ecclesiæ specialiter (quamuis plurimi de eorum vita extent in antiquioribus Synodis conditi canones) sed per regulam S. Benedicti instituunt? Nimirum quia nullam regulam S. Augustini per totum imperium ab vllis siue viris, siue fæminis obseruari agnouerant: non quia ignota illis fuisset formula quam S. Augustinus virginibus suis in Africa præscripsisset, sed quia ea formula nondum regulæ vim & praxim apud religiosos Italiæ, Galliæ, Germaniæ accepisset. Atque idem par est de Hispaniarum prouincijs opinari, quarum aliquæ vt Catalaunia tota, adhuc parebant regibus Francorum: sicut aliquæ etiam Gallicanæ, vtpote Gallia Narbonensis, iuris erat Hispanici regni. Nihil potest esse clarius hac ostentione: si enim aliqui tales monachi aut monachæ tunc temporis vspiam in Gallia, Germania, Italia extitissent, quibus regula Augustiniana, aut alia quæuis pręter Benedictinam fuisset in vsu: certe nec deuotissimi Imperatores Carolus magnus, & Ludouicus Pius Ecclesiasticæ disciplinæ studiosissimi Principes, nec Præsules illi celeberrimi qui Principum suorum religiosis desiderijs in disciplina resarcienda tanto studio satisfacere laborarũt, hoc genus monachorum neglexissent, aut sine norma aliqua vitæ & morum, sine aliquo saltem examine aut inquisitione, vtrum secundum regulæ illius suæ præscriptum viuerent, prætērijssent. At videmus expresse nullam aliam curam ab eis positam, quam in Monachis, quos ad regulam S. Benedicti componunt, & in Canonicis, quibus ex canonibus ecclesiæ & dictis patrum regulam peculiarem condunt, minima ex parte desumptam ex Augustino, & nulla ex parte de regula monacharũ Augustiniana decerptam; quia & Canonicos Canonicasque apertè distingunt à regularibus; & Monachis ac Monachabus regulã B. Benedicti professis nomen hoc Regularium appropriant, perfectamque abrenũciationem à sæcularibus rebus omnique proprietate attribuũt; Canonicis autem & Canonicabus (liceat ita loqui, vt melius intelligamur) nomen regularium conuenire negant (quamuis canon Græ-

cis regula significat) quia præter canones ecclesiasticos, aliam regulam non habuerant, quemadmodum monachi habebant regulam Benedictinam; & expressè illis vsum & proprietatem rerum suarum concedunt, abrenuntiationemque tantum exactiorem à vitijs desiderijsque sæcularibus iniungunt, quod omnibus piè viuere volentibus sæcularibus est necessarium. Quare etiam cum in anterioribus concilijs, de Canonicis & monachis siue regularibus, eadem distinctionis formula loquuntur, vbi etsi regulam B. Benedicti non exprimant, secundum eam tamen regulares monachos intelligere noscuntur. Vt in concilio Bauarico ad annum Domini 772 sub Tassilone duce aiunt, *De eo quod Episcopi, iuxta Canones, & Abbates monasteriorum iuxta regulam viuentes, ita constituit*; nempe vt sic perseuerẽt viuentes; quam enim regulam, nisi Benedictinam possint intelligere? nam Augustiniana non viris sed fæminis, non Abbatibus aut Abbatissis, sed præpositis, quæ à presbytero regerentur, est data. Similiter in Concilio Episcoporum habita in palatio Vernis sub Rege Francorum Pipino, & „ Stephano 3. Papa, ad annum Domini 756. capite 11. De illis hominibus, qui dicunt, quod „ se propter Deum tonsurassent, & modo res eorum vel pecunias habent, & nec sub manu „ Episcopi sunt, nec in monasterio regulariter viuunt: placuit vt in monasterio sint sub ordi„ ne regulari, aut sub manu Episcopi sub ordine canonico; & si aliter fecerint, & correpti ab „ Episcopo suo se emendare noluerint, excommunicentur; & de ancillis Dei eadem forma seruetur. An non hic expressè distingunt patres Canonicos & ancillas Dei Canonicas, à monachis & regularibus? et monachos hic etiam Benedictinos intelligi, quamuis Benedictinorum nomen taceatur, & res ipsa loquitur ex iam dictis satis cognita & ex anteriori adhuc concilio S. Bonifacij martyris nostri, Moguntini Archiepiscopi, & Germanorum legati concilio Leptinensi sub Carolomanno tempore Zachariç Pontificis congregato ad annum Domini 743. apparet, citat enim ex illo concilio Benedictus Leuita, lib. 5. capitularium Regum Francorum, in exordio hunc canonem: *Modo in hac synodali conuentu, qui congregatus est Calendas Martias in loco qui dicitur Leptynæ* (nunc est ibi Laubiense monasterium) *omnes venerabiles sacerdotes Dei, & Comites, & Præfecti prioris synodi, decreta consentientes firmauerunt, seque ea implere velle & obseruare promiserunt. Et omnis ecclesiastici ordinis clerus, Episcopi, presbyteri, & Diaconi cum reliquis clericis, suscipientes antiquorum Patrum canones, promiserunt se velle ecclesiastica iura moribus, & doctrinis, & ministerio recuperare. Abbates vero & monachi receperunt regulam Sancti Patris Benedicti ad restaurandam normam regularis vitæ. Fornicatores namque & adulteros clericos* (nostri nouatores Angli, Parkerus, & alij, dixissent, coniugatos, aut vxoratos) *qui sancta loca vel monasteria ante tenentes coinquinarunt* (sicut in Anglia paulo post ista tempora sub S. Dunstano contigit) *præcipimus inde tollere, et ad pænitentiam redire.* Vbi nemo proteruire velit, vt dicat in hoc primum concilio submisisse se Abbates & monachos regulæ S. Benedicti, eo quod hic scribatur, eos recepisse regulam S. Benedicti; non magis quam ex eo quod dicantur hic Episcopi & clerici suscepisse antiquorum Patrum Canones, ideo putet clerum, tum primum sese canonibus ecclesiasticis subiecisse. Sicut enim constat ante hanc synodum clericos omnes canonum ecclesiasticorum censuræ fuisse semper obnoxios: ita etiã pari modo constat rebus ipsis monachos ante eandem synodum, iamdudum regulç Benedictinæ fuisse astrictos. Ecce enim in Synodo Ratisponensi, sub eodem Carolomanno Principe, & Zacharie Papa, & ab eodem Archiepiscopo Bonifacio celebrato ad annum Domini 742. clarius dicitur: *Decreuimus quoque vt presbyteri vel diaconi, non sagis laicorum more, sed casulis vtantur, ritu seruorum Dei, & vt nullus in domo sua mulieres habitare permittat; & vt monachi & ancillæ Dei monasteriales iuxta regulam S. Benedicti viuere studeant.* Norunt enim qui in historijs rerum religiosarum vel mediocriter sunt versati, illa phrasi non indicari nuperam aut recentem regulæ susceptionem, sed exactam eiusdem obseruantiam; sicut cum in concilijs præcipitur Episcopalibus vt seruentur canones ecclesiæ sanctorũque patrũ: nemo homo intelligit tunc primo præscribi illorum canonum obseruantiam, quasi antea non fuerit iniuncta; sed præscribi curam diligentiamque vt in recepta ab initio canonum obseruantia reuerenter clerici perseuerent. Nam quod iam longe ante Synodum hanc etiam Ratisponensem per Ecclesiam Latinam regula Benedictina fuerit monachorum omnium magistra & gubernatrix, testabitur clarissime omni exceptione maior Auctor Zacharias Pontifex, in priuile-

Testimoniũ Zachariæ Papæ.

„ gio amplissimo Cassinensi Abbatiç concesso: cuius hoc est exordium: Zacharias Papa ser„ uus seruorum Dei, omnibus Ecclesiæ Catholicæ fidelibus salutem & Apostolicam benedi„ ctionem. Omnipotenti Deo, cuius melior est misericordia super vitas, gratias agimus, qui „ gloriosus in sanctis suis, atque mirabilis est, vt virtutes suas, vbicumque vult, ineffabili „ bonitate ostendat: ipse quippe dignationis suæ potentia beatissimum Benedictum patrem „ omnium constituit monachorum; ipse eum monastiçç legislatorem & operatorem esse dis„ posuit;

„posuit;ipse illius meritis Casinense monasterium, in quo & sanctissime vixit, & gloriosissi-
„me obijt, omnibus per totum orbem monasterijs clementi bonitate præfecit. *Et infrà:*
„Præterea corroboramus atque in perpetuum confirmamus eidem dilecto filio (*is erat Pe-*
„*tronax, qui à Gregorio tertio directus est ad Casinense monasterium reædificandum, quod iuxta beati*
„*viri prophetiam Longobardi diruerant*) eiusque successoribus in omni conuentu Episcopo-
„rum & Principum, superiorem vniuersis Abbatibus sedem, & in concilijs & iudicijs Prio-
„rem sui ordinis omnibus sententiam proferre, pro reuerentia tanti loci, qui primum &
„summum monasticę legislatorem viuum & mortuum in perpetuum retinere promeruit,
„cuique ipsius legislationem in eodem Casinensi cœnobio scribens, verbo & exemplo cœ-
„nobiale propositum appetentibus in toto mundo sole clarius enibrauit. Pro quo Casinen-
„se cœnobium exaltantes decernimús, ac in perpetuum confirmamus vt supradictus locus
„dignitate vigore ac honorificentia, præcellat omnia monasteria, quæ constructa vel con-
„struenda sunt in toto orbe terrarum. Abbasque eiusdem loci celsior ac celebrior existat
„omnibus Abbatibus eãdem regulam tenentibus; illicque lex monastici ordinis caput teneat
„ac principatum; vbi eiusdem legis descriptor Benedictus, Pater sanctissimus eandem des-
„cribens promulgauit regulam. Ibique Abbates & monachi honorem & reuerentiam defe-
„rant, & ibi, vsque ad diem iudicij quærant Doctorem, vbi monachorum vniuersalis ma-
„gister & Doctor Benedictus Pater Almificus corporaliter vna cum sorore sua quiescens,
„gloriosæ resurrectionis diem expectat. Et hanc ipsam fuisse sequentiũ Pontificum senten-
tiam, vsque ad hæc tempora quibus primus contrarium asserere voluit Baronius, tum pluri-
mæ aliæ Pontificum Bullæ similibus elogijs B. Benedictum ornantes testantur; tum præser-
tim Vrbani secundi singularis, quæ in historiæ Casinensis calce recitatur, in qua sic ait Pon-
„tifex: Illud vero donum, quod Deus omnipotens beatissimo Patri Benedicto, & per eum
„suo Casinensi concessit cœnobio, nulla potest ratione conuelli, nulla violentia permutari:
„quoniam ipse omnium monachorum pater, & iam dictum Casinense monasterium caput
„omnium monasteriorum perpetuo habeatur, & merito; nam ex eodem loco de Benedicti
„pectore monastici ordinis veneranda religio quasi de paradisi fonte emanauit. Et quidni
Pontifices posteriores eam vbicumque opus erat, proferrent sententiam, vt inhærerent præ-
decessorum suorum decretis, maxime Gregorij magni, & Ioannis Papæ tertij, qui primi om-
nium regulam Sancti Benedicti, primam omnium regularum asceticarum confirmarunt: &
Ioannes quidem in priuilegio concesso Abbatię S. Medardi Suessionensis, anno 562. quod
superius nos posuisse meminimus: Gregorius vero, expressa bulla hac de re expedita sub an-
num Domini. 595. vt Baronius ad eundem annum insinuauit: cuius exemplar ex archiuis Ca-
„sinensibus desumptum, hoc est: Ego Gregorius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsul scripsi
„vitam Beati Benedicti, & legi regulam, quam ipse sanctus manu sua propria scripsit, lau-
„daui & confirmaui in generali synodo, & per diuersas partes Italiæ vt illic & vbicumque
„Latinæ literę legerentur præcepi vt diligenter obseruarent, quicumque ad conuersionis
„gratiam accessuri essent, vsque ad finem mundi. Quidni eam promulgaret per totum mun-
dum Gregorius, quam in vita S. Benedicti dixerat esse *discretione præcipuam & sermone lucu-
lentam?* cuius scriptorem, ipsum nimirum sanctum Patrem, 4. lib. commentariorum in lib.
1. Regum cap. 4. vocauerat, *arctissimæ vitæ magistrum optimum, summæ veritatis discipulum erudi-
tum?* quem ab eo quartus Bonifacius, vt antea iam vidimus, in concilio Romano pro pace
& quiete monachorum collecto, appellauit monachorum *patrem Almificũ.* Vnde eum titu-
lum in priuilegio iam citato vsurpauit Põtifex Zacharias, & post eum in sermone de S. Scho-
lastica, Venerabilis Beda vti iam ex eo supra deduximus.

Etiam tẽpore Gregorij I. omnes occidentis monachos fuisse Benedictinos.

Neque vero mirum est, quod S. Gregorius regulam totius Ecclesiæ Latinæ monachis cu-
stodiendam præscripsit: quia iam per omnem Italiam, Galliam, & Hispaniam ipso viuente
Gregorio imo ante ipsius Pontificatum radices altas egerat. In Italiam quidem, quoniam
ita testatur antiquissimum monumentum à D. Constantino Caetano R. Abbate prolatum
& ab Antonio Gallonio necquicquã oppugnatum: nimirum Epistola Bernardi Abbatis Fun-
densis ad Simplicium qui tertius post S. Benedictum Cassinensem rexit Abbatiam; ea vero
„est tenoris sequentis. Reuerendissimo Monachorum Patri Simplicio Bernardus Abbas
„Monasterij apud Fundanam vrbem, obedientiæ subiectionem. Experientia compertum
„est, multorum Rectorum mores, varias viuendi normas in monasterijs peperisse. Hinc fa-
„ctum est vt iam omnia monasteria Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tusciæ, Liguriæ, & alia-
„rum prouinciarum Italiæ, certam & rectam regulam viuendi, quam sanctissimus & Deo
„acceptissimus Benedictus, magister tuus, instituit, seruare decreuerint: vt iuxta illam vi-
„uentes, neque ad dexteram, neque ad sinistram, declinare pręsumant. Hanc ego seruan-

Euidens probatio.

„dam proposui, huic congregationi, cum nuper me in suum Abbatem elegerit indignum. „Quam cupientes in hoc monasterio, sicut in Casinensi monasterio obseruare inuiolabili„ter decreuimus ad sanctitatem vestram destinare religiosos ex eadem congregatione vi„ros, Hugonem & Paulum, fratres nostros, iuxta prædictam sanctam regulam & obseruan„tiam plenius instruendos in Casinensi sancta congregatione; quos commendatos apud Pa„ternitatem tuam humili obsequio rogamus. Datum in monasterio prope vrbem Fundanam 7. Calend. Aprilis. Hanc epistolam ex veteri manuscripto Bibliothecę Casinensis cum attestatione publicorum tabellionum exscribi & excudi primus curauit Reuerendissimus Abbas Caetanus: eiusque codicis authoritatem tanti factam ab illustrissimo Baronio docuit, vt multas antiquitatum memorias ex eodem ad se missas annalibus suis inseruerit. Quam cum videret Gallonius opinationes ipsius lucidissimę veritatis splẽdore detegere, nisus est ingeniosus homo, sed hac in re certe parum verecundus, scripturam ipsam fictionis arguere, tanquam ab aliquo Casinensi in rem monachorum excogitatam. Et merito diximus inuerecundè hoc fieri: si enim contra scripturas, à religiosis viris ex bibliothecis, quæ sunt thesauri & gazophylacia antiquitatum, depromptas, liceat tam leuibus de causis fictionis & fallaciæ exceptionem opponere, vt hic facit Gallonius, & nimis sæpe etiam ipsemet Baronius: quid quæso possunt illi candide respondere sectarijs similem exceptionem vomentibus contra vetera monumenta, quæ pro Ecclesiasticis controuersijs passim & magna cum laude ex pluteis Bibliothecarum producit Baronius? Quare excandescit contra sectarij impudentem frontem, siquis de ea farina confidens negator, vetus aliquod monumentum pro Pontificis alicuius sana fide, falso ab aduersarijs accusata, aut pro potestate pontificis in vsu temporalium rerum ad finem gratiæ dirigendo productum, clamitaret, hæc ab aliquo adulatore, aut Pseudographo Pontificio excogitata? Aut si Baronio & Gallonio iustissima est stomachandi causa, cum huiusmodi friuolis obiectionibus aduersarij Catholicæ Ecclesiæ authoritatem veterum declinant: det nobis etiam in causa hac, in qua de gloria ordinis nostri agitur, modestè saltem contra illos indignari, quod quam in hæreticis merito vituperant arguendi vetera manuscripta temeritatem, eam contra ius ipsimet cum premuntur, arripiant. Quæ enim iudicia figmenti profert Gallonius? primo non appositum diem & Consulem, nimirum vt ignorato tempore quo scripta foret epistola, non tam cito posset argui mendacium, quod per characteres temporum inter se comparatos facilè facile prodidisset. At quoties in annalibus Baronianis producuntur, quoties ab alijs fide dignissimis historicis recitatur epistolæ, decreta, edicta principum in Rep. virorum, non annotatis exacte diebus & annis, quibus illa fuerint edita. Imo quoties error aut falsitas in datis istis occurrit, vel vitio impressorum, vel amanuensium, vel aliquando etiam ipsorum notariorum (qui certe non semper ponuntur esse veræ Chronologiæ peritissimi) oscitantia commissus, emendatur, & excusatur, ita vt fides tamen instrumenti propterea non periclitetur? Quod ibi licuit illis cum laude: hic liceat nobis cum bona ipsorum venia. Quid deinde obijcit Gallonius? Bernardi & Hugonis nomina, illis temporibus inusitata, & nisi posteriorum seculis assumi solita: sane si tunc primo, cum hęc scripta fuit Epistola, cœpisset etiam illorum nominum vsus, nihil contra eius fidem officeret; aliquod enim initium habent etiam nomina, sicut res aliæ quæcumque: sed mirum est ob inusitata nomina recusari testes veridicos; quo sane argumento Hormisdam ex numero Pontificum eradat Gallonius, neque enim nomen est Latinę Ecclesiæ consuetum; & Pelagium secundum sine patre natum clamet, quia dicitur natus Patre Hunigildo, quod multo magis sonat sæculorum recentiorum barbariem, quam Hugonis & Bernardi. Quid tandem obijcis Galloni? Videri epistolam ex composito fictam, velut in Terentij comœdia Crito ille hospes Andrius, non antea comparens, quam opus sit ad defensionem amantis adolescentis. ita attemperate veniens in hac causa vt antehac nunquam inueniretur. Atqui Galloni, tu si vt decet virum Christianum perpendisses quocum tibi fuerit controuersia, aliter longe iudicares: Constantinum Caetanum virum bonum & venerabilem, non ita onerares calumnia, vt nodum in scirpo quærens, & angulum in annulo, ne veritatem inuentam agnosceres, virum talem in oculatissima Italiorum natione sic impudentem censeres, ea vt fingeret, quæ quiuis de plebe inspecto libro (quem ille suo numero pluteoque citauit) potuisset arguere falsitatis. Digni profecto sunt huiusmodi litigatores, quibus id Critonis merito dicatur, qui quæ vult dicit, ea quæ non vult audiet. Sed omissa hac indignitate & petulantia Gallonij (debent enim res suis nominibus vocari, cum virorum bonorum nomen denigratur) non potest negari manuscriptum codicem vnde hæc desumpta est epistola valde veterem esse, & certe antiquiorem. quam sit hæc ipsa controuersia de monachatu Gregorij, quæ ante Iacobum Wimphelingum, & magnum Baronium, nusquam mota fuit: nõ ergo potuit

tuit fingi ab aliquo monacho in defensionem causæ nostræ, tanquam is spiritu prophetico ita epistolam hanc finxerit, quo modo sciret opus esse Caetano post ducentos aut trecentos annos Gallonio os obturare. Quare ergo fingeret? Quocumque tempore post sextum sæculum ponatur vixisse author epistolæ, (si non est is, quem vult Caetanus, verus eius author Bernardus) nulla inuenietur, sufficiens causa cur fingeret: neque enim ab anno septingentesimo dubitari potuit, ordinem S. Benedicti per totam Occidentis Ecclesiam fuisse diffusam; neque ab eo sæculo vsque ad decimumquintũ elapsum, illa de Gregorij Benedictinismo excitata fuit disceptatio; nec aliquid per illam epistolam acquiritur Casinensibus iuris aut priuilegij, ad quod mendacio opus esset; nec aliquid damni aut iacturæ aut dedecoris Fundanis monachis alijsue accrescit, vel affricatur. Quare igitur fingeret otiosus aliquis hanc epistolæ formulam? Nonne Bonifacius ex Germania, Winibaldus ex Anglia sæculo septimo ad montem Casinum, ille religionis amplificandę, hic deuotius exercendę causa contenderunt, vt eãdem in Germaniam quasi de fonte puriorem vndam reportarent? Nonne ex ipsa Gallia Berticrãnus Episcopus per nũcios postulat à S Benedicto Casini adhuc viuẽte monachos, qui suum informent monasterium: & hæc tanta celebritas, quæ Galliam potuit penetrare; non potuit meritis Fundanum monasterium proxime positum allicere? Præsertim cum D. Gregorius initio primi dialogi expressis verbis dicat, sanctum Honoratum Fundani cœnobij fundatorem, nullius fuisse discipulum, hoc est nullius institutoris præcedentis regulis vel præceptis eruditum, sed solius Spiritus Sancti interno magisterio adiutum, conuentum suum informasse. At quia non semper in monasterijs solent esse Abbates Theodidacti, nonne experientia quam allegant, verosimilis est, multorum Rectorum diuersos mores & affectus perturbatam quandam & incertam viuendi methodum in conuentu parere? Audiatur magnus Cassiodorus. lib. 2. Instit. cap. 3 *Ideoque diuersitates typorum ac regularum per cæteras prouincias cernimus vsurpatas: quod plærumque seniorum institutionum expertes monasterijs præesse audemus: & Abbates nos, antequam discipulos professi, quod libitum fuerit, statuimus; promptiores nostrorum inuentorum exigere custodiam, quam examinatam maiorum seruare doctrinam.* Optimè certe, & vt virum ex maximis reipublicæ negotijs, quæ diu versauit, sapientem intelligas: atque vtinam quod tunc ille in cæteris prouincijs vituperatione dignum vidit, etiam in nostro hoc sæculo ferace reformatorum nõ nimis sæpe videremus; nec in varijs typis nostris plus artis quam spiritus, plus exterioris disciplinę quam interioris candoris, simplicitatis, & humilitatis in regiones inuectum cerneremus. Sed quid est, quod dicit Cassiodorus per *cæteras prouincias* varios typos inutiliter, & perniciose multiplicari: nisi quod in sua prouincia Italia videlicet iam typorum varietate refutata pęne omnes monachi bene examinatam D. Benedicti doctrinam ex seniorum institutis discretissime ad Occidentaliũ delicatiorem complectionem accommodatam receperint; Ita perfectò est sicut hęc dicit Epistola, sicut hic insinuat Cassiodorus, iam relictis incertis consuetudinibus, & πατροπαραδότοις, ad præscriptã stabilẽque D. Benedicti regulam, tanquam ad veram quandam πεμπτουσίαν seu quintessentiam ex antiquorum patrum regulis & consuetudinibus liquatam omnes iam Italiæ regiones sua conformauerant monasteria. Etiam omnes in Valeria prouincia monachi: & cum hoc iam ante Simplicij prælaturam contigisse dicat Abbas Fundanus, qui Simplicius cœpit Abbas esse ad annum 560. septemdecim duntaxat annos post excessum D. Benedicti, (sed cuius iam nomen & regula per quadraginta annos & amplius claruisset) sane & inter reliqua Valeriæ cœnobia, etiam hoc Valentionis cœnobium (siue Equitianum antea fuerit, siue non fuerit) iam regulæ Benedictinę nomen dederat. Certe enim iuxta Baronij coniecturas & Gallonij assertiones, non ante annum 580. monachus factus Gregorius Valentionem seu Valentinum habere potuit Abbatem, qui antea monasterium suum in Valeria rexerat; ac proinde monasterium quod viginti per annos, nempe ab exordio regiminis S. Simplicij Casinensis, fuerit Benedictinum; præsertim cum Sublacensia cœnobia D. Benedicti, omnia fuerint reuera in ipsa prouincia Valeria, vt ex loco Pauli Diaconi, quem pro se citauerat Gallonius euidenter conuincit Constantinus Caetanus: ponit enim Paulus in Valeria prouincia Carseolos; ac Sublacum ac monasteria prima à S. Benedicto ædificata omnia in Carseolano agro sita esse vna cum vicis, quos hodieque possident, esse collocata Constantinus Caetanus ex eiusdem Pauli descriptione alijsque notissimis limitibus comprobat. Non immerito tamdiu in huius epistolæ defensione contrà Gallonium immorati sumus: cum ex ea causam sine dubio obtineamus. Sed quid agas istis criticis recentibus: qui cum nihil velint admittere, nisi solida ratione, aut antiquis monumentis probatum: nullum tamen monumentum admittunt, quod ipsis sit contrarium, nec vllam tamen rationem solidam producunt, propter quam debeant reijci?

Recensentur cœnobia, viuente Benedicto, eius regulæ subiecta.

Age vero, ex illa generalitate probationis, accedamus ad particularem enumerationem: & ostendamus, etiamsi nulla extaret tam antiqui monumenti attestatio, tamen asserti nostri veritatem firmissimam esse & regulam S. Benedicti, iam per omnes passim Italiæ regiones fuisse disseminatam. Valde enim imperitè Gallonius, & valde angustè Baronius amplitudinem Benedictinæ regulæ ipso sancto viuente intra duodecim tantum monasteria Sublacensia concludunt. Et primo quidem hoc ipsum, quod sanctissimus pater intra ambitum regionis Valeriæ (vt iam probauimus ex Caetano) duodecim monasteria condiderit: sane maximam illi debuit conciliare celebritatem; neque enim duntaxat duodenos in singulis monachos (quamuis ita in exordio ipsorum fuerit) Pater Benedictus posuit, sed quando inde ad Florentij inuidiam vitandam Casinum porrexit, plures illi numero adiunxit, vt expressè loquitur B. Gregorius. Neque Præpositos tantum, sed patres & Abbates fuere, quibus illa monasteria concredidit. *In vno autem ex eis monasterijs* (inquit Gregorius dialog. 2. cap. 4.) *quæ circumquaque construxerat quidam monachus erat, qui ad orationem stare non poterat*; & mox. *Cumque ab Abbate suo sæpius fuisset admonitus ad virum Dei deductus est*; Et infra: *Tunc eidem patri monasterij, Pompeiano nomine; & Mauro Dei famulo secrete dixit*, & quę sequuntur de monacho à Diabolica tentatione liberato. Sed & Baronius aperte tom. 9 Annalium in appendice, fatetur singulis illis duodecim monasterijs duodecim Abbates fuisse præfectos: Vt videas quā præfractè Gallonius in illa sua Apologia, litiget, qui non singulis singulos Abbates, propter locorum tenuitatem & paucitatem monachorum, sed singulos Præpositos tribuit: *Porro*, inquit, *præpositos minores Abbatibus fuisse, vt qui eisdem subiecti essent, idem Gregorius sæpe docet, & Sanctus Benedictus in regula significauit*. Ita quidem significauit: Præpositum qui supra se in eodem monasterio patrem haberet minorem ipso vult esse & Benedictus & Gregorius: at Præpositum, quem simul etiam patrem monasterij vocat Gregorius, illum etiam Abbatem esse vocandum constat. Sed bene habet, quod hic Gallonius Præpositi nomen minorem Abbate præfecturam interpretetur: At cum Constantinus illi obiecisset, Pretiosum monasterij Præpositum à Baronio poni loco Abbatis, in serie Prælatorum S. Andreæ, iam sanè Gregorium non vult Præpositum Abbate inferiorem innuere. Sic pro arbitrio opinantis Gallonij cogetur Gregorius idem asserere & postea negare. Sed hic Gregorius non solū Præpositos, verū etiam Abbates eos vult fuisse, qui iuxta Sublacense monasterium, sua habebant cœnobia; Quæ quamuis initio fuerint censu tenuia & numero exigua: quo argumento probat Gallonius non fuisse per tot annos, quot in Simbroinis illis montibus manserat S. Benedictus aucta & amplificata? Non est autem omittendū, vnū ex istis 12. cœnobijs esse, ecclesiam S. Mariæ de portiuncula, quam à monachis concessa sibi caput ordinis, & conditorium sacri corporis fecit S. Franciscus. Hoc ergo solum quod duodecim monasteria optimis disciplinis informata Patriarcha noster in ipso conuersationis sui exordio habuerit, magnum profecto momentum fuerit, cur ipsius institutionem & doctrinam finitima monasteria appeterent. Nam & clarissimos vrbis Romanæ ciues ad hoc ipsum celebre eius nomen allexit: sic enim Gregorius, Dialogi 2. c. 4. *Cœpere etiam nunc ad eum Romanæ vrbis nobiles & religiosi concurrere, suosque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonæ spei suas soboles Euicius Maurum, Tertullus vero Patricius Placidum tradidit.* Vnde constat insinuari etiam monasteria Romana viris magnis nobilissimi Patriarchæ celebritate inuitatis ipsius sub regulæ condita fuisse: nec hæc coniectura est, sed certa veritas cum Gordianus in vita S. Placidi conditum à D. Benedicto monasterium S. Erasmi in monte Cælio in ipsis ædibus in quibus S. Placidus natus fuit: quod monasterium postea reædificauit Adeodatus Pontifex, qui in eo monachus antea fuerat. Et si testem hunc Gallonianus aliquis non admittat: recipiat tamen Gregorium, qui Valentinianum ipsius S. Benedicti discipulum annis multis Lateranensi monasterio præfuisse scribit. Habemus igitur ipsius Gregorij testimonio celebre monasterium Lateranense sub Benedictina regula positum: non quasi tunc primo fuerit aut monasterium, aut Benedictinum, quando Casinenses eo destructa sacra æde sua confugerint, vt multos video existimare: sed longè antea, ab ipso videlicet Benedicto fundatum. Nam primo constat D. Gregorium, qui hæc scripsit anno 594. loqui de Constantino, Simplicio, & Valentiniano, tanquā qui iamdudum defuncti fuissent: nec enim aliter possunt illa verba capi: *Huius ergo omnia gesta non didici: sed pauca quæ narro, quatuor discipulis illius referentibus agnoui: Constantino scilicet Reuerendißimo valde viro, qui ei* (D. Benedicto) *in monasterij regimina succeßit* (Casinensi vtique, in quo D. Benedictus decessit.) *Valentiniano quoque qui annis multis Lateranensi monasterio præfuit* vnus nimirū ex primis discipulis B. Viri, vt colligitur ex c. 13. Dialogi: *Simplicio qui congregationem illius* (D. Benedicti) *post eum tertius rexit*; non ille Simplicius qui cum S. Mauro in Galliam profectus, ętate valde decrepita Romam ad monasterium Lateranense quadriginta poste

Sublacū cum filiabus vndecim in Valeria.

S. Erasmi & Lateranēse Romę

postea annis, sub Theodoro Abbate post Valentinianum tertio, vt Faustus in vita S. Mauri testatur, reuersus est; sed Simplicius alius, qui Cōstātino in regimine Casinēsis Cœnobij substitutus est.) *Honorato etiam, qui nunc adhuc cellæ eius, in qua prius conuersatus fuerat, præest,* hoc est Sublacensi, in illa enim prima monastices præludia S. Benedictus exercuit. Videntur enim clarissime hæc verba innuere, primos tres discipulos iam pridem defunctos, antequam ea scriberet Gregorius, quartumque solum adhuc dum scriberet, in viuis degisse; Valentinianum etiam ipse ordo loquendi insinuat ante Simplicium decessisse; idque postquam multis annis Lateranensi monasterio præfuisset. Fuerit ergo sine dubio aliquot annis antequam dialogū Gregorius scripsit mortuus; ponatur anno 590. Deinde etiam sumamus à Leone Hostiensi in Chronico Casini, omnibusque fere scriptoribus nostris, euersionem Casini per Longobardos sub annum. 589. accidisse, anno vno ante Gregorij Pontificatum, vltimo anno Pelagij secundi: atque adeo tunc primum Casinates monachos ad Abbatiam Lateranensem fuga elapsos peruenisse. Quum igitur habeamus D. Gregorij testimonio Valentinianum D. Benedicti discipulū veteranum fuisse, ipsique Simplicio & Constantino æqualem, multisque annis ante euersionem Casinensis Sanctuarij Abbatem Laterani egisse: Eumque constet apud omnes etiam primum Abbatem eiusdem loci extitisse: quid restat, nisi vt dicamus eum à S. Benedicto Patre suo ibidem fuisse collocatum.

Iam Casinense monasterium ipsum, inter illa duodecim monasteria non audebunt computare, ac propterea nec Plumbariolam, cœnobium sororis suæ Scholasticæ in qua ipsa cum Sanctimonialibus fœminis exercebatur: nec Insularia cœnobia in insulis Diomedæis, Pontia, Pontateria, & Palmar a, quas cum filio Placido inter alia (teste Gordiano in eius vita) Tertullus Patricius monasterio S. Benedicti donauit; de quarum monasterijs propter disciplinæ rigorem statutum extat D. Gregorij lib. 1. ep. 48. *Quia autem dura est in insulis congregatio monachorum, pueros in ijsdem monasterijs ante decem & octo annorum tempora suscipi prohibemus: vel, si qui nunc sunt, tua eos experientia auferat, & in* Romanam *vrbem transmittat.* In aliquo videlicet monasteriorum vrbicorum collocandos. Quæ ipsa cura de monachis Benedictinis (quæ enim alia, quam Benedictina cœnobia, in patrimonio S. Benedicti Casinensi fuisse dicemus?) satis clare indicat cuiusnam ipse habitus & regulæ fuit. In vno ex his monasterijs, eo nimirum quod in Pontia Insula fuit, S. Syluerium Pontificem Belisarius Imperatricis Theodoræ mandato deportari, & in monachum tonderi fecit; vbi & tandem angustia afflictus ob Æmulum, Vigilium mortuus est, martyrij palmam adeptus.

1. Casinense.

2. Plumbariola.

3. Insularia.

Sed à D. Gregorio non abeamus, dabit enim & ille aliud nobis monasterium à S. Benedicto ædificatum, vt clarissime appareat, quam non sit in rebus nostris Baronio aut Gallonio credendum; in rebus inquam monasticis ordinis nostri, quę ad illius argumentum non spectabant, nā in vniuersalis ecclesiæ historia absit vt illius immortalibus studijs obtrectemus.) Habet enim in cap. 22. secundi dialogi B. Gregorius hanc narrationem: *Alio quoque tempore à quodam fideli viro fuerat rogatus, vt in eius prædio iuxta* Taracinensem *vrbem missis discipulis suis construere monasterium debuisset. Qui roganti consentiens, deputatis fratribus* Patrem *constituit, & qui ei secundus esset ordinavit.* Deinde narrat, quomodo ijsdem per visionem in somnis apparens, ostenderit quomodo monasterium deberent disponere seu ædificare; & quod in somnis illis apparuisset, tandem ad se venientibus indicauit. In 4. autem dialogo, cap. 8. rursus commemorat miraculum, quod in morte Speciosi ab absente fratre suo Gregorio in Spiritu agnita contigerat: Duo viri nobiles fuerunt, atque exterioribus studijs eruditi, Germani fratres, quorum vnus Speciosus, alter Gregorius dicebatur, eius se regulæ in sancta conuersatione tradiderunt: quos idem Pater venerabilis in monasterio, quod iuxta Taracinensem vrbem construxerat fecit habitare. Qui multas quidem pecunias in hoc mundo possederant, sed cuncta pauperibus pro animarum suarum redemptione largiti sunt. An non igitur egregie in historia Benedictina cæcutiebant magni isti viri, qui Gregorium tam sedulo contrà monachorum sententiam legentes, duodecim solum monasteria à Sancto Benedicto ædificata videre potuerunt, aut saltem plura noluerunt, cum ipsemet Gregorius commemoret præter Casinense, etiam Lateranense Romanum, & Taracinense in Latio?

4. Taracinense.

Atqui etiam aliud nobis in Italia tempore ipsius P. Benedicti constructum sub eius regula monasterium, Perusiæ fundatum donabit ipsemet Baronius, in quo S. Herculanus Perusinus Episcopus & Martyr, priusquam ordinatus fuisset Episcopus, monachum professus est: Ita enim habent eius acta ab ipso Cardinali Baronio commendata, & ex auctoritate congregationis sacrorum rituum approbata. Anno redemptionis humanæ quingentesimo trigesimo quarto, Ioanne Summo Pontifice, & Iustiniano magno Imperatore, trecentorum hominum

5. Perusinum.

„ hominum cœtus apud Cæsaream & & Laodiceam Syriæ vrbes collectus, Romam voti cau-
„ sa peruenit. Hi omnes principum Apostolorum Basilicas rite venerati, Pontificem adeunt,
„ eo consilio se in Italiam venisse narrant, vt si res postulasset, pro Christi fide propaganda
„ vitam profunderent: Pontificis hortatu vrbem egressi, binique ab vniuerso cœtu seiuncti,
„ totam penè Etruriam, Vmbriam, Latium, Sabinam, ac Picenum sanctis vitæ suæ exēplis ac
„ doctrina cælesti illustrarunt. In his fuit Herculanus, secundus huius nominis Perusiæ Epis-
„ copus, qui cum in cœnobio ex S. Benedicti instituto Perusiæ fundato, vitam monasticam
„ magna cum laude duxisset: tandem Ecclesiæ Perusinæ antistes est ordinatus. Porro vrbe
„ Perusina à Totilæ Gothorum Ducis exercitu tandem expugnata, Herculanum eiusdem
„ regis iussu, Comes, qui pro Totila exercitum gubernabat, capite truncauit. Cætera vide narrata etiam apud Gregorium (lib. 3. dial. c. 13. qui ibi etiam eum dicit ex *conuersione monasterij* ad Sacerdotalis ordinis gratiam perductū. Extant acta inter reliqua officia propria Ecclesiæ Perusinæ, ad instantiam eiusdem ciuitatis Episcopi ab Illustrissimo & Reuerendissimo D. Cardinali Baronio reuisa & subscripta, & à sacra congregatione rituum approbata, cum licentia imprimēdi ad maiorem commoditatem; quod decretum exijt. 12. Nouembris 1605. anno scilicet postquam Gallonius suam, contra sententiam quæ illo decreto firmatur, edidit apologiam.

6 S. Liberatoris siue S Saluatoris de Maiela. Credo propter prædicta tantis testimonijs firmata, quia facilius adhibebitur fides Gordiano in vita S. Placidi martyris, enumeranti inter reliqua, quæ Tertullus Patricius cum filio Placido Monasterio S. Benedicti donauit, etiam res suas in Maiela, vbi postea ab eodem, Patre Benedicto Monasterium Domini liberatoris constructum est. Locus est in Pelignis montosus in comitatu Theatino iuxta Laentum fluuium in cuius præruptis rupibus solebāt esse Eremitæ rigidissimæ mortificationis viri, sub Priore gubernati: qui subijciebantur Abbati & conuentui monasterij, quod in diuexo montis erat situm, in quo prius secundum regulam probari, quam in eremum ascendere consueuerant. Ibi narrat Leo Hostiensis Desiderium, qui postea circa annum 1000. Abbas Casinensis, & deinde Summus Pontifex Victor tertius fuit, principia religiosæ conuersationis, probatione peracta, inter Eremitas transegisse.

7. Nouallcēse. Philibertus Pingonius in commentarijs, quibus Augustam Taurinensem Allobrogum ciuitatem, auctor diligentissimus, quique omnia quæ describit αὐτόπτης, ex ipsis instrumentis authenticis Archiuorum à semetipso solicite studioseque inspectis se profitetur desumpsisse, monasterium Noualicense à discipulis S. Benedicti, ipso adhuc in viuis agente fundatum asserit: quod sub quinto eius Abbate circa annum 575. quando maxime sæuiebant Longobardi per vniuersam Italiam, mortuo ipsorum rege Clephi, in 36. ducatus seu principatus diuisi; fuit ab eisdem destructum, occiso Arnulpho monacho in odium fidei, quem vt Sanctum propterea venerāntur; Reliqui monachi inde dilapsi ad Augustam Taurinensem fugerūt immensū librorū thesaurū secū differentes; septē millia & septingenta manuscriptorum volumina; quæ omnia exceptis solum quingentis, Sarracenorum inuasione perierunt, qui & aliquot è monachis martyrio coronarunt circa annum Domini 906. Post primam à Longobardis perpessam calamitatem manserunt in Taurinensi vrbe, vsque ad annum 756. quo anno sub Godone Abbate monasterium antiquum in regione nimirum transpadana inter Alpes ab Abbone viro patricio reædificatum fuit, Conuentusque eo reuocatus: donec Sarracenorum omnia vastantium metu ad ciuitatem Taurini sese receperunt, in cuius suburbio cladem tādem suprà dictam passi sunt: ideoque intra ipsam vrbem postea recepti: sed anno 987. ad vetus iterum monasterium sub Abbate Gerone reuersi, paulo post Cluniacensi ordini sese vniuerunt.

In Sicilia. Hæc pauca de multis per Italiam monasterijs ipso Patre nostro viuente sub eius regula fundatis diximus non ex coniectura, sed ex certo antiquorum instrumentorum & authorum antiquorum testimonio. Iam verò videamus id ipsum an extra Italiam factum in vita Patris nostri similiter possit ostendi. Potest proculdubio primo in Sicilia, ad quam Sanctissimum discipulum suum Placidum anno 536. misit, vbi in vrbe Messanensi monasterium ædificauit ibidemque anno 541. cum fratribus suis Eutychio & Victorino, & sorore Flauia, qui ad eum visendum ex vrbe Roma venerant, vnà cum viginti nouem socijs monachis à piratis Agarenis martyrio coronatus est, solo Gordiano, qui passionem ipsorum martyrum scripsit è Barbarorū manibus elabēte. De cuius gloriosissimi martyris historia, cū propter nōnulla in opusculo Gordiani inspersa proculdubio ab aliqua mala manu, vt solet sæpe fieri in monumentis veterum, dubia multa monuisset illustrissimus Baronius, voluit Deus vt anno 1584. sacræ omnium horum martyrum reliquiæ sub altari Ecclesiæ S. Ioannis Messanensis inuenirentur, ipsius quidem Placidi, Eutychij, Victorini & Flaui in sepulchro prorsus simili illi in quo S. Benedictus

Benedictus cum ſorore Scholaſtica Caſini dicitur ſepultus; reliquorum autem viginti nouem monachorum corpora circa ipſum ſepulchrum Abbatis ſui tumulata: quorum ſanctitatem quàm plurima tunc facta miracula diuinitus manifeſtarũr, ita vt præcedenti ſolicito omnium examine, ad inſtantiam Archiepiſcopi, ſenatus, populique Meſſanenſis Sixtus quintus Pontifex ipſum diem inuentionis eiſdem celebrare permiſerit, diemque paſsionis eorundem in calendario Romano martyrologioque reponi, & à Populo Meſſanenſi feſtiuis gaudijs feriari iuſſerit. Vnde in plæriſque confirmata etiam & probata eſt hiſtoria quę Gordiani monachi nomine de ijſdem ſcripta circumfertur.

Nauigemus è Sicilia in Hiſpaniam; Nam & ibi etiam monaſteria celebria inueniemus per diſcipulos ab ipſo P. Benedicto tranſmiſſos, dũ ipſe adhuc in terris viueret, fuiſſe cõſtructa. S. Maximus Epiſcopus Cæſarauguſtanus, qui circa annum 600. floruit in Hiſpanijs, hiſtoriam breuem Gothorum edidit, cuius aliqua adhuc fragmenta extant quæ de vetertimo manuſcripto codice in opere de Fundationibus monaſteriorum ordinis noſtri per Hiſpaniam, Reuerendiſſimus Epiſcopus Tudenſis D. Prudencius Sandoual, ex congregatione Hiſpanica „Benedictinorum aſſumptus publicauit. In eis fragmentis hæc habentur: Æra quingenteſi- „ma ſeptuageſima octaua, Sanctiua Seueriani mater, ædificato monaſterio monachis, quos „ſanctus Benedictus primum miſit in Hiſpaniam, ad Sanctum Petrum Caradignenſem, To- „leti moritur; & in eodem monaſterio conditur. Annus ſignatus eſt annus Chriſti Domini 540. quo anno dicitur Sanctiua fundatrix defuncta eſſe. At ex ſcripturis antiquiſſimis monaſterij conſtat monaſterium ipſum fuiſſe fundatum anno 536. Erat autem Sanctiua ſiue Sanctia (idem enim nomen eſt) vxor Theudis Oſtrogothi, qui diu ſub Theodorico Rege Italiæ Princeps militiæ, tandem factus tutor Amalrici, filij Athalarici regis Hiſpaniæ, ſiue Viſigothorum, mortuo Rege adoleſcentulo ſucceſſit in regno: Arianæ ſectæ ſtudens, ſed Catholicis tamen beneuolus, licentiam Epiſcopis catholicis faciens celebrãdi concilia, cæteraque quæ ad regimen pertinent Eccleſiarum: haud dubie pię catholicæque vxoris cuius opes & amici regnum ipſi conciliauerunt, ad iſta facile inductus. Seuerianus autem filius, pater eſt ſanctorum Leandri, Iſidori, Fulgentij, & Florentiæ, quibus gloriatur Hiſpania, & Ordo Benedictinus illuſtratur. Fuit autem monaſterium Caradignę celeberrimum, in quo ducenti monachi ſimul martyrio affecti ſunt cum Abbate Stephano Sanctio, ab impio Mauritaniæ regulo Zaffa trucidati anno Domini 834. ducenti autem, non qui ex alijs monaſterijs ad iſtud tanquam in loco remoto, (eſt enim hodieque quaſi eremus ſolitaria) tutiores à barbarorum futuri gladijs ſe recepiſſent: ſed quia reuera totidem ſub illo Abbate erant in ipſo cœnobio alumni; Nam vt ex antiqua ſcriptura Goticis characteribus exarata, ſub alio Stephano Abbate ad annum Domini, 949. totidem monachi, nimirum ducenti viuebant in ipſo *Arciſterio*, hoc eſt principali monaſterio, præter illos, qui viuerent in Prioratibus, ſiue cellis minoribus. quæ ad maius cœnobium pertinebant. Paris antiquitatis eſt ſub regula Benedictina monaſterium S. Turibij in Aſturibus, ab ipſo S. Turibio (prout ex eiuſdem cœnobij Archiuis curioſe per multos dies examinatis oſtendit prædictus Reuerendiſsimus Epiſcopus Tudenſis Prudentius Sandoual in opere fundationum præfato) vnà cum ſocijs etiam Sanctis Tolobeo Epiſcopo (qui præſulatui renunciauit vt fieret monachus) Synobi diacono, Euſebio, Euſoſtomo, & Ofazo in aſperrimorum montium faucibus (quam vallem Leuanæ vocant) monaſterium S. Martino ſacrum fundarunt ſub regula S. Benedicti: ſed adducto poſtea ad cœnobium corpore S. Turibij Aſturicenſis Epiſcopi, cœpit ab eo vocari, omiſſa antiqua appellatione S. Martini Sanctique Turibij monachi, qui ipſum fundauit. Erãt huius monaſterij monachi Etherius & Beatus, qui primi ſe erroribus Elipandi Toletani Archiepiſcopi ſe oppoſuerunt, circa annum Domini 828. Eſt etiam inſigni portione crucis Dominicæ non ſolum hominibus venerabile, verum ipſis inferni poteſtatibus terribile: cumque Mauritanis omnia vaſtantibus, cætera pæne omnia cœnobia Hiſpaniæ miſerabiles paſſa fuerint calamitates, iſtud ſemper intactum perſeuerauit, & à primo exordio vſque ad hæc tempora nullam mutationem experta regulæ, ſub ea adhuc militat per mille amplius annos, ſub qua primum fuit ædificatum. Monaſteriũ eſt etiã in regno Luſitanię, quod vulgo Lorban, ſeu Lauriacum vocatur, quod nunc incolant Sanctimoniales Ciſtercienſis congregationis, cum olim in eo monachi nigri ſederint: ſcribit de eo Bernardus Brito eiuſdem congregationis Monachus, lib. 6. Monachiæ Ciſtercienſis cap. 29. inter veterrima cœnobij ſcripta vnum à ſe inuentum, in quo hæc habebantur: *Domus noſtra Lorbani conſtructa fuit viuente Patre noſtro Benedicto, & dedicata Sanctis martyribus Mametio & Pelagio: illi enim, qui venerunt, deferebant reliquias iſtorũ, propter quod aſſumpſerunt illos in patronos: fuitq; dedicata eccleſia ab illis quarto calendas Iunij.* Non paruum certe debet apud prudentes habere põdus traditio antiqua magnorum

In Hiſpania.

1. Caradigna.

2. S. Toribij.

Lorbanenſe in Luſitania.

ruin monasteriorum, scriptis innixa vetustioribus: sed si cui hoc testimonium pro tanta antiquitate monasterij illius non videatur satis vetustum, at pro sequenti monasterio producetur
„tur testimonium acceptione dignissimum, S. Maximi, quem supra laudauimus: Æra quin-
„gentesima nonagesima secunda, Athanagildus rex in planicie suburbij Toletani ædifica-
4. Agalliense. „uit monasterium ordinis Sancti Benedicti in honorem S. Iuliani apud Aruernos passi, di-
„ctum Agalliense, ab Agallula villa propinqua; quod distat minus quam centum & quin-
„quaginta passus ab Ecclesia Prętoriensi sanctorum Petri & Pauli, inter Occidentem &
„Septentrionem situm: & ibi constituit primum Abbatem, Sanctum virum Euphemium,
„qui postea fuit vocatus ad primam Toleti sedem. Annus hic positus, est Christi Domini quingentesimus quinquagesimus quartus, vndecimus post S. P. Benedicti transitum: & cum tam aperte dicatur hic fuisse ordinis Benedictini cœnobium, Augustiniani tamen Canonici, volunt sine vllo fundamento fuisse sui ordinis Ecclesiam, vt inde magnos illos viros, sanctosque Euphemium, Exuperium, Adelphium, Helladium, Iustum, Ildephonsum, eiusdem loci Abbates & Toletanæ etiam sedis antistites Eugenium etiam secundum qui Helladio in Archiepiscopatu successit; Ioannem etiam Abbatem Viclariensem, seu Valclaræ, & ipsum S. Maximum, quem hic laudauimus historicum, ereptos D. Benedicto inferant canonicis S. Augustini. Atqui Iulianus, & Cixila vterque vitam S. Ildephonsi scribentes, nunquam canonicum, sæpius vocant eum monachum: quibus si quis proteruiens nolit credere, credat vel ipsi S. Hildephonso, qui cum in libro de scriptoribus ecclesiasticis S. Helladium dixisset humillimæ conuersationis monachum in cœnobio Agalliensi egisse, quasi controuersiam hanc orituram præuideret, addere voluit: *Agalliense dico, cuius me susceptio monachum tenuit.* At quis nescit monachum differre à canonico non-monacho? atque adeo vt differentia illa agnosceretur à populo, statuit Concilium Aquisgrani habitum anno 816. vt canonici
„cucullas monachorum non induant, his verbis cap. 125. Reprehensibilem & ecclesiastica
„emendatione dignum apud plærosque Canonicos inoleuisse comperimus vsum, eo quod
„contra morem ecclesiasticum cucullas, quibus solis monachis vtendum est, induant: cum
„vtique illorum habitum penitus vsurpare non debeant, à quorum proposito quodammo-
„do distant; Quia sicut indecens est, vt arma militaria more laicorum gestent: ita nimirum
„inhonestum est, & valde indecorum, vt alterius propositi indumenta sibi imponant. Habi-
„tus namque singulorum ordinum idcirco in ecclesia ab inuicem discreti sunt, vt his visis,
„cuius propositi sit gestans, vel in qua professione Domino militet, liquido cognoscatur.
„Nam & Domini lege vir muliebrem, & mulier virilem prohibetur induere vestem; scilicet
„vt vterque sexus sibi conuenienti veste incedat. Sicut enim turpe est virum vestem mulie-
„brem, & mulierem vestem virilem induere: ita valde indecorum est, Canonicum vestem
„monachicã induere, nisi tamen cum veste etiam propositum voluerit assumere. Iam dicant nobis Augustiniani, qui tot ordini nostro sanctos auferre moliuntur: vtrum existiment hic concilium agere de canonicis suis regularibus, aut de sæcularibus in communi tamen viuentibus; si illud primum, relinquant nobis monachos Agallienses, qui in tantum non debent vocari canonici, vt indecorum iudicet canonicos eorum vestimentis indui; monachum autem se vocat S. Hildephonsus, monachorum S. Benedicti monasterium illud à sua fundatione fuisse dicit S. Maximus. Sin autem secundum elegerint, certe iam nos suprà probauimus alios canonicos regulares vsque ad illum annum per totam Europam ostendi non posse, ac proinde nec per Hispanias. Nec est quod quis dicat hic mentionem fieri plurium ordinum habitu distinctorum, inter quos potuerit esse etiam Augustinianorum: nam plures illi ordines, sunt ordo laicus, ordo monachicus, quorum quisque suis vti debet indumentis in Ecclesia. Sed nec dicere poterũt, monasterium illud Agalliense initio fuisse monachorum, posteà vero Canonicorum (sunt enim qui hoc excogitarunt, vt S. Hildephonsum sibi arrogarent) nam fuisse monasterium illud monachorum Benedictinorum vsque ad Argericum vltimum Abbatem & ab Hildephonso quartum post Auilam, nempe & Cixilam; inde manifestè constat, quod hic Argericus sub Rege Froila Maurorum fugiens truculentam persequutionem, cum monachis suis in Galæciam secesserit, ibique aliud monasterium loco prioris Iuliano martyri consecrarit, quod hodieque Benedictinum est S. Iuliani de Samos vocatum. Argericum Abbatem ex vrbe Toletana monasterio huic secundo initium dedisse sub regula S. Benedicti, profitentur duo historici insignes qui id se collegisse dicũt ex Archiuis eiusdem monasterij Hieronymus Romanus Eremita Augustinianus, vir vndecunque doctissimus: & Ambrosius Morales princeps in historia Hispanica: Facta est autem hæc Abbatis Argerici transmigratio anno Domini 799. Vocatum etiam inuenitur apud Rodericum Toletanum Episcopum, lib. 4. historiarum, cœnobium Abeliense, quod sine dubio ab antiqua appellatione

appellatione Agalliensi deprauatum est ex vsu vulgarium, sicut assolet in similibus fieri, cum nullus aut vicus aut locus prouinciæ siue regionis illius, præter ipsum monasterium, hoc nomine vocetur. Abbas illius Archidiaconus est Lucensis, habetque in choro ecclesiæ stallum, si interesse voluerit; & antiquitus Episcopus aliquoties fuisse legitur, vnde & vsque ad hûc diẽ iurisdictionem Episcopalem in suis exercet parochijs monasterio subditis. Simili deductione euidenter constat religiosissimum D. Claudij Legionensis monasterium, fuisse sub regula D. Benedicti ipsius Patriarchæ tempore ædificatum; etenim is, quem modo produxi Hieronymus Romanus Augustinianus, in historia ecclesiastica Hispaniæ, docet ex Archiuis monasterij S. Claudij Galæciensis, ordinis quidem nostri, sed congregationis Cisterciensis, S. Vincentium presbyterum & Abbatem Legionensis Abbatiæ ab Arianis sub Galæcianorum Rege Riciliano circa annum Domini quingentesimum quinquagesimum quintum, pro fide S. Trinitatis constanter propugnata martyrio affectum, eadem nocte, quæ sequuta est martyrium suum, gloriosa specie monachis aliquibus vigilias agentibus apparuisse, & significasse instare etiam multis ex eorum gremio crudele martyrium: monuisseque, vt qui timidioris animi essent, ad tutiora loca fugerent: quibus vero Deus plus fiduciæ dedisset, illi manerent in cœnobio beneplacitum Dei expectantes. Sequuti sunt consilium patris sui, & pars in Galæciam abiere, ibique Ecclesiam monasterialem priori cognominem, S. Claudij scilicet, ædificantes consedere, & vsque ad hæc tempora regulam seruant, quamuis ab aliquot sæculis habitum nigrum mutarint in Cisterciensem quem hodie sub magna gerunt obseruantia; pars remansere in vrbe Legionensi, & cum Priore suo S. Ramiro duodecim numero mortem pro Christi Diuinitate fortiter oppetiere. Et corpus quidem S. Vincentij possidet Cathedralis ecclesia Ouetensis; corpus vero S. Ramiri nuper repertum translatum est in locum decentiorem, Deo translationem eius insignibus miraculis illustrante, sub Reuerendissimo Sãctissimoque cõgregationis Hispanicæ Generali P. F. Alphõso Corallio, Benedictinorum etiam in Anglia nostra præcipuo instauratore. Iam cum habeamus Abbatem sanctum Vincentium, cum Præposito suo S. Ramiro, ante annum Domini quingentesimum sexagesimum martyrij gloria coronatos: certe liquido satis inde constat, cœnobium illud temporibus D. Benedicti fuisse constructum: quod vt Abbatis viuentis gloriosa fulget corona, sic etiam celeberrimi doctoris & Archiepiscopi Leandri clarescit habitu, quem nimirum in hoc monasterio monachus factus gestauit. Addamus tandem ne nimis diu in Hispania hæreamus, monasterium S. Engratiæ Cæsaraugustanum, quod ab initio sui Benedictinum fuisse, atque ita perseuerasse per multa sæcula docent ex Archiuis ipsius cœnobij inspectis duo clarissimi rerum Hispanicarum scriptores Hieronymus Zurita, & Hieronymus Blancus. Zurita quidem in laudatissimis Annalibus Aragoniæ, lib. 2. cap. 73. de Clarissis monialibus loquens Cæsaraugustæ collocatis: *Hic monialium conuentus* (verba eius Hispanica Latinè reddimus) *fundatus est iuxta monasterium Engratiæ, quod fuerat monachorum D. Benedicti, qui in eo resederant tempore quo ciuitas hæc Maurorum seruituti subdita fuit: tempore autem Paterni Episcopi, & Pontificis Gregorij Ecclesiæ Iacensi & Oscensi annexa est*: loquitur de anno 1299. & Gregorio nono Papa. Hieronymus Blancus autem in commentarijs rerum Arragonensium Latinè scriptis agens de S. Eugenio eius nominis tertio, Toletano Episcopo, & monasterio S. Engratiæ hæc habet, *Olim autem ibi monachos D. Benedicti degisse manifesta omnibus, & notares est: fuisseque illius fani religionem tantam, vt anno Christi 651. Eugenium à Toleto patria ad huiusmodi dictorum monachorum cœnobium, tanquam ad locum religionis insignem, cæterisque alijs præcellentem venisse constet, fuisseque ibi aliquamdiu diuersatum: cumque in eodem esset ipsius D. Benedicti deditus instituto à Cindasuinto Gothorum Rege, Toletanoque clero in Toletanum Antistitem euectum.* Sunt hæc testimonia authorum, quorum nihil interest quid de hac nostra controuersia pronunciarent; citant pro se communem omnium traditionem, & antiqua Ecclesiarum & cœnobiorum monumenta; sunt authores ipsi nominatissimi inter Hispaniæ illustratores, quibus propterea sine affectu de rebus sibi (vt existimabant) testatissimis scribentibus, non video cur non debeat adhiberi fides. Vnum adhuc nobis restat monasterium celeberrimi & olim, & hoc sæculo nominis S. Æmiliani, quod circa ipsa B. Benedicti tempora, & sub eius regula, ædificatum fuisse constat ex antiquissimo Sepulchrali lapide intrà ipsius sancti Sarcophagum vna cum beato eius corpore tumulato; Anno siquidem 1601. Reuerendus Pater Placidus de Alegria Abbas S. Æmiliani ex consilio monachorum suorum statuit aperire sepulchum sancti Æmiliani, quod erat in superiori monasterio in montis vertice (nam maius monasterium inferius commodiori loco nunc est exædificatum) in sacello obscuro & angusto valde, circumdatum statiunculis Angelorum impoliti operis, quorum vnus in manibus libellum habet apertum, in quo characteribus Gotticis minutis, ad quos legendos opus est

5. S. Claudij Legionensis.

6. S. Engratiæ Cæsaraugustanum.

7. S. Æmiliani.

accensa face scribitur hoc elogium: Sanctissimus Æmilianus monachus & Abbas sub regula sancti Benedicti, obijt æra. 612. hoc est anno Christi 574. In hoc sepulchro positum fuit sacrum eius corpus statim ab ipsius beato transitu: sed postquam ibi per 503. annos quieuisset, anno millesimo trigesimo tertio, Sanctius maior Rex, & Abbas Ferracius eius nominis secundus corpus sacrum ex sepulchro veteri, in locum decentiorem transtulit, sepulchro veteri reuerenter clauso; quod cum (vt diximus) Abbas Placidus aperiri iussisset, inuentus est in illo lapis, aut potius tabula lapidea octangularis, in cuius vna superficie antiquissimis maiusculis characteribus Gotticis circulos spirales exprimentibus scripta erant ista: *Purgatißimi Apostolicique viri Æmiliani corpus hic humatum iacet: qui postquam eremiticam vitam multis annis egit, & clericalem, tandem monasticam professus sub regula admirabilis Benedicti, curam gerens Abbatialem, obijt in Domino, clarus miraculis, & Propheticæ spiritu. Æra 612.* hoc est anno Domini 574. In altera autem superficie characteribus etiam Gotticis sed minusculis hęc erāt insculpta, lineis formam crucis exprimentibus; *Natus est Æmilianus deuotis parentibus, in oppido Vergegij, & cum vigesimum annum attigißet relictis ouibus patris sui, Spiritu Sancto eum inspirante & dirigente, ad castellum Bilibiense, quod decem & quinque milliaria à supranominato oppido distat, & duodecim à Tritio, adijt, vt magisterio Felicis confessoris vteretur.* Iam consideremus ex hoc testimonio, quod diuina voluit prouidentia in honorem sancti serui sui Benedicti regulæque ab eo promulgatæ, cum sancti Æmiliani sacris pignoribus contumulari, si addamus ex vita ipsius (quam scripsit S. Braulio Cæsaraugustanus Episcopus) eum decessisse è vita anno ætatis suæ centesimo primo: clarè sequi monasterij huius primordia viuente ipso Patre nostro Benedicto extitisse: Etenim vigesimo ætatis anno Felicem adijt Eremitam; ab eo edoctus spiritualis militiæ tyrocinia, ad sexagesimum ætatis annum in solitudine nullo hominum vlus consortio vixit: Inde curam egit Vergegiensis Ecclesiæ vnum aut alterum duntaxat annum, cito enim, quasi dilapidator patrimonij Ecclesiæ ob profusas in pauperes eleemosynas, Clericorum querelis est à cura pastorali repulsus: à quo tempore monachis congregatis per quadraginta annos pręfuit: qui si demantur ab Æra qua defunctus fuit, restabunt anni 534. anno igitur quingentesimo trigesimo quarto sub regula Benedictina cœnobium fundauit, quinquennio duntaxat postquam S. Benedictus Casinum fundasset. Rectè igitur in lectionibus festi ipsius dicitur *primus omnium Benedictinā religionem in Hispania plantauiße.* Nec est mirandum tam cito potuisse in Hispania regulam propagari, cum sub Theude Wisigothorū Rege, Sanctiuæ marito, Ostrogotho, Theodorico Italiæ & Ostrogothorum Regi in amicitijs coniunctissimo, sine vlla difficultate ab vno in aliud regnum commercia commigrationesque permitterentur. Ex omnibus autem, quæ de celeberrimis his monasterijs Hispaniæ diximus, si quis attente perpendat in diuersissimis regionibus ea fuisse, in Lusitania, Gallecia, Asturica, Nauarra, Castella, Legione; & vna etiam numeret clarissima Hispanicæ Ecclesiæ lumina, quæ in his floruerunt cœnobijs. Æmilianum Hispaniæ Patronum post D. Iacobum, præcipuum; Leandrum, Hildephonsum, Eugenios, Vincentium Presbyterum, cæterosque huius notæ proceres: certe non dubitabit omnia Hispaniæ cœnobia statim ac promulgata fuerat regula sancti Benedicti, eam suscepisse; & quæcumque in Concilijs Hispaniæ post defunctum eundem Patriarcham de monachis cœnobijsque & Sanctimonialibus regularibus statuuntur, ea non nisi de monachis Benedictinis accipi debere.

In Gallia.

1. Glamafoliense.

Exeamus nunc tandem ex Hispania, & cum sanctissimo patre nostro Mauro proficiscamur in florentissimum Galliæ regnum: quem anno 542. vel circiter in Franciam legatione ab Episcopo Cenomanensi Berticranno ad S. Benedictum missa destinatum & Glamofoliense monasterium centum quadraginta monachorum ædificasse narrat itineris comes, & defuncto superstes Faustus; conceditque in annalibus suis Baronius: & per totam Galliam ordinem Patris sui Benedicti disseminasse affirmat fide dignissimus auctor S. Odilo Cluniacensis, cuius verba superius §. 9. posuimus: Lyrinense vero S. Honorati cœnobium à S. Mauro regulam S. Benedicti suscepisse docet scriptor vitæ S. Honorati antiquus, in eodem §. 9. à nobis relatus; & nō male probatur ex eo quod anno 666. iādiu ibi Abbas fuisset S. Aigulphus (eo anno martyrium passus) ex Floriacensi monasterio Benedictino, quod Leodeboldus iam Abbas S. Aniani circa annum Domini 620. fundauit, vt ex ipsius constat testamento, quod in annalibus Ecclesiæ Aurelianensis habetur. Quia & magnus annalium Ecclesiasticorum conditor Baronius, id ipsum libenter concedit, cum de sancto Cæsario disputans, sic ait. Cum vero adeo frequens sit mentio de Cæsarij regulis editis de vita monastica; nec extent illæ quidem: putamus eas in sancti Benedicti monastica instituta receptas, non autem perijsse. Sicut enim ipsum Lyrinense cœnobium cessit vsui monachorum sancti Benedicti: ita & ipsas S. Cæsarij constitutiones monasticæ vitæ, vt riuum in flum, en deriuatas esse in regulam

gulas S. Benedicti, mihi facile persuadeo. Duo genera constitutionum monasticarum edidit Cæsarius, vnum viris, quas in bibliotheca SS. Patrum publici iuris factas videmus, sunt autem numero duntaxat parua capitula, quæ recte constitutionum occurrentibus causis, non autem regulæ nomen merentur; aliud sanctimonialibus fæminis, quas Fortunatus Pictauiensis de S. Radegonde scribens regulam vocat Arelatensem; eas etiam edidit doctissimus P. Sirmundus, habenturque in vita S. Radegondis Gallicè ab erudito quodam Patre Capucino conscripta, habentur inquam Latinè & Gallicè; ex quibus constat ipso viuente Cæsario, (& valde probabiliter etiam viuo adhuc in terris S. Benedicto) tam moniales illas Arelatenses, quam monachos Lirinenses regulam S. Benedicti admisisse. Regulæ enim illius Cæsarianæ duæ sunt partes: quarum secunda est quasi repetitio, explicatio, & emendatio aut suppletio prioris, & vtramque partem sanctimonialibus iniungit diligenter custodiendam: in ea autem, quam diximus posteriorem, repetione posuit duo vel tria integra capitula ex regula S. Benedicti verbatim desumpta, de celleraria & portaria præsertim, ita vt nullam in eis dictionem mutauerit, nisi quantum requirebatur vt ad sexum muliebrem officiorum nomina accommodarentur. Vnde videbitur consequens cuiuis non auerso iudici, ab eo tempore, quo hanc repetitionem fecit S. Cæsarius, susceptam fuisse regulam sancti Benedicti, vna cum suis ipsius sancti Cæsarij institutis, in quibus etiam ipsis non pauca bene consideranti videbuntur ex regula eadem S. Benedicti decerpta, præter ea quæ iam diximus esse manifesta. Neque mirandum id est: cum ex emendata ab ipso Baronio temporum ratione constet, S. Cæsarium decem totos annos post mortem B. Benedicti superuixisse; totidemque annos, B. Mauro in Gallijs agenti fuisse coæuum. Siquidem anno 543. obierat sanctus Benedictus, quo & D. Maurus in Gallias est profectus, cum D. Cæsarius vsque ad 553. pertigerit; vt non fuerit tantopere Tritemius reprehendendus, qui Cæsarium inter Benedictinos numerauerit: neque enim repugnabat Chronologiæ ratio, per quam poterat vltimis monachatus sui annis Cæsarius regulam suscepisse; & certissime tum illa, tum aliæ quas diximus rationes faciunt, vt monasteria Cæsario subdita in vita ipsius Cæsarij, & ante, mortem sancti Mauri & potuerint suscepisse, & reipsa susceperint. Pari modo vidimus tempore Ioannis tertij Pontificis, nouemdecim duntaxat annos postquam sanctus Benedictus abijsset in cœlum, monasterium sancti Medardi Suessionensis regula hac Benedictina fuisse iam informatum, & à B. Gregorio caput omnium cœnobiorum Galliæ effectum: quod sane vix potuit cum proprietate dici, nisi cætera etiam tunc monasteria eandem regulam fuissent amplexa. Testimonia beatorum illorum Pontificum supra §. 9. collocauimus. Quin & omnia illa celeberrima monasteria, quæ D. Columbanus discipulique eius fundauerant, Luxobium, Bobium, Solemniacum, Funtanellam, Gemiticense, & alia quæ plurima fuisse ab eodem sub regulæ Benedictinæ directione posita, ex testimonijs ipsorum temporum, quibus ille vixit, facilimum est demonstrare: vt vnà videatur quam intoleranda sit quorundam in assertionibus leuissime fundatis pronunciandis licentia, cum hunc, quem tam clarè probauimus fuisse Benedictinum, Augustiniani aliqui Eremitæ suum audeant dicere, (quorum tamen regulam docuimus Occidenti toti tunc temporis ignotam fuisse) & vt id meliori cum colore viderentur asserere, sicut antea de Adelardo docuimus, ita hunc ipsum Columbanum imperitissime in duos transfundunt, vt vnum sibi, alterum nobis Benedictinis reliquant; cum ipsa eius venerabilis viri vita per Ionam discipulum eius scripta, apertissime declaret vnum & eundem esse Columbanum qui vtrúque monasterium, tam Luxouiense, quam Bobiense construxerat. Hic igitur maximus Monachorum illustrator & præceptor, omnia sua monasteria sub regula S. Benedicti fundauit. Quod ne aliorum exemplo, quos vituperamus, sine probatione legitima asserere, videamur, satis manifeste ostendemus ex præcipuorum monasteriorum discipulorúmque eius historia.

Est ordinis nostri monasterium antiquum propè Argentinam in Germania vocatum nunc Maurmunster, à sancto Abbate suo Mauro, quum antea vocaretur cella Leobardi, qui monachus cum esset Casinensis, & vt habet traditio loci illius, sub ipso S. Patriarcha Benedicto vixisset hoc monasterium erexit, memoriæque Sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli Sanctique Martini sacrauit, & postea Rex Francorum Childebertus secundus magnificè dotauit. Huic monasterio Theodoricus Francorum Rex priuilegium insigne concessit, in quo postquam antecessorum suorum regum priuilegia confirmasset, suamque etiam authoritatem addidisset, hoc modo concludit: Quapropter per præsens decernimus atque iubemus „præceptum, vt neque nos neque iuniores nostri siue successores, nullaque omnino cuiuscumque sit potentiæ persona, ipsum Abbatem, neque monachum, neque certe homines „suos iniuriare, neque condemnare; neque infrà vel extrà monasterium rem irrationalem

Ex Priuilegio Regis Theodorici.

N 2 „facere

„facere penitus, neque de rebus ad se pertinentibus quippiam auferre præsumat; sed liceat „sibi suisque omnibus sub immunitatis titulo & nostro Mundiburdio vel defensione cum „omnibus rebus suis, & monasterij sui, secundum normam Patrum Domini Benedicti & „Domini Columbani, quietos residere atque securos; quo potius ipsam congregationem „sanctam melius delectat pro stabilitate regni nostri misericordiam Domini die noctuque „crebrius exorare. Data Metis in cœnobio S. Arnulphi eiusdem loci Episcopi, quod est con„stitutum in suburbio, sub die Calendarum Maij, anno Dominicæ incarnationis 724. in„dictione 3. anno vero regni Domini Theodorici quinto. Ego Grimaldus Cancellarius recognoui. &c. Hinc sane aperte patet, monachos huius monasterij, qui à Leobardo Patre & fundatore suo regulam S. Benedicti accepissent, normam tamen, id est statuta ac obseruantias aliquas à S. Columbani discipulis acceptas custodiuisse; adeoque eiusdem proculdubio ordinis tam D. Columbani, quam D. Benedicti discipulos fuisse. Sed hoc adhuc fortiori testimonio confirmemus.

Ex gestis S. Ansberti. Nempe Ansgradi in vita S. Ansberti Archiepiscopi Rhotomagensis, qui fuit discipulus & successor in Abbatiæ regimine S. Wandregisili, vnius ex primis præstantissimisque discipulis S. Columbani, & Cœnobij Fontanellæ in Normannia fundatoris: Interea (*inquit de S.* „*Ansberto*) dum multimodam eius in omnes gratiam memoro, etiam super Fontanellensis „cœnobij sancta monachorum congregatione, quantam solicitudinem & peruigilem curam „indesinenter habuit, testatur inter reliqua prærogatiuæ eius gesta etiam priuilegij sui au„thoritas, quam prædicti cœnobij habitatoribus ob Dei amorem, & sanctorum reueren„tiam summa deuotione edidit. Denique cum sanctorum Sacerdotum & omnium ciuium „Rotomagensium electione, & gloriosi Regis Theodorici consensu, in Pontificem conse„cratus fuisset, nimio dilectionis feruore, quem erga prædictum venerabile cœnobium sem„per habuerat, priuilegij sui authoritatem eidem edidit, vt per succedentia tempora, secun„dum sancti Patris Benedicti regulam, &, vt præcedentium regum, Clodouei videlicet & „Clotarij, simulque Childerici & Theodorici priuilegiorum authoritates docent, ex semet„ipsis sibi perennibus temporibus Abbatem eligerent. In qua etiam iustæ allegationis verbo „præsentes futurosque, qui ibidem Domino militaturi erant, constringit, vt sicuti sub eius „regimine, ita & deinceps, & ipsi & posteri eorum, secundum regulam sancti Patris Benedi„cti fideliter Christo deseruirent. Quodsi aliquando peccatis exigentibus aut negligentia „pastorali, à via rectitudinis, & obseruatione regulæ S. Benedicti in futuro deuiare cona„rentur, aut cogerentur, tunc conuocatio sanctorum Sacerdotum, reliquorumque mili„tum Christi vnanimiter fieret, eorumque per consilium in pristinam reducerentur statum. „Si vero hac Pontificali authoritate postposita, qualibet cauillatione sinistram elegissent „vitam ac conuersationem tenere, sub vinculo anathematis æternaliter se damnandos sci„rent. Facta est autem hæc priuilegij authoritas sub anno Dominicæ incarnationis sexcente„simo octuagesimo secundo, indictione decima, qui erat annus præfati gloriosi Regis Theo„dorici tertius decimus, & præfati venerandi Præsulis Pontificatus annus quintus, in Syno„do generali Rotomago vrbe habita &c. Habetur ex hoc priuilegio monasterium illud Fontanellæ sub Ansberto successore S. Wandragesili Fundatoris fuisse Benedictinum: quidni ergo & sub ipso S. Wandragesilo? præsertim cum ex ipso priuilegij tenore appareat, non id agere S. Ansbertum vt regulam à se introductam stabiliat; sed vt regularem obseruantiam exactam & laudatissimam, quam ipse Abbas ibidem reliquisset, hac constitutione perennem redderet. Etenim quando in Concilijs aut priuilegijs agunt Præsules vt regula S. Benedicti in quouis monasterio seruetur, non est id indicium regulæ tunc primum ibidem positæ: sed scopus est, vt monachi, qui ab initio cœnobij fuerant Benedictini, vitã suam regulę suæ præceptis conformem respondentemque disponant. Fuerunt ergo SS. Wandragesilus, & Ansbertus discipuli Columbani, etiam monachi sub regula D. Benedicti. Idem constat ex D. Bertini actis, quem cum omnes fateantur monachum fuisse Luxouiensem ab Eustachio Co-

Ex gestis S. Bertini. lumbani discipulo & successore educatum: in vita tamen S. Winoci, discipuli ipsius S. Bertini, inueniemus expressè fuisse eum monachum Benedictinum. Nam cum author vitæ illius, quam Surij iudicio & cuiuscumque beneuoli lectoris grauiter scriptam esse constat, aduentum Winoci, Ingenoci, Quadanoci, & Madoci, nobilium Britannorum (quos sanctos suos indigenas monasterium Sithiuense veneratur) ad B. Bertinum narrat, his id clarissimis in „rem nostram facit: Per id tempus in ea Morinorum seu Taruanensium regione B. Bertinus „in ornamento Ecclesiæ Dei erat lapis pretiosus, in monasterio Sithiu merito & officio Ab„bas. Hic sanctitatis suæ aromata longe lateque spirauerat, & in militiam Christi suo exem„plo permultos inuitarat atque pertraxerat: cuius laudabilia gesta nosse qui velit, ex libello,

quo

„quo eius actus pleniſſime continentur, perſpicue diſcere poterit. Tanti ergo patris regimi-
„ni viri illi, quos dixi, deuoto ſe obſequio ſubdiderunt, & egregium omnino duxere, à do-
„ctrina ſancti animo peruigili pendere. Eorum vero laudabili deuotioni gratulans beatus
„Bertinus, ſub norma pij patris Benedicti docuit eos ferre ſuaue iugum Christi, monaſticiſ-
„que parere ſanctionibus & verbis & factis inſtituit. Euidentiſſimum profecto teſtimonium, diſcipulos omnes S. Columbani fuiſſe ab ipſomet ſancto innutritos regulæ ſancti Benedicti, ſuperadditis tamen aliquibus conſtitutionibus ſeu cæremonijs ſuis, quas aliqui authores regulam Colũbani vocant. Ecce enim D. Bertinus notiſſimus ſancti Colũbani diſcipulus regulam ſancti Benedicti in ſuo monaſterio docet: quam proculdubio etiam in monaſterio Luxouienſi ſub ſancto Euſtatio & Columbano didicerat. Neque enim honorificè ſentiunt de his maximis viris, qui regulam D. Columbani diſtincti ordinis normam à D. Benedicti ordine faciunt: quam videlicet omnes eius prorſus diſcipuli aut derelinquerent, aut certe in ſecundis poſt D. Benedicti regulam haberent. Parum id perfecto cederet aut in honorem magiſtri, aut in laudem diſcipulorum. Sed nimirum regulam Benedictinam D. Columbanus iam cum ritu Catholico paſchatis & tonſuræ Romanæ in ipſa Hibernia in monaſterio ſuo Bennachorenſi ſuſceperat, & eandem in ſingulis monaſterijs ſuis propoſuerat cuſtodiendam, quam videbat iam vbique paſſim ab omnibus obſeruari: neque enim tunc illa frequens nouorum ordinum erigendorum conſuetudo, recepta fuerat; ſed omnes monachi eandem regulam ſibi proponentes, pietatis adipiſcendæ ſtudio, non regularium inſtitutorum nouitate, aut varietate inter ſe concertabant. Videamus alium inſignem è ſchola D. Columbani Abbatem, Philibertum, qui (vt eſt in vita ſancti Aichadri à Fulberto grauiſſimè conſcripta) cum monaſterio ſuo Gemiſienſi, vnde regum iniuria fuerat expulſus, Abbatem cum Anſoaldo Pictauienſi Epiſcopo ſtudioſa deliberatione circumſpiceret: Diuina monitione Aichadrum ſanctiſsimum ad hoc munus ſubeundum elegit: ſed rem verbis Fulberti dicamus. *Talia inter ſe his duobus patronis* (Philiberto & Anſoaldo) *conferrentibus: proxima nocte beatum virum* (Aichadrum) *vox emiſſa præmonuit, ne obſtinatius aſpernaretur mandata, quæ ſibi proximo mane delata forent. Diuinitus autem ad regimen Gemiſienſis cœnobij præordinatus extiterat. Mox ſubſequenter illi duo viri Dei Epiſcopus Anſoaldus & beatus Philibertus, in ſomnis beato Aichadro apparuerunt, Epiſcopus virgam paſtoralem, Beatus vero Philibertus regulam ſancti Benedicti porrigebat: ambo quaſi ex vno ore dicentes, Surge frater, & officium quod tibi à Deo imponitur, obedienter ſuſcipe. Accipe Virgam, per quam ſubditorum errata corrigas & ad rectum diſciplinæ reducas, librũ etiam, vt tu primum, quæ in eo exarata ſunt, cuſtodias; & in his tibi ſubditos informare ne deſiſtas.* Quis hic non videat B. Philibertum Columbani diſcipulum prętantiſſimum, non aliam regulã Aichadro ſucceſſori ſuo tradidiſſe, in monaſterio vnde ipſe exulare cogeretur, docendam; quam quę ab ipſomet ibidem, antea fuiſſet cuſtodita, & à S. Columbano primitus acceptas? Tradidit autem regulam S. Benedicti: quam proinde proculdubio & S. Columbanus ipſe ſeruabat. Pari modo ſanctus Remaclus, qui habitum in Solemniaco cœnobio, à Luxouienſibus D. Columbani diſcipulis ædificato ſuſcepit, vnà cum Papoleno Abbate ſancto & ſucceſſore ſuo, qui & ipſe monachus fuerat Luxouienſis: Abbatias tamen ſibi commiſſas regulæ Benedictinæ artibus informabant. Teſtatur id in hiſtoria S. Remacli Notkerus. Vbi poſtquam narraſſet D. Remaclum in monaſterium ſuum Stabulenſe ſe abdidiſſe dicit Papolenum patrem venerabilem ex Luxouienſi cœnobio ad ipſum veniſſe, gratiſſimiſque amplexibus exceptum, & propter inſignem monaſticæ perfectionis gratiam Malmundarienſi alteri videlicet cœnobio à ſe ædificato præpoſuiſſe, *Cuius monachi* (inquit) *Sancti Benedicti inſtituto viuebant.* Quod non eſt indicare (vt ſępius antea huiuſmodi loquendi modum explicuimus) tunc primum, aut in illo duntaxat monaſterio regulam Benedictinam plantatam fuiſſe: ſed eſt tantundẽ ac ſi dicerent, ibi monachos exactè diſciplinam regularẽ exercuiſſe, qualem videlicet ipſa regula (vt aiunt) ad pedem literæ obſeruata poſtularet; ac proinde opus habuiſſe ſummi feruoris & exempli inculpati viro, qui eis in diſciplina tam ſingulari verbo & exemplo præiret. Et quis illo tempore credat fieri potuiſſe, vt idem Abbas in vno monaſterio, nempe Malmundarienſi, ſub Præpoſito ſeu Priore ſuo Papoleno regulam inſtitueret obſeruandam S. Benedicti, quam in monaſterio maiori, Stabulenſi videlicet, vbi ipſemet Abbas viuebat, non obſeruaret? Et hi Papolenus & Walbertus diſcipulus ſancti Bertini, duo ſunt illi patres quibus Ionas ipſorum compar dedicat libros de vita D. Columbani.

Ex geſtis SS. Philiberti & Aichadri.

Ex geſtis Remacli & Papoleni.

Quid quod monaſterium S. Petri Corbeiæ obſeruantiæ laude etiam hodie rediuiua pietate notiſſimum, quod & noſtræ Angliæ, monachos dedit, (quod ſuo loco notauimus) qui ad diſciplinam in ea collapſam reſtituenda collaborarent; quodque omnes norunt fuiſſe Bene-

Ex Abbatijs Calenſi & Corbeyenſi.

dictinū, vt nos apertissime ex Paschasio sancti Adelardi Corbeiensis Abbatis discipulo & successore in eiusdem Patris sui vita demonstrauimus, fuisse à suo exordio Benedictinum; primum Abbatem suum, Bathilde regina natione Angla fundatrice postulante, Theofredum ex Luxouiensi cœnobio D. Columbani accepit? quod monasterium Calense nobilissimum, & plurimis sanctimonialibus principibus, præsertim Anglicis gloriosum, vbi & ipsa regina Batildis Deo in sua seruiuit viduitate, primam suam Abbatissam Bertiliam ex schola D. Columbani, monasterio Iotrensi habuit? At Calense monasterium, & Corbeiense semper fuisse Benedictini instituti adeo certum est, vt solem in cœlo negaret esse, qui ea negaret regulæ Benedictinæ subiecta ab exordio fuisse. Adde quod Ionas discipulus etiam sancti Columbani, Abbatem Luxouiensem Eustacij successorem in vita sancti Pharæ seu Burgondoforæ & in vita ipsius Eustacij nominat S. Waldebertum, qui est ille ipse Waldebertus Comes Arciæ, qui resignato in manus D. Bertini patrimonio & titulo comitatus sui (quo hodieque gaudet Reuerendissimus Abbas Bertinianæ domus) ab eodem S. Bertino, vt vidimus, in regulę Benedictinæ præceptis fuit eruditus. Extat apud doctissimum scriptorem Annalium sanctæ Aurelianensis Ecclesię, virum de ordine nostro optimè meritum, Venerabilis Leodebodi Abbatis S. Aniani, & fundatoris primi Floriacensis Abbatiæ testamentum, datum secundo anno Clodouæi secundi, qui Batildem reginam Anglici stemmatis illustrissimum germen habuit vxorem, anno autem incarnati verbi sexcentesimo vigesimo tertio, octo tantum annis post transitum S. Columbani: in quo testamento ait se *deliberata voluntate in agro Floriaco quem cum glorioso & præcelso Domino Clodoueo Rege & gloriosa Domina vxore eius Batilde Regina de rebus suis proprijs commutaßet, monasterium ædificasse vbi* (verba sunt ipsius) *pro salute regia vel cuncto populo exorandum; vbi iam dictus vir Dei, Sanctus videlicet præsul Anianus condigne iacet tumulatus; in quo monachi iuxta regulam Sanctißimi Benedicti et Domini Columbani consistere debeant.* Clarissimè igitur ex istis sequitur disciplinam monachalem S. Columbani eandem fuisse cum monastica regula D. Benedicti, Quę vocatur regula Benedicti, quia ille Patriarcha est ordinis & legislator, regula Columbani, quia ille eiusdem illustrator & propagator excellens, quo sensu etiam regula Eustasij à Iona dicitur in vita ipsius Eustasij: cum narrat in concilio postulatum ab Agrestino monacho schismatico, quidnam contra regulam Columbani vel Eustasij obijciendum haberet; id est, contra obseruantiam regularem, quam illi secundum normam S. P. Benedicti profitebantur. Et quod omnem superat exceptionem, quam ipse Ionas vocat regulam Columbani, hanc vetus à S. Romarico editum testamentum vocat expresse regulam S. Benedicti. Ionas in vita S. Eustasij, de S. Romarico mentionem injciens ait: *Qui in primis nobilibus fuerat apud Theodebertum habitus, postquam per exemplum Columbani, ac per Eustasij prædicationem monitus, ad Luxouium veniens, monachicæ institutioni se subdidit: quo diu sub regulari tenore vitam agente, postea Eustasio annuente puellarum monasterium in suo proprio inseruit, et regulam Columbani illis custodiendam indidit.* Hæc Ionas in vita Eustasij: At ex testamento eiusdem sancti Romarici Auendi Comitis in monte Vogeso, & monachi deinceps in Luxonio, quod habet Franciscus Rosiers in historia Lotharingica tomo 5. cap. 79. clare patebit illam ipsam fuisse regulam S. Benedicti. Totum testamentum hic describemus ob maiorem fidem: & quia dignissimum lectu est.

Ex testamēto Leobodi.

Ex verbis Ionę & testamento S. Romarici.

„In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Quoniam mundus in maligno „positus legitimas fidelium donationes impiè conatur infringere: idcirco ratio postulat, vt „ea, quæ pro augmento Ecclesiarum donata sunt, nos quoque rationabiliter confirmare „curemus. Nouerit igitur omnium Catholicorum tam præsentium, quam futurorum vni„uersitas; Quod ego Romaricus Auendi Comes videns viros virtutis voluntaria paupertate, „pauperis Iesu stigmata in suis corporibus circumferre, & in desertis ac spinosis locis ha„bitare, vt amaritudinem crucis, & asperitatem pœnitentia sancta sæculis omnibus cele„brem prædicarent: secundum desiderium meum, paraui eis locum in monte Rombeiense „iuxta castrum meum, in monte siluestri satis, & horrido, haud procul à Mosellæ fluminis „ripa; quatenus vbi prius fremitus, & vlulatus ferarum frequenter sonabat in auribus ho„minū, ibi deinceps in Psalmis & Hymnis, & Cāticis spiritualibus crebrius resonaret gratia„rū actio, & vox laudis in auribus Angelorū. Monsque ille siluestris factus est mansio sancti„tum harum, quæ cogitatione & auiditate conuersantur in cœlis. Nam spinis & vepri„bus extirpatis, construxi ibi monasterium Monialium ordinis Diui Benedicti, in honore „Sanctissimę Trinitatis, & beatissimæ genetricis Mariæ Virginis, & beatorum Apostolo„rum Petri & Pauli, ac omnium sanctorum. Quod scilicet monasterium, à proprietate loci, „congruum sortitum nomen, Mons sanctus vocatur. Tunc communi consensu meorū, con„uocaui congregationé sanctarum Monialium, quibus concessi præfatum monasterium & „Abbatissam

Testamētum S. Romarici.

„Abbatissam Gertrudem filiam meam primogenitam: Cui, & sorori suæ Claræ filiæ meæ, „ac cęteris Monialibus, vt securè & liberè, ac sine bonorum terrenorum metus cura, Deo „famulentur; Do & concedo liberè & purè, quia Deo seruire cupio, totum patrimonium „meum; videlicet, totum Comitatum Auenduni eodem modo, forma, auctoritate, proprie„tate tenendum, qua pater meus, & ego tenuimus. Factum est autem hoc donum quarto „nonas Martij, anno ab incarnatione Domini 620. Clotario glorioso Francorum Rege re„gnante. Testes sunt Arnoaldus Episcopus Metensis, Dodo Episcopus Tullensis, Paulus E„piscopus Viridunensis, Arnulphus cognatus meus Dux Austriæ Moselanicæ, Brunulphus „Comes Templatensis, Wambertus Dux inferioris Austriæ, Comes Salmensis. Et ne quis „hanc eleemosynam audeat vnquam temerè calumniare, vel aliquam iniuriam Moniali„bus, in hoc loco Deo seruientibus inferre, Sigilli mei auctoritate, ac præfatorum Regis, „Episcoporum, Ducum, & Comitũ confirmaui. Quid manifestius? Ecce quam ibi Ionas vocauit *regulam S. Columbani*, id est, quam S. Columbanus in omnibus suis monasterijs obseruandam proposuit: hanc istud Romarici testamentum proprio vocat nomine *regulam S. Benedicti*. Regulam ergo S. Columbani, qua differt à regula S. Benedicti, non aliam intelligere par est, quam statuta quædam regulæ superaddita, qualia forte fuerunt aliqua ex illis de quorum neglectu Romaricum & Amatum reprehenderat Eustasius; atque ita demũ exasperauerat, vt inde occasione arrepta schismaticus Agrestinus Romaricum & Amatum penè in suas partes abstraxerit: nisi Deus sanctorum suorum misertus, ipsos ad viam rectam, & obedientiam sui Patris Eustasij reuocasset. Inter ea autem constituta Columbani, præcipua sine dubio fuere, modi aliqui distincti psalmodiæ, seu cursus officij diuini, & pœnitentiarum asperiorum; in quibus D. Benedictus Abbati expresse plenam reliquerat dispositionem; nam apparet Augustinum nihil potuisse in concilio contra Eustasium obijcere, præter prolixitatem Liturgiæ seu officij diuini, & quasdã cæremonias austerioris pœnitentiæ; Et reuera illa, quæ circũfertur, nomine tunc regulæ Columbani, nihil aliud continet, quam modum psalmodiæ rigidiorem quam qui à S. Benedicto fuerat in regula præscriptus; & aliquot capitula de modis pœnitentiarum & silentij, per quæ planum est, esse quædam regulæ D. Benedicti pro iure Abbatis tanti superaddita statuta: quod euidens fit ex proœmio regulæ illi D. Columbani præfixo, quod ex vetertimo manuscripto exemplari profert diligentissimus & deuotissimus monachus noster Carolus Stengelius in corona lucida: quod hic ob maiorem huius rei fi„dem volumus repræsentare: Incipit præfatio regulæ Cœnobialis Patrum de Hibernia sub„sequentis Equidem sanctus Pater Benedictus in hanc regulam qualitate ordinis pænitem„tiæ modos constituit. Sed vnde, de quibusdam causis intimauit, dicens: siquis hoc aut illud „perpetrauerit, disciplinæ regulari subiaceat. Ipsius quippe disciplinæ mensuram in arbi„trium Abbatis iudicandum permisit. Quia dum qualitatis morum vel pœnitentiarum in„numerabilis est diuersitas, potuit ei fieri in arbitrium onerosa prolixitas. Etenim ipse per „humilitatem spiritus præcedentium patrum disciplinæ auctoritatem recipit: quia, vt fer„tur, omnium sanctorum spiritu plenus fuit. Igitur de eadem emendatione disciplinæ qui„busdam verbis instituta subter inserta nectuntur. Et sequitur illa quæ vocatur regula Columbani ad verbum, prout alibi iam impressa circumfertur. Est quidem præfatio subobscura, & scriptoris incuria in aliquibus vocabulis deprauata: sed tamen facile est sensum inde præclarum elicere: Nempe D. Benedictum patrem, constituisse in regula secundum qualitatem ætatum & perpetratorum modos varios pœnitentiæ (hoc est enim qualitate ordinis pœnitentiæ modos constituere.) Sed non ita particulatim mensuram pœnitentiæ infligendę pręscripsisse, quin eius limitationem, aut determinationem Abbati faciendam reliquerit; ideo enim, quasdam causas propter quas pœnitentia esset iniungenda, recensens, vult quidem regularem disciplinam infligi debere; sed quæ, & quanta, & quo ordine debeat infligi, in Abbatis reliquit potestate. Hoc est enim illud, *sed vnde*, hoc est, sed quibus de causis debeat infligi, exempli gratia docens. Deinde reddit rationem duplicem præfatio, cur D. Benedictus hoc in potestate Abbatis reliquerit: *Prima* est, quia quam maxima sit negligentiarum & culparum varietas, quarum modo & grauitati deberet correspondere mensura emendationis infligendæ: si ipse sibi in regula sumpsisset arbitrium omni huic varietati modos pœnitendi præscribere, extra quos, Abbas nihil deberet iniungere; fuisset prolixus labor sancto patri tam multa scribere; melius ergo iudicauit hæc particularia arbitrio Abbatis relinquere. *Altera* ratio est, quia patres monachorum præcedentes, multa genera pœnitentiarum & mortificationum, quibus errantium defectus emendarentur, statuerant: quę omnia S. Benedictus visus fuisset contempsisse, si quædam dumtaxat genera pœnitentiarum, aut mortificationum præscripsisset, præter quæ, alia omnia proscripsisset & abrogasset: quod præcipuam

In quo regula Columbani differabat à Benedictina?

humilitatem S. Benedicti non decuisset: quare cum ille omnium iustorum spiritu plenus fuisset, etiam omnium patrum præcedentium auctoritatem, inquantum discretionis tenor eam cum regulari tramite conuenire dictaret, Abbati liberè in similibus vsurpandam permisit. Ex quibus inferunt consequenter sine iniuria aut irreuerentia Patris sui Benedicti, ipsius regulæ nectere se velle quędam instituta, circa ea, in quibus regula potestatem Abbatis arbitrio concedit. Quod autem præcipue superaddunt in illa regula seu institutione, est alius modus psalmodiæ per horas: quam diuersam ab ea quę est in regula, instituerunt, quia more monasterij sui bennacorensis, fere vbicumque numerus monachorum sufficiebat, laudem perennem, siue perpetuum officium diuinum succedentibus sibi inuicem choris instituebant. Hanc autem diuersitatem psalmodiæ diuisæ, diu etiam in Gallia durauisse, constat, tum quia Carolus magnus videtur dubicasse an illa dissonantia à regulari diuisione psalmodiæ debuerit tolerari, tum quia tandem reuera visa fuit inconueniens, & per concilium Aquisgranense sublata. Dubitationem Caroli magni testatur, & soluit Theodemarus Abbas Casinensis in prolixa de multis regulę ordinisque cæremonijs ad eundem gloriosissimum Imperatorem

Quid supra addiderit D. Columbanus regulæ D. Benedicti.

„ scripta: in qua inter alia, hæc ait. Siquem autem mouet, quare B. Benedictus æstatis tem„ pore, quotidianis diebus ad nocturnale officium vnum tantum de veteri testamento lectio„ nem legi præcepit: cognoscat necdum eo tempore in Romana ecclesia, sicut nunc legun„ tur, sacræ scripturę lectiones fuisse; sed post aliquod tempus hoc institutum esse, siue à B. „ Papa Gregorio, siue, (vt ab alijs affirmatur) ab Honorio. Qua de re nostri maiores insti„ tuerunt, vt sic in nostro sacro cœnobio, quod iuxta sanctum illius corpus institutum est, „ tres quotidianis diebus æstiuo tempore ex veteri testamento lectiones in codice legantur, „ ne à sancta Ecclesia Romana discrepare videremur. Nec enim credendum est, hoc beato „ Patri Benedicto displicere: sed potius gratum esse, siquis supra id, quod ille propter amo„ rem Dei in laudibus instituit, adijciendum esse curauerit. Nam & de psalmorum canen„ dorum per singulos septimanæ dies diuisione, si cui melius visum fuerit, quàm ipse B. Pa„ ter instituit, ab ipso habet licentiam, vt melius æstimauerit, canere. Nec debent cogi mo„ nachi, (si tamen vestro sapientissimo cordi ita placet) qui nunc Romano more psallunt, „ iuxta institutum sacræ huius regulæ psalmos diuidere: sed possunt, (si vobis ita videtur,) „ solito more canentes, arctionis vitæ normam suscipere. Id est, non propterea æstimabuntur minus perfectè regulam custodire, si in hoc tantum differant, quod alio modo psalmodiam diuidant, quam regula disponit. Ecce hæc eadem est Theodemari Abbatis sententia, quam præfatio regulæ S. Columbani sibi assumit, cur rationabiliter, & non contra regulam S. Benedicti faciat, quod aliter de modo psalmodiæ, & mensura mortificationum statuant, quam sanctus Benedictus statuerit; quia nimirum hæc duo capita disciplinæ particularius S. Pater in Abbatis discretione posuerat. At vero post Carolum magnum, sub filio eius Ludouico Pio, visa est illa discrepantia magna secum trahere incommoda, quod alij Abbates alio modo psalmodiam diuiderent: atque ita monasteria quæ deberent omnia esse vnius moris, per istam varietatem turbabantur; Ideoque in Concilio per Pium sub anno 817. Aquisgrani habito, Abbates præcipui monasteriorum conuenientes, postquam primo loco decreuerant Abbates omnes ad sua monasteria reuersos debere diligenter regulam discutere, vt eam intelligant & seruent; & secundo loco, vt eam monachi memoriter ediscant: tertio loco statuunt *vt officium, quod in regula Sancti Benedicti continetur celebrent monachi.* Hoc est, vt reiecta illa varietate Psalmodiarum, quam varia monasteria ex regulę permissione ad Abbatum suorum arbitria sibi assumpserant, illa solum diuisio psalmodię & lectionum ab omnibus seruaretur, quæ in ipsa regula per S. Benedictum ordinatur: quod Lambertus Schafnabergensis huius concilij mentionem faciens, ita effert: & præceptum est, *vt omnes monachi cantarent cursum S. Benedicti.*

Ex his omnibus igitur meridiana luce clarius apparet, omnes monachos, qui de schola fuere S. Columbani, omnes etiam Hibernos monachos, qui post S. Wilfridum in Anglia remãserũt; & qui in Hibernia per Sedis Apostolicæ literas diu ante correcti ad ritus Paschales Romanæ Ecclesiæ redijssent; & omnia omnino Hibernorum seu Scotorũ cœnobia, post prædicationem S. Egberti, regulæ S. Benedicti sese subdidisse. Scio tamen etiam authores graues non solum externos, verum Hiberniæ Scotiæq;, vt sint Boethus, & Leslæus dicere cœnobium Hyense, etiam antea, quamuis in ritu Paschatis dissentirent, Benedictinum fuisse: & sane in vita S. Lebuini Hyberni monachi & martyris, quam sanctus scripsit Bonifacius Moguntius Præsul & martyr, ostenditur & ipsum aliosque monachos Scotos Augustini nostri Cantuariensis discipulatui se subdidisse, & ipsum etiam S. Augustinum in Scotiam illam, quæ pars est maioris Britanniæ, profectum, cum summa reuerentia ab omnibus fuisse receptum:

tum: Vnde non absurde inferri potest, aut inuenisse eũ monachos eiusdem secũ habitus communione similes, aut tunc regulæ Benedictinę magisterium illis persuasisse. Optarim sane ita rem se habere: nec repugnabo magnopere sic opinantibus. Ita enim magnus numerus sanctissimorum monachorum regulæ nostræ gloriæ accederet. Sed cum S. Bonifacius in illa vita, non afferat Augustinum ea de re cum Scotis monachis tractatum habuisse, sed Lebuinum duntaxat ex Scotia cum paucis comitibus ad Augustinum disciplinæ causa venisse, & inde transfretasse in Belgium; cũ etiã viderimus acerrimã fuisse luctã nostris Apostolis, monachis videlicet Benedictinis Romanis, circa ritus Ecclesiasticos cum monachis Britonum Scotorumque, etiam circa tonsuram ipsam monasticam: certum mihi videtur eos non ante in regulæ nostræ mores transijsse, quam ab errore suo circa illas consuetudines, prædicatione nostrorum monachorum, aut commonitione sedis Apostolicæ resilijssent.

Cæterum nostro instituto abunde sufficit pro Galliæ monasterijs id probasse quod diximus, omnia Columbani cœnobia, ipsumque adeo Columbanum, nostræ religionis, nostræ ditionis ab initio fuisse: adeoque maximos illos Galliæ viros, Eligium, Audoenum, Audomarum, Mummolinum, Walaricum, Philibertum, Romaricum, Amalium, Amandum, Aichadrum, totum denique chorum discipulorum Columbani monachos fuisse Benedictinos. Hoc ipsum amplius patebit ex monasterijs quę beatissima Saxonici sanguinis gẽma, Anglicanæ insulæ stella fulgida, Batildis regina Clodouæi secundi vxor fundauit, Calensi præsertim & Corbeyensi, quę Benedictina à sua origine extitisse manifestissimum est: & de Corbeya ex vita Adelardi maximi, & antiquissimi eius monasterij Abbatis, à Paschasio discipulo & successore ipsius conscripta, quam superius citauimus, sole clarius est demonstratum; quãdo sanctum Adelardum ostendimus contra Crusenij improbabilem coniecturam nunquam fuisse Augustinianum, nec esse potuisse, cùm à vigesimo ætatis anno Paschasius eum expresse Benedictinum fuisse declaret. Cui probationi adhuc ex abundãti addimus authoritatẽ Nicolai magni, seu primi eius nominis Pontificis, qui paulo post obitum Paschasij floruit, nempe anno Domini 858. quo & insignem bullam concessit Trasulpho Abbati Corbeyensi post „ Paschasium, in qua monasterio illi confirmat hanc prærogatiuam: Vt, Abbatem fratres „ ipsius monasterij de seipsis eligendi semper habeant potestatem: & eam personam eligant, „ quæ monachi propositum, & habitum monachi profiteatur, non Canonicum, aut laicum, „ nec alterius monasterij monachum; quoniam monachico ordini præficere vel laicum, vel „ Canonicum, non est seruare ordinis professionem, sed euertere: quod vnusquisque præ- „ positus cuiuscumque ordinis, eius quoque erit & propagator; Nec bene disponit aliquan- „ do cuiuscumque militiæ vitam, cuius non fuerit ipse, qui disponit, æmulator. Solicitus fuit ne præponeretur monachus alterius monasterij, quid ergo ne præponeretur monachus alterius ordinis, si alius tunc ordo monachorum fuisset? nam ratio illa euidens est, non proponendum alium, quam eiusdem ordinis, ne alium ordinem potius propagaret, quam ipsum cui præponeretur; & illa; non posse rectè disponere res illius ordinis, qui de ipso ordine non sit; quare sine dubio qui pręponebantur huic monasterio, etiam ante hanc bullam, Benedictino, Benedictini esse debebant, vt & illum ordinem rectius disponerent, & libentius promouerent: sicut eiusdem monasterij monachus B. Ansgarius, Septentrionalium nationum Apostolus ab eodem Nicolao Bremensis factus Episcopus, non solum fidem Christi, verum etiam regulam serui eius Benedicti per illas regiones propagauit. Et est subtiliter animaduertendum, priuilegium hoc, & reliqua, quæ in bulla prælata concedit Corbeyæ pontifex Nicolaus, non ab ipso primum concessa, sed olim obtenta, ab ipso confirmata duntaxat fuisse: quod ipse paulo ante verba iam citata profitetur pręcipiens Episcopis eorumque locumtenentibus *ne importunitate sua, ministrorumque suorum inquietudine, fratres vel Abbates sustineant illam molestiam, neque in Ecclesijs prædicto monasterio subiectis, vel in presbyteris eisdem Ecclesijs ordinatis aliquam tentent facere perturbationem, vel Abbati vel fratribus nouam constituendo, & antiquam consuetudinem violando: sed sicut regulariter & canonicè disposita sunt, & longo iam tempore manentia, ita quoque futuris temporibus maneant inconcussa.* Illud autem *longum tempus*, explicuit paulo anterius quantum esset: *sicut iam olim concessum illi monasterio cognouimus ab Episcopo Ambianensi, & ab alijs Episcopis Galliarum, & priuilegio cessionis firmatum, tam temporibus dilecti filij nostri Caroli præsenti tempore regnantis, quam antiquis temporibus, Batilde Lotarioque Francis principantibus.* Igitur cum ista edicat Pontifex tempore Caroli Calui Francorum Regis; sub anno 863. & constet ex Paschasij certissima authoritate monasterium hoc sub Adelardo fuisse Benedictinum, tempore Pipini Francorum Regis, qui circa annum 752. cœpit regnare, cui etiam Adelardus non fauore tantum verum & sanguinis propinquitate coniunctus fuit; sine dubio fuerat etiam ab ipsa sui fundatione Benedictinum: fundatio autem iacta est à Batilde Regina

Monasteria S. Batildis, Corbeyense & Calense.

Regina circa annum Domini 660. Ab ipsa autem fundatione profitetur Nicolaus Pontifex omnigenam libertatem electionis eidem monasterio firmatam: quid autem magis contra libertatem monachorum fuisset, quam, si illi Benedictini non fuerant, Benedictinum Abbatem illis præponere? quid magis contra omnem probabilitatem, quam, si illi non fuerant Benedictini, electuros eos Abbatem ordinis Benedictini, qui ordinem suum, quem antea professi fuissent, nec recte foret dispositurus, nec feruenter aucturus? præsertim cum primus Abbas Theofredus de laudatissimo cœnobio Luxobiensi fuerit postulatus, quando adhuc vigebat & memoria & disciplina Columbani; & Adelardus videatur quamuis non immediatus eius successor, immediato tamen proximus. Nemo enim non videt longe magis solicitos monachos illos fuisse ne ordo & disciplina, & regula, quam profitebantur, tolleretur, aut corrumperetur: quam ne temporalia illis deperirent. Fuit ergo Corbeya Galliæ, fuit ab Adelardo eius Abbate fundata Corbeya Saxoniæ, Benedictinę regulæ à suis initijs domicilium. fuit etiam monasterium Calense, cui ex Iotrensi cœnobio præfecit Batildis sanctam Bertiliam cum sociabus monialibus, magni Columbani alumnam, eiusdem regulæ sanctæ à suo exordio phrontisterium; fuerunt & alia ab illa regina extructa, à Columbani discipulis informata cœnobia, sanctæ Pharæ siue Burgondofaræ Brigense, Andilegium, aliasque eiusdem regulæ plantaria. Quod est notatu dignissimum, cum ista sint monasteria, quæ monachis monialibusque Anglis repleta fuisse narrat venerabilis Beda, quando Apostolorum nostrorum temporibus nondum satis multa pro recenter conuersorum Anglorum deuotione monasteria inter ipsos fuerant ædificata. Quam enim isti monasticam ab Apostolis suis exercitatam viderunt, eam proculdubio in monasterijs sanctę Batildis concitius suæ quæsiuerunt & inuenerunt: inuenerunt autem Benedictinam, illa proinde est, quam primi Apostolici nostri exercuerunt. Eadem ratione monasterium antiquum & celebre S. Carilephi, quod & Aninsulæ appellabatur fuisse à prima institutione Benedictinum probatur: nam & idem Nicolaus magnus simile immunitatis priuilegium huic monasterio corroborauit: quod ait in ipsa bulla sua desuper expedita, *à primo rege Christiano Francorum Clodouæo filioque eius Childeberto habuisse libertatem, & deinceps ab omnibus regibus mansisse liberum, & in rerum suarum dispositionibus, & cum Abbatis electione*: vt, proinde fuerit hoc cœnobium ipsius sancti patris nostri Benedicti temporibus extructum, quandoquidem eius nomen apud Gallos celebre tunc fuisse indicat in sancti Remigij historia Hincmarus Remensis Archiepiscopus. In fine autem supradictæ bullæ statuit idem Pontifex, *vt Abbas cœnobij sancti Carilephi, postquam electus regulariter atque Canonicè fuerit, & ordinatus, à nullo nec Episcoporum nec regum, nec alia qualibet persona deponi possit, si non criminalis intercesserit causa, pro qua merito secundum regulam sancti Benedicti & canonum instituta deponi debeat.* Manifestum igitur est hoc monasterium Benedictinum fuisse, & sub Abbatibus Benedictinis, iuxta rationem à Pontifice isto in Corbeyensi bulla allatam, & secundum antiquam monasterij consuetudinem. Quis enim credat, aut monachos regesque qui hoc priuilegium secundum regulam B. Benedicti à Pontifice postulauerant, aut ipsum Pontificem qui concesserat, voluisse annosam illam libertatis consuetudinem noua regula, nouo ordine, noua disciplina superinducta violare? postulauit vt Pontifex auctoritate sua libertatem disponendi de rebus suis, Abbatibusque eligendis, aliasque consuetudines suas corroboret: & primam, præcipuamque rem, quæ ipsis (vt antea disputatum est) præ omnibus alijs chara esse iuxta monachorum omnium affectum & morem debuit, nempe regulæ disciplinæque suæ stabilitatem aut obliti neglexerunt, aut fastidientes eliminarunt? Simili modo illustrissimum S. Dionysij Archicœnobium corporum regalium venerabile repositorium, à primo exordio Benedictinum fuisse scribunt omnes Gallici, & potest eadem deductionis forma probari. Quis enim credat monasterium illud, tantis prærogatiuis munitum, quod ita ab Episcopo Parisiensi diœcesano suo exemptum fuerit, vt monachum aliquem suum Episcopum pro monasterij duntaxat annexis consecratum, & sub Abbatis obedientia degentem habuerit: in quo omnia fere Regum Francorum corpora iacent sepulta; quod tam exquisitis fauoribus Reges Episcopique Galli fuerint prosequuti: regulam sub qua initio à magnis regibus fuerat erectum, mutauerit vt nulla prorsus memoria huius mutationis ab vllo scriptore Gallicano fieret. Quis Abbas ausus hoc fuisset inconsulto rege? quis Regum hoc facere sustinuisset, vt locum in quo maiores sui quiescerent, ipse tam odiosa mutatione inquietaret? Certe si quis Sandionysianis monachis antiquitus de monachatu Benedictino recenter ab illis assumpto quæstionē mouisset; nō impari contra eū contentione stetissent monachi, quā si quis etiam de præsentia corporis S. Dionysij patroni sui cōtrouersiam excitasset. Quid celeberrimum S. Germani Parisiensis, & hodie etiam sancta disciplina florens monasterium, quod Hilduino Abbate tempore Ludouici Pij Imperatoris, anno 829.

Cœnobium S. Carilephi.

Cœnobium S. Dionysij in Fràcia.

Cœnobium S. Germanici Pratēse.

Centum

centum viginti monachos in claustro suo alebat? Nam illud tum fuisse Benedictinum idem Pius Imperator in priuilegio eo anno ad preces Hilduini concesso affirmat, cum prouidet si-
„ quis libertatē eo priuilegio stabilitam violare voluerit, & querela (*inquit*) ad successores
„ nostros qui tunc tēporis nobis superstites fuerint, deuenerit: ipsi agnita authoritate no-
„ stra, statuta nostra defendant, & suæ authoritatis præcepto confirment qualiter futuris tē-
„ poribus fratres in supradicto cœnobio regulam beati Benedicti seruantes absque perturba-
„ tione liberè Deo deseruire queant, nobisque merces exinde in perpetua recōpensetur æternitate. Et sanè qui negaret hoc monasterium, ab ipso S. Germano Fundatore sub regula D. Benedicti fuisse institutum, cum sub Ludouico Pio inueniamus sub eadem regula maximè cœnobium hoc floruisse numeroso grege monachorum (nam Pius in priuilegio asserit fuisse centum & viginti) deberet hic talis producere aliquod antiquius monumentum, quo probaretur ante id tempus non fuisse Benedictinum, aut quando post S. Germani institutionem cœpisset in eo regula Benedictina seruari, si ab initio non fuerit in eo plantata. Nos vnum afferemus satis antiquum, adhuc monumentum, nempe sanctum Babolenum, quem supra probauimus Benedictinum, huic etiam monasterio præfuisse Abbatem; qui & monasterium S. Mauri Fossatensis tunc instituisse dicitur. Id vnde hauserimus nunc in Germanicis monasterijs dicemus.

Relicto igitur S. Germani monasterio, ad Germaniam ipsam descendamus. In qua etiam tempore S. Gregorij M. patris nostri, monasteria præcipua fuisse Benedictina, pariter ex antiquis monumentis demonstremus. Iam antea de Iuuaniensi Saltsburgi monasterio à S. Ruperto Bauarorum Apostolo regulæ Benedictinæ preceptis informato diximus: qui sanctus circa annum 600. floruit. Sed & Bertinianum inferioris Germaniæ præcipuum monasterium, Benedictinum à sua fundatione, quæ circa illum annum fuit, ostendimus. Quid dicemus de antiquissimo monasterio in Valle S. Gregorij in Alsatia fundato? nonne ipso nomine S. Gregorium M. suum videtur loqui fundatorem? Certe ex illius monasterij archiuis D. Ca-
„ rolus Stengelius noster, hoc illustre antiquitatis monimentum dicit conseruari: Hildericus
„ Dagoberti magni ex Chlodouæo filio nepos, Austrasiæ Francorum Rex, de nobilissimæ
„ coniugis suæ Emihildis materteræ, D. Otiliæ consilio, ac suasu Apostolici viri Rotharij
„ tunc Strasburgensis Episcopi, probitate & sanctimonia vitæ monachorum, qui Romæ
„ Diuo Gregorio magno adhuc viuo sub eiusdem regula monastice operam dederunt; atque
„ post dicti sanctissimi patris sui obitum, eremiticam & solitariam vitam acturi, relicta Ro-
„ ma, transcensis item niuosis Alpibus, ad Alsatias tandem in hanc vallem, tunc penitus in-
„ cultam, circiter Dominicæ natiuitatis annum 634. deducti, extructis è frondium & herba-
„ rum materia tuguriolis, ad torrentem Iochiuæ & Mulbach confluentem subsederant,
„ permotus: hoc Benedictinæ professionis Abbatiale cœnobium Basilicæ, pro famulorum
„ Dei sustentatione dotatum, in Christiparæ Mariæ, Petri & Pauli Apostolorum, Diui quo-
„ que Gregorij magni honorem, suis impensis à Virginei partus anno 660. erexit. Non mirum habuisse Gregorium discipulos, qui Germanica delectarentur solitudine: cum constet ipsum magna solicitudine cōquisiuisse vndique adolescentes Saxonicos, eosque in monasterijs suis enutrijsse, vt ijsdem postea in prædicatione Euangelij vteretur administris. Et ne cui hoc difficile creditu videatur, ecce de Baboleno S. Gregorij discipulo testimonium proferemus, quod dicet, testemque laudabit Molanus in natalibus SS. Belgij, 6. Iunij. Porro (inquit) *in historia translationis S. Symmetrij dicitur* Babolenus, *siue* Papolenus *venisse ex Romano monasterio, quod Gregorius magnus ad cliuum Scauri construxit: eumque Honorij authoritate* (is Pontifex erat D. Gregorij alumnus) *per Galliam & Germaniam monasteriorum fuisse visitatorem. Quod onus eum à morte* B. Remacli, *propter citata Odgeri verba, accepisse opinor: eaque de causa eum dici à quibusdam Abbatem diuersorum locorum, Malmudariensem, Stabulensem, Bobiensem, Fossatensem, & S. Germani in pratis.* Verba Odgeri, seu Notkeri (idem enim nomen est) quæ innuit Molanus, ista sunt in vita S. Remacli: apud Surium tomo 5. *Dominus & Pater Babolenus, ad eum inuisendi quidem causa venit: sed eius inhærere ministerio quam domum redire maluit. Susceptus est à* B. Remaclo *officiosissimè, & vixit apud eum sine offensione: quique instruendus eo venerat, complures suis exemplis ad virtutis studium incitauit. Cernens id* B. Remaclus, *secumque cogitans, ea causa missum eum fortassis à* Domino, *rogauit eum, ne ab ipso discederet: tum præterea ob fratres in disciplina continendos Malmudariensi cœnobio, cuius monachi* S. Benedicti *instituto viuebant, salua in omnibus auctoritate sua, eum profecit. Atque inde* Stabilas *reuersus, ad maiora virtutum opera se accinxit, suisque exemplis permultos ad sui imitationem pertraxit.* Quod autem hic dicuntur monachi Malmudarienses *instituto* D. Benedicti *vixisse*: non ideo dicitur, quasi voluerit auctor docere lectorem suum, quam regulam illi monachi sequerentur; Certum enim esse debebat, non alij subdi regulæ priora-

In Germania.

Iuuaniis siue Saltsbergense monasterium.

Bertinianum.

Monasterium Vallis Gregorij.

Prioratum cum suo Priore, Baboleno, quam subdebatur Abbatia maior cum suo Abbate Remaclo: sed ea loquutione indicatur exacta religio loci, quod ibi fratres iuniores in arctiori disciplina ab exemplari valde viro erant continendi, qui regulę perfectiorem obseruantiam & ipsis exemplo pręmonstraret, & vigilanti cura ab illis exigeret. Hoc enim genere loquutionis nos vtimur, vt cum volumus insinuare magnam loci alicuius religionem, dicamus in eo viuere monachos ex instituto S. Benedicto; custodiri ab eis sanctam regulam. Sic in visitationibus monasteriorum (vt alias admonuimus) solet hoc primo loco præscribi à visitatore: vt curet Abbas seruari mandata Dei, canones ecclesiæ, & regulam S. Benedicti. Sed ad Babolenum redeamus, quem hic habemus ex veteri valde testimonio Benedictinum, & monasteriorum per Germaniam & Galliam visitatorem, ab Honorio Pontifice D. Gregorij alumno constitutum, ex eius monasterio ad Cliuum Scauri extructo profectum, S. Germani, aliorũque præstantium cœnobiorum aliquando rectorem: Et quare igitur tam difficile videtur aliquibus asserere, Augustinum illius ad Cliuum Scauri cœnobij Præpositum, cum socijs suis in Angliam destinatis fuisse Benedictinum? Sane Babolenus, vt iam diximus, monachis S. Columbani adeo familiaris, & domesticus fuit, vt ad eũ S. Columbani vitam scripserit Ionas Abbas. Vbi occurrendum est breuiter tacitæ obiectioni: nequis cogitaret regulam S. Benedicti post Columbani sancti transitum in sua monasteria subintroijsse: qui enim hoc imaginatur, prodat causam, cur tanta cum contentione sanctus Eustachius eius successor & discipulus cum suis sese opposuerit Agrestino instituta D. Columbani in Concilio Episcoporum calumnianti? Nunquid potest prudenter credi, quam regulam tanta solicitudine sancti Columbani discipuli contra hunc schismaticum propugnassent: eam statim illos, quasi præuaricatores, & cum æmulo suo sentientes, condemnasse, aliam loco eius supposuisse? nemo prudens hoc potest credere. Erant ergo tunc sub regula S. Benedicti, quandoquidem Walbertus, Babolenus, Ionas, sint ex eorum numero, qui maxime iustituta Columbani zelauerant: atque ita quoniam nulla est ab eius discipulis in patris ac magistri sui institutis tunc temporis facta mutatio: & tamen tunc temporis aperte ostenduntur sub regula D. Benedicti militasse; aperte sequitur non eam ab ipsis posterius fuisse assumptam, sed ab initio, tanquam basim & normam disciplinæ suæ æstimatam. Quare nec erit iam improbabilis S. Hildegardis reuelatio de S. Disibodo, qui ante ipsos Columbani discipulos, monachatum Benedictinum in Germaniam inuexerit: verba eius digna sunt quæ citentur, ex vita sancti illius quam virgo illa dictauit, quæ in operibus eius extat, & apud Surium est tomo 4. Ait igitur de S. Disibodo.

Notetur hæc proiectio.

„Ille quidem Deo malens in quiete seruire, quam sine fructu diutius apud illos hærere, paucis sibi adiunctis religiosis viris Hisualdo, Clemente, Salusto, alijsque monachis, sedem illam (*Episcopalem videlicet Hiberniæ*) quam annis decem strenue & piè gubernarat, patriam quoque ipsam, & res suas omnes Christi amore reliquit, dicens: neque sibi neque alijs prodesse, si illic vellet morari, vbi vsque adeo increuerit perfidia, incredulitas, & pertinax iniquitas. Atque ita peregrinationem diu optatam pro vita æterna iucundo animo suscepit. Cum autem ex Hibernia egressus esset, multis peragratis regionibus, & locis non paucis accurate exploratis, vbi animæ suæ posset inuenire requiem: tandem in Alamaniam peruenit. Vbi in durum sane & ferreum populum incidit: attamen fessus aliquãdiu pedem illic fixit, gentique illi verba salutis, & sanctitatis exempla proposuit. Nec deerant qui audito illo, amarent sanctum Dei hominem: ac permulti nec audire sustinebant, tantum abest, vt amore & beneuolentia prosequi vellent. Interim, dum apud illos moram facit, apud se deliberans, quonam conferre se debeat, gratissima B. Benedicti, & ab eo institutæ monasticæ religionis fama ad eum perlata est. Nam non ita pridem è vita excesserat Benedictus, & plurimis instituti sui cupidos sectatores post se reliquerat. Deinde diu noctuque multum æstuans, secum animo reputabat, quemadmodum ex longo tempore desiderasset rationem aliquam inuenire, qua locum quẽdam posset obtinere, vbi religiosos, & asperioris vitæ studiosos viros colligeret. Didicerat enim in spiritu, par esse, vt spiritualium hominum conuentus eo in loco suo creatori seruiret. Agente autem Spiritu sancto, omne animi sui studium & voluntatem ad vitam & doctrinam S. Benedicti (qui iam ad Deum transierat, & quosdam beatos viros, sanctæ institutionis suæ fideles administros, ijs temporibus adhuc superstites reliquerat) appulit: & ad longinqua loca, vbi ea institutio religiosè & sanctè colebatur, nuncios misit, supplices preces offerens, vt quidam ad ipsum venirent, vineam Domini Sabaoth ad præscriptum doctrinæ B. Benedicti plantaturi. Is enim S. P. Benedictus regulam, quæ spiritualibus hominibus esset accommodata, è sanctorum vitis sancto spiritu docente & ostendente condiderat. Ita ergo quam plurimos B. Disibodus eiusmodi instituti & conuersationis viros religiosos ad se adduxit: „quibus

„ quibus etiam oratorium, & congrua domicilia in mōtis supercilio propter difficilem & ar-
„ duum accessum, contra Orientem, cōstruenda curauit; ne aduentantis populi strepitu inter-
„ turbarentur, & feruor atque rigor instituti, quotidiana eo confluentium visitatione dissolu-
„ lutus & eneruatus, in desidiam & segnitiem abiret. Porro ipse solitarius permansit in domi-
„ cilio & oratorio illo, quod in montis descensu ad orientem, vt diximus extructum erat:
„ vt ad occursantia omnia paratus esset, vt superuenientibus, pro cuiusque ratione & condi-
„ tione opportuna posset responsa dare. Ea vero fratrum congregatio, tam pietate erga Deū,
„ quam habitatorum numero crescebat: cunctaque agenda & habenda, imperio S. Disi-
„ bodi subiacebant, communisque ab illis vita secundum Benedicti institutionem exerce-
„ batur.

Narrationem hanc deuotissimæ virginis ideo inseruimus, quia eius opuscula ecclesia eatenus saltem approbauit, quod nihil in illis improbabile contineatur. Sunt autem omnia quę narrat maxima fulta verisimilitudine. Primùm patria ipsa Disibodi & tempus assignatum, quando nempe consuetudo cum Anglo-Saxonibus insularum Britannicarum præcipua loca possidentibus haberi poterat, atque adeo aliqua linguæ & idiomatis communicatio. Propter quam videmus Hibernos, qui in ea quæ nunc est, Scotia habitabant, summa charitate & industria Northūbrię in colis Saxonibus propinqua ipsis loca incolentibus, Euangelij doctrinā prædicasse. Deinde crebra itinera Scotorum antiquorum, siue Hibernorum in Germanicas, & Saxonicas regiones: vt S. Fursæi ex Hibernia in Angliam nauigatio, tempore S. Augustini, per quem, Principis Ethelberti liberalitatem expertus, locum monasterio ædificando aptum accepit, & Sigebertum orientalium Anglorum Regem eodem in monasterio habitu sancto vestiuit; qui inde postea in Galliam traijciens Latiniacum cœnobium prope Parisios condidit: vtrobique tam in Anglia, quam Gallia monasticam exercens, quam à S. Augustino didicerat, Benedictinam. Profectio etiam sancti Chiliani & sociorum eius martyrum, à quibus Herbipolitana prouincia fidem Christi accepit: Virgilij etiam Saltzburgensis Episcopi, paulo antequam B. Bonifacius in Germaniam venisset: Omnium enim istorum Hybernorū diuersis temporibus, & quidem non longe à tempore D. Benedicti distantibus profectiones in Germaniam, de quibus expressæ habentur historię, suadent valde probabile esse, quod D. Hildegardis reuelatione didicit, primum nationis Scoticæ Disibodum in Germaniam Euangelij disseminadi causa venisse; eiusque exemplo prouocatos alios eundem cursum tenuisse. Quare multa Scotis per Alemanniam data sunt monasteria, in agnitionem accepti ab illis luminis Euangelici, vt Herbipoli, Ratisponæ, Viennæ, Ertfordiæ; omniaque à tempore immemorabili fuere Benedictina; haud dubium quin propter huius primi conciuis sui exemplum, quo summo affectu institutionem sancti Benedicti prosequebatur. Tandem, quia Sanctus Bonifacius Moguntinensis sacrum corpus S. Disibodi eleuasse scribitur, & in ecclesiam monasterij transtulisse, Deo translationem miraculis honorante. Hæc sane omnia faciunt, vt virginis deuotissimæ hac in re testimonium valde sit credibile. Atque ita, quod proposuimus, abunde videtur à nobis demonstratum, præcipua nempe totius Occidentis per Italiā, Galliam, Hispaniam, Germaniam, Hiberniam monasteria, circa, tempora aduentus B. P. Augustini in Angliam, fuisse Benedictina; idque partim ex discipulorum ab ipso Benedicto Patriarcha missorum diligentia, partim ab illis qui eius transitui propinquius vixerunt; partim verò, & præcipuè per regulæ ipsius pro tota ecclesia Latina confirmationem & promulgationem à S. Gregorio factam. Quare ergo debet mirum cuiquam videri, S. Augustinum & socios illius anno sexcentesimo aut circiter regulam S. Benedicti importasse in Angliam, quā diu antea celeberrima totius occidentis monasteria, Romæ, in Italia, in Sicilia, in Hispania, in Gallia, in Germania susceperunt? Imo potius mirandum esset, solos istos Gregorij discipulos, neglecta Præceptoris & Educatoris sui promulgatione, regula S. Benedicti posthabita aliam aliquam Anglis tradidisse, cum alij ipsius S. Gregorij discipuli, eius præceptum sequentes, Regulam Benedictinam per eiusdem cum Anglis linguæ nationes Germanicas propagassent.

Cur Scotis in Germania ædificata monasteria.

Clarius, ac euidentius (si ijs quæ hactenus attulimus aliquid euidentius esse possit) hoc elucesceret, si quemadmodum ostendimus per reliquum occidentem, ante annum Christi Domini octingentesimū, solam Benedictinā regulā obtinuisse: ita etiā ostēdamus, quousque in Anglia sola illa regula obtinuerit. Id vero fiet, si ostēdatur ex historijs veteribusque monumentis nationis nostræ, quandonam primùm alij religiosi quicumque, etiam Benedictinæ alias obseruantię, à nigris tamen S. Benedicti vocatis monachis distincti in Angliam fuerint admissi. Scripserunt ea de re apud nos diligentissimi quidam autores, qui adhuc in bibliothecis Angliæ habentur inediti, Bostonus monachus Edmundiburgensis, Thomas Ecclestonus.

Quādo alij religiosi à nigris monachis distincti, in Angliam venisse probentur.

clestonus, Thomas Scropus, Ioannes Lelandus, & qui horum omnium habuit exemplaria, Balæus tanto diligentissimus harum rerum scrutator, quanto odiosissimus religiosorum ordinum obtrectator.

Cluniacenses.

Igitur postquam per quadringentos annos nullos alios Anglia viderat religiosos, præter monachos siue Scotos, & Britannos Aegyptiæ disciplinæ professores, siue quos S. Augustinus secum adduxit, & nos Benedictinos fuisse diximus; Primum omnium sub Gulielmo primo Conquestore, Gener ipsius Gulielmus comes de Warenna, Cluniacenses monachos introduxit, anno Domini 1077. vel circiter; qui tametsi sub regula D. Benedicti militarent, & habitu etiam nigro amicirentur, quia tamen longè diuersam disciplinam in ceremonijs modoque agendi sequebantur ab ea, quam Monachi nigri ante ipsorum aduentum seruauerant, non Benedictini, nec de ordine S. Benedicti, sed ordinis Cluniacensis monachi appellabantur; prorsus eodem modo, quo licet monachi Britones & Scoti secundum communem multorum opinionem, regulam sequebantur S. Benedicti: tamen quia in ritibus paschatis & tonsuræ, & candore vestimentorum à Monachis Romanis cum Augustino Angliam ingressis differebant, hi vt ab illis distinguerentur, monachi nigri appellati sunt.

Canonici nigri S. Augustini.

Secundo post Cluniacenses loco aduenisse comperimus Canonicos S. Augustini, quos ab exteriori habitu nigro albis seu superpelliceis (vt nunc vocant) imposito, vt à Præmonstratensibus discernerentur, vulgus plærumque semper aut Canonicos nigros, aut simpliciter canonicos S. Augustini vocabat, sicut monachos nigros, etiam absolute monachos S. Benedicti moris fuit, & adhuc est appellare. Hic igitur ordo Canonicorum nigrorum ab Adalwaldo, seu Athelwulpho Henrici primi Confessario fuit introductus: qui cum doctrinæ & pietatis laude apud prędictum Regem summam, vt par erat, auctoritatem obtineret, primo quidem in oppido Nostilla Eboracensis agri Prioratum ordinis sui S. Oswaldo dicatum erigi curauit, eiusque loci primus Prior est renunciatus: quem ita floruisse diuitijs constat, vt, in suppressione generali sub Henrico facta sexcentas libras sterlingas annui census possideret, quæ summa hodiernis temporibus vltra quadraginta millia florenorum excrescit. Deinde idem Vir magnus obtinuit, vt ecclesia Carleolensis in Episcopatum erigeretur, & Canonicis regularibus traderetur, penes quos ius perpetuum eligendi Episcopum tanquam immediati etiam pastoris sui resideret: atque ipse etiam primus eiusdem ecclesiæ antistes & Episcopus à fratribus suis Canonicis est renunciatus, & anno 1133, biennio ante Henrici primi mortem consecratus. Nam quod Balæus à sancto Birino Canonicos regulares Dorcacestriæ anno 636. positos affirmauerit: iam antea falsum esse docuimus, ipsius Capgrauij, quem pro se ille citauerat, testimonio. Sicut autem sub rege Gulielmo Conquæstore Cluniacensis ordo firmas radices egit in Anglia, præcipuis eius prioratibus, S. Pancratij in castro Lewiarum in agro Sussexiæ, & Bermondseyę S. Saluatoris in Burgo Suthreyæ, Lentonæ in comitatu Notinghamię, Montiacuti in pago Somersetensi sub illo Rege ædificatis, quibus postea alij triginta quatuor successu temporum accesserunt: ita sub rege Henrico primo exordium cœpit & mirabile simul incrementum ordo Canonicorum nigrorum S. Augustini, ita vt quasi certatim Prioratus & Abbatiæ eius à multis regni satrapis ornarentur. Et prima quidem ipsorũ domus per Angliam fuit Abbatia Colcestrensis D. Ioanni Euangelistæ dicata, quam fundauit Eudo dapifer Regis Henrici primi anno Domini 1105. Insequenti an. 1106. Gulielmus Panlarcius & Gulielmus Domcius ex equestria Nortmannorum familia, insignem illis Prioratum S. Mariæ Transthamisanæ erexit & dotauit, vbi prius fuerat cœnobium puellarum, & postea Canonicorum sæcularium, quibus alibi collocatis Canonicos nigros S. Augustini prædicti nobiles viri introduxerunt. Gulielmus Giffordius Episcopus tunc Wintoniensis ecclesiam ipsorum magna ex parte ędificauit, quæ maiestate & amplitudine tertia est inter Basilicas vrbis Londinensis, post templum cathedrale S. Pauli, & Abbatiale S. Petri, cum tẽplo S. Sepulchri, & basilica in Arcubus de principatu facile contendens. Primus illius Prior Algodus fuit. Deinde anno 1007. Rex Henricus Prioratum de Dunestable eis adornauit, Petrum quendam eius loci Priorem primum constituens. Anno proximo 1108. Matildis regina in eadem vrbe Londinensi Prioratum S. Trinitatis ipsis ædificauit, Priore ibi posito quodam natione & nomine Normanno, qui primus omnium Canonicorum huius ordinis in Angliam appulit. Ecclesia S. Trinitatis prius subiecta fuit ecclesiæ de Waltham, quæ adhuc sub hoc Rege Henrico primo, fuit Abbatia Canonicorum sæcularium: Sed hanc subiectionem alia compensatione facta redemit eadem regina, & in tantum locum hunc dilexit & extulit, vt inter 24. Vrbis senatores quos *Aldermannos* vocant, Prior S. Trinitatis vnus fuerit, & partem illam vrbis seu custodiam iure senatorio rexerit, atque inter ipsos vbiuis locum habuerit, seruata semper habitus sui clericalis regula, cui tamen in processionibus Ma-

gistratus insignia senatoria solebat superimponere. Rursus anno 1112. Galfridus Clinton Thesaurarius Regis præfectusque cubiculi, in Agro Warwicensi ad castrum Kenelworthum alium insignem prioratum illis erexit: vt & Rex ipse Henricus primus anno 1116 illustre collegium Canonicorum sæcularium quod fuit in oppido Cirencestria à Remedio S. Edwardi Regis Cancellario fundàtum, in Abbatiam Canonicorum nigrorum S. Augustini conuertit, præclareque dotauit, & Abbatem loci Baronatus Parlamentaris priuilegio ornauit. Sequẽti anno 1117. Gilbertus Normannici sanguinis Comes Prioratum insignem Mertonensem ijsdẽ fundauit. Circa annum 1118. sub eorundem Canonicorum regula cœpit ordo equitum Templariorum sub habitu albo & cruce rubra: primi, qui initiati sunt, voto emisso in manibus Patriarchæ Hyerosolimitani, Honorio Pontifice annuente, fuere Normanni Equites nobilissimi duo, Hugo Paganus, & Galfridus de S. Audomaro: quibus cum equitibus confratribus locum habitationis in suo palatio iuxta sacrum templum (vnde & nomen traxere) cõcessit Rex Hierosolymorum Balduinus. Anno autem 1129. Robertus Olbæus Prioratum Osneyæ in suburbano Oxonij Canonicis ijsdem exædificauit; & 1132 Episcopatum Carleolensem ijsdem Rex Henricus in persona confessarij sui Athelwoldi contulit, vt iam dictum est. Tantum sub vnico rege tam paucis annis creuit hic ordo: qui ab Iuone Carnutensi circa annum Domini 1067. duntaxat ecclesiæ occidentali notus esse cœpit. Testatur enim Franciscus Belleforestius in historia Gallica, nulla alia fuisse per Franciam cœnobia pręterquam Benedictina vsque ad prædictum annum 1067. quo primum monasterium alterius ordinis, Canonicorum videlicet Regularium à S. Iuone Beluaci constructum est. Anno 1148. Robertus Fitzhber Danus ciuis Bristolliensis, sub Rege Stephano Abbatiam Bristolliensem ijsdẽ cõdidit Canonicis. Anno vero 1154. Prioratus Roucestriæ in Staffordia de quo superius diximus; & sub rege Henrico 2. Stephani successore, collegium quod Haroldus comes tempore S. Eduardi confessoris Canonicis sæcularibus Walthamiæ fecerat iussu regis Henrici Canonicis regularibus anno 1177. datum est, & Abbas eiusdem Baronatus Parlamentaris dignitate auctus. In qua Abbatia finem de his Canonicis nigris loquendi faciamus, reliqua enim huius ordinis per Angliam cœnobia, recentiora sunt, & in appendice habentur in catalogis nominata. Tantummodo quod diximus de hac Abbatia, fuisse vsque ad hunc annum notatum, sęcularium Canonicorum habitationem probauimus ex veteribus chartis fundationis, ex qua etiam probatione patebit, id quod antea satis aliunde confirmauimus, ante annum 1100. Canonicos collegiatarum ecclesiarum, quamuis in communi, sub regula & Abbatibus ac præpositis viuerent, non tamen fuisse propriè regulares, aut ordinis S. Augustini religiosos, sed sæculares duntaxat Canonicos. Etenim in Archiuis regijs inter chartas (vt vocantur) antiquas memb. 1. extat diploma prædicti Regis Eduardi Confessoris, in quo post deuotum proęmium confirmat sanctam intentionem Haroldi comitis, *vt Canonicæ regulæ strenuus institutor fieri credatur*. Et postea, *fundatum dehinc monasterium ad normam sanctæ Dei ecclesiæ dedicari fecit honorifice*: ac deinceps: *humanæ conditionis non immemor, ibidem quorundam cateruulam fratrum secundum auctoritatem sanctorum patrum Canonicæ regulæ subiectam constituit, quæ Deo & sanctis eius die noctuque laudes impinguando decantet*; & annus signatur 1062. Vbi satis innuit non fuisse illam Canonicam regulam, sub qua militabant isti Canonici, aliam, quam quę à Patribus concilij Aquisgranensis ex dictis sanctorum patrum collecta, sęcularibus Canonicis in commune viuentibus est præscripta. Ideoque (ne solum ex coniecturis agere videamur) inter easdem chartas antiquas inuenitur aliud Henrici huius secundi diploma, quo priores Canonicos eiusdem basilicæ, clare vocat Canonicos sæculares, eorumque loco introducit Canonicos regulares, dans illam ecclesiam Canonicis (inquit) regularibus gloriosam seruantibus regulam à sãctis Apostolis traditam, & postea à magno patre B. Augustino diuina reuelatione multis adiectis adornatam. Testes adhibet Ricardum Cantuariensem Archiepiscopum, & Gilbertum Londinensem &c. signaturque annus 1177. Vbi notabilis est mentio diuinę reuelationis circa regulam S. Augustini, propter quod infra de Augustinianis fratribus dicetur.

Canonici regulares, de Aroasia.

Proximo loco post Canonicos regulares nigros S. Augustini, in Angliam admissos legimus Canonicos regulares etiam Augustinianos, de Arroasia dictos, ad annum Domini 1112. de quorum admissione tale diploma vidimus: Gwalterus Gifford Comes Buckingamiæ &
„ Hermingardis comitissa vxor mea dedimus in perpetuam eleemosynam pro salute anima-
„ rum nostrarum &c. Deo & sanctæ Mariæ de Parco, & Abbati & Canonicis de Parco ibidẽ
„ Deo seruientibus, totum Parcum meum de Grendam, & quicquid intra ambitum Parci
„ continetur &c. & molendinum de Grendam, liberum & absolutum ab omni seruitio &
„ exactione, ad construendam in honorem Dei & beatissimæ virginis Mariæ quandam liberã

„Abbatiam Canonicorum regularium secundum ordinem & institutionem S. Nicolai Arroasiæ & Ioreslendensis ecclesiæ; & ad sustentationem Canonicorum ibidē Deo seruientium, donamus terram nostram de Hameid. &c. Est autem Arroasia Abbatia diæcesis Atrebatensis, caput reformationis Canonicorum Regularium, *qui* (vt ait de illis Iacobus de vitriaco in historia occidentali) *fundamentum regulæ* B. *Augustini retinentes, vt carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigerent, carnes à refectorio suo subtraxerunt: camisijs insuper non vtuntur sed cum tunicis laneis nocte in dormitorio suo quiescunt; quasdam etiam alias institutiones necessarias & honestas supra prædictum fundamentum prudenter ædificantes, contra imminentia pericula sibi præcauentes addiderunt.*

Tyronenses. Hos sequuti venerunt in Angliam Monachi Tyronensis regulę quidem Benedictinæ professores sub rigidissima reformatione. Anno siquidem 1094. Bernardus Abbas Quinciaci, cum monasterium suum quod Cluniacensibus subiugare noluit (narrat hæc Ordericus lib. 8.) hactenus ab eorum subiectione liberum, nec Romam profectus obtinere causam potuisset, Pictauiense solum reliquit & cum aliquot religiosis fratribus plura perlustrans loca tādem à venerabili Episcopo Iuone susceptus in prędio Carnotēsis ecclesiæ cū fratribus substitit in loco syluestri, qui Tiron dicitur, ibique cœnobium in honorē Saluatoris construxit. Illuc multitudo fidelium vtriusque ordinis abundè confluxit, & prædictus pater omnes ad conuersionem properantes charitatiuo amplexu suscepit, & singulis artes quas nouerant, legitimas, in monasterio exercere pręcepit: vnde libenter conuenerunt ad eum fabri lignarij, ferrarij, sculptores, aurifabri, pictores & cæmentarij, vinitores, & agricolæ, multorumque officiorum artifices peritissimi. Solicitè quod eis iussio senioris iniungebat, operabantur, & in commune conferebant ad vtilitatem quæ lucrabantur. Sic ergo vbi, paulo ante in horribili saltu latrunculi solebant latitare, & incautos viatores repentino incursu trucidare, adiuuante Deo in breui consurrexit nobile monasterium. **Sauigniacenses.** Eodem tempore Vitalis, qui fuerat Roberti Comitis Moritolij sacellanus & apud Moritolium S. Ebrulfi Canonicus, apud Sauineium vicum monasterium condidit caput ordinis futurum, cui etiam Tyronenses monachi videntur vniti fuisse; Quæ de ordine ipso prænotare voluimus, quoniam Camdenus & alij existimarunt eundem esse hunc ordinem siue reformationem, cum monasterio S. Martini Turonensis, cum sit longè diuersa congregatio. Habuit igitur hæc domus Tyronensis in Anglia subiecta suæ congregationi monasteria nonnulla, è quibus prima cuius certam mentionem inuenimus, est Abbatia S Dogmaelis in Wallia, cum Prioratu Pullæ ab ipsa dependentis, quarum fundationes in appendice habentur, n. 77. & 78. Installationi primi Abbatis S. Dogmaelis, circa annum Domini 1126. interfuit ipse Gulielmus Abbas Tyronensis vt ex fundationis charta cōstat, & Bernardus Episcopus Meneuensis, qui eiusdē fuisse ordinis videtur. Habebat hic ordo in Scotia quatuor Abbatias, de Kelzo prope Mialros; de Lūdres; de Aberbrothoc; de Lunewerim; appellanturque in diplomatibus regijs Monachi nigri Tyronenses, siue de Tyron. Extat antiquus codex manuscriptus, continens historiā monasterij Furnensis, siue de Furnes, in cuius primo folio hæc habentur: Anno Domini 1127. Nonis „Iulij à fundatione vero Sauignerij (*Seu Sauigniaci, aut Sauineij, omnibus enim tribus modis ap*„*pellatum inuenitur*) anno. 15. Pontificis Honorij Papę secundi anno secundo, regni autem „Regis Henrici primi anno. 26. fundatum est monasterium Furnesij, per nobilem virum „Stephanum Comitem Maritolij & Bologniæ, in loco vallis, quæ tunc Bekanguill voca„batur. Sed vt in libro quodam veteri & de vetusta scriptum litera reperi, ipsum monaste„rium prius fundatum erat in Amundernes; in loco qui dicitur Tulket, anno Domini 1124. „nonis Iulij, & ibidem sitū tenuit per tres anno & tres dies, antequam vbi nunc est, funda„retur. Fundatum autem erat tam ibi, quam hic de ordine Sauigniacensi, id est, Tyronensi, „sub regula S. Benedicti, cuius ordinis professores monachi fuerunt, & eorum habitus, „grisei coloris erat: *Deinde sequuntur nomina Abbatum successiue, & ponitur*, Quartus Abbas „Petrus Eboracensis; Tempore huius Abbatis venerabilis Serto Abbas Sauignerij reddidit „Alesfortij in capitulo generali domum suam Sauignerij, (quæ est materna domus Fur„nesij) cum filiabus suis de ordine Tyronensi, ad ordinem Cistertiensem in manus S. Ber„nardi tunc Abbatis Clareuallensis. Quare merito post Tyronenses quartum locum antiquitatis damus Cistertiensibus in quos illi deriuati sunt: quanquam in Wallia videntur etiam ante Tyronenses imo & Canonicos regulares admissi, cum Rhesus filius Theodori tempore Gulielmi Conquæstoris cœnobium Albælandæ in Cuermarthenæ comitatu Cistercienfibus ædificasset.

Cæterum in Anglia primum cœnobium Cistertiensium fuit domus Wauerleyę, quam anno Domini 1129. Gulielmus Gifford Wintoniensis Episcopus ipsis construxit, idem quem supra diximus

diximus etiam Canonicis regularibus fuisse: Atque etiam monachi, quamuis sub regula D. Benedicti militarent, non tamen Benedictini, sed à vulgo Anglorum albi monachi nuncupabantur: quorum ordo siue congregatio tum sanctitate tum etiam numerositate domuum mirificè creuit, qua de re audiamus Petrum Blesensem Archidiaconum Bathoniensem, virũ doctum & magnanimum, sed regularibus, præsertim Benedictinis sæpenumero in scriptis suis paulo quam debuit iniquiorem. Is igitur in historia manuscripta adhuc inedita, sic loquitur: Walterus Espec (vir nobilis, ac discipulus quondam Stephani Hardingi, qui D. Roberto reformationis Cisterciensis extitit suasor & impulsor,) condidit monasteriũ de Kirkham ordinis Cisterciensis, quem ordinem, cuius vix famam audierat eatenus Anglia, fauente sibi glorioso Rege Henrico in has partes adduxit, suscipiens fratres de nobilissimo monasterio Claræuallis per manus sancti ac deo dilecti Bernardi: qui venientes in Angliã anno ab incarnatione Domini 1122. nacti locum in valle profundissima super ripam Rij fluminis vnde ipsum monasterium Rieuallis nomen accepit &c. Idem Walterus Espec in territorio Bedfordiæ Wardonense famosissimum per eosdem fundauit monasterium. Fontanense quoque cœnobium creatur anno secundo aduentus eorum in Angliam. Wauerleyenses quoque fratres qui hactenus quasi in angulo latuerant, cognito quod eiusdem essent ordinis, Cistertiensium monasteriorum numerum auxerunt; Ita alij ab ipsis Riuallensibus procreati, alij eorum exemplo prouocati, multis cœnobijs clariorem insulam reddiderunt: vnde non immerito cœnobium Rieuallense cæteris quæ in Anglia sunt eiusdem ordinis fama & religione præcellit.

Proximè post illos in Angliã venerunt Præmõstratenses, quos vulgus Canonicos albos vocauit: quibus in Lincolniensi comitatu monasterium posuit Petrus de Saulia, anno Domini 1146. & Stephani regis decimo: appellatum est monasterium *Newhowse*, siue domus noua, sancto Martiali dicata. Præmõstratenses.

Post duos inde annos, nempe anno 1148. Gilbertus Sanctus Iocelini nobilis Normanni filius, ordinem de Sempringham sub duplici regula fundauit; sancti Benedicti, sanctique Augustini: sanctimoniales enim, & Canonicos in eadem ecclesia coniunxit, separatis tamen, conuenientibus ædificijs vtrique gregi assignatis: vt sanctimoniales quidem ritu Cistertiensium diuinis laudibus sub regula D. Benedicti vacarent: Canonici vero albi, ritum Præmonstratensium cui regula D. Augustini deo seruientes, sanctimonialium præsertim in spiritualibus temporalibusque administrandis curam gererent. In tantum verò placuit hic ordo Deo & hominibus vt ante mortem suam viderit sanctus Gilbertus decem monasteria erecta, in quibus erant mille quingentæ moniales, & septingenti Canonici. Anno 1180. Withami in Lincolnia primam sedem sanctissimi ordinis Carthusiæ collocauit Henricus 2. eique Priorem dedit S. Hugonem posteà Episcopum Lincolniensem. Ad annum Domini 1199. ex concessione regis Ioannis, consilio autem Episcoporum fere omnium totius regni qui ad hoc conuenerant, Amesberiæ monasterio deturbatę sunt moniales nigræ Benedictinæ, & substitutæ earum loco magno numero, multisque latifundijs dotatę sanctimoniales ordinis Fontis Ebraldi, quarum institutum persimile fuit ordini de Sempringham, seu Gilbertinorum, de quo iam dixeramus, nisi quod regulam S. Benedicti tam moniales, quam monachi profiterentur: ipsique monachi quarto voto ad monialium temporalem spiritualemque administrationem rectè curandam obligati essent. Institutor ordinis fuit Robertus de Arbricello, vir sanctus & Concionator excellentissimus: fundator & dotator Henricus secundus Angliæ rex, in ecclesia maioris monasterij, eiusdem ordinis prope Ligerim fluuium in agro Andegauensi vna cum filio suo etiam Angliæ rege Richardo Leonino contumulatus. Ordo de Semprighã. Gilbertus. Carthusiani. Fontis Ebraldenses.

Anno 1221 Sanctus Dominicus autor ordinis Prædicatorum, quos vulgus Anglorum fratres nigros appellabat, misit in Angliam F. Gilbertum de Fraxineto officio Prioris cohonestatum cum alijs duodecim fratribus: aduenerunt autem in comitatu Petri de la Roche Episcopi Wintoniensis: Cantuariam appellentes, cùm ad mandatum Archiepiscopi Stephani Langtoni nulla concessa præmeditatione egregiam concionem habuisset, mirifice eidem Archiepiscopo ordinem suum probauit. Primam ædem Oxonij eodem anno constituerũt; breuique postea fundata illis est Lõdini in suburbio Oldburni domus cum ecclesia, Huberto de Burgo Cantij Comite præcipuè opus promouente qui & palatium suum inter alia eisdem concessit, quod illi Archiepiscopis Eboracensibus vendiderunt: A Wolsæo autem Cardinali ereptum Henricus octauus regiam habitationẽ esse voluit, *Aulæque candidæ* nomine vocari. In æde hac Dominicanorum suburbana circa annum Domini 1250. habitum est eorũ capitulum generale, quadringentorum Patrum: quibus omnibus primi diei sumptus Rex Henricus tertius exhibuit, & cum capitulo interfuisset, etiam cum ijsdem prandium sumpsit: Dominicani.

Sequenti die sumptus fecit Regina, tertio Episcopus Londinensis, quarto Abbas Westmonasterij, quinto Abbas S. Albani, sexto Abbas Walthamiæ, atque ita deinceps alij Præsules & magnates. Anno vero 1276. Consul siue Maior ciuitatis Londinensis & senatores duos illos vicos iuxta flumen Thamesis concesserunt: in quibus Robertus Kilwarby ex ordine ipsorum ad Archiepiscopatum Cantuariensem assumptus, ædem ipsis commodiorem extruxit, quæ vsque hodie vocatur Domus fratrum nigrorum, quamuis nunc formam cœnobij nullatenus ostendat. In hac domo publica regni comitia parlamentaria celebrata fuere, ad annum Domini, 1450. sub Henrici Sexto. Rursus sub annum 1524. ab Henrico octauo, cœptum est in eodem cœnobio parlamentum, in quo octingenta millia librarum sterlingarum pro subsidio postulata sunt, quod finitum est in Abbatia Westmonasterij: & quia exordium habuit in æde nigrorum fratrum, finem vero accepit in æde monachorum nigrorum, immensa autem summa pecuniæ à republica fuit in eo extorta Parlamentum nigrum fuit appellatum. Primus qui habitum eorum suscepit, nominatur Ioannes Aegidius natus in oppido S. Albani Philippi regis Francorum medicus: qui postea ad Theologiæ studia animum applicans, eam magna cum laude Parisijs & Oxonij professus est. Cœpit deinde (verba sunt Harpsfeldij in „ sæculo 12.) animum adijcere Dominicanorum disciplinæ. Cumque tertia synodus generalis „ Dominicanorum Parisijs celebraretur, concionemque ad clerum Ioannes haberet, vehe„ menterque de mundi contemptu & abrenuntiatione sæcularium desideriorum dixisset, è „ suggesto descendens, spectante auditorum corona habitum S. Dominici solenni ritu sus„ cepit, & conscenso iterum suggesto perorauit.

Franciscani. Vno alteroue anno post aduentum Dominicanorum, appulerunt Franciscani quinque numero, quorum vnus mansit Cantuariæ: alij quatuor Londinum venientes in domo Prædicatorum quindecim diebus hospitati sunt. Paucis postea diebus, ciues quidam locupletes in sæculo, & diuites in Christo cœnobium illis ędificauerunt, quod hodie *Ad fratres griseos* nuncupatur, in Orphonotrophium conuersum. Margareta Eduardi primi secunda coniux, Ioannes Dux Britanniæ, alijque proceres regni certatim Christi pauperibus ad habitationem regularem ædificandam suas eleemosynas contribuerunt. Bibliothecam illis extruxit Ricardus Whittingtonus longam centum viginti nouem pedes, latam triginti vnum anno 1429: quæ intra proximum triennium codicibus selectis per eundem est adornata, impensis in eam rem quingentis quinquaginta libris sterlingis, ingenti profecto summa, si pro sæculi nostri ratione valor pecuniæ debeat ęstimari. Centum marcæ pro describendis Lyrani commentarijs insumptæ fuerunt. Primus, aut inter primos Anglorum, qui sancti Francisci instituto sese subdidere, celeberrimus ille Magister Magistrorum Alexander Alensis fuit, D. Thomæ & D. Bonauenturæ præceptor, ob excellentem sapientiam Doctoris irrefragabilis titulum inter scholæ doctores consequutus.

Trinitarij. Eodem anno, 1224. quo cœptum est ædificari Franciscanorum cœnobium Londini, quidam Robertus Rokesleyus ordini Trinitariorũ monasterium fundauit Motinduni in Cãtio extat inter alia huius ordinis monumenta Anglicana, diploma vetus circa annum Domini, 1475. conscriptum, cuius hoc est exordium: *Frater Richardus, minister domus de Motinden, Prouincialis & Vicarius generalis ordinis sanctæ Trinitatis in Anglia, & redemptionis captiuorum qui sunt incarcerati pro fide Iesu Christi à paganis &c.* Quam scripturam à se cõspectam lectamque asserit Lambardus in perambulatione Cantij; vbi mirè hallucinatur hunc ordinem eundem existimans cum cruciferis, & ordine B. Mariæ de mercede: cum sint hi tres ordines, habitu, fine, & constitutionibus substantialibus multum differentes. Multo cautius Stous, homo tamen, si eruditionem spectes, nullo modo comparandus, hos ordines distinxit: sed hic veritatis amator quantum assequi potuit, fuit; alter ille Lambardus, ita impotenter, ita petulanter in toto libro suo contra catholicam religionem furit & bacchatur, ita ridicule fabulas ineptas & crassa congerit mendacia: vt non aliam ob causam perambulationem Cantij scripsisse videatur, quam vt omnia antiqua religionum sanctuaria, de quibus illi agendum esset, impia maledicentia commacularet; quare & id consequutus est male cõmitiando, vt cum Stoi Antiquitatum Londinensium descriptio sępius fuerit typis impressa, ipsius tamen Lambardi petulcum scriptum nunquam reuiserit prælum, sed manserit ab omnibus prudentioribus despectum opus, tanquam illud, inepti scriptoris de quo poeta; *Annales Volusi cacata charta.*

Carmelitæ. De aduentu Carmelitarum (nam ij proximè post Trinitarios ab Anglis sunt recepti) audiamus Balæum, qui ex illo sanctissimo ordine transfuga factus, *vt fidelem Dorotheam* duceret, & pseudo-Episcopus in Hibernia, centurias scriptorum Angliæ ex Lelando confarcinauit: & veritatem chronologiæ, multarumque historiarum ab illo diligenti indagatore antiquitatũ acceptam

acceptam prodigiosissima maledicentia fœdauit. Is igitur centuria 4. sic scribit. Radulphus
„ Freburne in Northumbriæ comitatu oriundus familia non incelebri: post aliquot annos à
„ Ricardi Leonini Anglorum Regis ex Palæstina reditu, mutandæ militiæ gratia Carmelum
„ Syriæ petijt; & communem habitationem cum eius eremi cultoribus Christiparæ virgini
„ superstitiose deuotus (*nota transfugæ maledicam linguam*) elegit. Fuerat iste ab adolescentia
„ bellica virtute clarus, & literis vtcumque institutus: & in Saracenos Christianæ fidei hostes
„ egregiè diu stomachatus. Seueritate eremitica, an stoica disciplina Catonem quendam re-
„ ferens, per nobiles viros Ioannem Vescium, & Ricardum Grayum, qui tunc illic contra
„ Turcas militauerant, cum socio quodam Yuone Armorico Britanno (*alij Alamon vocant*)
„ in Angliam reducebatur, vt Carmelitano sodalitio prima fundamenta in eo regno pone-
„ ret: quod anno Domini, 1240. in Holnensi Northumbriæ prope Alnewicum solitudine,
„ Carmelo Syriæ non dissimili; & in Ailessordensi Cantiorum aptissimo nemore, quæ ipso-
„ rum erant dominia, primum fecit; & ita Brunhamiæ, & Newendeniæ, & in alijs postea
locis desertis: Citat pro hac eadem historia Balæus Mantuanum 8. Fastorum, mortuumque
tradit Alnewici, 1274 postquam ordinem suum primus Prouincialis diu rexisset: eo ipso anno
quo Eduardus primus regnum in Anglia exorsus est. Nec diffitetur Balæus Radulphum, *post
mortem miraculis claruisse*: sed quæ ipse Iudaico spiritu conficta fuisse calumniatur. Sed non
erit abs re, in gratiam ordinis sancti catalogum Prouincialium Angliæ, ab eodem Balæo cō-
textū, ex eius centurijs describere, quem fortassis alibi nemo reperiet. Est autem huiusmodi.
„ Catalogus prouincialium magistrorum, qui Carmelitas sodales in Anglia per trecētos fere
„ annos ab introitu primo ad eorum eradicationem plenam vsque regebant: qui propemodū
„ omnes scriptores erant. I. Rodulphus Freburne Northūbrius, anno 1240. rexit an. 14. iacet
„ sepultus Alnwici. II. Henricus de Hanna, Brunhamiensis, 1254. 17. Cœnobiorum incre-
„ mento deinceps per Galliam & Germaniam insudabat. III. Rogerius Crostwick, Norfol-
„ cius. 1272. annos. 5. iacet Brunhamiæ. Heruæus de Brunham vicarius rexit annum. 1. 1271.
„ iacet Brunhamiæ. IIII. Gulielmus Hamberg, Surręus. 1278. 3. iacet Londini. Iterum Hen-
„ ricus de Hanna. 1281. 18. iacet Stanfordię. V. Gulielmus Ludlington, Lincolniensis. 1266.
„ an. 5 iacet Stanfordiæ. Lites habuit cum Gerardo Bononiensi circa prouinciæ partitionē,
„ anno D. 1303. VI. Gulielmus Newenham Cantabrigiensis. 1303. an. 2. iacet Cantabrigiæ.
„ VII Richardus Welwen Hartfordius. 1305. a. 4. iacet Hutchinię. VIII. Gulielmus Paghā
„ Cantianus, 1309. an. 3. Midæ in Hibernia; à Clemente v. Pont. Rom. factus est Midensis
„ Episcopus. IX. Ioannes Barkemsted Hartfordiensis. 1312. 7. Londini iacet. X. Ricardus
„ Blyton Lincolniensis 1319. annos 6. iacet Lincolniæ. XI. Ioannes Walsingham Nordouol-
„ gius 1326. annos 3. Auinione iacet. Aduersus Occam Minoritam Auinionem à Romano
„ Pontifice in certamen vocatus fuit. XII. Ioannes Baconthorp, Nordouolgius 1329. annos
„ 4. iacet Londini. Romam & iste accersitus fuit, pro dirimendo quodam matrimoniali
„ dubio. XIII. Ioannes Blexam Oxoniensis. 1333. annos 2. iacet Oxonij. In Hyberniam ab
„ Eduardo tertio Anglorum rege missus, magnas fecit reformationes. XIIII. Ioannes Pole-
„ shed Sudouolgius. 1335. 7. Eboraci sepultus. XV. Ioannes Folsham Nordouolgius. 1340.
„ annos 6. sepultus Nordouici. XVI. Gualterus Kellam Eboracensis 1345. annos. 5. XVII.
„ Gulielmus Lubbenham Couentrensis 1353. ann. 1. sepultus Couentriæ. Iterum Gualterus
„ Kellam. 1354. annos 5. iacet Aluerstonæ. XVIII. Ioannes Counton Eboracensis. 1359. an-
„ nos. 3. iacet Londini. XIX. Thomas Broun Londinensis. 1362. annos 17. iacet Londini.
„ XX. Robertus Yuorius Londinensis 1379. annos. 13. iacet Londini. XXI. Ioannes Kinin-
„ gham Sudouolgius. 1393. annos. 5. iacet Eboraci. XXII. Stephanus Patrington Eboracēsis
„ 1399. annos 15. iacet Londini. Hic regis confessor existens (Richardi eius nominis secundi)
„ assumptus est ab eo in Episcopum Meneuensem. XXIII. Thomas Walden Essexius. 1414.
„ annos. 16. iacet Rotomagi. Hic in varijs legationibus Regis ac Regni negotia tractauit, cō-
„ fessor duorum Regum, Henrici quarti & quinti: XXIIII. Ioannes Keninghal Nordouol-
„ gius. 1430. annos. 13. iacet Nordouici. XXV. Nicolaus Kenton Sudouolgius. 1444. an-
„ nos. 12. sepultus Londini. XXVI. Ioannes Miluerton Bristolliensis. 1456. annos. 11. Ob
„ conciones quasdam Londini publicatas, Romam citatus per Episcopos, in Hadriani mole
„ triennium ferè peregit. XXVII. Ioannes Sutton Dorcestrensis. 1465. annos 3. iacet Dorca-
„ cestriæ. Iterum Ioannes Miluerton. 1469. annos. 12. iacet Londini. XXVIII. Ioannes
„ Vinde è fano Botolphi. 1482. iacet Bostonæ. XXIX. Robertus Loue Nordouolgius 1505.
„ annos. 7. iacet Nordouici. XXX. Richardus Ferris Oxoniensis. 1513. annos 3. sepultus
„ Oxonij. XXXI. Ioannes Bird Couentrensis 1516. annos 3. XXXII. Robertus Lesbery Nor-
„ thumbrius. 1519. annos 3. Iterumque Ioannes Bird. 1522. annos. 16. iacet Cestriæ. Assūptus

 fuit

„fuit ab Henrico octauo Angliæ rege ad Episcopatum primũ Penriciensem (i. Ossoriensem) „deinde Bangorensem, ac demum Cestrensem: & Cestriæ obijsse dicitur anno 1556. qui fuit secundus Reginæ Mariæ; itaque quamuis sedit aliquamdiu in schismate, mortuus tamen est in pace ecclesiæ.

Ignoscat lector prolixo catalogo, ex quo & fieri posset adiunctis D. Pitsij elogijs in opere de scriptoribus Angliæ, Carmeliticæ historiæ pro Anglia breue compendium; & id præsertim à lectore meo colligi vellem, quanta cum diligentia & curiositate res gestas in Anglia cõsignare soliti fuerint maiores nostri; neque enim dubitandum, quin ex libris manuscriptis conuentuum religiosorum qui adhuc extant in bibliothecis Anglicis, pari accuratione superiorum catalogi confici possint. Sed illud demum rebus ordinis Carmeliticis par est à nobis adiungi, diuina reuelatione fuisse prædictum eorum in Angliam aduentum. Fuit enim Simon quidam Stocchius dictus, honestis in Anglia parentibus natus, patria Cantianus, qui anno ætatis suæ duodecimo in solitudinem exiuit, & in trunco concauæ quercus sibi domicilium elegit, vnde cognomen illud accepit, nam truncum Angli *Stoch* vocant, vbi ab hominum cõmercio prorsus separatus, corpus ieiunijs macerans, animum cælestibus pascebat delicijs. Aqua illi potus, herbæ, radices, poma syluestria cibus fuerant. Inter hęc oraculo cęlesti reuelatum est illi, venturos aliquando in Angliam ex Palæstina Syriæ quosdam monachos, quorum & ipse institutum amplectaretur. Euentus comprobauit oraculi veritatem: venientibus in Angliam ex Syriæ Carmelitis Simon hic sese lętissimo animo coniunxit, qui eum vt cælitus missum adiutorem suspiciebant. Anno itaque 1245. apud Ailfordiam celebrantes generale Capitulum eundem totius ordinis Generalem magistrum crearunt, cui ad annos viginti præfuit, post Alanum Armoricum Britonem (Yuonem alij vocant) qui sese magistratu abdicauit; Vitæ sanctitate, prophetijs, miraculis insignis; obijt centenarius Burdigalę & ibidem in summa æde sepulturam accepit, ad annum Domini 1265. regnante apud Anglos Hẽrico 3. Quoniam vero apud eius sepulchrum crebra coruscabant miracula: corpus eius in decentiorem locum est translatum: ipse vero in sanctorum confessorum numerum relatus. Atque hæc ideo libentius de Carmelitis tam fuse diximus, quia sicut eos Syria Angliæ, ita Anglia reliquo occidenti dedit. Vnde constat & verisimilitudo sententiæ, quam superius de primis monachis Britonum & Scotorum diximus, eos ex Aegypto & Palæstina in Britannicas insulas monachatum detulisse; Et illud etiam, quod antea disputauimus: meritò Carmelitas, cum successionem minime interruptam ab antiquis Palęstinę monachis deducant, earundem prouinciarum sanctos antiquos suo ordini ascribere.

Crucigeri. Sed ad alium ordinem, qui post istos in Angliam venerit, sermonem conuertamus: Is autem ordo est Cruciferorum, seu Crucigerorum: de quorũ primo ingressu loquatur Mathæus „Paris, ad annum, 1244. Henrici 3. Regis an. 29. Die lunæ (*inquit*) ante festum omnium san„ctorum venerunt ad synodum Episcopi Roffensis, quidam nouæ religionis speciem præfe„rentes, fratres scilicet dicti cruciferi: dicti sic, quia cruces in baculis efferebant. Requirebãt „autẽ habitationem à potentibus, ostendentes inauditum sibi à Domino Papa priuilegium „concessum: videlicet, quod nulli liceret ordinem eorum reprehendere, vel ipsos exprobrare „aut ipsis imperare; concessa etiam ijs fuit potestas in tales, sententiã excommunicationis in„ferre. admirantibus, imò obstupentibus viris sapientibus & discretis, super tot nouis ordi„nibus, quotidiè sine fine orientibus & emergẽtibus; quod spretis beatissimi Benedicti pleni „spiritu omnium sanctorum, & magnifici Augustini disciplinis, contra statutum concilij sub „gloriosæ memoriæ Domino Papa Innocẽtio tertio celebrati, tot viri literati ad inauditos ac „nouiter inuentos ordines subito conuolarent. In quo concilio, post ordines Prædicatorum, „& Minorũ initiatos & auctorizatos, irrefragabiliter sancitum & statutum fuit, assensum „Cardinalibus cum tota sacri concilij vniuersitate præbentibus; ne ex tunc amplius noui or„dines adinuenirentur, vel adinuenti admitterentur; ne scilicet autentici, & iam recepti ordines vilescerent. Hæc Mathæus, non sine bile. Sed his fratribus cruciferis, quos Angli *Crouched friers*, seu Cruciatos vocabant, circa annum 1245. domum statuit in oppido Rigat comitatus Surreyæ, Gulielmus de Warenna comes Surreyæ, non primus (vt Spedus habet) hic enim ante centum annos iam erat defunctus, sed sextus, filius Humelini, & Isabellæ primi illius Gulielmi abnepus. Iisdem circa annum Domini 1298. conuentum Londini fundarunt duo ciues Rodulphus Hosiar, & Gulielmus Sebernus, qui ibidem sub Adamo eiusdem loci primo Priore habitu religionis induti sunt. Nomen adhuc eorum locus ille retinet: sed pro domo religiosa successit sphæristerium, & officina vitro conflando accommodata, quæ circa annum Domini, 1575. tota præter ipsos parietes incendio consumpta est.

Augustiniani eremitę. Anno 1252. *Lanfrancus Mediolanensis* (inquit Balæus) *primus Eremitarum Augustinianorum*

Præses

Præses generalis ad Angliam pro quærendis sedibus aliquot fratres misit antequam essent ab Alexandro 4. Rom. Pontifice post sancti Augustini apparitionem ecstaticam confirmati, vt ex eius bulla claret. Quod quamuis ironice dicat Lucianicus iste Balæus; apparet tamen ex verbis S. Eduardi confessoris, quæ supra, cum de Waltham sermo fieret, retulimus, Diuum Augustinum reuelatione diuina nonnullis apparentem regulæ suæ propagationem iniunxisse; Et sanè circa illa tempora venerabilis Iuo eandem Canonicis regularibus seruandam proposuit: quam ipse maximus doctor, non viris sed monialibus præscripsit, viris autem non nisi multis postea sæculis accommodatam, vt Cardinalis Bellarminus docuit in catalogo scriptorum ecclesiasticorum; vbi & eundem, nullum eremitis monasterium condidisse affirmat; de qua tota disputatione videatur doctissimus vir D. Simon Werlinus Canonicorum regularium præpositus in Dissen, in dissertatiuncula ad regulam S. Augustini, Et Bernardus Vindingus etiam Augustinianus in Critico castigato. Cæterum Augustinianis fratribus prima sedes data est in Wallia, in pago *Woodhowys*, vel Cordite hoc est *domus siluæ* dicto, qui antiquitus ad Turberuillorum familiam nobilem pertinebat. Iisdem, postea Londini domum & pulchram basilicam Pyramide mirabilis opificij adhuc insignem donauit Humfredus de Bohun Comes Herefordiæ & Essexiæ ad annum Domini 1253. quæ nunc ex parte inseruit orgijs protestantium Teutonicorum, qui Londini refugium nacti sunt.

Post eremitas Augustinianos aduenerunt alij eremitæ, quos à pietate vulgus Bonos homines vocarunt anno 1290: quo illis Edmundus Comes Cornubiæ monasterium condidit *Boni viri eremitæ.* in Esserugia villula Buckingamiæ; ita enim in charta 19. Eduardi 1. num. 10. septemb. anno „19. Inspeximus chartam, quam dilectus consanguineus & fidelis noster Edmundus Comes „Cornubiæ fecit Deo & B. Mariæ & rectori Bonorum virorum fratrum ecclesiæ in honorē „pretiosi sanguinis Iesu Christi apud Esseruge fundatæ, & bonis viris fratribus ibidem Deo „seruientibus, in hæc verba: Sciant præsentes & futuri, quod nos Edmundus claræ memo-„riæ Richardi Regis Alemanniæ filius & Comes Cornubiæ, dedimus, concessimus, & hac „præsenti charta nostra confirmauimus pro salute animæ nostræ, & animarum antecessorū „& successorum nostrorum, Deo, & B. Mariæ & Fratri Richardo rectori ecclesiæ de Esse-„ruges, in honorem pretiosi sanguinis Iesu Christi fundatæ, & fratribus suis ibidem Deo „seruientibus, & in perpetuū seruituris, maneria nostra de Cestreton & Ambresdon in co-„mitatu Oxon. cum aduocationibus &c. Iisdem Bonis viris aliam domum in Edindona Wiltoniæ oppido edificauit circa annum Domini 1350. Gulielmus de Edington, Episcopus Wintoniensis; nec plures habebat hic ordo in Anglia conuentus, quorum superiores Rectores vocabantur, & vnus eorum erat & vocabatur ordinis Præses. Cæterum quod dicatur hoc Esserugiæ monasterium in honorem pretiosissimi sanguinis Christi Domini fundatum, ex annalibus monasterij de Halas ordinis Cisterciensium historiam totam descriptam habemus *De sanguine pretioso Domini nostri.* in qua narratur; Edmundus cornubiæ Comes, cum in Alemannia cum rege patre suo adhuc puer versaretur, & inter ornamenta imperialia firmaculum grande aureum, conspexisset, plenum reliquijs pretiosi sanguinis dominici, quod Carolo magno ex Græcia summi muneris loco missum fuisset; obtinuisse vt inde sibi pars magna daretur; quam vasculo aureo inclusā secum in Angliam detulerit; & extructo in honorem eius monasterio de Hale; ad cuius basilicam solemni processione, comitantibus vtrinque conuentu Halensi Cistertiensium, & Winchelcumbensi Benedictinorum monachorum ipsomet Edmundo comite deuotionis causa baiuli officium faciente, vasculum pretiosum delatum est, ibique repositū; vnde postea partem desumptam in hoc cœnobio Esherugiæ bonorum virorum ob honorem eiusdē sanguinis ædificato concessit. Nec debet alicui miram aut rem nouam videri ædificatā fuisse ab hoc nobilissimo Comite ecclesiā, & cœnobium in honorē Dominici sāguinis inibi cōseruandi: Non enim eo loco, aut tēpore primū, sed longè ante, & in pluribus alijs Christiani orbis ecclesijs factum legimus vt summo cum honore, ac veneratione conseruarentur particulæ Dominici cruoris; siue eius, qui simul cum aqua ex latere Christi Domini iam mortui defluxit; siue qui in circuncisione fuit decisus; quē ad fidelium suorum deuotionem in terris voluit idem Dominus Christus relinqui non quidem diuinitati suæ hypostaticè vnitum, sed tamen ob contactum pretiosi corporis sui, in quo aliquando fuerat, honorabilem; quomodo crucem eius sanctam ob eundem contactum veneramur. Sanguinē autem Christi in quibusdam adhuc ecclesijs seruari perhibetur, vt Romæ in basilica Lateranensi; & Brugis in Belgio annua & celebris fieri consueuit supplicatio in honorem dominici cruoris, qui collectus dicitur à Nicodemo & Ioseph, cum Christum de cruce deponerent, & in monumento collocarent, de qua historia Molanus in natalibus sanctorum Belgij ad 3. diem Maij. Sed & Nicephorus lib. 1. historiæ c. 20. refert B. virginem & B. Ioannem Euangelistam, sanguinem à Christi latere manantem vasculo decenti religiose excepisse, vt & Metaphrastes

ad 15.

ad 15. Augusti: nec profectò vlli dubium esse debet, quin omne illud quod ad sacrum Christi corpus & vestimenta pertinuerit, præsertim passionis tempore, fideles Christiani magna cura conseruauerint.

Carthusiani,

„Tandem anno 1413. Henricus quintus (*verba exscribimus Walsinghami*) cœpit fundare tria
„monasteria religiosorum, iuxta prædiũ suũ, quod Sheen (*hoc est radiatio*) vulgariter appel-
„latur. Vnum de ordine monachorum Carthusiensium; aliud monachorum, qui Cælestini
„vocantur, qui profitentes regulã S. Benedicti, quam seruare se dicunt ad literam, vlterius se
„astringunt ad reclusionem perpetuam.) *huius monasterij non meminerunt alij scriptores: existi-mamus tamen collocatum fuisse in pago vocato Thislevvath, ad ripã fluminis Thamesis ex opposito su-pradicti Carthusiensis cœnobij situm.*) Tertiũ Brigittinorũ, qui S. Augustini profitentur regulã,
„quæ cum alijs adiectis cęremonijs, vocatur ab eis Regula saluatoris. His non licet habere
„proprium, non quidem obolum, nec pecuniam tangere quouis modo. In hoc monasterio
„iuxta regulam debent esse sorores sexaginta, sacerdotes tredecim, diaconi quatuor, octo
„fratres laici: quibus omnibus computatis: tantus erit numerus personarum, quantus erat
„tredecim Apostolorum & septuaginta duorum discipulorum Christi. Hi non lineis, sed la-
„neis semper vtuntur. Qui duo conuentus habebũt vnam ecclesiam in communi. Moniales
„habebunt sub tecto: fratres inferius ad terram. Et sunt vtrique conuentus separatim inclusi:
„quibus post professionem non licebit egredi nisi de Domini Papę licentia speciali. Isti duo
„conuentus debent habere ex regula sufficientem dotationem ad sustentationem personarũ
„& seruientium, ad supportationem onerum tanti monasterij: ita quod absque indigentia &
„mendicitate, tam in anno sterili, quam fertili possint sufficienter, quieteque subsistere:
„postea vero si totus mundus possessiones & prædia eis offerret, quicquam omnino recipere
„non liceret. Ante festum omnium sanctorum annuatim computari debent & præsciri vi-
„ctualia & necessaria anni subsequentis: & quæcumque tunc remanent de victualibus seu
„pecunia anni tunc instantis, in crastino omnium sanctorum debent pauperibus erogari. Si
„vero aliquando victuali a sequentis anni videntur non sufficere, tunc de pecunia aut victua-
„libus imminentis anni addatur sequenti anno quantum necesse est, & non plus; si Abba-
„tissa eiusdem loci, & Generalis eiusdem loci periculum animæ suæ voluerint euitare: & ex
„post, quicquid remanserit, egenis dari debet. Abbatissa cum consensu sororum & fratrum,
„eligere debet vnum de tredecim sacerdotibus in confessorem generalem monasterij, cui
„omnes fratres obedire debent, & contra præceptum eius nihil omnino facere. Nullus vi-
„rorum sæcularium seu religiosorum ingredietur claustra monasterij monialium, hęc de Bri-
gittinis Walsinghamus. Vnicum tantum erat huius ordinis in Anglia monasterium, ab altera parte ripæ Thamesis fluminis, non procul à monasterio Carthusianorum; Sion id vocabatur: Cuius cœnobij sanctissimus conuentus fuga ex Anglia euadens, nunc est Lisbonæ in Hispania collocatus, de quo vide Sanderum in visibilis monarchiæ opere præstantissimo. Atque hæc sunt initia ordinũ præcipuorum, quæ post Benedictinos in Angliam suis quique temporibus veneurnt; nam de militaribus ordinibus, Templariorum, S. Ioannis, S. Lazari, S. Thomæ de Acon, de Hospitalarijs sub regula D. Augustini tempore ipsius Conquæstoris, Burronæ domus, Ronciuallis, S. Spiritus in Saxia, De monte Iouis ex Sabaudia; de fratribus eremitis Robertinis à sancto quodã eremita Anglo Roberto de Knarisborow ortũ ducentibus, de fratribus sacciarijs siue de pænitentiã, de Paulinis, Armenijs, Viridis vallis, ordinis martyrum; qui post Cluniacensium & Canonicorum nigrorum ingressum diuersis temporibus per Angliam sedes habuere: nihil attinet dicere, cum non ita magno numero fuerint, nec ita celebris notitiæ, sicut isti de quibus iam diximus. Hæc autem omnia ideo tam prolixo sermone (ignoscat lector beneuolus) de ordinum cæterorum in Angliam aduentum deduximus: vt considerent prudentes, an non sit omnino incredibile, singulorum ordinum, etiam minimorum natalia, originesque, locum natalium, & fundatores ita exacte & accurate ab infinitis fere autoribus nationis nostræ fuisse annotata, & literis consignata: solius autem ordinis Benedictini, quam in confesso est cæteris omnibus multitudine & magnitudine monasteriorum, & antiquitatis indubitatæ prærogatiua præluxisse, originem & natalia nullo modo, ne leui quidem brachio ab vno aliquo autore notata fuisse; nisi apud omnes pro certa & confessa veritate fuerit acceptatum, illum ordinem vna cum ipso S. Augustino, hoc est cum ipsa sacrosanctæ fidei doctrina in Angliam fuisse inuectum. Et quid dicimus de diligentia notandi origines ordinum religiosorum, cum etiam minimarum rerum primas vt sic dicam epiphanias annotauerunt? Sanctum Benedictum qui prius Biscop vocabatur, fatentur omnes, vitrearum fenestrarum consuetudinem, artemque ipsa vitra conflandi, vt & latomos, & ædificandi de saxea materia peritiam intulisse. Primum in Anglia.

Cælestini.

Brigittini.

Militares & alij multi ordines minus celebres.

Pharmaco-

Pharmacopolam fuisse quendam Ioannem Falcaudum de Luca anno 32. Regis Eduardi 3. qui erat, Christi incarnati, 1357. Quomodo rem tantā omisissent, quanta foret mutatio primæ regulæ monachalis, quam Apostoli ipsi seruauerunt, in aliam recentiorem, si vlla talis facta fuisset? Memoriæ tradiderunt, monachis primum in cœnobio Lindisfarnensi vinum bibere permissum, quā lo Rex Etheldredus habit susceпisset, cū antea aquam solummodo, & lac potarent: & non annotarent, quando primum relicta priori regula posteriorem per Angliam suscepissent? Notarunt hoc de monachis Scotis ad paschalem ritum conuersis, & per Cuthbertum, & Boisilum, & Wilfridum etiam ad sanctam regulam traductis: quare non notassent idem de monachis per regna Cantuariæ & Orientalium Saxonum, quæ prima omnium fidem susceperint: nisi quod nullam ibi in regula, quam Augustinus & socij stabiliuerant, mutationē agnouerint? In historia Eliensis monasterij scribitur hoc quod subditur: *Eadgarus rex & Alfreda* (regina) *dederunt sancto Athelwoldo manerium quod dicitur Suderborne, eo pacto, vt ille regulam S. Benedicti in Anglicum idioma de Latino transferret: qui sic fecit; deinde vero B. Athelwoldus dedit eandem terram S. Aetheldredæ, hoc est cœnobio Eliensi.* Quare ergo, si tanti æstimarunt regulæ traductionem in idioma Saxonicum; non etiam monumentis consignarunt, quis primus eiusdem regulæ obseruantiam introduxerit, priori monachali regula S. Augustini obrogata? Tantæ rei notitia, qua factum est, vt monachatus Aegyptius Scotorum, & Romanus primorum Apostolorum fuerat abrogatus, non potuit silentio diligentissimorum maiorum nostrorum inuolui: si vlla talis fuisset. Et reuera quis potius non videt esse maximè rationi consentaneum, vt Augustinus, Laurentius, Mellitus homines Itali, regulam à S. Benedicto etiam Italo conscriptam, & à Gregorio Romano Pontifice tontopere laudatam, in monasteria sua inferrent?

§. 21. Demonstratio Septima,

Ex ipso D. Gregorij Monachatu.

Imo vero, cum non solum laudauerit Gregorius illam regulam, verum etiam solam illam laudauerit, nec vllam aliam in operibus iam extantibus laudasse cōperiatur: atque ita laudauisse, vt non obscurè appareat ipsam exercuisse, sub ipsa militasse: quis non dicat necessario consequi, eius discipulos, monasteriorum ab ipso ædificatorum monachos præsertim in eodem, quo ipse fuerat, cœnobio enutritos, fuisse etiam Benedictinos? Vt sicut ex discipulorū monachatu patefecimus regulam sub qua habitum gessit Gregorius: ita ex eius etiam monachatu per legitimum circulum probetur quā regulam Gregorij discipuli fuerint professi. Primum igitur, animaduertat prudens lector, quam exquisitis verbis ipsius S. Benedicti excellentem spiritum pingat Gregorius, 2. dial. c. 8. sub persona Petri, ex dictis Gregorij hoc Epiphonema subinferentis: *Mira sunt & stupenda, quæ dicis. Nam in aqua ex petra producta, Moysen: in ferro vero, quod ex profundo aquæ rediit, Helisæum; in aquæ itinere Petrum; in corui obedientia Eliam; in luctu autem mortis inimici, Dauid video: & , vt perpendo, vir iste spiritu omnium iustorum plenus fuit.* Quid simile de Equitio? quid huic laudi par de vllo patrum, quorum gesta in dialogo narrat, protulit? quis non videt hæc ab illo ex abundantia amoris & venerationis erga S. Benedictum, vt patrem suum, profundi? vt omittam illa non parui momenti: in historiam S. Equitii, vnicum solum primi libri capitulum insumpsisse? in historiam vero S. Benedicti totum secundū librum impendisse. Deinde, enarratis aliquot Equitij miraculis & gestis, Petrum vt alia eiusdem sancti Patris acta cognoscat ad Albinum Episcopū, qui ipsum Equitium familiariter nouerat, ablegat: & à Fortunato, qui ipsi etiam Gregorio satis erat in amicitia dilectus, ea, quæ de S. Equitio narrauit, se accepisse fatetur; At cur non ipse Gregorius, si discipulus erat S. Equitij, tam nuper defuncti, vt eius familiarem Fortunatum ipse etiam familiariter nouerit non etiam plura de Equitio nouerat, quam Fortunatus? Fortunatus nō erat sancti Equitij discipulus, sed amicus tantū, & qui aliquoties ad eius colloquium admissus fuerat: Gregorius, si discipulus, & non cum ipso Equitio vixisset, at à Valentino (vt isti recentiores asserunt) monacho Equitiani monasterij, longe plura nouisset; & tamen paucissima videtur ab ipso narrante de Equitio cognouisse. Si Valentinus Equitij discipulus, aut de Equitij monasterio fuisset: certe ipsum plura de eo narrantem Gregorius audiuisset; plura ab eo ipse Gregorius tam diligens huiusmodi rerum indagator inquisiuisset. At S. Benedicti omnia gesta, ab ipso pueritiæ tempore vsque ad fælicem eius transitum adeo exacte perdidicisse se indicat, idque à quatuor ipsius discipulis præcipuis, longæuis & sūma

authoritate præditis viris, vt cum totum secundum librum eius solius vitæ enarrandę tribuerit, adhuc tamen fateatur, se multa alia habere de sanctissimi patris virtutibus nota, quę non narrat, ne nunquam finem narrandi faceret. Certe nimium pertinax est in suscepta semel opinione, qui hanc S. Gregorij admirabilem erga S. Benedictum perpendens deuotionem, non fateatur ipsum, cum monachus fuerit, sub eius potius, quam alterius regula militasse.

Gregorium certe virum fuisse, tum alijs omnibus virtutum præconijs, tum præcipue discretionis laude præcipuum, & liber Pastoralis ab eo editus, & vita in regimine, iuxta ipsius Pastoralis sui regulas formata demonstrant. Hic igitur talis tantusque discretionis amator, quam aliam regulam, sibi deligeret, præsertim in summa corporis imbecillitate & teneritudine exercendam, nisi quam ipse nouisset, & prædicasset discretione præcipuam? Perpendantur illa eius verba 2. dial. c. 36. *Libet Petre adhuc de hoc venerabili patre multa narrare: sed quædam eius studiose prætereo, quia ad aliorum gesta euoluenda festino. Hoc autem nolo te lateat, quod vir Dei, inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinæ quoq; verbo non mediocriter refulsit. Nam scripsit monachorum regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam: cuius siquis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione regulæ omnes monasterij illius actus inuenire; quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quam vixit.* Quid enim est hoc quod dicit monachorum regulam discretione pręcipuam, nisi præ omnibus alijs regulis monachorum, maxima discretionis laude excellentem: quæque proinde merito suo debeat ab ijs, qui conuersionis gratiam requirunt, ad vitæ formandæ vsum assumi? quid est hoc quod dicit, subtilius, hoc est penitius, clarius, euidentius posse omne magisterium S. Benedicti à diligenti regulæ examinatore percipi, quam ex actuum ipsius narratione: nisi quod ex illa ipsa regulæ suæ meditatione D. Benedictus, dum eam in actum vitæ reducere conatur, ad tantæ sanctitatis instar emicuisse? Quid est hoc, *non potuit aliter scribere quam vixit*, dictum in laudem regulæ: nisi idem ac si dixisset, non potuisse aliter quam sanctissimè viuere, qui tantæ sanctitatis ac discretionis magistram regulam discipulis suis dedisset?

Quis præterea tam viliter de Gregorio sentiat, vt de eo posset verè dici illud furentis fœminæ apud Poetam, *video meliora, proboque, Deteriora sequor?* idque in re maxima omnium, nempe quæ ad tranquillitatem profectumque spiritualem suum & monachorum suorum, quibuscum viuere decreuerat, pertineret? vidit nempe regulam S. Benedicti præ omnibus alijs aptissimam esse ad religiosam perfectionem semitam; idque ita esse plenissime agnouit, longe antequam monachus fieret, quando nempe à Constantino Simplicioque discipulis præcipuis D. Benedicti, vitam, mores, gestaque illius tam diligenter inquisiuisset. Non est igitur existimandum, eum meliorem cæteris regulam agnouisse, eaque inferiorem, & instituto suo minus idoneam assumpsisse. Fecisset enim quod illam furentem fœminam diximus fecisse; fecisset id, quod nunquam fecisset alius quispiam Gregorio sanctitate & iudicio similis. Præsertim cum illi integrum esset, in suum monasterium, quãcumque vellet regulam aut institutionem introducere. Consideretur & illud Gregorium virum nobilem, iam ætate florentem, nobiliter enutritum, delicatum corpore, & complexione, discretionis amatorem maximum, qui aliorum imbecillitati misericordissima pietate compati soleret: quidnam moueret vt sibi etiam non compateretur, & potius illam regulam quam longa inspectione, & consuetudine cum discipulis D. Benedicti, nouisset discretione præcipuam, etiam infirmioribus corpusculis facilé, & robustissimis tamen cõplexionibus sufficienter difficilem sibi præscriberet, quam aliam quamuis rigidiorẽ? Et certè rigidiorem, minusq́ue accõmodã Gregorij complexioni fuisse Equitij ipsius vitã, ex eius modo & vestimentorũ vilitate quę narrat Gregorius, satis constat. Vt omittamus argumentũ ex cõiectura non mala desumptum, quod D. Benedictus & Gregorius ex eadẽ familia Aniciorum fuisse dicantur: & scimus longè potentius trahi homines domesticarum virtutum exemplis, quam alienæ familiæ insignibus. Ergo nemo tam male de iudicio S. Gregorij sentiet, vt quam regulam ipse nouisset, alijsque scripto confirmasset esse discretione super alias omnes præcipuam, ipse monachus futurus non assumpserit, sed aliam aliquam minus probatam, minus discretionis luce illustrem sibi seruandam eligeret. Non est hoc de Gregorij prudentia concedendum: vt quod optimum alijs factu iudicaret, ipse in eadem causa & occasione sibi faciendum non putauerit.

Sed & illud maxime est ponderandum, quorumnã desiderijs satisfacere cupiens hunc dialogorum librum Gregorius ediderit? Dicat ipse lib. 2. cap. 50. indict. 11 quæ est ad Maximinianum. *Fratres mei, qui mecum familiariter viuunt, omni modo me compellunt, de miraculis Patrum, quæ in Italia facta audiuimus, sub breuitate scribere. Ad quã rem solatio vestræ charitatis vehementer indigeo, vt ea quæ vobis in memoriam redeunt, quæque cognouisse vos contigit, mihi breuiter indicetis.*

tis. Significat aperte se dialogum de virtutibus & miraculis patrum Italicorum ad monachorum suorum, quibuscum familiariter colloquia solebat instituere, solatium contexuisse. Iam vero edicat nobis quilibet non imprudens rerum arbiter, quibusnam monachis maximè faceret ad solatium & exemplum dialogi huius lectio; Benedictinisne, an Equitianis? si Equitiani non sint ijdem qui & Benedictini; De Equitio vnicum breue caput, de S. Benedicto totum librum secundum scripsit. Equitium laudat quidem à munditia, & zelo animarum, & simplicitate vitæ: at quid ea laudatio ad præconia, quę pleno ore fundit de S. Benedicto? Equitij regulam ne semel quidem commemorat: D. Benedicti regulam omnibus alijs præfert; & ideam quandã vitę & virtutum ipsius venerabilis Patris in ea exhiberi sapiẽti lectori indicat. Quis autem, ne dicam magno Gregorio par, sed vel mediocriter pollens prudentiæ & discretionis dictamine, suscipiens prouinciam ea quæ Augustinianis, verbi causa, ad vitam suam recte informandam prodessent, scribendi, de S. Augustino pauca, de regula eius nihil; de D. Basilio fere omnia, de regula ipsius præstantissima quæque pronunciaret? Verè quidem ea commemoratione, Basilius, eique laudibus digna foret Basilij regula: sed quid hæc ad informationem Augustiniani ordinis: aut Franciscani? Quis ferret talem informatorem, aut consolatorem: qui Franciscanos erudituros spiritualium virorum exemplis, de ipsorum patribus nihil ferè produceret? qui eos ad spiritum regulæ Seraphici patris exhortaturus, nihil de ea ipsa loquutus, proponeret illis laudes regulæ Benedictinæ? Puta, beneuole & prudens lector, rectene de Gregorij iudicio & prudentia sentiant, qui ipsum inducunt ita fratribus Equitianis scribentem, vt ipsis regulam D. Benedicti, alterius videlicet & diuersi ordinis summis laudibus efferat, Equitianæ vero ne semel quidem meminerit? At si hæc omnia fratribus cupide postulantibus ideo concesserit Gregorius, vt eos ad vestigia patris sui Benedicti passibus sedulæ imitationis sectanda impelleret: sanè appositissime, prudentissimèque & ex dictamine naturæ, artis, & prudentiæ id præstitit.

At vero qui legens eiusdem sancti Patris nostri Gregorij commentarium in libros regum non aperte & euidenter perspicit, ipsum ibi se Benedictinum profiteri: profecto ideo non perspicit, quia sciens vidensque oculos ad tantum veritatis splendorem claudit. Ponamus verba ea methodo, qua R. Caetanus noster posuit, vt vtrimque vno intuitu comparata sibi inuicem verba, verissimum id esse, quod protulimus, comprobent. Eandem explicat monachis suis: & se illius professorem insinuat.

Dicit Sanctißimus P. Gregorius lib. 4. Commentariorum in 1. Reg. cap. 4.

ET non exaudiet vos Dominus in die illa. Qui „regem petierant, à facie regis clamant, „quando ij qui agere spiritualem vitam sub „bono rectore vouerant, eiusdem vitæ relinquere labores tentant *&c.* Et quia cœco „corde lucem videre non possunt, ad Dominum clamant: id est, vt euadere spirituale „iugum possint, Dominum obsecrant. Sed „non exaudit eos Dominus in die illa. Quæ „est dies illa, qua reprobi subiecti Dominũ „obsecrant, nisi intentio vanæ prosperitatis? „Non exaudiuntur: quia profecto per diuinam gratiam nunquam fit, vt bonis „rectoribus semel promissa subiectio, libera egredi ad mundi delectationes possit. „Quare & causam subiunxit, dicens, *quia petistis vobis Regem*; Quasi dicat: Pastoribus spiritualibus promissa subiectio indissolubilis est, *&c.* Hoc quia ad historiam dicimus, notandum esse censemus, quia omnipotens Deus, dum ius regis prædicit, religiosis præpositis form ã institutionis impendit. Quare? vt qui arctissimam conuersationis viam imperant, nouiter accedentibus facile aditum non impendant. Quare & eiusdem arctissimæ vitę magister optimus

Dicit Sanctißimus Pater Benedictus in Regulæ cap. 58.

„NOuiter veniat si quis ad cõuersionẽ, „nõ ei facilis tribuatur ingressus: sed sicut ait Apostolus, probentur spiritus si ex „Deo sunt. Ergo si veniens perseuerauerit „pulsans, & illatas sibi iniurias & difficultatẽ „ingressus post quatuor aut quinque dies „visus fuerit patienter portare, & persistere „petitioni suæ, annuatur ei ingressus, & sit „in cella hospitum paucis diebus. Postea autem sit in cella nouitiorum, vbi meditetur, & manducet, & dormiat. Et senior ei „talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas „animas, & qui super eum omnino curiose „intendat, & solicitus sit, si verè Deum quęrat, si solicitus est ad opus Dei, ad obediẽtiam, ad opprobria. Prædicentur ei omnia dura, & aspera per quæ itur ad Deum. „Et si promiserit de stabilitate sua perseuerantiam, post duorum mensium circulum „legatur ei hæc regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis; Si „potes obseruare, ingredere: si vero non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc „ducatur in supradictam cellam nouitiorum, & iterum probetur in omni patientia; & post sex mensium circulum relegatur

„timus, ſummæ veritatis diſcipulus eruditus, „præcipit, dicens: Probate ſpiritus, ſi ex Deo „ſint; Et item: Nuncientur ei dura, & aſpera, „per quæ itur ad Deum, vt ſciat ad quid „intrat. Prædicat ergo Dominus ius Regis, „dicat, ſciat omnia, quales carnales futuri „ſunt in eius obſeruatione; & vt ad viã virtutis debiles facile nõ accedant, fortes Prępoſiti, facile debiles nequaquam accipiant. „Celeritas quidem conuerſionis plærumque „oritur ex præcipitatione concilij, tum ex incremento deuotionis. Nam cum infirmi „fortia promittant, non eſt expertum robur „animi: ſed confuſio diſcretionis. Quos omnes ſub vnius denotatione ſapiẽs admonet, „qui dicit, ſupra te onus ne leuaueris. Qui „ergo in regularis vitæ forti propoſito alijs „pręſunt, tanto diſcretius debent ad eandem „vitam conuerſos recipere: quanto & vtilius „prænoſcendum eſt, accedentium petitio ex „virtute ſit animi, an ex præcipitatione voluntatis.

„gatur ei regula; vt ſciat ad quid ingreditur. Et ſi adhuc ſtat, poſt quatuor menſes „iterum relegatur ei eadem regula. Et ſi „habita ſecum deliberatione promiſerit ſe „omnia cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſeruare, tunc ſuſcipiatur in congregatione, ſciẽs ſe ſub lege regulę cõſtitutũ, quod ei ex illa die non liceat de monaſterio egredi, nec collum excutere de ſub „iugo regulæ, quam ſub tam moroſa deliberatione licuit recuſare aut ſuſcipere.

Euidens hinc eſt Gregorium ſub regula S. Benedicti vixiſſe.

Primum omnium hic Gregorium regulam ſancti Benedicti citare, quamuis eum non nominet, ſatis euidenter patet, quia verba ipſa regulæ citat, eaque ad illuſtrationem ſcripturæ, aut potius ſcripturam ſanctam ad confirmandum regulæ præceptum accommodat. Deinde ſcriptorem regulæ, nempe Benedictum, vocat *arctiſſimæ vitæ magiſtrum optimum, ſummæ veritatis diſcipulum eruditum*; ipſum (debet enim hoc valde penſari) Benedictum hoc ornat elogio, non Auguſtinum, non Baſilium, non Pachomium, non Equitium; nec eorum aut regulam, aut magiſterium Præpoſitis monachorum in receptione diſcreta nouitiorum imitãdum proponit, ſed præceptum verbatim recitat regulæ Benedictinæ, præceptum optimi magiſtri arctiſſimæ vitæ, hoc eſt, monaſticæ conuerſationis. Quis igitur clarè non videt, Gregorium non alium hic agnoſcere monaſtices magiſtrum quam S. Benedictum; non aliam monachorum regulam quam D. Benedicti, non aliam Præpoſitorum in nouitijs formãdis idæam præcipuam, poſt ſcripturam ſanctam, præterquam regulam D. Benedicti? An quiſquam eſt omnium, qui nunc ſunt Auguſtinianorum, aut Baſilianorum, qui ita loqui vellet, vt in ipſa diſciplina religioſa, quam profiteretur, D. Benedictum magiſtrum ſuæ monaſtices optimum diceret non vero Auguſtinum, aut Baſilium? præſertim cum hi Epiſcopi eſſent, ille vero preſbyter duntaxat exiſteret? aut D. Gregorius putaretur rectè apud diſcipulos ſuos, fratres monaſterij ſui, cõſuluiſſe honori Nutritoris ſui Equitij, (ſi Equitius Benedictinus nõ fuerit) cum vitæ regularis magiſtrum optimum, alium ab Equitio laudaret? Eratne illi ignotus ante monachatum Benedictus, vt prius inciderit in Equitianum inſtitutum, quam potuerit agnouiſſe Benedictinum? Non poteſt hoc dici. Nam commentarios hos in libros regum ſcripſit proculdubio monachus adhuc inter fratres degens, & ad eoſdem (vt ſtatim videbimus) ſæpe ſermonem conuertens: at iamdiu ante monachatum D. Benedicti virtutes regulamque ab ipſius diſcipulis Conſtantino, & Simplicio, qui ante monachatũ Gregorij (iuxta Baronij & Gallonij computationem) obierant: Imprudentem igitur faciunt iſti magnum Gregorium, qui quam *regulam diſcretione præcipuam; ab optimo arctiſſimæ vitæ magiſtro; à ſummæ veritatis diſcipulo* conſcriptam priuſquam fuerat monachus, nouerat, non tamen, cum monachus factus eſt, amator ſummus diſcretionis, acceptauit. Sed pergamus adhuc in comparatione Præceptoris optimi, & diſcipuli verè magni.

S. Gregorius explicat nouitijs ſuis formã profeſſionis Benedictinæ.

Dicit paulo poſt locum citatum D. Gregorius.

„Audire vocem populi, eſt, quæ ſanctæ conuerſationis habitum petẽtes „exterius dicant, agnoſcere. Nam velut ſolam

Statuerat hoc idem antea Pater Benedictus in regula cap. eodem.

„Suſcipiendus autem in oratorio coram „omnibus promittat de ſtabilitate ſua, „& conuerſione morum ſuorum, & obedientiæ

„Iam accedentium vocem audimus, cum sci-„mus, quæ exterius asserunt: sed quales in-„ter sponsionis assentiones futuri sunt, non „videmus. Loqui ergo ea in auribus Domi-„ni debemus, vt ipse sponsionis verba susci„piat, qui dum verba audit, corda discutit: „& ex textu professionis vsuras exquirit ro-„busti operis. Hoc namque nouitiorum no-„strorum mentes audiant, & expauescant: „quia videlicet quod nobis dicunt, in auri-„bus Domini loquimur. Nam quod coram „nobis promittunt, Deo offerimus: vt ipse „iam de manibus nostris teneat, quod ex-„quirat. Quæ profecto libertas rectoris, est „obligatio subditi: quia tãto districtiori sen-„tentiæ subditur, quanto apertius scire po-„test, quia de eo quod respondet, omnipo-„tẽti Deo rationem reddere debet. Cũ ergo „ea, quæ nouitij promittunt, Deo offeri-„mus: quasi chirographum, quod nobis fa-„ciunt, illi damus.

„dientia, coram Deo & sanctis eius; vt si ali-„quando aliter fecerit, ab eo se damnandum „sciat, quem irridet. De qua promissione „sua faciat petitionem ad nomen sancto-„rum, quorum reliquiæ ibi sunt, & Abba-„tis præsentis. Quam petitionem manu sua „scribat, aut certè, si non scit literas, alter „ab eo rogatus scribat, & ille nouitius si-„gnum faciat, & manu sua eam super altare „ponat. *Et postea:* Illam tamen petitionem „eius, quam desuper altare Abbas tulit, non „recipiat (*monachus egredi volens ad sæculum*) „sed in monasterio reseruetur.

Conteximus in verbis Gregorij, quod antea ibi habebatur *ex textu professionis*: sine dubio enim mendum est, pro eo quod debuit esse, *ex textu professionis*, hoc est sponsionis quam facit nouitius ad stabilitatem recipiendus: neque enim professionis seu profectus textus recte dicitur, sed propriè textus de eo quod legi solet, vsurpatur. Nec ex profectu aut professione tam intelligenter accipimus, *Deum exigere robusti vsuram operis*; opus enim robustum non tam opponitur profectui, qui vtique opus aut certe conatum robusti operis includit, quam promissioni, sponsioni aut professioni, qua nos ad opera robusta astringimus; ab hac enim promissione aut professione, sicut in causis ciuilibus & vadimonijs fieri solet ab obligationibus & chirographis, intelligenter dicitur Deus vsuram operis promissi, sed neglecti & suo tẽpore non persoluti, exigere. Sed vt vt sit de verbo illo, quia in eo non est vis nostri argumenti: quis hic rursus non videt, D. Gregorium eos alloqui nouitios, qui eiusdem instituti essent competentes, cuius ipse erat professor? Hoc, inquit, *nouitiorum nostrorum mentes audiant*: quid est illud *nouitiorum nostrorum*, nisi eorum, qui sub eadem nobiscum regula Deo militare desiderant? Et quæ potest ab vllo arbitro, (qui sua secum non adferat præiudicia) quæ potest hic regula accipi alia, quam illa, cuius præceptum, ritum, & modum professionis, fere verbatim nouitijs ob oculos Gregorius proponit? Promat Gallonius locum aliquem ex regula Basilij, vel Augustini, qui ita ad amussim respondeat per omnia huic allegoriæ Gregorianæ, sicut respondet, locus ille regulæ S. Benedicti; Nam S. Equitij, nec regulam quidem vllam nec consuetudinem aut traditionem, præter ea quæ in dialogo posuit Gregorius, etiamsi omnes omnium bibliothecarum pluteos excutiant, poterunt inuenire. Nec ante regulam S. Benedicti facile poterunt ostendere textum professionis, siue petitionis à nouitio faciendæ, aut chirographum sponsionis: quæ hic ponit Gregorius; & ante Gregorium solus D. Benedictus. Promant authorem vllum; promant inquam ante regulam D. Benedicti vllum præceptum antiquorum monachorum de solemni professione emittenda coram tota congregatione, & suo etiam professuri chirographo signo roboranda, & ad altare Dei offerenda: Promant aliquid tale ex vlla alia regula; sed non possunt: hanc enim solemnitatem professionis à D. Benedicto introductam omnes fatentur; antea vsurpatam, nemo vllibi legit aut inuenit: quam tamen videt Lector hic à D. Gregorio expresse poni, atque adeo ex regula D. Benedicti; vnde rursus fit euidenti sequela ipsum fuisse Benedictinum. Quorsum enim D. Gregorius ita regulæ Benedictinæ leges suis proponit, & exponit nouitijs, si ille, & illi non fuerint Benedictini? Adhuc audiamus.

Et hinc euidenter colligitur Benedictinum fuisse Gregorium.

Subdit ibidem magnus Gregorius.

„SVperius propheta futura prospiciens „ait, Clamabitis ad Dominum, & non „exaudiet, quia petistis vobis regem. Nunc „vero

Eodem sensu, similibusque verbis loquitur S. P. Benedictus, cap. 27.

„OMni solicitudine curam gerat Abbas „circa delinquentes fratres: quia non „est opus sanis medicus, sed male habenti-„bus.

Explicat duo capita regulæ de solicitudine circa excommunicatos.

„vero dominus dicit: Audi vocem eorum, „& constitue super eos regem. Quid per „hoc nobis ostenditur, nisi, quod sępe bo-„nis rectoribus sanctæ ecclesiæ diuinitus in-„spiratur, vt cœlestis vitę studijs eos subdãt, „qui sub disciplina eiusdem professionis po-„stea deuoti non sunt? Qui profecto postea „à facie regis clamaturi sunt, & tamen diui-„no præcepto regem recipiunt: quia diuini-„tus inspirantur ad seruitutem Dei deuote „accedere, quos in augmento mercedis æ-„ternæ pastorum solicitudo magni laboris „sub eiusdem seruitutis vinculo debeat co-„hibere. Ad Dominum nempe clamare di-„cuntur à facie regis sui: sed quid à Domino „missus Propheta respondeat, ipsi reges au-„diant, vt quid agere debeant, inter ipsos „clamores sciant. Non inquit, exaudiet vos. „Ergo nec ipsi exaudire debent. Qui enim „in sanctis monasterijs sunt tepidi, meden-„di sunt quasi ægri: non sunt eijciendi, vt „mortui. Nam si à Domino missi sunt, inter „spiritualium vnguentorum foměta resipis-„cent. Dicat ergo Dominus, constitue super „eos regem: quia profecto nonnulli ad ser-„uitutem Dei veniunt deuoti, qui & refri-„gescere permittuntur: sed pastorum studio, „quorum se præcepto subdiderunt, diuina „inspiratione, ad amorem celœstis patriæ „recalescunt.

„bus. Et ideo vti debet omni modo vt sa-„piens medicus, immittere quasi occultos „consolatores senipetas, id est, seniores sa-„pientes fratres, qui quasi secreto consolen-„tur fratrem fluctuantem, & prouocent eũ „ad humilitatis satisfactionem. &c. Magno-„pere enim debet solicitudinem gerere Ab-„bas, & omni sagacitate & industria curare, „ne aliquam de ouibus sibi creditis per-„dat.

Et cap. 28.

„SI quis frater frequenter correptus pro „qualibet culpa, si etiam excommunica-„tus non se emendauerit, acrior ei accedat „correptio, id est, vt verberum vindicta in „eum procedat. Quod si nec ita se correxe-„rit, aut forte, quod absit, in superbiam ela-„tus, etiam defendere voluerit opera sua: „tunc Abbas faciat quod sapiens medicus: si „exhibuit fomenta, si vnguenta exhortatio-„num, si medicamina diuinarum scriptura-„rum, si ad vltimum vstionem excommuni-„cationis, vel plagas virgarum; & iam vide-„rit nihil suam præualere industriam: adhi-„beat etiam, quod maius est suam & om-„nium fratrum pro eo orationem, vt Domi-„nus, qui omnia potest, operetur salutem „circa infirmum fratrem.

Nemini ingenuo rerum æstimatori existimamus in dubium posse venire, vbi hæc vtraque perlegerit, & attente comparauerit: quin sua Gregorius ex Pręceptoris Benedicti sensis desumpserit, aut certe ad ea respexerit: & cum hæc coram monachis suis, & pro eis tractauerit, vt quid ipsi à Præpositis, quid Præpositi ab illis expectare debeant, explicuerit; ideo his sẽtentijs verbisque vti voluerit, quia apud eos tanto plus põderis habere iudicabat, quę & ex ipsorum regula forent deprompta, & diuinæ scripturæ documentis illustrata. Sed pergunt adhuc pari passu Pater & Filius.

D. Gregorius eodem cap. paulo infrà: de Samuele loquens.

„NAm sanctus vir tantæ erat districtio-„nis, vt statutas dies & horas haberet, „in quibus eum, qui cuperet, videre potuis-„set. Dicunt ergo, *Festina*; Ac si dicant, si sta-„tutum tempus transierit, in horis suæ quie-„tis, verbis aut actionibus non intendit. „Qui ergo remotę vitę ordinem sumpsimus, „hoc obseruare attentius debemus. Statuẽ-„dæ sunt nobis horę ministerij, vt breuiter „persistamus in opere, festinanter redire va-„leamus ad contemplationis arcẽ. Ipsæ au-„tẽ secreti silentij nostri moræ tanta lege di-„strictionis custodiendæ sunt: vt ipsi etiã, qui „accedere solent, sciant, quia contra pro-„positum nostrum ad nos accessum non ha-„beant.

S. Benedictus Reg. c. 8.

„OTiositas inimica est animæ: & ideo „certis temporibus occupari debent „fratres in labore manuum, certis iterum „horis in lectione diuina. *& cap.* 42. Omni „tempore silentio studere debent monachi: „maxime tamen nocturnis horis, *& cap.* 7. „Ergo quamuis de bonis & sanctis ad ædifi-„cationem colloquijs, perfectis discipulis, „propter taciturnitatis grauitatem rara lo-„quendi concedatur licentia, quia scriptum „est, in multiloquio non effugies peccatum. „*& cap.* 4. *in fine.* Quod si inuentus fuerit „quisquam hanc pręuaricari taciturnitatis „regulam, grauiori vindictæ subiaceat, ex-„cepto, si necessitas hospitum superuenerit, „aut forte Abbas alicui aliquid iusserit. „Quod tamen & ipsum cum summa graui-„tate & moderatione honestissime fiat.

Apparet

Apparet etiam in his locis D. Gregorium de consuetis monachorum, vt vocamus, recollectionibus, statutisque vicissitudinibus operum & orationum, siue operis manuum, & operis Dei, quod in officio diuino, & lectione, seu meditatione ac contemplatione consistit; illa regulæ nostræ capita verbis suis innuere, quę de hac temporum & agendorum vtili dispositione, silentijque districta custodia constituunt; & ita fratribus suis altissima sacræ scripturæ oracula interpretari, vt ea ad sanctam regularis vitæ obseruantiam accommodet, & hanc ex illis reddat magis venerabilem. Sed & Epistolæ, quas sanctissimus Pontifex summo studio, & solicitudine præcipua pro monachorum negotijs scribere dignatus est, omnes ita clarè eum testantur esse monachum Benedictinum, vt nihil possit esse clarius: inspiciamus eadem methodo comparationis duas ex illis.

Scribit ergo Doctor magnus lib. 9. Ep. 42. ad Vrbicum Abbatem.

„IDeoque volumus, vt Domitius presbyter, Abbas esse Lucusiani monasterij debeat, eique Præpositus Lucifer monachus sit, in cuius requiescere sollicitudo valeat. *Et post pauca*: Catellum monachum in Lucosiano monasterio Præpositum dilectio tua fieri voluerat: quod postquam fieri mandauimus, quia monachus non sit agnouimus. Ex parua enim eulogia, quam Bonus monachus accepit, partem petendo, contentionem facere in itinere minime timuit: quod ex quanta amaritudine cordis descenderit, potest tua dilectio scire, si regulam monachorum nosse voluisset. Ex discipulo autem tuo cognouimus, quia tu, qui Abbas diceris esse, adhuc esse monachus nescis. Et credo, quod non disparis mentis sit in hac diuisione Cellerarius etiam Lucifer, quem Præpositum fieri diximus: sed tollerabilius est antiquiorem fratrem, quam nouum, & puerum tollerare.

Scribit etiam Sanctissimus Patriarcha in Regula.

„CAp. 65. Abbas cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Præpositum: Qui tamen Præpositus illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint, nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens.

„Cap. 54. Nullatenus liceat monacho, nec à parentibus suis, nec à quoquam hominum, nec sibi inuicem, literas, aut eulogias, aut quælibet munuscula accipere aut dare, sine præcepto Abbatis sui, *&c.* Quod si missum fuerit, in Abbatis sit potestate cui illud iubeat dari: & non contristetur frater, cui forte directum fuerit, vt non detur occasio diabolo. Qui autem aliter præsumpserit disciplinæ regulari subiaceat.

„*Cap. 64. de Abbate loquens*: Pręcipue vt pręsentem regulã in omnibus conseruet, *&c.*

„Cap. 31. Cellerarius eligatur de congregatione sapiens, maturus, sobrius, *&c.* timens Deum, qui omni congregationi sit sicut Pater.

Ex hac certe comparatione cuiuis habenti oculos mentis apertos constat, & *regulam monachorum* in hoc cœnobio Lucusiano seruatam, regulamque illam esse ipsam, quam scripsit S. Benedictus, in qua caput 54. habet illam epigraphem. *Quod non debeat monachus literas, vel eulogias accipere sine iussu Abbatis*; Bonus autem hic monachus iuuenis, ex monasterio, quod ipse nouiter extruxerat, fuerat per Vrbicum Abbatem expulsus iussu Gregorij, vt Lucosiano monasterio Abbas praponeretur; & Catelius ibidem fieret sub eo Præpositus: qui tamen in itinere cum Bono de parte eulogiæ ausus fuit contendere. Hunc ergo primo iudicat Gregorius ipsum indignum munere Præpositi, atque adeo alium loco eius substituit, qui scilicet non auderet cum Abbate suo contendere; quod valde pronum erat de illo Catello, ex facto illo circa eulogiam, præsumere. In quo Gregorij iudicio vides respexisse manifeste ad caput 65 regulæ, in quo ordinat legislator monachorum, ne vllo modo fiat talis Præpositus, qui cum Abbate suo contendere præsumat. Deinde, nulla regula earum quæ extant, vocat ea munuscula, quæ monachis ab amicis transmittuntur, eulogias; nec vlla ita stricte de earum dispositione præcipit; & videt hic lector, *amaritudinem cordis* a Gregorio vocari, contentionem exortam circa eulogiam, id quod S. Benedictus dicit *contristationẽ, & ex ea occasionem diabolo datam.* Quis ergo non perspicit, vel ex hac sola *contristatione aut contentione circa eulogiam,* illud ipsum caput regulæ designari? præsertim, cum statim ipsum Abbatem increpet, non solum docẽs hoc facto Catellum *regulæ monachorum* præuaricatorem, & indignum Præpositi officio; verum etiam ipsum Abbatem, contra monitum D. Benedicti, in cap. 64. positũ, regulæ obseruantiam in discipulis suis non zelantem monachi nomen non mereri? Ilia præterea vocabula officiorum in monasterio, *Præpositi* sub Abbate, & *Cellerarij*, quem innuit hic saltem iuxta regulam esse virum grauem, & qui possit sicut Pater Congregationis

esse, ac proinde Præpositi munus implere (etsi suspicetur de eo Gregorius aliquid adhuc imperfectionis inesse;) indicant Gregorium de regula Benedictina loqui, cuius illa officiorum nomina sunt propria; præsertim, cum in electione Præpositi, insinuet lucidissimè se mentem & ordinationem regulæ Benedictinæ sequi. Cum igitur hic Vrbicus, Abbas fuerit vnius ex sex monasterijs, quæ Gregorius in Sicilia condiderat; & vt apparet ex alijs Epistolis, curam habuerit inspectionemque in reliqua, quorum vnum erat hoc Lucosianum: & in istis regula Benedictina fuerit seruata, eaque expressis verbis, per excellentiam Regula monachorum appelletur: quomodo non fit inde eandem regulam etiam in monasterio Romano, ab ipso Gregorio fuisse seruatam? Inspiciamus adhuc aliam Epistolam.

Scribit sanctus Doctor lib. 10. Ep. 22. Ioanni subdiacono Rauennæ.

Explicat caput 64. ad 65. de ordinando Abbate & Præposito.

„VEnientes monachi monasterij quondam Abbatis Claudij, petiuerunt sibi „Constantinum monachum Abbatem debere constitui: quos valde ego in sua petitione detestatus sum, quia mihi terrenæ mentis esse omnimodè apparuerunt „quia terrenum nimis hominem Abbatem „quæsiuerunt habere. Cognoui enim quod „idem Constantinus peculiaritati studeat: „quæ res maxime testatur eum cor monachi non habere, &c. *Deinde:* Cellerarium „quendam nomine Maurum petiuerunt, cuius vitæ atque industriæ multa testificantur: quia & quondam Abbas Claudius eum „quibusdam laudauit. Tua igitur experientia solicitè requirat: & si eius vita ad locum regiminis digna est, à Reuerendissimo fratre & Coepiscopo nostro Mariniano hunc „Abbatem ordinari faciat; Si vero est, quod „ei omnino obuiet, & ex sua congregatione inuenire aptum minime possunt, ipsi „sibi aliunde eligant, & is, quem elegerint, fiat. „Hoc autem prædicto fratri & coepiscopo „nostro omnino dicere stude, vt peculiaritatem à quatuor aut quinque monasterij „monachis, in quibus corrigi hactenus minime possunt, studiosissime compescat; & „hoc ipsum monasterium à tanta peste mundare festinet: quia si illic peculiaritas à monachis habetur, neque concordia, neque „charitas in congregatione eadem poterit „permanere. Quid est autem habitus monachi, nisi despectus mundi? Quomodo „igitur mundum despiciunt, qui in monasterio positi aurum quærunt? Igitur tua experientia ita faciat, vt neque loci ordinatio „differatur, neque ad nos vlterius hac de re „querela perueniat.

Scribit eisdem fere sententijs sanctissimus Patriarcha in regula.

„CAp. 64. In Abbatis ordinatione illa „semper consideretur ratio, vt hic constituatur, quem sibi omnis concors congregatio secundum timorem Dei, siue etiã „pars quamuis parua Congregationis saniori consilio elegerit. Vitæ autem merito, & „sapientiæ doctrina eligatur, qui ordinandus est, etiamsi vltimus fuerit in Congregatione. Quod si etiam omnis Congregatio vitijs suis, quod quidem absit, consentientem personã pari consilio elegerit, „&c. Prohibeant prauorũ cõsensum, & domui Dei dignum constituant dispensatorẽ.

„*Cap. 33. Si quid debeant monachi proprium habere.* Præcipue hoc vitium amputetur de monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere, sine iussione Abbatis, neque aliquid habere proprium; nullam omnino rem, neque codicem, neque „tabulas, neque graphium, sed nihil omnino: „quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate. Omnia vero necessaria à Patre monasterij sperare, nec quicquã liceat habere, quod Abbas nõ dederit aut permiserit; õniaque sint „omnibus cõmunia, vt scriptũ est, nec quisquã suum esse aliquid dicat aut præsumat. „Quod si quisquã hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel & iterim, & si non emẽdauerit correptioni subiaceat. Et *cap.* 55 Lecti frequenter „ab Abbate scrutandi sunt, propter opus peculiare ne inueniatur. Et si cui inuentum „fuerit, quod ab Abbate non acceperit, grauissimæ disciplinæ subiaceat. Et vt hoc vitiũ peculiaritatis radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia quæ sunt necessaria, „id est, cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphiũ, acus, mappula, tabulæ: vt õnis auferatur necessitatis excusatio.

Atque manifestum ex hac epistola, & comparatione collaterali arbitramur fieri, hæc ipsa regulæ Benedictinę instituta à D. Gregorio quasi digito monstrari. Primo cauet, vt fratres liberrimam celebrent Abbatis sui electionem. Deinde electionem Abbatis, qui posset vitijs eorum fauere, improbauit; tum peculiaritatis, siue proprietatis vitium grauissimis verbis iubet in quibusdam monachis compesci, corrigi, mundari, pestem eam appellans: quam S. Benedictus

Benedictus *nequißimum vitium, præcipuè, & radicitus amputandum*, & *grauißima disciplina* castigandum appellat. Est autem subtiliter considerandum, quamuis semper auaritia, aut lucri cupido fuerit monachis interdicta: tamen aliqua habere sibi peculiaria, etiam sine licentia Abbatum suorum veteribus monachis licuisse: vnde eos, & ex liberali conuersione siue repartione laudatos legimus: vt constat in facto illius monachi, qui cum consideraret dictum, *omnia quæ habes vende, & da pauperibus*, codicem quem habuit Euangelij vendidit, distribuitque pretium, dicens, & ipsum codicem quo iubebatur omnia vendere, se vendidisse, pauperibusque erogasse. Laudatum factum ab omnibus: sed quod post D. Benedicti tempora, iam sine Abbatis licentia fieri non potuit absque vituperio. Primus enim D. Benedictus paupertatis hanc exactam præcepit obseruantiam, vt nihil monachus, dare, accipere, aut retinere posset, nihil omnino, quantumuis minimum, sine iussione, aut permissione Abbatis sui. Quare Goffridus Vindocinensis Abbas doctissimus & grauissimus, in concione de D. Benedicto: ea ratione excusat à præuaricatione instituti monastici Sanctum Romanum, quod sine Patris sui Adeodati licentia Benedictum pauisset: quod scilicet nondum accurata illa omnimodæ paupertatis & obedientiæ in minimis æquè, ac maximis seruandæ, fuerit monachis præcepta; sed eam primus Benedictus Pater noster à Deo edoctus præscripserit. Et reuera, si quis diligenter regulam perpenderit, post pensum officij diuini, inueniet nihil magis solicite in ea mandari, quam paupertatis, obedientiæque custodiam: vt vnio quidem cum Deo per charitatis deuotionem statuatur à D. Benedicto quasi anima sui instituti, & duæ veluti potentiæ illius sint obedientia loco intellectus, & paupertas loco voluntatis; omnia vero alia sint quasi corporales tantummodo exercitationes. Et hanc nudæ paupertatis summum rigorem, non obscurè innuit Gregorius ipse suis monasterijs (quippe Benedictinis,) proprium, quasi in alijs quæ non erant eiusdem obseruantiæ non fuerit vsitata. Etenim lib. 4. dial. c. 55. Cum Iustum monachum de tribus solidis inter medicamenta reconditis ad se delatum à fratribus narrasset, ait: *Tantum malum de fratre, qui nobiscum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valui: quippe quia eiusdem mei monasterij semper regula fuerat, vt cuncti fratres ita communiter viuerent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret*. Quid potest esse clarius hoc loco Gregorij? sunt ipsa ferè verba regulæ Benedictinæ supra posita: eam regulam sui monasterij semper fuisse dicit; & cum hoc dicit, eo ipso dicit alijs monasterijs alterius regulę, vel alterius moris siue habitus, illam exactissimæ abrenunciationis & paupertatis, & omnimodæ communitatis normam non fuisse consuetam: si enim etiam in alijs omnibus monasterijs tanta districtione fuisset hoc custoditum; non hoc de suo monasterio tanquam peculiare quid Gregorius admonuisset.

Quando igitur D. Gregorius nemini sanctorum monachorum tantum deferat, quantum sancto Benedicto: nullius regulam commendet monachis, quorum gratia scribit, nisi Benedictinianę: illum disertis verbis appellet monasticæ siue arctissimæ vitæ magistrum optimum, cuius se vitæ fatetur discipulum: istam affirmet esse discretione præcipuam, & continere totius vitæ spiritualis, quam in seipso Benedictus expresserat, *magisterium*; nouitios suos, aut ordinis sui monachos instruēs, ex regula S. Benedicti instructionis capitula auctoritatēq; depromat; se etiam inter *remotioris vitæ professores*, illius dispositionis regularis, quę in regula habetur, exactum dicit esse debere obseruatorem; Regulā denique per totum occidentem, (vt iam antea vidimus,) promulgauerit; eamque discipulis suis in Angliam proficiscentibus, (hanc enim fuisse communem Angliæ traditionem ante octingentos annos ex Aimoino superius probauimus:) præcipuo zelo commendauerit: Profecto non potest nisi proteruè & irrationabiliter negari, ipsum fuisse professione & ordine Benedictinum. Quod si ille eius ordinis professor extitit, eiusdem etiam professores fuisse Augustinū monasterij eius Romani Præpositum, sociosque eius Anglorum Apostolos, pari certitudine affirmare necessariū est.

Sicut autem verba Gregorij in operibus eius posita omnem fidem merentur, quæ sane arbitramur à nobis satis clara, sat multis è locis producta fuisse; saltem longe clariora, indubitatiora, minus violenter exposita, quam quæ ab aduersariæ sententiæ fautoribus sunt prolata: ita etiam verba priuilegiorum, quæ ab illo sunt monasterijs concessa parem fidem apud omnes inuenire debeat. Vt ergo omittamus priuilegium insigne S. Medardi cœnobio concessum, in quo præd. cessoris sui S. Ioannis Papæ priuilegium de regulæ Benedictinæ obseruantia sancienda conseruauit. Reuerendissimus Abbas Caetanus insigne priuilegium autographum & originale ex monumentis Casinensibus protulit, cuius hoc est exordium: Gre- Priuilegium Gregorij datū S Bonito Abbati Casinensi.
„gorius Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto in Christo filio Bonito, Abbati Venerabi-
„lis monasterij B Baptistę Ioannis siti in castro Casini, eiusque successoribus regulariter sub-
„stituendis, in perpetuum. Quando ad ea, quę Catholicorum corda pontificalibus sunt
„monitis promouenda, ita ardenti desiderio diuina præueniente gratia suggeruntur, vt ab

„eis vltrò poſcantur: tanto alacri & lęto ſunt animo concedenda, quanto & ea ipſa, quæ cupiunt, ſi nollent facere, peti debuerunt. Proinde iuxta veſtram petitionem, pro amore, „quem in communi Patre & magiſtro noſtro Benedicto, & in diſcipulis eius ſpecialem, & „ſingularem gerimus, monaſterio Caſinenſi quod nuper ſub deceſſore noſtro Pelagio à „Longobardis incenſum eſt, cui tu præeſſe cognoſceris, huiuſmodi priuilegium præſentis „auctoritatis noſtræ decreto indulgemus, concedimus, atque firmamus; ſtatuentes: & cætera quæ ſequuntur, prædia bonaque monaſterij Caſinenſis ampliſſima confirmatione eidem ſtabilientia. *Communem Patrem magiſtrumque*, S. Benedictum appellat; filium proinde, ac diſcipulum ſe eiuſdem facit. Nec poſſunt aduerſam tuentes opinionem quicquam contrà tam apertum teſtimonium obijcere, quod non poſſit pari cum probabilitate à nouatoribus & ſectarijs obijci contra teſtatiſſima antiquitatum monumenta, quæ Baronius alijque doctores catholici ſumma cum diligentia & vtilitate Eccleſiæ pro eiuſdem iuribus & defenſione paſſim producunt. Nihil enim poteſt aliud dici, quam non eſſe authenticum priuilegium, ſed confictum: ratio autem cur hoc dicatur, nulla poteſt afferri vel probabilis: Nam & formula ipſa inſtrumenti eſt Gregoriana, vt conſtat ex tribus ſimilibus eodem planè exordio conſtantibus lib. 10. regiſtri. ep. 11. 13. 14. Et tempora optime quadrant: nempe annus 595. quo adhuc viuebat Bonitus, & ſedebat in cathedra Pontificali Gregorius; ſiquidem eo anno elapſo Auguſtinum cum ſocijs in Angliam deſtinauit; occaſio etiam, & cauſa pene fuit neceſſaria, nempe deſtructio Caſinenſis ædificij, quæ paulo antea (nempe ſecundum aliquos 583. ſecundum alios 589. contigerat: ne qui igitur tanquam monaſterij ædificio incenſo, & deiecto, etiã conuentum cautatem perijſſe, atque adeo poſſeſſiones ipſius inuaderent; erat eorum cupiditati obuiandum, & conuentus veritati talis priuilegij prouiſione conſulendum. Qui producit inſtrumentum in hac controuerſia, eſt vir grauis, & religioſus, in dignitate Abbatiali poſitus, in ipſa vrbe orbis quondam Domina, nunc etiam magiſtra, in conſpectu auguſtiſſimi Eccleſiæ Paſtoris & ſenatus degens: non omnino hebes, aut imperitus ſermone vel ſcientia, vt conſtat ex confutatione reuera validiſſima, & inexpugnabili, quam contra Gallonium edidit: Incredibile igitur virum talẽ producturum autographum inſtrumentum, quod poſſet, ſi confictum fuiſſet, facillimo negotio confutari. Imo eſt profecto inciuile eo feruoris procedere quempiam, pro defenſione ſententiæ, quæ ipſius aut Eccleſiæ, aut vllius publicæ priuatæue perſonæ nihil intereſt, eorum autem contra quos eſt, damno & iactura nõ modica propugnatur; vt crimen falſi imponat viros grauibus & religioſis quando pro ſe inſtrumenta, antiqua producunt; quod crimen vident ſe nullis argumentis probare poſſe. Quid enim? an non eſt impium confingere bullam aut priuilegium Apoſtolicæ authoritatis? An non igitur inciuile eſt, hanc impietatem alij imputare duntaxat quia alio modo inſtrumentum non poteſt ex circumſtantijs conuincere? Certe ſi hic modus refutandi, & cauillationes congerendi contra monumenta vetera laudari debeat: quid poterit à cauillis tutum eſſe? Quid poteſt adferri tam vndique munitum, quod non poſſit à cauillatore ingenioſo in dubium reuocari? Atque ita ſane Gallonius & qui cũ illo ſentiũt, quãcunq; cauſã obtinebunt, ſi non niſi veteribus inſtrumentis agi volunt cauſam, & nullis tamen inſtrumentis fidem volunt adhiberi, contra quæ illi aliquid poterint obijcere. Sed bene habet. Nos producimus multa inſtrumenta quæ tam ſunt clara vt negari non poſſit ex illis cauſam noſtram ſtabiliri, ſi non probentur eſſe ſuppoſititia: Illi contra nos nulla prorſus producunt vt Equitianum figmentum ſtabiliant: verba tantum Gregorij adducunt, vt mox videbimus, aut male intellecta, aut euidenter corrupta, aut quæ nihil tale dicunt, quale illi in eis putant ſe inueniſſe. Rationes verò fingunt adeo pſeudographas, adeo claudicantes, vt mirum certe videri debeat, poſſe quenquam illas adferre, cui *cor ſapit, & purus vegetat præcordia ſanguis*.

At enim vir doctus, Henricus Spondanus, in Epitome Annalium Barronianorum, ad marginem circa annum Domini, 581. vbi hac de controuerſia agebatur, hanc annotationem

Spondanus falſo gloriatur de Baronij ſententia Gallonio propugnata.

„appoſui curauit: Scias Lector, ea quæ illuſtriſsimus Baronius in annalibus habet de tempore „monachatus S. Gregorij, deque eiuſdem profeſsione ſub inſtituto S. Equitij, non autem S. „Benedicti, ac de alijs quęſtionibus eo pertinentibus, acriter impugnata fuiſſe à nonnullis „monachis ordinis S. Benedicti: ſed eadem validiſsime defenſa ab Antonio Gallonio Con„gregationis oratorij, apologia Romę edita, anno 1604. aduerſus Conſtantinum Belotum, „ipſo adhuc illuſtriſsimo Cardinale ſuperſtite, & approbante: Quia inquam hanc placuit illi adnotationem appingere; vt auctoritate magis pugnaret, quam ratione; & veritatem cauſæ noſtræ nobiliſsimi operis vmbra ſuffocaret, quod ſciret ab omnibus legi, qui reſponſa noſtra non curarent, quia noſtra ſolum, non etiam plurimorum intereſt hæc controuerſia; Oportet igitur nos quoque multiplicatis antapologijs oſtendere iſtos alioqui magnos viros,

reuera

reuera pertinaciter veritati demonstratæ repugnare;& præsertim adeo non validisime Gallonium defendisse Baronij in hac historia humanum lapsum, vt potius imperitia, audacia,& temeritate sua reuera hac in causa lapsum fuisse probauerit. Ostenderunt hoc integris disputationibus,vt initio diximus, Reuerẽdisimi Abbates nostri, Antonius Yepes, Constantinus Caetanus, Henricus Zypius; ostendit breui, sed facillima disputatiuncula, clarisimaque D. Matthæus Laurettus. Nos etiam conati sumus argumentum ab historia nostra Anglicana, quod est euidentisimum ita vndique suis munire subsidijs & circumstantijs, vt tam certum probauerimus Gregorium monachosque ab illo missos fuisse Benedictinos, quam Anglos à Gregorio discipulisque eius fuisse ad fidem conuersos.

Sed quoniam tanti facit Spondanus apologiam Gallonij,vt eam iudicet validissimam,cõtra quam nihil prorsus valuerint acerrimæ monachorum impugnationes: age ex illis monachorum scriptis breuiter ostendamus, adeo non validissimè scripsisse Gallonium, vt potius præuaricator infidus, quam fidelis propugnator Baronianæ sententiæ fuisse videatur: atque adeo Spondanum nunquam legisse Gallonij apologiam, & ea quæ Caetanus contra scripsit: nam si legisset, certe nunquam Gallonij apologiam laudasset. Apertè enim demonstrarunt, Caetanus,Zypius,Yepesius,& Lorettus monachi nostri,adeo multa errata,crassosque lapsus à Gallonio commissa fuisse, siue id inconsiderata contigerit incuria, quasi quidlibet contra Monachos scribenti sufficeret, siue spontanea & peruicaci acrisia, qua noluit intelligere, vt verum videret; vt certè clarissimum inde appareat, indigna prorsus esse argumenta & coniecturas leuissimas, propter quæ à veteri recepta sententia isti, magni alioqui viri, recesserint. Docebimus hoc ex prædictis Patribus nostris per epitomen.

Quatuor sunt, in quibus à Ioanne Diacono, qui trecentos post Gregorium annos scripsit dissentire sibi licitum putauit Baronius, qui septingentos annos post Diaconum sua promulgauit; oportuit ergo certe non leuis momenti rationes afferre huius dissensus à Diacono, etiam Cardinali,& laudato aliâs historiæ scriptore. Prima dissensio est in annis monachatus, quos Gregorio multos fuisse affirmat Diaconus,negat Baronius. Negationem probat, nẽpe quod valde pauxillum temporis permissus fuerit Gregorius monachum agere, abstractus à Pelagio Papa ad Cardinalis dignitatem. Probat hoc primum quia ante annum,581. qui erat quartus annus Pelagij in Pontificatu, non potuit Gregorius monachicum habitum gerere; eo enim anno ipse testatur se adhuc Præfecturam vrbanam gessisse; Etenim lib. 3. ep. 2. ad Constantium Episcopum Mediolanensem scribens, affirmat se inter alios senatores adhuc Vrbis Præfectum subscripsisse cautioni de fide catholica seruanda, quam prædecessor Constantij Laurentius, statim atque electus fuisset in Episcopum, ad sedem Apostolicam de more destinabat. Laurentium autem anno,581. factum Episcopum probat testimonio omnium qui res ecclesiæ Mediolanensis scripturę monumentis tradiderunt. Gregoriũ diu monachum fuisse.

Sed primo probat hoc Baronius nimis leui auctoritate duorum tantum recentium autorum, Galesinij & Onuphrij; ac proinde non omnium qui acta Mediolanensis ecclesiæ signarunt: notum enim est illud philosophi, omnia non dici de vno, aut duobus,sed *tria* (inquit) *sunt omnia.* Hi autem duo testes non producunt pro sua assertione instrumenta authentica, aut originalia, nec grauiorum ex vltima antiquitate scriptorum testimonia; sed suas tantum coniecturas; quas cum alijs in causis sæpius ipse Baronius reijciat; multò magis licebit nobis in hac causa reijcere, in qua id quod isti asserunt apertè contradicit Gregorio ipsi de seipso testanti, quod diu in monasterio conuersatus fuerit. Nam si non ante annum ,581. Laurentius fuit Episcopus, nec Gregorius monachus, sanè cum anno 590. factus fuerit Pontifex; & iuxta Baronij calculum anno 583 Cardinalis creatus Constantinopolim missus fuerit Apocrisarius, vix vnum annum potuit Gregorius in monasterio expendere. Atqui Gregorius ipse duobus in locis expresse affirmat se diu in monasterio conuersatum. Primus locus est lib. 4. „registri ep. 45. de Rauennatibus clericis loquens: Tandem(*inquit*)venerabilem virum fra„trem presbyterumque Marinianum, quem diu mecum didicere in monasterio conuersatũ, „communi concordantique voce atque consensu sæpius petiuerunt; *ac postea*: Et quia bene „nobis eius vita est cognita, atque in lucrandis animabus illum nouimus esse solicitum,nul„lam in ordinatione ipsius moram attulimus. Et *iterum*:Sed quia post longa quietis otia,eius „vt prædiximus (*de Mariniano intelligit*) nouitas proculdubio perturbatur, peto, vt cum ve„nerit tempestatum sæcularium procellas fugiens, semper apud vestram mentem portum „quietis inueniat. Hæc Gregorius de Mariniano proficiscente à monasterio ad Episcopatũ. Alter locus est 3. Dial. c.33. *Eleutherius*, inquit, *Pater monasterij B. Euangelistæ Marci, quod in Spoletanæ vrbis pomerijs situm est, diu mecum est in hac vrbe in meo monasterio conuersatus.* Ecce hos duos monachos asserit diu cum ipso in suo monasterio conuersatos fuisse: diu ergo & ipse

ipse in eodem monasterio versatus fuit; diu autem non potest dici de duobus aut tribus annis; quare euidens est plures annos monachatus illi tribuendos esse, quam tribuat Baronius; atque adeo falsum esse etiam calculum Galesinij & Onuphrij de anno Episcopatus Laurentij, quem propter auctoritatem Gregorij de seipso testantis, necesse est ante annum 581. diu fuisse Episcopum, & ante eundem annum Gregorium relicta præfectura vrbana factum fuisse monachum.

Gregoriū fuisse Abbatem sui Cœnobij.

Alterum in quo dissentit à Ioanne Baronius illud est, quod Gregorium existimet ille Abbatem sui monasterij fuisse, post Hilarionem & Maximianum, sub quibus monachum egit: Baronius verò id neget. *Primò* quidem ex fundamento iam diuerso, quod tam pauco tempore, quo ille monachus fuerit, duos Abbates habere non potuerit; *Secundò*, quia ipse dicit sibi suoque monasterio præfuisse, non Hilarionem, aut Maximianum, sed Valentium, vel Valentionem; *Tertiò*, ex ipsa serie Abbatum S. Andreæ, quos sic enumerat, vt primus fuerit Valério, seu Valentinus, deinde Maximianus, postea Prætiosus, exinde Probus, & hæc putat se testimonijs ipsius Gregorij probasse. Sed omnia hæc euanida sunt, & falsa. Primum enim ostendimus, Gregorium seipso teste diu fuisse monachum, vt propterea ex ea parte nihil prohibeat, quin plures potuerit Abbates post Valentionem habuisse. Deinde non asserit Diaconus Hilarionem & Maximianum fuisse Abbates, sed duntaxat sub Hilarionis primo, ac deinde Maximiani, venerabilium Patrum regimine, militasse; quod verum esse poterit, etsi Hilarion & Maximianus, non Abbates, sed aut Præpositi seu Priores, aut Magistri eius in nouitiatus duntaxat tyrocinio fuissent, sub vnico ipsius Abbate Valentione. Atque ita nihil valet prima probatio.

Secunda etiam minus habet virium: quamuis enim Gregorius dicat in locis à Baronio citatis, Valentionē sibi Abbatem præfuisse: nusquam tamen dicit, aut primum, aut solum fuisse suum suiue monasterij Abbatem: quod tamen debuit probare Baronius, vt ipsius ratio aliquid efficeret: nunc vero nec probauit, nec probare ex Gregorij verbis vllo modo potest: atque adeo fieri potuit vt alij præter Valentionem præfuerint Abbates Gregorio: & si alij, cur non isti quos nominat Ioannes Diaconus? Adhæc, putamus eum quem vocat Valentionem Gregorius, esse illum ipsum quem vocat Diaconus Hilarionem; aut quia binomius fuit, (imo trinomius, nam in historia monasterij quod Gregorij discipulus Augustinus Cantuariæ construxit Laurio etiam appellatur) vel quia forte mendum est apud Gregorium, dum pro Hilarione ponitur Valentio; aut apud Diaconum dum pro Valentione ponitur Hilarion. Et certe quem vocat Gregorius Valentionem, aliquæ editiones vocant Valentium, aliæ Valentinianum, & græca traductio Zachariæ pontificis constanter vocat Valentinum, vt quod horum nominum verius sit, difficile dictu sit etiam ipsi Baronio. Profecto verisimilimum est eundem vtrobique capi debere: neque enim credibile est Ioannem, qui tam exacte vitam D. Gregorij tū ex archiuis, tum ex ipsius Gregorij operibus collegit, non vidisse loca illa dialogi, in quibus Gregorius Valentionem suum vocauit Abbatem, aut non aduertisse, aut certo animi proposito siluisse. Cui enim bono? aut quo fine hoc faceret? Fuerunt igitur Hilarion & Maximianus Abbates S. Gregorij, quibus ipse tertio loco in Abbatis officio successit, prout vetus est (vti superius ostendimus) Anglicanæ ecclesiæ traditio, quæ in rebus gestis huius patris sui, fideli memoria conseruandis merito debet alijs quibuscumque præferri; Illud autem in hac sententia difficile est vt supra diximus quomodo Maximianus ante Gregorium Abbas fuerit, qui postquam Gregorius Cardinalis factus fuerit, imo cum Constantinopolim ad ipsum Gregorium inuisendum venerit, Abbas fuisse legatur? Sed hunc nodum tenentur dissoluere etiam ipsi aduersarij sententiæ nostræ Baronius & Gallonius: nam & ipsi postea, aut saltem Gallonius vtriusque nomine, fatentur Gregorium fuisse sui monasterij Abbatem, & quidem cum adhuc Cardinalis esset: quomodo ergo ipsi dicent fuisse Maximianū Abbatem, quando Gregorium inuisit Constantinopoli; & tamen ipsum Gregorium fuisse Abbatem antequam Constantinopolim iret, & postquam Constantinopoli rediisset; (vtrūque enim horum de Gregorio concedit Gallonius; & de Maximiano asserit ipsemet Gregorius, & fatetur Barronius tomo 8. anno, 594.) Eodem modo dicemus & nos potuisse Maximianum Abbatis officio præfuisse Gregorio primum, & deinde Gregorio locum cessisse, eoque tandem Constantinopolim misso, iterum regimen Abbatiale tenuisse: reuersoque inde iterum reddidisse. Cur enim non licet nobis id ipsum suspicari, factum fuisse propensissima voluntate & Maximiani, & fratrum, vt tandem Gregorium Fundatorem suum, Abbatem postulauerint? Necessario debet fateri Gallonius, si Gregorius post reditum à Constantinopoli monasterio suo, *summa præfectura præfuerit, nempe Abbatis* (sic loquitur Gallonius,) Maximianum, qui antea fuerat Abbas, Gregorio ad monasterium suum reuertenti locum Abbatis resignasse

resignasse: cur non & nobis idem licet dicere? Putamus autem hoc ideo dicendum; Primo quia verba Diaconi, potius videntur sonare Abbatialem dignitatem, cum dicit Gregorium sub Hilarionis primo, & deinde Maximiani venerabilium Patrum regimine militasse; regimen enim Patrum in monasteriis, vix potest intelligi aliud, quam regimen Abbatis: nam Præpositorum aut Priorum cura sub Abbate non solet vocari regimen; nec ipsi sunt Patres monachorum: at Maximianum Baronius loco citato Patrem Gregorij appellat: verba eius apponimus; Hoc *eodem anno* (nempe 594.) *Maximianus ille vir sanctißimus Abbas olim monasterij sancti Gregorij, ciusque Pater & educator in monastica disciplina, ac postea ab eo erectus* Episcopus *Syracusanus, ex hac luce migrauit.* Quæ certe nō tam propriè de magisterio Prioris aut institutoris in tyrocinio, quam de Abbatis dicuntur, qui vere monachorum suorum Pater, & educator dici debet; non autem Præpositus, vel inferiores monachi, qui iussu & nutu Abbatis omnia faciūt. Deinde quia traditio, vt diximus, Anglicanę ecclesię manifeste habet, Gregoriū post Valétionem, seu Laurionem & Maximianum Abbates, tertium Abbatem sui monasterij fuisse. Nec potest dici hanc traditionem à Ioanne Diacono haustam; tum quia hausissent idem nomen Hilarionis, quod tamen non fecerunt, cum Laurionem eum vocant, tum quia ipse Ioannes multa potius hausit ex traditione Ecclesiæ Anglicanæ, vt patet legenti prologum ipsius, vbi gesta Gregorij apud Saxones haberi memorat, ex quibus, & cap. 41. & tria sequentia libri sui secundi se desumpsisse fatetur. Si quibus autem non placuerit hæc nostra de Hilarionis Abbatiali magisterio sententia; non magnopere pugnabimus, modo dicat, quod etiam Baronium iam audiuimus confitentem, præter Valentinum Abbatem, habuisse Gregorium adhuc Maximianum Patrem & educatorem in monastica disciplina, quamuis ei Abbatis auctoritate non præfuerit: quod pari modo potest concedi de Hilarione (si alius fuit à Valentione) sicut Diaconus affirmauit; & debet etiam concedi, quia sic asseritur in lectionibus Breuiarij Romani, *Hilarione & Maximiano Magistris monachi vitam professus, postea Abbas fuit.* Etenim Ecclesia abstinuit consultò ab illa disputatione, an hi aut alij fuerint Abbates Gregorij, certam autem iudicauit Ioannis sententiam, qui eos Gregorij magistros, & in spirituali tyrocinio rectores affirmat, Abbatum autem nomine eos non insigniuit.

Tertia verò ratio quæ sumitur à serie Abbatum S. Andreæ, multis laborat vitijs. Primo assumit gratis, & sine vlla probatione Valentionem primum Abbatem S. Andreæ fuisse: at neque hoc dixit vnquam Gregorius, nec potest vllo augmento probari; si non fuerit idem Valentio, qui & Hilarion est Ioanni Diacono. Deinde si Gallonius verum dicit, Gregorium fuisse Abbatem ante profectionem Constantinopolitanam; & Maximianum quandiu Gregorius hærebat Constantinopoli; male profecto collocatur secundo loco post Valentionem, Abbas Maximianus; erit enim secundus Gregorius, & tertio loco Maximianus, deinde iterum quarto loco Gregorius. Atque ita quem tertio loco ponit Baronius, Pretiosus ad quintum locum reijci debuit; sed verius est, nec Pretiosum omnino fuisse Abbatem S. Andreæ, nec Probum fuisse Abbatem in Cliuo Scauri; Pretiosus siquidem à Gregorio non Abbas, sed Præpositus sui monasterij dicitur, l. 4. dialog. cap. 55. quem locum qui legit, sine dubio dicet à Baronio non fuisse inspectum: sed eum alienis oculis ea in re vsum fuisse. Apertissimè enim introducit Gregorius seipsum imperantem & perscribentem Pretioso Præposito suo, quid circa Iustum monachum proprietarium facere deberent fratres: quid postea circa ipsum iam defunctum, vt sacrificijs subleuaretur. Quæ si legisset Baronius, nunquam negasset Gregorium Abbatem fuisse: nunquam Pretiosum Abbatem fuisse affirmasset. Probus fuit quidem Abbas at non S. Andreæ & Luciæ (vt vult legi Baronius sine vllo instrumento quo talis lectio probetur) sed S. Andreæ & Luciæ, quod aliud est monasterium ab illo quod positum est in Cliuo Scauri, & vnum ex illis, quæ Gregorius in Sicilia construxerat. Aliud est etiam catalogi vitiū quod non omnes Abbates enumerauerit; prætermisit enim Petrum, Candidum, & Cyriacum quos omnes sui monasterij, & quidem Romani Abbates Gregorius vocat. Iam vero quam peruicacem hic se ostendit Gallonius, qui objicientibus nostris hæc catalogi Baroniani vitia, primo respondit, non pertinuisse ad Baronium, omnes Abbates illius cœnobij enumerare: sane non pertinuit, nisi ex eorum enumeratione argumentum validum definiri posse existimasset; at quis non videt, eum qui sic existimasset, debuisse omnes Abbates, de quibus quæstio fieri posset recensere? Deinde, cum sæpe alias concedat Gallonius Præpositi nomen apud Gregorium secundam ab Abbate curam, nempe Prioris significare; hic tamen vult Pretiosum Præpositum Abbatem vocari: At primo, si Præpositi vocabantur, aut vocari deberent Prælati S. Andreæ in Cliuo Scauri, cur omissus est Augustinus, qui Gregorio ipso teste fuit etiam monasterij illius Præpositus? Deinde nonne Grego-

Gregorius, quotiescunque de sui monasterij indubitato Prælato loquitur, eum Abbatem nominat? nonne Valentium, Maximianum, Petrum, Candidum, Cyriacum, expresse Abbates sui cœnobij vocat? nonne cum de monasterij sui secundario loquitur ipsum Præpositum nominat vt de Augustino probauimus? nonne ipso in loco, vbi Pretiosum vocat Præpositum sui monasterij apertè insinuat ex modo narrationis eum tunc non fuisse Abbatem? An non Zacharias hoc eodem loco Oeconomum pro Præposito vertit? Cur igitur hic voluit Gallonius proteruire, nisi quia miserum ipsi videbatur à veritate vinci? Fuit ergo Gregorius sui monasterij Abbas: fatetur hoc Gallonius, fatetur Photius, quem initio huius tractatus citauimus: fatetur ipse Gregorius, cui de se testanti par est Gallonium quoque assurgere, (vt ipse Gregorium inducens loquentē nos monuit): Dicit enim in constituto pro quiete monachorum: *Quam necessarium sit monachorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate tractare, anteacti nos officium quod in regimine monasterij exhibuimus informat*, Dicit de seipso in dialogo, lib.3.cap.33. *Cumque in dispositione monasterij mens occupata fuisset, obliuiscebar funditus ægritudinis meæ*: cuius autem est disponere de monasterio nisi Abbatis? Narrat in 4. dial. c. 55. quomodo seuerè castigauerit monachum proprietarium: quod vtique non fecisset, si Abbas non fuisset, monuisset forte Abbatem, vt is eum castigaret; at narrat monachi defectum ad se primo delatum à fratribus: deinde omnem modum pœnitentiæ impositæ monacho præfato à se fuisse præscriptum, & à Pretioso exequutioni mandatum. Quare euidens est Gregorium Abbatem sui cœnobij fuisse: & hoc vidit Gallonius; & confessus est, & monacho nostro hoc probanti cum fastidio respondit: Ergo (inquit) *antequam iret Constantinopolim*: (scilicet Abbas fuit Gregorius) *& quis hoc negat*? Tu rogas Galloni? nonne hoc negat Baronius cuius tu sententiam propugnas? cur non hoc etiam Baronij assertum defendisti? quia tam erat apertum, vt negari non potuerit: atque adeò hinc apparet, quam parum sit aut Baronio aut Gallonio credendum in hac causa: qui vt nouam sententiam semel arreptam defenderent tam multa fingere & refingere coguntur. Cæterum ex hac multitudine Abbatum in monasterio S. Gregorij, quæ ipso adhuc viuo fuit, Valentij, Maximiani, Petri, Candidi, Cyriaci, ipso etiam connumerato Gregorio, videmus quam imbelle sit illud argumentum Baronij contra Diaconum, quo putauit probasse fortiter, Laurionem & Maximianum non potuisse Abbates Gregorij esse, in breuissimo tempore monachatus ipsius: cum secundum Baronij calculum, si verus est, hi sex Abbates illi cœnobio intra spatium decem annorum præfuerint. Adeo nihil valent coniecturæ, quæ nec testimonio graui nec ratione valida fulciuntur.

Benedictus P. Gregorium creauit Cardinalem.

Tertia dissensio inter Baronium & Ioannem Diaconum existit de tempore quo Gregorius factus est Cardinalis: Diaconus enim eum creatum asserit à Benedicto Pontifice, Baronius à Pelagio. Putat enim tum solum factum Cardinalem Diaconum, cum mittendus esset Apocrisiarius ad Imperatorem Tiberium Constantinum. At quia non aliam adducit probationem, quam illa quæ iam confutauimus fundamenta de breuitate moræ, quam Gregorius traxerit in monasterio: iustius est Diaconi, & Cardinalis, & tempori Gregoriani sæculi propinquioris sententiæ accedere, præsertim cum par sit credere ipsum archiuis instrumentisque tunc integrioribus vsum, quæ postea, vt multa fortitan alia perierint, Roma tot incursionibus & expilationibus per tyrannos illatis vexata.

S. Gregorius diu fuit monachus.

Difficile profectò est, tempus ipsum præcise ostendere, quo aut monachus fuerit aut Abbas, aut Cardinalis, cum si à Ioannis Diaconi assertione discedendum sit, neminem alium antiquum authorem habeamus, quem sequi possimus; nec ex Gregorij verbis possit aliquid certi colligi; nec vllus eorum, qui res gestas illius persequuti sunt, notatū reliquerit, quo anno ætatis mortuus fuerit, vt vel inde aliquid possit coniectura quapiam probabili colligi. Sunt quidem qui valde multos annos ipsi in monachatu ante Pontificatum tribuunt: Vspergensis Abbas, antiquus proculdubio & grauis historiarum scriptor, anno 558. eum iam monachum induisse scribit: respiciens forsitan ad tempus Constantini, qui S. Benedicto in regimine Casinensis monasterij anno 543. succedens septemdecim annos impleuit, vt decimoquinto ipsius anno Gregorius habitum sumpserit: nam eidem Constantino familiarem fuisse, ex dialogo constat. Marianus Scotus etiam inter Chronologos author non inceleber anno 564. habitum religionis putat suscepisse, quod viderit nimirum Gregorium Simplicio Constantini successori cognitum fuisse. qui Simplicius anno 560. Abbas esse cœpit, vt quarto Abbatiæ eius anno Gregorius sæculo nuntiū remiserit; Atque ita viginti sex aut plures annos ante Pontificatum monachi vitam tenuerit. Sane tria sunt, quæ illi multos annos in monachatu necessario assignant. Primum quærela illa in prologo dialogorum, & in epistola ad S. Leandrum præfixa moralibus in Iob; de quiete dulcissima monasterij amissa, & reditu seu potius retractione ipsius à cœnobio ad sæculum; tantus enim sensus contemplationis,

suaui-

ſuauitatiſque cæleſtium rerum, non videtur tribus quatuorue annis quietis & conuerſationis monaſticæ tribui poſſe. Alterum eſt inſignis, & ad miraculum vſque ſpectabilis in diuinis ſcripturis, rebuſque ſpiritualibus cognitio, quàm ipſe fatetur magna ſe ex parte conferendo cum fratribus didiciſſe. Et multitudo eorum, quæ inter eos diſputans dictauit, vt apparet ex ep. 22. lib. 11. ad Subdiaconum Rauennatem; ſatis probat diu eum inter monachos commoratum fuiſſe: ſiquidem & Heptateuchum, hoc eſt 5. libros Moſis, cum Ioſue, & Iudicum libris, & libros Regum tractando explicuit. Verum quidem eſt Gregorium ante monachatum, virum ſanctum & doctiſſimum fuiſſe: ſed audiamus quid ipſe de conditione mentis ſuæ cum eſſet adhuc ſæcularis, teſtetur: Fatetur enim ſe inolita conſuetudine deuinctum fuiſſe, ne exteriorem mutaret, & necdum actu ſæcularem habitum contemneret, ad quod agendum cæleſti deſiderio erat afflatus: repugnantem denique animum cogiſſe eum, vt adhuc ſpecie tenus ſaltem mundo ſeruiret. At de animo ſuo iam monaſticis ſubdito diſciplinis, audi quàm ſublimia: *Infælix quippe animus meus occupationis ſuæ pulſatus vulnere, meminit qualis aliquando in monaſterio fuit, quomodo ei labentia cuncta ſubter erant, quantum rebus omnibus, quæ voluuntur, eminebat: quòd nulla niſi cæleſtia cogitare conſueuerat, quod etiam retentus corpore ipſa iam carnis clauſtra contemplatione tranſibat; quod mortem quoque quæ pene cunctis pœna eſt, videlicet vt ingreſſum vitæ & laboris ſui præmium amabat.* Laborem vero paucorum annorum in habitu monaſtico, cui præmium poſtularat affectus deuotus, nunquam vocaſſet D. Gregorius. Sed quid ſectamur coniecturas, cum habeamus ex ipſo Gregorio euidentem demonſtrationem? Narrat Sanctus Pontifex 4. dialog c. 46. in monaſterio ſuo S. Andreæ ex monachis, *qui ſecum in eo viuebant*, fuiſſe deuotiſſimum quendam nomine, Merulum, qui poſt piiſſima religionis exercitia, quibus inſigniter eum dicit invigilaſſe, in viſione per ſomnum vidit ſibi ſertum floridum cælitus capiti impoſitum, & poſt paucos dies defunctum fuiſſe: *Ad cuius* (inquit) *ſepulchrum, dum Petrus, qui nunc monaſterio meo præeſt, ſibi ſepulturam facere, poſt annos quatuordecim voluiſſet, tanta, vt aſſerit, de eodem ſepulchro fragrantia ſuauitatis emanabat, ac ſi illic florum omnium fuiſſent odoramenta congregata.* In his verbis Gregorij notemus primo conſuetudinem antiquiſſimam ordinis fuiſſe, vt ſemper haberetur vnum in eccleſia aut clauſtro ſepulchrum apertum, quo memoria mortis fratribus iugiter imprimeretur; & hoc plerumque ſibi aperiri faciebant ipſimet Prælati. Deinde notetur & illud, Petrum Abbatem adhuc vixiſſe, cum hæc ſcriberet Gregorius, ſcripſiſſe autem hæc Gregorium iuxta omnium conſenſum, anno 593. vel ad ſummum 594. tertio nimirum, aut quarto anno Pontificatus ſui. Non eſt autem probabile eo ipſo anno Petrum ſibi iuſſiſſe ſepulchrum fodi, ſed credibile valde eſt tunc iuſſiſſe, quùm primo Abbas eſſet factus, Maximiano nimirum per Gregorij iuſſum Syracuſanis Epiſcopo ordinato. At dicit Gregorius Merulum commonachum ſuum, iam ante quatuordecim annos fuiſſe defunctum, cum Petrus ſibi ſepulchrum faceret; ſiue, quod idem eſt, poſt quatuordecim annos à morte Meruli elapſos, ſepulchrum aperiri mandaſſe Petrum Abbatem: ergo iam ante quatuordecim annos, quam hæc ſcriberet Gregorius, monachus fuerit, quia cum Merulo in monaſterio vixiſſe ſe inſinuat. Vnde conuincitur ante annum 581. habitum geſtaſſe, quo anno ipſum adhuc Præfecturam geſſiſſe falſo putauit Baronius. Quod ſi Petrus non illo anno, ſed (vt probabile eſt, & fere certum) vno aut altero anno citius ſepulchrum ſibi fecerit, iam ante annum 580. fuit S. Gregorius monachus. Et cum aliquot annos debuerit in monachatu egiſſe Merulus, antequam ad eam veniret ſanctitatem, & moreretur (non enim ſtatim & monachus fuit, & ſanctus, & mortuus) præſertim cum teſtetur Ioannes Diaconus eum ex imitatione Gregorij ad tantam perfectionem pertigiſſe: profecto manifeſtum eſt hinc & indubium, Gregorium aliquot annos ante 580. habitum monachi in ſuo monaſterio geſtaſſe: atque ita prorſus ruit coniectura Baronij ab anno Epiſcopatus Laurentij Mediolanenſis deſumpta: fitque conſequenter valde deceptos fuiſſe Galeſinium & Panuinum, quorum ille in actis Mediolanenſibus conſignandis autoritatem ſecutus, Ioannem Diaconum, multò proximiorem temporibus illis, & acta puriora ſequentem, deſeruit. Euidẽs probatio.

Sed cum habeamus iam demonſtratione certiſſima probatum D. Gregorium monachum fuiſſe aliquot annos prius quam ponat Baronius: an tot illi dabimus, quod Vrſpergenſis, aut Marianus? Duo videntur obſtare; primum, Epiſcopatus Laurentij, quem etſi euidens non tamdiu retardandum, quam voluit Baronius; tamen videtur etiam non tantopere anticipandum, quam poſtulat ratio temporum, quam illi duo autores aſſignant. Alterum eſt, traditio Anglicanæ hiſtoriæ, quam ſuperius, cum de monaſterio Cantuarienſi S. Auguſtini ageretur, propoſuimus, nempe S. Gregorium anno 2. Pontificis Benedicti Romani monaſterij fundationem conſummaſſe; fuit is annus Chriſti 575. anno autem 578. fuiſſe iam ſui

 mona-

Quo anno factus fuerit monachus Gregorius, & Abbas

monasterij Abbatem; quamuis ergo potuerit Gregorius ante completum monasterij sui ædificium in Lateranensi monasterio habitum suscepisse, nihil enim video, quod huic obstet rei, si quis eam affirmaret; tamen probabilius est expectasse, donec cœnobium suum esset omni ex parte consummatum, habitumque eo ipso anno 575. sumpsisse. Ita enim omnia recte conueniunt, & Episcopatus Laurentij non ita improbabiliter ponitur inchoatus; & iam destructo per biennium fere monasterio suo Valentinus cum relicto sibi è strage Longobardica paruulo grege Romæ in monasterio Lateranensi commoratus, potuit ad monasterij illius regimen assumi, & conuentus ipsius, cum aliquot alijs fratribus Lateranensibus in nouum cœnobium transferri:si tamen non prius fuerit ille cum aliquibus fratribus ibidem collocatus, vt structuræ monasterij, & consummandis officinis monachalibus præesset, quod in omnibus fere monasterijs nouis fieri conspicimus. Est præterea non improbabile senem Valentium (quem nostri Lautionem, Ioannes Hilarionem vocat) non multo post primum annum Prælaturæ suæ defunctum fuisse, & Maximianum illi anno forsitan 577. in regimine successisse; Anno vero 578. postulatione fratrum, & voluntate propensissima suasuque ipsius Maximiani Gregorium suscepisse Abbatiale regimen, quod profecto videntur insinuare verba Diaconi, dicentis ipsum *cum subesse mallet, fratrum votiua concordia imminente* (hoc est instantius vrgente & impellente) *præesse ijsdem non renuisse*. Nec est quod quis Maximiani prædecessoris tam properam cessionem factam miretur, aut de ea subdubitet, proptereà quod eundem posteà videamus Abbatem cum Gregorius esset Constantinopoli Apocrisarius. Nam & Gallonius qui merito concedit ipsum Gregorium Abbatis iure præfuisse cœnobio, etiam cum Cardinalis esset, antequam proficisceretur Constantinopolim, & postquam inde reuersus ad monasterium suum redijsset, cum intermedio tempore Apocrisariatus Gregorius ipse dicat Maximianum fuisse Abbatem & patrem monasterij sui, & ad se inuisendum cum Gregorium aliquot fratribus ex dilectione charitatis Constantinopolim venisse; debet eodem modo concedere, Gregorium euntem Constantinopolim, reliquisse Maximianum suo loco Abbatem; & Maximianum redeunti Gregorio Abbatiale officium iterum resignasse. Idem ergo potuit antea fieri, & valde prudenter creditur factum, ob summam coniunctionem animorum, quam inter Gregorium & Maximianum ex Gregorio ipsius de eo elogiis apparet. Imo vero hoc prius factum fuisse necessario debent concedere Baronius & Gallonius, siquidem Baronius concedit expressè Maximianum fuisse aliquando Abbatem D. Gregorij; scribit enim ad annum Domini 594. *Hoc eodem anno Maximianus ille vir sanctissimus, Abbas olim monasterij sancti Gregorij, eiusque Pater & educator in monastica disciplina, ac postea ab ipso creatus Episcopus Syracusanus ex hac luce migrauit.* Etenim quamuis pater & educator esse potuerit Gregorij solum magisterio & consilio, tanquam Præpositus aut Prior, vel spiritualis tyrocinij ductor; vt hoc sufficeret ad verba Diaconi, Breuiarijque Romani veram sortirentur intelligentiam: non tamen adeo plenam & probabilē; cum esse Patrem & educatorem monachorum, Abbatis sit titulus proprius, non Præpositi aut Prioris, quem nunquam Patrem monasterij Gregorius, aut recte loquentes historici appellant. Et videntur proculdubio verba illa sub *Hilarione & Maximiano Magistris Monachi vitam professus*, hanc quam diximus sententiam postulare, neque enim profitentur monachi vitam religiosam sub Priore monasterij, sed sub Abbate, qui propriè est pater & educator monachorum, alij sub illo sunt pædagogi duntaxat, & quasi geruli alumnorum. Quare cum concedat Baronius Maximianum fuisse Abbatem S. Andreæ, & Patrem Gregorij, debet hoc fuisse, antequam Gregorius Abbas existeret aut Cardinalis: atque adeo debet idem concedere quod nos ponimus: Maximianum eodem modo Gregorio Abbatiale munus resignasse anno 578. quo postea eidem Constantinopoli reuerso fecit. Quare si in his longè probabilius scribat Ioannes Diaconus, quam qui eum tanto strepitu verborum, potius quam rationum pondere impugnarunt: cur ei etiã non credimus in tertio de Cardinalatu sub Benedicto Papa suscepto? quia ipsemet Diaconus videtur quasi locum huic correctioni dare (si tamen non fuit error in textu, aut lapsus memoriæ in ipso;) Dicit enim, se quamuis nihil posuerit, in vita recensenda, quod non possit veteribus membranis confirmari: *non magnopere tamen laborauiße, vt tempora temporibus conferret*; quare dabit nobis locum cogitandi, ipsum pro Pelagio Benedictum posuisse. Atque ita optimè concordantur inter se verba Diaconi, Breuiarij Romani, & traditionis Anglicanæ, & solum erit controuersia de quarto puncto, nempe de regula quam professus fuerit sub his Abbatibus Gregorius.

S. Gregorium nõ fuisse monachũ Equitianũ, aut Basilianum.

Quartum igitur in quo dissentiunt, est de specie ipsa monachatus, quem exercuerit Gregorius: Diacono affirmante, militasse eum sub regula Benedicti; Baronio sub regula Equitij; Gallonio vero sub regula D. Basilij. Hæc omnia cum ex ipso Gregorio prolatis de Benedi-

ctina

ctina eius professione testimonijs, sint manifeste refutata; nunc solum videamus quam multis tamen rationibus aut testimoniis fuerint à Baronio & Gallonio probata. Primò probant, quia eiusdem erat Gregorius regularis propositi, cuius erat Abbas ipsius Valentio, quia is ei primo præfuit, & eum in tyrocinio monastico educauit. At Valentio erat monachus, ex monasterio S. Equitij, in Valeria prouincia; Equitius autem iam pater erat monasteriorum, cum S. Benedictus nondum discipulos collegisset; Ac proinde nullo modo potuit Gregorius esse monachus Benedictinus, sed ex schola D. Equitij prodijt. Quam multa sunt in hoc vno argumento vitia! Primum incerta prorsus est propositio, & nullis fulta probationibus verisimilibus. Deinde falsa est assumptio, & eiusdem assumptionis prosyllogismus; tandem, si maximè vera esset assumptio, conclusio tamen inde nec probabiliter sequitur, quam Baronius putauit necessario inferri. Propositionem esse incertam patefiet cuiuis consideranti quod potuerit Abbas à Gregorio desumi, qui præesset monasterio suo, non solum de alterius regulæ cœnobio, verū etiam immediate de sæculo; sic enim ipse Probum, hominem sæcularem, & in laica adhuc conuersatione sæculo nondum exutum, nihil tale cogitantem, fecit cœnobij S. Andreæ & Luciæ Abbatem. Quomodo ergo falsa esset hæc propositio: *Eius regulæ fuerunt monachi illius cœnobij, cuius erat Probus, cum in Abbatem ei præficeretur*; fuissent enim tunc nullius regulæ, quia ipse sæcularis fuit: eodem modo propositio hæc Baronij falsa est: nempe Gregorium necessario eiusdem regulæ fuisse, cuius fuerat Abbas suus, antequam in Abbatem esset electus. Nonne hoc nostro sæculo videmus multa exempla, quæ propositionem illam euertunt? vnum produxisse sufficiat deuotissimi Patris Ludouici Barbij; is enim Reformator Congregationis Cassinensis, priusquam Abbas S. Iustinæ fieret, non monachus S. Iustinæ, sed Canonicus erat sæcularis.

Assumptionem autem falsam esse probabit ipse Gregorius, qui apertè dicit Valentionem antequam Abbas fieret S. Andreæ, suum monasterium rexisse in Valeria prouincia: 4. dial. 21. *Vitæ venerabilis Valentius* (inquit) *qui post in hac Romana vrbe mihi sicut nosti, meoque monasterio præfuit, prius in Valeria prouincia suum monasterium rexit.* Suum, inquit, *monasterium rexit*, ac proinde iura Abbatis ab alterius regimine absoluti, & independentis, alias non dixisset, monasterium suum rexisse, sed monasterium sub tali Abbate rexisse. Et hoc monasterium narratio ibidem consequens aperte distinguit à monasterio S. Equitij, cum in hoc monasterio Valentij Longobardi crudeliter sæuientes, quidlibet ausi fuerint, imo ipsum penitus (vt videtur) destruerint: & in monasterio S. Equitij sæuientes, eiusdem iam defuncti virtute sint à molestia monachis inferenda deterriti: *tamdiu* nimirum *à dæmone correpti: donec etiam illi qui foris erant cuncti id cognoscerent, quatenus locum sacrum temerare vlterius non auderent, sicque vir Sanctus dum discipulos defendit, etiam multis post remedium illuc fugientibus præstitit.* Ecce, Equitij monasterium describitur, non solum deinceps immune à vexatione Lōgobardorū, verum etiam perfugium & asylum multis illo se recipientibus: Valentij autem monachos aliquot suspendio necare permissi sunt iidem barbari. Quo igitur argumento docet Baronius Valentium desumptum fuisse ex monasterio S. Equitij, contra Gregorium, qui docet non ex Equitiano, sed ex suo ipsius Valentij monasterio desumptū? Imo non ait desumptum ex suo monasterio, quia iam desijt illud monasterium esse, cum Valentius Abbas S. Andreæ fieret, nec Gregorius à monasterio afflicto pastorem excellentem & necessarium abstrahere vllo modo voluisset: cum absque gregis desolati iniuria sibi aliunde satis commode prouidere potuisset. Solum asserit ipsū prius fuisse Abbatem monasterij sui in Valeria prouincia, deinde Abbatem S. Andreæ Romæ: sed immediate de monasterio Valeriæ prouinciæ ad suum Romanum euocatum fuisse, non dicit Gregorius, nec possunt probare, qui id asserunt. Præterea ponit Baronius, nullum celebre fuisse monasterium in Valeria prouincia, præter monasterium S. Equitij: ac proinde ex eo euocatum Valentium. Quasi Gregorius hac in re celebritatem monasterij spectasset, & non potius viri eminentem virtutem; qualem non infrequentius inuenimus in monasteriis minus celebribus quam in maximis & celeberrimis fulgere. Quomodo autem probant non fuisse aliud celebre in Valeria Prouincia, præter Equitianum? nunquid non celebre monasterium Sublacense, cui veteranus senex religionis gloria probatissimus, ipsi Gregorio familiaris præerat Honoratus? nam illud in Valeria prouincia fuisse, supra ex optimis authoribus, & quos pro se Gallonius citauerat, probasse diximus Caietanum nostrum. An non ipse Gregorius homil. 35. in Euang. meminit alterius monasterij Reatini (quæ vrbs est Valeriæ prouinciæ) cuius Abbatem Stephanū virum sanctum & virtute patientiæ singularem prædicat? Aut vspiam dicit Gregorius omnia Valeriæ proninciæ monasteria fuisse Equitana? Atqui hoc probare debuit Baronius,

debuit probare Gallonius, non id pro certo & explorato statuere. Monasterium certe Valētij apertè distinguit Gregorius à monasterio Equitij: quod si illud vnum fuisse de Equitianorū monasteriorū numero iudicasset, certe nō omisisset id eo in loco significare Gregorius: non dixisset id Valentij monasterium, sed Equitij fuisse; sicut cum monasteria à D. Benedicto cōstructa memorat, semper ea vocat monasteria viri Dei Benedicti, nunquam fere monasterium illius, qui immediatus illius Abbas esset; constat hoc in ipsa numeratione discipulorum D. Benedicti, à quibus eius vitam se didicisse profitetur. Frustra igitur recentiores hi scriptores assumunt tanquam certum, quod nullius veteris testimonij auctoritate, nec vlla probabili coniectura confirmare possunt. Rursus, quo argumento probant isti, Equitium iam patrem monasteriorum fuisse, priusquam S. Benedictus discipulos collegerit? Rem tantam, quæ tantum facit ad assertionis nouæ firmitatem non solum sine valida probatione affirmant, sed etiam contrà expressa ipsius D. Gregorij verba. Sic profecto est. Equitius iunior fuit D. Benedicto; ipse Gregorius D. Benedicto iuniorem clarissime insinuat: quoties enim de Equitio agit, producit testes non solum tunc temporis viuentes, Albinum Episcopum, & Fortunatum Abbatem, verum etiam eos dicit Equitio familiariter valde vsos fuisse; at sancti Benedicti discipulos, à quibus eius gesta didicit, iam omnes vita functos innuit, præter vnum Honoratum, quem valde senem & decrepitum, vtpote fere centenarium eo tempore fuisse historiæ nostræ produnt. Præterea ex Basilij magi historia, vnde sibi Gallonius cum Baronio accersebant suppetias, argumentum existit inuictum; D. Equitium diu post D. Benedicti mortem floruisse; quod non potuerunt aliter eneruare quam ipsum Gregorij contextum conuellendo, quanquam ne sic quidem eneruauerint. Basilium pseudomonachum magum, ex Amiterni Episcopi commendatione Equitius, in suum recepit monasterium: narrat Gregorius quomodo hic impostor, cum monasterium puellarum cœpisset turbare, ab Equitio ex fratrum societate fuerit eiectus. Quia igitur quendam Basilium etiam magum inuenerunt Baronius & Gallonius apud Cassiodorum, vna cum Prætextato item mago circa annum Domini 514. Theodorico regnante fuisse ad supplicium quæsitos, cum elapsi fuissent custodibus per eos dementatis: volunt hunc Basilium eum esse, quem Episcopus Amiternus Equitio commendauerat: ex quo sane recte consequens fieret, Equitium iam anno 514. floruisse, quo sanctus Benedictus nondum eremum petiisset. Sed euidens est ex verbis D. Gregorij, longe alium esse Basilium, quem à suo contubernio proiecit Equitius, ab illo Basilio, de quo agit Cassiodorus. Nam Gregorius nominat Episcopum Amiternum Castorium, qui Basilium ad Equitium adduxerat: at tempore, quo alter Basilius magia celebris fuit, non Castorium, sed Valentinum Episcopum Amiternæ ciuitatis asserit Baronius; atque adeo, quia vidit id argumento suo prorsus officere, contendit in textu Gregorij, lib. 1. dial. c. 4. *Ad virum reuerendissimum Castorium Amiternæ ciuitatis Episcopum pergens, petiit ab eo* (Basilius) *vt eum Equitio Abbati committeret*; graue mendum irrepsisse, & *Castorium* nomen proprium ibi repositum, loco appellatiui, *Castrorum*; vt ita locus esset coniectandi Episcopum illum, quem sic non nominasset Gregorius, fuisse Valentinum. At reuera hoc est textum ipsum corrumpere: nam & Surius tomo 2. ex antiquis membranis ita repræsentat hanc historiam, vt Episcopum illum Castorium nominet Gregorius; & exēplaria manuscripta Vaticanæ & Casinensis Bibliothecæ à Caietano nostro consulta sic habent: & quod corruptionis prioris indicium est manifestissimū, sic etiam olim legit Pontifex Zacharias, qui locum modo à nobis ex Gregorio descriptum ita græcè reddidit: Ὁ εἰς πρὸς τὸν εὐλαβέστατον ἄνδρα Καςόριον τὸν Ἀμιτερνίας τῆς πόλεως ἐπίσκοπον καταλαβὼν ἐδυσώπει ἵνα αὐτὸν Ἐκυτίῳ τῷ ἡγουμένῳ παράσχῃ. Nemo hic potest causari vitium typorum, aut scriptoris, sed si vitiū est, ipsius interpretis Zachariæ Pontificis Max. vitium fuit, qui *Castorium* manifestè posuit, vbi si *castra* legisset, ἀκρόπολιν, φρούριον, στρατόπεδον, aut quid simile, alia valde nomina à *Castorij* appellatione posuisset; vt illud taceamus, valde insolitam apud Latinos fore illam loquutionem, *Castrorum Amiternæ ciuitatis Episcopum*, neque enim Episcopus erat Castrorum, sed ciuitatis ipsius, dicique potius debuit, *Castrorum Amiternorum Episcopum*. Quare habemus, non Valentinum, qui sub Symmacho Papa & Theodorico rege, sed Castorium, qui diu postea Amiterni sedit hoc loco debere intelligi: atque adeo hunc Basilium, de quo agit Gregorius, alium esse ab illo Basilio, de quo Cassiodorus; Quod inde quoque probatur, quia Cassiodorus, duorum tantum de magici criminis accusatione impetitorum meminit; Basilij, & Prætextati: Gregorius vero complurium, inter quos primas tribuit Basilio: *Eo tempore quo malefici in hac sunt Romana vrbe deprehensi, Basilius, qui magicis operibus primus fuit, in monastico habitu Valeriam fugiens petijt*; Qui Cassiodoro memorantur, *mentis alienatione custodum elapsi* dicuntur:

dicuntur: hic à Gregorio nominatus Basilius *in habitu ficto monachi* aufugit; Illi apud Cassiodorũ edicto Theodorici regis *iubetur inquiri, & quinque-virali iudicio sisti*: iste de quo Gregorius non post *longum tempus in hac Romana vrbe exardescente zelo Christiani populi, igne crematus est.* Hinc igitur fit ex hac ipsa Basilij historia, quam recenset Gregorius, quam pro se attulerunt Baronius & Gallonius, euidenter ostendi Equitium non floruisse eo tempore, quo ipsi voluerunt, sed diu postea, quum tamen constet D. Benedictum eo ipso tempore floruisse. Quod autem post D. Benedicti obitum viguerit Equitius, & non ante ipsum facile ex alijs Gregorij locis, cum Caietano probamus: D. Gregorius dialogos suos scripsit anno 593. aut circiter, nempe nonaginta totos annos post tempus illud quo ponunt isti floruisse S. Equitium. At narrat Gregorius 1. dial. c. 4. Felicem Nursinum nobilem virum, (cuius filius Castorius Romæ, cum hæc scribebat Gregorius demorabatur) ausu familiaritatis ab Equitio petiisse, cur sacrum ordinem non habens, neque à Romano Pontifice prædicationis licentiam, prædicare præsumeret: oportuit hunc Fælicem, cui familiaritas cum Equitio peperit eum reprehendendi audaciam, virum proculdubio tunc ætate grauem ac maturum fuisse; cuius adhuc filius Castorius viuebat, sub Gregorio administrationem gerens, nec vt apparet, valde senex, neque enim ab ætatis maturitate à Gregorio notatur, vt solet, quando de senibus mentionem facit: Et tamen si Equitius ea ætate floruisset, quam Baronius ponit, oportuit hunc Castorium iam vltra centenarium senem fuisse, quod est omninò incredibile: ac proinde apparet Equitium familiarem Felici, non multò ante Pontificatum S. Gregorij obiisse. Hæc collatio clarior apparebit, ex alia narratione quam instituit D. Gregorius de S. Patre nostro Benedicto 2. dial. c. 8. *Sicut mos* (inquit) *est prauorum inuidere alterius virtutis bono, quod ipsi habere non appetunt; vicinæ Ecclesiæ presbyter, Florentius nomine, huius nostri Subdiaconi Florentij auus, antiqui hostis malitia percussus, sancti viri studiis cœpit æmulari, eius quoque conuersationi derogare, quosque etiam posset ab illius conuersatione compescere.* Accidit hæc historia inuidiæ, quam Florentius Senior contra D. Benedictum exercuit, circa annum 528. tunc enim eius simultati locũ dans D. Benedictus Pater, ad montem Casinum profectus est: à quo anno ad istum quo D. Gregorius scribebat 593. vel 594. sexaginta sex anni sunt elapsi, quos inter se partiti sunt Florentius iunior, & pater ipsius, à morte Florentij senioris, qui anno 528. ruina domus suæ oppressus fuit; Florentium autem iuniorem oportuit virum ætate grauem fuisse, cum hæc scripserat Gregorius, neque enim alij solebant tunc temporis ad Subdiaconatus in Ecclesia ipsa Romana Cardinalitiam dignitatem sublimari, nisi qui non solum moribus verum & annis essent maturi. Si igitur Florentius iunior cum patre sexaginta sex annos numerauerint à tẽpore quo florebat S. Benedictus: certe Castorius adhuc iuuenis, cũ hæc scribit Gregorius à tẽpore quo pater suus æqualis erat Equitio, non poterit vltrà viginti aut circiter ad summũ numerauisse, atque ita pari modo valde probabili comparatione, qualis in genealogiis hominum, gradibusque familiarium computandis solet interuenire, Equitius non nisi triginta minimum annis post D. Benedicti obitum celebris haberi potuit. Adhuc alia comparatione idem euadet manifestius: Iulianus defensor, qui sedis Apostolicæ mandato conuenit Equitium, cur sine Pontificis licentia prædicationis munus exerceret, septẽnium antequam dialogos meditaretur Gregorius decesserat è vita: hoc est anno circiter 587. fueratque, dum viueret, S. Gregorio valde familiaris: ita enim ipse scribit 4. dialog. cap. 30. *Iulianus namque huius Romanæ Ecclesiæ, cui Deo autore deseruio, secundus defensor, qui ante septem fere annos defunctus est, ad me adhuc in monasterio positum, crebrò veniebat, & mecum colloqui de animæ vtilitate consueuerat.* Quare cum hic idem Iulianus iam defensoris officium gerens, ac proinde in matura proculdubio ætate constitutus Equitium iubente Pontifice conuenerit, & idem S. Gregorio adhuc in monasterio degenti familiaris fuerit: profecto apparet eam conuentionem Equitij adhuc viuentis & florentis non multos annos ante Pontificatum Gregorij contigisse; cum D. Benedicti obitus iam quinquaginta annis eundem Pontificatum præcesserit. Idem argumentum suppeditabit etiam ætas Albini Episcopi Reatini, aliorumque plurium, quos adhuc superstites esse dixit Gregorius, cum dialogum scriberet, & Equitij acta inspexisse; maximè autem Fortunati Abbatis quem dicit Gregorius & Equitio, & sibi fuisse valde familiarem; & adhuc vixisse, & ad se crebrò ventitare innuit, cum Equitij res gestas consignaret, qui etiam narrauit ei miraculum quod ad sepulchrum S. Equitij in Longobardorum terrorem operatus est Deus; ex qua narratione constat Equitium paulo ante viginti annos, quam ea scriberet Gregorius, defunctum fuisse: nempe eo anno, quo Longobardi in prouinciam Valeriam irruerent, & omnia cædibus vastarent, qui erat annus 573. tunc enim innuit discipulos Equitij Patre suo orbatos, ad sepulchrum eius confugisse opem con-

tra Barbarorum vim implorantes & inuenientes; quod indicium eſt euidens eum paulo anteà duntaxat mortem oppetiiſſe, cum Fortunatus, qui eo perquam familiariter vti ſolebat, qui hiſtoriã illam Gregorio retulit, adhuc poſt viginti annos ab eo miraculo ædito viueret, & D. Gregorio (vt ipſius verbis id dicamus) *valde ætate, opere, & ſimpliciate placeret.*

S. Equitius fuit Benedictinus.

Quare hinc euidenter conſtat, D. Benedictum iam dudum abijſſe ad cœlum, cum D. Equitius inciperet celebri ſanctitate nominatus haberi: atque adeo non concedit hoc nobis *miſerationis ergo* Gallonius, ſed velit nolit debet ab eo concedi, niſi Gregorio audeat contradicere; vnde ſequitur Equitium, qui in prouincia Valeriæ ſua ædificaſſet & erexiſſet monaſteria, ſub regula S. Benedicti militaſſe, cum ſuis diſcipulis, quandoquidem vt ſuprà ex epiſtola Abbatis Fundenſis ad Simplicium Caſinenſem qui anno 560. cœpit Abbas eſſe, iamdiu ante illum annum 560. qui erat decimus ſeptimus vt minimum ante tranſitum D. Equitij, omnia pænè monaſteria Valeriæ prouinciæ, atque aliorum Italiæ regionum eidem regulæ ſe ſubmiſiſſent: diuerſas autem regulas, diuerſoſque monachorum ordines eo tempore fuiſſe, ſub quorum aliquo potuerit Equitius potius militaſſe, quã ſub Benedictino, tam celebri, itáque apud omnes alios monachos recepto, tunc demum credemus, cum Gallonius, aut alius aliquis pro illo illas regulas ſcriptas ex aliquibus veteribus membranis protulerit, aut idoneis argumentis probauerit, quod hacterus non præſtitit nec præſtabit vnquam: nam ſecundum Philoſophorum regulam, quod non eſt, non poteſt demonſtrari. Nos autem oſtẽdimus etiam magni Caſſiodori teſtimonio ante ſuſceptam D. Benedicti regulam, non vixiſſe monachos Occidentis ſub aliqua ſcripta norma peculiari, ſed traditionibus tantum & conſuetudinibus, quas vnuſquiſque Abbas magis probaſſet: eamque incertitudinem mutationibus obnoxiam, in cauſa fuiſſe, cur Benedictina regula ab omnibus fuerit recepta. Oſtendimus etiam antea, monachos omnes Italię, atque Occidentis habitos fuiſſe pro vno eodem ordine, nec magis conſtituiſſe tunc diuerſum ſpecie monachatum, quam clericos ſæculares diuerſum ſpecie Clericatum conſtituerint: atque adeo non fuiſſe ordinis diſtincti quantum ad monachatum ipſum D. Benedictum, ab alijs antiquioribus ipſo per Italiam monachis, ſed diſtinctionem eam ab ipſomet Patre noſtro originem ſumpſiſſe, dum abeuntibus in ipſius regularem inſtitutionem monachis Latinis, iam inciperent eo ipſo à Græcis diſtingui, qui Baſilianam regulam plærumque amplectebantur. Quare Ioannes Diaconus, (cui vtpote temporibus illis per ſeptingentos annos propinquiori, magis credendum eſt quam Gallonio contrarium ſine teſte & ratione, ſola pronunciandi quodlibet audacia aſſerenti) putauit ſe ſatis clare probaſſe, Gregorium fuiſſe Benedictini inſtituti, eo ipſo quod oſtenderit illum non fuiſſe Græci, hoc eſt Baſiliani inſtituti profeſſum; quaſi certum haberet, nullos fuiſſe alios monachos inſtituto diuerſos, à Benedictino per Italiam, quàm Græcos. Id autem probauit ex diuerſitate veſtium, quod argumentum adeo non diſſoluit Baronius, vt tergiuerſatione oſtenderit eſſe inſolubile: neque enim ex materia Baltei ſiue Cinguli Gregoriani coriacia argumentum ſumpſit Diaconus, vt Baronius ipſum voluit intelligere, ſed exilitate cinguli, quæ vnius pollicis menſuram nunquam excedit: cum Balthei quibus monachi Græci, vtebantur, multò latioris eſſent menſuræ, ſicut nunc videmus Auguſtinianos in Hiſpania cingulis vti quæ palmarem fere habeant latitudinem. Cum ergo hoc tempore Ioannis Diaconi obſeruaretur, vt monachorum Græcorum Balteus eſſet latior, Benedictinorum verò multo exilior & anguſtior? nec credibile eſſet alios tunc vtrumque genus monachorum Balteos geſtaſſe, quam Gregorij tempore ſoliti fuiſſent (quare enim mutarent, qui tenaciſſimi cęremoniarum ſuarum ab omnibus, etiam à Baronio, vt vidimus, iudicantur) profecto argumentum illud Diaconi manet inſolutum, & eſt reuera inſolubile. Similiter ex Græcę linguæ proprietate, quam ignoraſſe ſe fatetur Gregorius, ratiocinabatur Diaconus, Gregorium non fuiſſe monachum Græci ſchematis: cur enim homo Latinus inter græcos, Græcè officia ſua celebrantes ſeſe immiſceret, qui ipſe Græci idiomatis peritiam non haberet? Diaconus autem ideo voluit probare D. Gregorium non fuiſſe monachum græcæ regulæ, quia ea ætate, qua ipſe ſcribebat, monaſterium Gregorij à græcis habitabatur: ne quis igitur propterea Gregorium eorum monachatum geſſiſſe arbitraretur, his quæ diximus argumentis vſus eſt; pro certo habens, eo ipſo quo probauerit non fuiſſe Baſilianum, ſequi neceſſario Benedictinum fuiſſe. Et quia ea argumenta conuincunt D. Gregorium non exercuiſſe monaſticen ſub regula Baſiliana; conuincunt etiam Gallonium relicto Baronij iudicio de regula Equitij falſo & imperite exiſtimaſſe S. Equitium fuiſſe regulæ Baſilianę monachum: Quoniam vero qui ſemel aberrauit à via, non attingit ſcopum, donec in viam redeat, ſed quo magis laborat eundo eo longius exorbitat; hoc ſuum paradoxum confirmat alio abſurdiore. Ait enim in ciuitate Aquilæ vſque hodie perſeuerare monaſterium monialium ſub titulo & obſeruan-

Nec Equitius nec Gregorius fuere Baſiliani.

obseruantia D. Basilij, quod existimat illud ipsum esse, quod S. Gregorius sub cura S. Equitij fuisse commemorat. Atqui illud Aquilæ ciuitatis monasterium, quamuis in memoriam S. Basilij erectum fuerit, ab exordio tamen ipso fuisse Benedictinum, nec valde antiquam repetere originem, sed fundatum fuisse (vt ex ipso instrumento fundationis constat) à quibusdam fœminis religiosis tempore Ioannis 22. anno 1320. Iulij 5. octingentis circiter annis post tempora D. Equitij. Talis assertio, talis probatio, talis fides: Asserit audacter, probat vitiosissimè; quam ergo meretur fidem? & tamen hic est Gallonius cuius apollogiam validissimam esse vult Spondanus, præ qua nihil prorsus dixisse videantur monachi, qui nouam Baronij sententiam impugnarunt. Hinc etiam fit nullam esse argumenti Baronij consequentiã, cuius pręmissæ nullam prorsus habent verisimilitudinem, imo euidenter laborant falsitatis vitio. Nam alias probationes profectò solum adduxisse, confutasse est: vt illam; Valentium hoc aut illud miraculũ S. Equitij narrasse Gregorio: ergo fuisse monachum Equitianũ. Et illam; Valentius antequam Abbas esset S. Andreæ fuerat Abbas in Valeria Prouincia; ergo fuit Abbas monasterij Equitiani, quia nullum aliud fuit celebre cœnobium in illa regione. Quis non videt has esse indignas magno viro coniecturas? quasi omnes qui aliorum narrant miracula, sint eorũ discipuli; aut quasi qui Abbas sit in aliqua prouincia debeat necessario esse Abbas celeberrimi alicuius monasterij; hæc certe ipsa inspectione euanescunt.

Aliud argumentum Baronij est; si D. Gregorij monasterium ab ipso regulæ Benedictinæ artibus informatum fuisset, certe ex proxime positis Casinatibus monachis, qui tunc Lateranis versabantur Abbatẽ, qui hanc introduceret disciplinam, postulasset: At non postulauit, sed ex Valeria prouincia monasterio S. Equitii desumpsit. Non postulasse autem è Lateranensi „monasterio, probat his verbis: Sed neque est vt quis Valentium hunc, quem sibi pręfuisse „Abbatem fatetur iterum ipse Gregorius, illum existimet fuisse Valentinianum, secundum „numeratũ post sanctum Benedictum Abbatem, primum vero Lateranensis cœnobij: nam „cõstat diuersum fuisse monasterium sancti Andreę ab illo Lateranensi, vt ex diuersa etiã Ab„batũ serie intelligere potes. Lateranensi enim primũ Valentinianus Abbas, inde Simplicius, „& post eum præfuit Honoratus, vt idem Gregorius docet: in monasterio vero S. Andreæ, „primo (vt eiusdem Gregorij testificatione diximus) Valentius, siue Valentinus, inde Maxi„mianus, tertio loco Pretiosus, atque postea substitutus est Probus. Sed de his modo satis. Satis quidem & plusquam satis vir maxime: atque vtinam non omnino hanc controuersiam tetigisses, aut veriorbus saltem in describenda Abbatum serie vsus fuisses Amanuensibus, qui nunc te sublimibus vniuersalis Ecclesiæ gestis consignandis occupatum, supina prodiderunt oscitantia. Sed ad argumentum hoc respondeamus. Est quidem probabilis illa coniectura propositionis, si Benedictinus fuisset Abbas qui S. Andreæ cœnobio primo loco præfatus fuerit: ex Lateranensi monasterio fuisset desumptus, quod in eadem vrbe religionis gloria tunc florebat: neque enim solum in Valeria Prouincia *vigebant monastica instituta*, in monasterio S. Equitij; vt videtur obliquè Benedictinos perstringere Baronius; sed omnino in Lateranensi monasterio suum splendorem vigoremque retinebant; & si Baronij calculus verus est, longè verisimilius fuit magis viguisse hac laude Lateranense, quam Equitianum cœnobium, quia iuxta Baronij sententiam, fuit recentioris instituti; & solent omnia recentiora viridioris & feruentioris esse obseruantiæ. Est igitur illa probabilis coniectura, sed probabilis tantum; quia longe probabilius est iustissimas ob causas aliunde voluisse desumere Gregorium Abbatem cœnobio suo; & illam præcipue, quod cum multi conuentus monachorum in vrbem à barborum gladijs profugissent, & incommodo satis loco essent, aliquem numerum monachorum ex vno, vel pluribus conuentibus istis suo monasterio iam præparato intulerit. Nec propterea sequitur etiam istos non fuisse Benedictinos, quia non essent de conuentu Lateranensi: neque enim soli Casinenses ex ordine D. Benedicti in vrbem fugisse credendum est, sed omnes quotquot in periculo versabantur. Imo iam satis clarè est demonstratum omnes tunc Italiæ monachos fuisse Benedictinos, vt non potuerit tunc Gregorius alium monachum Latini ritus suo monasterio præficere, quam Benedictinum. Potuit præterea Gregorius etiam alium Abbatem & conuentum alterius regulæ à barbaris in exilium pulsos in suo cœnobio collocare, ea cõditione vt regulam S. Benedicti (quam ipsemet tanti fecit, vt eam præ omnibus alijs solam laudauerit, & in commentarijs suis etiam explicare ac illustrare dignatus fuerit) acceptarent, & secundum eam de nouo vnà cum ipso vitam informarent. Quare non est firma propositionis istius consequutio. Et multo infirmior est assumptio, quæ sub illa accipitur ad conclusionem inferendam, nec enim probatur vllo argumento, sed falsa & male collecta Abbatum Lateranensium serie De Abbatibus S. Andreę, quam male hic enumerentur, antea diximus. Et si maxime esset legitima series Abbatum Lateranensium,

Monachi S. Andreæ ex Lateranensi monasterio assumpti aut alio aliquo Benedictino.

teranensium, probaret quidem monasterium illud diuersum fuisse à monasterio S. Andreæ, quod nemo dubitat, non autem probaret diuersi instituti fuisse, quod nos negamus: nullo enim modo consequens est, vt quia diuersa fuerint cœnobia, diuersam etiam fuerint obseruantiam monasticam complexa.

Valentinum, & Valentianũ eundẽ esse: valde probabile.

Primum igitur non probat hæc series, nec ratio vlla hactenus allata, Valentium seu Valentinum, seu Valentionem, siue Valentinianum (omnibus enim his modis hoc nomẽ scribitur) qui fuit Abbas S. Andreæ, non fuisse illum ipsum, qui dicitur primus Abbas Lateranensis; Potuit enim hic Valentinianus, antequam Abbas Laterani fuisset, monasterium aliquod in Valeria Prouincia à S. Benedicto erectum gubernasse; indeque ad Lateranum venisse; & à Lateranensi præfectura ad S. Andreæ regimen assumptus fuisse. Tempus, & nomen conueniunt: &, si verus est calculus Baronij, quo statuit Gregorium adhuc anno 581. præfecturam gessisse, nec monachum induisse; cum multi existiment valde probabiliter circa annum 582. contigisse destructionem monasterij Casinensis, & conuentus ipsius aduentum in vrbem: suberat causa valde rationabilis & pia, cur Gregorius Valentinianum à Lateranensi transferret ad cœnobium Santandræanum, vt nimirum S. Bonito Abbati Casinensi Lateranum venienti locum faceret. Neque enim primum habitabant monachi Benedictini in Lateranensi monasterio, cum Casinensis grex eo confugisset: testatur enim D. Gregorius in dialogo lib. 2. c. 17. recentem fuisse Casini euersionem, quando libros illos conscripsit; & solet ille septennium pro recenti tempore habere, vt constat ex eo, quod cum Iulianum defensorem, lib 4. dial. c. 30. dixisset *ante septem fere annos defunctum fuisse*: in primo tamen lib. c 10. dicat, eũdem *ante non longum tempus in vrbe Roma defunctum fuisse*; Ex sententia autem valde verisimili nostrorum (vt diximus) octo aut paulò amplius anni effluxerunt, à destructione Casinensis Abbatiæ, quæ facta fuit anno 582. ad annum quo scribebat ista Gregorius. At de Valentiniano, cum hæc scribebat, proculdubio iam defuncto, ait: *qui annis multis Lateranensi monasterio præfuit*; quare si septem aut octo anni Gregorio sunt, *non multi anni*: certe multi anni, debent multo plures esse, atque ita inuenietur Lateranense cœnobium monachis habitatum antequam Casinenses eò aduenissent. Sed quia proculdubio fuit præcipuum ordinis in vrbe cœnobium, ideo maxima pars monachorum, in illud, vt maioris capax multitudinis præcipiente Pelagio Pontifice fuit recepta. Nihil igitur obstat, quo minus Valẽtinianus Abbas Lateranensis primus, adueniente ex Casini calamitate S. Bonito, factus fuerit à Gregorio primus Abbas sui monasterij. Quando autem eius auctoritatem adducit pro rebus gestis S. Benedicti, simul notat fuisse illum diu Abbatem Lateranensem, ibidem à D. Benedicto forsitan collocatum, vt ita constaret certam esse illius in rebus Benedicti Patris attestadis fidem. Cum vero narraturus esset id, quod duobus illis monachis in Valeria Prouincia contigisset, tunc vna aduertit Valentium fuisse illius cœnobij patrem, Abbatem scilicet, & forsitan etiam fundatorem, vt ita fide dignius appareret eius de re narrata testimonium.

Fuisse certo Benedictinum.

Sed demus *miserationis causa* (vt Gallonius loquebatur de nobis) ijs, qui contrariam nobis sustinent opinionem, demus Valentium S. Andreæ Abbatem diuersum esse à Valentiniano Lateranensi; quomodo inde sequitur eum non fuisse Benedictinum? an quia non fuit desumptus ex Lateranensi cœnobio, non potuit esse eiusdem instituti, cuius erant monachi Lateranenses? probet hanc impossibilitatem Gallonius; nos enim iam demonstrauimus, esse maxime consentaneum rationi, historijs, temporum circumstantijs, multitudini eorum cœnobiorum quæ ante annum 581. per vniuersum Occidentem regulæ Benedictinę se submisetant, etiam monasteria Equitij, & Valentij idem fecisse. Nec contra facit, quod vocetur Equitius Pater, siue rector, siue fundator multorum monasteriorum; aut Valentius dicatur rexisse suum cœnobium: neque enim subiectio ad regulam S. Benedicti, inferebat subiectionem ipsorum monasteriorum ipsi sancto Benedicto, aut monasterio Casinensi, aut vni præcipuo prælato ordinis Benedictini, talis enim subiectio longè posterior est temporibus Gregorianis, & primo omnium à Cluniacensibus in vsum redacta. Quomodo deinde sequitur, eundem Valentinum fuisse è Valeria Prouincia euocatum, & *non ex proxime positis Romæ Casinatibus* D. Benedicti monachis? non dicit primum Gregorius; non negat secundum: probare debent aduersarij primum & secundum, id est, affirmationem, & negationem, quia neutra sequitur ex positis principis. Primum enim videtur certissimum monasterium Valentij, quod rexit in Valeria Prouincia, circa annum Domini 573 in grauissima illa triginta sex ducum Longobardorum tyrannide fuisse euersum: & cum ab eo tempore (vt ex Gregorio constat) nunquam gladius illorum quieuisset, ipsum Valentium cum grege sibi reliquo Romam tanquam ad asylum perfugij causa habitatum venisse; nam nec Valentij sancti viri pietati gregem suum inter barbaros desolatum relinquere; nec Gregorij sanctitati,

Non euocatũ ex Valeria prouincia.

&

& moribus competebat eundem patrem, gregi suo tam necessarium, ab eo abstrahere, vt susupra diximus. Romæ igitur ipsum cum suo conuentu, incommodè proculdubio habitantem, si extra monasticum ædificium commorabatur; in suum cœnobium Gregorius transtulisse potuit. Præterea valde probabile est, & ferè certum, si omnia quæ hactenus diximus perpendantur, Valentium cum suis monachis relictis, numero vt par est credere, non valde multis, sese cum Lateranensibus monachis, eiusdem scilicet instituti, coniunxisse, & inde cũ aliquibus etiam qui ex Casino aduenerãt, eum in suum cœnobium Gregorium intulisse, vt cõmodius in vtroq; monasterio serui Dei eiusdẽ propositi regularibus exercitijs inuigilarẽt.

At quis non miretur Spondanum, & Gallonium, & alios eiusdem cum illis opinationis tam peruicaciter adhærere sententiæ, quam non aliter probarunt, nisi insignibus erratis tam in historia, quam in arte syllogistica commissis? Nam de serie Abbatum Lateranẽsium, quam aliquis indiligens proculdubio lector, Cardinali alia maiora curanti, suggessit: certe si non aduertunt nunc tandem crassam in ea oscitantiam, misera laborant acrisia; si aduertunt, & nolunt id fateri, miseriori laborant suarum opinionum φιλονεικίᾳ. Audiantur verba Gregorij 2. dial. c. 1. ex quibus illam seriem colligi posse putauit amanuensis: *Pauca quæ narro, quatuor discipulis illius referentibus agnoui, Constantino videlicet, reuerentißimo valde viro, qui ei in monasterij regimine successit; Valentiniano quoque qui annis multis Lateranensi monasterio præfuit; Simplicio, qui congregationem illius post eum tertius rexit; Honorato etiam, qui nunc adhuc cellæ eius, in qua prius conuersatus fuerat, præest.* Hic lector ille, quocumque Baronius vsus fuit, pronomen *illius* quod ad D. Benedictum nemo non videt referendum esse; ad Valentinianum in præcedenti commate memoratum retulit; vt ita Simplicium faceret successorem Valentiniani in Laterano, quem debuerat aduertisse successorem ibi locari Constantini in Casino; & maiori adhuc incuria Honoratum posuit tertium Abbatem Lateranensem, qui erat Sublacensis Abbas; illa enim est *cella, in qua prius versatus fuit S. Benedictus*, de quo Gregorium loqui certum est. Nam omnes historici nostri, veteresque membranæ docent, Abbates Casinenses, hoc ordine sibi inuicem successisse: Constantinum anno 543. Simplicium, 560. Vitalem 576. Bonitum 580. sub quo Casini cœnobio destructo, paucisque ibi custodiæ causa relectis, monachi fere omnes Romam ad Lateranense cœnobium properarunt: & hoc modo seriem Abbatum Casinensium, longe ante hanc exortam controuersiam, texuerunt authores bene antiqui Leo Casinensis in Chronico lib. 4 c. 2. Abbas Vrspergensis in Chronico: & Aimoinus de gestis Francorum lib. 3. c. 79. Paulus Diaconus de gestis Longobardorum lib. 4. Lateranensis autem monasterij primum Abbatem Valentinianum, cuius meminit S. Gregorius; secundum Gregorium, non magnum, sed alium eius nominis, cuius mentio habetur in scripturis antiquis, anno 600. tertium Theodorum, 608. qui Gregorio magno superuixit. Faustus etiam in vita S. Mauri aperte docet se cum comite suo Simplicio, longe post transitum S. Benedicti, & sepulto S. Mauro, hoc est post annum 583. in decrepita valde senectute Romam è Gallijs reuersum, ad Lateranense monasterium venisse, & Abbatem inuenisse Theodorum; qui tertius post sanctæ memoriẹ Valentinianum prolixiori tempore Lateranensis congregationem rexit monasterij, & ab eo compulsum, historiam S. Mauri conscripsisse. Quare sic sunt intelligenda Gregorij verba superius prolata: *Pauca quæ narro* (de gestis S. Benedicti) *quatuor discipulis illius* (nempe Benedicti Patris) *referentibus agnoui: Constantino videlicet reuerendißimo valde viro, qui ei* (D. Benedicto) *in monasterij regimine successit*; monasterij nempe Casinensis, nam in eo defunctus est B. Benedictus, & quia Abbatis officium in eo vsque ad vitæ finem gessit, peculiariter & propriè monasterium, & congregatio illius vocatur.) *Valentiniano quoque qui multis annis Lateranensi monasterio præfuit: Simplicio qui congregationem illius* (D. Benedicti, atque ideo Casinensem congregationem intelligit) *post eum* (Benedictum) *tertius rexit*; secundus enim est Constantinus; cui successit Simplicius, ideoque post D. Benedictum tertius; non omnino præfuit Lateranensi, sed tertius Congregationis Lateranensis post Valentinianum Abbas, vt iam ex Fausto diximus, qui sub eo viuebat, est Theodorus; secundus vero Gregorius.) *Honorato etiam, qui nunc adhuc* (in vltima ætate pene centenarius) *cellæ eius* (D. Benedicti) *in qua prius conuersatus fuerat* (Benedictus, nempe Sublacensi) *præest.* Quid enim: an non euidens est, hoc vltimum pronomen EIVS, clarissimè dici de D. Benedicto, qui prius in cella Sublacensi conuersatus fuit, tam adolescentulus Eremita, quam cum Abbas factus, vitam ibi aliquamdiu egit miraculis gloriosam, deinde verò in Casinensi? Nam vel ipse tenor verborum ostendit, non posse exponi de Valentiniano, quasi cella, cui præerat adhuc Honoratus, fuerit illa, in qua prius conuersatus fuerat Valentinianus; præsertim cum non nisi absurde eo loco, quo nominatur Benedictus ordinis fudator, eius congregatio à Gregorio posset vocari congregatio

Valen-

Valentiniani. Non ita absurdus narrator fuit Gregorius. Quare igitur ita violenter torquent ista pronomina? Quare alio modo pronomen relatiuum in præcedentibus commatibus isti voluerunt intelligere? Quia durum illis visum est à veritatis luce errorem suum tam manifeste detectum fuisse. Quid autem obtineret Gallonius, si hæc series ab ipso male intellecta, talis fuisset qualem ille eã intellexit, quod tantopere pro illa pugnat; nimirum, ita euertisset epistolam Abbatis Fundensis ad Simplicium Abbatem Casinensem scriptam; eamque imposturæ (placet enim Gallonio sic loqui) conuicisset, quod scripta fuerit ad Simplicium, quasi propheticè, qui nõ nisi post Gregorij monachatum, fuisset Abbas; & non Abbas Casinensis sed Lateranensis. At nihil agit Gallonius sic se torquendo: reuera etsi Simplicius aliquis concederetur Abbas Lateranensis tertius (quod iam ostendimus esse falsissimum) adhuc potuit esse alius Simplicius Abbas tertius Casinensis, ad quem Fundanus Abbas scripsisset. Et reuerâ nos iam ostendimus ex ipsa Fausti historia de vita B. Mauri, fuisse vnum Simplicium qui cum Fausto B. Maurum in Galliam proficiscentem comitatus, non fuerit inde reuersus nisi anno 583. post mortem D. Mauri annoso senio fractus; & alium qui Constantino successit in regimine Cœnobij Casinensis, ad annum Domini 560. à quo habuit multa Gregorius, ad quem scripsit Abbas Fundanus. Vt ita Gallonij vana oratio, vana ouatio ante victoriam, deridenda cordatis lectoribus proponatur.

Atque hæc tamen sunt Achillæa & Herculea tela, quibus ille sua validissima (vt Spondanus
reputat) apologia, monachos conquassauit. Apologiam vero imbellem, cuius quam multa
sint errata, quia nimis fuse examinata, non tam clarè inspiciuntur, sub vnico aspectu hic sub-
1. ijciemus. Fallitur ergo, & fallit Gallonius in eo quod apologiam pro Baronij sententia scri-
bens, duo præcipua fundamenta sententiæ illius falsa concedit; nam Baronius Gregoriũ par-
uissimo tempore monachum, nunquam Abbatem fecerat: Gallonius concedit fuisse Abba-
2. tem, atque adeo diu monachum. Baronius Gregorium regulæ S. Equitij subiecit; Gallonius
nullam ab Equitio regulam scriptam concedit, sed eum ipsum vult suos discipulos regulis Ba-
3. silianis informasse. Concedit etiam, licet iratus, errorem fuisse commissum in serie Abba-
tum S. Andreæ; & ridiculè excusat, quod Baronio non incubuerit prouincia catalogũ Ab-
batum texere. Cur igitur pro Baronio scribit apologiam, quem in tam multis deserit? Falli-
4. tur & labitur Gallonius apertissimè & pertinaciter, quod vtatur seriè Abbatum Lateranen-
sium tanquam vera: quæ & falsa est, contra veritatem historiæ, & violentiam infert ipsis Gre-
5. gorij verbis, vnde putabatur desumi. Fallitur Gallonius, quod vnum Simplicium tantum ag-
noscat discipulum S. Benedicti, cum manifeste Gregorius ponat Simplicium tertium Abba-
tem Casinensem, & Faustus alium Simplicium, qui nunquam fuerat Abbas vllius monaste-
6. rij, sed tantum indiuiduus comes peregrinationis S. Mauri. Fallit sciens & volens, cum Sim-
plicij verba ita peruertit, vt qui dixerat Benedictum regulam condidisse, ille maligna glossa
peruertat, & exponat abscondidisse; quasi Horatius non dixerit: *Condo & compono, quæ mox*
7. *depromere possim*. Fallitur Gallonius, cum monasterium Aquilæ monialium facit Equitianum,
quod octingentis annis post D. Equitium, sub regula D. Benedicti primordialiter est ædifi-
8. catum. Labitur in historia Gallonius, dum S. Equitium facit seniorem S. Benedicto, qui iam
obierat mortem, cum Equitius inciperet monachos colligere. Labitur mirabiliter in historia
9. Angliæ, dum Venerabilem Bedam negat Benedictinum, qui tamen discipulus fuit Ceolfridi,
successoris Benedicti Biscopij, qui in tantum fuit Benedictinus, vt librum scripserit quem
Concordiam regularum vocauit, quo in libro ostendit omnium aliarum regularum perfe-
ctionem & medullam in vna D. Benedicti regula inueniri. Quod cum non posset Gallonius
negare, noluit tamẽ agnoscere nisi per Ironiã, se scilicet non nescire quendam Benedictũ Ab-
batem talem librum scripsisse. Atqui Galloni, ille *quidam Benedictus* Abbas, est magister Be-
dæ, & magister Ceolfridi, sub quo secundo Abbate Beda Benedictinam regulam longæuus
10. Doctor & monachus seruauit. Labitur Gallonius & hallucinatur egregiè in historia Germa-
nica cum D. Bonifacium Germaniæ Apostolum asserere audet non fuisse Benedictinum mo-
nachũ quamdiu in Anglia vixisset: nos enim ostendimus ex ipsius comite & consanguineo
11. sancto Wilibaldo, ipsum à teneris sub regula S. Benedicti fuisse in Anglia educatum. Fallitur
& labitur in eadem historia dum Sturmi nepotẽ S. Bonifacij missum ab eo asserit Casinum,
vt ibi regulam Benedictinam, quam prius non didicerat, exerceret: at nos ostẽdimus & prius
aliquot annos diligenter Sturmi seruasse ipsã regulam & non ad solum Casinũ, sed ad cele-
briora Italiæ cœnobia ijsdem missũ, nõ vt ibi regulam addisceret sed vt ex singulis cœnobijs
12. optimas cæremonias, obseruantiasque secum reportaret. Fallitur insigniter Gallonius, & ex
suo errore audet iniuriose obijcere nouitatem Ioanni Diacono, quasi is primus omnium
Gregorium contenderit fuisse Benedictinum, cum ante Diaconum id expresse asseruerint

Aimonius Gallus, & tota ſchola Floriacenſis, & ex conſequentia neceſſaria, dum Apoſtolos Angliæ faciunt Benedictinos, omnes antiqui Anglorum ſcriptores Ioanne Diacono longe ſeniores, Ethelredus, & Ethelbaldus Reges in diplomatibus Abbatiæ Croylandenſis; Aldelmus, Eguinus, Wilfridus, Benedictus Biſcopius, Alcuinus, Beda, omnes ſanctiſſimi viri, doctiſſimi, & qui vel ipſos Apoſtolos noſtros viderunt, vel eos familiariter nouerunt, qui cum Apoſtolis noſtris etiam familiariter verſati ſunt. Imo Bonifacius à Gregorio Papa quartus id aſſeruit, tum in concilio Epiſcoporum, tum in peculiari ad Ethelbertum Regem, & Laurentium Archiepiſcopum Cantuariæ ſucceſſorem Auguſtini epiſtola. Non ergo Ioannes primus hoc contendit, ſed Gallonius poſt Baronium hoc negat, quod omnes ante Diaconum, vſque ad Baronium, excepto vno Iacobo Wimphelingo, (qui tamen palinodiam cecinit, conuictus à Paulo Langio) certiſſimum habuerunt, & penitus indubitatum. Fallit & ludit 13.
lectores ſuos Gallonius, qui initio ſuæ apologiæ paratragædiens, per hypocriſin Rhetoricam promittit ſe nihil aſſerturum, niſi quod optima ratione, & veterum irrefragabili auctoritate 14.
poſſit probare: & tamen nullas rationes protulit, quę non fuerint aſyllogiſtæ, adynamæ, & veri nominis pſeudographæ; nullam prorſus veterum auctoritatem rectè intellectam; qui omnia ſe ex Gregorio probaturũ pollicitus, in omnibus quæ ex Gregorio producit, hallucinatur. Fallitur Gallonius, cum Bedam aſſerit nullam, aut non valde honorabilem memoriam S. Benedicti facere: nos oſtendimus feciſſe glorioſiſſimã, & in eo ſe D. Benedicti filium 15.
agnouiſſe. Abſurde Gallonius Siculos tempore Gregorij Græcis annumerat, & Maximianum Abbatem S. Andreæ, Græculum facit: cum Gregorius diligenter ſe excuſet apud Siculos quoſdam, ipſi Græcorum imitationem exprobrantes, & conſtat aliunde Siculos iamdiu anteà Latinos per omnia factos Græcis & ritibus & literis nuncium remiſiſſe. Fallit ex profeſſo Gallonius lectorem ſuum, dum ea facit Gregorium loqui, quæ nuſquam ſcripſit: Gregorius dicit Equitium *pro magnitudine ſuæ ſanctitatis fuiſſe multorum monaſteriorum in Valeria prouincia patrem*: Gallonius, tanquam ab eo dictum citat, *Equitium, præcipuum omnium per Valeriam prouinciam Abbatem*, ſed vbi hoc Gregorius? Valentium Abbatem ſuum fuiſſe bis aut ter 16. 17.
dicit Gregorius: citat ex eo Gallonius, quaſi *& primum, & ſolum* ſuum Abbatẽ dixerit; quod 18.
nuſquam apud Gregorium reperietur. Valentium, *ſuum olim cœnobium in Valeria Prouincia rexiſſe*, dicit Gregorius: Equitij hoc monaſterium eſſe, teſtimonio Gregorij, quod nullibi inuenitur, aſſerit Gallonius. Pretioſum in 4. dial. cap. 55. *Præpoſitum ſui cœnobij* vocat Grego- 19.
rius, eique vt ſecundam in Abbatia curam gerenti præſcribit agenda: Gallonius *id in quæſtione poſitum* eſſe dicit, an Prior illius cœnobij vocari debuerit Præpoſitus. *Cellam* vocat ipſum 20.
Caſini cœnobium, & ſuum quoque S. Andreæ Gregorius: *Cellam* non niſi de minoribus cœ- 21.
nobijs, aut quaſi Prioratibus, tenuibuſue præpoſituris apud Gregorium vſurpari contendit Gallonius. Audet Gallonius dicere ſanctum Benedictum, dum viueret, regulam ſuam non 22.
ſeruaſſe, nec diſcipulis ſuis ſeruandam propoſuiſſe: Gregorius expreſſè aſſerit, non *potuiſſe eum aliter viuere quam ſcripſerit in regula*; aſſerit eum duodecim monaſteria prima *ſanctiſsimis legibus communiſſe*: quis dubitat quin regulæ ſuæ legibus? aſſerit prope vrbem Terracinenſem, monachos fuiſſe *regulæ S. Benedicti adhuc viuentis ſubiectos*. Et tamen vult videri Gallonius omnia ſua, quæ in hac cauſa pronunciat, ex Gregorio proferre. Quid mirum ſi Gregorio contradixerit tam ſæpe Gallonius, ſibipſi etiam ſæpe contradicit; ait *Præpoſitum* apud Grego- 23.
rium ſignificare ſecundam poſt Abbatem præfecturam: & verum eſt; negat id ſignificare nomen Præpoſiti apud Gregorium, & falſum eſt; Ait Simplicium immediate ſucceſſiſſe Valentiniano; alibi dicit non ab eo ſecundum, ſed tertium fuiſſe. Ait Honoratum Abbatem fuiſſe 24.
Lateranenſem, idque à Gregorio doceri; quod falſum eſt; Ait alibi, Honoratum fuiſſe Abba- 25.
tem Sublacenſem, & hoc ſignificari per *cellam in qua prius fuit conuerſatus* nimirum S. Benedictus, quod verum eſt. Sed quid opus eſt plures huius viri lapſus enumerare? Vnus illius præ- 26.
cipuus lapſus eſt, in quo maxime errauit, quod de rebus Anglicis audacter ſcribere auſus fuerit, qui nullam prorſus, in illis antiquum ſcriptorem Angliæ viderat; nec Bedam quidem ipſum ſatis accuratè legerat: qui de rebus monaſticis, & quæſtione regulæ voluerit litigare, in quibus nemo rectè ſcribit, qui non multiiuga lectione variarum hiſtoriarum monaſticarum pollens, maximè vero archiua monaſteriorum viderit.

Et hæc coegit nos aliquanto fortè acrius contra Gallonium dicere zelus ordinis, quem ipſe dum Gregorium conatur ei auferre, apoſtolatu priuat Angliæ & Germaniæ, quæ à diſcipulis Gregorij fuere conuerſę. Coegit nos iuſta defenſio; vocat nos impoſtores, impingit ſuſpicionem fraudis, quaſi falſos teſtes ſubornantibus non ſolum grauiſſimis viris monachis Caſinenſibus, contra quos ſcripſit, verum etiam ipſi Ioanni Diacono, cuius opus de vita Gregorij ita probauit Summus Pontifex Ioannes, vt ipſum iuſſerit in eccleſiaſtico officio legi; quin-

Excuſatio ſeuerioris confutationis.

quin & ipse Gregorius eidem scriptori vitæ in visione apparens honorauit. Insolenter insultat nobis, tanquam falsam traditionem sententię nostræ prætendentibus, cum tamen antiquos satis authores, & scripta bene vetusta protulerimus, contra quæ nihil ille regessit præter eloquentes nugas, & superbas aliquando contumelias. Vniuersum chorum doctorum, & illustrium virorum, qui ante ipsum scripserunt, qui æquè diligenter, magis intelligenter Gregorij scripta, sanctique Equitij gesta lectitarunt, & nunquam tamen de regula Equitiana somniarunt, nec alium Gregorio aut discipulis eius monachatum, quam Benedictinum tribuendum censuerunt, præ se vno contemnit; tanquam sola magni viri vmbra ipsi animos fecisset tantos, vt quod à se non fuisset lectum, à nemine, præsertim transalpino homine putet fuisse inuestigatum. Tam esse nos fungos aut truncos reputauit, tam peregrinos in patria nostra, tam hospites in negotijs ordinis nostri, vt de rebus patrię nostræ & ordinis nostri homines Galli, Germani, Angli, Hispani, ab illo doceri opus haberemus, qui neutrius esset peritus. Satis quidem euidenter eius errores conuicit Religiosissimus Abbas Caetanus: sed quia assertores huius nouitatis, tanquam terrigenæ Antæi, cum ceciderint in lucta, statim vt terram tetigerunt, si non vires pro victoria, pertinaciam tamen pro contentione resumant: & ad margines nobilissimorum operum, quæ ab omnibus legi sciunt, hanc suam falsissimam opinationem tanquam inuictam veritatem apponunt; vt error à pluribus credatur propter multitudinem affirmantium, non propter veracitatem testimoniorum: voluimus & nos eadem, quæ contra istos à prædictis patribus nostris sunt præclarè disputata, repetere, & coniecturis nostris, illustrare, imo non contemnendis, vt speramus, antiquitatum monumentis corroborare. Dabimusque operam, vt etiam in illustri scriptore, qui æquè ab omnibus legatur, compareat veritatis nostræ iusta defensio: vt omnibus appareat hos æmulos monachatus Benedictini, non alijs telis, quam locis Gregorij maximi Patris nostri male intellectis, coniecturisque leuiter fundatis; rationibus vero nullis, nullis veterum aut scriptorum, aut scripturarum testimonijs sententiam suam firmasse, aut nostram impugnauisse.

Salua semper Baronio debita reuerentia.

Cæterum Baronij maximi & gloriosissimi ecclesiæ Pugilis manes sanctos deprecamur, vt ignoscat nobis vermiculis, si in causa nostra, necessariaque honoris defensione ab eius auctoritate discedere ausi sumus, aliquosque lapsus notare in controuersia hac monastica commissos, non tam ab ipso quam ab alijs, quorum opera in minoribus rebus annotandis, hic saltem, vsus videtur. Non id fecimus, quo maculam eius gloriæ aspergeremus: veritas enim defensa neminem maculat, minime omnium illum immortalem veritatis propugnatorem, qui & multa per se posterioribus annis in prioribus operibus vnius veritatis amore mutauit; & in multis magnisque rebus à quouis veritatis amatore etiam doceri se libenter & grataanter patiebatur. Quin existimamus proculdubio, si illi vacasset à grauioribus rebus nostrorum defensiones examinare etiam suam illam sententiam retractaturum fuisse. Adorantes igitur quodammodo diuinam in ipsius annalibus ecclesiasticorum gestorum sinceritatem & maiestatem, & φιλαλήθειαν incomparabilem: non putabimur erga ipsum aut irreuerenter aut ingrate affecti, si in rebus nostri ordinis ab eo aliquando dissentire præsumimus. Plus enim in sua domo (vt aiunt) nouit cæcus, quam in aliena domo valde oculatus. Sed quod Cæsari Baronio, Imperatori videlicet historicorum, licuit in tanto annalium suorum Oceano, cum laude aliquid minoris ponderis ignorare, aut etiam secus, quam res erat, intelligere: non licuit alijs ipso longè inferioribus sibi arrogare, vt id sola Baroniani nominis auctoritate satis probatum prædicarent. Ideoque rogandi sunt, vt quoniam nos in rebus suis permittimus ipsis sibi scientiam vendicare quantam volent: permittant nobis etiam in rebus ordinis nostri non esse prorsus ignaros; & si in aliena domo, in alienis finibus, cum omnino nihil interesset ipsorum, voluerunt esse minus ciuiliter curiosi: non debent succensere, si rotundè, & prisco more ipsorum errata detegimus.

§ 22. Octaua demonstratio.

Testimonia illustrium auctorum, præsertim eorum, qui Antiquitatum Anglicarum habentur hac ætate peritissimi.

QVamuis autem illi argumentum à recentiorum auctoritate desumptum vehementer eleuent: non tamen illud non solum non omittendum duximus, verum etiam, si cætera deessent, instar solidæ demonstrationis cuiuis prudenti esse existimamus. Vbi enim desunt vetera

vetera testimonia, & tamen aliquid debet in cōtrouersia quauis asseri: certè prudentiùs facit ille, qui cum pluribus sapit, aut cū maxima parte loquitur sapientium, quam qui solus & singulariter sentit, quod nec ratio aliqua valida, nec coniectura probabilis suadet, quarum vtramque hic auctores contrariæ opinionis deficere demonstrauimus. Quando nondum extabant sacræ Scripturæ, si quis impudens negator exurrexisset, qui Adamum in paradiso olim collocatum, indeque ob pomi vetiti esum exturbatum fuisse inficiaretur; aut aliquid aliud eorum, quæ Moses primus scripto consignauit: cuinam adhiberet prudens arbiter fidem: illine qui solus cum vno aut altero id negaret ob leues coniecturas, quales Iulianus Apostata apud Cyrillum Alexandrinum producit: an vero omnibus aliis grauibus, maturis, doctis, intelligentibus viris, omnium nationum, qui constanter & vnanimiter assererent, sic sibi traditum fuisse à patribus suis, illosque ita à suis maioribus semper non interrupta traduce accepisse, verissimam esse illam historiam Adami; quantumuis non extaret aliquod scriptum vetus, in quo illa memoriæ posteriorum commendaretur. Scimus longè maioris ponderis esse illam assertionem, vnde pendet salus æterna: quam sit hæc nostra controuersia, in qua nec opes Christianæ, nec Benedictinæ prorsus consistunt: sed modus tamen hanc & illam negandi aut probandi in casu posito idem prorsus est; Si enim nemo prudens non damnaret illum negatorem, qui post duo millia annorum negaret ea vera esse, quæ scripsit Moses de paradiso, quia non extabat tunc aliquod scriptum vetus, quo illa probarentur, quantumuis omnes sapientes Hebræi tunc viuentes, illa vera esse communi voce testarentur: certè eodem modo, condemnandi sunt æmuli nostri, qui soli & primi contrà communem omnium Scriptorum, omnium Doctorum æstimationem, omnium ordinum auctoritatem, negant Gregorium monachum fuisse Benedictinum, eo quod non putent posse illud probari ex scripto aliquo autentico illius temporis, quo vixit Gregorius. Nonne S. Augustinus in re Christiana sufficere, sine vllis miraculis, existimat omnium nationum, omnium Sanctorum, omnium sapientium de Euangelij prædicatione consensū? quidni ergo sufficere deberet in nostra causa vniuersalis omnium, qui vnquam de Gregorij loquuntur monachatu vnanimis consensus: præsertim accedente maxima consonantia temporum, personarum, aliarumque circumstantiarum; & detectis euidenter contradicentium erroribus, causisque errorum? Ergo cum hactenus abunde ostenderimus traditionem historicam Angliæ, à nostris temporibus vsque ad ætatem ipsam eorum quos Gregorius in Angliā misit, eamque authenticis veterum authorum, & instrumentorum testimonijs probauerimus; cum in omnibus argumentis & testimonijs, quæ pro sua negatione attulerunt aduersarij, multiplices errores, deceptiones, & lapsus apertissimos detexerimus; cū nihil pro sua causa antiquum adducant, præter verba Gregorij, quæ nos clarissimè probauimus, nullo modo ab illis stare: producamus autem ipsi quāplurima loca Gregorij, in quibus regulam S. Benedicti præ omnibus alijs laudat, suis monachis seruandam proponat, eandem illustret & explicet; & optimam conuersationis sanctæ magistram appellet, nec obscurè se eam professum fuisse insinuet: si vna etiam ostendamus idem nobiscum sensisse omnes sapientes, ante Baronium, & Gallonium; & neminem, excepto vno Wimphelingo, posse reperiri à tempore D. Gregorij ad nostram ætatem, qui contrariam sententiam docuerit, nos cum sapientibus sapere docuerimus, & ita causam sufficienter perorauerimus, & tam Gregorium, quam discipulos eius in Angliam fidei prædicandæ causa destinatos, fuisse monachos Benedictinos demonstratum manebit.

Consensus vnanimus doctrinum, præparandus paucorum singulari opinioni.

Erit ergo triplex acies testium recentiorum, quam instruemus. Prima eorum, qui ita D. Benedictum faciunt monachorum in Occidente Patriarcham, vt nullam veritatem possint eorum dicta continere, si vera sit aduersariorum sententia. In hac autem acie primo ipsum ponemus Baronium, & Gallonium, qui si vera est ipsorum disputatio, improbabiliter & inepte sane hæc de D. Benedicto protulerunt elogia: Baronius quidem, cum ait tomo 6. A. C. 494. *Hoc eodem anno magnus ille monachorum Patriarcha, Occidentalis decus ecclesiæ Benedictus, Nursinus patria, Romæ literis dans operam, ab vrbe recedens, profecturus in solitudinem, sublimioris vitæ monasticæ prima iecit fœliciter fundamenta.* Et rursus tomo 7. ad annum Christi 523 *Degebat apud montes Simbroinos magnus ille Catholici orbis splendor, sanctißimus monachorum Patriarcha Benedictus, iamque duodecim erexerat, (vt testatur Gregorius) monasteria.* Atque iterum ad annum Christi 529. *Quod rursum ad res Occidentalis Ecclesiæ pertinet, hoc ipso anno magnus ille Benedictus ex augustijs Sublacensium montiū diuino monitu egressus Casinum petens, ad cuius montis radices erat sita villa M. Varronis, illic erecto monasterio, monasticum ordinem mirificè propagauit.* Et nonnullis interiectis. *At quis Dei consilium non magnopere admiretur, dum considerat, eodem ferè tempore, quo in Oriente monachismus esset magna ex parte collapsus, compluribus ex ijs à fide Catholica ad diuersos hæresum errores deficientibus; alijs quoque ab illo vetere instituto rigido in delicias prolabentibus: eodem, inquam, tempore in Occidente instaurari, atque longe lateque diffundi obser-*

Baronius & Gallonius in sua sententia falso vocant Benedictū Patriarcham Monachorum.

uantiam monasticæ disciplinæ, eamque adeo fæcundo germine propagari, cum veluti ex tenui surculo prægrandium exortæ sint frugiferarum arborum syluæ, quæ vniuersam repleuerint Occidentalem Ecclesiam. Gallonius auté in responsione sua: *Quamuis & ex hac parte S. Benedictus non sit sua laude fraudandus: vt pote qui scribens regulas, nō de monachis tantū suis, sed de omnibus est bene meritus, factus toti orbi proficuus, atque conspicuus. Vt iam non habeat, quod fastu tumens Græcia Latinis insultet, viuere Occidentales Orientalium regulis: cum tanti Patris beneficio habeat Latina Ecclesia in thesauris, quod Græcia mutuari possit ab ipsa. Nam pene exolescentibus reliquis, regulæ Benedicti vbique locorum frequentiori sunt vsu receptæ; & obseruantiori cultu retentæ. De his enim Honorius Augustodunensis hæc ait: Benedictus Abbas monasterij Casinensis scripsit regulam monachorum, per totum mundum promulgatam.* Hæc cum verè, & non nisi ex merito dicant Baronius & Gallonius; imo non nisi ex Ecclesiæ sensu, quæ in martyrologio breuissimè id ipsum dicit, quod isti fusius: *Monachorum disciplinam in Occidente pene collapsam restituit, ac mirificè propagauit*; videant ipsi, & qui illis fauent, quomodo ista cum eorum stent opinione. Nam si Benedictus Pater dum viueret ipse, nec regulam suam seruauit, nec promulgauit; vt vult Gallonius si duodecim tantum aut tredecim monasteriorum Pater fuit vt vult Baronius; si ne in ipsa quidem Italia, imo nec in ipsa Valeria prouinciola Italiæ, in qua priora sua condiderat cœnobia, regulam propagauit; sed ibi plurima habuerit Equitius alijque monasteria, in quibus vigebant monastica instituta; si post quinquaginta annos nondum in Italia multis in locis; nondum omnino in Anglia, aut Germania, raro admodum in Gallia, Benedicti disciplina obtinuerit: quo modo potest verè dici Benedictus collapsam in Occidente disciplinā monasticam restituisse, & mirificè propagasse? quomodo magis, imo quomodo non multo minus Patriarcha monachorum Occidentalisque Ecclesiæ decus ab illis dicitur quam S. Equitius? nam si vera est eorum sententia, Equitius collapsam disciplinam monasticam restituit, non Benedictus; Equitius enim, & plæraque (aut vt Gallonius omnia) Valeriæ Prouinciæ monasteria suis informauit regulis, non Benedictus; Equitius Gregorij monasteria disciplina religiosæ vitæ instituit, non Benedictus; Equitij de schola monachi, Augustinus & cæteri Angliam conuerterunt, cœnobijsque repleuerunt, non Benedictus; Equitij monachi Germaniam primi & Belgium cœnobiorum multitudine collustrarunt, non Benedictini; Equitiani fuernut, qui Galliam colonijs monachorum repleuerunt, per Columbanum Gregorij proculdubio discipulorumque eius monachatu pollentem, non Benedictini. Cur igitur non datur Equitio titulus ille Patriarchæ monachorū, & mirifici Propagatoris monachismi cur datur Benedicto? Atqui tam non est Equitio datus ab Ecclesia, ab Anglis, à Gallis, ab Hispanis, à Germanis, ab Italis, ab Hibernis, ab omnibus Occidentis populis gloriosus hic titulus: vt ante hos quadraginta annos, locum non habuerit in vllo apud istas omnes nationes, martyrologio, nec vllum habuerit apud vllos monachos peculiare officium, aut in vlla Ecclesia specialem commemorationem. Citat Gallonius Honorium dicentem, regulam Benedicti per totum mundum propagatam fuisse; An hoc tantæ laudis præconium daretur illi iure merito, si regula Equitiana longè celebrior fuerit, per ducentos trecentosue annos? nam Gallonius vsque ad Bonifacij martyris nostri tempora ignotam Anglis, Hibernis siue Scotis, proinde etiam & Gallis ac Germanis (qui non nisi ab Anglis & Scotis monasticam acceperunt) asserit fuisse Benedicti regulam. Dicit Baronius, magno Dei consilio, tunc per Benedictum in Occidente restitutum propagatumque monachismum, cum in Oriente pullulantibus hæresibus esset eius ordinis pietas suffocata; & quidem dicit à Benedicto ex monte Casino non solum sublimioris vitæ monasticæ prima fæliciter iacta fuisse fundamenta, verum ab eodem ordinem monasticum mirificè propagatum, dicit syluas frugiferarum arborum ex eius cœnobio procreatas vniuersam Occidentis Ecclesiam repleuisse. Quomodo mirificè propagauit, si ne in proximis quidem ipsi monasterijs Italiæ, aut Valeriæ Prouinciæ fuerit recepta eius regula; quomodo Ecclesiam Occidentis repleuit, qui vbiuis locorum inuenit iam erecta cœnobia, & quidem monasticis institutis vigentia? Hoc sane non fuerit *propagare*, sed ab alijs propagata inuadere; non fuerit monasticum ordinem penè *collapsum erigere*, sed iam erectum sibi suoque arbitrio immerenter subijcere. Ipsi ergo his magnificis præconijs, quæ sine vllo dubio verissime Sancto conueniunt Benedicto, contra seipsos testimonium dicunt: & faciunt vt iustè potuerit illis suggeri, vt aut loquerētur de S. Benedicti mirifica propagatione paulo humilius, aut eam quam tam gloriose verbis efferrent, noua sententia non deprimerent. Et ridiculam sane Medicinam afferunt monachorum iuste concepto dolori: si postquam per nouitatem sententiæ suæ, omnes fere monachos Italiæ, Siciliæ, Galliæ, Angliæ, Germaniæ, earumdemque prouinciarum etiam primam ad Christum conuersionem nomini Benedictino eripuerint: postea dignentur verbis tantum dicere, Benedictum fuisse

ordinis

ordinis monastici collapsi instauratorem & mirificum propagatorem; Quandoquidem reuera iuxta istos non id vnquam præstiterit per se Benedictus, nec per discipulos suos, nec discipulorum suorum discipulos: sed tunc duntaxat id factum fuerit, quando post ducētos à morte D. Benedicti annos Bonifacius in Germania, & Belgio, accersitis ex monte Casini ceremonijs; Dunstanus vero & Oswaldus in Anglia quęsitis ex Floriaco suppetijs, veterem monasticam Barbarorum incursionibus deletam, noua regulę Benedictinæ vix antea cognitæ dilatatione compensarint.

Atqui ipse B. Gregorius, quem sibi arbitrum in hac causa deposcunt hi authores, omnino asserit ipsum D. Benedictum in vita sua hanc monachismi collapsi restitutionem, & sublimioris mirificam propagationem pręstitisse. Primum enim, dicit fuisse diuini consilij decretum, vt hæc à D. Benedicto fierent: Cum verò Deus omnipotens (inquit in 2. Dial. c. 1.) & Romanum vellet à labore quiescere, & Benedicti vitam in exemplum hominibus demonstrare: vt posita supra candelabrum lucerna claresceret, quatenus omnibus, qui in domo Dei sunt, luceret: cuidam presbytero longius manenti, qui refectionem sibi in paschali festiuitate parauerat, per visum Dominus apparere dignatus est, dicens: Tu tibi delicias paras, & seruus meus illo in loco fame cruceatur: Deinde cū à pastoribus & rusticis inuentū dicit; qui cognoscentes Dei famulum, eorum multi ad pietatis gratiam à bestiali mente mutati sunt. Nomen itaque eius per vicina loca innotuit cunctis, factumque est vt ex illo iam tempore à multis frequentari cœpisset. Et hæc est prima eius celebritas per vicina Sablaco loca crebrescens. Postea, cum victoriam illam insignem contra carnis illecebras ex vrticarum incendio reportatam narrasset, subiecit: Cœperunt postmodum multi iam mundum relinquere, atque ad eius monasterium festinare: liber quippe à tentationis vitio, vero iure iam factus est virtutum magister. Et cap. 2. Recedente igitur tentatione, vir Dei quasi spinis erutis exculta terra, de virtutum segete feracius fructus dedit: præconio itaque eximiæ conuersationis celebre nomen eius habebatur. Hæc iam secunda, & maior adhuc est celebris eius sanctitatis insinuatio: cum adhuc in iuniore ætate positus esset; sed vt antea dixerat de eo Gregorius, ætatem moribus transiret, & nulli animum voluptati daret. Et in fine eiusdem capitis. Cum sanctus vir diu in eadem solitudine virtutibus signisque succresceret, multi ab eo in eodem loco ad omnipotentis Dei sunt seruitium congregati: ita vt illic duodecim monasteria cū omnipotentis IESV CHRISTI Domini opitulatione construeret, in quibus statutis patribus duodenos monachos deputauit, paucos verò secum retinuit quos adhuc in sua pręsentia aptius erudiri iudicauit. Hic iam vides celebre incrementum: quod iam non intra solitudinis angustias, sed vsque ad Romanæ Vrbis palacia personaret. Quoniam enim ipse nobilissimo genere ortus esset, tanto vehementius sanctitatis eius fama etiam nobilitatem traxit ad solitudinem. Sequitur enim: Cœpere etiam tunc ad eum Romanæ vrbis nobiles & religiosi concurrere, suosque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare. Quæ autem pars Italiæ non adamaret, quod ipsa Roma admiraretur? aut quomodo non ad eius disciplinam festinarent cætera monasteria, quem iam signis & virtutibus celeberrimum, etiam Patritij viri, senatores Romani filiorum suorum patrem fieri gestirent? Clarissimè hoc insinuat Gregorius cap. 8. Cum iam loca eadem (Valeriæ vt diximus, Prouinciæ) in amorem Domini Nostri IESV CHRISTI longe lateque ferueſcerent, & sæcularem vitam multi relinquerent, & sub leui Redemptoris iugo ceruicem cordis edomarent; & mox; Cumque iam se conspicaret eius profectibus obuiare non posse, & conuersationis illius opinionem crescere, atque multos ad statum vitæ melioris, ipso quoque opinionis eius præconio indesinenter vocari; & quæ sequuntur de exorta propter hanc eius celebritatem Florentij contrà eum maleuolētia; & terribili maleuolentiæ supplicio diuinitus illato. At cum iam in monte Casino sedem posuisset, cum apud commorantem circumquaque multitudinem continuæ prædicationis officio fidem promouebat, cum ipse hostis antiquus his eius gloriosis artibus se vim pati palam conquereretur; cum ipsi Regi Totilę sanctitatis eius fama inclyta esset venerabilis, & Gothis militibus terribilis: quanto magis dicemus eius discretissimam disciplinam fuisse monachis vndique commorantibus amabilem & desiderabilem? Cum ex Gallia, & Hispania, vt vidimus, & ex multis Italiæ partibus petiti fuerint ab eo discipuli ad nouas monachorum Colonias deducendas: liquido constare debet iam omnem pene Italiam Hispaniam & Galliam ab ipsomet & discipulis eius; Angliamque postea, Scotiam & Germaniam à discipulorum discipulis fuisse monasterijs repletam. Et ob hanc causam Patriarcham ipsum dici monachorum in Occidente. Facessant igitur ista nouitatis incertissimæ inuenta: & veteri veritati sua sedes in animis hominum permittatur immobilis. Ita volunt illa ipsa, quæ protulimus ex Baronio & Gallonio præconia quæ nemo poterit cum veritate proferre, aut ad litteram expo-

Quicũque vocant D. Benedictum Patriarcham Monachorum eo ipso nostram probant sententiam.

nere, nisi vnà aliam eorumdem sententiam, his præconijs è diametro oppositam condemnet. Nam illa sanè elogia, omnino sunt istis aliorum in contraria sententia stantium laudi-tionibus similia: Augustini Cisterciensis in Chronico quem citat noster Caetanus: Eadem „gratia, quæ ad instituendam corroborandamque monastici ordinis disciplinam prædictos „sanctos Patres (*Basilium puta, & Pachomium, & Antonium, aliosque*) contulit Orienti, non „inferioris meriti virum dignatione sua prærogauit Occidenti, sanctissimum videlicet Pa-„trem nostrum Benedictum: qui non solum Antonij & Basilij spiritu, verum etiam (teste „beato Papa Gregorio) iustorum omnium spiritu plenus, tanquam sydus purissimum, & „lucidissimum, prærogatiua sanctitatis, superexcellenti puritate, conuersatione, singulorum „denique miraculorum inæstimabili gloria, ab Occidente vsque in Orientem clarissime re-„fulsit. Ita vt quicquid Oriens in diuersis partibus, diuersis charismatibus habere se gaudet, „hoc totũ in vno sanctissimo Patre suo Benedicto iustorum omniũ spiritu pleno, se possidere „re Occidens non immerito glorietur. Scripsit namque idem Reuerendissimus Pater mo-„nachorum regulam, quam diuturno virtutum exercitio, non per hominem, sed per vn-„ctionem illius, qui docet hominem scientiam, didicit: in qua mirabilis artifex spiritus san-„ctus, summam perfectionem, moderatissimam discretionem tam subtili connexione co-„pulauit: vt quantumcumque religiosus in ea inueniret, vnde adhuc proficiat; & quãtum-„cumque pusillanimis aut infirmus; infirmitatis suæ in ea remedia inueniat. Profecto omni laude maius encomiũ: sed ne nimiũ videatur, quia à filio profectum de patre suo encomiũ, eidem per omnia par est illud ipsum quod Gallonius, & ea ipsa quæ magnus sæpe habet Baronius; ex quibus non potest non sequi, eos qui sic efferunt hanc regulam, sibi ipsis diffidere, si illam sententiam, quam hactenus impugnauimus vnà velint retinere. Nec minus est e-

Augustinus Cisterciensis.

S. Antoninus Archiepiscopus.

„logium S. Antonini Archiepiscopi: Sicut Basilius dicitur Pater monachorum in Oriente, „ita etiam beatissimus Benedictus Pater monachorum in Occidente. Ipse enim, vt ait Gre-„gorius scripsit regulam discretione præcipuam, sermone luculentam; & præ cæteris (vt ità „dicam) in singulis directiuam. Nam regula Basilij satis intricata est, regula Augustini mul-„tum generalis; & ad particularia parum descendens: sed per constitutiones ei additas à di-„uersis religionis eius professoribus, austeritatibus & cæremonijs adornata; Regula sancti „Francisci breuis, & propterea multa ibi præcepta scrupulis plena; sed regula sanctissimi „Benedicti singula quæque clare scribit. Quæ etiam vt approbata allegatur in decretis cap. „18. q. 2. cap. Perniciosam. Hanc omnes monachi Occidentis pro fundamento tenent, ex-„ceptis Carthusiensibus, sed habitibus & constitutionibus additis ac cæremonijs distinguntur. Non potuit adferri melior clariorque elucidatio verborum, quibus D. Gregorius in laudem regulæ vsus est, quam ista, à sanctissimo Archiepiscopo data. Cui similis per om-

Godfridus Vindocinẽsis Abbas.

„nia est sententia Goffridi Vindocinensis, sermone de S. Benedicto: Fuerunt namque ante „S. Benedictum Abbates & Abbatum institutiones: sicut ante Christum Legislator extitit „Moyses. Bonam siquidem & sanctam Iudaico populo Moyses attulit legem: sed Christus „Christiano populo contulit meliorem. Ita sancti viri illius temporis secundum datam sibi à „Deo gratiam monachorum Leges statuerunt: sed Pater ac Legifer noster Benedictus, sicut „à Deo maiorem gratiam percepit, ita meliorem legem instituit: Nam quicquid illi minus, „vel amplius faciendum præceperunt, vel fieri permiserunt ipse post illos correxit. *Eundem* „*sensum habuit à spiritu sancto edocta* S. Hildegardis, *lib. 2. Sciuias. Visione 5.* Prima lux diei ver-„ba Apostolicæ doctrinæ designat; aurora initium huius conuersationis, quæ primum in so-„litudine & speluncis post illam beatam doctrinam germinauit, demonstrat; Sol autem dis-„cretam & bene dispositam viam in seruo meo Benedicto declarat, quem ego per ardentem „ignem traduxi, docens eum in vestitu conuersationis suæ incarnationem filij mei colere; & „in abnegatione voluntatis suæ passionem illius imitari: Quia ipse Benedictus est quasi al-„ter Moses in lapideo foramine iacens, & corpus suum in multa asperitate ob amorem vitæ „crucians & constringens: Quemadmodum etiam primus Moses in lapideis tabulis ex præ-„cepto meo asperam & duram legem scribens Iudæis dedit; Sed vt filius meus eandem le-„gem per dulcedinem Euangelij perforauit: sic etiam Benedictus famulus meus proposi-„tum huius ordinis, quod ante ipsum durissima conuersatio fuit, per dulcedinem inspira-„tionis Spiritus-Sancti discretam & planam viam fecit: ac per hoc plurimam cohortem suæ „religionis collegit: vt etiam filius meus per suauitatem odoris sui Christianum populum „sibi coadunauit. Quæ comparatio B. Benedicti cum Mose, etiam D. Thomæ Aquinati placuit in concione quadam habita in festo S. Benedicti. Eandem sententiam cum S. Hildegarde Bernardus mellifluus, Hildegardis laudator & approbator præcipuus habet, scribens in Euangelium, *Ecce nos reliquimus omnia*: & illa D. Gregorij verba in illustri visione de tran-

situ

situ D. Benedicti producens, *Hæc est via qua dilectus Domini cœlum Benedictus ascendit: Quæ est enim* (inquit Bernardus) *via ab eius cella progrediens, nisi ordo, quem idem vir beatus instituit, & forma vitæ, quæ ab ipso sumpsit exordium. Qua nimirum via dilectus Domini ascendit, quia non potuit vir sanctus aliter docere quam vixit. Et hæc quidem eorum vel maxima fiducia est, qui ipsius vtcumque student inhærere vestigijs ipsum præceptorem præmiumque sequuntur. Neque enim venire aliquatenus in dubium potest, qui omnino sacer sit modus conuersationis, & diuina magis inspiratione atque consilio, quam humana prudentia vel adinuentione firmatus: quo nimirum tantam in vita gratiam sanctitatis, tantam post obitum gloriam felicitatis idem verè Benedictus obtinuit.* Profectò hæc omnium istorum contensio, cum D. Gregorio conspirans, nullam regulam Benedictinæ discretionis, & sapientiæ cœlestis laude comparandam ipsam propterea Benedictum non instauratorem duntaxat, sed quodammodo authorem esse securioris monastices; omnino euincit eandem regulam statim atque à sancto viro fuerat discipulis suis, monasterijsque à se erectis proposita, certatim fuisse ab illis omnibus, prope, longeq; positis arreptam; ac propterea Patriarcha, Instaurator, Propagator magnificus monachismi vocatur ab Ecclesia D. Benedictus non D. Equitius, nec quiuis alius sanctorum.

Testes expresse affirmantes sententiam nostrã.

Sed iam ad secundam aciem testium accedamus, qui expresse Gregorium, aut discipulos illius Apostolos nostros profitentur fuisse Benedictinos. Et quia à Patribus Oratorij orta est hæc, quam impugnamus, nouitas: præcedat ex Oratorio Venerabilis Pater Thomas Bozius scriptor doctus, grauis, sapiens; & insignis veritatis assertor; qui videtur quasi ex professo compresbyterorum suorum hac in controuersia opinationem damnare, ita multis in locis omnino pro nobis loquitur: præsertim lib. 5. excellentis operis de signis Ecclesiæ Dei cap 3.

Thomas Bozius, Presbyter Oratorij.

„Gregorius magnus (inquit) nobilissimo ortus genere, primisque Romæ honoribus per-
„functus, tandem spretis omnibus, Ordini S. Benedicti se deuouens, monachum professus
„est, Romæque extruxit (præter alia alijs in locis ædificata) monasterium in Cliuo Scauri:
„in eo & solidam pietatem, & cælestem doctrinam plurimi didicerunt, ordinique S. Bene-
„dicti sese addixerunt. Hinc eduxit Gregorius Augustinum, Mellitum, Iustum, Paulinum;
„Laurentium, Ioannemque & alios monachos, de quibus Beda & alij, per quos Christi cul-
„tus inter Anglos est disseminatus & confirmatus, multaque ordinis eiusdem monasteria
„cõstructa. Et in libro 3. de Italiæ statu c. 5. quem librum post hanc controuersiam à Baronio suscitatam scripsit; vt se ostenderet, non obstantibus Baronij argumentis, in priore sua sententia immobilem persistere: hæc dicere voluit: *Ostendimus nos latè libro 4. de signis Ecclesiæ Dei, signo 6. non alio, quam Romanorum Pontificum studio, cultum Christi disseminatum in Anglia, Scotia, locisque omnibus supra Danubium Rhenumque positis: quin plærosque omnes, qui huic rei dederunt operam, fuisse monachos ex ordine & instituto S. Benedicti Itali, aperuimus signo 12. lib. 5.* Libro sexto præfati operis nunquam satis laudati de signis Ecclesiæ Dei, signo 23. cap. 6. ait de
„S. Benedicto: Tot post se sectatores abduxit, vt eorum numerus iniri nullo modo possit.
„Ex eius vero familia prodierunt tot, ac tanti in omni laudum genere virtutumque floren-
„tes viri, vt quoquo te conuertas admiratione defixus tenearis. Quot enim martyres quæso
„ex illius ordine? Quot miraculis ac sanctimonia sanctissimi viri extiterunt? Quot Pontifi-
„ces summi & admirandi? Vnus instar omnium producatur à nobis exempli causa Gregorius
„primus, cui quidem quicquid boni habent, debent Angli. Succedat Bozio antiquitatum Romanarũ diligentissimus indagator Onuphrius Panuinus Augustinianus, cuius in epito-
„me Romanorum Pontificum hoc est clarissimum testimonium: Gregorius natione Roma-
„nus, ex Patre Gordiano Senatore, matre Syluia, nobilissimo & antiquissimo Aniciorum
„genere ortus, Fęlicis P. 3 R. Pont. pronepos, vir ab ineunte ætate, sanctitate, doctrina, e-
„loquentia, & morum grauitate insignis. qui omnibus mundi pompis relictis monacho-
„rum monasterium ingressus est, sub Sanct. Patris Benedicti regula; omniaque bona sua sta-
„bilia, fundos, casalia, vineas, oliueta, monasterijs monachorum donauit; & demum do-
„mum propriam in vrbe Roma, monachorum monasterium fecit. &c. Anglos missis præ-
„dicatoribus ad Christi fidem conuertit &c. Non est parui pendendum huius viri testimonium, qui in urbe Romana degens, totum se Ecclesiasticis antiquitatibus illustrandis dicauit, de quibus & præclara atque vtilissima euulgauit monumenta: & valde mirandum Ciacconium virum doctum, nulla (vt iam vidimus) solida ratione, sed vnius tãtum Cardinalis Baronij auctoritate adductum, iudicium Onuphrij hic sequi noluisse: cum tamen alius locum ipsum totum descripsisset, sicut & totũ librum Panuini (vnde hunc locũ desumpsimus) paucissimis tantum additis, aut mutatis, aut fusius narratis, in suum librum transcripsit. Sed & D. Antoninus, non solum *Patriarcham Monachorum Occidentis* generali appellatione vocauit D. Benedictum: verum etiam peculiariter Patrem D. Gregorij, atque adeo discipulorum

Onuphrius Panuinus.

D. Antoninus

 eius,

eius, Apostolorum nostrorum tit. 15. c. 12. *Huius etiam vitam* (inquit, de D. Benedicto loquens) *scripsit virtutibus plenam Gregorius secundo dialogorum per totum: quam etiam hausit, & monachus, & Abbas sub dicta regula militauit antequam Papa fieret.* Sanctus Thomas non Dominicanorum duntaxat decus, verum etiam & Theologorum vertex, qui pueritiæ rudimenta in monasterio Casinensi susceperat, vt & extremum spiritum in alio monasterio regulæ Benedictinæ, quod Fossæ nouæ dicitur efflauit, diligentissimus æstimator eorum, quæ affirmare statuit, in opusculo aureo contrà impugnatores religionum, idipsum affirmat. *Eadem, ait, ratio est de B. Gregorio, qui monasteria construxit secundum regulam à B. Benedicto institutam.* Et eiusdem ordinis Dominicani fulgidum sidus, Ioannes de Turrecremata Cardinalis sapientissimus, in regulam nostram scribens, & laudes eius texens, ait: S. Gregorius B. Patris Benedicti regulam viuæ vocis oraculo approbans, confirmauit: sub qua etiam militauit, & monachus, atque Abbas dignissimus extitit. Werneri Rolwinck Carthusiani, qui seculo decimo quarto scripsit fasciculum historiarum, egregium profectò est testimonium. Etenim ad annum 514. cum originem signet ordinis S. Benedicti: hos ibi subscribit versiculos.

D Thomas.

Cardinalis Turrecremata.

VVernerus Rolvvinck.

Vt prior ordinibus cunctis præstantior iste,
Sic erit in fine cunctis constantior ipse.
Sacer ordo Benedicti, vtitur amictu miti pro suo velamine:
Albo, nigro, Camelino; lana texta, sed non lino, prout est religio.
Hic monarcha monachorum, Patriarcha est cunctorum, qui ad se confugiunt.
Cœnobitis præbet normam, & Anachoritis formam vias rectas ingredi
Cuius regularis vsus nunc vbique est diffusus inter orbis climata.
Nam specus cultus diuini, Locusque Montis Casini redolent virtutibus:
Hinc Fuldenses cum feruore claustra multa cum decore regunt in Almannia.
Assunt & Cluniacenses, simulque Camaldulenses, cum Cistercienfibus.
Vallumbrosi, Syluestrini, supersunt & Celestini sub diuerso habitu;
Montis Olíueti Patres, & Humiliati fratres sub eadem regula,

Vigent quoque Iustinenses, cum candore Bursfeldenses his diebus vltimis. Deinde ad annum Christi 594. hæc habet. *Gregorius nobilis genere, nobilior virtute, sed sanctitate nobilißimus, ordinis sanctißimi Patris Benedicti monachus dignißimus, qui merito magnus dicitur, propter plura quæ excellenter habuit, potentiam, diuitias, nobilitatem, virtutes, sapientiam, sanctitatem, famam, experientiam. Nihil eum in omni statu latuit: puta quia bene in omni statu exercitatus fuit.* Nec quisquam dicat istum, & similes præ simplicitate communem sententiam, quam inuenerant sine vlteriori examine sequutos: est enim vt diximus, magnum hoc præiudicium veritatis, ante Baronij exortum communem fuisse sententiam: nam vox populi totius consentientis, vox Dei est; Neque sine iudicio viri docti dicendi sunt aliquid dicere, in quo omnes consentiunt: imo qui dissentiunt, sine iudicio potius dissentiunt, vbi prudens ratio dissensum non persuadet. Quid enim, vt exemplum talis dissensus proferatur, quid coegit Antonium Possevinum à communi sensu recedere? dicat ipse, qui cum in prima editione Apparatus sa-„cri ita scripsisset: Gregorius, magnus merito appellatus, siue Anicius Gregorius, Gordiani „filius Felicis III. Pontificis maximi pronepos, Romanus, monachus ordinis sancti Benedi-„cti, quicquid alij nonnulli secus senserint, deinde Pontifex maximus eius nominis primus; Quare voluit in appendice ad hoc opus sententiam rectam retractare, & dicere, se quidem ita tunc sensisse, postea autem visis Baronij Gallonijque rationibus, mutasse? Propter has rationes Baronij & Gallonij? Qui ergo erant illi alij, Possevine, de quibus tu ante scribebas, quicquid alij nonnulli secus senserint? Quos tu alios, dum priorem editionem operis euulgasti, legeras, aut fando audieras secus sentientes, præter Baronium & Gallonium? Nullos prorsus; primi illi fuerunt: & horum tu rationes prius videras; sed Baronius nondum erat Cardinalis, atque ita poterat eius sententia tutius reijci; accedente purpura, non accedente maiori probabilitatis colore, sententiam tuam Possevine mutasti. Sine iudicio ergo, & sola magni viri auctoritate Gualtherius in tabulis Chronologicis communem sententiam reliquit: quam tamen instituti eiusdem eloquentissimi viri semper antea tenuere. Ioannes Mariani rerum Hispan. li. 5. c. 12. & lib. 6. c. 1. Franciscus Ribera in prologo vitæ S. Teresæ. Ioannes Azor. instit. moral. p. 1. l. 12. c. 22. Hieronymus Platus, lib. 2. aureoli operis de bono status „religiosi. cap. 28. Pelagio, proxime successit (*inquit*) Gregorius magnus, qui Romæ mo-„nasticam vitam in S. Andreæ cœnobio vixerat, ex S. Benedicti formula, *& deinde:* Nec „multo post, id est, post duos, annos, alter item ex eadem S. Benedicti familia eandem ca-„thedram tenuit, Bonifacius quartus, qui Romæ in cœnobio B. Sebastiani enutritus, eam „virtutem, ac pietatem imbuerat, quam deinde in Pontificio munere præstitit: quin etiam

Possevinus.

Ioanni Mariani Ribera. Azor. Hieronymus Platus.

„ita

„ita religiosos ex quibus ipse fuerat, dilexisse fertur, vt ædificatum in paterna domo mona-„sterium necessarijs redditibus instruxerit. Vbi præterea habes non solum Lateranense monasterium, & S. Erasmi, & S. Andreæ Romæ fuisse Benedictina tempore Gregorij, verum & S. Sebastiani; vt & postea nominat cœnobium S. Stephani, ex quo Paschalem primum, & S. Chrysogoni, ex quo Stephanum tertium ad Pontificatus apicem desumptos tradit. Et hæc sane monasteria, aliaque plura tunc Romæ fuisse alij authores tradunt: cumque monachorum cœnobia fuisse tradant, non addito Benedictinorum nomine, aliqua tamen ex illis Benedictina fuisse certo certius constet; certum esse etiam debet, reliqua eiusdem tunc fuisse instituti, quia alias apposuissent authores distinctiuam notam, vt solent cum de monasterijs aliorum ordinum loquuntur. Idem Platus eiusdem lib. c. 32. viros doctos, qui ex probatis re-„ligionibus prodierunt enumeraturus, ita incipit: Nam vt à Benedictino ordine antiquis-„simo incipiamus, iam sunt mille & septuaginta anni, ex quo hic ordo natus est: His igitur „vndecim fere seculis, mirum certe est, quam multos semper, & quam præstantes in omni „genere produxerit viros. Primo enim seculo, id est, vsque ad annum Domini sexcentesi-„mum viguit, vt scimus, Cassiodorus, de quo supra diximus, eique æqualis Dionysius co-„gnomento paruus, vir sui temporis eruditissimus, tum diuinis, tum etiam humanis literis, „quod ostendunt scripta ab eo relicta; eodemque tempore Gregorius magnus, Gregorius „Turonensis, & Leander Hispalensis, satis adhuc per se noti. Sed quid dicemus de ijs, qui vt patrocinium adferant suo errori in hac controuersia testimonia virorum doctorum, dum transferunt, corrumpunt? Etenim cum vir sanctissimus Petrus Ribadineyra Societatis Iesu Veteranus Pater, vitas sanctorum Hispanicè edidisset, in eoque (quem ipsi legimus) Sanctum Gregorium ordinis Benedictini monachū fuisse tradidisset: qui eundem librum curauit Gallicè conuerti, hoc ex textu eliserunt, apposita in margine annotatione, qua dicerent Baronium probasse, Gregorium non fuisse Benedictinum. At nihil facit infælix æmulatio: nam in ea ipsa editione in vita S. Benedicti, obliti prioris sui stratagematis, (& tamen mendaces memores esse oportuit) in ipso textu non immutato dicit pius pater Ribadineyra Gregorium ipsum sanctum, vitam *Patris sui Benedicti* stylo consignasse. Addendum etiam, debuisse istos corruptores alia quoq; eiusdem patris opuscula corrumpere: nam in historia Schismatis Anglicani, quā etiam Hispanico idiomate ediderat, hęc habet in exordio: *Angli Saxonesque Germaniæ populi Britannis bellum intulerunt, eosque deuictos in angulum remotum Insulæ repulerunt, totiusque regni Dominium sibi acquisiuerunt. Et quia ipsi fuerant infideles, perijt in eo fides Christi: quare Gregorius Papa illis destinauit Augustinum, Mellitum, aliosque sanctos monachos ex ordine S. Benedicti.* Ita enim verbatim sonant verba Hispanica exemplaris, quod habemus impressum. Similem fere causam suspicor fuisse, cur tam ieiunè sententiam nostram in vltimo de religione tomo P. Francisci Suarezij, Theologorum nostra ætate copiosissimi, excellentis modestiæ, & magnæ perspicuitatis, assertam esse reperimus. Nā lib. 2. cap 17. n. 11. agens de regu-„la S. Benedicti: Refertur, inquit, in additione quadam ad Turrecrematam super regulam „S. Benedicti cap. 1. Sanctum Gregorium viuæ vocis oraculo approbasse regulam. Item-„que Zachariam postea illam confirmasse: verumtamen esto hoc, admittatur; saltem ante „Gregorium nulla pręcessit specialis approbatio alicuius Pontificis, quamuis per quinqua-„ginta annos, iam essent multa monasteria sub illa regula ędificata, in quibus etiam ipse Gre-„gorius vixerat, &, vt creditur, aliqua ipse fundauerat. Fundasse monasteria sub regula Benedictina, non absolute asserit, sed per adiectam voculam, *vt creditur*; quasi rem nondum sibi cōpertam; at *vixisse cū sub regula* S. Benedicti, sine vlla adiectæ vocis restrictione rotunde affirmat. Sed tam pauca, tam stricte, tam breuiter hac de re Suarez scripsisse credendus est? audiamus quid de eo dicat noster Antonius Yepes in Chronicis, ad annum 576. cap. 7. Fe-„liciter (*inquit*) euenit, dum hanc ego quæstionem examinarem vt hac transiret R. P. Fran-„ciscus Suares Presbyter Societatis Iesu excellentis vir eruditionis, & vnus è paucis qui se-„curissime & solidissime de varijs argumentis Methaphysicis, Ethicis, Politicis, hac ætate „scripserit. Quia ego eum summo semper in pretio habui, propter ingenij iudicijque glo-„riam, vehementer autem meis inuentis diffidebam: ipsum familiariter interrogaui, quid-„nam ipsi de hac quæstione videretur; & quoniam proculdubio tam rationes Cardinalis „Baronij quam etiam ordinis nostri perpendisset, instantissime petij, suum mihi dictamen „dignaretur insinuare. Summo cum gaudio meo inueni eum hanc materiam à fundamentis „examinasse: respondit siquidem, se ex professo diligentissime controuersiæ huius difficul-„tates inuestigasse vt eam in tomis de religione, quæ habebat prælo paratos, discuteret: se „in ea esse prorsus sententia, vtriusque partis rationibus ponderatis, Gregorium fuisse mo-„nachum Benedictinum, & Baronium ea in controuersia deceptum fuisse. Cum autem non

Hiero. Platus.

Petrus Ribadineirà translatore corruptus.

P. Franciscus Suarez.

„ sine causa dubitarem ego vter nostrum prius opus in quo laboramus, foret editurus: petij „ ab eo, facultatem, vt hanc illius sententiam fuisse, citato eius nomine, liceret mihi dicere, si „ forte prius contingeret me mea euulgare. Concessit libentissime, astantibus huic nostro „ colloquio aliquibus monachis nostris: nec parum inde solatij lætitiæque mihi accessit, quod „ vir tantæ eruditionis, iudicijque tam exacti & castigati, postquam Baronij motiua maturè „ considerasset, à parte nostra pro Ioanne Diacono contra Baronium pronunciaret. Hæc Reuerendus Pater Antonius. Quare igitur in hoc tomo de religione loco eruditæ & copiosæ discussionis assertio exiuit vnico tantum verbulo comprehensa? An æditores operis posthumi suppresserunt: sicut translatores Ribadineyræ mutarunt? Nolo hoc asserere. An ipse P. Suarez hoc decus ordini nostro inuidit? nullo modo, erat enim vir, sicut alias sanctissimus, ita ordinis nostri patribus amoris vinculo coniunctissimus. Fieri poterat, vt cum rem ita à diuersis monachis nostris solide discussum aduerteret, putarit superfluam esse operam suam; & satis fuisse illud Patris nostri Antonij testimonium, hac sua simplici & nuda asseueratione cognouisse, tanquam animi sui firmam sententiam.

Iudiciū Gregorij Lopez Iudicis Palatini Philippo Regi 3. Hisp.

Nec opus est plura huius generis testimonia congerere: ex istis enim patet, nostræ sententiæ assertores non, *simpliciter*, vt vult Gallonius, sine rei vlteriore examine eam affirmare, sed post maturam omnium causæ momētorum librationem. Quem in finē vnum adhuc producemus testem, virum magnum, & examinandis causis cōtrouersis pro tribunali regio versatissimum, Gregorium Lopezium de Madera Iuris vtriusque Doctorem, Regis Hispaniarum Philippi tertij Consiliarium, & Iudicem Palatinum: hic scripsit inter varia ingenij sui monumēta eruditam & subtilissimam disputationem de veritate sacrarum reliquiarum, quæ ante viginti sex annos in monte sancto Granatæ fuerant in crypta mirabiliter repertæ: in eius opusculi capitulo quinto, hæc sunt eius verba fideliter ex Hispanico traducta: Aliam introduxit nouitatem (*loquutus fuerat de monasterio S. Placidi, & Sociorum, in quo aliquid* „ *impugnauerat Baronius*) idem Cardinalis Baronius, quam pro ea, quā Diuum Gregorium „ magnum prosequor deuotione, non possum nunc continere quin impugnem: si prius „ tamen aduertero, communem opinionem fuisse hactenus, antiquissimamque tra„ ditionem Ordinis S. Benedicti, quod sub eodem sanctus hic Pontifex monachum egerit; „ habetque pro sua sententia meliores longe coniecturas, quam sint eæ quibus pars aduersa„ ria inducta est ad contradictionem. Summa enim veneratio quam D. Gregorius erga in„ clytum hunc ordinem demonstrauit, inde videtur clarè ortum habuisse, quod ille eundem „ ordinem professus fuerit. Ideo primus Pontificum eundem approbauit; ideo creditur ad „ eundem reduxisse cæteras monachorum congregationes, quæ in Italia eousque fuerant, „ sine rectoribus aut regimine; & in eum finem concilium illud Romanum in fauorem mo„ nachorum nigrorum, quod omnes norunt, conuocauit. Quare non potest prudenter cre„ di, quæsiturum illum monachos Equitianos, nullius regulæ, nullius congregationis, vt in „ eos insignes illas dotationes monasteriorum quæ Romæ & in Sicilia fundauerat, colloca„ ret. Præsertim cum tota hæc contradictio & opinatio noua in vna duntaxat affirmatiua „ fundetur, quod ex Valeria Prouincia monachos ad monasterium suum Gregorius adduxe„ rit; vnde conatur inferre negatiuam, nullum fuisse in ea prouincia S. Benedicti cœnobium, „ quod vt est reuera improbabile, ita nihil adduxit quo illud probaretur. Quod autem Abbas „ eius Valentius notitiam aliquot miraculorum S. Equitij Gregorio impartierit: sane non „ conuincit Valentium monachum Equitij fuisse; quando etiam Benedictus monachus exi„ stens, eandem potuisset communicare. Quin & si prius institutum aliud S Equitij sequutus „ fuisset Valentius: potuit tamen inde ad institutum S. Benedicti transijsse; quandoquidem „ ante hæc posteriora tempora illud crebro fieri consueuit, nec iura contra quippiam statue„ rant, vt constat exemplis S. Romualdi, S. Petri Damiani, & aliorum, etiam postquam ordo „ S. Benedicti tanta Ecclesiæ acceptatione fuisset vbique confirmatus. Nec etiam aliquid in„ decorum aut inconueniens inuoluit, si ex Equitij discipulis fuerit Valentius, propter san„ ctitatem tamen viri & antiquitatem eum ex Valeria Prouincia attraxerit Romam S. Gre„ gorius vt monasterio suo recenter fundato ipsum præficeret, sub regula Benedictina: quia „ enim tunc temporis nondum agnoscebatur ea inter monachales ordines destructio, quam „ nunc cernimus facile fuit, & consuetum sæpius ab vno cœnobio ad aliud Abbatem trans„ ferre. Cæterum satis euidenter ostendit D. Gregorius quam diuersa reuerentia vtrumque „ horum sanctorum prosequeretur, cum D. Benedictum fere semper vocet Patrem Venera„ bilem, Equitium vero, quando maxime effert, vocat virum valde reuerendissimum. Vnde „ insinuat se Benedictum pro patre suo agnouisse, quum titulum illum non ita attribuat alijs „ sanctis monachis, quorum gesta in illis dialogis commemorat. Hæc omnia ideo dixi, vt

„ eos

„eos ab errore & fraude liberarem, qui in historijs non ita fuerint fundati, sicut erat insig-
„nis iste temporum nostrorum scriptor: & vt videatur, quam non expediat nimium subti-
„les esse in illis rebus examinandis, vnde nulla prodire potest certa vtilitas. Hæc grauissimus hic iurisconsultus. Qui cum dicat S. Gregorium vocare D. Benedictum *Patrem suum*, ideo hoc dicit, quia sæpissime, aut longè sæpius quam vlli alteri, Patris Epitheton D. Benedicto apponit: & qui diligenter legerit Prologū inueniet, longe excellentioris ponderis esse apud Gregorium, nomen Patris Venerabilis, quod præter vnum sanctum Benedictum, vix vlli alij, nisi Episcopis concedit: cum titulum viri reuerentissimi, etiam Pręposítis monasteriorum, vt D. Libertino, Præposito monasterij S. Honorati donet. Sed ex hoc Gregorij Lopezij iudicio constat aperte, quam inualidis rationibus Baroniana nixa sit opinio, quam longè infælicioribus ratiunculis Gallonius non suffulcit, sed prodidit reuera, & penitus euertit.

Ponamus iam vltimo loco testes nationis nostrę, non quidem omnes, qui his de rebus scripserint Chiliades enim testium introduceremus; sed aliquot omni exceptione maiores. Constat autem ex primis membris huius nostræ disputationis historiam Angliæ, quę nimirum alumna est Gregorij in lacte Christiano, maximi ponderis esse in hac materia: ne ipsi enim Romani, quibus infiniti alij magni viri suppetunt de quibus gloriantur, ita soliciti fuisse credi debent de rebus Gregorij, quā fuerint Angli, qui non alium in Christo Patrem quam Gregorium, nec alios pædagogos in fide, quam discipulos Gregorij cognoscunt. Quantus vir in omni genere doctrinę, pręcipue in historia Ecclesiastica tam vniuersalis Ecclesiæ, quā gentis nostræ fuerit Nicolaus Sanderus, omnes norunt: is opus de Schismate Anglicano ita exor- *Iudicia peritissimorū antiquariorum Anglię.*
„ditur. Britannos ad fidem Christi primus conuertisse, primamque Ecclesiam in illa natio- *Nicolaus Sanderus.*
„ne Christo erexisse perhibetur Iosephus ab Arimathia: deinde eosdem in fide confirma-
„uit Eleutherius Pontifex Romanus, à Petro duodecimus, missis ad eos Fugatiano & Da-
„miano, qui Lucium Britanniæ regem & permagnam populi patrem baptizarunt; Adeo vt
„Tertullianus vicinus eorum temporum scripserit, Britannorum inaccessa Romanis loca
„Christo subdita esse. Cum autem Angli & Saxones Germaniæ populi, Britannis bello vi-
„ctis & in remotiorem quandam Insulæ regionem conclusis, regni fines longe lateque occu-
„passent: Gregorius magnus ad eosdem Saxones misit Augustinum, Mellitum, & alios S. Be-
„nedicti monachos, qui & gentem eatenus idolis deditam fecerunt Christianam, & Regem
„Cantij Ethelbertum Christi baptismo imbuerunt. Non impar Sandero Antiquitatum Anglicarum peritia D. Nicolaus Harpsfildus Archidiaconus Cantuariensis, qui Christi confessor pro fide Catholica in vinculis obijt sub duro Catholicis Elisabethæ Regno: in dialogis contra Centuriatores, quos edidit eo volente (ne scilicet incarceratores suos exasparatet) amicissimus ipsius Sodalis D. Alanus Copus, tum alias sæpe hanc nostram sententiam asserit, cum D. Benedicti sanctitatem & institutum contra Magdeburgenses defendit: tum præsertim dial. 5. c. 18. Vbi postquam pulchrè Balæum confutasset, qui monachos Bannochorenses Britannorum, Apostolici ordinis vocauit, vt Benedictinos, qui eis successerunt, tanquā *Nicolaus Harpsfildus.*
„mollioris vitæ, & Romano Pontifici addictiores sugillaret, hæc scribit; Sed bene est, mi
„Critobule, quod cum reliquos omnes monachos Magdeburgenses tui à Constantini ma-
„gni ad Gregorij primi tempora acerbe insectentur, & superstitionis arguant: inuenerint ta-
„men tandem, idque extra vestrum ferè orbem, & apud nos, vt ille ait, toto diuisos orbe
„Britannos Apostolici ordinis Duce Congello monasterium. Habemus ergo & nos tādem,
„vel ipsorum confessione, quos tam studiose ante triduum quæsiuimus, Apostolici instituti
„monachos. Atqui certe, si Bannochorenses isti Apostolici monachi fuerunt: nihil dubito in
„hanc classem referre, non Alexandrinos illos apud Philonem tantummodo, & deinde An-
„tonium, & similes, quos adeo Magdeburgenses criminantur; verum & Benedictum, cu-
„ius institutum sequutus est Augustinus. Claudat hanc aciem, (vt sit triariorum) illustrissimus Cardinalis Alanus, qui in Epistola ad D. Athanasium, monachum Anglum Casinensem, cuius epistolæ aliquoties mentionem fecimus, & infra integram dabimus, hanc habet *Gulielmus Cardinalis Alanus.*
„de quæstione præsenti clausulam. Possem, inquit, tuę pietati multa ex historijs nationis
„nostræ, de istius ordinis (*Benedictini*) in Anglia celebritate & sanctitate commemorare: nā
„& Augustinus ipse, & cæteri S. Gregorij discipuli, qui gentem ad fidem conuerterunt, erāt
„omnes huius ordinis; atque omnia primum instituta monasteria (de quibus Venerabilis
„Beda) sicut & ipse Beda erant eiusdem instituti; & capitula cathedralia vniuersa, quæ po-
„sterioribus temporibus erant canonicorum sæcularium, ab initio erant ordinis S. Benedi-
cti. Profecto hi tres viri, nationis nostræ sydera lucidissima, qui in Ecclesiasticæ historiæ peritia nulli erant secundi velut eorum opera in vulgus edita testantur; qui omnia Angliæ Ar-

chiua peruolutarant, vt specialiter ex multitudine manuscriptorum & Priuilegiorum, quæ in sua historia nuper impressa producit Harpsfildus; tantum mereantur fidei, vt præ illis negligi & contemni debeat vllius alterius hominis sententia, sine firmissimę rationis subsidijs, per leues duntaxat coniecturas stabilita. Sed quomodo Romani olim post solidum legionum suarum robur, aliquando subsidiarias cohortes auxiliariorum, etiam conductitij militis collocabant: ita & nos post nostrorum, id est, Catholicorum testium suffragia; producemus aliorum insignium virorum testimonia, qui licet non idem nobiscum sapiant in religione: idem tamen nobiscum sentiunt in hac antiquitatis controuersia. Neque vero expectet lector à me testimonia Centuriatorum, Gesneri, Balæi, similisque furfuris aut fæcis hominum: quamuis etiam illorum consensus, probet sententiam nostram ab omni antiquitate fuisse pro verissima agnitum: sed homines nobiles in republica Angliæ, florentes diuitiarum & honorum gloria; magis autem suspiciendos eruditionis laude, & antiquitatum studiosa indagatione toti Angliæ nobilissimos, causæ sententięque nostræ suffragatores suscitabimus: Quibus cum sententia hæc Baroniana fuisset per amicos proposita, ipsi, pro eo quo prędıti sunt ingenuo veritatis, quam norunt amore, hanc subiectam de ipsa controuersia ecthesin suis etiam nominibus suscriptam tradere non sunt dedignati.

„Quoniam hac nostra ætate exorta est controuersia de monachatu Gregorij magni, & „Augustini Cantuariensis, sociorumque eius, quos Gregorius in Angliam de suo monaste- „rio prædicandi Euangelij causa destinasse legitur: quibusdam ipsos ordini Benedictino ad- „dicentibus; quibusdam vero id acriter perneganitbus, & ipsos ordini S. Equitij, siue alicui „alij, ascribentibus; Nos, qui multum temporis in rebus vetustis, tum ciuilibus, tum sacris; „atque ijs imprimis quæ ad Britanniam nostram potissimum spectant, impendimus; rogati „vt testimonium perhiberemus veritati, cum neutrius partis pręiudicijs simus obnoxij; Di- „cimus & affirmamus, nos duo solum monachorum genera in primis Saxonicæ apud ma- „iores nostros Ecclesiæ temporibus: vnum eorum, qui Ægyptiensium mores sequuti, in „hac insula florebant, ante aduentum Augustini: alterum eorum qui Benedictini Augustino „itineris erant comites. Hanc traditionem à patribus ad filios deriuatam esse testamur: at- „que ita deriuatam, vt non leuibus innitatur fabulis, aut ambitiosis partium cōiecturis; quin „eam ipsam vetusta signatæ fidei exhibent apud nos monumenta. Ab Augustino insuper ad „Henricum octauum perpetuo in hac insula viguit Benedictina institutio: nec Augustino „recentiorem eiusue originem, originisue recentioris vestigium vllibi comperimus. Tan- „tum abest Equitianum aliquem in hac insula fuisse ordinem: vt nulla omnino huiusmodi „neque ordinis, neque nominis mentio in vetustis, quibus versamur, tabularijs, habeatur. „Sane aliorum fere omnium ordinum in hac insula origines ita obseruauimus, vt vniuscu- „iusque etiam minimi ingressum suo anno consignatum habeamus: solius Benedictini ordi- „nis originem ante Augustini sæculum non inuenimus; ipsius sęculo floruisse aperte reperi- „mus. Vnde exploratissimum nobis esse profitemur, non alterius ordinis fuisse ipsum so- „ciosque eius, quam Benedictini: qui ideo proculdubio tam altas radices in Anglia egerit, „quoniam primi illi monachi à Gregorio in insulam destinati regulæ Benedictinę professo- „res extiterunt.

Robertus Cotton. *Henricus Spelman.*
Ioannes Seldenus. *Gulielmus Camdenus.*

Quātæ authoritatis sint prædicti viri.

Triennium est, & amplius, ex quo hanc professionem antiquę veritatis ab his nobilissimis viris amici quidam obtinuerunt: Quam vt pluris facias, lector benigne, intellige cuius sint, & fuerint ipsi in patria nostra existimationis. Qui primo loco subscribit, D. Robertus Cottonus, eques auratus est, ex ordine amplissimo, quos nos Baronettos vocamus, antiquissimæ familiæ & nobilissimæ, amplitudine censuum spectabilis; & quod in eo omnes docti debent honorare, antiquitatum summus amator: quibus conseruandis copiosissimā erexit bibliothecam, in qua est thesaurus ingens librorum manuscriptorum ex omnibus vetustis Angliæ bibliothecis ab eodē summo viro inęstimabili pretio coemptus. Thesaurū vere in eos impendisse dixerit, quicumque inspexerit: eosque non minorum gentium authores, sed selectissimos, antiquissimos, lectuq; dignissimos esse aiunt, qui viderunt. Quod quamuis in viro nobili, diuitijs, honoribus, atque otio florenti valde sit mirum: adhuc tamen magis iucundū dicunt, qui eum norunt; quod non habeat hos libros eo in loco, quo Erasmus dicebat Hispanos habere, quos libris vti pro tapetibus iocabatur. Sed ipse eos ita diligenter versauerit, vt quicquid

D. Robertus Cotton.

quicquid fere memoratu dignum de antiquis historijs contineant in promptu habeat, sitque adeo ipsemet viua quædam bibliotheca. Similiter & qui secundo loco subscribit, D. Hēricus Spelman eques est auratus, & ipse in vetustis Angliæ monumentis versatissimus; presertim autem in cognitione antiquæ linguæ Saxonicæ ita peritus, tanquam si illo sæculo natus fuisset, quo ea maxime vigebat. Tertius D. Ioannes Seldenius iurisconsultus, ita in studio iurium tam ciuilis & canonici, quam municipalis Angliæ profunde doctus, vt inter præcipuos iustitiæ (vt sic dicam) sacerdotes merito habeatur: ita tamen in antiquorū monumentorū indagatione solidus, vt videatur nulli alteri rei operam dedisse; linguarum autē eruditiorum, Latinę, Græcę, Hebraicæ, aliarumque intelligentia valde conspicuus: quod indicant quæ scripsit, non solū nostro Anglorum idiomate, verum & historica quædam, quasi pægnia ludentis aut sese recreantis ingenij, Spicilegia historica in Eadmerum, & Syntagma eruditū de Dijs Syris, quorum mentio in Sacris scripturis occurrit. Camdenum vero nominare tantum satis est, quia per ipsum nota est mundo reliquo Britannia quam elegantissime, verissime, & doctissime descripsit; & per Britanniam ipse notus est mundo; vt proinde horum iudiciū nobis videatur in re antiquaria, (quæ nihil ad fidem religionis pertineat) tanti faciendum, vt magnum profecto causæ sententiæque nostræ robur & firmamentum ex eo credamus accedere. D. Henricus Spelmā. D. Ioannes Selden. D. Gulielmus Camdenus.

Atque ita putamus nos irrefragabiliter demonstrasse, quod proposueramus: & ex perpetua succedentium sibi inuicem temporum traditione; ex antiquissimorum Regum & Pontificū priuilegijs; ex sanctorum hominum qui ante sæculum octauum à sæculo sexto in Anglia floruerunt apertis testimonijs; ex primorum cœnobiorū per Angliam fundatoribus; ex ipsa nigrorū monachorū appellatione sæculo sexto iā per Angliam frequentata; ex coniecturis quę prudenti arbitrio violentam faciunt & fere euidentē probationē; ex amplitudine ordinis Benedictini per totū Occidentē ipso iam viuo Benedicto, statimq; à morte eius disseminati; ex ipsius Gregorij manifestissimis verbis, comparatis cum imbecillimis Antagonistarū nostrorum ratiunculis; ex ipsa tandem professione omnium recentiorum, qui ante Baronium vixerunt, & omnium qui res veteres Anglicanę nationis diligentius tractauerunt; docuimus primos Anglorum Apostolos, Augustinum, Laurentium, Iustū, Mellitū, Paulinū, Petrū, Ioannē, Rufinianū; discipulos B. Gregorij magni, ipsorumq; successores, & discipulorū, vt sic dicā, discipulos fuisse Monachos Benedictinos; nec alium ordinem in Anglia conspectum fuisse per quadringentos & amplius annos, donec primi omniū alterius regulæ professores Canonici regulares S. Augustini, quos nos nigros vocabamus, sub Henrico primo Rege Gulielmi Magni Conquestoris magno etiam filio comparuissent. Quare rogatos volumus viros doctos, si qui hactenus auctoritate paucorum transuersi acti fuerint: vt euidentibus responsis ac probationibus Patrum nostrorum, Constantini Caetani, Henrici Zypij, Antonij Peterij, Antonij Yepezij, Mathæi Loretti, qui omnes sententiam nostram editis disputationibus doctissimis propugnarunt perpensis; nostris etiam (si placuerit) coniecturis, & additionibus, quæ prædictorum disputationibus in vnū quasi conglobatis adiunximus, examinatis, veritati dignētur locum dare; & aut legant hæc, quibus protestamur nos conuicisse contrariā sententiam nouitatis & improbabilitatis; aut si nolint laborem illū sumere, quia nihil ad ipsos forte hæc pertineat controuersia; ne ergo velint iudicium de re ignota, & nō satis perspecta & quæ ipsis non interest facere; nec suis assensibus populum faciunt illis, qui veritatem sola authoritate, & affirmandi audacia, non solidis rationibus, nec vllis veterum scriptorum monumentis impugnant. Nam profecto, qui non audit alteram partem, aut iniustus est iudex, aut imperitus arbiter. Et qui ideo solum marginibus authorum nobilium, victurisq; tabulis appingūt prolatam de hac controuersia quantiuis viri sententiam quia Gallonius aliquis semel respondit, & ita respondit, vt antapologias nostrorum legentibus clarissimum appareat ipsum causam suam non solum perdidisse, verum etiam prodidisse, sine dubio id contra conscientiam rectā faciunt, veritatisque non solum neglectæ, verum etiam violatę & conculcatę rei sunt: Omnis autem veritas Dei est filia, non tantum illa, quæ animas nostras saluat cognita; verum & illa quæcumque opera Dei in hominibus, prout ab eo gesta sunt, vel permissa, sine fuco & fraude, & bonorum damno vel offensione posterorum memoriæ commendat.

SECTIO

SECTIO SECVNDA

ANTIQVITAS CONGREGATIONIS MONACHORVM NIGRORVM S. BENEDICTI IN ANGLIA, ET VARIÆ EIVS ÆTATES ATQVE TEMPORA.

SYNOPSIS TOTIVS SECTIONIS.

§. 1. *Necessitas nobis imposita fuit, defendendi Apostolatum ordinis nostri.* §. 2. *Ab ea defensione transitur ad Congregationis nostræ historiam propugnandam: cuius ostenditur antiquitas æquæua quodammodo ipsi Catholicæ fidei in Anglia* §. 3. *Variæ ætates Congregationis, & sub qua habuerit formam Congregationis strictè sic appellandæ. Eiusque in ea amplitudo.* §. 4. *Emolumenta quæ à Congregatione profluxerunt in rempublicam Ecclesiæ Catholicæ, temporibus Wicleuianis,* §. 5. *De temporibus Henrici octaui, in quibus suppressa monasteria.* §. 6. *Iudicia Protestantum de hoc impio sacrilegio: & damna ex eodem emergentia.*

§. 1. *Necessariò fuit defendendus Apostolatus Benedictinus.*



EGRESSI iam sumus ex circo, in quo pro antiquitate ordinis nostri cum magnis viris pugnauimus, ideoque non mirum foret, si lassi defatigaremur, Fuit tamen nobis aliquo modo necessarium pugnæ illius certamen, aduersarijs autem prorsus indecorum. Nobis enim, si patiamur gloriam Apostolatus Angliæ, Belgij, & Germaniæ, & tot insignes martyrijs, prædicationibusque inclytos monachos ordini nostro eripi: profectò vix restat aliquid insigne, memoratuque dignum, quo possemus in Domino gloriari; dumtaxat in alieno fundamento ædificasse, in alienas possessiones venisse diceremur, & loca quæ monachi Equitiani suo sanguine & sudore Christo acquisiuissent, nos sine labore & certamine insedissemus. At aduersarij cui bono controuersiam hanc mouerunt? Vbi gentium est ordo aliquis Equitianus, ad quem hæc inclyta debellati paganismi monumenta transferri possent? cui tanquã legitimo possessori deberent restitui? Cui alteri ordini in Ecclesia, cui statui prodesset, si persuaderi posset illa nouitas? Profectò non immeritò Patres ordinis commoti sunt, & hãc controuersiam, quæ nemini posset aliquid adferre honoris aut emolumenti; suę vero æstimationi plurimum inferret damni & iacturæ, tanquam in dedecus & ignominiam antiquissimę religionis excitatam interpretantur. Vt si iterum (quod vtinam concedat misericors Deus) Anglia ad fidem catholicam, & Romanę Ecclesię maternum gremium reuertatur, non iam Benedictinos tanquam Apostolorum, & suorum in fide Christi nutritiorum successores suscipiat, & agnoscat; sed tanquam alieni iuris & honoris vsurpatores potius auersetur. Nõ quasi ad illa pręclara cœnobia, opesque immẽsas, quibus olim ditatus in Anglia ordo noster florebat suspiremus. Quod & esset insanum, quia non est quod similium instauratio prærogatiuarum expectetur à sapientibus; & moribus ac professione monastica indignum, cui contemptus

Necessario debuit ordo Benedictinus, ius suum ad primos Angliæ Monaches defendere.

temptus sæculi studium esse debet præcipuum; non temporalis fortunæ magnitudo:sed quia (sicut initio primæ sectionis dicebamus) hæreditariam gloriam amoris ac deuotionis erga ordinem nostrum, ob primum Apostolatum in eodem à diuina prouidentia constitutum propugnare, & vendicare non magis nobis vitio verti debet, quam Apostolo Paulo, quem nemo negabit, ex optimæ conscientiæ dictamine, ius paternitatis & Apostolatus in Corynthijs Christo lucrandis acquisitam alijs aut falso vēdicantibus,aut ab ipso auertere molientibus, noluisse concedere. Non est leuis aut stulta gloriatio, quam asserimus, sed magna procuIdubio in Christo & Ecclesia ipsius,& pro qua non iniuria acerrime dimicandū nobis fuerat. Videmus in simili controuersia de S. Gulielmo Eremita, Aquitaniæ duce,quē ad meliorem frugem à tetro Schismate, vitaque dissolutissima D. Bernardus conuertit; dum Gulielmitæ monachi, & Augustiniani Eremitæ inter se disceptant, cuinam ordini deberetur, cuiusnam fuisset ille sanctus instituti, factum vt integra monasteria, imo integrarum prouinciarum plæraque cœnobia à monachis ad Eremitas sint deuoluta; & vix adhuc concedunt multi Gulielmitas monachos in rerum natura extare(vt loquuntur Philosophi:)qua de controuersia videat lector, si desiderat scire, Albertum Miræū in orignibus monasticis, & Christophorum Henriquez in fasciculo sanctorum Cistercienſium, qui controuersiam hanc lepidè simul, & solidè ex ipsis bullis Pontificum summorum pro eius decisione expeditis deducit. Non est quidem nobis periculum, ne per similem actionem vllius litigatoris monasterijs Anglicis excidamus,quæ iam nimis multos annos ad laicam manum & potestarem plenissimè sunt redacta: sed tamen si illa noua & improbabilis sententia, tot conatibus hominum eloquentium promota obtineret, nemo non videt à quanta celsitudine gloriæ, & venerationis ordo noster decideret. Vt non immerito postulemus ipsos iniuriarū, qui nullo suo commodo, nullo Ecclesiæ emolumento, nullo diuinæ gloriæ incremento sententiam nouā orbi Christiano inuehunt, ex qua illud duntaxat oriatur, vt antiquissimi ordinis, & de Ecclesia Catholica optime meriti decus & maiestas immaniter deturpetur. Sed satis est iam hac de re tum querelę, tum pugnæ: ideoque ad aliud disceptationis nostræ historicæ caput quod est de antiquitate Cōgregationis Benedictinæ in Anglia, accedamus. Est enim longe aliud quid, saltem secundum recentem loquendi consuetudinem, Ordo, & Congregatio; vt non eo ipso,quo ordinem D. Benedicti cum Apostolis nostris in Anglia sedes cœpisse probauerimus, etiam eiusdem ordinis congregationem aliquam fuisse probetur. Addit autem Ordo super Congregationem vt nunc ὡς ἐν τύπῳ, & quantum ad declarationem præsentis sermonis sufficit dicamus: ordo enim solum insinuat multitudinem monachorum & cœnobiorum, eandem regulam, sub eisdem cæremonijs, ritibusque regularibus profitentium: Congregatio pręterea addit consociationem aliquot cœnobiorum & sociorum ad spirituale & temporale stabilimentum sui, in legibus, magistratibus, alijsque rebus,& communicationem bonorum,quātum ad finem conseruandi rempublicam suam necessarium esse iudicant. Quæ consociatio quanta sit aut esse debeat, quanta etiam reuera in monasterijs fuerit, postea in secundo tractatu amplissime demonstrabimus; nunc solum methodo narrationis,tanquā credentes nacti lectores proponemus; postea negantibus solidissime satisfaciemus, ideoque in hac sequentique sectione breuiores erimus, quod ea,quę hic supponimus, in reliquis tractatibus probare fusius debeamus.

§. 2. *Antiquitas Congregationis Benedictinæ coæua ipsi ordini in Anglia.*

QVanta igitur fuerit antiquitas Ordinis Nigrorum in Anglia, de qua hactenus disputauimus: tantam quoque fuisse aliquo modo Congregationis eiusdem ordinis antiquitatem, non omnino incongruè dicere audemus. Non quod tam strictè proprièque acceptæ congregationis forma à S. Augustino fuerit introducta, quàm per illud Congregationis nomen hac nostra & superiori ætate significari cœpta sit: sed quia valde multos propriè dictæ congregationis characteres & idiomata, quæ non nisi in congregationibus propriè dictis solent eadem omnia inueniri (collectionem eandem accidentium Porphyrius vocat) in ordine nostro ab eius ingressu in Angliam reperiamus: quamuis,(vt in mortalibus rebus fieri solet, in quibus optima quæque citissimè euanescunt) quandoque magis, quandoque minus conspicua. Inter eas proprietates primò est, eadem prouincia, siue natio & lingua, intra quam ordo idem continebatur: nam sicut Ecclesia Anglicana rectè vocatur illa pars Ecclesiæ Catholicæ, quæ ab omnibus aliis aliorum regnorum in Catholica Ecclesiæ obedientia florentium Ecclesiis distincta, solos Angliæ indigenos & regnicolas (vt nunc loqui solent) complexu suo comprehendit: ita eadem loquendi analogia numerus cœnobiorum, & mo- *Ratio-nes vnionis & cōmunionis.*

nachorum eiusdē regulæ, atque ordinis, eandem rituum, regularisq; conuersationis formam seruantium, aliquam inter se eorundem rituum connexionem habens, & vnitatē, haud prorsus incommodè Congregatio Angliæ, seu Anglicana potest appellari. Secundo loco, sit illa, quam diximus connexio, & quasi concatenatio siue consociatio monachorum & monasteriorum inter se per aliqua cōmunia fraternæ cōmunicationis vincula, vt sunt eadem forma habitus, eædem ceremoniæ in diuinis officiis, actuūque conuentualiū agendis, idem victus in cibo, potu, & horis reficiendi pro ratione climatis modus ac mensura, ex cōmunis regulæ, quasi iuris cuiusdā ciuilis ipsorū proprij, dictamine, & præscriptione; nā vt ius ciuitatis anima est, & anima formatorius est, & vna forma vnius rei est; ita idē ius, eadéq; regula, vnam & eandem ciuitatem ac Congregationem quodammodo faciunt; maxime si accedat aliqua Prælatorum, seu Patrum ac Abbatum inter se conspiratio, qua se mutuo in obseruantia regulari conseruanda adiuuare, & solatia etiam temporalia siue ciuilis conuictus in opportunitatibus mutuo vicissimque communicare ex pactis & legibus communi consensu initis, & legitima auctoritate firmatis teneantur. Hæc enim omnia in ordinis nostri primordiis per Angliæ cœnobia viguisse, certo nos docent venerabilis Bedę, & aliorum historicorum antiqua monumenta, synodi etiam veteres, atque adeo præsertim Beatissimi Patris nostri Gregorij magni consilium B. Augustino datum: quod cum successores eius, diu diligenterque custodiuisse non est cur dubitemus.

Ab vsu & more primorum Apostolorum nostrorū.

Nam cum à sancto Gregorio quæsiuisset Augustinus, quos præcipuè ritus in nouellam Anglorum Ecclesiam introducere expediret: sanctissimus Pontifex illi consuluit, vt collectis vndecunque præstantissimis tam ex Romana quam Gallicana Ecclesia institutis, iisdem Anglicanam Ecclesiam adhuc in Christo lactentem informaret; vitamque in ea cum fratribus suis socialem, primorum Christi Domini Apostolorum exemplo statueret. Verba Gregorij 12. Registri: ep. 31. ad Augustinum, interrog. 1. sunt ista: *Sed quia tua fraternitas monasterij regulis erudita seorsum viuere non debet à clericis suis: in Ecclesia Anglorum, quæ auctore Deo nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituere conuersationem, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit sub patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Quasi aliis verbis dixisset: si tibi cooperatores Euangelij assignassem, clericos sæculares, qui monasterij regulæ non assueti, cōmunem primitiuæ Ecclesiæ vitam non facile suscipere inducerentur, alia fortè via tibi esset eunda: nunc autem cum tu ipse monachus sis, & in monasterio enutritus, & clerici tui, qui tecum missi sunt, etiam monachi omnes sint: non debes aliam vitam cum illis & inter illos instituere, quam monasticam; quod nec tibi, nec illis erit difficile, cum iam eam viuendi formulam voto professi fueritis; adeoque consulo vt cum nullum in exordio Ecclesiæ illius sit tanti boni obstaculum, eam tu, ad idæam Apostolicorum temporum respiciens, optime conformes, & non alios clericos, nisi qui monasterij regulis viuant, in Cathedrali Ecclesia tua tecum habeas. Ita enim Apostolicam sanctitatem in tuam induces Ecclesiam, quam nos in nostras repugnantibus nunc passim sæcularium desideriis & moribus alij consuetudini addictis, reuocare nequimus. Atque ita accepisse hoc Gregorij consilium discipulos eius videmus, quoniam omnes Ecclesiæ Cathedrales ab illis institutæ monasteria fuerunt. Rursus interrogatione 3. *Nouit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, vt siue in sancta Romana, siue in Gallicana, siue in qualibet Ecclesia inuenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, solicite eligas, & in Anglorum Ecclesiam, quæ adhuc in fide noua est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca nobis amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige; & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.* Hæc fuere beatissimi Pontificis, consilia, quæ eius discipuli, prædicatores nostri præceptorum loco habuerunt, talem informauerunt Anglorum Ecclesiam, quæ quam proxime ad Apostolicorum simplicitatem, puritatemque accederet: vnde sicut illa Ecclesia tota fuit in suo exordio monastica, atque ideo valde distincta ab aliis Ecclesiis aliarum prouinciarum: ita & ipse ordo monasticus hoc modo Ecclesijs Cathedralibus (vt cum Gregorio loquamur) incardinatus & insertus, congregationem quandam instituebat valde diuersam ab ordine S. Benedicti per alias prouincias; diuersam autem, non tam ritibus & cęremonijs, & modo conuersationis regularis; quàm in fine ipso quasi eleuato monachorum, qui magna ex parte iam ad clericalia officia assumebantur, nec tamen monachi esse, aut in monasteriis degere, aut consuetis obedientiæ operibus vacare desinebant. Quare & ab eo iam tempore factum est, vt cum antea in monasterijs paucissimi essent ordinibus sacris initiati, plurimi autem, vel fere omnes laici; postea iam paucissimi essent laici, plurimi autem, vel fere omnes in ordinibus sacris

eris constituti, & officiis altaris, ac Episcopalibus Parochialibusque functionibus applicati. Erat ergo totus ordo S. Benedicti sub primis Apostolis nostris quędam congregatio Ecclesiastica, aut quædam Ecclesia monastica, in qua S. Augustinus tanquam Abbas generalis monachorum suorum inuigilabat profectui, sicut tanquam Archiepiscopus sæcularium & laicorum moribus & profectibus ad cælestia desideria promouendis studebat. Vt hęc non immerito possint haberi quasi prima & optima congregationis Benedictinæ per Angliam lineamenta & rudimenta.

Neque vero incommodè nos loqui putamus, si hic etiam formam congregationis viguisse dixerimus, nam & in aliis Congregationibus ordinis nostri idem fieri videmus, vt initia ipsarum à primo authore reformatioris vitæ, & arctioris consociationis paulo altius repetantur, quamuis ne quidem longè post authoris, seu primi reformatoris decessum perfectè & stricti iuris congregationes fuerint. Sic Cluniacensis congregatio à S. Odone aut S Bernone sumpsisse fertur exordium, licet nec tunc temporis capitulorum generalium celebrationes, nec plena monasteriorum inuicem sibi alligatorum communicatio fuerint in vsum praximque receptæ; nec priuilegia Pontificalia, aut scripta Regalia, seu Principalia in confirmationem talis consociationis fuerint expedita: Horum enim omnium prima & clara, indubitataque mentio, non nisi sub S. Maiolo poterit inueniri: Sic Cluniacensi congregationi magnitudine non impar Cisterciensis à S. Roberto Molismensi sumere dicitur exordium; à S. Bernardo incrementum; sed non nisi postremis eiusdem Sancti temporibus sub Eugenio Pontifice Abbatis melliflui discipulo formam modumque Congregationum strictè sic vocatarũ assumpsit: & tamen nullus est author, qui non istarum Congregationum prima exordia ad S. Bernonem, vel S. Odonem, sanctumque Robertum referat. Sic & initia Bursfeldensis Congregationis à prima reformatione Bursfeldensis cœnobij computantur; & Congregationis Hispanicæ à prima reformatione cœnobij Vallisoletani; cum tamen certum sit, non nisi diu post, perfectæ Congregationis formam induisse, idque etiam non nisi per quosdam gradus perfectionis; ad eum prorsus modum, quo humani fœtus fabrica primo ex embrione fit infantulus, mox puer, adolescens, iuuenis, donec ad virilem statum perueniat, à quo etiam per similia decrementa retrogadæ perfectionis paulatim deficit. Ita sane omnes istæ Congregationes, quas nominauimus, & quæcunque aliæ in Ecclesia extiterunt, vt Discalceatorum, Recollectorũ, aliorumq; Reformatorũm prima reformationis lineamenta quędam ducebant, quæ alij imitarentur: deinde quæ eandem disciplinam assumpserunt cœnobia paulatim, magis, magisque sibi in plærisque communicabant, donec tandem experientia dictante variarum legum necessitatem, perfectis vinculis, & iusta hierarchiæ subordinatione sibi vicissim colligarentur. Quod igitur in reliquis fiebat Congregationibus, hoc etiam in nostra Benedictina Angliæ Congregatione factum est, vt per quædam quasi ætatum incrementa ad perfectam formam, quantum temporum ratio patiebatur, tandem attigerit. Prima igitur ætas sit illa à S. Augustino inchoata, communis & selecta monachorum obseruantia sub ipso & successoribus eius Episcopis diu conseruata; quando, vt diximus, fere totus Angliæ clerus ex monachis duntaxat Benedictinis cõsistebat, quod olim in Africa S. Augustinus tentauerat, sed nec diu perseuerauit, quod eius auctoritate fuerat introductum, nec à reliquis Africæ Ecclesiis fuit receptum.

Hac disciplina paulatim per successum temporum, maxime per paganorum nondum conuersorum feritatem impedita; excitati sunt S. VVilfridus, & S. Benedictus Biscopius venerabilis Bedæ magister, qui deferuescentem obseruantiam, & quasi ob defectum culturæ, & paganorum irruptiones syluescentem; susceptis varijs Romam peregrinationibus, ex iis, quæ in celeberrimis Italiæ, Galliæque monasteriis viderant, restituere, & instaurare fategerunt: idque ita fæliciter, vt ab eorum magisterio profluxerint maximi illi viri, quorum laboribus & martyriis Germania fere tota Ecclesiæ Catholicæ fuit adiecta. Vitam cum morte commutauit sanctus Benedictus anno 703. de quo iuuat Baronij elogium ascribere: *Porro* (inquit) *eiusmodi fundatore propagatus est in Anglia mirificè monachismus, vt planè insula illa, ita diuini spiritus imbribus irrigata, Dei esset paradisus effecta: apud quam dum monastica viguit integra in nullo illæsa aliquando, nulla ad eam hæresis accessum habere potuit: illa vero laxata atque soluta redacta est terra fructifera in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.* Vbi Baronius S. Benedictum fundatorem vocat, non quasi primus monachismum in Angliam introduxerit aut propagauerit; nec quasi maximè dilatauerit: cum non potuerit ignorare Baronius S. VVilfridi pro ea re labores, & monasteriorum vtrisque antiquiorum, quæ nominauimus, fundationes. Sed fundatorem vocat, aut vocare debuit, quia reformationem eximiam, præsertim in chori cantusque ritibus, alijsque piis cæremoniis adduxit, quas cæremonias scimus in omnibus

ordinibus successu temporum magnum accipere solere incrementum.

Successere post vnum sæculum miserrima Danicarum incursionum tempora, quibus omnia monasteria barbarica manu vastata, diruta, incensa fuerunt; & monachi monialesque ita dissipabantur. vt fere extincta fuerit omnis religiosæ vitæ memoria. Excitauit ergo Deus sanctissimum Dunstanum, circa annum domini 900. qui cum Oswaldo & Ethelwoldo Regem Eadgarum, pijs suasionibus impulerunt ad sanctuaria illa pietatis reædificanda; qui vltra quadraginta monasterijs restitutis ordinem S. Benedicti pæne à Danis extinctum ad vitam quodammodo reuocauit. Sanctissimus autem Dunstanus, vt ex prologo constitutionum ipsius, quem in appendice dabimus, legentibus constare poterit, acceptis ex monasterio Floriacensi, & Gandauensi præsertim monachis obseruantiæ sacræ peritis, vniformem per omnia monasteria ritum sanctarum cæremoniarum, disciplinæque regularis introduxit, vt sub istis sanctis Episcopis monachis & Patribus nostris propinquior quædam facies Congregationis, quales hodie habentur, appareret. Quæ institutio, vsque ad tempora Normanni conquestoris vtique perseuerauit. Quamuis ijsdem barbaris sæpius in Angliam recurrentibus, omniaque misere sub ignauis plerumque regibus depopulantibus afflicta monasteria, & sese quotannis fere à Danicis irruptionibus redimere coacta, ægrè potuerint in tantis vexationibus constituta disciplinam exactè custodire.

Ergo sub Guillelmo Normanno Lanfrancus, cum nepote suo Paulo S. Albani Abbate, & successore suo Anselmo, monasticam disciplinam iterum erexit, adeo vt sancta obseruantia ijs cooperantibus per omnia Angliæ cœnobia fuerit mirificè propagata: eo ipso tempore, quo Lanzo Prior S. Pancratij Cluniacensis Congregationis exordia in regnis Angliæ fundauit. Damus in fine ipsam S. Lanfranci reformationem, quam monasterijs omnibus Nigrorum per Angliam instillauit: quæ similiter vt Dunstani concordia, non ineptè formam quandam Congregationis repræsentat. Sed Normannorum regum per longa temporum spatia seueritas in Anglos, quorum terram, non tam vt regnum hæreditarium, quam vt Prouinciam bello subactam dura seruitute premebant; impediuit etiam, ne quæ ab istis erant sanctissime instituta firmas radices agerent; Atque adeò quamuis tam multis sæculis ordo S. Benedicti in Anglia Congregationis quandam speciem præ se ferre gestiret: tamē vsque ad annum 1215. quo Concilij Lateranensis decreto perfectior forma Congregationis omnibus Ecclesiæ Catholicæ regnis est iniuncta, congregatio propriè accepta ordinis S. Benedicti non apparuit. Tum vero mitioribus Regum nostrorum imperijs permittentibus licuit Abbatibus & Prioribus iuxta Innocentij Pontificis mandatum, in Congregationis perfectioris, seuerioris que formam sese colligere, atque ita duæ factę sunt Prouinciæ, Cantuariensis, atque Eboracensis, in quibus formæ Innocentianæ capitula ex decreto Lateranensi singulis trienniis celebrabantur; quę cuiusmodi fuerint latius inferius discutiemus.

Centum postea circiter annis, cum Innocentij constitutio in reliquis Ecclesiæ partibus negligenter obseruaretur, licet in Anglia valde accurate custodita nullatenus intermissa fuisset: tamen cum Benedictus duodecimus Lateranensis Concilij decretum innouando perfectius amplificasset; etiam nostræ Angliæ Prælati sedis Apostolicæ iussibus obedientissimi, constitutum Pontificis reuerenter admittentes, duas suas Prouincias in vnam coniunxerunt, atque ita deinceps vsque ad infœlix schisma Henrici octaui Congregationem perfectam à duobus Præsidibus, certoque numero Definitorum ac Visitatorum, qui per singula renouarentur triennia gubernatam constituere.

§. 3. *Variæ ætates Congregationis Anglicanæ.*

Itaque prima ætas Congregationis Angliæ fuit sub Augustino Apostolo nostro anno 596. secunda sub sancto Benedicto circa annum 703. Tertia sub admirando Dunstano, anno Domini circiter 900. Quarta sub Lanfranco & Anselmo doctissimis præsulibus ad annum Domini 1077. & deinceps. Quibus omnibus ætatibus Congregationis potius vmbram quandam & similitudinem habuit ordo, quam veritatem & proprietatem, prout nunc de Congregationibus loquimur. Nam quamuis his omnibus temporibus fuerit per singulas ætates à magnis illis zelatoribus regularis obseruantiæ, per omnia monasteria constituta summa rituum & legum sacrarum vniformitas, & magna vicissim rerum temporalium, spiritualiumque communicatio; maxime sub S. Dunstano, Sanctoque Lanfranco: quia tamen monasteria ab Episcopis Diœcesanis, qui ipsi quoque erant Abbates, regebantur, & hi inter se magis spontaneo piarum voluntatum consensu & conspiratione, quam legum aliquarum inter se initarum necessitate istam vniformitatem disciplinæ, bonorumque communicatio-

nem

nem introduxerunt,& conseruarunt;quia etiam capitula generalia statis temporibus ex condicto non celebrabātur, in quibus Prælati ordinis cōuenirent de obseruātia regulari tractaturi: propterea propria & strictiori acceptione, Congregationis nomen appellationemque non habebat; habebat autem hanc perfectam veræ propriæque Congregationis naturam in quinta ætate per decretum Concilij Lateranensis, & in sexta ætate per constitutū Benedicti duodecimi, cuius forma indies optimis institutis, decretisque Patrum in capitulo congregatorum editis exornata & amplificata, vsque ad monasteriorum vltimam sub Henrico octauo vastationem perseuerauit. A cuius miserrima ætate, quasi 70. annis captiuitatis interiectis, sancta Congregatio ordinis Benedictinorum in Hispania, Patrum nostrorum, qui Angliam primi conuerterunt, zelum æmulata, magnum numerum monachorum Anglorum educauit: Congregatio etiam Casinensis aliquos eodem modo aluit: quibus tandem Pontifice Clemente æternæ memoriæ dignissimo annuente in missionem Anglicanam destinatis, iterum instaurata est Congregatio antiqua Benedictinorum in Anglia, modo quem inferius copiosè describemus.

Porro quanta fuerit amplitudo Congregationis à tempore Lateranensis Concilij institutæ, quam sanctis legibus informata, quanto zelo gubernata, vsque dum Rege Henrico omnia pro suo arbitrio susque deque vertente ablata fuit Patribus primo libertas in vnum conueniendi, & deinde ipsa monasteria penitus fuerint suppressa, ex appendicis multis scripturis, præsertim illis quæ acta capitulorum generalium repræsentant, potest intelligi. Distinctius tamen propter exteros aliqua sunt hic dicenda, quibus animaduersis, clarius & facilius res tota intelligetur. Fuere igitur ordinis S. Benedicti, siue regulæ Benedictinæ per Angliam monasteria in quadruplici differentia: Quædam enim fuere Cisterciensis disciplinæ, quos monachos albos diximus fuisse vocatos, & eorum præcipua monasteria, ac pœnè omnia in appendice ex actuariorum regiorum catalogis in appendice recensentur, exceptis plerisque Walliæ cœnobiis. Sciendum est enim ordinem seu reformationem Cisterciensem ita Wallis placuisse, vt omnes Abbatiæ, excepta vna aut altera, eam susceperint: propterea quod albus color habitus, quo vtebantur Cistercienses, videretur quasi symbola qualitas, communis illis & antiquis Britonum monachis, qui propterea faciliùs in hanc Cisterciensium disciplinam transiere. Vnde omnes fere Abbatiæ Walliæ fuerant Cistercienses, sicut omnes Prioratus (qui sunt recentioris fundationis) fuerant ordinis Nigrorum S. Benedicti. Quædam alia fuere monasteria Tyronensis reformationis, quæ iam diximus superius transiisse etiam ad Cistercienses, excepto vnico Prioratu de Pulla, qui factus est membrum capituli generalis Nigrorum. Alia fuere Cluniacensis ordinis, numero triginta octo conuentus & obedientiæ; quorum nomina (quia catalogus in appendice nostra, & in bibliotheca Cluniacensi positus, omnino integer non est, hic subiicimus:

Amplitudo Cōgregationis

Monasteria Cluniacensium extrà Cōgregationem.

Domus Cluniacensium in Anglia.

1. S. Pancratij in castro Lewiarum, Prioratus fundatus à Guilielmo Warenna & Gūdreda vxore, secunda filia Cluniacensis: valor annuus erat 1091. lib.

2. Prioratus Bermondseiæ S. Saluatoris in suburbio Londinensi: fundatus ab Aldwino Child, & Gulielmo Rufo, filio & successore Regis Gulielmi primi, dicti conquæstoris: valor annuus erat, 548. lib. subdebatur Prioratui de charitate.

3. Prioratus S. Andreæ de Thetford in Norfolcia, fundatus ab Hugone Bigott, Hērici 1. Oeconomo Palatij, & Episcopo Heriberto: valor annuus 418. lib.

4. Prioratus S. Andreæ in oppido Northamptona, fundatus à Simone Senlis, primo Northāptonæ Comite: valoris annui 334. lib.

5. Prioratus Monialium S. Mariæ de Pratis ibidem, ab eodem fundatore erectus: valor annuus 119. lib.

6. Prioratus de Pontefracto, S. Ioannis Euangelistæ, fundatus in agro Eboracensi à Ioanne de Lacy, Lincolniæ Comite, sub Henrico 3. valor: 472. lib.

7. Prioratus S. Milburgis de Wenlock, in Comitatu Salopiæ fundatus à Rogerio de Montegomerio, Comite Salopiæ sub Gulielmo primo: valor 434. lib.

8. Prioratus S. Trinitatis de Lentona, fundatus in agro Northamptonæ à Gulielmo Peuerel, Comite Notinghamiæ (filio notho Gulielmi primi) & Adelina vxore eius: valor 417. lib.

9. Prioratus de Farley, subditus S. Pancratio, fundatus in Comitatu Wiltoniæ per Humfredum de Bohun Comitem Herefordiæ, & Matildem Imperatricem, filiam Conquæstoris, valor 217. lib.

10. Prioratus SS. Petri & Pauli in Monte acuto, fundatus à Gulielmo Comite Mo-

 ritolij,

ricolij, fratre vterino Conquestoris, in agro Herefordiensi: valor 524. lib.

11. Prioratus de Castelacra, subditus S. Pancratio, fundatus in agro Norfolciæ à Comitibus Warennis Gulielmo & Hamelino. Valor 324.. lib.

12. Prioratus S. Mariæ & omnium Sanctorum in Westacre, subditus S. Pancratio, fundatus à Rodolpho Tony equite, in Norfolcia: Valor 308. lib.

13. Prioratus de Messingham ibidem fundatus & Westacræ subditus.

14. Prioratus S. Iacobi prope Exoniam, seu Excestriam in Deuonia.

15. Prioratus S. Jacobi in Darbeya, subditus Bermondseiæ.

16. Prioratus de Stangate in Essexia, subditus S. Pancratio. Valor 43. lib.

17. Prioratus de Dudley in Staffordiæ comitatu subiectus Prioratui de Wennelock.

18. Prioratus de Kirby Beller, fundatus à Rogerio Bellero & Amicia coniuge, tempore Henrici secundi; Valor. 178. lib.

19. Prioratus de Mendham in comitatu Buckinghamiæ. Valor. 23. lib.

20. Prioratus S. Helenæ in Insula Vectis.

21. Prioratus de Clifford S. Mauri in comitatu Hereford. Valoris 65. lib.

22. Prioratus de Carswell in Dorsatensi pago.

23. Prioratus de Horkesly in Essexia. Valoris 27. lib.

24. Prioratus de Hagham in Lincolnia.

25. Prioratus de Malpasso S. Clari in Wallia. Valoris 14. lib.

26. Prioratus de Normansbery.

27. Prioratus de Aldermanshaue.

28. Prioratus de Cokersand in Lancastria fundatus à Ranulpho de Meschines, Valoris 228. lib.

29. Prioratus de Tiwardrath in Cornwallia, S. Andreæ, fundatus tempore Richardi primi, Valoris 151. lib.

30. Prioratus de Pritwell, seu de Pitorellis in Essexia, subditus S. Pancratio, Valoris 194. lib.

31. Prioratus de Newton Longuille, seu Langley Norfolciæ.

32. Prioratus S. Mariæ de Wangford in Suffolcia, fundatus à quodam Dudone, seu Adeodato Ansceredo Dispensatore Regio. Valoris 30. lib.

33. Prioratus S. Mariæ de Rupe in Wiltonia, Valoris 278. lib.

34 Prioratus S. Sepulchri de Bromholme in Norfolcia. Valoris 144. lib.

35. Prioratus S. Mariæ Magdelenæ in Barnestable, Deuoniæ, fundatus à Iohele de Tornes, filio Ailredi temporibus Henrici I. Valoris 129. lib.

36. Prioratus Hortonæ S. Ioannis Euangelistę, fundatus in Cantio à Roberto le Vere Camerario Angliæ, & subiectus S. Pancratio Valoris 111. lib.

37. Prioratus de Tekeford in Buckinghamia, Valoris 126. lib.

38. Prioratus Dauentriæ S. Augustini, in Northamtonia: Valoris 238. lib. Subditus Priori de Charitate.

Maneria quoque de Ledcomb, & Offord Cluny quæ erant subdita immediatè Abbati ipsi Cluniacensi.

Hospitale S. Ægydij, iuxta portam Criplegate Londini; & aliud iuxta portam Aldgate; & aliud in suburdio Oldburni.

Monasteria nigrorũ alienigenarũ.

Hæc fuere cœnobia ordinis seu Congregationis Cluniacensis, nec plures habuisse Conuentus ipsi fatentur in epistola ad Ioannem Abbatem S. Albani, quam habes in appendice n. 74. temporibus vero Henrici quinti, omnia hæc cœnobia, propter bellum exortum inter Reges Angliæ & Galliæ separata sunt ab obedientia Abbatis Cluniacensis; nec vllam cum Conuentibus alijs ordinis sui extrà Angliam permissa sunt habere communicationem; vnde aliqua ex illis assumptis nouis fundationum titulis, coniunxerunt se capitulo & Congregationi nigrorum, vt Lentona tunc temporis, & Dauentria longissime antea fecerat; alia vero mansere quidem titulo & disciplina Cluniacensis ordinis, sed non subiectione; atque ita in literis resignationum, quæ habentur adhuc in Augmentationis curia, seu officio, quibus sua cœnobia in manus regias coacti sunt resignare, subscripserunt singuli Priores titulo Cluniacensis ordinis ascripto.

Quarta species monachorum regulę Benedictinæ, fuit eorum quos vulgus vsque hodie monachos nigros S. Benedicti vocant: & eorum alij fuere alienigenæ, Galli nimirum homines, qui insignes Prioratus in Anglia possederunt cœnobijs vltramarinis per omnia subiectos, & à monachis Gallis inhabitatos. Horum Prioratuum nomina in appendicem reiecetamus: quorum tantus est numerus, vt mirandum sit profecti tantum charitatis & hospitalitatis in Insula nostra inuenisse homines exteros; tantum diuitiarum & opum tam nobiles Conuentus possedisse? cum iam inter exteros vix possint Angli Catholici vel vnum aut alterum domicilium redditibus mediocribus dotatũ obtinere, in quo suum solentur

ob fidei Catholicæ professionem exilium.

Cæterum Abbatiæ & Prioratus Abbatijs proprijs non subiecti, ordinis nigrorum S. Benedicti, quæ indigenatum Anglorum erant domicilia, & Congregationem, quam diximus, florentissimam à tempore Lateranensis Concilij constituerunt, quæque vsque ad religionis Catholicæ calamitatem vltimam perseuerauerit: longe excellebant ea quæ hactenus insinuauimus cœnobia potentia opum, & numerosorum conuentuum maiestate: eorum nomina, cum Prioratibus seu cellis præcipuis, qui vnicuique fere Abbatiæ multi subdebantur, itemq; reditus annui singularum domuum ex tabulis censualibus hic repræsentabimus; si prius admonuerimus lectores, libram Sterlingam Anglorum, quam hac nota *lib.* significamus decem florenos Belgicos, seu Francos Turonenses valere: deinde Summas, quas hic iuxta veteris census valorem apposuimus, si ad valorem quem nunc hodiernis dant temporibus debeant exigi, sexies vt minimum tantundem multiplicare; vt vbi nos mille libras numeremus, ibi lector intelligat hodierno censu sex mille libras esse computandas: hoc est sexaginta millia florenorum. Monasteria congregationi subdita indigenarum.

Abbatiæ Congregationis Benedictinæ, quarum Prælati locum & suffragium habebant in Comitijs Parlamentaribus Regni.

I. Abbatia exempta S. Albani protomartyris Angliæ, cuius Prælatus propterea habebatur Protoabbas totius Angliæ: in comitatu Hartfordiæ: Valoris annui 2510. libr. Sterl.

Habebat sibi subiectos Prioratus sequẽtes.

1. Aulam S. Albani Oxoniæ, in qua monachi eiusdem monasterij studijs vacabant.

2. Beluere, seu Beluoir in Lincolnia, Valoris. 135. lib.

3. Bingham in comitatu Northfolciæ Valoris 160. lib. habebat 16. monachos.

4. Hatfild Peuerel in Essexia Valoris 83. lib.

5. S. Iacobi in Hartfordia. V. 88. lib.

6. Pembrokiæ in Wallia.

7. Monkton in Wallia. 113. lib.

8. Redbur, in Hartfordia.

9. Wallingford, S. Trinitatis in Barkshiria.

10. Wimondham. Valor. 72. lib.

11. Sopewell Cœnobium sanctimonialium in Hartford. à Godefro Abbate Albanensi fundatum dicatumque S. Mariæ: Valoris 68. lib.

Et duo Hospitalia vicina monasterio.

II. Abbatia S. Mariæ de Abindonia comitatus Barkensis Valoris 2042.

Habebat sibi subditum Prioratum, Coloniam Comitis in Essexia S. Mariæ dicatum, Valoris 175. lib.

Item Prioratum S. Frideswide in Oxonia; qui prius fuerat monialium; postea huic cœnobio datus: & non magno in pretio habitus, cessit canonicis regularibus.

III. Abbatia S. Augustini de Cantuaria, dicata ab ipso S. Augustino Beatis principibus Apostolorum Petro & Paulo, Valoris 1412. l.

IV. Abbatia de Bello, siue de la Bataille; S. Martini, in Sussexię comitatu, Valoris 987. lib.

Habebat sub se 1. Prioratũ in oppido Brechoniæ, S. Ioannis Euangelistæ.

2. Prioratum S. Nicolai de Exonia Valoris 154. lib.

V. Abbatia S. Oswaldi de Bardneya in Lincolnia, Valoris 429. lib.

VI. Abbatia S. Ioannis in Colcestria, cuius vltimus Abbas martyrio affectus est sub rege Henrico 8.

VII. Abbatia S. Guthlaci de Crowland in Lincolnia Valoris 1217. lib.

VIII. Abbatia S. Mariæ, & S. Eadburgæ de Euesham, in comitatu Wigorniæ Valoris 1268. lib.

XI. Abbatia Eboracensis S. Mariæ, Valoris 2085. lib.

Huic subdebatur 1. Prioratus S. Begghe, vulgo S. Bees in Cumberlandia, Valoris 149. lib.

2. Prioratus S. Trinitatis in Wetheral, Eboracensis agri Valoris 128. lib.

3. Prioratus S. Mariæ in Licolniæ comitatu.

4. Prioratus de Rumborow in comitatu Suffolciæ.

5. Prioratus de Warmington in Northũbria.

X. Abbatia Edmondiburgensis, siue S. Edmundi in Buria Suffolciæ: Valoris 1336. lib.

6. Cœnobium monialium S. Gregorij de Thetfordia, in comitatu Norfolciæ, ab Abbatibus huius Abbatiæ fundatum, Valoris 50. lib.

XI. Abbatia S. Mariæ in Glastonia, de comitatu Somersetensi, Valoris 3508. lib.

XII. Abbatia S. Petri de Glocestria, Valoris 1550. lib. Habebat sibi subditos.

1. Prioratum S. Guthlaci in Herefordia.
2. Prioratum de Brumfild in Salopiæ agro.
3. Prioratum S. Leonardi Stanleiæ in agro Glocestrensi Valoris 126. lib.
XIII. Abbatia de Hida Sanctorum Petri & Pauli in Hamptoniæ agro, prope Wintoniam Valoris 865. lib.
XIV. Abbatia de Hulmo S. Benedicti in agro Northfolciæ Valoris 677. lib.
XV. Abbatia Malmesberiensis S. Aldelmi in Wiltoniæ agro, Valoris 803. lib.
Cui subdebatur 1. Prioratus S. Michaelis de Monte in Deuonia.
2. Prioratus S. Mariæ de Pilton in eadem prouincia, Valoris 56. lib.
XVI. Abbatia Petroburgẽsis in Northamptoniæ agro, Valoris 1972. lib.
XVII. Abbatia S. Iacobi in Radingis, Barkensis comitatus Valoris 2116. lib.
Cui subdebatur Prioratus S. Iacobi de Lẽster in agro Herefordiæ.
XVIII. Abbatia S. Mariæ & S. Benedicti de Ramseya in agro Huntingtoniæ Valoris annui 1983 lib.
Cui subdebantur, Prioratus S. Yuonis, & Prioratus Modneyæ in eadem prouincia.
XIX. Abbatia Sanctorũ Petri & Pauli de Salopia siue Shrosberia, Valoris 615. lib.
XX. Abbatia S. Germani Selbia Comitatus Eboracensis Valoris 819. lib.
XXI. Abbatia S. Mariæ de Tauestoke in prouincia Deuoniæ, Valoris 902. lib.
XXII. Abbatia S. Mariæ de Thorney in agro Cantabrigiensi, Valoris 508. lib.
XXIII. Abbatia S. Petri Westmonasteriẽsis in Midlesexia, prope Lõdinũ: Valoris 3977. li. Subdebatur ei, 1. Prioratus S. Mariæ de Hurley in Barkensi agro, Valoris 134. lib.
2. Prioratus S. Bartholomæi de Sudbury in comitatu Suffolciæ, Valoris 122. lib.
XXIV. Abbatia S. Mariæ de Winchelcumba in agro Glocestriæ, Valoris 759. lib.

Abbatiæ, quarum Prælati non habebant sedem in Parlamento, computabantur tamen inter Barones regni Spirituales.

I. Abbatia S. Petri de Abbotsberia in comitatu Dorsatensi, Valoris 485. lib.
II. Abbatia S. Baptistæ de Alcestria, Warwicensis agri, Valoris 101. lib.
III. Abbatia Athelneyæ in agro Somersetensi, Valoris 209. lib.
IV. Abbatia Burtonæ super Trentam S. Mariæ & S. Modwennæ, Valoris 356. lib.
V. Abbatia S. Petri, & S. Ethelwoldi de Cerne, seu Cernelia, in agro Dorsatensi, Valoris 623. lib.
VI. Abbatia S. Petri de Chertseya, in Suthyreya, Valoris 744. lib.
Habebat Prioratum in Cardigan prouinciæ Walliæ, Valoris 13. lib.
VII. Abbatia S. Mariæ & S. Eadburgæ de Einsham in agro Oxoniensi, Valoris 421. lib.
VIII. Abbatia S. Saluatoris de Feuersham in Cantio: Valoris 286. lib.
IX. Abbatia S. Saluatoris de Midleton in comitatu Dorsatensi, Valoris 720. lib.
X. Abbatia S. Petri de Muchelney in comitatu Somersetensi, Valoris 498. lib.
XI. Abbatia S. Mariæ de Pershore, de comitatu Wigorniæ, Valoris 666. lib.
XII. Abbatia S. Mariæ de Sherborne in comitatu Dorsatensi, Valoris 682.
Cui subdebantur,
1. Prioratus de Kidwelly in comitatu Caermarthenæ, Valoris 29. lib.
2. Prioratus Hortonæ in Dorsatensi agro.
3. Prioratus Winburnæ. ibidem.
XIII. Abbatia S. Mariæ de Teukesberia comitatus Glocestrensis, Valoris 1598. lib.
Habebat etiam sibi subditos,
1. Prioratum in vrbe Bristolliæ.
2. Prioratum de Cranburne, in Somerset.
3. Prioratum insignem Wenny in Glamorgania, Valoris 256. lib.
XIV. Abbatia de Whitby, olim S. Hildæ de Strenshall; Eboracensis agri, Valor. 505. lib.
XV. Abbatia S. Iacobi de Walden in Essexia, Valoris 406. lib.
XVI. Abbatia S. Wereburgæ in vrbe Cestria Valoris 1073. lib.

Prioratus Cathedrales, quorum Abbates erant Episcopi: & monachi loco erant Canonicorum.

I. PRrioratus Archiepiscopalis Ecclesiæ Christi Saluatoris de Cantuaria, Valoris 2489. lib.
Inter alios Prioratus, habebat in Buckinghamia

hamia Risburgum, in quoplerumque residebant 14. monachi.

II. Prioratus Conuentriensis Ecclesię, habebat consessum & suffragium in comitijs Parlamentaribus.

III. Prioratus Ecclesiæ Dunelmensis, Valoris 1615. lib. Habebat sibi subdita:

1. Collegium Dunelmense in Academia Oxoniensi, Valoris 115. lib.

2. Prioratū Finckhalliæ in agro Dunelmēsi, Valoris 146. lib.

3. Prioratum Lindiffarniæ, seu Ferniæ, seu insulę sanctæ; in qua prius fuerat Episcopatus cum Abbatia: Valoris 60. lib. in eodem comitatu.

4. Prioratum Stamfordiæ in eodem comitatu, Valoris 36. lib.

5. Prioratum Giruiēsem, seu Giruennæ: Valoris 40. li. Et Weremuthæ, Valoris 26. l. Qui duo, erant monasteria S. Benedicti Biscopi, SS. Petro & Paulo dicata, in quibus V. Beda vixerat: à quibus monachi sunt translati Dunelmum.

IV. Prioratus Cathedralis Ecclesiæ Eliensis in agro Cantabrigiensi, Valoris 1301. lib.

V. Prioratus Cathedralis Ecclesiæ Nordouicensis, Valoris 1041. lib.

VI. Prioratus Cathedralis Ecclesiæ Roffensis in Cantio, Valoris 486. lib.

VII. Prioratus Cathedralis Ecclesiæ Wigorniensis, Valoris 1386. lib.

VIII. Prioratus Cathedralis Ecclesiæ Wintoniensis S. Swithuni, Valoris annui 1507. lib.

IX. Prioratus Cathedralis Ecclesiæ Bathoniensis in agro Somersetensi, Valoris 695. lib.

Prioratus Capitulares, qui alijs Abbatijs aut Ecclesijs maioribus non subdebantur.

1. Prioratus de Bradwell: in comitatu Buckingham S. Mariæ dicatus.

2. Prioratus de Birkhead in comitatu Cestriæ, Valoris 102. lib.

3. Prioratus S. Martini in Dofris, siue Douer. Valoris 232. lib.

4. Prioratus de Howland in Lancastria, Valoris 65. lib.

5. Prioratus de Hatfild Brodoke, siue Bradstoke, S. Mariæ in Wiltoniæ agro, Valoris 170. lib.

6. Prioratus S. Mariæ de Luffildsin in comitatu Buckingham.

7. Prioratus S. Mariæ Magdalenæ de Mōkbreton Eboracensis agri, Valoris 323. lib.

8. Prioratus S. Mariæ in Maluernia maiori, comitatus Wigorniæ, Valoris 375. lib.

9. Prioratus Maluerniæ minoris in eadem prouincia, Valoris 102. lib.

10. Prioratus Pullæ in agro Pembrochiæ, qui olim fuit ordinis Tyronensis, siue Sauigniacensis, sed coniunxit se postea Congregationi nigrorum. Valoris 52. lib.

11. Prioratus de Sneshall Buckingamię, Valoris 24. lib.

12. Prioratus de Spalding, S. Nicolai in Lincolnia, olim subditus S. Nicolao Andegauensis vrbis. Valoris 878. lib.

13. Prioratus de Sandwell in Buckinghamia: Valoris 38. lib.

14. Prioratus de Candwel, siue Caldwell in Bedfordia, qui à Spedo non recte assignatur Canonicis nigris: Valoris 148. lib.

Abbatiæ Sanctimonialium insigniores, quæ visitabantur tam ab Episcopis, quam à capituli visitatoribus: vt patet ex script. 56. in appendice.

1. Monasterium S. Eadburgæ de Barking in Essexia: Valoris 1084. lib.

2. Monasterium S. Helenæ, vulgo Ellenstow agri Barkensis, dicatum S. Trinitati, & S. Cruci Valoris 325. lib.

3. Monasterium de Godstow prope Oxonium Valoris 319. lib.

4. Monasterium de Rumsey in Hamtoniæ comitatu, Valoris 528. lib.

5. Monasterium Haliwel Londini in suburbio Sancti Ioannis Baptistæ, Valoris 347. lib.

6. Monasterium S. Mariæ in Clarkenwel. ibid Valoris 282. lib.

7. Monasterium Sheppeyæ in Cantio, Valoris 129. lib.

8. Monasterium Septoniæ, siue Shaffesberiæ, Valoris 1329. lib.


Multi

Multi alij Prioratus fuere prædictis cœnobijs subditi, multæ item aliȩ sanctimonialiũ domus; sed hæc sunt præcipua monasteria Congregationis, quȩ superius enumerauimus. Inuenimus etiam & *insignia* vt vocant, quæ aliqua ex his monasterijs in sigillo habebant, aut Scuto (vt vocant) gentilitio gestabant, quæ hic inserta damus: in quibus illud est, solummodo aduertendum, litteras insculpeas notare, O. vel OR, aurum; A. argentum; G. gueles i. rubrum, B. bleue. i. Cæruleum, seu Azurium, vt vocant. S. Sable. i. Nigrum. V. Vert. i. viridem colorem.


ABBATIA GLOCESTRENSIS.




ABBATIA DE TAVESTOCK.




ABBATIA DE CERNE.




ABBATIA TEVVKESBVRIENSIS.




ABBATIA EDMONDIBVRGENSIS.




ABBATIA WINCHELCOMBENSIS.




PRIORATVS ECCLESIÆ CRISTI CANTVARIÆ




ABBATIA S. AVGVSTINI CANTVARIÆ.




ABBATIA S. BENEDICTI DE HVLMO.




ABBATIA S. IAÇOBI, DE RADINGIS IN BERKIA.



ABBATIA S. BENEDICTI DE RAMSEYA.



ABBATIS CROYLANDENSIS.




ABBATIA PETROBVRGENSIS.




ABBATIA DE SHREWSBERY.



ABBATIA DE BELLO.




ABBATIA DE WALDEN.



ABBATIA DE HIDA, IN AGRO HAMPTONIÆ.




ABBATIA BVRTONÆ SVPER TRENTAM.




ABBATIA ABBINGDONIENSIS.




ABBATIA DE FEVERSHAM IN CANTIO.




ABBATIA DE COLCESTER IN ESSEXIA.



ABBATIA DE THORNEY.




ABBATIA DE CHERTESEIA.




ABBATIA S. MARIÆ EBORACENSIS.




ABBATIA SHIREBVRNENSIS.




ABBATIA DE MIDLETON.




ABBATIA GLASTENBVRIENSIS.




ABBATIA ABBOTSBVRIENSIS.




ABBATIA S. ALBANI.



MONASTERIVM DE WHITBEY.




MONASTERIVM DE TYNMOVTH.



MONASTERIVM DE SELBY




MONASTERIVM DE MONKE-BRETON.



PRIORATVS S. FRIDESWIDÆ, OXONII.




PRIORATVS BATHONIENSIS.




PRIORATVS DVNELMENSIS.




PRIORATVS DE DOVER.



PRIORATVS ELIENSIS.



ABBATIA WESTMONASTERIENSIS.



Habuit præter dicta cœnobia, duo etiam collegia insignia totius communitatis seu Congregationis communia: vnum Oxoniæ, quod Aula Glocestrensis hodie vocatur, fundata à D. Ioãne Giffordio, Barrone de Brimfeld, cuius fundationis acta habetur in append., nu. 45. Alterum Cantabrigiæ quod vocabatur Collegium monachorum; posteà ab Eduardo Stafford Buckinghamiæ Duce splendidius ædificatum, vocatum est aliquanto tempore Collegium Buckingamicum, donec ipso Duce iussu Regis Henrici 8. Securi percusso, desijt illa appellatio; Mansit tamen in monachorum possessione, donec ab eodem Rege, omnia monasteria religiosorum fuere suppressa. Vtriusque Collegij fit mentio celebris in actis capitulorum generalium, quæ habentur in appendice; & habebant Priorem à collegijs ipsis per suffragia eligendum, & à præside capituli confirmandum. Hæc omnia monasteria, præter Albanense, & Dunelmense (quæ sua separatim sibi collegia parauerant) tenebantur monachos studiorum causa mittere, vt ita Lateranensi Concilio, & Benedictinę constitutioni satisfacerent; inuenitúrque in actibus capitularibus aliquoties memoria mulctarum quas Pręsides iniunxerunt Abbatibus hoc institutum negligentibus.

§. 4. Emolumenta ex Congregatione in rempublicam emanantia.

ET hæc quidem fuit facies Congregationis Anglię Benedictinorum, per trecentos annos; hæc potentia & amplitudo: quæ tanta fuit, vt computatis omnium aliorum ordinum monasticorum, siue etiam Congregationum reditibus annuis, sola Nigrorum Congregatio tantum inueniatur possedisse, quantum fere omnes reliquæ. Fidem faciet huic assertioni, author qui Augustinensis Abbatiæ scripsit historiam, Spina, siue Thornæus, quem antea aliquoties laudauimus. Is enim narrat in conuiuio Abbatialis installationis D. Rodulphi de Borne, quæ ad annum 1309. contigit, excepta fuisse in ipso monasterio vltra sex millia conuiuarum; ferculis lautis numero ipsi abunde sufficientibus. Rursum, ad annum 1375. particulatim

culatim recensens expensas pecunias in confirmatione electionis Michaelis Abbatis S. Augustini ostendit in ministros Pontificios & Regios, tantummodo, pro literarum seu diplomatum expeditione impensas fuisse mille libras Sterlingas, quę summa tunc temporis tanta erat quanta nunc sex millia earundem librarum vix æquarent; Vnde addit idem author hoc epiphonema: *Isto negotio sic vtcumque peracto, monasterium petijt electus, Ecclesiam sibi commissam gubernando: qui a conuentu processionaliter est receptus die S. Wilfridi Episcopi, in feria sexta est installatus: & quod antea in suis negotijs sumptuosis expensis satis fuisset copiosus, nunc suæ prudentiæ initium ostendens, solus ipse cum solo Conuentu sapienter expensis parcis festum installationis suæ in refectorio celebrauit.* Sed de diuitijs & amplitudine temporali non est opus amplius dicere; quæ potius inuidiam, & postea etiam ruinam ipsis monasterijs creauit, dum cupiditati Regiæ orexin excitauerit, vt omnia penitus supprimerentur, quasi magnum crimen fuisset, abundare diuitijs, vnde & cultus Dei gloriose celebrari, & reipublicæ necessitatibus sæpius subueniri, & pauperum ac indigorum eleemosynis copiosissimè distribui consueuissent. De alijs potius dicamus emolumentis, quæ ab hac Congregatione in Rempublicam Christianam, præsertim Angliæ nostræ redundarunt.

Ante Lateranense Concilium. Et quidem quam excellentes in Ecclesia Catholica fructus protulerit in statu ætatū priorum, quando nondum exorta religiosorum multitudine, Congregationum, (vt nunc intelliguntur) nec vsus fuit vllus, nec necessitas; cum omnes in Occidente monachi vnius essent regulæ, & vnius moris, (prout nunc in Græcia esse prohibentur) ac proinde totus ordo in vnaquaque prouincia quandam speciem Congregationis habebat; quemadmodum nunc totus ordo Dominicanorum aut Franciscanorum in singulis regnis, seu Principatibus totidem facit prouinciales Congregationes; Reuerendus Pater Edoardus Mathew commonachus noster & sāctæ Cōgregationis nostrę olim, dū adhuc in viuis esset, definitor in trophæorū libro demonstrauit. Quem librum, quam immerito quidam tenebrio impugnauerit, conficto sibi quæstionis statu, quem nemo defendendum assumpserat, & accepto nomine Congregationis in eo rigore, quem author libri trophæorum sibi non proposuerat; inferius (deo donante) clarissimè patefaciemus.

Post Lateranēse Concilium. Quæ vero emolumenta protulerit eadem Congregatio, in statu quem habuit à Concilio Lateranensi, postquam in omni rigore veram Congregationum modernarum formam & naturam induisset, paucis verbis hic ad gloriam Dei, & ordinis decus delibabimus: integram eiusce rei demonstrationem historiæ nostræ monasticæ latius deducendam relinquentes. Et quidem illa communia, & cuiuis obuia non dicemus, quatuor Ordini nostro fuisse in Anglia præ alijs ordinibus peculiaria, quæ non sine causa ipsum Ecclesiæ Dei reddiderint, maxime venerabilem; maiestas diuinorum officiorum, tanta & tam solemnis, quātam nulla alia religio exercere consueuerat; quæ propterea maximam in populo excitaret deuotionem; Effusa præterea, & admirabilis hospitalitas, & eleemosynarum copia in pauperes omnis generis, præcipue literatos, & secretos, siue eos, qui pudore præpediti, suā rum non auderent alijs patefacere indigentiam; quorum necessitatibus subleuandis ordo noster quasi communem thesaurum exhibebat: vnde non mirum si ingens populi amor in ordinem accēsus fuerit, à quo tanta pauperibus subsidia prouenire quotidie oculis suis perspiciebat. Tum deinde clausura regularis monachorum, qui non videbantur in sæculo; nisi quando aut monasteriorum vrgentia negotia, aut proximorum, vel clientium magna vtilitas alicuius monachi operam postulabat: vnde admiratio quædam & veneratio ordinis in animis omnium oriebatur; siquidem ea tantum admiramur quæ rara sunt & in oculos nostros crebro non incurrunt. Tandem præclara literatura & doctrina Prælatorum, & monachorum etiam inferiorum in omni pene monasterio; quæ summam ordini peperit apud Reges principesque authoritatem: & non parum etiam Ecclesiæ contra hæreticos profuit, tam ad eorum conuictionem, quam ad fidelium catholicorum ædificationem.

Cætera igitur omnia latiori relinquentes tractatui, quartum hoc duntaxat charisma Congregationis, quia nonnulli sunt qui neç credunt ipsi, nec alios libenter credere permittunt; non nostris, sed aliorum authorum verbis in parte demonstrabimus, & quidem talium, de quibus nec suspicio potest vlla esse, quod ordini voluerint adulari; nec vlla probabilitas quod ea in re potuerint falli. Fuerunt autem tria insignia tempora calamitosis nota tribulationibus, in quibus ordinis nostri Congregationisque virtus enituit: quam speramus lectores eo libentius cognituros, quod non simus cum alijs vllis comparationem inituri, aut nostros aliorum statuum hominibus eruditionis aut constantiæ catholicæ laude prælaturi: sed tantum simpliciter & synceriter ex fide dignis relatoribus ostensuri, in ijs temporibus, quibus maxime opus fuit Ecclesiæ animosis confessoribus, & doctoribus eruditis, inter reliquos

liquos Cleri & aliorum ordinum fidelissimos pugiles, etiam Congregationis nostræ homines in extremis non constitisse.

Primum tempus fuit Wicleuianum, quando nimirum sæculari doctrina turgidus, & nobilium quorundam fultus potentia, aut palam applaudentium, aut clam fauentiū hæresiarcha pessimus Wicleffus, sua contra Ecclesiæ catholicæ fidem venena euomuit. In hanc enim certatim etiam zelo diuino inflammati quamplurimi doctissimi viri strinxerūt linguā, & stylum, & perfidi hostis perniciosa dogmata, ne latius serperent, nobiliaque etiam & vitalia Ecclesiæ membra inficerent prohibuerunt. Inter quos etiam ex nostra Congregatione multi excellenti eruditione viri sese pro muro fidei catholicę contra hostis tela opposuerunt: quorum aliquos vir eloquentissimus Doctor Ioannes Pitsius tomo primo relationum historicarum de rebus Anglicis enumerat: cui authori eo maior adhibenda est fides, quod ea quæ de his temporibus scribit, ex duobus testibus, diuersæ farinæ, sed quos in suo quemque genere nemo recusabit, excerpsit. Eorum vnus est Lelandus, antiquarius diligentissimus, & ab omnibus propter peritiam & veracitatem laudatus: etsi nonnunquam synceriorem affectum erga res aliquas controuersas inter nos & hæreticos desideres. Alter est Ioannes Balæus, obscenus quidem & mendacissimus scriptor; sed cuius testimonium per antithesin acceptum, est fide dignum; sic nempe, vt quos ipse tanquam præcipuos Wicleui aduersarios & impugnatores pessimis lacerat conuitijs: eos catholicus lector securè intelligat summis ornandos esse præconijs. Et Lelandum quidem nondum editum viderunt docti: habetur tamen in Anglia manuscriptus, in quo omnia fere Balæi (demptis conuitijs & opprobrijs) habentur annotamenta, quæ ille de illustribus Angliæ scriptoribus ingenti rapsodia consarcinauit. Ea autem omnia quæ ex Lelando sæpe verbatim & nominatim citat Balæus, cum centurijs & elogijs Doctoris Pitsij comparantes, inuenimus per omnia fideliter in bono per vtilissimam & veracem antiphrasim accepta consentire.

Tēporibus VVicleuianis.

Et primo quidem loco, tanquam vexilliferum aliorum omnium, qui contra Wicleuum arma sumpserunt, producere debemus Simonem de Langham Archiepiscopum Cantuariēsem, circa annum 1366. factum: de quo primum audiamus, Parkeri Pseudoepiscopi Cantuariensis testimonium in antiquitatibus Britannicis. Monachus hic primo (*inquit*) Westmonasteriensis, deinde Prior, ac demum Abbas fuit. Quo etiam tempore Regi intimus totius „Thesauri ærarij, Regiorumque redituum custodiam & quæsturam habuit. A Westmona„steriensi deinde cœnobio ad Londinensem Episcopatum adductus est: sed ilico Eliensi (E„piscopatu) per mortem Thomę de Lild vacante, Regis & Papę gratia eo tanquam ad pin„guiorem prouinciam migrauit. Ab eaque, vt diximus, Papæ prouisione deductus, pallium „à Bathoniensi Episcopo, quarto Nouembris in capella S. Stephani Westmonasterij acce„pit, deinde Cantuariæ in festo annunciationis beatæ Mariæ inthronizatus est. Hic Ar„chiepiscopus in tota vita, omnibusque, quæ gessit muneribus non minus prouidus atque „sagax, quam beneficus ac liberalis fuit. *Et postea*: Quod antecedentibus & subsequentibus „temporibus in vsu plærumque fuit, Archiepiscopus Cantuariensis, simul, & Cancellarius „erat. *Deinde iterum post pauca*: Orta inter eum & scholares Cantuariensis collegij ab ante„cessore suo Simone Islip extructi controuersia: Archiepiscopus enim fructus Rectoriæ de „Pagham ad illud collegium (nutriendum) à Simone Islip concessæ sequestrauit: à qua „sequestratione à scholaribus ad Papam appellatum est: sed Archiepiscopus appellationi „non concedens Ioannem Radinghal monachum Cantuariensem scholaribus durante be„neplacito præposuit, quem etiam citò domum reuocauit, aliumque monachum Cantua„riensem, Henricū Woodhill, collegio præfecit. Hic rem strenue ex animo & sententia „Simonis Langham Archiepiscopi gessit: cuius hic fuit conatus vt sæcularibus eiectis cleri„cis introducerentur monachi. In eorum collegio educatus est Ioannes Wicliffe, de quo „deinceps plura dicenda sunt. Is summa ope monachis restitit: sed Archiepiscopi potentia, „& Papæ, ad quem appellatum erat, gratia, monachi superiores in causa fuerunt, quibus sæ„culares clerici cedere coacti sunt. His gestis Vrbanus Papa Cantuariensem Archiepisco„pum Simonem Langham Romæ titulo sancti Sixti Cardinalem creauit: quo audito permo„tus Rex, prædia Archiepiscopatus tanquam vacantis in suam potestatem recepit. At Ar„chiepiscopus nihilo turbatus, ægrè tandem à Rege impetrata Romam proficiscendi licen„tia, suo famulatu destitutus, Archiepiscopatus insignibus exutus omnique iurisdictione „Priori & conuentui Cantuariensi data, ad Pontificem properauit. Ibi suscepto Cardi„nalatu in maxima Papæ Romanęque curiæ gratia vixit, posteaque à Gregorio Papa duo„decimo Prænestinus Episcopus creatus est. Eiusdem in Westmonasteriense cœnobium in„exhausta extitit & profusa liberalitas: in qua simul atque Abbas fuisset, quæcumque mo-

Simon Lāghā Archie. Cātuariensis, ex monacho VVestmonast. Cardinalis.

„nachus aut Prior ante comparauerat, consumpsit; in ipso primo ingressu æs alienum Ec„clesiæ Westmonasteriensis quod ab antecessoribus suis contractũ erat, & ad summam duarum millium & ducentarum marcarum creuerat, dissoluit. Grandem insuper pecuniam „quam monachi mercatoribus sigillatim debebant, soluit: Quos vt filios semper fouit, mo„nasterioque continuit, nihil ab his vnquam ad se priuatim abduxit, sed vt eorum „possessiones augeret, de suo concessit. Deinde cum Regis esset Thesaurarius & Can„cellarius permultis comparatis prædijs illud cœnobium locupletauit. Ex Anglia disce„dens libros 830. libris, cappasque & vestimenta 437. libris æstimata, eidem monasterio „donauit. Moriens etiam omnia sua nomina atque debita, tum vasa aurea atque argentea, „legauit. Debitorum summa MMM. CM. LIIII. libr. in inuentarijs descrip„ta fuit; vasa vero MM. DCC. libr. æstimata sunt. Præterea Cardinalis Car„thusianorum cœnobium Auinioni condidit, & ad conuentum Westmonasterien„sem mille marcas misit ad annuum reditum quadraginta marcarum comparandum, ad „augendas portiones quatuor monachorũ, qui perpetuas missas pro se & parentibus cele„brarent. Pecuniæ summa, quæ ex huius beneficentia ad Westmonasteriense cœnobiũ per„uenit, existimatur fuisse octoginta librarum millium. Hæc Parkerus. Sed Goduinus in catalogo, ait, fuisse librarum decem millium & octingentarum. Qui etiam de Wicleuo hæc „habet: Inter alios (*e Collegio Cantuariensi*) eiectos numeratur Ioannes Wicleuius; qui „summa Dei prouidentia hac tanta iniuria irritatus, in illorum vitijs oculos eo libentius de„figens, reformationis viam inter primos & perspexit, & ingressus est. Hæc isti de Simone nostro testantur: sed causam controuersiæ callide reticuerunt: nam cum Simon Islep ita collegium illud ædificauerat studiosis, vt tamen Præfectus illius semper monachus existeret, Wicleuius factione suorum præfecturam illam inuasit: à qua cum Pontificis decreto, ad quem ab Archiepiscopo appellauerat, inspecta fundatoris voluntate iussus fuerit remoueri, aperte in Ecclesiam arma mouit: sic reuera seipsum hæreticum demonstrans: nam (vt ait Augustinus lib. de vtilitate credendi ad Honoratum cap. 1.) *Hæreticus est, qui alicuius temporalis commodi, & maxime gloriæ principatusque sui causa, falsas ac nouas opiniones vel gignit, vel sequitur.* Hæreticus ergo Wicleuus, qui præfectura, quam iniuste ambiuit, & arrogauit, excidens, adeo in vindictam exarsit, vt propterea magister nouarum hæresum (quas isti reformationis viam appellant) existeret. Sed noster hic Archiepiscopus ex vngue (quod aiunt) leonem & ex cauda draconem agnoscens: iam tum illius ferox ingenium præuidit, & ne diutius maiori damno venena sua occultando noceret potentius, detexit vt caueretur. Quam eius prouidentiam, si reliqui Episcopi diligentius fuissent æmulati; nec impediuisset Ioannis Lancastrij sequaciumque illius in clerum inuidia; certe Wicleuica anguina soboles in ipso (quod aiunt) ouo fuisset extincta.

Sed cum iam principum potentia fretus hæresiarcha cœpisset palam contra religionis catholicæ sanctissima secreta furere; tunc à nostris etiam monachis validissimos sensit antagonistas. Fuit enim circa annum Domini 1370 de Abbatia cathedrali Nordouicensi Gulielmus Bingham, de quo D. Pitsius hæc habet: Vir pius ingeniosus, & doctus, zelo etiam diuinæ „gloriæ plenus. Hunc in eo sane fœlicem merito pronunciarim, quod inter primos iouentus, „si non omnium primus, qui (vt Lelandi verbis vtar) antiquorum rituum obseruantissi„mus, Wickleffo nouarum rerum cupido se constanter opposuit. Nam saltem inter primos „erat, qui deprehendit, & alijs detexit pestilentem hominis doctrinã, eiusque perfidas ma„chinationes scripto doctissimo libro refutauit. Oxonij contigerunt ista; nam illic vterque „simul studebat; Illic Binhamus perspicaci oculo vidit lupum venientem, & non fugit, vt „mercenarius, nec oues prædoni dilaniandas reliquit; sed, vt bonus pastor strenue restitit, „& ab insidiatoris rabie Christi gregem, quantum potuit, defendit. Erat vir alioquin mo„desto, quieto, & tranquillo ingenio, constanti tamen & veritatis tenacissimo. Scripsit igi„tur opus omni sana eruditione refectum contra positiones Wicleffi.

Gulielmus Binghã Nordouicẽsis.

„Eodem tempore floruit Vtredus Boltonus in Anglia Transabrina, vt Lelãdus loquitur, „(*ait D. Pitsius*,) natus, ordinis S. Benedicti, monachus Dunelmensis, vir cuius tum do„ctrina, tum pietas suo tempore multum illuxit. Alacritate ingenij promptus ad studia, affa„bilitatis gratia iucundus ad colloquia, suauitate morum aptus ad conciliandam amicitiã, „denique fœlici naturali indole præclarisque animi dotibus dexter ad omnia. Ab omnibus „fratribus vnice dilectus, Abbati etiam, propter magnam, quam de illo conceperat spem, „mirè charus. Concurrente igitur cum monachorum amore Abbatis fauore, communi cõ„silio & vnanimi consensu, missus est Oxonium ad studia. Vbi labore, industria & ingenij „fœlicitate ad eam doctrinæ perfectionem tãdem peruenit, vt cum eruditissimis sui tempo„ris

Vtredus Bolton Dunelmẽsis.

„ris viris non immerito conferri potuerit. Infœlicia etiam, in quę incidit, tempora fœlici „hominis ingenio per occupationes pessimas exercitium dederunt & incrementum. Nam „diuina, vt interpretor, prouidentia, tum florere, & inter viros doctos eminere cœpit, „cum Ioannes Wicleffus pestilens errorum suorum venenum, & in scholis inter doctos „spargere, & è suggesto in concionibus imperitę multitudini nequiter propinare, & impu- „denter obtrudere satagebat. Cui se strenuè, constanter, magnanimiter opposuit Vtredus, „& de eo tanquam de hoste publico superato non semel triumphauit. Hæc D. Pitsius: eademque suo rabioso calamo (vtcumque rem dissimulans) fatetur Balęus. Sic integra fama & ab errorum impugnatione celebris, sub finem regni Eduardi tertij in legatione honoratissima Romam missus fuit ad Gregorium vndecimũ, ibique perbenigne susceptus, & in pretio habitus, iniunctam sibi munus strenuè peregisse scribitur.

Huius socius & cooperarius in eadem palęstra Simon Southraius monachus ordinis S. Benedicti ex cœnobio S. Albani, sicut Balæus ex Lelãdo refert, præferendus in hoc Iosepho Pamphilo qui nullo ductus fundamẽto nisi forsitan quia nigrum monachum fuisse legisset; „eum inter suos Augustinianos retulit. De hoc ergo D. Pitsius. Erat Sacrę Theologiæ Do- „ctor Oxoniensis. Hunc pietas, doctrina, diuinæque gloriæ zelus celebrem in Anglia red- „diderunt. Cum per id tempus Wicleuus errores suos spargere inciperet, hic omni, qua „potuit, ratione illi obstitit, & communicato consilio cum quodam Dunelmensis cœnobij „monacho Doctore etiam Oxoniensi, (nimirum Vtredo Boltono iam dicto) multum la- „borauit & publicis disputationibus & priuatis colloquijs, & libris tandem scriptis contra „præfatum Wicleffum, vt impiam eius doctrinam refutaret, & ab Ecclesia Christi pericu- „lum hæresis propulsaret. Scripsit igitur in hac Dei & Ecclesiæ causa librum vnum contra „Wicleuitas; alium de authoritate Ecclesiæ; & alium de sacramento altaris. Hæc D. Pitsius. Conuitium huic docto viro magnum se fecisse putauit excucullatus Balęus cum de eo sic „scribit. In pingui Benedictinorum cucullionum collegio ad Albani fanum monachus bene „pastus, post subtilia paganorum studia Theologici nominis Rabbinatum Oxonij inter ma- „gistros acquisiuit. Ore rabido sæuiebat & hic canis atrox, pro truenda sua Antichristi su- „perbia aduersus Christum pauperem, in Ioannem Wicleuum Euangelicę doctrinæ restau- „ratorem fidelissimum perfortiter latrans. Arguebat nimirum ille ex magistro ac præcep- „tore primo Aristotele, magnæ meretricis etiam inebriatus poculo immaculatam filij Dei „legem ad hominum salutem non sufficere, sine superadditis Romani Pharaonis decretis atque decretalibus &c. Voluimus enim semel istius verba adferre, vt modestus lector iudicet, quantis laudibus reuera attolli mereatur, quem iste rabidus scurra tot maledictis quæ virum grauem proferre dedeceret, proscidit. Simon Southraius Albanensis.

Audiamus eundẽ de Ioanne Wellio (forsitã enim hostis acerrimi testimoniũ maioris erit „fidei, quã amici præconiũ.) Hic ergo Ramesiensis cœnobij (*inquit Balæus*) quod à diuitijs „cognomẽ accepit, monachus, nunc inter scriptores nostros locum sibi designari poscit nõ „infimum. Exhaustis ille primum ex communi religionis hoste Aristotele profanorum dog- „matum poculis, Theologistici doctoratus fastigiũ Oxonij è Magistrorum manibus susce- „pit. Vnde vt cedrus Libani alte superbiens, contempto humili Dei verbo, sublimiter glo- „riabatur in verbis mendacij, pijssimos veritatis assertores ferocibus odijs insectando. Nam „& hic quoque tanquam canis rabidus, friuolis argutijs vehementer in Wicleuum latrabat, „& quosdam ex suis sectatoribus iniquo dente lethaliter mordebat. Plura protulit aculea- „ta scripta; (*ac post catalogum eorum addit*) Pluraque alia in eos (*Wicleuistas*) inaniter blate- „tabat, credens in solo monachatu Papistico esse Christianæ vitæ perfectionem. Claruit ex „primis Wicleui damnatoribus vnus, anno incarnati Messiæ 1382. Hæc impurus iste Balæus: quæ non immerito per antiphrasim intelligenda agnouit D. Pitsius, ideoque de eodem Wellio dicit; Fuisse hæreticorum omnium & præsertim Wicleui, suorumque sectatorum iuratum hostem, & vnum ex illis duodecim qui primi omnium, illum & illius errores damnauerunt. Ioãnes Wellius Ramseyẽsis.

„Eodem tempore floruit Nicolaus Radcliffus ordinis S. Benedicti monachus (*verba sunt* „*D. Pitsij*) ad S. Albanum, & ibidem Archidiaconus. Ioannes Lelandus à pijs studijs, & à „pietate studiosa admodum laudat, & quidem non immerito. Nam quicquid ingenio, in- „dustria, doctrina poterat, id omne ad Dei gloriam animarum salutem, fidei propugnatio- „nem, & hæresum extirpationem totis viribus applicabat. Et quoniam incidit in illa infœ- „licia tempora, quibus hæresis Wicleffiana cœpit inualescere, nullum non mouit lapidem, „vt perfidum illud dogma (sic loquitur Lelandus) & impium eius progressum, perniciosũ- „que Reip: Christianæ incrementum impediret. Wicleuum igitur in priuatis colloquijs, in Nicolaus Radcliffus Archidiaconus Albanensis.

„ domesticis exhortationibus, in scholasticis disputationibus, in publicis concionibus &
„ tandem in libris scriptis, tanquam nouarum doctrinarum inuentorem, antiquarum deser-
„ torem, veritatis oppugnatorem, mendaciorum artificem & fabricatorem, inimicum cru-
„ cis Christi, & Ecclesiæ iuratum & publicum hostem, semper insectabatur. Scripsit contrà eum doctissimos dialogos de sanctissima Eucharistia, quod opus inscripsit *Viaticum animæ salubre* &c. Balæus dialogos illos in quibus interloquutores erant Nicolaus & Petrus, à Wicleuo in diuersis opusculis citari asserit, personasque dialogi ab eodem canes nigrum, atque album vocatos scribit, quod Nicolaus iste niger esset monachus, & alter Petrus lacteus esset Carmelita. *Claruit* (inquit) *eius loci* (S. Albani) *Archidiaconus sub Episcopo Londinensi* (de Archidiaconatus officio intellige nam monasterium erat exemptæ iurisdictionis) *anno salutis humanæ* 1390. *regnante in Anglia Richardo secundo, frequenti declamatione Wicleuum damnans, & in cœnobio demum obijt.*

Et ita satis opinamur fidelibus testimonijs demonstratum, Wicleffianam hæresim in suis exordijs à monachis Congregationis nostrę inter primos fortissimè fuisse oppugnatam: nam de alijs in omni genere doctrinæ scriptoribus eiusdem Congregationis cathalogum texere superfluum duximus, cum id abundantissime præstiterit idem D. Pitsius, ex quo ista solum ad fidem faciendam nostræ contra hæreticos tunc temporis emergentes diligentiæ produximus. Duo tamen ornamenta Congregationis præcipua piaculum sit omittere, quæ apud eundem D. Pitsium habentur: cui conformia de eisdem (sed suo tamen maledico stylo) scribit Balæus, & alij quorum scripta legimus, & ex quibus summatim describemus; Primus eorum sit Richardus Episcopus Dunelmensis dictus Philobiblos: quem describamus verbis D. Pitsij: Ricardus Angaruillus (*inquit*) natione Anglus, Patria Suffolciensis, ciuitate S. Ed-

Ricardus Angeruill. Philobiblos Episcopus Dunelmésis.

„ mundi Buriensis, vnde & de Bury cognominari solet, ex monacho Dunelmensi ordinis S.
„ Benedicti factus est primum Regis Eduardi tertij Cancellarius; deinde anno Domini 1333.
„ Episcopus Dunelmensis. Vir qui cum multa pietate coniunctam habuit singularem do-
„ ctrinam. Videtur fuisse sacræ Theologiæ doctor Oxonensis. Nam ibi, teste Ioanne Rosso
„ Warwicensi annis multis studuit, & ad summam tum in sacris, tum in profanis literis per-
„ uenit cognitionem. Inter fautores bonarum artiũ & literatorum hominũ ætate sua primas
„ obtinuit. Plærisque doctis per illa tempora cognitus & dilectus, in quibus etiam nõ pau-
„ ci munificentiam eius & magnas largitiones sunt experti: Mira industria & ingentibus ex-
„ pensis in vniuersitate Oxoniensi gratus alumnus insigné erexit bibliothecam, & in publi-
„ cam studiosorum vtilitatem selectissimis quibusque libris copiosè instruxit. De cuius Bi-
„ bliothecæ institutione, & miro quem habuit librorum amore scripsit opus egregium,
„ quod in suo secessu Auclandensi ad finem perduxit die 24. Ianuarij anno salutis humanæ
„ 1344. ætatis suæ 58. Præsulatus vndecimo, ex quo tẽpore Philobiblos cognominari cœpit,
„ nã opus ipsũ inscripsit Philobiblon, seu de amore librorũ. Hęc D. Pitsius. Cuius libri exẽplar habemus in nostra bibliotheca. De huius Richardi patrocinio literatis viris prestito, Balæus fatetur omniũ fautoré fuisse literatorũ maximũ, nõ sęcus atq; olim sub Augusto Cæsare Mecęnas ille Hetruscus fuit; Additq; author catalogi Episcoporũ Angliæ in scripto Anglico, in quibus se modestiorem longe virtutisque amantiorem, quam in Latino præstitit, semper domi suæ magnum numerum aluisse Sacellanorum qui omnes fuere doctrina insignes, inter quos recenset Thomam Bradwardinum, posteà Archiepiscopum Cantuariensem (à monachis nostris ad eam dignitatem bis postulatum & electum) Richardum Rodulphi, deinceps Archiepiscopum Armacanum Gualterum Burlæum vocatum in scholis Doctorem planum, seu facilem, Robertum Holcot, R. Killington sacræ Theologiæ doctores, Ricardum Wenthworth postea Londinensem Episcopum, & Gualterum Segraue. postea Episcopum Cicestrensem. Morem illi fuisse scribit idem auctor, semper in prandio aliquem librum electum à Sacellano distinctè legi facere, & magnam partem sequentis diei (nisi negotia grauia interturbarent) cum suis Sacellanis de argumento quod legebatur collationem instituere. Erga pauperes fuisse munificentissimum; per singulas septimanas ijs tribuere solitum septem quarterias (vt vocant) frumenti in panem redactas, præter ea quę de mensa supererant Est autem quarteria octo modiorum seu razeriarum mensura. Consueuisse, cum iter faceret in sua Diæcesi à Nouocastro vsque Dunelmum, inter ipsius itineris moram, octoginta florenos, siue octo libras Sterlingas indigentibus distribuere; à Dunelmo ad Palatium suum in Stocton proficiscentem, quinquaginta florenos; à Dunelmo vero ad Aucharland, siue Auckland, quinque marcas (marca Anglis 6. florenos & medium valebat.) A Dunelmo vero vsque Midleton, quinquaginta florenos, atque ita per quasdã quasi stationes eleemosynarũ

quoque

quoque mensuras sibi constituerat; quæ summæ nunc dierum, decies tantum valerent. De erectione autem bibliothecæ Oxoniensis docet idem author etiam quinque studiosos viros sumptibus necessarijs dotasse, qui curam bibliothecę diligentem haberent. Tantum librorum & eruditorum Mecænatem Congregatio nostra protulit illis temporibus.

Adamum Estonium verbis describemus Balæi, quamuis impij, tamen quia hostis monachorum maximus fuit, in hoc negotio fidem facturi, præsertim quia videtur D. Pitsius „eius verba per paraphrasim reddidisse: hic igitur de eo sic scribit. Adamus Eston Bene- „dictinæ professionis Ventæ Iceuorum seu Nordouici monachus, & Oxoniensis Academiæ „doctor, ex singularibus Dei donis in nostro cathalogo locum petit illustrem. Licet hic te- „nui sit natus parentela, vir tamen facundiæ & solidæ eruditionis fuit: tum præterea tam ex- „actus philosophus, vt ad omne disciplinarum genus aptissimus videretur. Erat ille præ- „ter alias linguas. Hebraicè, Græcè, & Latinè peritus, quod ea ætate pro miraculo haberi „poterat. Hanc illi linguarum ac scientiarum virtutem non educatio, aut natura ipsa, sed „insignis quidam labor & diligentia attulerunt. Vnde Romam vocatus à Gregorio XI. fit „eius Ecclesiæ presbyter Cardinalis tituli S. Ciciliæ. Circa annum vero à Christi natiuita- „te 1380. sub Vrbano 6. qui Gregorio successit, incommoda sustinuit multa. Et vt Theodo- „ricus à Niem in primo libro de schismate cap. 57. testatur, Genuæ cum alijs Pontifex cap- „tiuum illum reliquit. Postea tamen ad petitionem Richardi Anglorum Regis, & mona- „chorum qui pro eo scripserant, è carcere dimissus, sed non liberatus, priuatam atque pau- „perem duxit vitam, vsque ad Bonifacium IX. qui in statum pristinum ipsum tandem „reposuit. Plura Adamus scriptis commendauit, scilicet Latina: De communicatione idio- „matum. De sua calamitate. De potestate Ecclesiæ. De electione Pontificis. Defensorium „Ecclesiæ. Perfectionem vitæ spiritualis. Modum conferendi beneficia. Formam proce- „dendi contra hæreticos. Opus vitæ contra hereticos. Dialogum Regis & Episcopi. De di- „uersitate translationum. De veritate Catholica Græcè. Meteora Aristotelis ex Græco. He- „braica vero eius: Alphabetum Iudæorum Hebraicè. Textum Hebraicum bibliorum. Po- „stillam Hebraicam. Psalterium Hebraicum. Expositionem Leuitici. Hebraica Sarraceni. „Hebraica Salomonis Iarchi. Et alia plura habuisse ac scripsisse dicitur. Claruit anno à „Christi seruatoris aduentu in carnem 1390. in Anglia regnante Ricardo eius nominis se- „cundo: & fertur totum vetus testamentum ab Hebræo in Latinum illis diebus transtulisse. Hæc Balæus, cuius testimonium credibile nimis est contra seipsum, & hæresim suam, cum virum tantum, Congregationis nostræ decus insigne collaudet tam excellenti præconio, quem non diffitetur sectariorum hostem acerrimum, & Romanæ Ecclesiæ obseruatissimum fuisse.

Adamus Eston Cardinalis monachus Nordouicēsis.

Interpretabitur Godwinus Balæi verba de scriptis Adami Cardinalis: sic enim de illo scri- „bit, Multa scripsit, vtpote uir egregiè eruditus, sapiens, in rebus gerendis dexteritatis „eximiæ, & linguæ tam Græcæ, quam Hebraicæ (quod in illo æuo mireris) apprimè peritus. „Quapropter ob dotes animi singulares & merita sua, sine vllo gratiæ respectu, Cardinalis „creatus est Sanctæ Cæciliæ. *Et postea*: Volumina reliquit à se conscripta plusquam viginti, „quorum pars maxima, vel Hebræa lingua exarata sunt, vel translationes fuerunt alieno- „rum operum ex Hebræa in Latinam linguam, vel saltem de lingua Hebræa conscripta sunt. „Inter cętera vero, si taceam officium visitationis B. Virginis ab eo compositum, metuo „ne succēseant mihi Pontificij nostri. Hæc Godwinus, ex quo intellige quantæ diligentiæ vir fuerit, qui sua manu adhuc monachus Biblia Hebræa, & glossam Salomonis Iarchi Hebræam descripserit; quantæ eruditionis, qui alia opuscula à Balæo citata in Hebræa Græcaque lingua composuerit; quæ nisi eius opera fuisse cognouissent, nunquam certe illi tātum laudis attribuissent, qui passim nostris, (vtpote quibus in fidei simplicitate satis fuit Hieronymū Hebraicè, quod sufficit Christianis, sciuisse) Hebreæ linguæ ignorantiā; passim monachis otiositatem & ignauiam soliti sunt obijcere. Et illa sane maxima laus est, huius monachi nostri, (primum fortassis post Hieronymi tempora) totius Canonis Hebraici libros de Hebræa in Latinam linguam vertisse.

§. 6. *De temporibus Henrici octaui.*

Atque hæc de insigni Congregationis nostræ fructu contra hæreses & sectarios temporibus Wicleuianis, paulo postquam per Benedictinæ constitutionis dispositionem, duæ prouinciæ Benedictinorum in vnam redactæ sunt. Nunc de eiusdem Congregationis agonibus certaminibusque sub durissimis Henrici octaui temporibus, quando vna cum pu-

blica fidei Catholicæ professione etiam Congregatio nostra quodammodo expirauit: pauca dicamus,idque non nostris,sed verbis maximi viri, Nicolai Sanderi, in lib. 1. de schismate Anglicano. Neque grauiorem testem, nec veraciorem laudatorem potuimus suscitare, nec pulchriorem exornationem nos ipsi valemus concinnare. Postquam igitur infame instrumentum retulisset Sanderus, à Rege Henrico excogitatum, quod à monachis omnibus subscribi per minas & terrores conabatur,nec tamē obtinere potuerat, quo instrumento monachatus condemnatio, & bonorum monasticorum in manus regias resignatio continebatur; hanc de nostris subnectit, lectu dignissimam historiam.

Martyriū Abbatū, & monachorū.

„ Sed cum his artibus res admodum non succederet, aperta vi agi cœptum est: ad decimum enim octauum calendas Decembris, Ricardus Vitingus Glastoniæ, & Hugo Feringdonus Redingi, Abbates ordinis S. Benedicti vna cum duobus presbyteris, Ruggo & Oniono; ipsis autem calendis Decembris Ioannes Becus Abbas Colcestrensis (*eiusdem ordinis, vt patet infrà ex catalogo Abbatum capituli nostri in Appendice*) eo quod huic monachorum libello supplici ab Henrico designato subscribere nollent, varijs in locis martyrij coronam assequuti sunt. Vt autem intelligatur, quàm viam Henricus tenuerit in hac causa prosequenda, quæ etiam fuerit eo tempore monasteriorum ac Abbatum in Anglia conditio; nonnulla sunt adijcienda de Vitingo Glasconiensi, quem loco primo posuimus.

Glastoniæ antiquitas.

„ Glasconia locus est in Occidentali Angliæ parte, qui tam traditione perpetua, quam antiquissimorum scriptorū authoritate,is esse creditur, quem Iosephus ab Arimathia, qui Christum sepeliuit, Iudæorum persequutionibus,Iudæa eiectus, sub Nerone imperatore in Britanniam cum multis socijs delatus, ab Aruirago Britannorum Rege obtinuit, in quo sacellum Deo cæli conderet, anno Christi quinquagesimo: ita enim Gildas Britannus scriptor Christianus, qui propter excellentem eruditionem Sapiens cognominatur, ante mille fere & centum annos memoriæ prodidit, & omnes deinde Anglorum annales confirmant. Hunc locum posteà Lucius Britannorum rex baptismo Christi imbutus auxit, & Inas West-Anglorum princeps potentissimus simul ac sanctissimus, qui primus Angliæ regnum vectigale Pontifici Romano fecit, circa annum Domini septingentesimum & quadragesimum, magnificum cœnobium ibidem construxit: quod plurimi deinceps Anglorum reges tam opibus, quam priuilegijs ornare studuerunt, locum illum primorum sanctorum terram appellantes.

Vitingus Glastoniæ.

„ Huius cœnobij Abbas erat Vitingus, vir & propter ætatem ferè decrepitam Venerandus, & propter vitæ religiosæ moderationem, in summa etiam rerum temporalium affluentia conseruatam, planè admirabilis. Id enim adhuc retinuerat Anglia, vt licet cœnobia opulentissima essent, non tamen nisi à monachis gubernarentur. Omnes etiam religiosi communiter viuebant, diligentissimè choro vacabant; nec nisi rarissimè claustrorum septa egrediebantur. Vitingus igitur cum Abbas esset, Monasterium integrum ac clausum centum plus minus religiosorum habebat: ædibus vero separatis ac locis subuicinis, pro Abbatum consuetudine, ad trecentos domesticos sustentabat: atque in ijs multos nobilium filios. Plurimos præterea ad litterarum studia, in Academijs alebat. Hospitalitatem in omnes peregrinos exercebat quacumque ex causa transeuntes: ita vt quingentos aliquando, eosque equites, eodem tempore reciperet. Quartis ac sextis ferijs eleemosynas amplas certasque pauperibus vndique ex vicinis pagis concurrentibus distribuebat. Atque hæc etiam fuerat aliorum ferè Angliæ cœnobiorum, ac Abbatum ditiorum consuetudo.

Notāda verba viri magni,pro pietate, ordinis S. Benedicti.

Vitingi in fide constātia.

„ Cum igitur ministri regij, qui monasteria obibant,Henricum admonuissent, Vitingum adduci non posse vt instrumento à rege proposito assensum præberet: responsum acceperunt, vt statim eum Londini sisterent; nec prohiberent quo minus honesto satis comitatu pro sua dignitate vteretur; viderent tamen ne quicquam de rebus monasterij disponeret: denique & eques quidam auratus, qui familiæ eius præerat, quemque ministri Regij iam ad partes suas traxerant, velut ad itineris solatium comes ei adiungeretur, reuera autem vt custos esset & explorator. Londini cum esset, Regis consiliarij multis cum sene agendum non existimarunt, cum ex præfecto domus eius intellexissent, obfirmato eum animo statuisse libello illi supplici nunquam subscribere; Rex autem videri nolebat hoc à quoquam vi exigere. Et iam perscrutatis Vitingi scrinijs, libellum quendam contra diuortium suum scriptum reppererat,inscio Vitingo ab ipsis perscrutatoribus illatum: quē satis esse ad mortis prætextum existimabat. Itaque leuiter obiurgatus, & nonnulla parte comitatus sui exutus (equitibus enim centum circiter & viginti stipatus venerat) Londino dimittitur, volun-

„voluntatem Regis domi expectaturus.

„Cum autem ad ciuitatem Wellensem peruenisset, quæ quinque passuum millibus Glasconia abest; intellexit nobilium conuentum ibidem haberi, seque vocari vt adesset. Accessit statim, & curiam ingressus, locum suum inter primos accepturus ascendebat: cum ecce præconis voce iubetur subsellia tenere, ac de perduellionis criminibus objiciendis causam dicere. Mirari senex ac respectare, domusque præfectum quid rei esset, rogare: ille, vt erat edoctus, bono animo eum esse iubet, & in aurem, hæc tantum pro forma ad terrorem fieri insusurrauit. Paulo post Vitingus damnatus, & Glasconiam dimissus est: nihil minus tamen cogitans, quam tam celerem sibi instare vitæ exitum. Ad monasterij autem mœnia cum appropinquaret, oblatus est sacerdos, qui in ipsa lectica confessionem audiret, eadem enim illa hora moriendum ei esse affirmabant. Rogare senex multis cum lachrymis, vt vnus vel alter dies ad mortis præparationem ei concederetur, vel saltem vt monasterium ingressus, monachorum suorum cœtui se commendaret ac valediceret; sed neutrum impetrabat; lectica enim deturbatus, ac crati vimineæ impositus, ad montis editi cacumen qui monasterio imminet, terra pertrahebatur: vbi monachali in habitu suspensus, & quatuor in partes dissectus est, eodem, quo supra annotauimus, die. Eius martyrium.

„Percusso pastore facile dispergebantur oues: nec post horum trium Abbatum occisionem reperti sunt multi religiosi, qui Regis tyrannidi se opponerent. Henricus igitur tanquam victor omnia inuasit, deiecit, vastauit, ac demolitus est: possessiones autem, annuosque cœnobiorum reditus, ne vnquam postea repeti, aut à quoquam suorum successorum principum, Ecclesiæ Christi restitui possent, vniuersos; fere nobilitati distribuit, nonnullos alijs censibus ac rediribus, nonnullos pecunia numerata commutans; Catholicosque etiam inuitos cogebat, vt spolia hæc Ecclesiastica emerent, quo vel sic eos ad sceleris sui defensionem obligaret. Atque hic finis fuit monasteriorum ac monachorum in Anglia, post mille fere annos, quam illi ad eam insulã Christianam fidem attulerant, & cum eadem creuerant, omniumque Regum munificentia aucti fuerant. Henricus autem, vt exultaret in rebus pessimis, & de peccato suo gloriaretur, præcepit Episcopis cæterisque Ecclesiasticis, vt omnibus ad populum concionibus Angliæ monachorum eiectionem gratularentur; plebemque docerent, quantum beneficij ex ea re perciperent, quod non solum à Pontificis Romani iugo, verum etiam à Monachorum importunitate iam liberi existerent; qua de re gratulatio frequens omnibus fere in locis habita est. Destructio monasteriorum. Clarè fatetur Benedictinos fuisse Angliæ Apostolos.

Hæc doctissimus Sanderus. E cuius verbis arbitramur satis manifeste elucere, monachorum inertiam aut luxum (vt nonnulli minus humaniter iudicantes loqui solent) occasionem impio regi, non subministrasse, abominandum scelus de religione opprimenda excogitandi, aut aggrediendi; clarissime enim Sanderus descripsit Abbates & monasteria ordinis Congregationisque nostrę illo tempore communi regularique vita, & chori maiestate, monachorum numero, hospitalitatis laude, & eleemosynarum sanctissimarum abundantia insigniter floruisse. Nec sine sanguine & vulneribus expirare monasticam perfessionem suam passi sunt. Quum nobilissimi eorum Abbates & grauissimi, cum aliquot Prioribus & presbyteris martyrio propter constantiam fidei fuerint affecti, & multi ex illis ad vltramarina dilapsi monasteria, multi in propinquorum ædibus sanctè in professione perseuerantes calamitati suæ superuixerint. Apologeticũ pro monachis, sub Hẽrico grauia passis.

§. 6. *Incommoda ex suppressione monasteriorum in Angliam deriuata.*

Est autem operæ pretium animaduertere, quod fuerit iudicium hominum prudentium, etiam Protestantium de hac monasteriorum demolitione, & suppressione; quam tanto religionis prętextu Henricus Rex patrauit, quasi Deo seruiuisset in eo opere, in quo suæ duntaxat crudelitati & cupiditati indulsit. Dicat suum iudicium liberrimè Camdenus in sua Britannia p. 117. *Fuerunt etiam regnante Henrico octauo (fas sit meminisse) auitæ pietatis monumenta, ad Dei honorem, fidei Christianæ, bonarumque literarum propagationem, & pauperum sustentationem domus religiosæ, scilicet monasteria, siue Abbatiæ & Prioratus numero 645. à quibus cũ Clementis 7. Pontificis permissu fuerint suppressæ 40. in gratiam Cardinalis Wolsæi, qui tunc duo collegia, alterum Oxonij, alterum Ipswichi inchoauerat: statim circa annum 36. Henrici octaui in rempublicam Angliæ Ecclesiasticam quasi torrens rupto aggere irruit, qui gentis Ecclesiasticæ partem maximam, orbe stupente, & Anglia ingemente, cum pulcherrimis ædificijs funditus prostrauit. Nam quod Papa Cardinali, Rex sibi cum Parliamenti aßensu permisit. Vnde anno 1536. singulæ religiosæ ædes* Camdeni verba.

cum

cum facultatibus omnibus, quæ in reditibus annuis ducentas libras, vel minus habuerunt, numeroque
erant. 376. regi fuerunt concessæ. Et anno in sequenti specioso eruendæ superstitionis obtentu reliquæ
cum Collegijs, Cantarijs, & Hospitalibus, Regis arbitrio fuerunt permissæ. Quo tempore censitæ siue,
taxatæ fuerunt religiosæ ædes superstites, 605. Collegia, præter ea quæ in Academijs, 96. Hospitalia
110. Cantariæ & liberæ capellæ. 2374. Quæ pleraque omnia breui post tempore passim dirutas, reditus
distracti, & opes, quas Christiana Anglorum pietas, ex quo primum Christo nomen dedisset. Deo con-
secrauerat, quasi momento dispersæ, & absit verbo inuidia profanatæ. Hæc Camdenus. Dicat etiam
iudicium suum D. Godwinus Herefordensis antistes qui in annalium Anglicorum lib. 1. ad
annum 1540. qui erat 32. regni Henrici octaui, dum Thomæ Cromwelli supplicium, tertio
postquam creatus fuisset Essexiæ Comes sumptum narrasset, hæc habet: *Si quis iam miratus,*

Godvvini verba.

quod amicum Rex & intimum familiarem, quem paucis antea mensibus in summo procerum ordine col-
locarat, cuiusque opera & consilio tamdiu vsus fuerat, non solum abiecerit de repente, sed è medio tol-
lendum curarit tantæ tamque repentinæ mutationis causam quærere perseuerarit: Pontificios audiet di-
centes, non temere hanc cladem, aut fortuitò accidisse, sed diuinitus immissam in pœnam sacrilegij,
cuius autor Regi ferebatur cœnobia euertendo. Et non desunt sane homines docti pijque, qui quanquam
inficias non iuerint, otiosos & ventri deditos homines ex his latibulis vtiliter excitatos, & supersti-
tiones, quibus cultus diuinus inquinatus est, optime abolitas, tamen quod tot tamque magnificas basili-
cas, vt in ijs Deus coleretur a maioribus conditas, a fundamentis distruxerint, quod opum Ecclesiastica-
rum tantam vim interuerterint, & priuatis vsibus addixerint; quodque locum plane nullum reliqque-
rint, vbi monasticam vitam secundum exemplum antiquorum patrum piè transigere volentes quiete de-
gerent, a mundanis occupationibus segregati, & siue scriptioni, siue contemplationi (homines ad res
administrandas siue publicas siue priuatas minus apti, quales multi reperiuntur) toti incumberent: adeo
profecto non probant, vt ob ista vtique Deum multo minus propitium extitisse sibi persuasissimum esse
profiteantur. Hæc ille. Qui suum iudicium non absurdum ineptis parenthesibus contamina-
uit. Quid enim vocat ille *superstitiones abolitas,* quibus cultus diuinus inquinaretur? an idcir-
co, quia deiecta sűt monasteria, aboleuisse putãdus est ipsorũ iudicio Hẽricus, superstitionũ

Quæ hic improbanda.

vllarũ abominationẽ? Omnis labor monachorũ, aut in officijs chori & altaris, aut in cõtem-
plationis exercitiis; aut in scriptionis prædicationisque functionibus occupabatur: officia &
sacrificia Henricus tantum non aboleuit, vt etiam inter articulos capitales quos sanciuerit,
ille vnus fuerit & præcipuus, *si quis sacrificium Missæ & Altaris impugnaret;* quare illud ge-
nus monasticæ occupationis non abolitum est Monasteriorum euersione, licet numerus
certe sacerdotum hoc modo diminutus fuerit, & altarium: in alijs autem occupationibus
orandi, scribendi, nulla certe erat superstitio, sed nec in vita cælibe & solitaria; nam homi-
nibus qui se totos his studijs vellent dedere, nullũ propter euersa cœnobia locum relictum
esse, ipse cum alijs pijs doctisque viris meritò conqueritur. Verba igitur tantum sunt illa, de
superstitionibus abolitis, vt non videretur religionem suam, in qua viuit, damnare quæ adeo
non probat, quod hic cum pijs doctisque viris optat florere, nempe veterem monasticem;
vt hoc ipsum viuendi genus otiosum superstitiosumque passim esse clamitet atque condem-
net. Quare vero otiosos, & ventri deditos homines in his cœnobijs collocatos blasphemat?
Nonne choro, & contemplationi & scriptioni toti dedicabantur? Extatne aliquod è mille
voluminibus scriptum opus de rebus pijs, Theologicis, Moralibus, Historicis, aut Scripturis
sacris, quod non ab aliquo horum claustrorum incola fuerit compositum? Res ipsa clamat,
istos nouos ministellos, quod suum est vitium monachis & regularibus affricare: & ipsi qui
domi suę cum vxoribus & liberis & ancillis suis delicianatur in lautitijs epularum, & vestium
mollium, audeat appellare ventres otiosos homines diu noctuque officijs chori, sacrificijs
altaris, meditationibus, scriptionibus, concionibus, ieiunijs, eleemosynis exercitatos. Dein-
de quam illud est ineptum, homines tantum ineptos administrationibus publicis aut pri-
uatis duntaxat velle claustris includere! Res illa, vita illa, non solet, non potest ab huius-
modi ingeniis suscipi: non est onus pusillanimis, aut humi repentibus mentibus ferendum,
sese totos diuinis contemplationibus, aut sublimium rerum scriptionibus dare: nisi ille tam
iniquus, sit iudex rerum, vt putet eos, qui nihil norunt in rebus magnis, posse aliquid mag-
num in earum rerum meditatione aut contemplatione præstare. Nec vident isti nouatores,
nullos vnquam in Ecclesia maiores sapientioresque rectores animarũ, aut reipublicæ Chri-
stianæ extitisse superiores, illis, quos vetus illa monastica, & illa etiam quæ ad Henrici tem-
pora florebat, protulit: cuius rei testes sunt, non solum antiqua illa orbis terrarum lumina,
Athanasius, Chrysostomus, Gregorij Nazianzenus, & Nyssenus, & Thaumaturgus, Basilius,
Epiphanius, Augustinus, Gregorius Magnus: verum & illi de quorum hactenus monachatu
disseruimus Augustinus, Laurentius, Mellitus, Theodorus, Cuthbertus, Dunstanus, Ansel-
mus,

mus, Lanfrancus, Thomas Cantuariensis, & eorum compares monachi. Quibus nihil maius, sapientius, ad gubernandum aptius sol Anglicanus aspexit. Sed habemus tamen iudicio D. Godwini, non imprudentis in humanis rebus arbitri, fuisse & esse illud piorum, doctorumque hominum iudicium, Deo irato & plurimum offenso ob monasteria euersa, veteremque monasticam penitus neglectam, tot mala Henrico & ministris eius immissa fuisse. Sane quantū incommodi ex eorumdem euersione pauperibus acciderit, refert ex bonis autoribus „autor annalium nostrorum Stous ad annum 1536 his verbis. Parlamentaribus comitijs „mense Februario inchoatis permissa sunt Regis arbitrio omnia regni Angliæ cœnobia, „quorum reditus annui singulorum non excederent censum duorum millium Francorum „Turonensium, cum omnibus bonis quæ ad eadem pertinerent: fuerant illa numero 376. „Mobilia bona & suppellex horum conuentuum minimo pretio distracta, taxata sunt centum millibus florenorum. Lamentatione digna res fuit, inquit autor meus quem sequor, „audire populi, plebeiorūque gemitus & lachrymas summa enim in his cœnobiis vigebat „hospitalitas, putanturque ex hac suppressione amplius quam decem millia personarum „omni spe & re ad victū vesti ūq; necessaria excidisse. Quātū igitur gemituū, quot flumina lachrymarum pauperes de pleb. profudisse par est anno sequenti, quando 600. maiora cœnobia, longe opulentiora reditibus, abundantiora eleemosynis, numerosiora clientelis sunt ad priuatorum fisci & fiscalium prædatorum vsus redacta; quorum suppressione proculdubio aliquot centena hominum millia ad extremam sunt mendicitatem redacta. Sed audiamus iam Dei iudicium, non trepidè & dubitanter, vt fecit Godwinus, sed affirmatè & sine dubio pronunciatum. Idem igitur annalium autor aliud narrans Wolsæi Cardinalis facinus execrandum (de quo supra Camdenus) dum ad sua Collegia ambitiose fundanda quadraginta minora cœnobia longe melioribus vsibus per deuotissimos fundatores applicata, „suppresisset; ait: Cum obtinuisset Cardinalis Wolseius (*inquit*) a Clemente septimo po- „potestatem quadraginta Monasteria optimæ famæ, hospitalitatisque laude celebria; neque „rex propterea illum reprehenderet, nullus Episcoporū aut procerum regni contra hiscere „ausus fuit. Quinque habuit huius facinoris administros præcipuos: qui cum Prio- „rem conuentūque Dauentriæ quadam vice quædam cœnobij latifundia postulassent, pas- „sique fuissent à monachis repulsam: statim excogitata causa eosdem apud Cardinalem ac- „cusarunt, qui occasione gaudens oblata, statim iussit conuentum dissolui, & nouo colle- „gio suo cœnobij bona applicari. Quantum autem supplicium sumpserit Deus ipse, de au- „thoribus & ministris huius sacrilegæ rapinæ, ad ambitionem tantummodo suffulciendam „commissę, cui opes priuatæ Cardinalis non sufficiebant (inquit meus auctor) nos ipsi in „parte oculis nostris conspeximus: Equinque enim istis (quos diximus) administris duo in- „ter rixantes à verbis ad gladios ita processerūt, vt alter occisus, alter superstes pugnæ pro- „pter ipsum homicidium fuerit in furcam sublatus; tertius seipsum in puteum præcipitaue- „rit; quartus bene notus multis ex valde diuite redactus ad extremā inopiam vsq; ad diem „vltimum miserabilis vitæ ostiatim mendicare coactus sit; quintus, vocatus Doctor Alanus, „præcipuus sacrilegiorum istorum executor, iam in Hibernia factus Episcopus, crudeliter „membris truncatus fuit. Cardinalis ipse paulo post in Regis odium incurrens, miserabili „morte perijt omnibus dignitatibus prius exutus; collegia, quæ meditabatur magnificentis- „sima structura ex ruinis monasteriorū erigere, nunquam fuere consummata; nam Ipswi- „cense collegium penitus fuit dirutum, & Oxoniense etiam hodie manet duntaxat inchoa- „tum. Pontifex quin etiam Clemens, qui hanc Cardinali licentiam permiserat, magno vitę „suæ discrimine in castro S. Angeli obsessus vix euasit, Romana vrbe ab obsessoribus, mise- „re ante oculos eius deuastata. Hæc verbatim annalista noster, qui omnium manibus passim teritur: vt iudicium Pontificiorum quod Godwinus obliquè laudauit, appareat verissimum, & Deo ipsius iustissimi iudicis manu confirmatum.

Quæ probāda.

Virum magnum, & summa familiarum Anglicarum, historiæque antiquæ notitia præditū citare testem possumus, quem coram aliquot viris intelligentibus, & nobilibus, religione Protestantibus, ipsum etiam professione protestantem narrantem audiuimus, quo tempore Rex Henricus octauus opima illa cœnobiorum latifundia, ducentis sexaginta & amplius nobilibus viris, vel gratis, vel permutatione facta distribuisset, etiam Thomam Norfolciæ ducem, viginti clientibus suis, qui ei diu fideliter liberaliterque seruijssent, reditum perpetuum quadringentarum librarum sterlingarum ex æquo repartiuisse: ex horum viginti nobilium stirpe superesse adhuc hæredes singulorum, in ipsis hæreditatibus, quas à Duce patribusque suis acceperunt florentes; ex toto autem eorum numero, qui cœnobiorum opibus fuerunt ditati, non superesse sexaginta familias, quæ in bonis perseuerant auitis, omnes reliquas

Infausta laicis bonorū cœnobialium possessio.

liquas familias penitus eis rebus, quas sic à Rege Hērico possederant, hodie excidisse. Idque sibi ita notum dixit vir ille nobilissimus, vt si opus foret, singulos illos nobiles posset enumerare. Quid autem vnum citamus testem? Omnes quotquot hodie bonis fruuntur monasticis, aut ab ecclesiarum cultu ablatis hoc quotidiana sciunt experientia verissimū esse, quod vir ingeniosissimus Bosenus in politicis dixit: reditus ecclesiæ & monasteriorum esse velut aquilarum plumas, quæ si aliarum auium plumis misceantur, easdem velut igne contractas destruunt, vsuique prorsus ineptas reddunt; ita quæ populi principumque deuotio contulit ad cultum Dei, ad ecclesiarum, personarumque Deo dicatarum nutrimenta; sunt aquilinæ pennæ, ad cœlum subleuantes sancto volatu, eos qui pias illas fundationes instituerunt, quamdiu illi duntaxat finis inseruiunt, cui fuerunt ab exordio dicata: at si misceantur laicalibus feudis, & ad temporales applicantur causas, adeo non apportant ipsis quicquam incrementi, vt etiam temporales reditus, quibus augendis addebantur, non minuant tantum, verum & ad nihilum perducant.

Vt illa omittantur, quæ sæpe viri nobiles, liberorum multitudine grauati frustra plorant: terram ipsam nunc non sufficere tot mortalibus, qui quotidie nubunt, & nubentur, ac propterea multiplicantur in infinitum, reditibus interea nobilium necessario tanto magis decrescentibus, quanto latius familiæ dilatantur frequentatis coniugijs: vnde sicut maxima corpora crebis minutisque diuisionibus, & incisionibus abeunt in atomos, indiuiduaque corpuscula: ita etiam generosæ familiæ, quæ columina quondam fuerunt reipublicæ, nunc tot hæreditatum partitionibus imminutæ, abeunt paulatim in plebeios; & non iam virtutes auitæ, aut propriæ quemquam possunt efferre; sed solę diuitiæ, quæ nunc ablatis monasterijs, omnes vident penes mercatores duntaxat, & leguleios sedem elegisse, animos plerumque terrenos, & luti rubri mancipia: à quibus quid arduum, sublime, cœlicum, diuinis mentibus dignum expectabis? At cum cœnobia florerent, ecclesiæque Dei suis gauderent honoribus & prærogatiuis, florebant vna & nobilium familiæ, cum hæreditates penes primogenitos manerent indiuisæ, & qui multis abundarent prolibus, haberent vbi cum iucunditate & honore possent plærique liberi ipsorum educari, nullo suo sumptu aut cura: atque ita educari, vt vel omnino sæcularibus curis renunciantes vitam beatam in claustris ducerēt; vel apti inuenti rebus magnis gerendis, aut ecclesijs præficerentur, aut regijs ministerijs, reipublicæque maximis officijs applicarentur: quæ nemo non videt longè fœlicius administrari à viris in quibus cum nobilitate generis eruditionis claritas, & religionis pietas coniunctæ florebant; quæ vix vnquam nunc in paucis hominibus possunt inueniri, tunc autem fere in omnibus nobili loco natis reperiebantur. Vel solæ dotes, quas filiabus nubilibus oportet nobiles patres præparare, si velint iuxta leges rationis reipublicæque suæ mores antiquos, eas dignis sanguine suo matrimonijs elocare, maximas depauperant familias: vt dum ingenti summa dotalitia maritus filiæ paris nobilitatis (vt sic dicamus) emitur, reliqui omnes fratres necessaria sustētatione fraudentur. Nam illas alias cœlestes causas, iam nō esse in Anglia locum, vbi mentes Deo dignissimæ, amore diuino sauciæ, possent exemptæ strepitu sæculi Deo penitus sese immergere; & similia multa, quę possunt afferri non dicimus, propterea quod noui Euangelij sectatoribus nihil videatur ineptius, aut inutilius, quam otium illud spirituale: vnde vidimus nuper ex Godwino, illud genus vitæ solis illis per nouatorum scita adiudicari debere, qui rebus publicis aut priuatis administrandis minus idonei inueniuntur: optima quæque sæculo danda. Ignari videlicet sunt isti Spiritus Dei iudices, nesciuntque parum valere foris actuosos administros, si intus non habeantur deuoti ad Deum oratores; & plus vnius Mosis in monte orantis manus imbelles posse contra Amalecitarum gladios, quam Iosuam omneque Israelitici exercitus robur; vnum Elisæum potuisse fusis ad Deum precibus contra Assyrios; quod nō potuissent omnes Achabi milites. Atque ita multo vtilius, iucūdius, gloriosius floruisse regnum Angliæ cum abundaret cœnobijs, domibus nimirum precum & orationū; quam ex quo illis, specioso obtentu (vt verissimè loquitur Cādenus) superstitionis obterendæ, dirutis, locum dederunt vitijs Samariæ, saturitati panis, & luxui vitę.

Hērici octaui testamentū.

At quia Henrico octauo tanquam reformationis suæ primo motore gloriati hactenus sunt protestantes Angli; non erat abs re, si quam ille mordicus religionem etiam moriens retinendam iudicaret, non solum ex lege sex articulorum per ipsum constantissimè semper seruata, verum etiam ex ipsius testamento & vltima voluntate, cuius partem priorem Anglico fideliter traductam hic inseremus:

„In nomine Dei, gloriosæque & benedictæ virginis Mariæ Dominæ nostræ, totiusque „sanctę societatis cœlitum, nos Henricus Dei gratia Rex Angliæ Franciæ & Hiberniæ, Defensor

„ fensor fidei,& in terris immediatè sub Deo supremum caput ecclesiæ Angliæ & Hiberniæ, „ eius nominis octauus: reuocantes in memoriam magna dona & beneficia omnipotentis „ Dei nobis collata in hac vita transitoria, ipsi submisse humilimas reddimus gratias, agnos- „ centes nos ipsos protinus insufficientes ex vlla parte ad eadem beneficia promerenda aut „ compensanda: quin potius metuentes ne illa non digne receperimus. Perpendentes vlte- „ rius apud nos ipsos, esse nos (vt & totum genus humanū) mortales, in peccato natos; „ cerdentes nihilominus & sperantes, omnem Christianam creaturam in hoc transitorio mi- „ seroque mundo viuentem sub Deo, (dummodo in fide stabilita conetur & exerceat in hac „ vita si tempus habuerit, talia charitatis & pietatis opera quæ scriptura iniungit, quæque ad „ Dei honorem & beneplacitum faciunt) ordinatam esse vt per Christi passionem saluetur, „ & ad æternam vitam pertingat; de quorum numero veraciter confidimus nos ipsos per „ Dei gratiam existere; Considerantes etiam vnamquamque creaturam quanto fuerit subli- „ mior statu, honore, & auctoritate in hoc sæculo, tanto esse obstrictiorem, vt amet, Deum, „ eique seruiat, & gratias agat; tantoque diligentius conari debere vt bona opera charitatis „ faciat ad laudem, honorem, & gloriam omnipotentis Dei: Memoria etiam repetentes, „ dignitatem, honorem, regnum, & gubernationem, ad quæ nos vocauit omnipotens Deus „ in hoc mundo: quodque hec nos ipsi, nec vlla alia mortalis creatura nouerit tempus aut „ locum quando vel vbi placebit omnipotenti Deo nos ex hoc transitorio sæculo euocare: „ Id circo volentes & meditantes per Dei gratiam, ante nostrum ex eodem mundo transitū, „ disponere & ordinare nostram vltimam mentem, voluntatem, & testamentum, eo modo „ quo cōfidimus gratum fore omnipotenti Deo, vnico saluatori nostro Iesu Christo & toti „ societati cœli, ad satisfactionem etiam omnium piorum fratrum in terra, adhuc integra „ perfectaque mente, adhærentes totaliter rectę fidei Christi eiusque doctrinæ, pœnitentes „ de veteri detestabilique vita, habentes perfectam voluntatem & mentem per eius gratiam „ nunquam ab ea deflectere, quamdiu vlla memoria, spiritus, aut interior cognitio fuerit in „ hoc nostro mortali corpore, humilimè & cordialissimè commendamus & legamus animā „ nostram omnipotenti Deo, qui eam in sua persona redemit pretioso corpore & sanguine „ suo in tempore passionis suæ: & in pleniorem eius rei memoriam reliquit hic nobiscum in „ ecclesia sua militante consecrationem & administrationem pretiosi corporis & sanguinis „ sui, ad consolationem nostram non mediocrem, si nos eam ita gratanter accipimus, sicut „ ille gratanter, & quantum ex hominum parte est, immerenter, ad nostrum, non suum bo- „ num illam ordinauit.

„ Instanter etiam rogamus & obsecramus Beatā virginem Mariam Dei matrem, totamque „ sanctam societatem cœli, vt continuo pro nobis & nobiscum precentur quamdiu in hoc „ mundo viuimus & in nostro transitu de illo, vt citius pertingamus ad vitam æternam, quā „ & speramus & vendicamus ex Christi passione & verbo. Quantum ad corpus meum, quod „ quando inde anima discesserit, manebit cadauer, atque ita ad vilem materiam, vnde fa- „ ctum fuerat, redibit; nisi locus, & dignitas ad quam nos vocauit Deus, impediret; & ne „ notemur quasi violatores humanitatis, & bonarum consuetudinum, quando legi Dei nō „ contrariantur: contenti sane essemus vt quouis in loco sepeliretur Christianæ sepulturæ „ consueto, quantumuis vilis foret: cinis enim est duntaxat, & in cinerē reuertetur. Nihil- „ ominus, quia non libenter volumus populo nostro videri iniuriam facere dignitati ad quā „ Deus nos immeritos vocauit, contenti sumus, & per hanc nostram vltimam voluntatem „ ac testamentum volumus & ordinamus, quod hocce corpus nostrum terræ mandetur & „ sepeliatur in choro Collegij nostri de Windesor, in medio spatio inter stalla, & summum „ altare; quodque fiat & collocetur, quam primum commodè possit post decessum nostrum „ per exequutores nostros, & nostris sumptibus atque expensis (si tamen per nos ipsos in „ vita nostra non fiat) honorabile monumentum in quo ossa nostra requiescant, quod mo- „ numentum iam pene cōsummatum est, cum cancellis seu cratibus pulchris circumpositis: „ in quo etiam monumento, volumus ossa, & corpus fidelis, & dilectæ coniugis nostræ „ reginæ Ianæ simul poni; vtque prouideatur, ordinetur, & fiat expensis, sumptibusque no- „ stris, aut exequutorum nostrorum, (si tamen in vita nostra non fiat) conueniens altare re- „ uerenter ornatum & instructum omnibus requisitis & necessarijs ad missas quotidianas „ ibidem dicendas perpetuò, donec mundus perseuerat. Volumus insuper vt sepulchra & „ altaria Regis Hērici sexti, & Regis Eduardi quarti, abauunculi, & aui nostri fiāt forma au- „ gustiori magisque principali & regali ijsdem in locis, in quibus nunc sunt, idque no- „ stris sumptibus & expensis. Est insuper voluntas nostra & specialiter desideramus atque „ requirimus, vt vbi & quandocumque placuerit Deo nos vocare ex hoc mundo transitorio

„ad infinitam misericordiam & gratiam suam, siue vltra maria, aut in quocumque loco extra „nostrum Angliæ regnum vel intra ipsum, Exequutores nostri, quamprimum commodè „poterunt, curent omne genus seruitij diuini, quod pro defunctis fieri solet, pro nobis etiã „celebrari, idque in proximo maximeque commodo loco, respectu illius in quo nos ex hac „vita caduca decedere contigerit. Volumus præterea vt quandocumque & vbicumque pla„cuerit Deo nos euocare ex misera vita ista ad infinitam misericordiam & gratiam suam, siue „intra regnum, siue extra ipsum, exequutores nostri, quam poterunt pio, conuenienti, & „celeri modo ordinent & procurent, corpus nostrum transferri & portari, atque conuehi, „ad prędictum collegium nostrum; Windesoræ quoque seruicium *Placebo*, & *Dirige*, cum „concione, & Missa postero mane, nostris sumptibus & expensis deuotè celebretur, & so„lemniter obseruetur, vt ibi terræ mandetur & sepeliatur in loco designato pro sepulchro „seu monumento ad eum finem faciendo; & hæc omnia vt fiant deuotissimo, quo fieri po„terunt modo.

„Volumus & iniungimus Exequutoribus nostris, quatenus disponant & per viam eleemo„synæ distribuant pauperrimis maximeque indigentibus personis, quæ inueniri poterunt „(exclusis tamen, quantum ratio postulat, mendicis ordinarijs) idque quam breuissimo in„teruallo post nostrum de hac vita transitoria discessum, summam mille marcarum legalis „monetæ Anglię, partim quidem eodem ipso in loco, in quo placuerit Deo nos ad suam, „misericordiam euocare; partim in itinere, partim in loco ipso sepulturæ nostræ secundum „quod ipsi discretius iudicauerint; vtque populum, cui hæ nostrę eleemosynæ tribuentur, „moueant, vt Deum ex corde precentur pro peccatis nostris, & salute animæ nostræ.

„Item volumus, vt quanta commodè fieri poterit celeritate post nostrum ex hoc mundo „transitum (si in vita nostra id non fiat) Decanus & canonici liberæ capellæ nostræ intra „castrum Windesoræ habeant in manerijs, terris, tenementis, & spiritualibus promotio„nibus ad annuum valorem sexcentarum librarum, vltra omnes alias expensas, ijsdem asse„curatũ, & successoribus eorum in perpetuum, sub his conditionibus sequentibus, & pro „debita adimpletione omnium conditionum inibi contentarum, per formam indentaturæ „chirographo nostro subsignatæ, quæ transigetur per viam pacti & contractus in eundem „finem inter nos & prædictos Decanum & Canonicos in vita nostra, videlicet: prædicti „Decanus & Canonici eorumque successores in perpetuum habebunt paratos duos pres„byteros, qui missas dicant ad præfatum altare in loco superius designato collocandum; & „post decessum nostrum celebrabunt quatuor solemnes Obitus pro nobis in prædicto col„legio Windesoræ, curabuntque solemnem concionem haberi; & in vnoquoque prędictorũ „obituum, pauperibus donent decem libras (.1. centum francos) quotannis in perpetuum „donent tredecim pauperibus, qui vocabuntur Equites pauperes vnicuiq; duodecim do„narios (hoc est decem asses per diem, & semel per singulos annos vnicuique togam talarẽ „panni albi, habentem in pectore acupictam periscelidem seu garteriam cum cruce D. Ge„orgij in Scuto inclusam intra periscelidem, & mantellam panni rubei: vt vni ex illis trede„cim, qui constituetur caput & rector aliorum, tres libras, sex solidos & octo denarios „(.1.33. francos, & sex asses) vltra supraque prædictos vniuscuiusq; diei duodecim denarios; „Vtque omni dominica totius anni in perpetuum curent haberi concionem in castro Win„desoræ prædicto, sicut in præfata indentatura, & contractu plenius & particularius expri„metur. Volentes & onerantes, & requirentes filium nostrum principem Eduardum, om„nesque Exequutores nostros & consiliarios postea nominandos, omnesque hæredes no„stros & successores, qui huius regni Reges futuri sunt, sicut se nouerint responsuros corã „Deo in tremendo iudicij die, quatenus ipsi, & vnusquisq; ipsorum prouideãt, vt prædicta „indentatura & assecuratio, inter nos & prædictos Decanum & Canonicos transigenda, & „omnia in eis contenta, debitè mandentur exequutioni, obseruentur, & custodiantur in „perpetuum, iuxta hanc extremam voluntatem nostram atque testamentum.

Reliquam testamenti partem, in qua de successione disponebatur summatim recitat Sanderus in hunc modum: Vt Edoardus filius ex Iana Seimera, nouem natus annos, primas omnium regnãdi vices acciperet; secundas Maria ex Catharina; tertias Elisabetha, ex Anna Bolena; postea his deficientibus ad illos transiret successio, ad quos iure communi pertineret. Deinde impuberi filio sedecim constituit tutores & curatores pari potestate, eosque magna ex parte catholicos, velut Aristocratia quadam monarchiã temperans. Demum valde mandauit, vt filius in fide catholica educaretur, excepto primatus titulo, quem ei reliquit; & vt regnum ab hæresibus purgatum teneretur.

Igitur ex testamento huius ecclesiæ, si Deo placet, reformatoris, quam ducem vitæ nouæ ad

ad lucem vitæ liberrimæ tantopere iactitant hæretici: apertè constat ipsum in eis solum articulis doctrinæ Christianæ discessisse ab auita fide, quæ ipsius libidini & auaritię contraibāt; nempe in primatu Pontificis, quem ideo duntaxat abnegauit, vt sine Pastoris correctione vxores vxoribus viuentibus superinduceret; & vitæ communis monachorum & regularium suppressione, quam ideo nefariè operatus est, vt diuitijs atque opibus, quas Christianorum deuotio ad cultum Dei amplificandum accumulauerat, Deoque dicauerat, ad suam exaturandam libidinem & cupiditatem abuteretur. Tali autore glorientur licet, qui obedientiæ Christianæ iugum abiecit, vt peccaret impunè; & religiosissimam monastices disciplinam in suo regno extinxit, vt auaritiā suam expleret. Qui ita à Romano Pontifice dissentiebat, vt tamen seuerissimis legibus eos, qui à Romanæ ecclesię præcipuis in religione articulis dissiderent viui comburio afficiendos statuit.

Dignum lectu est iudicium doctissimi viri Sanderi, de hoc testamento, & quasi catastrophe tragœdiæ Henricianæ: ait: Sed vt in hoc etiā iustissima Dei iudicia manifesta fierent, æquum „non fuit, vt Henrici voluntas à suis adimpleretur; qui tot hominum voluntates, tam infi„nita testamenta, euersis monasterijs, templis, aris, & sanctorū sepulchris violauerat. Itaque „nondum plane expirauerat Henricus, cum nonnulli qui potentia præualebant, testamen„tum aliud supposuerunt, & Henrici nomine obsignarunt: quo licet pro tempore Henrici „liberos à regni successione non excluderent; post eos tamen omnem successionis legitimę „ordinem peruerterunt. Margarita enim Henrici septimi filia maior natu, quæ Iacobo Sco„torum regi nupta fuerat, & ad quam post Henrici octaui liberos legibus Angliæ ius regni „pertinebat, prætermissa: Marię secundo genitæ eiusdem Henrici septimi filiæ (quę primū „Ludouico Galliarū Regi, postea Carolo Brandonio Suffolciæ Duci nupserat) eiusque so„boli legitimam regnandi successionem assignarunt; eo consilio (prout postea rei euentus „docuit) vt extincto Eduardo, qui tunc regnum erat initurus, aliquis ex familia Suffolcieſi „exclusis Henrici filiabus, ad regni gubernacula substitueretur. Deinde nonnullis ex sede„cim tutoribus quos Henricus nominauerat, eo quod catholici essent, vel exclusis, vel ter„ritis, vel in custodiam etiam traditis: reliqui vnum tantum gubernatorem hæreticum, qui „Protector diceretur, Regi regnoque præfecerunt: qui Regis nomine, arbitratu suo omnia „moderaretur. Postremo regem ipsum hæreticis præceptoribus corrumpendum tradiderūt, „Henrici leges abrogarunt, nouas cuderunt, fidem catholicam paulatim exterminarunt, & „Zuinglianam hæresim, (quam quod Dominici corporis dignitatem impugnaret, Hēricus „omnium sectarum maxime oderat) loco eius introduxerunt. Atque hoc modo Deus op„timus maximus, qui reddit vnicuique secundum opera sua, variam multiplicemque Hen„rici perfidiam, perfidia ac proditione suorum castigauit: quin addam, deletam ipsius pro„lem sine sobole: successisseque sobolem ex filia Henrici 7. Margareta, quam exequutores „ipsius perfidè excluserunt.

„Et hactenus secundum tempus Henricianum, in quo congregatio nostra omnibus priuata monasterijs, in paucis duntaxat monachis hic illic dispersis permansit, sub schismate Hērici, & Eduardi hæreticis protectoribus per viginti & amplius annos grauissimè afflicta: nunc eiusdem congregationis inchoatam saltem instaurationem sub Maria Regina, quod tertium congregationis nostræ tempus est, breuiter proponamus: Vt sicut cum ordinis nostri ingressu coniuncta fuit catholicæ religionis prima prædicatio; & cum eius suppressione etiam catholicæ religionis suppressio: ita videatur cum catholicæ religionis rediuiua restitutione coniunctam fuisse ordinis & congregationis reparationem; & cum eiusdem iterum reiectę, etiam ordinis suppressionem semper coniungi. Et spes adhuc aliqua sit, vltimam eiusdem congregationis erectionem cum restitutione religionis catholicæ fore coniungendam; etsi enim propter peccata nostra, adhuc moram faciat Deus, veniens tamen venturus est, & non tardabit.

SECTIO TERTIA.

NOVISSIMA CONGREGATIONIS INSTAVRATIO.

SYNOPSIS TOTIVS SECTIONIS.

¶. 1. INstauratio insignis Abbatiæ Westmonasterij. ¶. 2. Vita egregij Confessoris Christi D. Fecknami, vltimi Abbatis illius Sancti cœnobij. ¶. 3. Ipsius in causa iuramenti suprematus, scriptum opusculũ. ¶. 4. Prima monachorum in congregationem Casinensem admißio, & difficultates inde exortæ. ¶. 5. Itemque aliorum in Hispanicam. ¶. 6. Vnio eorundem in vnam congregationem Anglicanam.

§. 1. *Instauratio insignis Abbatiæ Westmonasterij.*



POSTQVAM igitur res congregationis per totum interuallum Schismatis sub Henrico, & Zuinglianismi sub Eduardo Rege adolescentulo afflictissima iacuisset quasi in puluere & sordibus; sub pijssima tandem principe Maria regina, Catharinæ Austriacæ filia paulisper respirare incœpit, & caput de puluere attollere. Dicamus hoc Sanderi verbis, quia non possumus melioribus; & eius auctoritate maioris fidei nostra euadet narratio; præsertim cum eidem ex omni parte consentiant etiam annalium, historiarumque Anglicarum scriptores. In religionis (*inquit Sanderus lib. 2.*) catholicæ restitutione aliquæ graues interuenerunt difficultates, de quibus nisi Legatus seipsum aliosque cum magna prudentia, & nonnulla etiam indulgentia expediuisset, non ita promptè in reconciliationem hanc, & Pontificiæ autoritatis agnitionem consensissent, nec in officio permansissent. Timuerũt nimirum multi, ac ij in primis, qui ex spolijs ecclesiarum & monasteriorum ad summos in Rep. honores & diuitias euecti fuerant, ne Pontificis iussu huiusmodi possessiones ac bona repeterentur. Hunc istorum metum vehementer auxit deuotissimæ Reginæ in rebus sacris, quas Pater fraterque suus arripuerant, retinendis, tanta religio, vt omniũ decimarum, primitiarum, beneficiorum, ac similium prouentus, ærario regio ante applicatos, in illustrissimi Cardinalis (Reginaldi Poli Legati Apostolici) manus resignauerit; eiusque summi conatus vt ex antiquissimis illis monasterijs aliqua saltem ad Dei gloriam & regni honorẽ primo quoque tempore restituerentur; præsertim vt celebre illud Westmonasteriense cœnobium Benedictinorum, Progenitorum suorum commune sepulchrum in pristinum vsũ accommodaretur.

Occupabant illud tum presbyteri quidam sæculares (conuerterat enim Henricus in collegiatam ecclesiam) qui nec ipsi acquisito iure, ne rogati quidem à sua maiestate cedere volebant: quos tamen postea sua maiestas & illustrissimus Legatus, partim coactione, partim compensatione, è monachorum antiquissima & iustissima possessione abegerunt. His itaque rebus fundorum ecclesiasticorum occupatores territi, videbantur aliquid turbarum excitaturi, idque tempore importunissimo; nisi maturè rei toti prospectum fuisset. Eo ergo ventum est, ordinibus id postulantibus, ac vrgentibus, vt publico instrumento Pontificis nomine & autoritate edito, omnes de huiusmodi bonis ac possessionibus monasticis in schismate

„ schiſmate acquiſitis, quoad pœnas & cenſuras canonicas in perpetuum ſecuros & abſo-
„ lutos Legatus declararet. In quo tamen omnes huiuſmodi occupãtes grauiſſime admonet,
„ vt eorum, qui in ſcripturis ſacris de hoc genere ſacrilegij notantur, metuant exitus, ac Dei
„ omnipotentis in tales ſeueriſſima iudicia non obliuiſcantur: licet eccleſia ius ſuum ſecun-
„ dum canones non perſequatur. In eodem ſcripto cum omnibus infra gradus ab eccleſia
„ prohibitos coniugatis (quia innumeri erant, nec ſine magna rerum perturbatione ſeparari
„ poterant) diſpenſat: iubetque matrimonium & prolem eſſe legitima; Epiſcopos omnes,
„ qui ſententia religionis erant catholici, in priori ſchiſmate factos, ac ipſos nouos Epiſco-
„ patus (nam Henricus tempore ſchiſmatis ſex erexerat) confirmauit. Et hoc ſcriptum legi
„ Parlamentariæ coniunctum, cum cæteris illorum comitiorum decretis publicatum eſt, &
„ animi iſtorum pacati. Quæ omnia Pauli quarti Pontificis maximi literis poſtea fuerunt
„ ſtabilita & confirmata. Hæc Sanderus. Facta eſt autem hæc Weſtmonaſterienſis Abbatiæ
instauratio, anno 4. Mariæ Reginæ, qui erat Chriſti annus 1556. Abbate creato D. Ioanne
Feknamo, monacho quondam Eueshamenſi, tum vero Decano S. Pauli Londini cum quo
alij quatuordecim monachi habitum reſumpſerunt, die 21. Nouembris. Diploma inſtaura-
tionis factæ ex archiuis deſcriptum hic inſerere ad perpetuam memoriam dignum exiſtima-
uimus; habetur autem 12. parte patentum: ſub annis regnorum Philippi & Mariæ tertio &
quarto: nempe tertio Philippi, & quarto Mariæ.

„ Rex & regina omnibus ad quos &c. ſalutem. Cum monaſterium ſancti Petri Weſtmona-
„ ſterij ſitum, ordinis Sancti Benedicti, quod ab antiquiſſimo tempore per prædeceſſores
„ noſtros Reges fundatum & dotatum fuit, in nuper præteritorum temporum calamitate
„ penitus diſſolutum & extinctum; inibique poſtmodum Collegium Canonicorum ſecula-
„ rium inſtitutum & erectum fuerit: Nos ſummis deſiderijs expetentes, vt huiuſmodi Ec-
„ cleſia Sancti Petri, ſancti olim Monaſterij, in quo inſignia Regalia aſſeruari, & Reges in-
„ ungi, & conſecrari ſolent, & corpora multorum Regum prædeceſſorum noſtrorum præ-
„ fatorum tumulata exiſtunt, remotis ab ea Decano & Canonicis, alijſque Clericis ſeculari-
„ bus inibi ſeruientibus, Abbateque & Monachis Ordinis eiuſdem Sancti Benedicti intro-
„ ductis, de ſtatu, in quo nunc reperitur, ſeculari tranſeat in eum in quo antea erat, Regu-
„ larem, inibique Monaſterium Monachorum, qui ſecundum regulam eiuſdem Sancti Be-
„ nedicti, aliaque eiuſdem ordinis ſtatuta, & conſuetudines viuant, & altiſſimo inſeruiant,
„ reſtituatur, reſtauretur, ſeu de nouo erigatur; cuicumque ceſſioni & Reſignationi de &
„ ſuper Eccleſia Sancti Petri præfati cum annexis, iuribuſque & pertinentijs ſuis vniuerſis;
„ & omni iuri Collegij in ea introducto per Decanum & Canonicos Capitulum inibi
„ ſeruientes, in manibus reuerendiſſimi in Chriſto patris Domini Reginaldi Poli Archiepiſ-
„ copi Cantuarienſis Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, & ſedis Apoſtolicæ ad nos &
„ Regna noſtra Angliæ & Hiberniæ, & quęcunque loca eiſdem ſubiecta, & ad partes
„ adiacentes delatere Legati conſanguinei noſtri cariſſimi, & eiuſdem Collegij Eccleſiæ
„ Sancti Petri præfati extinctioni, ſuppreſſioni & diſſolutioni ac Monaſterij, & ordinis
„ regularis Sancti Benedicti in eadem Eccleſia reſtitutioni introductioni, reſtau-
„ rationi, ſeu de nouo erectioni per eundem Reuerendiſſimum Dominum Legatum,
„ ſeu quoſlibet alios ad id ſufficienti facultate munitos faciendum & celebrandum pro
„ eo iure quod in Eccleſia & Collegio prædictis ad noſtram Regiam Coronam ſpectat &
„ pertinet motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia pro nobis & ſucceſſoribus noſtris Regi-
„ bus ad omnipotentis Dei, & glorioſæ Virginis Mariæ, & Beati Petri, totiuſque curiæ cœle-
„ ſtis laudem & gloriam, ac diuini cultus augmentum conſentimus, noſtrumque conſen-
„ ſum præſtamus, Omniaque, ſi quæ ſunt, impedimenta, quo minus præmiſſa fieri, &
„ executioni demandari, ſuumque debitum finem & effectum ſortiri poſsint, per quaſcum-
„ que Regni noſtri leges, ſtatuta, & ordinationes cuiuſcunque tenoris illa exiſtant, quæ hic
„ haberi volumus pro præmiſsis, ac ſi de verbo ad verbum pręſentibus inſerta forent intro-
„ ducta, eiſdem motu, & ſcientia penitus & omnino tollimus, & abolemus. In cuius rei &c.
„ Teſtibus Rege & Regina apud Croydon vij. die Septembris, Annis Regnorum Philippi
„ & Mariæ tertio & quarto.

§. 2. *Breuiarium Vitæ D. Ioannis Feckenami Abbatis vltimi Weſtmonaſterienſis.*

NOn eſt autem leuiter pertranſeunda D. Ioannis Feckenami, vltimi Abbatis congre-
gationis noſtræ, & egregij confeſſoris Chriſti memoria. Is enim parentibus pauperibus
natus in agro Wigornienſi prope Foreſtam ſiue ſaltum Feckenhamiæ, inde cognomen acce-

pit: quo cognomine subscriptus inuenitur in registro pensionum, quas distribuit Rex Henricus monachis ex monasterio eiectis, quod in curia augmentationum conseruatur folio 208. Monasterium autem Feckenami, Euishamia, fuit suppressum 17. Nouembris, anno Henrici 8.31. qui fuit Christi Domini annus 1536 studuit primò Oxonij. Cæterũ non liquet vtrũ ante monachum, an vero postquam habitum habuisset, ibi, nempe Oxonij operam literis dedisset: Euishamiæ monachũ fuisse, & inter commonachos subscripsisse, quando monasterium resignarunt coacti in manus regias, ex ipso dicto registro certum est, ex quo etiam patet centum florenos annuos pensionis habuisse. Monasterio suo suppresso, adhæsit Ioanni Bello Episcopo Wigorniensi Sacellanus, eoque mortuo ad annum Domini 1539. contulit se ad Edmundum Bonnerum Episcopum Londinensem, cum quo perseuerauit vsque ad annum 1549. Bonnero Episcopalibus infulis exuto tempore Eduardi 6. Feckenhamus noster in turrim Londinensem coniectus est: causam Hornus Pseudoepiscopus Wintoniensis (apud Stapletonum, in libro scripto contra eundem Hornum pro Feckenamo) fuisse aiebat promissam prius, & postea recusatam administrationem Sacramentorum, ritu protestantico; Stapletonus ait, propugnationem ieiunij quadragesimalis, & solifidianæ iustitiæ impugnationem; easque causas dicit allatas in registro Cantuariensis Crammeri qui propterea Feckenamum Lambethæ coram multis commissarijs conuenit, & in fide constantem carceri addixit, de cuius rei veritate, ad ipsum registrum appellat Stapletonus. Ex carcere isto fuit illi permissum vt exiret, disputandi causa, agente Domino Philippo Hobbio, qui eum ex turri pro aliquanto tempore, vt ipsius Feckenami verbis vtamur, quasi mutuatum accepit. Itaque hoc fine eductus ex carcere septem solemnes habuit disputationes (quarum specialem mentionem dicto iam libro facit Stapletonus circa præcipuos fidei articulos primam in ędibus Comitis Bedfordiæ in hospitio Sabaudico Londini; alteram in ædibus D. Gulielmi Cęcilij, in vico, quem vocant Canonicorum; tertiam in ædibus D. Ioannis Checi, in domo, quæ fuerat olim Carmelitarum; & in tribus colloquijs habitis de religione, propter nobilium virorum, in quorum ædibus habebantur, reuerentiam, satis benigniter habitus fuit. Sed disputationem hanc Londini inchoatam finire coactus fuit in agro Wigorniensi, vbi beneficio Ecclesiastico adhuc potiebatur: ibi igitur D. Philippo Hobbio, vt dictum est, satagente cõparuit in disputatione Feckenamus, vbi Hooperus Pseudoepiscopus Wigorniensis quatuor diuersis disputationibus solemniter habitis, quarũ prima fuit in visitatione Hooperi Pershorensi (fuit olim Abbatia percelebris Congregationis nostræ) vltima in cathedrali Ecclesia Wigorniensi fuerat celebrata; opponente inter alios Ioanne Iuellio Sarisburiensi; ita solide respondit Hoopero Feckenamus (inquit Stapletonus) vt non immerito Hooperus sibi satisfactum esse fateri cogeretur, & Feckenamus inde dimissus ad carcerem suum in turrim Londinensem reductus fuerit, in quo perseuerauit vsque ad primum annum Reginæ Mariæ.

Illa enim ad regni thronum exaltata, eductus est eius iussu Feckenamus de carcere turris, & ascitus in clientelam regiam, eique à sacris factus: deinde ad decanatum Ecclesiæ cathedralis S. Pauli Londinensis promotus: ac tandem, vt diximus, Abbas Westmonasterij factus. Ita cum valeret magna apud reginam gratia, multis officijs pietatis & humanitatis conatus est deuincere tum alios nobiles, tum ipsam Elisabetham, adhuc priuatam; quorũ officiorum testes appellat Stapletonus Comites Leicestriæ, Warwici, & Bedfordiæ, inter quos & Reginam Mariam sæpius mediator & sequester fuerat: Gulielmum etiam Cæcilium, qui potuerit attestari, factum opera & intercessione Feckenami, quod D. Ioannes Checus eques, & non ignobilis protestantium sectator vita fortunisque priuatus non fuerit: quia aliquoties coram ipsa Maria regina pro concione intercessisse pro Elisabetha sorore reginæ, vnde ipsius Mariæ non mediocrem indignationem incurrerit: idque ab eo factum fuit, & antequam eadem Elizabetha in custodiam fuit coniecta, & postquam custodiæ mandata fuisset: cuius officij memor ipsa, antequam coronaretur Feckenamo gratias egit. Atque vtinam (inquit Stapletonus ista narrans) post 7. annos carceris tantum inueniat Feckenamus humanitatis & fauoris, quantum cum rebus secundis floreret, ipse alijs exhibuerat, quæ cum Stapletonus anno 1567. scripserit, fit Feckenamum nostrum carceri turris mancipatum fuisse anno 1560. qui erat secundus annus regni Elisabethæ.

Maria ad superos per immaturam catholicis mortem euocata, Feckenamus in comitijs regni pro Abbatiali dignitate locum possidens & suffragium, constanti grauique oratione mutationem aut innouationem religionis, quantum in ipso fuit, fortiter dissuasit, quam citat Broghtonus vir doctus, in apologia innocentium catholicorum. Accersiuit eum ad colloquium suum Elisabetha princeps non longe antequam corona regni foret insignienda:

nuntius qui primo eo missus fuerat inuenisse eum dicitur occupatum in plantandis Vlmis, quæ nunc adhuc in collegij Westmonasteriensis horto crescunt: nec vllo modo voluit nuntium sequi, antequam cœptum opus plantationis finiuisset; forte tunc intentus meditationi & orationi, vt quemadmodum ipse eas arbores collocasset; ita Deus replantatam nuper religionem conseruaret; aut monachos, quos præuidebat ab hac regina eijciendos, Deus suo tempore iterum reduceret. Quid tunc cum regina colloquij habuerit, tametsi aliqua feruntur, quia tamen incerta, non ascribimus; credibile vt tunc egisse reginam instantius, vt aliquousque Fecknanus & monachi se reginæ votis conformarent, atque ita in monachatu ac possessione Abbatiæ perseuerarent. Nam & illud vehementer optasse reginam natrat Sanderus, nimirum vt in illa religionis suæ innouatione, nouum genus monachorum sibi consentiens haberet. Sed frustra optauit, quia vir sanctus in Deo firmiter stabilitus nullis blanditijs aut terroribus ab Ecclesiæ communi fide potuit dimoueri, quamuis etiam ei Archiepiscopatum Cantuariæ ea conditione regina obtulerit.

Conuocato primo parlamento sub Elisabetha, & disputatione instituta de articulis fidei inter veteres Episcopos, & nouos prædicatores, etiam Fecknamus magno zelo obtulit se, vt inter primos pro fide disputaret, sed admissus non fuit, regina nolente ipsum in numerum collatorum venire, vnde factum vt cum aliqui Episcoporum propter illam disputationem fuerint in carceralem custodiam coniecti, Feckenamus adhuc liber fuerit: sed non diu liber perseuerauit; anno enim sequenti, hoc est 2. vt diximus regni Elisabethæ, etiam ille turrim habuit pro carcere. Ibi anno 1563. cum iuramentum suprematus regij fuisset edicto parlamenti propositum, Feckenamus quædam collegit argumenta, quibus illud ostendit illicitum fuisse: sequenti hyeme domo Horni pseudoepiscopi, pro carcere, vti iussus est, à quo inciuiliter & perfidè, more ministrorum noui Euangelij tractatus fuit, & in turrim Londinensem iterum retrusus. Interea Hornus librum impium, plenumque mendacijs contra rationes Feckenami edidit: cui libro doctissimam opposuit Stapletonus responsionem; aut potius Harpsfeldius, ita enim constanter assertum à multis audiuimus, illum librum contra Hornum, quem Stapletonus edidit, reuera ab Harpsfeldio fuisse conscriptum, qui cum ipse in carcere teneretur, voluit latere, & sub amici vmbra, hostem hunc communem impugnare, sicut sub Alani Copi nomine dialogos suos contra Centuriatores Magdeburgicos euulgauit. Hoc responso pudefacti hæretici, quod hominem tot officijs de ipsis bene meritum, tam inhumaniter tractassent, iterum ex turri Londinensi liberatus est Feckenamus, & ad carcerem Marefchalli, vt vocant, aliquanto liberiorem, carcerem tamen, translatus fuit; paulo post permissa est illi potestas in priuato hospitio in suburbio Londinensi, quod Holburn vocant, habitare, vbi aquæductum insignem condidit. Inde ad castrum Wisbicense translatus, ibidem crucem, quæ adhuc visitur, ædificauit, & inter alios Christi confessores ibidem in custodia detentos, ipse diu viuens, post vigesimum tertium carceris sui annum gloriosam confessionem fœlici morte in ipso carcere consummauit anno 1585. Vir fuit mediocris staturæ, crassiusculo corpore, facie rotunda, pulchra, & iucundo semper vultu, conuersatione & colloquio amabilis, & familiaris. Camdenus in Elisabethæ suæ annalibus ad annum 1559. vocat eum, *Virum doctum & bonum, qui longo tempore vixit, & publicè bene de pauperibus merendo, animos aduersariorum ad beneuolentiam allexit.*

„ Nec erit abs re Pitsij elogiũ apponere. Ioannes Feckenamus (*inquit*) ordinis S. Benedicti
„ monachus Anglus. & tandẽ Abbas Westmonasteriensis creatus eo tempore quo in Anglia
„ regnarũt Philippus & Maria reges catholici. Vir cui Deus largas benedictiones, natura e-
„ gregias cõtulerat dotes. Erat in eo pietas in Deum insignis, in proximos mira charitas, in
„ maiores singularis obseruantia, in æquales atq; etiam inferiores mitis quædam affabilitas,
„ in omnes dulcis humanitas: Multiplex doctrina, redundans in concionibus facundia, in-
„ credibilis religionis catholicæ zelus. Cũ iã nõ obscuris indicijs cerneret omnia vergere ad
„ ruinam, & fidẽ auitam omnino periclitari, hostibus Ecclesiæ strenuè se opposuit, & habi-
„ tis frequentibus concionibus, nonnũquam etiam publicis disputationibus, libris denique
„ scriptis Ecclesiã Dei & catholicam fidem, quantum potuit, propugnauit. Cum denique
„ regnante Elisabetha in comitijs (parlamentum vulgo vocant) ageretur de fide catholica
„ extirpanda & hæresi plantãda: intrepidus publicè prodijt, & apud solemnem illum prin-
„ cipum, procerum, & populi cœtum Anglica lingua eloquentissimam & valde neruosam
„ habuit orationem de veteri patrum religione retinẽda, de noua nõ excogitanda nec intro-
„ ducenda. Cum autem res iam plane collapsa esset, & præualuisset iniquitas, ille confestim
„ carceribus mancipatus est, primum Londini in carcere Equitis Martij, deinde in castro
„ Wisbicensi (*Turris custodiam carceralem hic omisit Pitsius, sed non tacuit Stapletonus*) in vni-

 „ uersum

„uersum cōtinuis plus minus viginti sex annis. Quo toto tempore à catholicis dogmatibus „propugnandis, & ab alijs charitatis operibus exercendis quoad fieri potuit, nunquam cessauit. Inter cætera, quæ præstitit charitatis officia, Ioanni Storæo legum doctori propter „fidem catholicam capitis condemnato, per totam noctem adfuit, & ad mortem in crastinum pro Christo fortiter perferendam animauit. Sed ad ea quæ sunt eruditionis veniamus. Multas quidem, easque eruditas exarauit lucubrationes, quæ plærçque propter temporum iniquitatem & authoris incarcerationem etiam vsque ad mortem, vnà cum eo interciderunt. Seruarunt tamen boni viri quædam eius opuscula, vel operum reliquias: imprimis sermonem quendam, cuius thema quasi spiritu prophetico sumptum fuit ex Ecclesiastici cap. 4. *Laudaui magis mortuos quam viuentes*; cui titulum facit, Sermonem funebrem in exequiis Reginæ Mariæ. Orationem habitam in comitijs Anglicè. Contra iuramentum supremæ authoritatis regiæ in Ecclesiasticis librum vnum. Contra quód opus „scripsit Hornus pseudoepiscopus Wintoniensis, eumque refutauit Thomas Stapletonus. „De Eucharistia contra Hooperum. Scripsit etiam commentarios in psalmos Dauidis, quod „opus Londini in manibus auctoris se vidisse mihi sanctè affirmauit Richardus Stainhur„stius. Sed & illud perijt, & eiusmodi alia. In vinculis confessor obijt anno Christi 1585. sub duro in Anglia Elisabethæ Regno. Hæc Doctor Pitsius. Sed & orationem habuit funebrem valde laudatam in exequijs Ducissę Parmensis Caroli quinti filię, & Belgij Gubernaticis.

§. 3. *Opusculum* D. Ioannis *Feckenami Abbatis contra iuramentum suprematus regij in causis spiritualibus.*

QVoniam vero primus omnium Fecknamus noster iuramentum illud suprematus statim ac fuit propositum rationibus & scripturis impugnauit, & illicitū prorsus Christianis ostendit; opusculum autem paruum est, nec habetur nisi apud Stapletonum in editione postrema operum illius quam Latinè Parisijs Doctores Angli pulcherrime adornatunt; ac proinde, quia editio illa multos tomos complectitur, non potest à quolibet haberi, & diuiso etiam libello in multas sectiunculas, prout Horni impia oppugnatio postulabat apud Stapletonum ita collocatur, vt non possit simul vno quasi impetu à lectore eius cognoscendi cupido percurri voluimus eum ipsum libellulum hic inserere; simul vt ostendatur quo zelo Benedictina Congregatio potestatem Ecclesiasticam semper asseruerit; & causa martyriorum nostrorum in Anglia ob hoc iuramentum recusatum, hinc comperiatur esse sanctissima.

Declaratio scrupulorum conscientiæ, & rationum, quæ à suscipiendo iuramento de Suprematu retinebant, vt Joannes Feckenamus, VVintoniensi Episcopo eandem in scriptis tradidit, vnà cum resolutionibus, & responsionibus ab eodem Episcopo eidem redditis.

„QVandoquidem securitas personæ Regineę Maiestatis, & regni sui quieta & pacifica „gubernatio, sit præcipuus finis & scopus huius iuramenti: Ego me ex hoc instanti „paratum offero, & tactis sacro-sanctis Euangelijs iuraturum sancte promitto; quod ex a„nimo sentiam, & in conscientia mihimet persuasum habeam, Maiestatem regineam Regni „sui Angliæ & aliarum prouinciarum ei annexarum, supremam gubernatricem esse, iuxta „expressa verba initio iuramenti posita. Vlterius me statim iuraturum promitto, regineam „maiestatem supremam sub Deo habere potestatem & dominium in omnes, qui in hoc „regno Angliæ, aut alijs prouincijs huic coronæ annexis nati sunt, siue Ecclesiastici fuerint, „siue laici.

„Quod ad me attinet. Sub iuramento promittam, me Serenissimæ Maiestati suæ obse„quium & obedientiam præstiturum, non minore fidelitate & synceritate, quā non ita pri„dem sorori suæ Mariæ, piæ memoriæ Reginæ, præstiti, cui à sacello fui etiam iuratus, &

„multis

„ multis nominibus obligatissimus.

„ Quod ad aliam iuramenti partem attinet: qua sub iuramento testari iubeor, me in con-„ scientia sentire Reginam esse in omnibus causis tam spiritualibus quã tẽporalibus vnicam „ supremam in hoc regno gubernatricem: Et hoc me suscepturum sanctè promitto, quam „ primum illud sine periurio præstari posse Dominus Episcopus ostenderit: peierare autem „ pro parte mea mortale peccatum est: & contra verbum Dei Leuit. cap. 9. *Non peierabis in* „ *nomine meo, nec pollues nomẽ Dei tui.* In eo autem qui ad iuramentum eiusmodi inducit non „ minus damnabile est, vt S. Augustinus testatur his verbis: Ille qui hominem, quem nouit „ peieraturum, prouocat ad iurationem homicida peior est; quia homicida corpus tantum „ occidit, ille autem animam nec vnam animam sed duas. Nam & animam illius oc-„ cidit quem ad peierandum prouocat, & propriam etiam quia periurij occasionem mini-„ strat. Puncta autem quæ sub iuramento sine manifesto periurio testari non possum, sunt „ hæc quatuor quæ sequuntur.

„ Primo tactis sacro-sanctis Euangelijs cogor testari & iurare: Reginam vnicam esse su-„ premam gubernatricem regni huius in omnibus causis tam Ecclesiasticis & spiritualibus „ quam temporalibus. At nisi quis prius cognoscat id quod iurando asserit, & de quo testi-„ monium perhibet, non potest illud sub iuramento asserere & testari sine peccato periurij. „ De hac autem assertione, nempe Reginam esse supremam gubernatricem, nec habeo sci-„ entiam, nec modum aliquem aut medium scio, per quod ad scientiam illius vnquam per-„ ueniam. Cum ergo de re, quam sub iuramento asserere iubeor, nullam habeam scientiam, „ nec habere me possibile sit, quantum sciam: quomodo illud iuramentum sine manifesto „ periurio suscipere possim non video. Cum ergo quatuor loca sint, à quibus argumenta de „ hac re deduci possint: Primo, forma regiminis à Christo Ecclesiæ suæ in Euangelio reli-„ cta: Secundo, Doctores Ecclesiæ antiquiores, & recentiores, Ecclesiasticæ gubernationis „ oculati testes: Tertio Concilia generalia, in quibus gubernationis Ecclesiæ forma in omni „ ætate fideliter fuerit expressa: Quarto, vsus & praxis, vnius saltem in vniuerso orbe Chri-„ stiano Ecclesiæ: Si Dominatio vestra illustris ex his omnibus, aut ex vno aliquo eorum suf-„ ficienter ostenderit, Imperatorem aut Imperatricem, Regem aut Reginam eiusmodi regi-„ men in omnibus causis Ecclesiasticis & spiritualibus posse vendicare, aut iure in se suscipe-„ re, ego confestim humillimas agens gratias meipsum victum fatebor, & vt scientia suffi-„ cienter instructus ad illud sub iuramento testandum paratum me fore promitto.

„ Secundum rei caput est, quod tactis Dei Euangelijs non solum testificari, sed in mea „ conscientia declarare debeo, quod Regia Maiestas sola est huius regni in rebus tam spiri-„ tualibus & Ecclesiasticis, quam temporalibus suprema gubernatrix. Sed non fieri potest „ vt quis tactis Dei Euangelijs aliquam talem declarationem in conscientia sine periurio de-„ clarare possit, antequam illius conscientia de veritate eiusdem persuasa sit. Cum igitur „ mea conscientia nondum de hac persuasa sit, non possum sine manifesto periurio hoc iu-„ ramento me obstringere.

„ Et vt meæ conscientiæ in hac re persuaderi possit, hoc modo agam cum vestra Domina-„ tione; quod si V. D. aut si quis alius doctus huius regni probauerit, quod Saluator noster „ Christus in Euangelio supremam spiritualium & Ecclesiasticarum causarum administra-„ tionem non suis Apostolis, tum Episcopis, & Presbyteris; sed Imperatoribus, & Impera-„ tricibus, Regibus, & Reginis, qui tempore, quo Christus in terris degebat Idololatræ fue-„ runt, & in eo statu per spatium trecentorum annorum post Christi Ascensionem fuerunt, „ cum nimirum Constantinus Imperator primus Rex Christianus esset: cum vestra D. in-„ quam, hoc aliqua perfecta sententia, aut aliquibus verbis in hunc finem prolatis ex sacro „ codice probauerit, tum ego in hoc secundo capite me victum fatebor, & mihi abundè in „ conscientia satisfactum existimabo. Et cum vestra D. probauerit, quod hæc verba Pauli „ Apostoli, quibus Mileti Episcopos affatus est: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo pos-„ suit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*: cum, in-„ quam, docuerit, quod hęc verba, gregem in manus Episcoporum & Presbyterorum tra-„ di debere, non declarauerint, sed quod Principes cum illis partem oneris ferre, vel potius „ maximam illis partem præripere; tum de his verbis Sancti Pauli mihi V. D. satisfecisse „ iudicabo.

„ Et cum V. D. probauerit, quod hæc verba Pauli Apostoli, in Epistola ad Hebræos. *O-„ bedite Præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris „ reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes*. Cum D. V. probauerit, quod hæc ver-„ ba non ab Apostolo Paulo scripta fuerunt tam ad Imp. Christianos, Reges, & Reginas,

quam

„quam ad alios de plebe hominum, tum itidem hunc Apostoli contextum relinquam, & „mihi satisfactum iri existimabo.

„Et cum D. V. probauerit quod hæc verba S. Pauli: *Mulieres in Ecclesijs taceant: non enim „permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Si autem quid discere volunt, domi proprios „viros interrogent: turpe enim est in Ecclesia mulieribus loqui.* Cum, inquam, vestra D. probaue„rit, quod hæc verba Sancti Pauli, non tam de Reginis, Ducissis, & nobilibus fœminis, quã „de alijs inferioris conditionis intelligenda sint, quemadmodum & illa Dei omnipotentis, „in peccati vltionem & vindictam nostræ matri Euæ dicta fuerunt, & secundario per illam „omnibus sine exceptione mulieribus. *Multiplicabo ærumnas & conceptus tuos, in dolore pa„ries filios, & sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui.* Cum vestra D. probauerit aliquam „exceptionem fieri his verbis, in veteri lege à Deo, vel aliquam exceptionem in verbis à S. „Paulo in noua lege prolatis, tum certè meæ sententiæ abrenunciabo, & non sine humilli„ma gratiarum actione, non solum de prædictis testimonijs, sed in hoc secundo capite mihi „satisfactum iudicabo.

„Tertium caput est, quod non solum iurare debeo tactis sacro-sanctis Dei Euangelijs, „quod nulla externa persona, status, vel potentatus debet aut potest vllam potestatem aut „authoritatem Ecclesiasticam aut spiritualem intra hoc regnum habere, sed omni externæ „potestati & authoritati renunciare. Quod cuiquam viro Christiano facere, est directè duo„bus his articulis nostri Symboli contradicere: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam; Credo „Sanctorum Communionem.* Est enim participatio quædam & communio inter fideles Eccle„siæ Christi, qui ab Apostolo vocantur Sancti: *Adiuro vos per Dominum vt legatur hæc Epistola „omnibus sanctis fratribus.* Igitur cum D. V. probauerit ex scripturis, Doctoribus, generali „concilio, aut perpetua alicuius particularis Ecclesiæ, vel alicuius orbis Christiani partis, „praxi, quod per primum articulum, *Credo sanctam Eccl. Cathol.* solum intelligitur quod „talis sit Ecclesia, & non quod omnes Christiani eidem Ecclesiæ tenentur subiacere & obe„dire, vt omnia membra mystico corpori Christi subijciantur. Et cum D. V. probauerit, „quod per secundum articulum, *Credo Communionem Sanctorum*, non ita verba esse ac„cipienda, vt omnes Christiani quandam participationem & communionem inter fideles „& membra Christi in fide, in doctrina, in Sacramentis credere non obligentur, sed quod „eis à Catholica Ecclesia, in omnibus alijs regnis sparsa, dissentire liceat: & quod solemni „iuramento nobis huic Communioni cum Catholica Ecclesia ita sparsa abrenunciare li„ceat: eam scilicet ob causam, quia illa est externa potestas, & authoritas extra huius regni „fines. Quandocumque inquam V. D. hæc ex testimonijs scripturæ, Doctorum, generalis „Concilij, vel perpetua alicuius Ecclesiæ, vel partis Christiani orbis praxi, tum ego me „quàm humillimè submittam, & de causa mea me cecidisse fatebor.

„Quarta & vltima res est, quod hoc iuramentum non solum Regiæ Maiestati, quæ iam „regnat, sed omnibus eius hæredibus, successoribus, Regibus & Reginis huius regni futu„ris prestare debeo. Et quoniam singuli Christiani sollicitè sibi debent de periurio cauere, „scire vellem, quod si suæ Maiestatis successores, repudiato vtique primatus titulo, suos „subditos ad contrarium (quod factum fuisse recens memoria testatur) obligarent: in hoc „casu, inquam, scire vellem, quænam authoritas mihi hoc iuramentum indulgere, vel me„cum dispensare possit. Si nulla sit omnino, ad quam hoc ius pertinet, tum huius regni sub„diti obligatione non soluuntur, sed vi iuramenti legibus sui Domini, aut Dominæ, Regis, „aut Reginæ perpetuo (proh dolor) inobedientes esse tenentur. Itaque charitas Christiana „requirit, vt huic malo maturè prouideatur. Quantum ad me igitur (qui in hac re magis, „quam adhuc explicui, commotus sui) spero charitatem huius Ecclesiæ nouiter reformatæ „non tam frigidam fore, & restrictam in legibus pro tali iuramento extorquendo conden„dis, quin modos & rationes, quibus subditi cum securitate conscientiæ sine periurio id „præstare possint, excogitare velint. Quod si factum videro, ego meipsum libentissimè sub„mittam, & illam partem iuramenti non detrectabo. Quinimo (modo hoc fiat) Reginæ „primatum omnibus titulis & prærogatiuis tam ore quam calamo, idq; tanto studio, quan„to quis alius quicumque sit, extollam. Ita ex promissis satis intelligi potest, nihil mihi esse „in hac causa, ac vltima parte iuramenti impedimento, præter meæ conscientiæ dictamen. „Et quod prædicta capita intelligere vellem, quomodo securè in hæc iurare possem, adeo„que sine periurio facere.

Hicse-

Hic sequuntur resolutiones prædictorum scrupulorum à D. Episcopo VVintoniensi factæ; & ab eodem Feckenamo infirmatæ.

„AD resoluendos priores scrupulos in prædictis capitibus expressis, Dominatio sua dixit, se multum doluisse, quod rectus iuramenti sensus non maturè mihi explicaretur „cum expositio sinistra mihi hos scrupulos conscientiæ pareret. Nam Regię Maiestatis in„tentio de hoc iuramento longè alia est, quam verba expressa innuunt, vt ex suæ Maiestatis „interpretatione constat, quæ in iniunctionibus patet. Ad hæc obieci, quod sine dubio sua „Maiestas omne spirituale regimen sibi assumere intendebat. Nam præter verba iuramen„ti expressissima, ad quæ omnes, vt se habent, iurare tenentur, neque verba nec sensum quo„uis modo mutare possunt, sua Maiestas (in illa interpretatione in iniunctionibus facta) idē „plane spirituale regimen in hoc regno sibi postulat, quod pater suus Rex Henricus Octa„uus, & frater illius Edouardus prius vsurpauerant. In quibus iniunctionibus, & in nouis„simo decreto Parlamentario non maius neque minus Ecclesiasticum regimen postulat, sed „quantum illi sine omni exceptione habuerunt. In hoc pernegando perstitit sua Domina„tio, & dixit, quod hæc non fuit suæ Maiestatis intentio, tantum sibi vendicare, & eum il„lius mentem pro certo nosse. Tum quoniam sensus iuramenti à verbis discrepat, & quo„niam sua Dominatio tam benè mentem Regiæ Maiestatis intellexit, rogaui eum vt ipse „veritatis illustrandæ gratia hoc iuramentum iterum describeret. Vnde sua Dominatio in„terpretationem huius iuramenti sic mihi exposuit, vt infra sequitur.

„Ego A. B. prorsus testor ac declaro in conscientia mea quod Regia Maiestas est supre„ma gubernatrix huius regni, & omnium aliarum suarum regionum & ditionum, tam in „spiritualibus vel Ecclesiasticis rebus aut causis, quam sæcularibus. Id est ad eam pertinet, „exercere dominium super omnes personas, intra regnum suum & ditiones suas natas, cu„iuscumque demum ordinis & status sint, siue Ecclesiastici siue sæculares sint. Ad eam per„tinet habere authoritatem & potestatem, Ecclesiasticum statum, & personas Ecclesiasticas „visitandi, & eundem statum reformandi, ordinandi, & corrigendi, adeoque omnes erro„res, hæreses, schismata, abusus, scandala, contemptus, & enormitates emendandi. Et ta„men nullo pacto intelligitur Reges & Reginas huius regni coronæ possessores sibi autho„ritatem & potestatem ministerij diuinorum officiorum posse vendicare, vt verbum Dei „prædicare, ministrare Sacramenta, aut ritus Ecclesiæ à Christo ministrorum Ecclesiæ mu„neri assignatos, excommunicare, ligare, vel soluere.

„Ex quibus quatuor solum ad Ecclesiasticos ministros pertinent, quartum vero est illis „cum congregatione commune, nimirum excommunicare. Et quod nullus externus Prin„ceps, persona, Prælatus, Status, aut potentatus habet aut habere debet vllam iurisdictio„nem, potestatem, superioritatem, præeminentiam, aut authoritatem Ecclesiasticam aut „spiritualem intra hoc regnum. Et proinde omnibus iurisdictionibus, potestatibus, supe„rioritatibus, præeminentijs, & authoritatibus renuncio. Hoc est, vt nullus sæcularis aut „laicus Princeps, vel quis alius quam Reges aut Reginæ coronam huius regni possidentes, „cuiuscumque tituli aut dignitatis sit, habeat vllam authoritatem, dominium, aut potesta„tem super hoc regnum, super Principem, aut eius subditos: ita nullus externus Prælatus, „aut persona Ecclesiastica siue sedis Romanæ, siue cuiuslibet alterius sedis habeat, vtatur, „exerceat, aut habere, vti, aut exercere debeat vllam potestatem, iurisdictionem, superio„tatem, præeminentiam, aut priuilegium spirituale aut Ecclesiasticum, intra hoc regnum, „vel intra Regiæ Maiestatis regiones aut ditiones. Ideoque omnis talis potestas est prorsus „renuncianda, & polliceor &c. vt sequitur in forma iuramenti.

„Ad hæc obiectionem sequentem adhibui. Hęc verba primæ partis iuramenti: Ego A. „B. omnino testificor & declaro in mea conscientia, quod Regia Maiestas est sola suprema „gubernatrix huius regni tam in spiritualibus, vel Ecclesiasticis rebus aut causis, quam sæ„cularibus (præter particularia quædam expressa in illius interpretatione à V. D. facta) ex„pressissimis legis verbis Regiæ Maiestati omnimodam iurisdictionem, priuilegia, & præ„eminentias dant, quæ quouis modo ad spiritualem iurisdictionem pertinent cum expres„sa est ademptione & manifesta negatione omnis spiritualis iurisdictionis, quæ ad Episco„pos pertinet, exercenda super gregem suum nisi prius obtenta speciali licentia à Regia sua

Maiestate,

„ Maiestate, & hac functione specialiter illis indulta & commissa. Cum è contrario, illi „ verbo Dei expresso, spirituale regimen sibi commissum habeant: cum authoritatem, in- „ quam, habeant soluendi & ligandi peccata: authoritatem aperiendi & claudendi portas „ cœli; authoritatem dandi Spiritum S. per impositionem manuum. Quæ cura expresso Dei „ verbo eo grauior & periculosior est quod Deus minatus sit se ab illis eorum sanguinem, „ qui peribunt, requisiturum. Quamquam igitur hæc, & multa alia huius potestatis priui- „ legia illis commissa sint, quibus sui officij sollicitè exequendi, admonentur, idque ex ore „ Dei, tamen non debent illam iurisdictionem super gregem exercere, non debent illum „ visitare, reformare, ordinare, nec corrigere sine expresso mandato à Regia Maiestate con- „ cesso. Hæc (Domine mi) videntur mihi tam mira, adeoque aliena ab ijs quæ vnquam le- „ gi, quod nulla ratione meæ conscientiæ satisfacere possim. Vestra Dominatio respondit, „ quod quandoquidem omnis spiritualis iurisdictio, & authoritas condendi leges, & popu- „ lum in Curijs Ecclesiasticis iudicandi, visitandi, reformandi, ordinandi, & corrigendi solū à „ positiuis legibus Regum & Principum dependent, & non à lege Dei, idcirco neque Apo- „ stoli & eorum successores hanc potestatem exercuerunt, neque debent Episcopi & eorum „ successores iurisdictionem super populum Dei exercere, sine potestate à Rege & Principe „ delegata.

„ Ad quæ hoc argumentum sequens adiungo. Primò, tempore veteris legis, quæ vt san- „ ctus Paulus dicit, nouæ vera figura fuit, Moyses, Aaron, Eleazarus sacerdotes, expresso „ verbo Dei super populum iurisdictionem obtinuerunt. Hi illi in iudicijs præfuerunt, non „ solum in rebus Ecclesiasticis, sed in politicis, & rebus ciuilibus & causis. Illos visitarunt, „ reformarunt, ordinarunt, correxerunt, & illos punierunt, quoties res & occasio postula- „ bat, idque sine quauis licentia cuiuscumque magistratus, ciuilis gubernatoris, Regis, aut „ Principis. Præterea durante vetere lege, lex expressè facta est, qua omnibus ciuilibus ma- „ gistratibus, & iudicibus in omnibus rebus dubijs mandatum fuit, Pontifices & Sacerdotes „ adire, & eorum sententijs & iudicijs acquiescere, adeoque neque ad dextram neque ad si- „ nistram declinare, *si quis vero non obedierit voci summi Sacerdotis, morietur homo ille*, inquit „ scriptura.

„ Secundum est in nouo Testamento. Nam quemadmodum Saluator noster Christus to- „ tum spirituale regimen sui populi & Ecclesiæ, suis Apostolis, Episcopis, Presbyteris, & „ eorum successoribus reliquit: ita illi omne spirituale regimen super illos exercebant. Iudi- „ cium enim exequebantur & dabant in Ecclesia Christi: Reformabant, ordinabant, & om- „ nes enormitates in ea corrigebant, neque verò per trecentorum annorum spacium in pri- „ mitiua Ecclesia vsque ad tempora Constantini primi Christiani Regis & Imperatoris, qui „ gladium suum cum verbo Dei coniunxit, vllam authoritatem, licentiam, vel auxilium à „ quouis ciuili magistratu, Rege, aut principe vnquam impetrarunt.

„ In primo Concilio Hierosolymæ habito ad dirimendam illam controuersiam, quæ An- „ tiochiæ de Circuncisione, & de legis Mosaicæ obseruatione agitata erat, decretum fuit ab „ Apostolis & Presbyteris: vt fideles Antiochiæ ab his quatuor primarijs & necessarijs absti- „ nerent. viz. *Ab immolatis simulachrorum, à sanguine, à suffocato, à fornicatione, à quibus custo-* „ *dientes vos, bene agetis.* Quod quidem Concilium ab Apostolis Christi ibi fuit celebratum. „ Leges & decreta ab ijs sancita fuerunt, controuersia ab illis dirempta, composita, & termi- „ nata; nulla adhibita potestate vel commissione cuiuscumque demum ciuilis Magistratus, „ Regis aut Principis.

„ Porro Apostoli quamprimum intelligerent Samariam verbum Dei recepisse, Petrum & „ Iohannem ad illos visitandos, eosque in fide confirmandos miserunt, vt Spiritum S. im- „ positione manuum suarum acciperent. Paulus & Barnabas inter se conuenerunt, vt illas „ ciuitates & fratres, quos ad fidem conuerterant, visitarent. Verba Scripturæ ita se habent: „ *Dixit ad Barnabam Paulus, reuertentes visitemus fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædica-* „ *uimus verbum Dei, quomodo se habeant.*

„ In qua visitatione Apostolus Paulus electo Sila *perambulabat Syriam & Ciliciam, confir-* „ *mans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum.* Ex quibus verbis colli- „ gitur, Apostolos & presbyteros, præterquam quod Euangelium docerent, decreta, leges „ & ordinationes sanxisse, quas Paulus in visitatione sua Syris & Cilicianis præcepit, vt ob- „ seruarent. Simili quoque modo leges & sanctiones dedit Corinthijs Apostolus, quod viri „ neque orarent neque prædicarent in Ecclesia velato capite. Quam insuper reformationem „ & ordinationem illis tradidit, quo maiori cum honore & reuerentia Sacramentum reci- „ perent, quam partim scripto, partim verbo reliquit, vbi dicit: *Cætera cum venero disponam.*

„Et in 2. Epist. ad Thessal. dicit: *Fratres state & tenete traditiones quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Quas ordinationes & decreta fecit Apostolus Paulus de oratione & prædicatione in linguis ignotis? Item de mulierum silentio in Ecclesia & publico cœtu? Hę & multæ eiusmodi leges, ordinationes, & decreta ab Apostolis Christi, Episcopis, & Presbyteris, & eorum successoribus, ad populum in Ecclesia Christi reformandum traditæ fuerunt, idque sine quauis potestate & authoritate ciuilis Magistratus, Imperatoris, Regis, aut Principis, cum Constantinus primus Imperator Christianus esset, vt supra dixi.

„Qui nobilissimus Imperator Constantinus ad reprimendos errores & hæreses Arrianas, rogatu Siluestri tunc Pontificis Rom. primum Conc. Nicænum celebrari fecit, vbi Episcopos simul congregatos hoc modo affatus est. *Cũ vos Deus Sacerdotes constituerit, potestatem tradidit iudicandi de nobis: & ideo nos à vobis rectè iudicamur. Vos autem cum nobis à Deo dij dati sitis, ab hominibus iudicari non potestis.* Et Valentianus Imperator cum ille rogatus esset ab Episcopis Hellesponti Bythiniæ vt interesset Cõcilio respondit: *Mihi quidem cum vnus de populo sim, fas non est talia perscrutari: verum Sacerdotes, quibus cura est, apud semetipsos congregentur, vbi voluerint.* Theodosio Imp. Ambrosius ingressũ intra cancellos tẽpli interdixit, inquiens: *O Imperator solis Sacerdotibus patent &c.* Cui egit ob id gratias Imperator, asserens se didicisse discrimen inter Imperatorem & Sacerdotem.

„Iohannes Caluinus historias de Valentiniano, Theodosio, & S. Ambrosio tractans, post longam orationem de his rebus institutam, in qua omnem spiritualem iurisdictionem ad Ecclesiã, non ad Imperium pertinere probat: his verbis vtitur: *Qui vt Magistratum ornent, Ecclesiã spoliant hac potestate, non modo falsa interpretatione Christi sententiam corrumpunt, sed sanctos omnes Episcopos (qui tam multi à tempore Apostolorũ extiterunt) non leuiter damnant.* Et iterũ Iohannes Caluinus dicit: *Qui in initio tantoperè extulerunt Henricum Regem Angliæ, certe fuerunt homines inconsiderati. Dederunt illi summam omnium potestatem. Et hoc me semper grauiter vulnerauit. Erant enim blasphemi, cum vocarent ipsum summum Ecclesiæ caput sub Christo.*

„Hosius Episcopus Cordubensis, qui Synodo Nicænæ primæ interfuit, sic habet, sicut testatur Athanasius aduersus Constantium Imperatorem: *Si istud est iudicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? sin contra, ista minis Cæsaris conflantur, quid opus est hominibus titulo Episcopis? Quando à condito æuo audita est? Quando iudicium Ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepit? Aut quando vnquam pro iudicio agnitum? Plurimæ antehac synodi fuerunt, multa iudicia Ecclesiæ habita sunt. Sed neq; Patres istiusmodi res principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit. Nunc autem nouum quoddam spectaculum ab Arriana hæresi editur. Conuenerunt enim hæretici & Constantius Imperator, vt ille quidẽ sub prætextu Episcoporum sua potestate aduersus eos quos vult vtatur.*

„Deus loquitur per os Prophetæ sui & Sacerdotis Hieremiæ: *Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te super gentes & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Gregorius Nazianzenus de dictis Hieremiæ ad Iulianum Imperatorem: *Putasne patimini vt verum vobiscum agam? suscipitne libertatem verbi, & libenter accipitis, quod lex Christi Sacerdotalis vos nostræ subiecit potestati, atque iustis tribunalibus subdit. Dedit enim nobis potestatem, dedit principatum multo perfectiorem principatibus vestris aut nunquid iustum videtur, vt cedat spiritus carni, si à terrenis cœlestia superentur, si diuinis præferantur humana? Sed patienter quæso accipite libertatem nostram. Scio te ouem esse gregis mei; scio te intra sacra altaria cum veneratione subijci manibus Sacerdotis &c.* Et per Prophetam Ezechielem Deus loquitur: *Væ Pastoribus Israel, quod infirmum fuit, non consolidastis, quod ægrotum non sanastis; quod confractũ nõ alligastis: quod abiectũ, nõ reduxistis: quod perierat, non quæsistis.* Quas maledictiones Episcopi & Sacerdotes necessario incurrũt, si nullã iurisdictionẽ habeãt super gregẽ suũ: si populum suum visitare, reformare, ordinare, & corrigere, quando illis visum fuerit, non possint. Chrysostomus astruit Sacerdotem medium esse inter Deum & hominem, nullumque honorem in terris illius honori posse conferri. Igitur vt obiectionem meam V. D. responsioni factam concludam, finiam cum Beato Martyre Ignatio Sancti Iohannis Euangelistæ discipulo: Quod nemo præter Episcopum aliquid agat eorum quæ ad Episcopum pertinent. Addam insuper verba Sancti Augustini, qui dum contra Iulianum loquitur, ait de Doctoribus Ecclesiæ: Quod credunt, Credo: quod tenent, teneo: quod docent, doceo: quod prædicant, prædico: istis cede, & mihi cedes, &c.

„Post longam exspectationem, & multa ac varia promissa, suæ dimissionis finalis responsio ad meas obiectiones hæc fuit, quæ sequitur. Quia video te in hac re induci non posse

„ vt credas, non tecum amplius in eadem re deinceps agam: sed vt mihi gratus fuisti, ita sem-„ per eris nihil est in domo mea, quod ad tuum commodum non tibi patebit. Et posthac „ omittam tecum amplius in his religionis controuersijs conferre. Quod ad ea quę inter „ nos sermone & scripto agitata fuerunt attinet, fidem meam primo & vltimo datam tibi „ seruabo quod tu nihil inde damni nec detrimenti accipies.

„ Fidem mihi præstitit hoc modo. Primò fama à suis famulis sparsa fuit, me decem arti-„ culis subscripsisse. Secundò disseminata fama fuit ab ijsdem, me palinodiam cecinisse, & in „ Parochiali Ecclesia Walthami, vbi commorabatur sua D. præfixo tempore retractationem „ facturum. Tertiò sua D. in sua mensa, & coram multis Religionis meæ mutationem non „ solum nouies, sed decies & nouies factam exprobrabat, & postea me nullius religionis esse „ dicebat. Quartò sua Dom. permisit Domino Denny in mensa sua me insolenter abuti. „ Prædictus Dominus Denny palam & coram multis mihi tria crimina obiecit. Primò de vi-„ tæ incontinentia me accusauit, dixitque, quod si non tot liberos, quot ille, haberem, quod „ tot meo merito deberem habere. Secundò mihi gulam & Epicurismum obiecit. Tertiò me „ hypocritam & egregium dissimulatorem esse dixit. Et quoniam iste Denny mihi homo in-„ cognitus fuit, & sua Dom: externis, quantum conijcere potui, signis, has calumnias pro-„ bauit, mihi occasionem dedit existimandi, quod ipse hunc Dennyum contra me subor-„ nasset. Quintò creuit eo magis mihi suspicio, quia intra vnam horulam, sua Dom. quasi „ accusationes Domini Denny magis ratas faceret, me in arctam custodiam reliquit. Sextò „ post meam per sex septimanas custodiam, per suæ Dom. quærimonias contra me, iam in „ turri Londinensi contra fidem suam mihi prius datam, detineor.

„ Cum hæc ita sint, & tam publicè facta fuerint coram tot testibus, vt negari non possint: „ vestra amplitudo facile iudicauerit, quanta charitate, prudentia, & discretione mecum „ actum fuerit. Nam cum pauper essem, & suæ Maiestatis captiuus, & suæ Dominationi in „ custodiam traditus (ausim affirmare) vt melius tractarer, mirabar certè hæc tam insolentia „ facta in mensa talis viri potuisse admitti. Et hoc de meipso affirmare possum, quod num-„ quam ante per totum vitæ meæ cursum tam male mulctatus fui. Peto igitur quam humil-„ limè ab illustri D. V. vt examen fiat, vtrum verum dixerim, & quænam vitæ meæ ratio fue-„ rit, per id tempus, quo ibi fui: & non dubito, quin rebus maturè excussis, magna simplici-„ tas & veritas, vel egregia fraus & falsitas; vitæ integritas & probitas, vel malignitas & im-„ probitas; lux doctrinæ & scientiæ, vel ignorantiæ & illiteraturæ tenebræ, oculis vestris & „ quasi manibus euidenter deprehensa fuerint. Res forsan ad breue tempus possunt eludi, „ sed cum tam publicè & quasi in propatulo gesta fuerint, vbi tot fuerint conscij, tot testes, „ non ita diu celari possunt, quin in lucem emerserint.

Hæc Christi confessor insignis pro se, & alijs iuramentum impium ob amorem iustitiæ & veritatis recusantibus tunc conscripsit, in carcerali adhuc positus custodia. Tali Abbate gloriatur nostra congregatio, in quo sub Elisabetha principe continuata est, quamuis in vinculis & carcere; siquidem ita voluit Deus, vt nunquam deesset aliquis in Anglia monachus veritatis olim in ipsam illatæ vindex & propugnator; quandoquidē socius ipsius Feckenami D. Sebertus in custodia perseuerauit fidelis Confessor, vsque dum primi ex Hispania & Italia missionis nostræ monachi, Augustinus, Ioannes, Iosephus, Thomas, Anselmus, auctoritate Apostolicæ sedis ad replantandam Catholicam fidem ingressi, suam quoque diligentiam sanctis Presbyterorum sæcularium, & Patrum societatis laboribus coniunxerunt.

§. 4. *Prima monachorum Anglorum in Congregationem Casinensem admißio: & difficultates inde exortæ.*

MOrtuo igitur in vinculis egregio confessore Christi D. Feckenamo superuixit D. Segebertus Buclæus monachus ipsius; quo adhuc in viuis & vinculis agente; aliquot alumni Seminariorū, Romæ primū in Cōgregatione Casinēsi, deinde Vallisoleti in Hispania, in Congregatione Hispanica ordinis Benedictini sacræ regulæ sese deuouerunt. Casinensium primi fuere, D. Gregorius Sayrus orbi Catholico doctissimis in Theologia lucubrationibus notus, & celebris; D. Thomas Prestonus, D. Anselmus à Mancestria, D. Anthonius Martinus, postea appellatus D. Athanasius: primus & quartus iam Deo (vt piè cōfidimus, fruuntur in gloria: duo intermedij adhuc viuunt, vnus Romæ, alter in carcere Londini. Primi Hispanicorum fuere, F. Augustinus de S. Ioanne, vir magni animi, summi zeli, præcipueque industriç, & imperterritæ constantiæ; F. Ioannes de Meruinia postea martyrio affectus, vt & F. Marcus Lambertus, F. Maurus Scottus, F. Georgius Geruasius diuer-

ſis temporibus beata morte, pro Chriſti fide conſtanter ſuſcepta ſęculo erepti, cœloque inſerti. Alios, quia adhuc viuunt, & in miſſionis Apoſtolicæ functionibus laborant innocenti diligentia, nominare non debemus. Cæterum hoc non eſt omittendum, primum ingreſſum horum religioſorum hominum in ordinem S Benedicti, fuiſſe oppugnatum à viris grauibus & pijs: dubitantibus forte an ex Deo foret illa religioſæ vitæ ſuſceptio, pręlata ſeminariorum ſancto & Apoſtolico inſtituto; poſtea autem accedente(licet multis prius difficultatibus deuotatis) etiam eiuſdem miſſionis Apoſtolicæ facultate, & ordini S. Benedicti per ſummos Pontifices communicata, ceſſauit omnis illa controuerſia. Fuiſſe vero controuerſiam non paruam, teſtabuntur hæ illuſtriſſimi Cardinalis Alani ad D. Athanaſium tunc in cœnobio Cauę S. Trinitatis ordinis Benedictini & Congregationis Caſinenſis monachum literæ(ex quibus etiam quantopere placuerit maximo illi Cardinali & æterna memoria digniſſimo cauſa Benedictinorum, lectori manifeſtum fiet.

„Chariſſime frater & fili: Binas à te literas, ex quo in illa ſancta loca conceſsiſti, accepimus: vtraſque eleganter, & amanter, &, quod caput eſt, religioſe ſcriptas. Prioribus per meos familiares reſpondi; his poſterioribus aliquid nacti otij, ipſi reſcribere voluimus: primum vt non ab alijs ſolum quantum à nobis diligaris, ſed noſtris id potius verbis, manuſque noſtræ ſcriptis tabulis intelligas; Deinde vt cognoſcas, quanti faciamus illos tuos in ſanctiſsima religione progreſſus, de quibus te nunc multo magis in Domino, quā vnquam ante in ſæculo. (licet ſemper propter præſtantes animi dotes chariſsimus extiteris) amemus & complectamur; poſtremo, vt gaudium hoc noſtrum, quod de fœliciſsima huius vitæ ſorte plane cęleſti concepimus, tecum communicemus. In quo genere licet mihi Apoſtolicis vti verbi ; maiorem horum non habeo gratiam, quam vt videam filios meos in veritate ambulare. Quod igitur contemptis rebus humanis, tanto animi ardore ac impetu cœleſtia conſectatus, mundique huius & vitę ſæcularis ſęuiſsimis ac periculoſiſsimis motibus vel ſuperatis, vel euaſis, tam ſanctæ diſciplinæ te tuamque vitam formandam dederis; religionisque antiquiſsimæ ac glorioſiſsimæ otia ſanctiſsima turbulentiſsimis negotijs ſæculi prudenter prætuleris; hoc bonum ſolidum, ac ſumme ſalutare tibi fili ex animo gratulamur: nec à Chriſto optimo maximo huius concilij tui authore aliud continuis pręcibus, vel à tua charitate, vel à nobis poſtulandum eſt, quam vt opus ſalutis tuæ, quod ab ipſo cœptum eſt, piè proſequatur, & perficiat. Faciet autem, ſi tu, poſtquam manum ad aratrum Domini poſueris, retrò non reſpicias, ſed ad anteriora totis viribus contendas; ſi religionis graues, ſed ſuaues labores nauiter pertuleris; ſi tentationes fortiter & conſtanter repuleris; ſi ea, quæ in ſæculo, vel ab hæreticis, vel malis catholicis, vel ab æmulis, vel ab inuidis, ad tui probationem perpeſſus es, ex animo prorſus eijcias tuo; ac etiam pro te perſequentibus ores, quod faciunt omnes ſancti in cœlo, quorum tu nunc vitam & charitatem cœpiſti degere, ac imitari in terra.

„Quicquid alij de hoc vitę tuæ ſanctiſsimo inſtituto ſentiant, aut loquantur; tibi perſuadeas velim tuas rationes nobis ſummæ curæ eſſe: atque hoc tuum de religione capeſſenda conſilium vehementer placere; noſque ſperare, te ſanctiſsimo ordini olim in patria noſtra floreutiſsimo, reſtituendo, ac calamo & ingenio adornando, ab hoc ſæculo nequam diuinitus ereptum eſſe. Quantum ergo in illa ſanctiſsima diſciplina proficies: tanto magis te amabimus; tantoque minus te ſalutaris conſilij huius pęnitebit.

„Si per epiſtolarem breuitatem, aut ſcriptionis laborem liceret, poſſem tuæ pietati multa ex hiſtorijs nationis noſtræ, de illius ordinis in Anglia celebritate & ſanctitate commemorare: nam & Auguſtinus ipſe, & cæteri ſancti Gregorij diſcipuli, qui gentem noſtram ad fidem, conuerterunt, erant omnes huius ordinis: atque omnia primum inſtituta monaſteria, (de quibus venerabilis Beda) ſicut & ipſe Beda erant eiuſdem inſtituti; & capitula Cathedralia vniuerſa, quæ poſterioribus temporibus erant Canonicorum ſæcularium, ab initio erant ordinis Sancti Benedicti; ita erat Cantuarienſis Eccleſia tempore Lanfranci, Anſelmi, Thomæ Martyris, qui & ipſi fuerunt monachi eiuſdem inſtituti. Vt nihil dicamus de nobiliſſimis monaſterijs, Weſt-Monaſterienſi, S. Albani, S. Edmundi, Glaſtenburienſi, cuius Abbas, ſicut & plurimi alij claro perfuncti ſunt martyrio tempore Henrici octaui. Horum exempla, te, mi fili, ac cæteros noſtrates, ad hanc ſolidam in Chriſto & Eccleſia gloriam ſectandam animare poſſunt: nos certè tantorum hominum ſola commemoratione ſummopere delectamur; quæ quoque cogitatio, veterumque rerum noſtrarum memoria nos prolixiores, quam voluimus, effecit; ſed ad animum vtriuſque noſtrum non malè: nam tecum libenter loquimur. Memineris ergo noſtri in orationibus & ſacrificijs tuis: atque ſuperioribus loci & ordinis iſtius à nobis multam ſalutem in

„domino; qui & ipsos pro hac in peregrinos & coexules nostros Christianissima charitate „abundè beabit. Vale fili mi. Romæ ex ædibus nostris: 12. Kal. Februarij 1594. manu pro„pria. Tuus in Christo Guilielmus Cardinalis Alanus.

§. 5. Admißio monachorum in congreg. Hispanicam: & controuersia propterea mota.

LIquet profectò ex hac epistola Illustrissimi Viri, Anglorum optimi hac vltima ætate Magistri; non defuisse aliquos, quibus displicuerit, quod docti viri de Seminarijs, in ordinem S. Benedicti cooptarentur: quod tamen institutum videmus quam exquisitis grauibusque verbis & sententijs hic summus Cardinalis approbauerit. Non minor in Hispania contra eos qui in illa congregatione magno numero, selectęque indolis viri habitum sumserant, oppositio facta fuit adeo vt non solum in Regijs tribunalibus, & in sanctæ Inquisitionis officio controuersia fuerit exagitata; verum etiam eo vsque processerint qui monachatui Anglorum aduersabantur, vt dictitarent, non posse eosdem tuta conscientia, & sine aperta regularis instituti sui violatione missionem Apostolicam in prouincias remotas erroribus aut hæresibus infectas suscipere. Quæ cum sæpe sæpius iactarentur, cum magno nominis Benedictini detrimento, quæstionem ipsam Abbates nostri in Hispania inclytæ Academiæ Salmanticensi toto terrarum orbe celeberrimæ Doctoribus dissoluendam proposuerunt, hac forma.

„Quia in Flandria & Anglia nonnulli viri, alias religiosi, sunt exorti, qui, nescio quo spi„ritu ducti, ausi sunt accusare Sanctissimum & antiquissimum ordinem D. Benedicti in His„panijs violati voti & professionis, quod patrum suorum præclaris vestigijs insistens (qui „& primam & supremam manum tot orbis regionum ad fidem Christi conuersioni tam „laudabiliter dederunt) erigere ac instituere ausus sit missiones monachorum Anglorum „sui instituti & congregationis, ad replantandam fidem nostram ab hæreticis eradicatam, „in nonnullis prouincijs, Angliæque præsertim, vbi maiores sui sanctissimi P. N. Gregorij „iussu ac directione, magni nostri Anglorum Apostoli fructuosissimè prius eandem plantauerant. Cuius equidem nouellæ plantationis, ac iteratæ institutionis primordia, sicut in „Dei gloriam, Ecclesiæ obsequium, religionis honorem Martyrum sanguine recens profu„sò, velut fœlicissimo iam sunt auspicio consecrata: sic certè cacodæmon inuidus tantique „impatiens boni, mille iam suorum virulentis machinis infectare, atque subuertere tentat: „A vobis proinde Venerabiles Patres atque magistri efflagitamus impensè, quatenus ve„strum super hoc iudicium simul & censuram proferre dignemini: non quod rei difficultas „talium desideret oraculorum responsa; sed quod tantorum patrum authoritas ora frœnet „petulantia nouatorum, dementem coerceat insolentiam, insolentissimamq; dementiam, „& sanctissimum Benedictinorum ordinem de vniuersa Orthodoxorum republica tam in„signiter bene meritum, à tam solemni, quàm vana vendicatum impostura, in pristinum si„bique coæuum nitorem nullibi non firmius asserat. Quo autem id & commodius præste„tur, & rationabilius, ecce monasticæ professionis tenorem. Ego frater N. de tali loco, „promitto stabilitatem meam, & conuersionem morum meorum & obedientiam, coram „Deo, & sanctis eius, secundum regulam S. Benedicti, in hoc monasterio Sancti N. ordinis „eiusdem sancti, in præsentia R. Patris, F. N. Abbatis.

Responsum claustri Doctorum.

Decretum Salmanticensis Academiæ de missione Benedictinorum.

„COntrouersiam hanc dirimit Bonifacius Papa in cap. sunt nonnulli. 16. q. 1. Fuit autem „hic Bonifacius, (vt in emendationibus iussu Gregorij XIII. decreto Gratiani appositis, refertur, ex vetusto Codice Romam ex Hispania misso) quartus à Beato Gregorio: Et „idem dicitur in titulo huius capitis apud Iuonem parte. 7. cap. 21. Quare procul dubio fuit „Bonifacius quintus, qui anno. 617. tempore Heraclij Imperatoris creatus est Pontifex. „Quod animaduertimus, vt constet, litem hanc fuisse excitatam aduersus ordinem D. Be„nedicti iam inde ab ortu suo: & non fauere parti contrariæ aliqua patrum testimonia, quæ „referuntur eadem causa & quæstione; quia (vt rectè inquit Gratianus ibid. §. superiori au„toritate) intelliguntur de alijs monachis qui antea in Ecclesia, quamuis essent verè mo„nachi, non initiabantur sacris; & ideo neque assumebantur ad exercenda Sacerdotalia munera

„munera. In eo igitur capite Bonifacius, vt propositam controuersiam componat, tria præstat: quæ singulatim sunt à nobis exponenda; quia in eis continentur aliqua, quæ ad huius dubij solutionem maximè conducere videntur.

„Et inprimis causam ipsam proponit his verbis: *Sunt nonnulli, nullo dogmate fulti, audacissimo quidem zelo magis amaritudinis, quam dilectionis inflammati, asserentes monachos qui mundo mortui sunt, & Deo viuunt; Sacerdotalis officij potentia indignos: neque pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absoluere posse per Sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem.* In quibus verbis valde obseruandum est, quam graues notas inurat Pontifex ijs, qui autores fuerant huius controuersiæ; & quo argumento eos dicat fuisse commotos: nempe, *quia monachi essent mundo mortui, & Deo viuerent.*

„Et deinde asserit hos fuisse omnino lapsos, & id probat testimonio B. Benedicti: sic dicens: *Neque enim Beatus Benedictus monachorum præceptor almificus huius rei aliquo modo fuit interdictor; sed eos secularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo.* Vbi etiam notandum est Pontificem, non solum declarasse, non esse prohibitum Monachis in regula B. Benedicti exequi sacerdotale munus: sed etiam tanti fecisse eius regulam, vt, quia in ea non sit prohibitum, dixerit esse licitum. Ex quo Glossa verbo *Benedictus* dicit, sumi argumẽtum, vt omnia, quæ Sanctus Benedictus non prohibuit monachis in sua regula, sint censenda eis concessa.

„Et tandem iudicium de hac re ita pronuntiat: *Decertantes igitur monasticæ professionis presbyteros Sacerdotalis potentiæ arcere officio, omnimodo præcipimus, vt ab huiusmodi nefandis ausibus reprimantur in posterum: quia quantò quisque est celsior, tantò est & in his potentior.* Vbi etiam est ponderandum, Pontificem seuerè præcipere aduersarijs, vt desistãt à suis *ausibus*, quos etiam *nefandos* appellat; & alia ratione probare, monachos non esse ab his ministerijs excludendos; quæ simul respondet argumento, quo diximus aduersarios vti. Nam cum ipsi suam sententiam confirmarent, quia *Monachi sunt mortui mundo, & viuunt Deo*; respondet Pontifex, monachos ex hoc habere, vt sint in sublimiori gradu sanctitatis; & ex consequenti, vt sint aptiores ad hæc ministeria obeunda; *quia quantò quisque est altior, nempe quoad vitæ sanctitatem tantò est & in his potentior.* Et hoc modo caput hoc interpretatur D. Thomas, 2. 2. q. 187. art. 1. Et vtitur eius doctrina, vt probet religiosos, eò quod religiosi sint, nullum habere impedimentum, propter quod non possint docere, concionari, & alias huiusmodi functiones spirituales exercere erga proximos.

„Quare nos conuicti tam aperta Pontificis decisione, non potuimus ei non subscribere debita reuerentia & obseruantia: atque ita censemus Monachos Benedictinos, quantum est ex professione, qua iuxta regulam suam deuinciuntur; aut ex instituto viuendi seorsum à reliquis hominibus, vt liberius possint vacare contemplationi rerum diuinarum, non impediri, quo minus possint à suis superioribus mitti in Angliam, & alias prouincias, vt dent operam reductioni hæreticorum ad fidem Catholicam, à qua defecerunt, & conuersioni quorumcumque infidelium ad eam. Addimus præterea, perpetuo vsu & consuetudine fuisse in ordine D. Benedicti hoc receptum, summa & euidenti Catholicæ Ecclesiæ vtilitate, vt confirmat testimonium illud relatum supra in dubio, cuius meminit ipse Gratianus supradicto. §. Et præter id, sunt plenæ exemplorum ecclesiasticæ historiæ, plena ferè omnium Catholicorum scripta: quæ hoc nomine sacrum hunc ordinem miris laudibus extollunt. Vnde communis penè omnium Christianorum animis inhæsit opinio, innumeros ex hoc ordine Doctores, concionatores, martyres, & Pontifices prodijsse; adeo vt nemo sit, cui hæc ignota esse possint. Ita tenet Schola Theologorum Salmanticensium. F. Bartholomæus Sanchius Decanus. Ioannes a Alphonsus Curiel. F. b Augustinus Antolinez. Magister Andræas de Leon Canonicus Pœnitentiarius. Magister Petrus Arrogo. F. c Ludouicus Bernardus. Fr. d Petrus de Ledesma. Magister e Sagredo de Porres. F. Petrus Cornejo. F. Franciscus Cornejo. Fr. f Andræas de Espinosa. Fr. g Basilius Pontius Legionensis. Fr. h Dionysius Iubero. i Magister Gelanda. Fr. k Petrus de Herrera. Fr. l Bernardinus Biuanco. Et ego Antonius Ruano de Medrano publicus Apostolica autoritate notarius, & Salmanticensis Academiæ Secretarius, facio fidem fuisse hanc resolutionem Collegij Theologici eiusdem Academiæ, & Magistrorum eius, quos noui, facta prius in suo claustro prædictæ difficultatis publica conferentia, cui interfui; & de mandato eiusdem Collegij, hoc publicum instrumentum exhibui; die 27. mensis Iulij. Anno 1609. rogatus. Antonius Ruano de Medrano.

Quare & Illustrissimus Archiepiscopus Philippensis, Philippus Rouenius in tractatu de

a Canonicus Salmãtic.
b Eremita Augustini.
c Cisterciensis.
d Dominicanus.
e Canonicus Salmãtic.
f Ordinis Sanctissimæ Trinitatis.
g Eremita S. Augusti.
h Carmelita.
i Professor Hebræus.
k Dominicanus.
l Benedictinus.

de missionibus hanc sententiam grauibus verbis amplectitũr; parte secunda dicens: Veris-
„ simè etiam docet D. Thomas, stultam esse opinionem dicentium quod status religionis
„ impedimentum adferat prędicandi, ac confesiones audiendi: quinimo fatẽdum est, quod
„ quò sanctiores, & magis mortificati religiosi fuerint, eò erunt ad prædicta munia aptio-
„ res, si nimirum sufficienti doctrina sunt instructi, & nihil nisi Dei gloriam & animarum
„ salutem quęrant, sintque castitatis, humilitatis, & obedientia tenacissimi. *Et postea parte*
„ *5. de nostro loquens ordine.* Benedictinis, alijsque ordinibus magis contemplationi deditis,
„ si pro suo modo simile quid attentare velint ad iuuandas animas (missiones instituere) nõ
„ erit difficile, & certe laudabiliter Benedictini sæpe, & magno cum fructu miserunt ido-
„ neos in Germaniam, Belgium, Angliam, Scotiam, & circa nostræ tempora in Indiam.

§. 6. Vnio Monachorum vtriusque Congregationis Hispanicæ, & Italicæ in congregationem Anglicanam veterem.

SOpita hoc modo illa controuersia, qui ex Italia & Hispania fidei prædicandæ causa missi fuerant in Angliam monachi, rationibus suis conducere perspexerunt, vt aliquod domicilium & seminarium missionis suæ nanciscerentur limitibus patrijs propinquius, quàm essent monasteria in Hispaniæ Italiæque remotis prouinciis sita. Sed & hic ortæ quædam difficultates sunt, ne fortè ex vicinitate Seminarij monastici læderetur Seminarium clericorum, & pax mutua perturbaretur, si fortè indebito modo de vno ad aliud transire maioris perfectionis obtentu seu vero, seu apparenti niterentur alumni. Citò etiam huic controuersiæ finis est allatus communis Pastoris & Patris omnium Catholicorum sententia, atque iudicio; ad quem delatis vtriusque partis rationibus, eiusque arbitrio in spiritu obedientiæ atque humilitatis permissis, emanauit ex Congregatione sancti Officij decimo Decembris anno 1608. iussu sanctissimi Domini nostri fœlicis recordationis Pauli Papæ quinti, decretum, contenes certas quasdam regulas obseruandas inter Patres ordinis S. Benedicti & superiores prædictorum Seminariorum, ad tuendam concordiam & pacem, summè necessariam ijs qui ab eadem sancta sede destinati fuerant vt iunctis viribus adorirentur portas inferorum, & communibus laboribus propagationi religionis Catholicæ & cultus diuini in regno Anglię insudarent. In hoc decreto (cujus authenticum subscriptum chirographis Illustrissimorum S. R. E. Cardinalium I. Blanchetti & A Montalti ordinis sancti Benedicti Protectoris, in Archiuis Collegij nostri sancti Gregorij magni Duaci seruatur) illud præcipuè cautum fuerat post iniunctam præteritarum omnium dissensionum ac simultatum perpetuam amnestiam, ne vel Rectores Seminariorum directè aut indirectè conarentur diuertere quemquam alumnorum suorum qui voluisset ingredi religionem D. Benedicti, aut aliam religionem à S. Sede approbatam, quod ipsis erat iniunctum sub pœna excommunicationis aliâs incurrẽdæ: vel Patres Benedictini allicerent, aut inuitarent, aut exhortarentur vllum alumnum prædictorum Collegiorum vt in suum ordinem adoptetur.

Cuius decreti nos ideò libentius, fecimus mentionem hoc loco, vt clarè constaret cuicumque arbitro, quam syncero minimèque fucato animo & hactenus processerimus, & deinceps in his rebus procedere statuamus. Regula nostra nobis præscribit, vt venientibus ad conuersionem, non præbeamus facilem accessũ, sed potius asperè, & duriter repellamus, & saltem nullo modo ad nos inuitemus blanda prædicando, aut difficultates religiosæ conuersationis reticendo. Hoc nos semper in admissione nouitiorum obseruauimus, & obseruandum in statutis nostris omnibus superioribus strictissimo præcepto iniũgimus, vt tam in ipsa admissione quam in toto nouitiatus decursu, probemus spiritus si ex Deo sint, opprobrijs, asperitatibus, mortificationibus, ieiunijs; illi ipsi nouitij qui admittuntur, satis perspiciunt, nec enim potest illos latere, quam graue iugum suscipiant, cum noctu & diu, conuentu toto præeunte & comitante, per totum vitæ suæ tempus videant sibi esse in perpetuo labore chori, ieiuniorum, obedientiæ, mortificationis viuendum. Quare quod hic sua sanctitas nobis præscripsit, nihil aliud est, quam vt regulam nostram, cui ex voto nos astrinximus, obseruemus.

Volumus etiam ostendere, quam semper Ecclesia antiquis insistat legibus suis, nec facile mutet, quod semel magna deliberatione constituit: semper hoc ab ea fuit obseruatum, vt

nemo Ecclesiasticus aspirans ad vitam religiosam, ab ea impediretur, nisi actionibus publicis esset obligatus, aut debitis priuatis obstrictus: & ideo in hoc decreto idem iniungitur obseruandum, ne quisquam à tam pijs desiderijs diuertatur. Sic olim Gregorius magnus; (vt ex epistola. 38. lib. 10. notauit Cardinalis Caraffa) *non permittebat vt impedirentur clerici monachi fieri volentes, etiamsi in sacris essent ordinibus*. Sic postea Concilium Toletanum 4. 70. Episcoporum, cui sanctus Isidorus Hispalensis præsedit canonem hunc statuit: qui & in corpus iuris Canonici est relatus: *Clerici qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in monasterijs largiri oportet ingressus: nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.* Matura igitur discretione Sanctissimus Pontifex, & nobis iniunxit ne facilem accessum præberemus alumnis seminariorum sed eandem difficultatem illis exhiberemus, quam alijs ex regula exhibere tenemur & consueuimus; & Rectoribus etiam collegiorum seu Seminariorum præscriptum voluit, ne monachatum suscipere volentes à tam pio proposito dehortarentur, quandoquidem antiquis moribus & legibus hoc iam olim fuerit canonica lege decretum.

Cum autem iam sublatis his difficultatibus, monachi nostri tam ex Hispania, quam ex Italia, frequentes ad missionis Apostolicæ functiones destinarentur facile peruiderunt, non posse diutinam inter se seruari concordiam, nisi vnio quædam fieret superiorum & legum, sub quibus missio gubernata vno humero, vnoque corde lucris animarum intenderet. Ita enim fore, vt non vnusquisque sui cordis desiderium, sui intellectus iudicium sequeretur; nec alij vna via, alij prorsus contraria, aut valde diuersa in maximo hoc Euangelij negotio procederent: sed omnes ijsdem consilijs atque rationibus parentes, eademque via ad eundem finem & scopum diuinæ gloriæ collimantes, fructuosius, & securius in Christi vinea operarentur. Itaque salubre consilium inspirauit Deus (quanquam non sine multis difficultatibus potuit omnibus persuaderi) vt in Domino Seberto Buclęo, monacho congregationis Anglicæ veterano adhuc superstite, vniti omnes missionis monachi, congregationem antiquam Angliæ, cuius iura & prærogatiuæ in ipso adhuc manebant inextincta, instaurarent. Non statim potuit hoc exequutioni mandari, sed per gradus quosdam, vt solent omnia magna à minimis initijs ortum ducere. Cæterum deuotus senex P. Sebertus, tanquam alter Simeon, expectans redemptionem Israel; ita ille lachrymis pijs iam cum gaudio & pace dimitti gestiebat, cum congregationem in se videret instauratam: admirans & exultans ideo sibi longæuam ætatem productam fuisse, vt diuina gratia opitulante, congregatio Anglicana, quam in se vno relicto ex tanto numero monasteriorum & monachorum verebatur intermorituram, in se denuo tam fœliciter repullularet.

Vt autē ad fœlicē congregationis instaurationē perueniremus, multū nos promouit tū æstimatio missioni accedēs ex martyro aliquot fratrū nostrorū, tū eorū (vt piè confidimus) apud Deū orationes. Siquidē etsi in hac vltima Angliæ vt sic dicā conuersione procuranda (quam per seminaria Deus inchoauit, & cum ipsi placitum fuerit, tādem aliquādo perficiet) etsi diu nos anteuerterunt presbyteri sæculares, & sicut numero operariorū, sic & martyrum superant; non tamen deesse nobis ordinique nostro voluit Deus aliquos, qui suo quoque sanguine confessionem fidei Catholicæ consignarent. Etenim Anno 1601. F. Marcus Barckworthus alias Lambertus, post diuturnum carcerem, ex quo cum facile euadere potuisset, & alijs euadentibus, eumque ad hoc impellentibus sese coniungere: maluit tamen constanter vltimam mortis sententiam pro Christi gloria præstolari; post nouem itaque examina, quæ ad iudicum tribunalia subijt, tandem 27. Februarij dicto anno Londini martyrio affectus coronam monasticam sibi eo ipso die quo occisus est, aperire curauit & habitum religionis vestiuit, in eaque fide se mori & pro ea potestatus est, quam ordinis sui monachi primi omnium Anglis prædicassent. Deinde anno 1608. Georgius Geruasius vir nobilis, primo Duaceni seminarij presbyter, deinde à P. Augustino Præposito generali ordinis nostri pro Anglia ad habitum susceptus, sancto fine martyrium 2. Aprilis Londini confirmauit. Anno 1610. P. Ioannes Robertus de Meruinia, vnus ex primis monachis, qui post religionis in Anglia suppressionem, ad eiusdem reductionem operandam fuit destinatus: vir magnæ constantiæ, zeli pręcipui, charitatis excellentis; qui sæuiente Londini peste grauissima, morientibus intrepidè assistere, & Sacramenta ministrare, fidéque annunciare pro Christo perseuerantissima deuotione sustinuit; postquam sæpe sæpius è carceribus in exilium missus fuisset: tandem ob fidei Catholicæ constantiam Londini 10. Decembris sanguinem suum Christo Domino litauit, morte fœlicissima & gloriosa, infinito populo spectante, cœlum meruit. Anno deinde 1612. P. Gulielmus Scotus nobili stirpe oriundus, post crebros carceres & exilia, pari mortis corona pro fidei professione terram cœlo commutauit, Londini nono

Iunij.

Iunij. Et hi tres vltimo loco nominati in conuentu nostro, S. Gregorij, aut habitum sumpserunt nouitij, vt primus; aut post exilia sua aliquãdiu inter cõuẽtuales vixerunt, expectantes commodũ tempus in messem missionis redeũdi, vt duo alij. Anno demum 1616. Thomas Helmius adhuc nouitius, presbyter quondam seminarij Duaceni, Nordouici pro eadem fidei constanti professione mortem obijt gloriosam: qui priusquam moreretur, petijt ex iudicibus, vt quia in ciuitate Nordouicensi esset porta D. Benedicti nomine sacra, caput demortui (quia supplicio affectorum membra solent persequutores Angli prælõgis sudibus, vel contis affixa in portis ciuitatum, terroris incutiendi causa suspendere) in illa D. Benedicti porta ponerent, cuius Diui religionem & regulam ipse profiteretur, quod & illi concessum est. Quemadmodum autem isti morte, ita & multi alij congregationis ac missionis nostræ fratres carceribus, exilijs, laboribus plurimis fidem Catholicam promouere, & amplificare conati sunt, & adhuc conantur: quem in finem sua sanctitas congregationem eandem erigi voluit, & amplissima confirmauit auctoritate, priuilegijsque & facultatibus Apostolicis muniuit; vt inter reliquos vineæ dominicæ cultores operarentur eiusdem monachi, quatenus aut natio Anglicana tandem aliquando ad gremium matris Ecclesię reuerteretur, aut saltem semen Catholicæ fidei primò in eadem à Benedictinis iactum, ab ijsdem in parte semper foueretur. Et hæc de congregationis nostræ erectione, quasi breuissima propositione diximus, quam deinceps in sequentibus tractatibus, propter cuiusdam ardelionis friuolas accusationes latissimè describemus, & propugnabimus.



DISCEPTATIONIS HISTORICÆ

DE ANTIQVITATE BENEDICTINORVM IN ANGLIA TRACTATVS SECVNDVS;

IN QVO DEMONSTRATVR FVISSE IAM INSIGNEM IN ANGLIA CONGREGATIONEM, Benedictinam, nullius alterius congregationis extra Angliam positæ iurisdictioni subiectam.

PRODIIT nuper scriptum quoddam tenebricosum, incertum quo editore, quo authore, quo impressore, quo denique in loco, excusum: sine vlla approbatione, eorum, quibus tum Ecclesia, tum etiam principes Christiani librorum edendorum examen committunt. Quo in libro eius author, dum trophæa Congregationis Anglicanæ (librum nuper à R. P. Edouardo Mahew, Priore tunc Dolowartensi, cōscriptum) insolenter, & inhumaniter examinat: ipsam etiam congregationem nostram, à Pontifice fælicis recordationis, Paulo V. instauratam euertere; omnem in eadem monachorum erga superiores suas obedientiam tollere: aliquot denique præcipuos eiusdem Congregationis patres, expressis & passim citatis, eorum nominibus, crudeliter infamare, nititur. *Scriptū in cognitū cōtra cōgreg. Angliæ.*

Huic accusatori, seu infamatori iustam opponere Defensionem, primùm quidem non esse necessarium putabamus; præsertim, quia ipsius scriptio, eo, quo diximus, modo promulgata, in censum libellorum infamium, tam ciuili quam canonico iure, sit referenda; ideoque alio responso opus non habeat, quam quod sit ipso facto, per leges Diuinas & humanas cōdemnata, & iusto æquitatis præiudicio eius author falsitatis, & iniuriæ reus teneatur: nec apud vllum prudentem rerum æstimatorem, aut Christianæ pietatis cultorem, fidem debeat inuenire. Cuius enim vel innocentissimi, vel sanctissimi fama poterit esse in tuto, si cuiuis inuido, aut maleuolo aduersario liceat hoc modo sub larua innocentibus obloqui, & confictis criminibus ex alicuius Eubuli Cordati ignota officina prodeuntibus, simpliciter & innoxiè viuentium existimationem lacerare? Iniquissimo sanè loco constituti essent, quicumq; animarum curam, aut temporalium rerum administrationem in repub. sortiti sunt: si, cum necessariò debeant multos offendere, quorum aut insolentiam corripere, aut errata corrigere, aut iniusta desideria frænare nituntur; ab ijsdem possent impunè, hoc infamandi genere denigrari: nec ipsorum integritati, contra huiusmodi tenebriones vellent homines credere, nisi statim editis Apologijs aspersiones ipsæ calumniæque, ab ignota manu prouenientes, totidem verbis abstergerentur. Neque enim vllius hominis vita tot defensionibus scribendis sufficeret: quot ab illo extorqueret infamatorum impunis impudentia.

Innocentiæ igitur magistratuum & rectorum succurrere volens respublica, iustissimis legibus decreuit, vt huiusmodi infames libelli, vna cum authoribus, proscriberentur: & quæ in illis essent accusationes, eo ipso haberentur pro calumnijs & mendacijs; quo, prætermissa iuris & charitatis norma, facinoroso, & intestabili modo proponerentur. Sed & Ecclesia similibus libellatoribus frænum imposuit disciplinæ; tum in concilio Lateranensi sub Leone. X. sessione decima, de impressione librorum; tum etiam in Concilio Tridentino sess. 4. cap. 5. Quæ decreta, ne forte exponat Aduersarius de libris in sacram scripturam editis, intelligat à sacræ congregationis Cardinalium decisione supra locum illū Concilij Tridentini, præcludi omnem tergiuersationem suam; Declarant enim Cardinales, *Excommunicationis censura feriri, quicumque edunt sine approbatione legitimorum superiorum, lectiones, annotationes, Conciones, & alia similia, nec non tractatus pertinentes tum ad deuotionem, tum ad quietationē conscientiarum, stimulationem fratrū, & cætera huiusmodi, quæ sibi inuicem cōmunicent fratres:* Ex quo genere hunc tractatum esse autor ipse fatetur, cū in hunc finē edideiit, vt à *Non meretur resposū.*

fratribus

fratribus, legatur. Sufficiebat itaque nostro iudicio, toti illi scriptioni, simplex ista responsio *libellum esse famosum*, sine authoris, editoris, impressoris, aut censoris nomine, contra ius euulgatum; ac proinde non debere ab vllo iustitiæ amatore legi, credi, aut tolerari, donec authores, detracta larua, prius quidem lesæ in modo accusationis iustitiæ pœnas dederint: & tum præterea criminationes quas in ea, temerè & nequiter, fratribus suis immerentibus imposuerunt, legitimis probationibus euicerint.

Et nos quidem, hoc modo conscientiæ bonæ satisfactione contenti, loquente pro nobis ipsa iuris dispositione, amarulentas aduersarij istius calumnias religioso silentio meliùs aboleri posse iudicabamus quam accurata Antipologia retundi; qua nimirum apud prudentes non esset opus, propter eam, quę illis semper esse debet prætiosa, iuris æquitatem: aliorum autem iudicijs, (quę non ex rerum pondere, sed ex opinionum leuitate sumetentur,) velle per omnia satisfacere, conatus esset impossibilis, & ad innocentiæ defensionem forsã inutilis: cui nimirum nihil detractum iri confidimus, si apud cæcos & luscos suum non obtineat splendorem. Cæterum, quia intelleximus, authores huius criminis ab incæpto suo non desistere, & apud eos, qui rerum nostrarum sunt ignari, specioso religiosi schematis (quod adhuc gerunt) prętextu, magnis etiam iuramentis & execrationibus in caput suum terribiliter prolatis, ita facinus suum colorare, vt mendacium iam à multis putetur veritas, dum non redarguitur: & nos iustæ defensioni deesse putemur, potius ob facti conscientiam, quã ob studium religiosæ patientiæ; coacti sumus mutare consilium, & hanc libelli istius refutationem (innocentiæ nostræ vindicem) in lucem proferre.

Et tamē propter ignaros rerum nostrarum respōdere voluimus.

In qua tamē vtemur, eo inculpatæ tutelæ moderamine, vt abstineamus à maledictis & cōuitijs, quibus multò maxima pars libelli illius est cōflata: & aduersariorum nomina, non manifestamus, vt apud eos qui nondum eos nouerunt, sua constet illis in rebus alijs existimatio; qui autem eos probè nouerint, (pro quibus pręcipuè hæc scripsimus) intelligant, quã sibi debeant ab ipsorum venenatis calamis & linguis cauere. Quapropter etiam extra ea, quæ in causa ipsa sunt, nihil adferemus, cū tamē multa nobis suppetãt dicenda, quibus aduersariorum fama redderetur iustis & euidentibus accusationibns nigerrima: vt videant etiam ipsi, sibi parcitum esse ab ijs, quos nominatim tam inhumaniter traduxerunt. Quamquã ex eo etiam, nostra luceat innocentia, quod cum aduersarius amarissimo, vt patet, animo ad scribendum accesserit; & ita impotenter passim conuitietur vt aconitum in calamo, & *fel draconum in corde* habuisse videatur: nihil tamen magni de nobis potuerit dicere, dicturus proculdubio, si quid peius inuenisset: atque etiam inuenturus, si quid fuisset, cum vsque ad huius facti sui detectionem, intimis secretis nostris semper fuerit adhibitus.

Modestè verò & sine felle vituperiorum.

Neque verò animus nobis est, singulis eius vestigijs insistendo, quicquid ab eo scriptum est refutare: sed ipsam tantum causam & controuersiam, candidè & simpliciter nudæ veritatis penicillo delineare: vt à quouis lectore & Iudice, possit à falsitatis larua, quam aduersarius illi imponere nisus est, liberari. Quare tria contra ipsum pro antiquitate Congregationis, & integritate nostra præstabimus. Primò quæ fuerit aduersario vera occasio scribēdi, ostendemus; reiectis falsis prætextib⁹, quos sibi assumit: vnde etiã status verus & *to crinomenō* controuersiæ elucescet. Deinde quæstionem fundamentalem examinabimus, *An vlla fuerit olim Congregatio Benedictinorum Angliæ, à Cluniacensi distincta, quæ potuerit authoritate pontificia, restitui & instaurari?* Nullam enim talem fuisse, operosissima quidem, sed fallaci & inutili diligentia probare conatur aduersarius. Tertiò tandem aliam discutiemus de facti nostri iustitia controuersiam, *An breue Pontificium, ad Congregationis Angliæ restitutionem & instaurationem obtentum, fuerit, aut surreptitium, aut ob substantialem aliquem defectum, iuris aut facti, inualidum?* Immensam autem vim lædoriarum, seu conuitiorum, mendaciorum item & calūniarum; errorum tandem ac propositionum suspectarum, & male-sonantium si vel per indiculum describeremus apertè videret lector, non sine causa Ecclesiam, & Respublicas benè institutas libros istos *adespotous* & laruatiles, acerrimè damnauisse; vtpote non nisi à cauteriatis conscientijs, & profligati pudoris authoribus, plerumque elaboratos. Sed, quamuis eum indicem confecerimus, non tamen publicandum duximus, paci magis, ac defensioni necessariæ, quam aliorum etiam iustæ accusationi studentes; quanquam interea paratum esse voluimus, vt superioribus nostris constaret, quo remedio aduersarij ægrotantis animum debeant, si fieri poterit, ad sanitatem reuocare.

Methodus, & partitio controuersiarū quas agitamus.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

OCCASIO CONTROVERSIARVM, QVÆ HOC SECVNDO, TERTIOQVE TRACTATV DISCVTIVNTVR.

Synopsis totius sectionis.

¶ 1. Causa, quas quidam prætexuit, cur antiquitatem Congregationis Angliæ Benedictinorum impugnaret confutantur. ¶ 2. Status controuersiæ de antiquitate Congregationis ab eodem multis calūnijs inuoluit, ¶ 3 & omnino falso, aut amphibologicè proposit⁹. ¶ 4. Quæ fuerit vera occasio instaurandi antiquam Congregationem Benedictinorum in Anglia. ¶ 5. Contentio circa prædictam instaurationem exorta ¶. 6. Quomodo sopita fuerit controuersia, & meliori modo instaurata Congregatio. ¶. 7. Verus & legitimus status controuersiæ, in hoc secundo tractatu disputandæ.

§. 1. Confutantur causæ, quibus aduersarius prætexit se motum fuisse, vt antiquitatem Congregationis Benedictinæ impugnaret.

Ergo vt intelligant fratres & amici nostri, (quibus satisfacere cupimus) aduersarium, nec veras sui scripti occasiones, seu causas in proœmio suo producere: nec verum statum cōtrouersiæ, in primo & secundo capite libelli sui proponere; primò quidem discutiemus causas, quibus se impulsum dicit ad scribendum; easque docebimus non fuisse veras causas, sed meras calumnias; & tum ostendemus, quibus reuera rationibus inductus, ad hoc infame genus scribendi, animum vt nobis videtur applicuerit, tandem statum controuersiæ quem ipse proponit, multis inuolutum ambiguitatibus & fallacijs, liberabimus ab illis tenebris, ac clarè & dilucidè, sine vlla circuitione, quid reuera inter illum & nos controuerti debeat, commonstrabimus.

Tribus de causis in proœmio suo dicit, se non tantum adactum, verum etiam necessitate & conscientia coactum, ad hunc libellum in lucem edendum. Prima est, *numero primo* quia vitia, quæ in claustro, castigata fuerant, extra capitulum, contra modestiæ religiosæ *to prepon*, euulgata fuerint ab ijs ipsis, qui pro loci ordinisque honore, ea celare arctissimè tenebantur. Secunda causa est, in sequentibus numeris vsque ad sextum; Erectionem Congregationis Anglicanæ, factam fuisse cum iniuria & damno, grauissimorum virorum è Congregatione Benedictina, apud Hispanos professorum: quorum proinde innocentiam ipse necessario defendendam susceperit. Tertiam insinuat numero. 6. & reliquis, (quam etiam in primis duobus capitibus vehementer exaggerat) vt subueniat simplicibus, per istius Congregationis promotores, circumuentis & deceptis: quos huius suæ scriptionis luce ita illuminare voluerit; vt periculum animarum, in quo viuunt, cernerent & euitarent; quas rationes, claudit vehementi protestatione, se hæc in odium nullius, sed ex *teneræ* scilicet *conscientiæ sensu*, ad Dei solius gloriæ duntaxat vindicandam, ad hanc defensionem prosilijsse.

Causæ quas prætexit quidam cur antiquitatem cōgreg. Angliæ impugnet.

Ad has omnes causas in genere, potest hic responderi ex ipsa prolepsi, à qua proœmium suū exorditur aduersarius: non debuisse, scilicet, talem libellum à Benedictino, contra Benedictinos euulgari, nisi necessitas iustæ defensionis, aut conscientiæ dictatus, ad hoc impulisset. Atqui si max. vera essent illa, quæ in causis istis recitantur; nulla tamen fuit necessitas, aut honestas, quæ talem modum scribendi postularet. Neque enim quomodocumque vim vi repellere licet, ex iuris naturalis æquitate: sed (vt omnes cordati norunt,) cum moderamine inculpatæ tutelæ: poterat autem, & debuerat, si se suosque inculpare tueri voluisset, primò quidem nobis significare iniustum modum agendi, quo vteremur: & peccantes nos in proximum nostrum, ex euangelicæ charitatis regula admonere, & exhortari, vt ab iniuria & illicitis ausibus desisteremus, & iacturam fratribus illatam pro viribus nostris repararemus; quod si post vnam, aut alteram admonitionem nihil se proficisse vidisset: vocandi fuissemus ad legitimum tribunal, vel superiorum nostrorum in religione, vel summi Pontificis, aut alicuius vices eius gerentis, in ecclesiæ curia. Neqne enim deerant monachis Hispanis, neque ipsi, (quamdiu pro Hispanico monacho se gessit) superiores grauissimi & æquissimi,

Generatim impugnantur.

ſimi, & cauſarum, quæcumque inter religioſos oriri ſolent, experientiſſimi : ad quorum no-
titiam ſecundum regulas iuris & charitatis, deferri debuerant iſtæ controuerſiæ ; neque ip-
ſorum cognitionem vel authoritatem, noſtræ Congregationis homines defugiſſent, aut ad-
huc defugient. Quod ſi noſtram apud ſuperiores potentiam, vel authoritatem expertus fu-
iſſet plus apud ſuperiores noſtros valere, quã rationum & cauſarum pondera : licuiſſet illi
ad ſupremos Eccleſiæ cognitores, & ipſum Pontificem Maximum prouocare, vbi nos com-
parere, & factorum noſtrorum rationem reddere neutiquam formidaſſemus. Sed horum
nihil ille tentauit, quorum tamen ſingula prius tentare debuit, quam ad hoc deſperatę, per-
turbatæque conſcientiæ remedium, ſe præcipitare, & quocumque poſſet modo, diffamato-
res ſuos infamare, & damnum ſibi inferentibus parem iacturam retribuere. Nulla enim po-
teſt tanta eſſe iniuria, quæ hominem Chriſtianum, Monachum, & Doctorem Theologum eò
deducat vt prætermiſſo ordine charitatis, (quem in correptione fraterna Chriſtus ſeruari
mandauit,) ſeipſum, & cauſam ſuam infamatorijs libellis, contra iuris & Eccleſiæ prohibi-
tionem euulgatis, defenderet. Non poteſt Theologus ignorare cenſuram Apoſtolicam, *non*
eſſe faciendum malum, vt eueniat bonum : nec poteſt viris ſapientibus (præſertim religioſis) do-
ctrina illa placere quod liceat eos primò infamare, à quibus iuſtas ob cauſas periculum tibi
impendere proſpicias; peccatum enim peccato vindicare, diabolicum eſt : & vbi legitima iu-
dicia non ſuccurrant innocentiæ, Deo relinquenda eſt cauſę noſtræ proſequutio, qui dixit,
Mihi vindicta, & ego retribuam. Verum enimuerò ſi maximè conſilium hoc iniurias pati-
enter tolerandi ſibi non putaſſet in hac cauſa amplectendum, propterea quod eſſet cum alio-
rum plurimorum incommodo coniunctum : non tamen debuit ad conuitia, & vindictam
ſub larua libelli infamis inferendam ſe proijcere,) etiamſi alias id ei vlla de cauſa permitti
poſſet) niſi tum duntaxat, cum cætera charitatis & iuris remedia, aut tentari non poſſent,
aut tentata minimè ſucceſſiſſent. Quare ex antecedenti illo triplici cauſarum acie inſtructo
etiamſi eſſet ſufficienter probatum, non poteſt inferri neceſſitas libellum famoſum contra
nos euulgandi, aut innocentiam ſuam, vel aliorum vetitis recriminationibus propugnandi :
multò minus inde poteſt honeſtari actio de ſe, & natura ſua turpis, & ſcandaloſa, quale om-
nes norunt eſſe genus hoc defenſionis, quo vſus eſt aduerſarius. Illud ſolum ex cauſis præ-
dictis potuit & debuit deducere, ſe non ſolum neceſſariò, verum etiam honeſtè ad legitimam
defenſionem deſcendiſſe, profeſſo accuſatoris nomine, probationibus claris ſine felle, & a-
maritudine exaggerationum deductis ; coram legitimis iudicibus, qui poſſent partibus v-
triuſque auditis, ſententiam aut ex Rigore iuſtitię, aut ſaltem ex æquitate proferre : quod
nec facere tentauit, nec vnque in hac quidem cauſa tentare audebit.

Sed reuera nulla illarum cauſarum, quas facto ſuo prætexit, vera eſt : id quod in ſingulis
Specia- euidenter oſtendemus, falſum eſt enim, quod primò aſſerit, vitia aut ipſius, aut vllius alte-
tim ve- rius, (cuius patrocinium ſuſcipere velle videtur) intra parietes regulariter caſtigata, fuiſſe
rò pri- à ſuperioribus, quos impugnat, extra capitulum & clauſtrum euulgata ; quinimo ea, qua tũc
ma, de pollebant, authoritate vſi ſunt, vt ipſum ab alijs ſuperioribus longè ante exortam hanc de
culpis congregatione Anglicana controuerſiam, grauiſſimè punitum, & loco propterea ſuo deie-
propa- ctum, priſtinæ dignitati reſtituerent, & ad maiorem etiam eueherent, nec poteſt ille oſten-
latis. dere, huius facti manifeſtationem vlli ſeculari, aut externo factam à nobis, quos ita incle-
menter accuſat. Sed nimirum hæc accuſatio potius eſt mentis ſibi malè cõſcię anticipatio ; ne
nos, qui contumelia infamis huius ſcriptionis prouocati, vitæ ipſius magnalia in lucem pro-
feramus. Ideo quaſi iam hoc eſſet à nobis perpetratum, quod ipſe ſua perfidia cognoſcit ſe
eſſe promeritum, rationem hanc primo loco facti ſui propoſuit : cuius tamen vt diximus,
nullum eſt fundamentum, præter ſolum conſcientiæ ſuæ pauidum teſtimonium.

Secundam rationem vehementer, & inuidioſè exaggerat, omnibus illis, quas diximus lo-
Et ſe- cis, ſed partim falſò, partim æquiuocanter. Quod vt ſcias, lector, ſcire etiam debes, dupli-
cunda, cem fuiſſe Congregationis Angliæ Benedictinorum ſtatum : vnum antequam ex conſenſu
de dãnis Congregationis Hiſpanicæ, & approbatione Apoſtolicæ ſedis, Vnio, & Congregatio Angli-
ex in- cana coaluit ex monachis Hiſpanis, & monachis Anglicanis à Domino Sigeberto Weſtmo-
ſtaura naſterienſi in Cong. antiquam Angliæ incorporatis ; alium verò poſt illam Vnionem factã,
tione & Congregationem illam in Definitorio noſtro Pariſienſi per conſtitutiones & leges quaſdã
cõgreg. in meliorem modum redactam, anno Milleſimo ſexcenteſimo Decimo ſeptimo.
Anglicę Quod ergo iſte, in hac ratione obijcit, multas iniurias & contumelias illatas eſſe monachis
illatis. Hiſpanis, in tam multis locis, quos numero 2. prologi ſui recenſet, nullum habet fundamẽtũ,
niſi forſã in ſtatu priori, quo dũ de cõditionibus Vnionis, & iure ad Reſidẽtias, diſputabatur,
ab illis, qui cauſam Congreg. Angl. tũc agebãt tã in libellis, ſeu informationibus Romę exhi-
bendis,

bendis, quæ etiam in Residentijs quibusdam occupandis, & monachis ipsis inde deturbādis, exhibitam esse multis viris grauibus de Congregatione Hispanica magnam molestiam, vt fieri sepe solet in contentionibus possessorijs, non inficiamur. Sed quibusnam monachis de Congregatione Hispanica exhibita est illa molestia? nimirum Patri Leandro tunc Vicario Generali congregationis Hispanicæ; Patri Rudesindo tunc priori S. Gregorij Duaceni; Patri Iohanni Barnesio tunc Assistenti eiusdē congregationis, & monachis qui eorum authoritatem & sequebantur, & tuebantur & facta erant non tantum ab Anglicanis, quantum ab alijs qui illos regebant, & ad illa impellebant (quos hic in primo capite libri sui speciosè, sed falsò, & contra conscientiam suam, nititur excusare,) & multò vehementius ab ipso editore libri sui, in cuius etiam gratiam præcipuè illum conscripsit, non parua ad id mercede conductus; qui editor nisi ab ipsis tertiam partem extulisset, & illos pecunijs & magnatum patrocinijs adiuuisset, nunquā ea facta fuissent contra monachos Hispanos, quæ iste nobis æquiuocè tanquā nostra crimina obijcit. Dicimus æquiuocè, quoniam videt lector illa quæcumque tandem fuerint, de quibus iam olim inter nos plena amnestia sancita est, facta à nobis sed contra nos, nec à congregatione Anglicana ab eo tempore quo nos de illa sumus: sed per actores causę illius ante illud tempus; cùm nondum inter nos & alios conuentione per Pontificem approbata, vnio facta fuisset; ac proinde nullo titulo nisi per calumniam & sycophantiam, posse nobis obijci tamquā à nobis perpetrata, aut à Congregatione, quam hoc libro profitetur se impugnare. Quomodo non potest negare, patrem Leandrum tunc Vicarium Missionis, quando illa contra Hispanos acta sunt; assumpsisse R. Patrem Iohannem Barnesium in collegam suum, vt talibus ausibus diligenter & maturè se opponeret: quod quam sincerè, & procul ab omni prævaricatione pręstiterit idē Vicari[9], testes appellat omni exceptione maiores, illustrissimos S. R. E. Cardinales Vbaldinum & Bentiuolium, tunc apud principes Gallorum & Belgarum Nuncios Apostolicos: quorum authoritate obtinuit, vt illa, quæ contra Hispanos gesta fuerant, cassarentur; Quando etiam, vt sententia pontificis executioni mandaretur, eundem suum collegam P. Ioannem Barnesium Parisios ad illustrissimum Cardinalem Vbaldinum destinauit, vt editorem istius libri, qui tunc alterius partis litigantium, ob fauorem apud magnos in vrbe Parisiensi inuentum, dux & caput extiterat, in ordinem redigeret, & ad obedientiam dicti Vicarij reduceret. At nunc author, & editor istius præclari opusculi (qui tunc temporis se inuicem oppugnabant) datis & acceptis dextris, ea facta, quæ non solum ipsi, sed etiam omnis ferè natio Anglicana nouit, præcipuè edita fuisse, contra R. P. Leandrum, Rudisindum, Barnesium, Torquatum, & Benedictum, qui tunc authoritate Generalis Hispanici causam eius propugnabant; ea tamquā ab ipsismet facta criminantur, contra quos sunt facta; quod si non est sycophantam & calumniatorem agere, quid sit calumniari & sycophantijs vti, nescimus. Hæc ergo prima pars est eorum, quæ in secunda ratione sua ęquiuocè exaggerauit: nempe ea, quæ ante vnionem hanc nostram facta sunt, & contentiones etiam paucorum in Hispania professorum, qui tunc Leandrū Vicarium missionis Hispanicæ impugnabant, ea imputat eidem Patri Leandro reliquisque monachis qui eius authoritatem sequebantur.

Per æquiuocationē nobis imposita, cum ipsis libellatoribus imputari debeat.

Post hanc partem Amphibologicæ accusationis subiungit, numero 4. & 5. multa à veritate valde aliena, enumerans iniurias tamquā à nobis in Hispanicæ congregationis patres designatas, quæ nequidem per somnium fuerunt vnquā in rerum natura. Numero 4. sex dicit, quæ mirum est voluisse dicere: cum vix credibile sit ipsum ignorasse, quam essent omnino falsa. Primum est *Hispanicos patres* per nos esse Residentijs & possessionibus suis exturbatos: Falsum est, non sunt exturbati, nullas in ijs partibus habuerunt, quas nunc non habeant; quicumque ipsorum fuerint ante Vnionē in istis Residentijs: vel adhuc ibi sunt & degunt, vel adhuc ibi esse possunt, si voluerint; & si qui inde ad Angliam discesserunt, multis hoc à nobis obtinuerunt precibus, & insuper copioso, pro paupertate nostra, viatico instructi, ad Missionis labores abierunt. Ideoque in ipsa Vnione cautum est expressè, vt omnes patres Angli Hispanicæ Cōgregationis, qui sunt in Missione, applicētur Residētijs illis, quib[9] voluerīt, æqualia nobiscū iura in illis habituri. Nominet hic Autor vel vnū quē nos ex vlla Residentia exturbauerimus: nos nominare possumus nonnullos, quos editor huius libri exturbauit, quem in facto isto & alijs, author iste prius quidem impugnauit, nunc autem posterius, solus ex omni numero monachorum Hispanorum apertè defendit.

Multa falsa inuoluit. 1. de eiectis è residentus.

Secundum est patres Hispanicæ Congregationis, qui nolunt huic nostræ vnioni incorporari, cogi inuitos imperijs nostris seruire: falsissimum, & odiosissimum, siue enim volunt nobiscum congregationi Anglicanæ nomen dare: siue hoc facere renuunt, retinent tamen omnia sua iura, ac priuilegia, & prærogatiuas, quæ vnquā hactenus habuerunt. Et vt claris-

simè pateat lectori quam falsò nos hac in re calumnietur aduersarius, apponemus ipsum statutum Definitorij Parisiensis, in quo hæc congregatio & vnio sunt conclusa: *ijdem etiam hactenus in Hispanica congregatione professi, habeant verum & æquale ius ad residentias missionis*: Quæ statuti verba non ignorauit aduersarius, quum ipsa originalia Difinitorij nostri acta diu apud se habuerit, immò ita habuerit, vt non nisi cum difficultate, potuerimus ea ab ipso recuperare. Sed nec vlli noua lex, aut onus ex eo iis impositum, quinimo non solum subesse in hac nostra congregatione verum etiam pręesse, & dignitatibus & prelaturis frui possent: quare in hoc ipso quadriennio Prouincialis Cantuariensis & assistentes ipsius electi sunt ex illorum patrum Hispanorum numero qui non sunt incorporati congregationi nostrę Angliæ. Vide commissionem ipsam à Præside congregationis destinatam, quam habes in appendice. p. 1. n. 35. Quid ergo hic *Seruire* vocet, non intelligimus; nisi fortè, quia Generalis Hispanicę vult, vt omnes monachi sui, (quam diu degunt extra Hispaniam) nostræ iurisdictioni, legibusque obtéperent: quas ipse generalis, imò summus ecclesiæ pastor, vt exactam disciplinam continentes approbant hanc obedientiam quam patres Hispanicæ congregationis minimè ipse seruitutem vocet, *detrectent*; quod nemo nisi osor, aut excussor disciplinæ faceret.

Et hâc calumniâ vt euidenter confutemus videat lector formam subiectionis quam Præses à monachis exigere solet, quam in fine libri posuimus, vt intelliget nihil aliud à nobis exigi quam quæ diximus.

Tertium est, quod iactitemus cum summa iniuria tot grauium virorum apud Catholicos Anglos in Anglia, & extra eam Hispanos, nolentes eis subdi, inobedientes esse tum sedi apostolicæ, tum suo Generali: sed & hoc omnino falsum esse ipse nouit author; nec enim apud vllos ista iactitamus, nec vlla est occasio, cur iactitemus: cum nullus patrum Hispanorum præcepto Generalis Hispanicæ recuset parere, sed omnes æquanimiter & libenter obediant pręter solum hunc authorem, (qui hactenus tamen obedientiam simulauit,) & huius pręclari fętus eius editorem, qui vt Hispanicam obedientiam, magno scilicet zelo, impunè tuerentur, contempta prorsus Hispanici Generalis voluntate, ad aliam, titulariter saltem, confugerunt.

De fratribus autẽ nostris in Anglia quod diximus, ex ipsorum habemus literis è conuẽtu quem illis indiximus scriptis: quibus promittunt, sese licet non incorporentur congregationi, ipsius tamen Superioribus & legibus libenter obtemperaturos.

Quartum est, quod autor Tropheorum dicat, Generalem Hispanicum dimisisse patres Anglicos, à sua congregatione, ad hanc nostram Anglicanam; verum autor trophęorum non dicit *dimisisse*, sed licentiam impartijsse ijs, qui vellent se nobis vnire, & declarasse sibi placere, vt omnes id vellent, propter rationes non contemnendas; & pro tanto beneficio gratias agit Generali; quibus verbis nemo venenum subesse suspicaretur, nisi aliquis forsan araneus, qui ex saluberrimis floribus, prætermisso melle, virus & venenum sugere consueuit.

Quintum est, nos iactare excommunicationes à Generali Hispanico obtentas, quas tamẽ publicè proferrè non audeamus, ne surreptionis redarguamur. Atqui non potest negare Author ipse, mandatum Generalis sub excommunicatione conceptum, per singulas residentias nostras, & in ipsa etiam Anglia, fuisse à nobis solemniter promulgatum: & ab editore huius libri, sodali suo, etiam in suo (quem tunc habuit à nobis) conuentu, publicè propositum, quin & sibimet ipsi postulanti fuisse à *Vicario P. Leandro* vna cum breui Apostolico, non tantum in manus traditum, sed etiam per benè magnum spatium temporis, quantum ad ipsa describenda & examinanda sufficeret, in potestate ipsius derelictum, quę si potuisset surreptionis redarguere, vel saltem speciem aliquam surreptionis illis affingere: comparuissent in hoc libello suo, sicut & alia comparuerunt, sed quia videbat se, suumque sodalem præcepto illo Generalis, quod per annum & amplius agnouissent & admisissent, apertissimè præuaricationis & inobedientiæ reos teneri: putauit hoc modo lectoribus persuaderi posse, præceptum illud tamquam surreptitium, non fuisse nos ausos illi manifestare.

De præceptis generalis non ostensis.

Sextum quod & in sequenti numero auget inuidiosa Coronide, nos iactantes huiusmodi excommunicationes in multos ex fratribus nostris denuntiatas effecisse, vt Catholici laici in Angliæ, huiusmodi fratrum consortium, ac familiaritatem auersentur, ac si religionis essent temeratores, de iure excommunicati, ab homine excommunicandi. Sed nunquã est hoc à nobis factum aut attentatum vsque ad hoc tempus, nec in vllum fratrum nostrorum Cõgregationis Hispanicæ, qui in Anglia degunt, excõmunicatio, obtẽtu huius cõtrouersiæ denuntiata: & appellamus conscientias omnium grauissimorum fratrum, qui in Angliæ laborant; & Catholicorum laicorum apud quos fideliter, conuersantur, an hæc non sit falsissima calumnia

De consortio catholicorum negato.

lumnia; & an non potius cum omni reuerentia & charitate ipsos semper tractauerimus, eosdem in sua relinquentes libertate, nec aliquid prorsus hac de re molestiæ, aut controuersiæ illis mouerimus. Soli sunt ex omnibus fratribus, ipsi, huius libelli *autor & editor*; qui possunt meritò vereri, ne contra eos per excommunicationis remedia procedamus. Non quidē ob hanc controuersiam; sed quia, nulla petita venia, congregationis Hispanicę obedientiam deserentes, ad aliam magis laxam, fraudulenter, indebitè, & inualidè transiuerunt. Hinc est ergo quod dictitent, nos alijs fratribus, per excommunicationes molestos fuisse: vt putemur etiam illos eisdem modis inhumaniter prosequi, si quando (quod veremur tandem aliquando futurum) ipsos similesque ipsis ob inobedientiam, vltimo hoc iuris ecclesiastici remedio cogamur aut sanare, aut resecare.

Quam friuolum deinde est, quod in hoc *numero quinto*, subiungit; iniurias hasce per autorem Trophæorum, inter Catholicos Anglos euulgari; cum nihil prorsus sit in toto Trophæorum libro, quod vllius hominis famam, aut nomen, aut libertatem lædat. In prima siquidem eius parte, disputat author duntaxat probabilem sententiam, qua suas quasdam rationes & coniecturas secutus, antiquitatem congregationis Anglicanę, ab ipsius ordinis in Anglia primordijs repetendam esse contendit; in altera verò parte, martyrologium solū contexit sanctorum ordinis nostri, qui in Anglia floruerunt: nec quicquā in toto opere miscet, quod vel maleuolus lector posset rationabiliter detorquere ad sæua ista crimina, quæ nobis, in toto hoc libello suo, hic zelotes Anti-trophearins aspergit.

Tertia causa examinatur. de zelo libellatoris.

Tertia ratio scriptionis suæ, in hoc *quinto & sexto numero*, insinuatur, vt ostenso per radios lucidæ disputationis suę periculo, in quo viuant nostræ congregationis monachi, intelligant se non esse religiosos, sed in republica aerea, & Vtopiana professos. De qua ratione, primum dicimus, non esse bonum zelum domus Dei, modos inquirere, & proponere publicè, quibus homines religionis vinculo astricti per solemnem professionem, ubi regula approbata, possint & debeant iugum religionis excutere, & ad vota sæcularia redire: debuerat potius adlaborare, vt per pontificiam potestatem error ille reipublicæ Vtopicæ, per topicam & veram ecclesiæ confirmationem suppleretur: quam viam aperire Apostasiæ, quod hic apertè intendit facere. Deinde ostendemus facilimo negotio, *Libellatorem* nihil probare, sed vanis tantum & venenosis coniecturis, sententiam non solum improbabilem, verum etiam toti nationi Anglicanæ odiosam, & ignominiosam pro fundamento disputationis suæ assumere.

Nulli facta iniuria per instaurationem.

Et nos quidem si in facto, congregationis Anglicanæ erigendæ errassemus: nulli tamen hominum iniuriam fecissemus: non Congregationi Hispanicæ, quia eius plenissimo consēsu non surreptitio, sed ex totius causæ cognitione, manifesta profectò vsi sumus, vt inferius constabit; Non Cluniacensi, aut vlli alteri transmarinæ; quia per expressam in breui pontificio clausulam, eiusmodi congregationum iuribus, ne quid per nos detraheretur, consuluimus: non confratribus nostris, Hispanicæ Congregationis, quia eorum omnium suffragijs collatis, res est acta, atque ita transacta, vt in omnibus libertatem suam retineant, & parem tamen nobiscum in congregatione nostra quam diu extra Hispaniam manere voluerint, possessionem & dignitatem nanciscantur. Non ipsis Catholicis laicis in Anglia, quia quamuis, iura & priuilegia & prærogatiuas ordinis nostri in Anglia conseruare voluerimus non tamen per eos possessiones, aut latifundia Abbatiarum aut Prioratuum Ordinis, (etiāsi tēpora id permitterent) vindicare aut eorum restitutionē vrgere proponim⁹: nisi quā auctoritas iudiciumque Ecclesię Matris faciendam præscripserit, aut ipsa catholicorum spontanea pietas obtulerit.

Magna multis per libellatorem illata est iniuria.

At ille sua in sententia, omnia monasteria Anglię etiam locupletissima, externi iuris esse, & congregationis Cluniacensis probare nititur, quod nescio an vllus Anglus præter ipsum, poterit sine stupore, & stomacho legere. Est autem ridiculum, quod in fine huius numeri quinti dicit, nos *Vexationem* iniustam, grauesque contumelias, tum scripto, tum libris impressis intulisse: cum nullum possit librum à nobis impressum nominare, aut ab vllo congregationis nostræ monacho in causa hac editum, pręter Trophæorum opus, in quo nec vnū quiddam contumeliosè, aut iniuriosè dictum, etiamsi centies relegatur, poterit inueniri. Ipse *Libellator* primus est, qui fætum fætidum in fratres suos abortiuit: & librum hunc falsis accusationibus pregnantem, pessimo exemplo in lucem edidit.

Ficta libellatoris, cōpassio.

Quod autem huic assertioni subiungit, sub interminatione diuini Iudicij, & æternæ damnationis teneri ad restitutionem honorum, & bonorum, quæ ab alijs abstulimus; & ad id per magistratum cogendos, ac de iniustè possessis deturbandos. est tantummodò Comicum *pathos* irati authoris; nam primum iam ostendimus, non nos sed ipsum reum esse læsi ho-

noris fraterni; de bonis autem, in quæ nos intruſiſſe dicit, legitimis poſſeſſoribus deturbatis, vnde propterea debeamus Prætorianis edictis eijci; quænam illa ſunt? aut quinam illis ſunt? ea enim omnia, quæ nunc poſſidemus, ante hanc vnionem quietè & pacificè noſtris laboribus obtenta, piorum eleemoſynis conceſſa, obtinueramus; neminem prorſus ab illis etiam nunc excludimus eorum, qui aliquando ius habuerunt, ne quidem ipſum *Libellatorem*, & ſodalem ipſius, modo velint ad obedientiam debitam redire. Quid eſt igitur calumniatores agere, ſi hoc non eſt? tam horrendum crimen fratribus impingere, quod falſum eſſe, ipſe experientia ſua didicit; quandoquidem communi menſa etiam cum dignitate & honore apud nos vſus fuerit, donec ſuperiore, ſub prætextu perigrinationis egregiè deluſo, in alienam terram profugiſſet. Vidiſti lector Beneuole, quam nullæ ſunt rationes, quam multis amphibologijs, & pſeudologijs obductæ, quibus hic ſeſe ad ſcribendum impulſum, coactumque fuiſſe fingit: nunc ergo cauſas magis veriſimiles, ſicut promiſimus, aperiemus.

Veræ cauſæ, quæ libellatorem induxerint, per coniecturam proponuntur. Prima: ſuperbia.

Prima videtur fuiſſe *ſuperbia*, quia enim ipſo diſſentiente facta eſt hæc vnio, ſeu Congregatio Anglicana; non potuit ferre patienter; ſuum vnius iudicium, communi ſententiæ reliquorum, cui nos paruimus, fuiſſe poſtpoſitum. Vnioni autem, ne fieret, tantopere ſe oppoſuit, propter conceptum in quoſdam patres Anglicanos odium, quos didiſcerat cenſuiſſe, periculoſum eſſe ipſius ingenium, ac proinde non ſine pernicie poſſe aliquando in Angliam, ad miſſionis opera functioneſque deſtinari. Altera cauſa fuit *Libertas*, ſeu potius *Licentia*, quã (ob indulgentiam, qua ſemper erga ipſum Pater Leander, Vicariatus & Præſidentiæ ſuæ tẽpore vſus fuerat) ſibi arrogauit, & valde illibenter, nec niſi coactus deponere ſtatuit; cum etiam per quatuor amplius annos ita vixiſſet, vt nemini rationem factorum ſuorum redderet, ſed tamquã monachus Acephalus (ſub titulari tantum viuens obedientia illius, quem ſciebat ipſe nulla in re fore moleſtum) quicquid liberet, faceret.

2. Licentia.

Quo Vicario ab officio ſuo diſcedẽte, veritus ne ſub ſuperiorib⁹ ſequuturis parẽ indiligentiã obtinere non poſſet: nihil potius ſibi faciendum putabat, quam vt omnem cuiuſcumque ſuperioris ſui iuriſdictionem, aut eneruaret, au in dubium vocaret. Alias cauſas proximiores attexere poteramus, ſed quia ſtatuimus ipſius nomini & honori parcere; & cauſæ illæ narrari non poſſent, niſi ipſum, quaſi extento digito, omnibus proponeremus exſibilandum: maluimus ipſas reticere, vt intra inculpatæ tutelę moderamen, quod initio propoſuimus, ſicut religioſos decet, nos ipſos contineremus.

Hypocriſis libellatoris.

Quæ cum ita ſunt, videt benignus lector, ipſum in hypocriſi zelum proteſtari, cum dicit, ſe nullius odio, ſed ſolius Dei & veritatis gratia, ſcribendi munus ſuſcepiſſe, vt innocentibus ſubueniret, & ignorantibus ſuccurreret. Nam quam immunis ſit ab odio fratrum ſuorum, non ſolum oſtenduut ea, quæ diximus, & ipſius ingenium, quod omnes norunt, (qui ipſum norunt,) eſſe vindictæ appetentiſſimum: verum etiam totus hic libelli ſui contextus, manifeſtat. Profectò ſi concederetur, nos in Congregatione Anglicana erigenda errauiſſe, putantes aliquam olim fuiſſe, quæ nulla fuerat; & in eius confirmatione ſurreptitiè proceſſiſſe; nullus tamen Chriſtiani candoris amator, putarit hunc noſtrum ſiue errorem, ſiue conatũ tam horribilibus opprobrijs in libello famoſo debuiſſe proſcindi, cum in hoc facto noſtro, nec Eccleſiæ poteſtas abnegetur, nec ſanctæ regulæ diſciplina minuatur, nec fratribus noſtris vllum nouum onus imponatur, nec vllius alterius Societatis aut Congregationis iura violentur, nec alicuius tandem priuatæ perſonæ libertas, honor, aut poſſeſſio tollatur.

Quam ineptè docere præſumat doctiores ſe & religioſiores.

Qui autem ſint illi innocentes, quibus ſe hoc ſcripto ſuccurrrere profitetur, tunc reuera poterit oſtendere; cum nocentes demonſtrauerit, qui ipſis damna & nocumenta, quæ hic imaginatur, intulerint. Innocentibus quidem monachis abundare Miſſionem Benedictinã, ſcimus & profitemur, & gaudemus: imò hoc dictis, ſcriptiſque, vbicumque id ipſorum intereſt, exultanter manifeſtamus; nos ipſos in eorum numero ponere audemus, ſaltem quantum ad hoc genus innocentiæ, quo nos conſcientia noſtra corã Deo declarat, nemini mortalium aut eſſe, aut fuiſſe, iniurioſè moleſtos. Quod à nobis verè affirmari, nec fratres noſtri negabunt; quorum iſte patrocinium, cum non inuitatus ſuſcipiat, nullam aliam ab ijs mercedem expectare poteſt, quam iuſtiſſimam rephenſionem, quippe qui ipſos fraternè & modeſtè nobiſcum ſub eodem obedieutiæ iugo conuenientes, de impatientia, & diſcordia, & multis calumnijs hac ſua aduocatione immeritò falſòque accuſet. Quam autem ficta ſunt illa, quæ à nobis illata fratribus calumniatur incommoda: & hucuſque ſatis docuimus, & in ſtatu controuerſię, quẽ inferius deſcribemus, euidentiſſimè docebimus. Superbè autem, & arroganter nimis in ſe aſſumit docendi magiſterium, vt ignorantes in viam reducat veritatis; quos enim ille ignorantium nomine perſtringit, eorum nullus eſt, qui non meliùs intelligat, & diligentiùs conſeruet, ea quæ ad conſcientiæ ſuæ tranquillitatem pertinent, quam

à tanto

à tanto Doctore, saltem tali docendi methodo possint discere.

Præpostere verò, numero octauo, rogat pios Angliæ Catholicos, ne, propter hæc pastorum suorum dissidia, ipsos minus reuerenter habeant. Nam si hoc ex animo voluisset Catholicis persuaderi, debuisset potius exemplo Constantini, pastorum errata si qua vidisset & dissensiones, chlamide sua, ne viderentur contegere: quam scripto tam infami, etiam hęc nullo modo suspicantibus, manifestare; & exemplo Cham, Iunioris Nohę filij, nuditatem patrum suorum (si forte ambitione vel cupiditate inebriati fuissent) fratribus domesticis & externis, deridendam commonstrare. Cęterum inutiliter & imprudenter medelam hanc profert & offert; ea intentione vt mundo suaderet, ibi esse vulnus, vbi nulla est læsio, & Catholici existiment, Monachos, cum superioribus suis malè conuenire, inter quos tamen, summa est animorum consensio. Tametsi enim, pro fragilitate conditionis humanæ, leues aliquæ inter nos, ipsosque poterant suboriri querelæ, (quæ enim in terris potest esse tam perfecta communitas, aut societas, vt in illa nullæ vnquam reperiantur offensæ?) tam grauia tamen dissidia inter nos versari, tam insignes vicissim iniurias commurari, tam impotenter charitatis officia inter nos violari, verum non est: sed ab ipso solo Libellatore in subsidium causæ suæ confictum. Siquidem obtemperant illi nobis non illibenter, imperata faciunt, valde frequenter quotiescumque postulant ad conuentus nostros non tanquam externi aut hospites, sed tanquam filij fratresque domestici admittuntur. Denique nihil est, quod inuicem non communicemus, quod aut mutua religionis societas obliget, aut fraterna charitas postulat, aut paupertatis nostræ possibilitas permittat esse communicandum.

Frustra deprecatur. scandalũ quod tã auidè commisit.

Quare nos hic omnes Angliæ Catholicos humiliter obsecramus, ne velint huic laruato accusatori fratrum suorum fidem adhibere, sed nobis potius credant aperta facie constanter asserentibus, nullas esse inter nos dissensiones, quibus fraterna charitas in minimo lædatur, nedum grauiter vulneretur, aut odiosè diuellatur, prout hic scriptor, vt suæ causæ velamen obducat, calumniatur. Ideoque non opus habent Pauli & Barnabæ contentionem aut Antiochenorum Præsulum Mileti atque Paulini de successione Flauiani altercationem, sibi ob oculos ponere, vt tantorum virorum conspectis dissidijs, propter nostras pusillorum videlicet homuncionum controuersias viri boni minimè scandalizentur: quia nullæ sunt tales inter Benedictinos Anglos controuersiæ, vnde quis cordatus & prudens rerum arbiter scandalum possit accipere; vnica tantum est illorum controuersia, de duobus aut tribus fratribus deuijs, in viam obedientiæ reducendis: quod in nostro bene magno corpore, non magis mirum cuiquã debet esse, quam quod aliqui in sancto Clero sæculari, aut in illustribus Iesuitarum, vel aliorum Regularium Ordinibus, aliquando vestigijs non rectis insistant. Itaque propter duos aut tres dyscolos fratres, non debet Benedictina familia minus reuerentèr audire apud suos cultores & patronos: quam aliæ Societates aut Collegia propter multò maiorem numerum à recto aberrantium; quod ab amicis & beneuolis, ordinisque nostri deuotis, sicut humiliter & suppliciter rogamus, ita non obstantibus, inconditis huius Libellatoris clamoribus, nos obtenturos indubitanter confidimus.

Nostra deprecatio, qui adigimur inuiti ad apologiam.

§. 2. *Status controuersiæ de antiquitate congregationis Angliæ ab aduersario multis calumnijs inuolutus.*

Atque hæc de causis tam fictis, quam veris, quibus hic calumniator ad scribendum inductus est; Nunc de statu ipso controuersiæ, quam ipse falsò & amphibologicè proponit, agemus. Quem si ille veraciter constituisset, prorsus euanida atque *aprosdionysus* eius omnis Disputatio lectori oculato apparuisset. Ideoque maluit, tamquam sæpia, attramento æquiuocationis & falsitatis caliginem lectoribus offundere; quam rem omnẽ sicuti accidit, veraciter & sinceriter enarrare: quod nos tamen pro religiosæ simplicitatis modo, candidè faciemus.

Status controuersiæ ab aduersario mala fide propositus.

Scias igitur lector beneuolè, Anti-trophearium in primo capite libelli sui, non solum falsò, sed etiam apertè contra suam ipsius conscientiam, occasionem describere, *ob quam non-nulli conati sunt erigere congregationem Anglicam*, quam ille *pseudonymam* cognominat; & valdè subdolè, ac adulatoriè culpam si quæ est, conatus istius, ab eis amoliri, qui reuera fuerunt in causa; & in illos transferre, qui aut omnino nihil tale voluissent per se aggredi, aut certè non nisi sub illorum ducatu & authoritate quicquam potuissent efficere: quos tamen duces & authorès hic aduersarius nititur excusare quasi res esset mali exempli illud fecisse, quod omnes boni laudant, à quocumque tamen fuerit perpetratum.

Et primò quidem locus ille communis, in quem declamatoriè excurrit, superbè & inclementer

menter nimis inuectus in omnes ferè omnium ordinum religiosos huius ætatis: quod nimirum *ad sanctæ conuersionis habitum*, non recta intentione accedant; & plerumque assignatum à sacris canonibus probationis seu nouitiatus tyrocinium, tepidè & oscitanter transigant; atque ità malè iactis religiosæ vitæ fundamentis superstruant laxam, & negligentem conuersationem, vnde habitu tantum abnegationem professi, totis animorum desiderijs post vota sæcularia reuertantur. Hic sanè locus communis, non tam ab eo, quod ipse in alijs videt ex pia compassione expressus est; quàm ex eo, quod ipsius conscientia remurmurans quotidie ipsi de seipso exprobrat, effusus; qui reuera tyrocinio religionis, sub nimis indulgentibus magistris, non satis diligenter exacto: & postea sibi ipsi improuidè derelictus, & à superioribus suis nimis blandè semper habitus; cito deposuit sancta desideria, quæ velut scintillas quasdam pietatis conceperat: & loco illarum flammas licentiæ sæcularis toto hausit pectore; nec quicquam firmius apud se iam statuit, quam vt conculcata, quam semel vouit, obedientia, nullius in posterum subijciatur arbitrio, à quo possunt effrenatæ ipsius actiones & passiones, corrigi & coerceri. Quare hîc succurrit illud Satyrici poetæ admiratio.

Quis tulerit Gracchos, de seditione loquentes?
Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Non igitur rectè thesin ad hypothesin reduxit, sed generale hoc documentum mera calumnia comprobare nisus est; quod non potuit verius aut certius quam suo ipsius exemplo, ostendere.

Calumniosè innocétibus monachis applicata.

Est vero mera calumnia, quod numero secundo dicit, *seculares seculariter in Anglia viuentes*, à monachis Cassinensibus ad habitum religionis admissos, statim à professione sua, orbem clamoribus impleſſe, omnes ordinis religiosos inquietaſſe, variasque suis Progenitoribus Cassinensibus molestias creaſſe, & de seipsis ad aliam nouam Congregationem transferendis cogitaſſe. Tota enim illa machinatio ad nouam Cōgregationem Angliæ erigendam primò comparata non à nouitijs presbyteris, quos optimæ sanctiſſimæque vitæ viros, in Anglia Cassinenses monastico habitu vestiuerant: sed ab ipsis Cassinensibus monachis, qui eos vestiuerant est profecta; ab ipsis est primò prudenter excogitata; per ipsos est postea Romæ sedulò proposita; per eosdem summa vi ingenij maximòque conatu diligentiæ est ita defensa contra nos, qui hoc Antitrophearij libello laceramur, vt tādem coacti fuerimus nos, imo & superiores nostri huic Congregationi Anglicanæ, in quo nunc Deo seruimus, instaurandæ cedere. Vnde apparet aduersarium primum falsò factum Cassinensium Patrum, filijs ipsorum nouitijs imputare: Deinde etiam falsò illis imponere quod Progenitoribus suis Cassinensibus, varias creauerint molestias, cùm tamen toto illo tempore, quod Vnionem hanc nostram anteceſſit, nihil tale de illis, aut iste poſſet probare, aut Cassinenses Patres vnquam fuerint conquesti. Auget hanc calumniam in sequenti numero tertio, quatuor aut quinque ad minimum falsis accusationibus. Prima est istos nouitios à Cassinensibus susceptos, ex consuetudine Capitulorum Generalium, quæ Monachi Benedictini in Anglia frequentauerint, Congregationem Angliæ conuentos fuiſſe, vt clanculariè, & prætextu religionis, excuterent moderata suorum superiorum imperia. Iam enim diximus, non fuiſſe hoc illorum, sed ipsorum Patrum Cassinensium bonum factum, vt inferius clariſſimè ostendemus: est ergo alienum à vero, quod nouitij Anglicani hoc attentauerint, fecerunt ipsi soli Cassinenses; quod illi hoc facto voluerint Cassinensem obedientiam abijcere, non solum enim non abiecerunt, sed etiam constantiſſimè illis adhæserunt, & per omnia illis obtemperarunt.

Et hîc obiter nota, ipsum contra conscientiam suam, & fidem historiæ, & verba ipsa sacrorum canonum, & contra suam ipsius positionem, quam inferius vrget, (docens solos non exemptos ad ea Capitula conuenire solitos) referre institutionem Generalium Capitulorum ordinis nostri. Neque enim fuit is finis Abbatum ad Capitula conuenientium, vt fruerentur exemptione sua quam haberent; nec illum finem Innocentius tertius alijque Pontifices in bullis suis aſſignarunt, sed vt ibi conuenientes communi consilio sanctas & vtiles leges ferrent, per quas abusus, qui in monasteria irrepserant, tollerentur; & pristina regularis obseruantiæ puritas restitueretur. De exemptione illis conseruanda, minime sollicıti fuere Pōtifices, cum per istorum Capitulorum iniunctionem, neminem ab Episcopali iurisdictione exemerint; nec quia ad Capitula congregabantur, suique ordinis Visitatoribus suberant, propterea poterant se à visitatione diœcesanorum subducere. Quare hæc Capitulorum celebratio nihil pro exemptione Abbatum conseruanda faciebat.

Secunda est, hanc nouam Congregationem, suam originem longè vltra Innocentij tertij tempora

tempora, iam inde à Diuo Gregorio magno arcessere; non est enim illa omnium Patrũ Congregationis huius existimatio, sed vnius tãtum vel alterius in illa monachi quam tota ista sua Disputatione non ita exagitauit aduersarius, quin ipsam reliquerit, multò magis probabilem, quam sit Paradoxum, quod ipse defendit, de Congregatione Cluniacensi, per omnes Angliæ Abbatias diffusa: cum nulla vnquam Abbatia Angliæ fuerit Iurisdictioni Cluniacensi subiecta.

Tertia sit, Congregationem hanc nostram, erectam fuisse in detrimentum animarum, & præiudicium Congregationis Hispanicæ, atque Cluniacensis, cum summa ingratitudine; erga Patres Cassinenses (legitimos scilicet, monachorum ipsam erigentium superiores) Nam aut loquitur, de prima instauratione Congregationis Anglicanę facta per Cassinenses, in solis illis presbyteris Anglis, quos ipsi ad habitum in Anglia susceperant, cuius seriem infra deducemus: aut de secunda eius instauratione, inchoata per Definitorium Parisiense, & tam ex prędictis monachis (quos Cassinenses vestiuerant) quam etiam ex monachis Anglis Congregationis Hispanicæ facta. Si primùm, non solum calumniatur apertè, nam illa erectio non fuit facta cum summa ingratitudine contra Cassinenses, sed per ipsos Cassinenses fuit procurata, propagata, & propugnata: verum etiam æquiuocatur, & extra chorũ saltitat; nam si illa erectio facta fuisset in detrimentum animarum & præiudicium Congregationis Hispanicæ atque Cluniacensis, cur nunc obijcitur PP. Leandro, Rudisindo, & Torquato, contra quos prætertim illa erectio facta est? cur in illos cuditur faba, qui aut soli, aut certè præcipui erectioni illi se opposuerunt? Nam, si quod in ea factum est detrimentum animarum, aut præiudicium Congregationum aliarum (quod iste dicit, sed non probat) per Cassinenses est factum, & illis propterea, non nobis est imputandum. Si de secunda velit intelligi, (vt certè debet, pro ratione totius disputationis sequentis) Primò falsum est, ex ea vllum oriri præiudicium Congregationis Hispanicæ, quæ ex plena totius negotij cognitione habita in Generali Capitulo, Congregationis huius nostræ erectionem, & Definitorij Parisiensis acta, non solum confirmauit, sed etiam amplissimè collaudauit, tanquam ipsi honorificam, & religiosæ disciplinæ custodiendæ accommodatam vt constabit ex instrumentis postea citandis.

Falsum etiam est, indè præiudiciũ aliquod creatum fuisse Congregationi Cluniacensi: cum in ipso breui nostro, expressè cautum sit, per hanc erectionem nulli Congregationi vltra marinæ præiudicari: nec nos ad aliquam omninò domum ius prætendamus, quæ fuerit vnquam iurisdictionis Cluniacensis, cuiusmodi nullam in Anglia Abbatiam fuisse, satis manifestè inferius ostendemus. Imò ne ad vllam quidem domum, aut ad vlla latifundia ius aliud prætendimus, quã quod antiquis Cõgregationis Angliæ monachis, eo dumtaxat casu deberetur, quo latifundiorum, Abbatiarumque possessores ipsi ad Dei cultum conuersi sua sponte sine vlla iuris coactione, parati essent liberè restituere.

Falsum est etiam, intercessisse vllam ingratitudinem, erga Cassinenses monachos; cum enim ipsi talem vnionẽ Romæ procurassent, quæ superioribus congregationis Hispanicæ, & monachis Anglis eiusdẽ congregationis, vehementissimè displicuisset: dicti Hispanicæ congregationis patres vnũ de gremio suo Romã destinare, iusserũt qui magnis impensis & sollicitudine non parua vnionem à Cassinensibus procuratam rescinderet; quod licet effecerit, voluit tamen summus pontifex ita in decreto vnionis persistere, (propter rationes à Cassinensibus assignatas pro necessitate vnionis) vt priore illa rescissa, alia tamen secundum modum ab ipso præscriptum erigeretur. Quare nihil hic ingratitudinis intercedit, cum nos, qui maxima pars sumus huius nouæ vnionis, nihil prorsus deberemus Cassinensibus, vt propterea iudicaremur erga ipsos ingrati; & monachi alij, quos antea Cassinenses gubernauerũt, non tam sua sponte ad hanc vnionem accesserint, quam summi Pontificis authoritate; cui quicumque parent, non possunt ingratitudinis accusari, nisi ab illis, quibus sordet nominis Pontificij Maiestas. Sed & hic notanda est huius aduersarij contradictio, qui cũ in maxima libri sui parte contendat, nullam aliam in Anglia fuisse Benedictinorum congregationem præterquam Cluniacensem, hic tamen ad exaggerandam facti nostri inuidiam, multas alias, concedit, dicens nos præiudicium fecisse congregationi Hispanicæ & Cluniacensi, *cæterisque antiquis Angliæ congregationibus.*

Quarta accusatio est, quam etiam numero 4. repetit, Bullam nostram fundatam esse in ficta falsaque narratione, quam author Trophęorum sedi Apostolicæ obtulit, iuxta libri sui tenorem. Atqui nec author Trophæorum, vllam narrationem Pontifici obtulit, in qua breue nostrum fundaretur: nec Patres in Parisiensi diffinitorio congregati, quorum supplicatione breue hoc est obtentum, supposuerunt pro fundamento supplicationis suæ, sententiam illam de antiquissima Congregationis Anglicanæ origine; sed satis habentes fuisse, saltem à temporibus

poribus Innocentij tertij, Congregationem aliquam Benedictinorum in Anglia; pro illius instauratione, & in meliorem formam erectione, Pontifici supplicarunt; Nullus autem prudens rerum arbiter existimabit, trecentorum vel amplius, annorum tempus non sufficere, vt tali Congregationi, debeatur titulus antiquitatis.

Detectis ijs falsitatibus, & calumnijs, quas aduersarius hucusque effutiuit, facile est subuenire charitati scilicet ipsius, quæ iubet lancinari vulnus nostrum vt faciliùs curetur; vulnus autem illud est, si forte probetur hæc Congregatio ficta esse & aerea, ac proinde multi monachi in ea professi non esse legitimè & validè professi. *Quantum inquit, scandalum, si centum aut ducenti monachi tali modo professi, intellecta suæ professionis inualiditate, è claustro in seculum reuoluantur?* proculdubio ingens scandalum, si ita debeat contingere; & graue vulnus Cōgregationis nostræ lancinatione dignissimum, si illo probetur laborare: cui vulneri quod remedium præbebit hic Charitatiuus lancinator? valde facile; vt Cassinenses iuxta admonitionem Patris Prestoni, recognoscant pro matre Cassinensem Congregationem: & nonnulli Hispanicæ Congregationis professi, à transfugis Excassinensibus circumuenti, cum domibus, bonis, & personis, quæ ad eosdem transtulerant, ad suam genuinam reuertantur obedientiam; & professi nonnulli Congregationis Cluniacensis, quos vi & minis iniustè detinent, suis legitimis superioribus restituantur. Atqui ô bone, nimium te sollicitat charitas tua, vt prouideas remedio, vbi nullum est vulnus, nisi tantum in falsa fictaque Hypothesi *si congregatio hac probetur aerea*, quod idem est ac si de munimine, capiti tuo prouideas, si, forte cælum ruat. Tantum enim abest, vt tuæ ratiunculæ fictam illam Hypothesim probent, quod potiùs incredibilem stuporem animi odio obcæcati, cuius prudenti arbitro prodant, & congregationem, quam impugnas, ipsa sua imbecillitate stabiliant. Sed demus etiam Disputationis causa ob Congregationis inconsistentiam, inualidas fuisse tot monachorum professiones: multò faciliùs & æquiùs remedium foret, si summus Pontifex defectum huius inconsistentiæ suppleret, & nouam saltem Congregationem Angliæ erigeret, etsi nulla olim præcessisset: qua congregatione erecta, simul etiam professiones omnes, erranter quidem, vt tu contendis, sed tamen ab ipsis monachis, bona fide factas, quod negare non potes; ratas ac validas esse iuberet; sicut in Congregatione S. Basilij pontificem in Hispanijs statuisse tradit Rodriques Hoc enim multò faciliùs & æquius esset, quam ducentos fortè monachos, in Congregationem Hispanicam ablegare: sicut tu egregius scilicet propugnator, honoris & commodi Hispanorum contendis; adeò cæcus, vt non videas, non posse Congregationem Hispanicam tantum onus impensarum ferre, nam de Congregatione Cassinensi, & Cluniacensi, nugaris. Cum ad Cluniacensem nulli spectent, quamuis duo vel tres ad illam contra iuris ordinem, longè post erectam hanc Vnionem conati sunt transire;) ad Cassinensem autem, si Congregatio nostra rescinderetur, soli duo vel tres pertinerent. Reliqui omnes, centum fortè vel ducenti, vt tu loqueris; certè magno numero monachi, in conuentibus quondam Hispanicis professi, idque ferè omnes ante Vnionis nostræ promulgationem, ad Hispanicam Congregationem spectarent. Sed noli æmulari pro honore Hispanicæ Congregationis, nam ab eius obedientia nostra congregatio adhuc dependere gaudet deferens illi amplissimum, quem potuit honorem, sine vllius oneris grauamine. De monitione patris Prestoni an ab illo proferri debuerit aut reuera prolata fuerat, sed proculdubio nullam tibi gratiam habiturus est quod illum in hanc fabulam pertraxeris, ei opus impingens quod ille suum esse nunquam agnoscit.

De Cluniacensi Congregatione quod dicis, etiam consueta tibi laborat Amphibologia, nam cum Vnio nostra fuit primò promulgata, non potes nominare vllum Cluniacensem Anglum inter nos detentum. Vis tibi numerem omnes, de quibus potest esse quæstio? Duo tresue tantum sunt, vt diximus, quorum vnus non declarauit se esse Cluniacensem, nisi ante biennium: alter expressè, non ante hunc annum: tertius non alia ratione erat Cluniacensis, nisi quia ad primò recensitum contra præceptum obedientiæ transfugit. Si dubites de huius rei veritate, eosdem cum opus fuerit nominabimus.

§. 3. *Falsa, & amphibologica constitutio controuersiæ ab aduersario astute delineata.*

In secundo capite, pergis statum quæstionis aperire, solita teipsum in omnes formas vertens amphibologia: & vera falsis, certa dubijs commiscens: vbi, postquam numero. 1. acceptionem duplicem qua vox Congregationis sumi solet, etiam valde amphibologicè explicuisti (quod infra demonstrabimus): hunc ponis controuersiæ statum numero. 2. *An antè Cluniacen-*

Cluniacensem præsertim vnquam extiterit Congregatio in Anglia eo sensu, quo nunc Congregationē vocamus respublicas regulares, cui omnes Benedictini in Anglia exestentes, serius vel citius in corporatā dignoscerentur. Deinde asseris affirmatiuam huius quæsiti partem, ab autore Tropheorū defendi: & postea in virtute huius aeriæ, & temerariæ affirmatiuæ, impostores hos nouellos, (ita nos vocas) circumuenta sede Apostolica, bullam extorsisse. Tertiò, quod hinc prætendamus, cogere omnes Congregationis Hispanicæ & Cluniacensis monachos ad hoc, vt in antiquam Congregationem Anglicanā, coalescant, quanta hic falsitatum congeries? Primò enim falsum est, quæri à nobis Congregationem in Anglia, quę præcesserit aduentum Cluniacensium monachorum in Anglia: solus Autor Trophæorum id verum esse probabiliter existimauit: at nobis satis est, quod à temporibus Innocentij tertij (centum circiter annos post introductos in Angliam Cluniacenses) talem Congregationem inueniamus: quod sapientibus, atque intelligentibus iura, atque philosophiam, & religionum instituta, euidenter nos probaturos confidimus.

Falsum est etiam nos quærere talem Congregationem, cui omnes Benedictini in Anglia existentes, incorporati fuerint. Quamuis enim postremis temporibus forte omnes Benedictini Angliæ ab vltra marinis independentes in vnam coaluerint rempublicam, non est tamen hoc necessarium probatu, vt congregationis alicuius in Anglia subsistentiam probemus. Sicut tibi tam feruido Cluniacensis patrono, vt Congregationem Cluniacensem probes extare, non est necessarium probare, quod omnes Galliæ Benedictini eidem subijciantur. Falsū est præterea, virtute talis narratiuę extortam fuisse Bullam à Pontifice, vt infra in statu quęstionis, quem nos proponemus euidenter apparebit.

Falsum tandem est, nos velle cogere monachos Hispanicæ, aut Cluniacensis Congregationis, vt nobiscum coalescant, (sicut de Hispanicis supra est dictum) & ipsi interrogati non diffitebuntur & apparebit legenti scriptum in fine libri: & de Cluniacensibus ipsę quidem asserit, sed non probat, scit enim ante hoc biennium, nullum omninò fuisse in toto gremio Missionis Benedictinæ, qui se de Cluniacensi Congregatione fuisse asseueraret: & nunc esse solos tres (supra numeratos) qui contra iuris ordinem conati sunt, sed inualidè & prauo exemplo ad Cluniacenses transire: qui tres, cum sui se iuris effecerunt, à nobis abeuntes, non sanè detinentur apud nos iniustè, quamuis iustissimè vt ad nos redeant, per iuris remedia inuitentur. Negatiuam partem asserit, à patribus Cassinensibus Anglis defendi, contendentibus, suos Ex-Cassinenses non esse tutos in conscientia, nisi ad ipsorum obedientiam, quam indebitè reliquerunt, reuertantur. Defendi etiam à patribus Hispanicæ Congregationis, asserentes suos transfugas Hispanos, nec securè viuere in hac aerea Congregatione, nec, quos ei adscribunt nouitios, efficere posse religiosos; & quatuor Residentias cum bonis ipsorum illicitè his nouellis contulisse in præiudicium fratrum suorum. Quæ omnia sunt etiam falsa. Nam primò Cassinenses falsò allegas, qui non possunt honestè antiquam Angliæ Congregationē negare, nisi seipsos impostores esse, velint fateri, vt postea demonstrabitur. Deinde, Cluniacenses, qui hoc negent, nulli sunt præter duos, qui indebitè ad Cluniacenses, & titulariter transierant, & vnum veri nominis transfugam, quem quidam illicitè receptatum à nobis detinent: qui tamen si id negent, non debet mirum videri, quia præsumentur ideò hoc negare, vt authoritatem tollant, à qua propter illicitum transitum, possent & deberent castigari. Hispanicæ Congregationis Patres, de hac controuersia minimè sollicitos esse scimus; itaque negamus negatiuam hanc ab illis asseri, falsò que ab aduersario ad hoc litigiū pertrahi dicimus. Nec minus falsum est, quod asserit de Residentijs ablatis, idem enim habent ius in illis Hispanici Patres, quod vnquam habuerunt: ijdem illas incolunt & gubernāt qui ante hanc Vnionem, quarum etiam laboribus duntaxat, (alijs Patribus Hispaniæ non cooperantibus, vtpote in messe animarum ipsa in Anglia, fæliciùs & sublimiùs occupatis) obtentæ & erectæ fuerunt, in quibus prouidè securè viuunt, tanquam in possessionibus sudore suo partis: & cum licentia plenaria Capituli Generalis Hispanici ad hanc Anglicanā, sine vllo aliorum damno aut incommodo translatis in quibus etiam, sub casta & rigida disciplina conuentualiter viuentes, cum diœcesanorum & principum licentia ac beneplacito, non minus validè ex Nouitijs faciant professos, quàm alia possint monasteria.

Prosequitur numero tertio, partis affirmatiuæ intentionem, quam decem priuilegijs tanquam Categorijs ex auctore Trophæorum instruit, tanquam nos illorum magnalium relatione summum Pontificem in causæ nostræ fauorem pertraxerimus. Cæterùm sciat primò benignus lector, ex infrà dicendis manifestissimum fore, nulla huiusmodi priuilegia fuisse Romæ obtrusa, aut à nobis, quos Aduersarius impugnat, proposita. Sed cū Cassinenses Patres Congregationem Anglicanam primi instaurassent, & de tanta eius antiquitate parùm

ſolliciti, de aliquot tamen centuriarum vetuſtate certi, eandem Romæ confirmari procuraſſent; nos quibus initio diſplicuit illa erectio, eò tandem cauſæ ipſius agitatione, prudentium virorum conſilijs, & ſummi Pontificis voluntate ſumus inducti, vt hanc Vnionem, quam Congregationem Anglicanam cum Pontifice vocamus, ad veteris Angliæ Congregationis inſtaurationem, meliore vt putamus forma, quam Caſſinenſes tentauerant, faceremus; aut verius (quia impediri non potuimus) fieri permitteremus.

Secundo dicimus, ex ijs decem priuilegijs, ab autore Trophæorum quædam duntaxat aſſeri, idque non tanquam omnino certa, ſed tantum probabiliter; nec quaſi in illorum certitudine fundaretur Congregationis Anglicanæ certitudo: Etenim de iſtis priuilegijs nõ prius aſſumpſit in ſe diſputandi cogitationem, quã Congregationis noſtræ inſtauratio fuiſſet à Pontifice confirmata. Sunt autem ea, primò antiquitas à S. Gregorio deducta; deinde Apoſtolatus Germaniæ, & adiacentium regionum; tum monachatus Inæ regis, qui regnum ſuum primus Apoſtolicæ ſedi fecerit vectigale; præterea Patrimonium eccleſię à Pipino & Carolo magno per Monachos Anglos inductis inſigniter auctum. Reformatio item Ciſtercienſis à Stephano Hardingo, prius S. Albani monacho inchoata. Vlterius martyrium S. Thomæ Cantuarienſis protomartyris, & exemplaris Martyrum pro eccleſiæ libertate fortiter decertantium, & tandem omnia præclara ordinis geſta, à tempore S. Gregorij, ad noſtram hanc ætatem. Non improbabiliter, in eam ſententiam incidit autor Trophæorum, vt monaſteria Benedictina, quibus hæc priuilegia verè congruunt, (quantumuis ab aduerſario *eironicos*, per ſarcaſmum recenſeantur) vnam fecerint Congregationem. Quod, ſi nõ conuincunt eius argumenta, vt in re hiſtorica conuictiones tam crebræ non occurrunt: poſſent tamen aliqua illis addi; quæ iudicijs prudentibus, & liberalibus ingenijs, id ſufficienter perſuaderent. Sed vt iam diximus, in illis tantæ antiquitatis priuilegijs Congregationis noſtræ baſis non eſt locata, nec illam antiquitatem, aut illa priuilegia procuratores noſtri Romæ allegarũt, vt Bullam confirmatoriam obtinerent: ſicut hic Aduerſarius lectori vult perſuadere, nec aliter tamen probat, quam quod iſta autor Trophæorum, ex ſua ſententia ſingulari, libro edito Congregationi noſtræ attribuat. Quaſi neceſſum ſit ea, quæ ille ſcripſit, prius fuiſſe Pontifici preſentata. Imò Benignè lector non ignorat Aduerſarius Patres Cõgregationis noſtræ, in tota hac Vnionis controuerſia, minimè omnium Autori Tropheorum (quamuis docto & venerabile viro) detuliſſe: vt videas quàm inconſequenter diſputet hic Theologus qui ex alterius ſingulari opinione, noſtram omnium contra ſemper opinantium inferre conetur ſententiam.

Quatuor alia priuilegia, non ſolum Trophearius, verum etiam nos ipſi conſtanter adfirmamus, veteri Congregationi Anglię, iam inde à temporibus Innocentij tertij, conueniſſe. Nimirum pleraſque omnes domos Benedictinorum ab vltra marinis independentium ita in ſuum corpus conuertiſſe, vt aliquando in Capitulum Generale plurimos Prælatos conuenientes ſimul habuerit, & Barones regni Parlamentales viginti quinque numerauerit. Tempus & annum inferius annotabimus. Deinde quod hæc Congregatio, quaſi baſis Eccleſiæ Anglicanæ atque iurium ipſius depoſitorium principale fuerit quod ex eo ipſo verum comprobabitur, quo Congregationem hanc tantæ magnitudinis fuiſſe oſtendemus; & ex eo, quod decimum priuilegium veriſſimum ſit quod nempe hæc antiqua Congregatio Anglicana prõptiſſimè ſemper obediuerit decretis, ſedis Apoſtolicæ; quod ita in confeſſo eſt de antiquis congregationis noſtrę auis & proauis Abbatibus Benedictinis, vt tu ipſe fatearis aduerſarie, olim ſummum Pontificem eos *leui virga regere* ſolitum. Si ergo probauerimus, eos omnes Abbates, per aliquot ſaltem annorum centurias, Congregationem Angliæ conduxiſſe, etiam hoc priuilegium ſingularis obedientiæ erga ſedem Catholicam, eidẽ Congregationi conuenire probabitur; ac proinde, ſicut tu loqueris, ęquitatem poſtulare, vt *antidoralis iuſtitia* hic à ſummis Pontificibus ſpectetur.

Non ſunt autem omittenda, quæ in his priuilegijs recenſendis figmenta congeris: vnum falſum, quaſi ob hæc priuilegia auſi fuerimus, ſuis è poſſeſſionibus in Gallia & Belgio, Britannia & Lotharingia exturbare non ſolùm Hiſpanos, ſed etiam Cluniacenſes profeſſos; Sæpius iam hoc dixiſti, ac proinde toties eſt à nobis negandum; nam & Cluniacenſes Angli quicumque ſunt, & quomodocúmque Cluniacenſes facti ſunt, nihil detrimenti à nobis paſſi ſunt quicquid hactenus iure Cluniacenſi poſſederunt, quantum ad nos eſt adhuc poſſident: quicquid etiam iuris Hiſpani monachi in omnibus illis prouincijs habuerunt, ante hanc Vnionem, etiam nunc nobis volentibus & lubentibus retinent. Et pauper illa ſupellex, per Patres Hiſpanos corraſa, per illos dumtaxat eſt collecta, & corraſa, qui in eiſdẽ Reſidentijs ac prouincijs nunc degunt. A Cluniacenſibus autem (quos tu hic tam ſæpè ingeris) nihil prorſus

ſus ne gry quidē, accepit vnquam aut Congregatio, aut Miſſio Benedictinorum Angliæ:ſed ab aliquibus, qui volunt Cluniacenſes haberi, multa nos indigna patimur: non quia nos Cluniacenſibus aduerſamur, cum innocentiam noſtram hac quidem in re, ipſemet Abbas Reuerendiſſimus Cluniacenſis agnoſcat; ſed quia illicitum & irregulare aliquot monachorum à nobis ad Cluniacenſes transfugarum nolumus approbare.

Alterum conuitium non ſolum falſum eſt, ſed etiam cum iniuria religioſorum, & contemptu ſedis Apoſtolicæ coniunctum. Verba ponemus, vt intelligatur, quantum ſub illis lateat venenum: ait igitur. *Cur trophæum huius Congregationis ponitur, obedientia exhibita decretis papalibus? niſi quia hoc ſæculo, vbi paſsim etiam in ipſa religioſorum Conuentus frigent, imperia aulæ Romanæ, inſignis locus eſt, & meretur gratiam, vel ſemel inſigniter eis obtemperaſſe.* Quæſo lector, an non hoc eſt inſigniter calumniari, Religioſos ordines, quod apud ipſorum conuentus, paſſim frigeant imperia Romani Pontificis? cum orbis vniuerſus ſciat, nullos ad ſedis Apoſtolicæ obedientiam religioſis eſſe promptiores & paratiores: adeo vt apud illos non tam habeatur laudi aut merito, Pontifici ſemel obtemperauiſſe; ſed potius habeatur horrori & oſtentui, ſi ſi quis vel ſemel aut leuiter, pontifici aliquid imperanti reluctetur. Sed nimirum aduerſarius, parum amicus eccleſiaſticę authoritati (vt ex multis locis huius libri manifeſtè colligitur) etſi non poteſt religioſos ab Apoſtolica deducere obedientia: in aliquo tamen videtur affectui ſuo ſatisfeciſſe, ſi, quamuis falsò dicat tamen pleroſque religioſos à ſedis Romanæ reuerentia declinare. Vel ipſe modus loquendi, quo *imperia* vocat *Romanæ aulæ*, cùm potuiſſet vocare decreta Apoſtolicæ Eccleſiæ; & ea dicat *paſſim etiam apud religioſos frigere*, quaſi laicis maxima ex parte obedientiam auerſantibus, etiam regulares degeneraſſent; oſtendit in Aduerſario contemptum eccleſiaſticæ authoritatis, & quoddam de eius vilificatione gaudium.

Sed pergit, *hinc natum eſt, vt patres congregationis Anglicanæ videntes præceptum Pauli quinti vt iuramentum Anglicanum non præſtaretur, iuramento ſe obſtrinxerunt non præſtituros id vnquam, mandatoque & declarationi pontificio obedituros, foreque plane diſsimiles Patribus Caſsinenſibus, nouellis ipſorum parentibus, a quibus ſe ſegregare ambiebant Romæ, ea potiſsimum de cauſa, quod eorum Superior Breui Pauli quinti, de iuramento non præſtando, vt aiebant, reluctaretur.* Quanta hic eſt vis Falſidicinarum? Primo enim, monachi illi fratres noſtri, quos Ex-Caſſinenſium nomine Aduerſarius vocat: nunquam ambierunt Romæ à Caſſinenſibus ſeipſos ſeiungere, non enim opus habebant: ſed ſicut liberè ad congregationis ſuæ bonum, dum in religionis habitu tyrones eſſent; Caſſinenſem ſuperiorem ſibi deligerunt: ita alium de ſuo gremio, more aliarum Congregationum & ex ipſorum Caſſinenſium mandato ſibi aſſumpſerunt; inferius patebit. Deinde falſum eſt, Patres Congregationis Anglicanæ, iuramento ſe obſtrinxiſſe, ne iuramentum à Paulo Quinto vetitum præſtarent, quod hic Aduerſarius temerè affirmat: ſtatuto dumtaxat cauerunt, ne quis illi doctrinę fauens, in ſuam Cōgregationem admitteretur. Sed nonne propoſita fuerat Romæ, querela de vetiti iuramenti doctrina tanquam ex communi fama ſuperior Caſſinenſium illi faueret? fuit proculdubio. Sed vt intelligas lector, perpetuā Aduerſarij æquiuocationem, non fuit ab Ex-Caſſinenſibus, non fuit ab Anglicanis propoſita, ſed à P. Leandro, tunc quidem Vicario Miſſionis Hiſpanicę, & ex mandato R. Generalis ſui cum conſenſu Aſſiſtentium ſuorum, quorum vnus fuit P. Ionnes Barneſius (cuius authoritatem non contemnit Aduerſarius) contra Caſſinenſes per Procuratorem ſuum Romæ agente eo quod Caſſinēſes per Procuratorē cum bona quidem intentione contra beneplacitum Reuerendiſſimi Generalis Hiſpaniæ Anglicanam Congregationem per Vnionem à ſe excogitatam, promouere nitebantur. Quoniam autem prædictus P. Leander, cum fratribus ſuis Hiſpanis, tunc temporis, quando illa cauſa Romæ ventilabatur, nondum erant de Congregatione Anglicana, quin potius eam pro ſtatu in quo tunc fuerat, impugnabant; Poſtea verò in eam coaluerunt, Pontifice id ita volente: hinc æquiuocationi ſuæ ſumpſit Aduerſarius fundamentum, vt hoc à patribus Anglicanis Romæ factum diceret, quia nimirum nunc ſunt Anglicanæ Congregationis membra, qui tunc, cum illud fecerant, de Hiſpanica fuerunt.

Habes igitur ex dictis, Benigne Lector, Aduerſarium in primo & ſecundo capite libri ſui, nec veram occaſionem narrauiſſe, propter quam erecta eſt Congregatio Anglicana: nec verum ſtatum controuerſię quam diſputandam aſſumpſerat, propoſuiſſe, ſed in vtraque re contra propriam conſcientiam, multa falsò, multa ęquiuocè, multa inuidioſè comportaſſe, vt propterea hinc coniecturam facias, quam inanis ſit illa iactantia, quam merum vaniloquium, quo in fine Capitis ſecundi, ampullas proijciens & ſeſquipedalia verba, promittit ſe *cataphaticôs* & *apophaticôs* conuicturum, nullam vnquam fuiſſe Congregatonē Anglicanam

Aduerſarius, authoritatis eccleſiaſticæ hoſtis.

Benedictinorum à Cluniacensi distinctam, ac propterea hanc nostram nullam esse, nosque proinde obrepsisse sedi Apostolicæ, & inualidam Bullam, in falsa narratiua fundatam obtinuisse. Hoc suum promissum quam infæliciter adimpleat in reliquis partibus huius operis manifestè apparebit: prius tamen,(quod promisimus) ostenso iam in vtraque re aduersarij fraude & falsiloquentia, veram occasionem ostendemus, cur nonnulli Congregationem Anglicanam erexerint, verumque statum quæstionis aperiemus, idque ita simpliciter atque euidenter, vt nihil amplius requiri posset, ad omnes aduersarij calumnias confutandas; quæ cum in illa falsa occasione, & in falso statui quæstionis fundentur, detecta sufficienter, illa duplici falsitate, apparebunt nihil aliud esse, quam Chymericæ ludificationes, & febricitantis ac perturbati animi, somnia.

§. Quæ fuerit vera occasio instaurandi antiquam Congregationem Benedictinorum in Anglia.

Missio Benedictinorũ ex Hispania & Italia in Angliam.

Quantum ad primum istorum, scire debes Lector, anno millesimo sexcentesimo tertio, ad instantiam Reuerendissimi Generalis Hispanicæ congregationis, Domini Alfonsi de Coral, & venerabilis Abbatis sancti Martini Compostellani, Domini Antonij Corneio, cæterorumque patrum Congregationis, Per Reuerendum Patrem, Dominum Petrum de Areualo dictæ Congregationis, in curia Romana Procuratori supplicatum fuisse, sanctissimo Domino Clementi Octauo beatæ memoriæ Pontifici, quatenus dignaretur Missionis Apostolicæ facultates pro regnis Angliæ concedere nonnullis monachis Anglis, quos præfata Congregatio Hispanica, post tyrocinia religionis in sanctis monasterijs exacta, magnis sumptibus, & summa cura in Academia Salmanticensi, alijsque florentissimis communitatis suæ gymnasijs, in omni genere sacræ & vtilis literaturæ educauerat: nihil aliud tantis impensis quærens quam gloriam Dei, honorem ordinis, & animarum salutem, præsertim in illa patria, quam olim per patres suos Sancti Benedicti monachos, ad fidem Christi conuersam fuisse cognouerant. Coniunxerunt sese Procuratori Hispanico in hac eadem petitione Patres Congregationis Cassinensis, pro nonnullis etiam monachis Anglis, quos ipsi eundem in finem in suam Congregationem admiserant, ac sanctè & nobiiliter instituerant. Cui petitioni beatissimus Pontifex Clemens, quamuis nonnulli ex zelo maioris gloriȩ Dei, tanquam nouitati periculosæ sese opposuissent, (vt initia rerum magnarum fere semper suos habent oppositores, eosque plerumque viros pios, & innocentes, quamdiu causa est in ambiguo,) rebus tamen diligenter perpensis, benigniter annuit, & facultates Apostolicæ Missionis, vtriusque Congregationis prædictæ monachis Anglis, amplissima concessione impertiuit 20. Martij dicti anni 1603.

Missi sunt ergo ex Hispanis in Angliam, ad Missionis functiones exercendas, Reuerendus pater Augustinus de S. Iohanne, Monachus Compostellanus, cum aliquot eiusdem Monasterij Religiosis: Ex Italia verò Reuerendis pater, Thomas Prestonus monachus Casinensis, cum aliquibus item fratribus suis; qui postquam aliquantum temporis in missione fideliter laborauissent: ex nonnullis occasionibus perspexerunt, esse ferè necessarium, ad fælicem cursum Missionis suæ, vt aliqua inter ipsos Vnio & hierarchia constitueretur: ne si, vt erant duarum distinctarum congregationum monachi, independenter à se inuicem negotium prȩdicationis peragerent, minus fructuosè laborarent, & fortè in occasiones aliquas dissidiorum simultatumque inciderent. Ergo ex hac cogitatione, orta est inter illos, quædam cõsociatio, qua statuerunt, quibusdam sub legibus, mutuis auxilijs sibi inuicem subuenire, & nihil magnum nisi coniunctis consilijs, & communi vtriusque superioris nomine, atque consensu aggredi. Post aliquantum temporis, cum Reuerendus Pater Augustinus de S. Ioanne memorabilis industriæ, constantiæ, & zeli Monachus, & primus Missionis Hisp. Vicarius generalis iactis fundamentis duorum conuentuum, Duaci in Belgio, & Dolo-warti in Lotharingia, ad Rhemorum ciuitatem in Campania veniret, vt ibi cum venerabili patre Gabriele à Sancta Maria (nunc dignissimo Archiepiscopo Rhemensi, tunc autem monacho nostro, & Academię Rhemensis rectore) atque etiam cum Patre Leandro de sancto Martino, qui tunc in Archimonasterio S. Remigij degebat, de rebus Missionis nostræ, & duorum cõuentuum dictorum exordijs conferret: accidit vt in eum sermonem sententiamque venirent, nihil fore vtilius rebus nostris, nec ad spiritualẽ profectũ nostrum conuenientius, quam vt vtriusque congregationis, Hispanicæ scilicet & Italicæ, monachi Angli corpus vnum politicum, sub ijsdem legibus cæremonijs & Superioribus constituerent. Ecce autem dum in hac meditatione versarentur, superuenit illis de improuiso, Reuerendus Pater Thomas Prestonus

ſtonus, monachorum Italicę Congregationis Superior, atque ita ſuperuenit, vt dum vnus ipſorum diceret, vtinam adeſſet hic pater Preſtonus, vt cum illo res hæc tractaretur; eo ipſo temporis puncto ipſe, è caſtris Angliæ miſſus in exilium, oſtium cameræ, in quo conſilium agebatur ipſos inquiſiturus pulſaret: cuius aduentus, inexpectatus quidem, ſed tam opportunus, tanquam voluntatis diuinæ iudicium acceptus eſt, & argumentum non vanum, placere ipſius prouidentiæ, illam noſtram, de Vnione aliqua ineunda cogitationem. Propoſitis [illegible] paucis quibuſdam articulis, qui ad illum finem videbantur accommodati, ita vtrinque diſceſſum eſt, vt inter pauculas ſeptimanas, alio conuentu fratrum noſtrorum in Anglia habito, formula quædam Vnionis inter monachos duarum Cõgregationum iſtarum Hiſpanicę ſcilicet, & Italicę concepta fuerit. Cuius tenor (ne nimium interrumperetur diſputationis contextus) in appendicem eſt reiectus, num. 1. 35.

Primæ Cogitationes de Vnione Benedictinorum in Anglia.

Fuit tunc temporis, ex omnibus antiquis Anglię monachis ſolus vnus ſuperſtes D. Sigebertus Buckleus, ſenex reuerendus, qui reuerendiſſimi Abbatis & confeſſoris Chriſti Fecknami monachus, & in vinculis ob ſuprematus iuramentum recuſatum ſocius extiterat: qui vbi audiuiſſet, Ordinis ſui monachos Anglos fidei prædicandæ cauſa ex transmarinis partibus in Angliam adueniſſe, tamquam alter annoſus Simeon lachrymas gaudij plenas effudit, & iam ſe diſſolutionem corporis ſui libenter acceptaturum dicebat, cum Ordinis ſui inſtaurationem oculis ſuis videre meruiſſet. Hunc bonum ſenem, cum monachi Caſſinenſes multis ſolatijs ſubleuaſſent, inciderunt in hanc cogitationem, fuiſſe aliquam florentem aliquando Benedictinorum in Anglia Congregationem; illius iura, prærogatiuas, & priuilegia manere in hoc ſene D. Sigeberto, quandoquidem iura Communitatis aut Collegij cuiuſcumque non pereãt [illegible] iamdiu aliquis de Communitate ſuperſtes perſeuerat. Optimum proinde factu eſſe, ſi aliquot presbyteros Anglos viros pios, maturos, doctos, beneque probatos, quos ipſi Caſſinenſes authoritate Capituli ſui Generalis, habitu monaſtico in Anglia pro Congregatione Caſſinenſi veſtiuerant, eidem Domino Sigiberto; (ſub ſuæ tamen Congregationis beneplacito) reſignarent, adoptandos in Weſt monaſterij monachos, atque ita veteri Congregationi Angliæ [illegible]ferendos; per quam nimirum adoptionem, & inſitionem, ipſa antiqua Congregatio [illegible] Ordinis nigrorum Sancti Benedicti inſtauraretur & continuaretur. Placuit res hæc [illegible] ſeni, atque ita libentiſſimè fecit, quod illi à Caſſinenſibus fuit vtiliter ſuggeſtum: cui [illegible] nos dicamur inuentores, & propterea narratio noſtra apud aduerſarium non [illegible]em; Conſule (benigne lector) inſtrumentum notarij Apoſtolici, nempe prima[illegible] monachi Caſſinenſis, cuius authenticum apud nos ſeruamus, quod in appendice inuenies. n. 1.

Ex illo [illegible] quidem inſtrumento patet, anno Domini 1607. die 21. Nouembris, cæptam eſſe [illegible] Patrum Caſſinenſium induſtriam, Congregationis veteris Anglicanæ reſtaurationem: [illegible] ſub beneplacito ſuperiorum ſuorum, rem hanc aggreſſi ſunt, ſequenti anno nempe 1608. factum hoc ſuum à Capitulo Generali Congregationis Caſſinenſis, ratificandum curarũt. cuius ratificationis authenticum penes nos habemus. Exemplar autem ad fidem noſtram liberandam lectori inſpiciendum damus in appendice, n. 2.

Obtento conſenſu Congregationis Caſſinenſis in ſuo Capitulo Generali, prædicti Patres Caſſinenſes Angli, rem à ſe inchoatam, & feliciter prouectam, ad vmbilicum perducere cupientes, [illegible] huius confirmationem Apoſtolicam viuæ vocis oraculo obtinuerunt, per illuſtriſſ. Cardinalis Montalti interceſſionem. cuius oraculi exemplar, ne fingere videamur, [illegible] appendice. n. 3.

[illegible] tam fælici ſucceſſu rerum venerabilis D. Sigebertus, vt aliqua ex parte ſaltem Caſſinenſibus Patribus grati animi vicem rependeret, regimen Congregationis Anglicanæ, [illegible] inſtauratæ, vice ſua in reuerendum Patrem Thomam Preſtonum [illegible], cuius tranſlationis inſtrumentum authenticum (anglicè conſcriptum apud nos retinemus) eiuſque in linguam latinam fideliter tranſlati copiam lectoribus facimus in appendice n. 4.

Et hoc prędicti ſenis factum, ratum habuerunt ipſius monachi per aliud inſtrumentum, cuius tenor de Anglico in Latinum fideliter tranſlatus ſequitur in eod. Appendice. n. 5.

Hoc modo potentia Patrum Caſſinenſium Anglorum per erectionem nouę Congregationis Anglicanæ ipſis ſubiectæ, magnopere aucta fuit: præſertim quia iam numerum ſuorum

 ſubdi-

subditorum non solum in Italia verumetiam extra illam in Congregatione dicta poterant multiplicare, per tyronum susceptionem. Pluribus igitur sub Congregatione Anglicana monachis admissis: visum est trium Congregationum distinctarum monachos, sub diuersis legibus & superioribus viuentes, non posse diu sine aliquibus dissensionibus subsistere: quapropter iterum alius tractatus, in ipsa Anglia fuit habitus, inter Superiores trium Congregationum, in quo formula quædam Vnionis concepta fuit, cuius tenorem inueniet lector in appendice. n. 6.

Cuius tractatus articulos cum reuersus ex Anglia Reuerendus Pater Augustinus, Fratribus suis communicasset: licet illi pacem maximè & Vnionem cuperent, articulos tamen non admiserunt; maximè quia superioribus Hispaniæ, difficulter hoc posse persuaderi videbant. Cessauit itaque propositum illius Vnionis præ dictis articulis comprehensum, sed non vndequaque: citò enim postea successit alia Vnio non multo dissimilis, in aliquibus tamen diuersa, quam Patres Cassinēses omni diligētia in curia Romana proposuerant, & promouerant: Cuius tibi formam damus, (eodem prorsus modo, eisdemque verbis, quibus eam Roma ad nos descriptam, destinauit D. Anselmus à Mancestria) in appendice. n. 7.

Eodem circiter tempore, obtinuit idem D. Anselmus à summo Pontifice, B. R. Paulo Quinto, bullam, qua confirmaretur, Congregationis Anglicanæ instauratio, per Patres Cassinenses, vt supra deduximus facta: cuius bullæ tenor, ad verbum descriptus est in appendice numero 8.

Interea nos eo tempore Hispanicæ Congregationis monachi, neutiquam approbantes formulam istā Vnionis, quam supra D. Anselmus descripserat, R. Patre Augustino de S. Iohanne ab officio Vicarij Generalis pro more Congregationis Hispanicæ discedēte; & Patre Leandro de S. Martino in Vicariatum Generalē decreto Capituli Hispanici succedente, ob varias opiniones, quas in Cōuentibus nostris excitarunt nonnulli, qui Cōgregationi Anglicanæ promouendæ secretò operam dabant, & Benefactorum etiam in Lotharingia vehementissimam instantiam, quos offendere in re quam ipsi putabant valde consentaneam rationi, nec erat nobis tutum; nec alijs videbatur honestum: coacti sumus, ob bonum pacis conseruandum, quod alioqui periclitabatur post aliquot tractatus ea de re habitos admittere inter nos, qui adhuc eramus de Hispanica Congregatione, & monachos Congregationis Anglicanæ æqualem participationem rerum omnium in Conuentu Dolowarti, quem Conuentum ipsi Hispanienses soli per Patrem Augustinum à Sancto Iohāne, & Patrem Gabrielem de sancta Maria, magnis laboribus erexerant, & per aliquot annos soli pacificè possederant. Vt autem ea participatio non esset perpetuorum iurgiorum causa, cum vnum arbustum, vt est in veteri prouerbio, nō alat duos erythacos, cōcepta fuit inter nos & illos alia Vnionis formula, (quam *Vnionem quatuor articulorum vocabamus*, quia totidem articulis comprehendebatur,) si tamen eam Vnionem Capitulum Generale Congregationis Hispanicæ comprobaret. Et factum est, vt Patres Capituli Generalis illam comprobarint. Cuius summa hæc erat, vt Patres Congregationis Anglicanæ coalescerent in vnum corpus, (durante schismate) quod esset & vocaretur, Missio seu Congregatio Hispanica complectens tamē in se vna cū Hispanensibus duodenarium numerum monachorum, in quibus conseruarentur iura Congregationis Anglicanæ: qui numerus duodenarius nunquam excederetur, sed aliquo moriente de illo numero, succederet alius de gremio Congregationis Hispanicæ, ab ipsius Vicario Generali, assistentibusque nominandus. Et cessante quidem in Anglia schismate, omnes monachi Missionis Hispanicæ, (qui nollent in Hispaniam recedere, aut eò non reuocarentur) ipso facto constituerent Congregationem Anglicanam, eoque nomine vocarentur. Durante vero schismate, omnes verè essent & æqualiter municipes de Congregatione Hispanica. Hoc ita placuit Congregationi Hispanicæ, vt in Capitulo Generali habito quinto die mensis Maij, Anno 1613. cum elegissent Patrem Leandrum, in Vicarium suum Generalem: vnum ex assistentibus eius voluerūt esse Patrem Edwardum Maihew, & vicarium eius in Anglia, Patrem Robertum Sadlerum: vtrosque monachos professos de Congregatione Anglicana. Habuerat autem D. Robertus Sadlerus amplissimam procuratoriam à D. Thoma Prestono (qui tum & Cassinensis & Anglicanorū Superior extiterat) per quam licebat ei optimo quo posset modo Congregationis suæ Anglicanæ bonum promouere. Procuratoria est in appendice. n. 9.

In virtute huius amplissimæ commissionis, quæ continebat negotium proprium & peculiare Congregationis suæ Anglicanæ, cuius superior fuerat D. Thomas dumtaxat ad bonum ipsius promouendum, (quod bonum clarissimè in hac Vnione quatuor articulorum apparebat,) D. Robertus Sadlerus, cum Domino Edouardo Maihew, in Vnionem illam cum Hispanicis consenserunt,

§. 5. Con-

§. 5. Contentio exorta circa instaurationem Congregationis Benedictinæ.

Sed non processit postea hæc Vnio, quia dum de sensu quatuor articulorum esset aliqua alterratio, propter nonnulla, quæ patiebantur variam expositionem, Patre Ioanne Barnesio acerrimè ipsi repugnante. Atque ita aliquanto tempore dilata esset promulgatio eius in Anglia; missa tamen illius copia seu exemplari Romam D. Anselmo à Mancestria, qui D. Thomæ Prestono in superioratu Anglicanorum ex electione ipsorum successerat, & hanc Vnionem non probauerat, is iudicans eam nec suæ, nec Anglicanæ Congregationi, nec etiam Hispanicæ tam proficuam aut honorificam, quam erat prior illa Vnio per ipsum ad nos destinata, quam reieceramus; Animaduertens etiam Vnionem illam quatuor articulorum nondum fuisse plenè promulgatam: aliam Vnionem suæ illi priori per omnia conformem, sed magis tamen explicatam Procuratoribus Romanis Congregationis Hispanicæ, & Casinensis exhibuit. Illi, non admodum periti rerum Missionis nostræ, vtpote homines alterius nationis; consideratis etiam cum ipso D. Anselmo varijs articulis in quos antea consensus fuerat præstitus, facile in eam venêre sententiam, vt hęc Vnio à D. Anselmo proposita, quasi omnibus tribus Congregationibus vtilior, & honorificentior, Pontifici confirmanda proponeretur. Qui ex tot procuratorum consensu probabiliter inferens consensum ipsarum Congregationum (qui reuera tamen non interuenerat) Vnionē illam, quam diximus approbauit. Ipsos articulos non posuimus ad longum, quia Vnio, quam D. Anselmus delineatam ad nos prius miserat, totam eius substantiam sufficienter exprimit, & est (vt ante notauimus) in appendice n. 7. Quam ibid. num. 3. sequitur propositio ab eodem D. Ans. Romæ exhibita qua eiusdem Vnionis necessitatem & honestatem non improbabilibus persuasionibus ostendit. Expedit autem illam legere, vt videat lector, non fuisse inter nos contentionem aliam, quam quonam modò optimè posset inter nos vera & regularis subordinatio sine Congregationum nostrarum offensa constitui. Hos igitur articulos à procuratoribus Romæ admissos, & à Pontifice approbatos Illustrissimi Nuncij Apostolici in Gallia & Belgio monachis & Conuentibus Missionis Hispanicæ, per Lotharingiam, Galliam, & Belgium iussu beatissimi Pontificis insinuarunt, eosque executioni mandari, ex parte sedis Apostolicæ districtius præceperunt. Cui præcepto, reuerendi Patres, Augustinus de S. Iohanne, & Franciscus de Dei custodia alias Walgrauius, tum Prior monachorum cœnobio Sanctimonialium Callensium inseruientium paruerunt, & Prior Dolowartensis cum toto suo conuentu.

At R. P. Gabriel de S. Maria prior monachorum nostrorum Macloniensium, qui tunc concionibus publicis in vrbe regia Parisiorum operam dabat, obtentis ab illustrissimo Nuncio inducijs, prius voluit rem totam cum Vicario Generali R. P. Leandro à S. Martino, Duaci tunc commorante, communicare. Vicarius respondit illi, non debere prius rem sortiri effectum, quam ipse fratresque à summo Pontifice audirentur, in quorum maximum præiudicium Vnio illa vergeret, quæque falsæ omnino narratiuæ inniteretur, cum in articulis diceretur, eos esse ab omnibus nobis concordatos, cum nullatenus nobis fuissent communicati, imò cum expressé antea, similes articulos reiecissemus; & procurator Congregationis Hispanicæ non haberet vllam potestatem quicquam de rebus Missionis Romæ tractandi, aut concludendi, Vicario Generali ipsius non consulto, nec consentiente. Itaque rem significat Reuerendissimo Generali Hispanico; Ille in virtute Sanctæ obedientiæ iniungit ei, vt vel ipse Romam ad dictam Vnionem rescindendam proficiscatur, vel alium ad id idoneum eò destinare festinet. Quo mandato Generalis accepto, accidit vt illustrissimus Dominus Archiepiscopus Rhodiensis, (nunc Cardinalis Bentiuoglio, semper à nobis cum laude nominandus) Vicarium Bruxellas vocaret, vt mandatum Apostolicum de Vnione illa promulganda insinuaret. Profectus est eò Vicarius (collega assumpto Patre Ioanne Barnesio, tunc ipsius assistente,) quo cum venisset, & illustrissimo Domino Nuntio interroganti, an vellet mandato summi Pontificis, quod haberet illi intimandum, obtemperare, respondisset, se omnino pariturum, cupere tamen vt prius audirentur rationes ipsius, quia sic illi Generalis suus præceperat: Dictus Illustrissimus nuntius, lectis rationibus à Vicario exhibitis, iudicauit illas dignas esse, quæ à curia Romana prius audirentur, quam mandatum Vnionis vlterius vrgeretur. Iussit itaque vt domum redeuntes, easdem rationes politiùs, breuiùsque conceptas, & si quid aliud in rem eamdem faceret, ad ipsum quamprimum mitteremus. Misimus, & placuerunt illustrissimo, & cum illis vna misimus R. P. Benedictum de S. Facundo, au-

thoritate procuratoria vt Vnionem illam indebitè procuratã conatetur rescindere monachosque illos, qui virtute eiusdem Vnionis in Gallia à nobis trãsiuerant, ad antiquam suam obedientiam reuocaret. Contra dictum Procuratorem nostrum, altera pars (nempe Congregatio Anglicana, Romam destinauit, P. Sigebertum West-monasteriensem) non illum senem de quo superius (sed alium Iuniorem) qui coniunctus D. Anselmo à Mancestria Vnionem edictam propugnant, nostro procuratore P. Benedicto eandem impugnante. Quam seriò verò, idem D. Anselmus, tunc pro illa sua Vnione, & Congregationis Anglicanæ per eam stabilitione pugunauerit: fidem faciunt oppositiones, & informationes, ab ipso sacræ Congregationi Cardinalium exhibitæ: quarum exemplaria, vna cum nostri procuratoris replicis & firmamentis adhuc reseruamus; quæ ob maiorem narrationis nostræ certitudinem legenda etiam insereremus, nisi prolixitatem nimiam vitare deberemus; & præterea in vtrisque continerentur quędam, quæ pro more contendentium, vtrinque dicta feruentiùs, pace iam inter nos stabilita, non expedit resuscitari. Nec minus acriter Vnionem illam propugnabant Monachi nostri Callenses: præsertim R. Pater Franciscus de Dei custodia, aliás Walgrauius, qui authoritate summæ illustrissimæ D. Abbatissæ fretus, per magnatum litteras, potentiamque amicorum nobilium, maximè omnium partes illas sustentauit. Sed rationibus nostris plenè consideratis atque perpensis, non obstante diligentissima eorum in contrarijs oppositionibus industria, decretum pro nobis expeditum fuit, quod est in appendice n. 11.

Hoc decreto accepto, P. Leander, Vicarius Generalis, destinauit Patrem Ioannem Barnesium tunc assistentem suum, & R. P. Thomam Grinæum, cum plena commissione, vt Parisios profecti vrgerent, præfatum Patrem Franciscum Walgrauium, quatenus ipse cum alijs fratribus, qui à Congregatione Hispanica ad Anglicanam transierant, decreto Summi Pontificis obsequentes, ad eiusdem Congregationis suæ obedientiam eodem Pontifice mãdante reuerterentur. Sed quàm vehementer prædictus Pater restiterit, ex literis tum ipsius ad nos, tum etiam Patris Iohannis Barnesij, ad Procuratorem nostrum Romę missis, intelligitur; quas habes in appendice. n. 12. & 13. damus enim illas, quamuis familiares sint, quia nihil habent, vnde autores lædantur; nam siquid tale haberent, nullatenus euulgaremus.

Ex literis enim P. Francisci satis euidenter constat, quanta cum vehementia dictus pater Franciscus Vnionem factam à Cassinensibus propugnauerat, eum tantum in finem, vt suppressis aliarum Congregationum nominibus, sola tamen maneret Congregatio Anglicana. Cæterum hanc eius vehementiam, fortasse clarius demonstrant Patris Ioannis Barnesij ad eundem patrem Benedictum literæ; si eas integras ponere liberet: sed illam solum posuimus particulam, quæ neutri nocere possit.

Vtriusque autem literas protulimus inmedium, vt probaremus, longè alios fuisse primos Anglicanæ Congregationis promotores, quam eos, quos assignat aduersarius: quia istorum duorum authoritas tanti fit ab aduersario & sodale eius, vt maior esse apud ipsos vix posset vlla. Producemus tamen adhuc, vnius summi viri testimonium, omni exceptione maius, nempe ipsius Illustrissi. Nuncij Apostolici, cuius epistolam ad Vicarium generalem patrem Leandrum, sine ipsius offensa possumus apponere, ideoque in appendice eum collocauimus. n. 14.

Idem enim probat, quod diximus, nempe summa vehementia defensam à P. Francisco illo, Vnionem prædictam in ore duorum vel trium testium stat omne verbum: Itaque vlteriore probatione res hæc opus non habet. Cęterum non obstante hac Patris Francisci vehementia, tandem ille cum socijs redijt ad obedientiam Vicarij, agente pręsertim R. Patre Augustino de S. Iohanne, vt patet per formulam obedientiæ Vicario missionis datam quæ est in appendice numero. 15.

A quib⁹ primum tentata Cõgregationis instauratio ac quo fine

Ex omnibus, quæ hactenus fide publica, & irrefragabili deduximus, intelliget benignus lector, promotores primos Congregationis Anglicanæ non fuisse P. P. Rudisindum, Torquatum, Leandrum, (proût aduersarius, toto libro illis imponit) sed monachos Cassinenses, qui illam maxime promouerunt Romæ, & P. Franciscum de Dei Custodia, qui illam maxime propugnauit in Gallijs, nobis eam pro modulo nostro seriò impugnantibus, Romæ quidem per P. Benedictum de sancto Facundo, & Parisijs per P. Iohannem Barnesium, vides etiam ex dictis, occasionem, cur nonnulli erexerint Congregationem Anglicanam, non fuisse eam, quam fingit aduersarius, nempe vt Monachi Angli nouiter à Cassinensibus recepti, ab eorum iugo sese subducerent, quia illi in tota hac controuersia, nihil ferè egerunt, nisi ad nutum, Cassinensium: qui precipuè, tanquam actores manifesti, in ipsa curia Romana Vnio-

nem proposuerunt, & prosequuti sunt; Multò minus dici, occasionem fuisse nonnullorum ambitionem aut desiderium inuadendi possessiones alienas; qui vitiosi fines, si vllis debeant impingi, non certe nobis quos accusat Aduersarius, sed alijs (quos excusat) qui nos inuitos ad regimen ab ipsis constitutum trahere conabantur, in illis ergo potius emicuit species ambitionis si vlla fuit quam in nobis: pręsertim cum Aduersarius fateatur, penè intollerabilem fuisse, nostram apud superiores Hispanicos potentiam: à quibus propterea (si rectè vellet inferre Aduersarius) multò certius ea potuissemus obtinere, quæ nostra peteret ambitio si illo vitio laboraremus, vt homines certè sumus, & humani nihil à nobis alienum putamus. Denique Cassinenses tam per Anglicanos à se admissos, quam per alios Congregationis suæ fratres ipsis subsidio submissos, fuere (si ita eos appellare conueniat) nos verò fuimus quorum possessiones inuasæ, vt sic dicamus, fuêre. Non potest ergo ille prętextus inuadendi bona aliena nobis vllatenus affingi, qui nostrorum bonorum inuasionem passi sumus.

Sed nimirum minimè debuit Aduersarius huiusmodi falsos prætextus excogitare, quibus decoloraretur res bona, & intentio laudabilis, & denigrarentur omnes fratres sui, quorum ferè nullus est, qui non Vnionem aliquam cum Congregatione Anglicana tandem desiderauerit.

Quin igitur liberamus illos omnes, ab huiusmodi illaudatis prętextibus? certè ingenuus arbiter, quamuis in omnibus prædictis, inueniet fortè aliqua pro feruore contentionis facta, quæ potuissent longè aliter, & melius fieri; tamen reperiet etiam, ex toto filo negotij partes contendentes reuera proposuisse sibi vnionem omnium monachorum Missionis in vnum corpus, tanquam medium necessarium ad pacem & tranquillitatem instituti sui. Et hæc est vera causa cur Cassinenses putarunt se operæ pretium fecisse, quando veterem Congregationem Anglicanam optimo consilio instaurarunt: nec illa instauratio displicuit plerisque in Missione fratribus; nec fuit inde contentio de possessionibus aut dignitatibus, sed de optimo modo instituendi Vnionem siue instaurandi Congregationem Anglicanam. Quo de modo si fuerit inter illos multiplex opinio, nemo prudens mirabitur; cum difficilè sit religiosos, sub valde distinctis legibus & cæremonijs diu educatos, ad hoc perducere, vt renuntiãtes pristinis institutis, nouum & inassuetum viuendi genus assumant. Hoc si Catholici Patrię nostrę respiciant, non magis nostris contentionibus succensebunt, quam si viderent contentionem exortam inter Capucinos & Recollectos (sancti Francisci professores): si forte hi illos ad suas vellent cæremonias moresque viuendi inuitos pertrahere.

Dicet fortè Aduersarius, ea quæ hactenus narrauimus, à Cassinensibus fuisse facta, non a se impugnatum iri: nec Congregationem Anglicanam quam illi erexerunt, sed eam quæ post hæc fuit erecta, de qua nos nunc sumus, & in ista erectione commissa fuisse errata illa, quæ tam hyperbolicè recenset, & tam tragicè deplorat. Sed nihil faciat, neque hac via potest euadere aut effugere. Primum enim stylus, quo hactenus vsus est, non potest ad aliud tempus torqueri, quam ad primum illud, quo Cassinenses aliquos Presbyteros sæculares ad habitum & professionem receperunt. Dicit enim aperte, illos vix dum professos cogitasse de Cassinensium iugo excutiendo. At hæc Vnio, seu Congregatio, in quam nos cooptati sumus, incepit tractari duntaxat, Anno 1615. totos octo annos post erectam vehementissimeque defensam à Cassinensibus Congregationem Anglicanam, quæ facta fuit anno 1606. quod interuallum temporis, non potest iustè vocari tyrocinium. Deinde in hac secunda, nulla contigit monachorum ex iuribus aut possessionibus suis eiectio vel eiectionis vmbella: retinent enim Hispanienses & Anglicani monachi, quicquid extra Angliam antehac habuerunt. Cassinenses nõ dicunt, Cluniacenses non possunt, ostendere locum vllum suum, vnde fuerint à nobis eiecti, nisi fortè dicant per Congregationis huius erectionem excludi se titulo, quem possent pretendere in monasteria aliqua Angliæ, quando Deo placuerit illa Catholicæ religioni restituere, sed reuera hoc esset litigare, de vmbra asini. Et omnino permittimus illis, quicquid habent, aut olim habuerint iuris in regno Angliæ, eo per nos fruantur licet, quia ita expressè cautum est in Bulla nostra vnde patet manifestè prætextum illum falsò obijci Congregationi Anglicana prout nunc est stabilita. Contra quos militant aduersarij argumenta.

Tandem quæcumque Aduersarius in prologo & 7. primis capitibus contra nos effudit, insinuant erectionem Congregationis Anglicanæ, & vnionem monachorum in ipsa, non solum à nobis sponte factam fuisse, verum etiam magno studio & impotenti quadam ambitione quæsitam. Atqui iam ostendemus (etiamsi ex supradictis manifestè colligi posit,) tam nos, quam Anglicanos (quos iste vocat Excasinenses) non solum inuitos, verum etiam necessitate quadam rerum ipsarum coactos, ad hanc Vnionem accessisse. Et de Anglicanis quidem constat, & Aduersarius ipse, si suam consulat conscientiam, probè nouit, ipsos omni

qua poterant, diligentia egisse, vt vel nulla ab Hispanic Congregatione, Vnionis nostræ dependentia seruaretur, sed omnes eius cæremoniæ prorsus mutarentur; vel si hoc non posset obtineri, saltem æqualis dependentia haberetur à congregatione Casinensi, vt patet ex Vnione à Casinensibus proposita, quæ est in appendice, num. 7. nobis verò etiam clarè constaret, noluisse nos vllo modo Congregationis Anglicanę erectionem tolerare, si eam impedire quoquo modo potuissemus: clarè (inquam hoc constaret, si iudicaremus expedire vt lectoris oculis subijceremus rationes illas, quas contra Vnionem præfatam, & Congregationem ipsam Anglicanam latè & seriò deduximus; nec solum per Procuratorem nostrum, verum etiam per ipsum illustrissimum Nuncium, nunc Cardinalem Bentiuoglium Sanctæ Romanæ inquisitionis Cardinalibus porrigendas. Sed quia illas non est æquum propalare, ne bene sopitæ contentiones cum periculo refricentur, nimisque longum foret, maiorisque opus voluminis, totum illius controuersiæ decursum typis dare: appellamus hic solùm conscientias ipsorum Casinensium, & maximè D. Anselmi à Manceltria, qui adhuc Romæ viuit, an non expresè & seriò egerit Procurator noster, quicquid in ipso fuerit, vt Cōgregatio Anglicana tanquam contentionum seminariū extingueretur, penitusque supprimeretur. Quod cum instantiùs etiam priuatim apud illustrissimum Cardinalem S. Eusebij prosequeretur, responsum accepit ab eodem, petere eum rem omnino iniquam, & à recta ratione abhorrentem.

Rationes ob quas necessaria fuerit Vnio, quam libellator impugnat.

Quare ex tam multis, vltro citroque habitis inter nos disceptationibus, de Vnionis, & Cōgregationis Anglicanæ vel vtilitate, vel superfluitate: tandem factum est, vt Cardinales illustrissimi censuerint, nec congregationem Anglicanam esse extinguendam, & tamen Vnionem aliquam inter trium congregationum monachos esse faciendam. Primò enim viderant omnes monachos Anglos Cassinenses, & quos illius ad habitum receperunt, etiam eos qui Calis vt supra vidimus in Cassinensium sententiam concesserant, ita optare Vnionem, & quidem Vnionem in Congregatione Anglicana, vt nisi ea concederetur, ad nouas rursus simultates redituri viderentur.

Deinde rationes quæ Vnionem suadebant necessariam, erant vrgentissimæ, quas poterit lector à D. Anselmi calamo audire in appēdice n. 7. & 10. hic autem audiet à viro amplissimo, prudentiæque nomine celeberrimo, eodemque patrono nostro amantissimo, in suis ad R. Hispanicæ Congregationis Generalem literis, in quibus ea de re ex rogatu Generalis, suum sic præscribit iudicium.

„Dicam (inquit) liberè quod sentio & iudico in Domino expedire. Ad primum videri mihi „vnionem inter omnes religiosos Missionis Anglicanæ necessariam, alioqui quod alij ædificabunt alij destruent: quod alij probabunt alij contemnent: sibi etiam quique studebunt, „suam propriam vtilitatem conquirentes; &, vt se stabiliant, alios excludent & euertent, „ad consilia non pia facile confugient, & hinc proculdubio variæ nascentur offensiones, „quæ progressum pietatis impedient, & ipsam Missionem euertent. Cuiusmodi autem fieri „debeat vnio, non facile est statuere in particulari. In genere dico, quod ea mihi vtilior videtur, quæ membra sic in corpus vnum colligabit, vt iam alius non dicatur Cephæ, alius „Pauli, alius Christi. Articuli autem desumi possent ex formulis, quæ ab aliquibus oblatæ „sunt, addendo & circumcidendo, quæ videbuntur. Cum autem vix fieri possit, vt ita hoc „vniatur corpus, quin aliquæ supersint difficultates, minui mihi posse viderētur, si à sua sanctitate impetrari posset, vt simpliciter omnes, qui Missioni inseruire volent, commigrarēt „ad vestros, & in corpus (quod satis magnum conficiunt) confluerent. Aqua enim aquæ „facile immiscetur, & fluuius maior facile secū trahit riuulos, quotquot accedent vestri, & „à vestris admissi, sunt vt audio, circiter septuaginta; Cassinenses & ab eis admissi, circiter „duodecem: Anglicani nulli sunt, hoc enim censētur nomine, qui ab alijs atque alijs sunt „admissi. Cur itaque tantillus grex, non accedat maiori, & eius se conformet legibus, & institutis? & quid inde patietur damni, cum eodē iure vtetur, & in honoribus & in oneribus? „Si aliqui nolent accedere, vel in suis remaneāt monasterijs, si ibi sunt, vel ad ea reuocētur, „si iam sunt in Missione. Si nomini Congregationis Cassinensis vereantur maculam inferre „suppressione huius voculæ, leniri posset inuidia ex vestrorum maiori numero, & æquum „est, vt quod in re maius est, rei nomen imponat. Expendi tamen posset, si illud bono communi, & sanctæ vnioni, & charitati dari posset, vt omnes dicerentur & censerentur, Congregationis Anglicanæ: & ita sint omnia paria, & omnes vno designentur nomine, quod „neutri parti notam aut offensionem pariat. V. R. P. & Congregatio, qua valent authoritate apud sedem Apostolicam omnia quæ volet, facilè vt arbitror, impetrabit & consequetur.

Hæc

Hæc prudentiſſimus Abbas, cuius etiam conſilio authoritatique acquieuit S. Congregatio Hiſpanica, copiamque ſupradicta epiſtolæ ad nos tranſmiſit. Præterea etiam ex ipſa Anglia præcipui grauiſſimique Miſſionis Hiſpanicæ Patres, cum ex Vnione à D. Anſelmo procurata, intellexiſſent ſanctitatem ſuam in illud propendere, vt aliqua inter monachos Miſſionis Vnio conſtitueretur, ſupplicarunt, ei vt ad Vnionem aliquam cõſtituendam nouem ex toto gremio Miſſionis eligerentur per pluralitatem ſuffragiorum; qui ſimul conuenientes Vnionem legeſque, quas in Domino iudicarent commodas, excogitarent, & concluderent: exemplar huius petitionis eſt in appendice. n. 16.

Et hæc quidem illi ex Anglia ſcripſerunt, cum nos nihil earum rerum cognoſceremus, vtpote ſæuo maris æſtu, ſatis longe ab illis diſſociati; ſed ob rationes iam dictas, & inſtantiā D. Anſelmi ac D. Sigeberti, Romæ per ſe, & per fauores, quos etiam ex Gallijs P. Franciſcus de Dei Cuſtodia diligentiſſimè procurauit, ac vt vno verbo dicam neceſſitate ipſa Vnionis alicuius faciendæ adductus, S. Pontifex, per illuſtriſſimum Belgij Nuncium, mandatum ad P. Leandrū Miſſionis Generalem Vicarium direxit; qui aut nouum Procuratorem, aut nouā procuratoriam poteſtatem Procuratori Romę exiſtenti mitteret, ad nouum tractatum de Vnione iuxta ſuę ſanctitatis mentem ineundum. Exemplar mandati habetur in app. n. 17.

Quo mandato accepto, Vicarius cum conſilio Aſſiſtentium ſuorum (prius præhabito cõſenſu aliorum fratrum in reſidentijs Gallicanis commorantium, prout conſtat ex authenticis ſingularum Reſidentiarum literis, quas apud nos habemus,) decreuit, vt idem qui hactenus Romæ fuit, P. Benedictus de S. Facundo, Procurator pro Congregatione Hiſpanica perſeueraret. Exemplar decreti ſeu conſtituti, vt maiorem fidem faciamus, poſuimus in appendice, cum ipſius procuratoriæ commiſſionis formula. n. 18.

Inſtructio autem à vicario & Aſſiſtentibus data, P. Benedicto, Romam eunti fuit quæ ſequitur dictam procuratoriam in appendice, nu. 19.

Sed & Congregationis Anglicanæ monachi, qui hactenus tanquam nouitij, per omnia à Caſſinenſibus gubernabantur, vt poſſent & ipſi ſuum Procuratorem deſtinctum Romæ habere, tandem emancipati ſunt ab ipſorum gubernio, ipſo D. Anſelmo à Manceſtria, (qui hactenus & procurator, & ſuperior poſt D. Thomam Preſtonum fuerat) non ſolum ad hoc conſenſum ſuum preſtante, verum etiam ad hoc eos obnixè exhortante: cùm iam præcipui Patres Anglicani Dolowarti conueniſſent, ad quos D. Anſelmus prædictus literas Roma dedit, 7. Maij 1616 in quibus habetur hæc ſequens clauſula,

Quapropter hortor vos, vt feſtinetis & maturè conuentum veſtrum, ſeu Capitulum Generale congregetis, ex illis duntaxat, qui de gremio Congregationis veſtræ ſunt, ibique deliberetis, quid vobis optimum factu ſit. Superioremque Congregationis Anglicanæ eligatis ex ipſo eius corpore, & veſtra ſtabiliatis negotia. Iam enim vbi proximus elapſus fuerit menſis, triennium integrum elapſum fuerit, ex quo ego ſuperior veſter exiiti, non ſine maximo tædio, & labore animi ſimul & corporis.

Quæ notanda ſunt, tum vt conſtet, Anglicanos non excuſſiſſe iugum Caſſinenſium, ſed ipſis volentibus & hortantibus, ſibi de ſuo gremio emancipationis iure caput ſtatuiſſe: tum vt hinc etiā pateat, ipſam Congregationem hoc anno plenè à Caſſinenſibus dimiſſam, ſibique derelictam fuiſſe, ac proinde validè ſine ipſorum Caſſinenſium conſenſu & conſilio potuiſſe de ſuis negotijs, pro ſuo arbitrio nobiſcum tranſigere: quæ ambo tamen, Aduerſarius aliter narrauit, quam reipſa (lector) vides eueniſſe.

Ergo iam Romæ tres Procuratores monachorū Anglorum, iuxta ſanctitatis ſuæ decretū de noua Vnione tractatum inituri conuenerunt; pro Miſſione Hiſpanica, P. Benedictus de S. Facundo: pro Miſſione Italica Caſſinenſium Anglorum, & pro P. Walgrauio & fratribus eius, D. Anſelmus, à Manceſtria; pro Congregatione Anglicana, P. Sigebertus Bagshaw, weſtmonaſterienſis dictus. Quam fideliter commiſſionem ſuam exequutus eſt procurator à nobis conſtitutus, P. Benedictus, etſi poſſemus illuſtriſſimorum Cardinalium literis probare: tamē maluimus, vt id lector videat, ex inſtructione ipſi data, quā illuſtriſſimis Cardinalib⁹ porrexit in hac nouæ Vnionis tractatione. Vnde patebit Aduerſariū manifeſtè calumniari, cū ſæpius dicat Vicariū & Procuratorē, impoſuiſſe Generali Hiſpanico, aut Vnionē hāc falſis prætextibus eidē R. Generali perſuaſiſſe. Videatur in appen. 19 et ea perlecta, iudicet benignus lector, an hic vlla intercedat præuaricatio; & an potuerit, maiore (vt ſic dicam) ſerioſitate, cauſam Congregationis Hiſpanicæ agere: quod multò magis eluceceret, ſi charitatis bonū non contineret nos, ne replicas D. Anſelmi, & D. Seberti, ipſiuſque Patris Benedicti duplicas, triplicaſque vtriuſque partis edamus; cū enim res illa iam ſit cōpoſita, non debēt refricari, ſi qua in æſtu contentionis, ab vtriſque dicta fuerint, paulo quam

par

par erat concitatius. Sed quantamcùmque diligentiam posuerinoster Procurator, accedẽte etiam propter æquitatis ipsius energiam P. Sigeberto ad sententiam eius, nunquam potuit abduci D. Anselmus ab Vnione à suis prius proposita, vel saltem aliqua eius vmbra promouenda.

Quare sapientissimum Cardinalium Concilium, perspecto rationes, concordiæ inter nos ineundæ, meliores ab Hispanicis & Anglicanis, quam à Casinensibus oblatas esse: Decretũ de nouem definitoribus expedierunt, quod habetur in appendice. n. 22. Quo decreto iniungebatur vnio duarum Congregationum, etiamsi tertia (Casinensis. sc.) non accederet. Placuisse autem Cardinalibus, vt Cassinenses ab Vnione quadammodo excluderentur, non modo ex illo decreto apparet, sed etiam ex literis Illustrissimi Cardinalis Bellarmini, ad Vicarium Missionis P. Leandrum, scriptis, quarum exemplar fidele habes in appendice. n. 21.

Et sanè hanc illustrissimi huius viri sententiam sequuti sunt reliqui Cardinales: quare rebus omnibus tanto molimine discussis, quantum hactenus ex ipsis actis vidisti, lector benigne; decretũ pro Vnione facienda, emanauit quale diximus: quod an rectè potuerit surreptionis accusari posterius examinabitur.

Quomodo conuentus ille nouem Definitorum fuerit electus, quando in ciuitate Parisiensi fuit habitus, quid in eo conclusum, & quem ad finem omnia fuêre perducta, dicemus in 3. tractatu: quando contrà Aduersarium ostendetur, nullum in Breui nostro procurando vitiũ à nobis fuisse commissum, ratione cuius Breue debeat censeri aut surreptitium, aut inualidum.

§. 7. Verus & legitimus status controuersiæ in hoc secundo tractatu disceptandæ.

Sed ex hactenus dictis habes clarissimè per acta publica & authentica testimonia probatũ, primò. Anglicanos quo odiosè vocat hic Excassinenses non erexisse, aut laborasse ad erigendã Congregationẽ Anglicanam: sed ipsos Cassinenses, & P. Walgrauium cum suis, hoc summo conatu, & constantissima industria fecisse. Deinde Congregationem Anglicanam, non fuisse erectam vt excuteretur iugum Cassinensium, (sed potius vt medium, saltem existimatum, maximè opportunum, ad pacem, disciplinam, & pietatem in Missione nostra conseruandã. Tertiò, nihil ex hac erectione damni secutum fuisse Cassinensibus, aut Cluniacensibus, sed si quid aliquando damni euenerit, id solum euenisse ipsis R. P. Rudisindo, Leandro Torquato, alijsque quos hic Aduersarius, ex professo & nominatim impugnat. Quartò, constat per aliquot annos, quo durauit Romæ, hæc de Vnione contentio, semper habitam esse Congregationem Anglicanam pro Congregatione legitima: & Pontificem, monachos ab illa receptos, non obstantibus obiectionibus, quas nos ipsi fecimus, habuisse pro veris legitimisque monachis. Quintò, apparet, Cassinenses non posse honestè affirmare ea, quæ Aduersarius insinuat, ipsos, aut saltem D. Thomam Prestonum *dunamei* vt loquitur Aduersarius affirmare. Nam aut vera sunt illa instrumenta, quæ produximus de erectione Congregationis Anglicanæ, facta à Cassinensibus, à D. Seberto, & filijs ipsius; aut suppostititia; si vera sunt, non possunt honeste dicere ea, quæ his instrumentis contradicunt; sin autem suppostititia, nec id potest ab illis honestè concedi, condemnandi enim sunt imposturę, cum illa scripta nobis exhibuerint tanquam vera, vt intelligeremus, Congregationem Anglicanam, quam propugnabant, esse rem veram, non solum titulum; & corpus à Congregatione Casinensi distinctũ, non cum ea identificatum; cum tota contentio fuerit, non vt Hispani transirent ad Cassinenses, & viceuersa: Sed vt vtrique hoc tertium corpus ab vtrisque distinctum stabilirent. Imò non est credendum, viros graues, & religiosos, quales certè nos semper duximus esse confratres nostros Cassinenses, voluisse Romæ, in sanctissimo totius ecclesiæ tribunali, causã suam suppostitijs instrumentis tueri. Adde quod Aduersarius cum D. Thomam Prestonum nominat, videatur citate tanquam opus eius, libellos Widringtoni, quos adeo non suos agnoscit dictus Pater, vt publico scripto nos propterea reprehenderit, quod eum libellorum illorum autorem nominauerimus. Præterea non est credendum ipsos Casinenses tam exulceratam gestasse conscientiam, vt omnes post Vnionem, (quam vrgebant) nouitios professosque in Congregatione Anglicana, tanto periculo exponerent, quo detecta semel falsitate instrumentorum, probarentur non esse Benedictini; hoc enim est illud conscientiæ vituperium, quod nobis affingit Aduersarius, quasi nos Congregationem Angliæ per falsam narratiuam erigentes, monachos nonmonachos in eadem creauerimus: Iam autem ostendimus

narratiuam

narratiuam factam à Casſinenſibus, quos cum aduerſarius non immeritò laudat, & veneratur in ſcripto ſuo; non debet d.mmei onerare tanti facinoris inuidia; quod facit, dum eos dicere fingit, quæ nullo modo poſſunt cum honeſtatis opinione conſiſtere.

Tandem hinc elucet manifeſtiſsimè, non nos obligari in conſcientia ad facta noſtra reſcindenda, ad antiquam obedientiam repetendam, ad ablata reſtituenda: Sed ipſum aduerſarium apertè contra ſuam conſcientiam falſa pro veris in medium protuliſſe, amphibologica pro claris, acta vnius temporis & communitatis, ſiue partis, pro geſtis alterius protuliſſe; ac proinde reuera in conſcientia obligari ad ea dicta, ſcriptaque reuocanda quæ tanta cum fratrum ſuorum iniuria, falſiſsimè de ipſis in hoc infami libello, peſsimo exemplo, diuulgauit.

Atque ita iam cumulatè ſatis præſtitimus, quod primo loco propoſueramus; oſtendimus enim veram occaſionem cur nonnulli conati ſint erigere Cõgregationem Anglicanam: Nũc ſtatum ipſum præcipuę controuerſiæ, quæ inter nos & Aduerſarium debet agitari breuiter, & dilucidè proponamus. Nempe, an vnquam ante tempora Henrici octaui in calamitoſum ſchiſma prolapſi, fuerit in Anglia congregatio aliqua monaſteriorum & monachorum ordinis D. Patris Benedicti, habituſque nigri, à Cluniacenſi, omnique alia Congregatione tranſmarina penitus independens: quæ propterea potuerit per iuris media, aut Pontificis ſummi auctoritatem continuari, aut inſtaurari; aut & in meliorem formam, temporibuſque noſtris magis accommodatam reduci? Nos affirmamus; ille negat; nos probabimus, quantum materiæ morales & iuris apicibus ſubiectæ poſſunt & ſolent, ſufficienter ad poſſeſſoriam nobis honeſtæ adiudicandam probari; Ille maxima ex parte perpetuam committit ſciomachiam aerem verberans, & in eo ſibi fingens quæ nunquam nos diximus, aut cogitauimus; vt ita, dum fictas chimęras, entiaque mere obiectiua & vtopica perſequitur & impugnat, videatur aliquid ad rem fortiter dixiſſe in reliquis in quibus quã ſit ieiunus, vanus *anacolouthos paradoxos* imo quod peius, eſt, *heterodoxos* clarè in hac diſputatione noſtra manifeſtabitur.



DE AN-

DE ANTIQVITATE BENEDICTINORVM IN ANGLIA.

SECTIO SECVNDA:

IN QVA, PROPONITVR QVÆSTIO

Vtrum antiquitus extiterit in Anglia respublica, seu communitas monachorum nigrorum Ordinis S. Benedicti, quæ rectè possit vocari Congregatio Benedictinorum Angliæ, distincta & independens à Congreg. Cluniacensi, & ab omni alia vltramarina congregatione sub regula S. Benedicti?

Synopsis totius Sectionis:

§. 1. ADuersarij Sciomachia prolixissima, impugnantis contra nos antiquitatem quam nobis non
arrogamus ¶. 2. Fundamenta nostræ sententiæ. Primum, quid proprie nomine Congrega-
tionis intelligendum veniat. ¶. 3 Secundum: Ordinem, seu Congregationem Cluniacensem in communi
vsu, semper distingui ab Ordine, seu Congregationibus monachorum nigrorum, siue S. Benedicti. ¶. 4.
Tertium: aliud est, reformatio Cluniacensis, aliud iurisdictio subiectio, aut Congregatio, seu ordo Clu-
niacensis. ¶. 5. Quartum: vocata sunt multa cœnobia Cluniacensia, quæ nec ei incorporata, nec in disci-
plina conformia fuêre. ¶. 6 Quintum: non est idẽ coniungi fraternitate, quod Vnione seu Cõgregatione.

Aduersarij frustranens labor.



PARTEM negantem sequitur aduersarius, probatque multis argumentis,
(vt sibi quidem videtur) validissimis: reuera tamen, (vt clarissimè osten-
demus), omninò plumbeis & debilibus; quippe quæ vel statum quęstionis
falsum supponunt, nempe, ab ipso Antitrophario confictum, vt haberet
quod contra Trophearium satis immiti, & truculento stylo fulminaret: vel
leuiculis innixa coniecturis, ex Rapsodijs historiarum malè intellectarum,
quæ simul ac luce veritatis illustrantur, nullatenus patiuntur inferri ea, quæ Antitrophea-
rius, aut putauit, aut simulauit, inde necessario deduci.

Antiquitatẽ Cõgregationis impugnat, quam non defendimus.

Primi generis argumenta sunt, quibus nititur ostendere, congregationis nostræ Anglicanę
antiquitatem, non tot annos numerare, quot autor Trophearius existimauit; imò nullam fu-
isse vel vmbram congregationis alicuius Benedictinæ, ante aduentum Cluniacensium in An-
gliam. Quod cum putat se demonstrasse, inde etiam deriuat, nostræ (sic enim de Christianis
monachis solet loquius) nouellæ synagogæ nullitatem. Cæterum quamuis arbitremur, vni-
uersas ipsius methodos, tam *Apophaticôs*, quam *Cataphaticôs* posse satis verisimiliter re-
felli: atque insuper alia argumenta non improbabiliter induci, quibus illa tam annosa anti-
quitas, quam frater noster adamauit, valeat stabiliri: tamen liberabimus lectorem illa mo-
lestia, & permittemus illa omnia transire disputandi causa: dando, sed non concedendo, au-
torem Tropheorum in coniecturis suis errasse, & nullam Congregationem Benedictinam,
(qualem saltem hic quærimus) ante aduentum Cluniacensium in Angliam, posse sufficienter
ostendi. Neque enim in hoc cardo vertitur nostræ controuersiæ: nec si tam antiqua non
fuerit

fuerit Cõgregatio noſtra, propterea oſtenditur fuiſſe nulla, quemadmodum etſi nunc vulgus doctorum, (neminè penè diſſentiente,) agnoſcit, creationem mundi non tam multis millibus annorum præceſſiſſe ætatem hanc noſtram, quam putarunt Græci ſcriptores, & multi etiam Eccleſiæ Patres Septuaginta interpretum editionem ſequuti : non tamen ideo liceret dicere, mundum nullatenus fuiſſe creatum.

Aduerſarius autem, cum in illa antiquitate impugnanda, dimidium fere libelli ſui conſumpſerit, à capite tertio, (quod incipit pagina 25.) vſque ad caput ſeptimum, (cuius initiũ eſt, pagina 155.) multum olei perdit & operæ : quaſi aliquid noſtra intereſſet, an opinio illũ Autoris Tropheorũ, eſſet vera vel falſa, quam ipſe non ignorat, (quod & potuit colligere ex literis P. Præſidis quas ipſe producit,) nobis, quos impugnare aggreditur, nunquam viſam fuiſſe ita probabilem, vt in illius veriſimilitudine Congregationis noſtræ inſtaurationem fũdaremus. Propterea merito diximus, ipſum ſibi falſum ſtatum quæſtionis finxiſſe, quem ſciebat à nobis non affirmari : vt neſcientibus ſententiam noſtram, videretur validiſsimè cõtra nos diſputaſſe : & quia de *Trophæario* (vt per contemptum eum paſsim vocat) ſe triumphaſſe ſomniat, de nobis etiam triumphum reportaſſe videretur. Cæterum vides lector benigne, illum qui tam atrociter nos incuſat impoſturæ, tanquam falſarios, in Congregationis noſtræ erectione; non debuiſſe maximam & potiſſimam partem accuſationis ſuæ *Sciomachijs* iſtis infarcire, alterius alicuius ſeu errorem ſiue opinionem impugnando, cui nos nequaquã inniteremur : ſed ea tantum adferre, & ſi potuiſſet, improbare, quæ à nobis tanquam firmamenta pro cauſa noſtra ponuntur. At neque protulit ea, in quibus nos precipuum momentum cauſæ noſtræ collocauimus : & ea quæ per coniecturam ſimulat à nobis potuiſſe dici, quamuis diſſolutè & imbelliter connectat, vt videant minus habere roboris, omninò tamen ignauiter, & imperitè refellit.

Quamque noſtra nom intereſt defencere.

Totam ergo illam antiquariam quæſtionem, *An ſcilicet, fuerit Congregatio Anglicana religionis laude, & Reipublicæ ſuæ amplitudine florens, iam inde ab incunabulis Ordinis noſtri vſque ad Celeberrimum Concilium Lateranenſe*, relinquemus Autori Trophæorum propugnandam; quem non dubitamus, (ſi è re aut ſuæ æſtimationis, aut religionis Benedictinæ eſſe iudicarit, cum hoc aduerſario contentioſum funem trahere,) ei ita abundè reſpondere poſſe, vt ſe non meruiſſe tam inclementem cenſuram, cuiuis modeſto & Chriſtiano arbitro oſtendat. Nobis autem ad Congregationis noſtræ ſubſiſtentiam defendendam, non magis opus eſt illam antiquitatem probare, quam Cluniacenſibus opus eſſet oſtendere, ſuam Congregationem à S. Benedicto eſſe inſtitutam. Quod Paradoxum ſi quis ex Ordine Cluniacenſium ſuſciperet probandum; an quia in probatione fortaſsis deficeret : ideo Cluniacenſium Congregatio nulla foret, aut aerea, aut Vtopica, aut nouella ſynagoga? Et cum Sanctiſſimus ordo Carmelitarum ſuam ab ipſo Elia Propheta arceſſat originem; An, quia fortè vſque ad tempora S. Alberti non poſſit oſtendi aliqua Congregatio, ſub illo Carmelitarum nomine, (non enim niſi illo ſæculo nobis Occidentalibus innotuit Ordo ille,) an ideo eſt Nouella ſynagoga, aut ordo vtopicus? aut non ſufficeret illi, ſaltem antiquitas aliquot ſæculorum à D. Alberto deducta vt verè dicatur, & ſit ordo antiquus? Haud abſimili modo, ſi vir reuerendus in ſuo (licet enim hoc cuiquam ſine fidei & morum iactura) abundans ſẽſu putauerit olim Cõgrebationem Benedictinorũ fuiſſe ante Lateranenſe Concilium in Anglia; an quia in hoc probando defecerit, iudicio aduerſarij, ideo nunquam vlla Congregatio Benedictinorum fuerit in Anglia, ne quidem poſt Concilij Lateranenſis decreta? Prorſus *anacoluthia* laborat hæc deductio.

Sed fortaſſis aduerſarius vult videri, ſe in hoc argumento ita geſſiſſe, ac ſi tali vteretur inductione. Si veſtra Congregatio vnquam in Anglia ſubſtitit, vel ante tempora Concilij Lateranenſis, vel poſt ea ſubſiſtere debuit : vt ita cum priorem partem fuſiſſimè, (nactus aliquãto faciliorem materiam, quam cæderet,) impugnare videretur : videatur etiam eadem facilitate poſteriorem partem cõfeciſſe. Atque hoc eſt quod diximus *ſciomacheiſthai*, vt videatur multa dixiſſe de ficto ſtatu, qui de vero ſtatu nihil ad Rhombum ſcripſit. Perinde, ac ſi quis impugnaturus Cluniacenſis Congregationis ſubſiſtentiam, putaret multum operæpretium feciſſe, quod percurſis aliquot ſæculis, ante S. Odonis prælaturam, oſtendiſſet in nullo illorum ſæculorum, talem Congregationem extitiſſe. Sed quid poſt tempora S. Odonis? quid in caſu noſtro, poſt tempora Lateranenſis Concilij? Ibi *Glorioſé Rhetor*, dic aliquid tandem de tribus capellis. Nos Congregationem noſtram, ante illa tempora non arceſſimus : poſt illa tempora clariſſimis argumentis, & inſtrumentis illam demonſtrabimus vt videat lector, iſtum de lana Caprina non abſurde litigaſſe, ſed de cauſa ipſa prorſus improbabiliter diſſeruiſſe.

Veruntamen, si quid in illa inutili digladiatione sua de Antiquatia quæstione dixerit aduersarius, quod ad ipsam causam faciat; illud omne excutiemus, in secundo genere argumentorum quæ proponit: atque ita excutiemus vt non frigidè & preuaricatoriè ea proponamus, sicut ille nostra proposuit: Sed multò neruosius & luculentiùs, quam ab ipsomet aduersario pro se sunt informata. Quare rogandus est à nobis lector, vt deinceps, (quia disputandum est cum doctore Theologo) patienter nos audiat non more oratorio, sed planè dialectico causam simpliciter agentes.

Methodus, quâ in hac quæstione vtemur. Ita enim duo consequemur, magni momenti, vt & ipsa causarum momenta nudè proposita sine lacinijs colorum, & fucis affectuum, distinctius possint ponderari: & dum forma illa scholastica seruatur, abstineamus à conuitijs, durioribusque sermonibus; in quos aliter inuitos abriperet feruor styli, si more aduersarij affectuum igniculos admoueremus quoties illius sæuissimus calamus occurreret castigandus. Prius igitur audi quid nos sentiamus, quibus nitamur firmamentis: deinde quid contra illa valeant aduersarij ratiunculæ, (quas omnes fidelissimè referemus,) facilius considerabis.

Vt igitur ostendamus fuisse, reuera talem aliquando in Anglia Benedictinorum Congregationem, qualem in titulo quæstionis posuimus, quæ esset veri nominis Congregatio, à Cluniacensi, & omni alia prorsus distincta, & independens: liceat nobis sicut aduersario licuit, ad euoluendam æquiuoci sermonis ambiguitatem, quædam fundamenta supponere.

§. 1. *Primum fundamentum sententiæ nostræ, quid propriè intelligatur nomine Congregationis.*

Triplex regimẽ humanæ vitę, in ciuilibus. Primùm est, ex communi philosophorum doctrina, triplicem posse distingui gubernationem hominum, in vita ciuili seu morali. Vnam cuiusque *singularis* hominis propriam, qua ipsius actiones quantum ad suipsius moralem vitam diriguntur, quam propterea *Monasticam* multi vocant. *Aliam*, qua vnius *familiæ* instituendæ ratio, quantum ad vxorem, liberos famulos & possessiones continetur: Ideoque *Oeconomicam* appellarunt. *Aliam* tandem, quæ regimen *ciuitatis* seu perfectæ multarum familiarum communitatis complectitur, & ab eo *politica* dicitur. Hinc etiam ponimus ex Platone in libris de Republica, & ex Aristotele 3. Politicorum cap. 5. & sequentibus. & 8. Ethic. cap. 10. (Politicam seu rempublicam prout significat quamcumque societatem ciuilem legitimè & publicè coalescentem) rationem quandã genericam habere participabilem à diuersis speciebus: quarum proinde vna (secundum Philosophorum ferè omnium receptum placitum) sit perfectior, quam altera; & alia proindè imperfectior. Neque enim vllus negat, quin variæ sint rerumpublicarum seu ciuilium statuum formæ, quarum aliæ ab alijs essentialiter distinguantur: & aliæ perfectæ, aliæ minus perfectæ iudicio sapientum philosophorum habeantur. Inter perfectas formas, sunt Monarchia, quæ per vnum caput; & Aristocratia, quæ per paucos & optimos; Democratia, quæ per plures & plebeios regebatur. *Monarchiam* cum Francisco Picolominiæ (in moralis philosophiæ systemate) definimus *legitimum imperium vnius, honestum & commune bonum populorum ipsi liberè obtemperantium procurantis*, quale fuit Dauidis, Ezechiæ, Iosiæ in lege veteri: Constantini, Theodosij inter Christianos: & regum denique Christianorum in vniuersum, qui regis nomen reuera tueri conantur. *Aristocratiam* cum eodem definimus, *Imperium nobilium virtute & sapientia insignium, commune honestumque bonum ciuium, qui ipsis liberè obsequuntur quærentium*; quale Venetorum nunc est, & olim fuit Spartanorum: & quale se putant nunc habere Bataui & Heluetij. Democratiam omittimus, quia ad hanc disputationem parum inseruit eius cognitio. Ex istis specierum seu formarum definitionibus possumus communis generis naturam colligere, vt respublica seu Politia in communi sumpta sit, *cætus familiarum, iuris consensu, & vtilitatis communione, sub certa regiminis forma, ad benè beatèque viuendum, naturæ ductu consociatus*. Simili ferè modo loquitur P. Adamus Contzen lib. 1. polit. cap. 5. §. 1. nec vlla hac de re potest esse dubitatio aut controuersia.

Politicæ species variæ.

Monarchia.

Aristocratia.

Democratia.

Eadem statuum varietas quodãmodo in spiritualibus. Quod de republica naturali seu ciuili hominum ratione vtentium docet Philosophia: hoc etiam de republica spirituali & religiosa monachorum consilia Christi perfectiore modo profitentium, verum etiam esse debet. Vt nimirum, respublica monastica seu monachalis, *sit multorum monasteriorum seu conuentuum societas, sub certa regiminis forma, ad regularem vitam benè beatèque transigendam coniuncta*. Quæ ratio participabilis sit etiam à suis speciebus, possitque esse alia monarchica, alia Aristocratica: & Monarchica sit *legitimum regimen vnius, honestum & commune bonum monasteriorum & conuentuum ei liberè obsequentium pro suo virili procurantis*.

Talis est Congregatio Benedictorum Hispaniæ quæ vocabatur Valli-soletana;& Cassinensis seu Sanctæ Iustinæ in Italia, & Cluniacensis in Gallia. De hac forma agit Reuerendus & Doctissimus Pater noster, Antonius Yepes in Chronicis ordinis nostris, tom. 1. ad annum 564. circa finem capitis primi, vbi huiusmodo tradit Congregationis definitionem: *Congregatio est Vnio plurimorum monasteriorum æqualiter liberorum & exemptorum, inter se consociatorum, sub vno tanquam capite, vnoque generali prælato, cui obediunt.* Definit nempe perfectissimam speciem monachicam Congregationum: idque valde dubitanter, & potius postulans vt concedatur hæc definitio, quàm eam probans. Et quamuis ibi non distinguat diuersas species Congregationum: in sequentibus tamen tomis, secundo, 3. & 4. admittit etiam Congregationes Aristocraticas, vt statim referemus.

Eius species perfectissima:

Meritò autem Definitionem illam suam dubitanter expressit, neque enim Congregationis Monarchicæ fuêre in suis primordijs exemptæ ab omni Episcoporum iurisdictione, saltem quoad singula monasteria ipsis incorporata: sed illa exemptionum priuilegia post Congregationum erectionem fuere à Pontificibus concessa; neque desinerent nunc esse veri nominis Congregationes, etiamsi illa exemptionum priuilegia reuocarentur. Sicut non desinût reges esse aut regna, quando subijciuntur maioribus monarchis, vt Bohemiæ Rex veram monarchiæ in suo regno habet potestatem, cæterique principes Imperij in suis ditionibus, quamuis Imperatorem Superiorem agnoscant. Idemque multo magis verû esset in religiosorum Congregationibus, quibus, si non eximerentur, nihil aliud Episcopi possent imperare præter custodiam Regulæ: nam in alijs omnibus quæ ad suæ communitatis bonum pertinerent, suo iure vti fruique possent.

Côgregationes etiã monasticæ non fuere ab initio exêptæ.

Deinde etiam nunc & olim fuêre Congregationes verè monarchicæ, in quibus nullum omnino monasterium haberetur caput reliquarum, vt est nunc Hispanica, fuitque Cassinensis, à quo tempore Cassinense monasterium Congregationi illi sese adiunxit. Similiter in Lotharingia & Gallia Congregationes nuper exortæ. Nam quamuis nomen seu appellationem sortiantur, ab vno seu duobus monasterijs, vt Italica vocatur Cassinensis seu S. Iustinæ de Padua: Lotharingia vocatur Congregatio Sanctorum Vitonis & Hidulphi; (quæ sunt duo precipua cuiusuis illarum Congregationum monasteria) Nullum tamen monasterium habetur tanquam caput aliorum: sed id forsitan in sola Congregatione Cluniacensi, & in Congregatione Hispanica olim, quando cœnobium S. Benedicti caput eius æstimabatur, potest ostendi. Nam certè Cistertiensis domus, quamuis sit matrix ecclesia totius Congregationis, non tamen ius habet in reliqua monasteria, quale habuit Vallis-oletanum olim in Hispania, aut Cluniacense in Gallia, vt constat ex statutis ipsarum Congregationum.

Necnõ necessariò habens vnum monasterium pro capite reliquorum.

Varietas subiectionis in congregationibus.

Tandem hæc ipsa, subiectio monachorum & conuentuum vni alicui generali seu Præsidenti, magnam habere potest & solet diuersitatem seu latitudinem. Quidam enim ita plenè subijciuntur, vt constituant regimen perfectè monarchicum quo nimirum supremus magistratus omnia disponit pro suo arbitrio habito quidem consiliorum, sed eorum consensu aut non omnium, aut non nisi in paucissimis requisito: quale erat regimen Abbatis & ecclesiæ Cluniacensis in omnia sui ordinis seu Congregationis membra, in quibus nihil ferè magni fieri poterat sine expresso Abbatis Cluniacensis consensu. Quidam vero sic subduntur vni capiti seu præsidi, vt eius authoritas fere nihil aliud habeat, quam quod habeat primum ac præcipuum suffragium, & primum locum occupet in capitulo, res tractandas proponat, finemque tractatibus imponat cæteraque huiusmodi: in omnibus autem Ordinis negotijs, nihil magni sine collegis, quasi Ephoris quibusdam potest ordinare. Cuiusmodi est regimen Cassinensis Congregationis, quod proinde valde propinquè accedit ad Aristocratiam.

Aristocraticum enim regimen (si ad regulares contrahatur) sic possemus definire. *Regimẽ grauiorum seu prudentiorum religiosorum, commune bonum monachorum ipsis subditorum, coniunctis consilijs & conatibus procurantium.* Talis est Cõgregatio Benedictinorû Germaniæ dicta Bursfeldensis vnio, de qua vide Trithemium in Historia Sphanheimensi ad 1458. Hanc sepissimè in Chronicis laudat P. Antonius Yepes, vt tomo 2. ad annum 640. cap. 3. & ad annum 643. cap. 2. & tomo 3. ad annum. 744. & tomo 4. ad annum 850. in fine, vbi dicit Congregationẽ hanc fuisse ditissimam, & pro excellenti reformatione, vitæque sanctitate, quę in ipsa vigebat, celeberrimam, principibusque eam ob causam valde charam, vnde & Illustrissimam aliquoties appellat. Eiusdem formæ Aristocraticæ est Cõgregatio Benedictinorum Catalauniæ in Hispanijs, quæ ex monasterijs prouinciarum Tarraconensis & Cæsar Augustanę consistit, de qua agit idem P. Antonius Yepes tomo 3. ad annum 778. cap, 11, vbi asserit, eam esse Congregationi Bursfeldensi toties à se laudatæ, persimilem. Eiusdem etiam regiminis formã assumpsit, Congregatio exemptarum Ordinis nostri Benedictini in tribus Galliæ prouincijs,

Cõgregatio Aristocratica.

Senonensi, Turonensi, & Bituricensi. Cuius Congregationis meminit, Renatus Chepinus l. 2. politiæ, tit. 7. num. 14. & P. noster Antonius Yepes tomo 1. ad annum 562 c. 1. cuius etiam statuta, à regio senatu approbata, impressa habentur in bibliotheca instructissima, Monasterij Vedastini, cuius patrocinio, nihil non debet officij ac pietatis, Congregatio nostra: Et hanc diuisionem regiminis aut reip. etiam in ordine nostro agnoscit Aduersarius: pag. 83. Dicamus ergo Rempublicam religiosam, seu Congregationem vt ab his speciebus Congregationum abstrahitur, ijsque communis concipitur, *esse cætum diuersorum monasteriorum siue conuentuum, Iuris consensu, & vtilitatis communione, ad bene beateque secundum regulam suam viuendum, spiritus sancti ductu, consociatum.*

§. 3. Secundum fundamentum, Ordinem Cluniacensem communiter semper habitum pro distincto ordine à Nigris, seu Benedictinis.

Cluniacensis ordo distinctus ab ordine Benedictinorum.

Sit secundum fundamentum, de modo loquendi prudentum, antiquis temporibus, apud summos Pontifices, & historiarum scriptores, Cluniacensem reformationem, & communitatem habitam fuisse pro ordine distincto ob ordine, quem vulgo vocabant S. Benedicti, seu monachorum nigrorum ordinis S. Benedicti: ita vt cum loquendum fuerit de religiosis *Cluniacensibus*, eodem prorsus modo, eos distinguerent, à monachis nigris S. Benedicti, quo Cistercienses, Syluestrinos, Celestinos, aliosque similes, quos licet regulam profiteantur S. Benedicti, tamen vsque ad hæc nostra tempora, pro distinctis ordinibus religiosorum, omnes passim habuêre. Et quidem appellatio monachorum nigrorum Ordinis S. Benedicti, antiquior est ipsa fundatione prima monasterij Cluniacensis: siquidem Ingulphus sæpè citandus à nobis, vt & ab aduersario, producit literas fundationis monasterij sui Croulandensis, ab Ethelbaldo rege Anno domini. 716. datas, in quibus ita dicitur. *Ad perpetuam securitatis memoriã, hoc chirographo patenti, dono, & concedo omnipotenti Deo, Beatæ Mariæ, & sancto Bartholomeo, de dominicis meis, ad fundationem monasterij nigrorum monachorum, sub norma S. Benedicti deo famulantium, totam Insulam Croylandiæ, ad sedem Abbatiæ separatam, & separabiliter obtinendam, cum quatuor aquis interclusam &c.* Paulo etiam postea agens de rege Offa, ait, *Iste Offa regnauit annis 40. & fundauit monasterium nigrorum monachorũ in Verolamia ciuitate ad honorem dei, & Protomartyris Anglorũ S. Albani &c.* Quando igitur Cluniacenses monachi, sub prȩclara institutione S. Odonis, disciplinam monasticam, quæ in reliquis monastetijs nigrorum monachorum deferbuerat, restituerunt, & alios conuentus sibi in eadem sancta obseruantia vniuerunt: habiti sunt, tanquam Ordo distinctus à reliquis monasterijs eandem disciplinam non vsurpantibus: ita vt quamuis ipsi etiam habitu nigro vterentur, tamen ob reformatiorem vitam, tam à populo quam ab ipsis monachis, distincti ordinis appellationem sortiti sunt.

Appellatio ordinis nigrorũ antiquior Cluniacẽsibus.

Distinctio Cluniacensium à Benedictinis seu nigris, probatur ex ipsis statutis Cluniacẽsibus.

Patet hic modus loquendi ac sentiendi: Primò quidèm ex ipsis priuilegijs Cluniacensi familiæ concessis: & ex statutis, quæ Prælati Cluniacenses ediderunt, & habentur in bibliotheca Cluniacensi, diligentissimè collecta per doctissimos viros D. Martinum Marrier, monachum Cluniacensem, & D. Andream Querietanum, ex ipsis archiuis Ordinis congregata: in quibus quidèm sæpius vocatur Ordo Cluniacensis, & nunquam Congregatio ordinis S. Benedicti. Imo aliquibus in locis, expresse & nominatim contrà distinguitur (vt in scholis loquimur) ab ordine S. Benedicti, seu ab eis religiosis, qui vocantur monachi nigri ordinis, S. Benedicti. Itaque inter statuta D. Henrici Abbatis Cluniacensis pag. 1543. & sequentibus, Posteaquam sępius nominasset ordinem suum Cluniacensem v. g. cum ait pag. 1543. *statutum antiquum innouantes, præcipimus quod in omnibus locis nostri ordinis Cluniacensis, pulsetur omni tempore & opportunè, ad horas Canonicas diurnas & nocturnas.* Item pag. 1545. cum ait, *Quia gloriosorum confessorum Odonis, Maioli, Odilonis, & Hugonis meritis, nos & totus Cluniacensis noster ordo, in spiritualibus & temporalibus, sumus multipliciter exaltati;* Et cum sępe ijsdem paginis dicitur, statui aliquid obseruandum, *per totum ordinem prædictum*, & *per totum ordinem nostrum*, etiam sub precepto obedientiæ: (& certum est extra Cluniacensem familiam, nihil eos aut potuisse aut voluisse præcipere vel ordinare;) Postquam inquam, ita sæpissime in statutis actum dictumque esset, statuitur (pag. 1546) oratio deprecatoria quotidie facienda in capitulis locorum conuentualium Ordinis per ista verba, *pro terra Sancta, pro D. N. beatißimo Papa. N. pro D. D. Cardinalibus eorumque consiliarijs: pro fundatoribus & benefactoribus locorum ordinis: pro Dominis ducibus, consortibus, & liberis eorum, pro principibus, baronibus, & alijs quibuscumque, maximè pro illis sub quorum dominio Cluniacensis Ecclesia, & ordo ipse Cluniacensis totus, bona aliqua tenent & possident. Item pro Dominis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis & alijs*

Cleris quibuscumque. Et immediatè subijcit ; *Item pro religiosis, & venerabilibus patribus, Abba-*
tibus, Prioribus, alijsque administratoribus & monachis ordinis S. Benedicti. Item pro fratribus Præ-
dicatoribus seu Iacobitis, & pro fratribus minoribus, magistris, ministris, & prioribus eorundem. Item
pro alijs omnibus conuentibus, Collegijs, capitulis, & Congregationibus quibuscumque , & deinde,
immediatè redit ad suum ordinem , *pro protectoribus, consiliarijs , & familiaribus Cluniacensis*
Ecclesiæ, & locis membrisque eiusdem vbicumque constitutis. Item pro omnibus, qui beneficia bonaque
aliqua seu eleemosinas quascumque Cluniacensi ecclesiæ & ordini dederit & dabunt. &c. Vbi nemo
non videt, ipsos Cluniacenses, se habere pro ordine distincto ab ordine S. Benedicti , & illũ
ordinem quasi extra corpus suum æstimare, cum *ordinem suum* vocant & intelligunt non aliũ
quam Cluniacensem; ordinem autem S. Benedicti, suum nequaquam vocant. Et cum agunt
de regularibus obseruantijs ; ita incipiunt : *Quoniam more naturalium membrorum , recipientium*
à capite naturalem motum & sensum, loca & membra ordinis Cluniacensis, debeant recipere motum &
directionis regulam, in artibus & operibus debitis, à suo capite mystico : ordinamus & statuimus, quod
per totum ordinem in diuinis officijs & regularibus obseruantijs , mores & consuetudines Ecclesiæ
Cluniacensis seruantium : precipientes in locis Conuentualibus, & in alijs locis Ordinis nostri &. De-
nique, ferè in omnibus statutis ille modus loquendi vsurpatur, vt dicatur Ordo Cluniacẽsis:
Ecclesiæ atque Ordinis bona : nec vnquam vocatur *ordo S. Benedicti aut Congregatio ordinis S.*
Benedicti, (licet enim sæpius S. Benedictum Patrem suum in illis statutis agnoscant Clunia-
censes. V. g. pag. 1471. *Sine acceptione personarum secundum Deum & P. Benedicti regulam, &*
Cluniacensis ordinis instituta, delinquentium corrigantur excessus, At in dictis statutis , atque alijs
ceremonijs, ne semel quidem vocatur Congregatio Cluniacensis.

Ex more loquendi Benedictinorũ Angliæ.

Eodem loquendi, & distinguendi genere vtuntur ipsi monachi nigri, ordinis S. Benedicti,
præsertim nationis nostræ. Nam in Archiuali libro Cathedralis prioratus S. Saluatoris de
Cantuaria, cùm recensentur confraternitates, seu societates initæ, inter monachos illius con-
uentus & monachos aliorum ordinum, vt Hospitalarios Templi, Canonicos Lugdunenses,
& alios nominantur Monachi S. Edmundi, S. Albani , Eushamenses , Vigornienses , Glou-
cestrenses , alijque multi Abbatiarum Angliæ : simpliciter tanquam *ordinis nigrorum* nota ap-
pellatione. At monachi S. Pancratij de Lewes , vocantur cum addito illo distinctiuo , hoc
modo , *pro Domino Episcopo Roffensi , fiat seruitium in Ecclesia, sicuti pro vno nostrorum , & pro*
monachis eiusdem Ecclesiæ, in conuentu vij plenaria officia 30. diebus, Verba mea ; & quisque sacer-
dos 7. Missas. Pro monachis S. Augustini, fiat sicut pro nostris , & ita pro Roffensibus Monachis , S.
Swithini Wintoniæ, Monachis item Westmonasterij & Burgi. Et statim subiungit pro *monachis*
Cluniacensibus, de Lewes 7. plenaria officia &c. Præterea , quoties Malmesburiensis , Walsin-
ghamus, Mattheus Paris, Westmonasteriensis Historiographi Angli, ijdemque monachi ni-
gri, occasionem arripiunt agendi de Cluniacensibus , isto modo loquendi apertè ostendunt,
se distinguere Cluniacenses à monachis ordinis S. Benedicti, tanquam duorum diuersorum
ordinum monachos, vt latius ostendemus ex eorum verbis in probatione tertiæ Conclu-
sionis infra statuendæ. Interim vnius duntaxat historici verba producere sufficiet , quæ sunt
ipsi aduersario satis nota : ipse enim pag. 96. citat Polidorum Virgilium lib. 6 historiæ, de re-
bus Anglorum, versus finem, vbi inueniet lector hæc verba. *Regem Alfredum , duo condidisse*
monachorum Cœnobia , vnum Amisburiæ in pago Salisburiensis diocesis, ordinis Cluniacensis, & al-
terum ordini D. Benedicti. Quid clarius, pro hac recepta phrasi potuit proferri.

Ex iuris Anglicani formulis

Rursus habentur in turre Londinensi inter authentica totius regni instrumenta, quædam,
(quorum copias inferius in appendice transcribemus), quæ apertè faciunt hãc distinctionem
duorum ordinum, Cluniacensis & D. Benedicti. siquidem in titulo *patentium* anno vndeci-
mo EdWardi primi, membro octauo, extant formulæ literarum protectionis , quas rex con-
cessit Prælatis & monachis diuersorum ordinum , specificatis ipsis ordinum mona-
sterijs , quibus fuêre concessæ : quarum literarum titulo sunt, *literæ Protectionis , pro*
monasterijs Præmonstratensibus. pro canonicis ordinis Augustini, pro monachis ordinis , S. Benedicti,
pro monachis de ordine Cluniacensi. Singulisque talibus literis , subijciuntur nomina mona-
steriorum de dictis ordinibus, quæ ipsas protectionis literas acceperunt. Quod valdè notan-
dum est, pro sermonis proprietate , quæ cùm exactissimè seruari debeat in negotijs fori con-
tentiosi apud Anglos (, vt omnes norunt, alias literæ concessæ non valerent ad finem propter
quem petebantur ,) euidens est apud tribunalia Anglicana , Cluniacenses & monachos ni-
gros S. Benedicti, habitos fuisse pro duobus ordinibus, prorsus inter se diuersis atque distin-
ctis.

Ex Capitulis generalibus ordinis in Anglia.

Ad hæc in Capitulo Generali monachorũ nigrorũ, quod per Abbates, & Priores nõ habẽtes
proprios Abbates, celebratũ est iuxta Decretũ Cõcilij Lateranẽsis, An. 1338. fit mẽtio, Prioratꝰ

 S. An-

S. Andreæ infra Northampton, vocaturque *prioratus Cluniacensis ordinis*: quam distinctionem non fecissent Abbates & Prælati in Capitulo conuenientes, nisi Cluniacenses pro distincto quodam ordine habuissent. Nam cum sæpius in eodem Capitulo, quoties occurrit occasio loquendi de alijs Angliæ monasterijs, capitulo suo subiectis, semper vtantur alia phrasi Patres Capituli, vocantes ea *Ordinis nostri* & *Religionis nostræ* cœnobia: eodem prorsus modo, quo iam docuimus Cluniacenses de suis monasterijs loqui, cum ea volunt à cœnobijs aliorum Monachorum distinguere. Et in alijs similiter Capitulis Generalibus (quorum postea latius memoria erit facienda) quę celebrata sunt in ipsis prioratibus Cluniacensibus Bermondseię, & Northãptonæ, quando recensentur omnes & singuli Prælati presentes & absentes ad Capitula ista obligati, nec ante Benedictinam nec post eius publicationem, vnquam recensentur ipsi Priores Bermondseiæ, aut S. Andreæ: cuius rei nulla alia ratio reddi potest, quam quod alterius Ordinis, nempe Cluniacensis, membra existerent, & reputarentur. Neque enim præsumi potest, quod domi non fuerint, cum in ipsorum Ecclesijs, tam insignes synodi haberentur; nec poterant ita esse absentes, quin facilè illis foret, aliquem sui Prioratus grauem Monachum Procuratorio nomine substituere; nec eos comparêre nolentes omisissent Patres synodi, sed contumaces declarassent, quod in alijs Prælatis comparere nolentibus, fecerant. Presertim cum in alijs capitulis, quæ in monasterijs nigrorum monachorum S. Benedicti habita fuerunt, etiam ipsorum monasteriorum Prȩlati inter alios Prȩlatos in capitulo comparentes nominatim recenseantur.

Cur Capitula generalia nigrorum celebratam donubus Cluniacensiũ.

Quod si quæras, quare in prioratibus Cluniacensium, aliqua celebrata fuerint nigrorum monachorum Capitula Generalia, si ordines isti fuerint distincti? Respondemus rationem ab ipsis Patribus in synodo Congregatis clarissimè reddi, quod quidem ad prioratum S. Andreæ attinet, assignant enim in Capitulo habito ad annum 1340. hanc causam, *quia est in regni medio*, vt ita scilicet æquali facilitate, ex omnibus Angliæ partibus, ad eam Ecclesiam possent conuenire. Et pro prioratu Bermondseiæ Londini, potest etiam hæc causa reddi, quod cum expediret in vrbe regia, prope curiam, synodum seu capitulum haberi, vt difficultates inde pullulantes, Regi aut Cancellario si opus esset, sine moræ periculo insinuarent; Non autẽ expediret in Westmonasterio haberi, quod ipsi curiæ coniunctum, magna procerum ad palatium regale confluentium multitudine fere semper occupabatur; vt cum maiore tranquillitate, & secreto, atque etiam religiosiore disciplina, Prælati res ordinis tractarent, commodior locus visus est. Bermondseiæ Prioratus, in suburbij Transthamesani extremo collocatus, situ amænissimo, & vsque nunc à frequentiore populi concursu, aut habitatorum multitudine remotus.

Ex modo loquendi Pontificum sũmorũ.

Quin & post reformationem ordinis S. Benedicti, ab Innocentio. 3. eiusque successore Honorio tertio institutam; Gregorius nonus, eiusdem ordinis nigrorum monachorum S. Benedicti disciplinam cupiens resarcire, dictas Innocentij & Honorij constitutiones, eum in finem vrget ab illis obseruandas: non ita verò agit cum Cluniacensibus, quorum etiam collabescentem disciplinam voluit erigere, quia nimirum alium à priore illo distinctum ordinẽ, videbantur constituere: Ideoque specialem edidit bullam, anno pontificatus sui sexto (qui fuit Christi annus 1233.) pro ipsius Cluniacensis ordinis reformatione. Nec ita multò post ipsum, Nicholaus Quartus, Anno Christi 1260. speciali etiam bulla, eosdem Cluniacenses separatim ad reformationem inuitauit, & duo pontifices semper eos appellant ordinis Cluniacensis monachos, nunquam vero Congregationis Cluniacensis, aut ordinis S. Benedicti, nec eos ad instar monachorum ordinis S. Benedicti, aut iuxta constitutiones Innocentij vel Honorij, sed ad instar Cisterciensium, regulari volunt, & cum eis sepè comparantur; qui Cistercienses, cum (nostro iudicio & plerorumque regulæ nostræ,) reipsa ordinem distinctũ à Benedictinis alijs non faciant, sed tantum vt nunc loquimur, Congregationem diuersam; tamen vulgi sermone, & recepta etiam iuris & Pontificum, & doctorum, & ipsorum etiam Cistercensium vsu, ordo distinctus tam à nigris monachis, quam etiam à Cluniacensibus, alijsque communitatibus regulam S. Benedicti profitentibus, & olim & nostro etiam sȩculo habentur.

Quãdo Congregationis nomẽ cœpit vsurpari.

At postquam etiam aliarum regularum professores zelo ducti reformationis disciplinæ, retento ordinis sui titulo, in varias se Congregationes, pro obseruantiæ redintegratæ varietate redegerunt; vt sunt variæ Canonicorum Regularium Congregationes, & Franciscanorum & Carmelitarum, atque etiam Cistercensium ipsorum seu Bernardinorum (vt alicubi vocantur): ceperuntque etiam monachi nigri in Italia & Hispania, Congregationes distinctas facere, tum quia non fuit, inter istas Congregationes tanta distinctio, vt distinctum ordinem facerent, mutatus est modus loquendi, & ipsi Cluniacenses ceperunt à multis vocari, Con-

ri, Congregatio quædam distincta ordinis S. Benedicti, sicut Cassinenses, Hispanienses, & alij. Sic Cælestini regulæ nostræ monachi, qui ab omnibus antiquis ordinis diuersi ab alijs Benedictinis appellatione ornantur, nunc ipsi se, Congregationem Cælestinorum ordinis S. Benedicti in breuiarijs nouis appellant. Sed vt diximus, hic modus loquendi recensior est, & apud antiquos prorsus inusitatus, & probari potest ex eo quod Benedictus duodecimus in publicationis instrumento, quo Bullam quæ Benedictina vocatur, promulgari mandauit in Senonensi & Rhemensi Prouincijs, circa finem agens de duobus collectoribus pecuniarum, quas eisdem Prouincijs indixit, eodem etiam modo antiquo loquatur. *Dilectos* (inquit) *filios Bernardum de Genebreda de Longa-villa, ac Iohannem de Flicto S. Pauli de Cadiconis Cluniacensis, & S. Benedicti ordinum &c.* vbi vides hunc ipsum Pontificem, qui Benedictinam suam specialiter & expressè pro reformatione, Monachorum nigrorum ordinis S. Benedicti condidit, apertè distinguere, eorum ordinem ab ordine Cluniacensi. Vt omittamus (quod inferius est à nobis probandum) Cluniacenses, qui Congregationem seu ordinem distinctum constituebant, nunquam conuenisse ad Capitula Generalia nigrorum virtute constitutionis Innocentianæ aut Benedictinæ: quæ tamen nominatim hoc iniungunt monachis nigris ordinis S. Benedicti, quarumcunque Prouinciarum; quod certè ideò non fuisse sibi iniunctum agnouerunt Cluniacenses, quia se pro distincto ordine reputari sciebant; ideoque non venire se, sub appellatione Monachorum, S. Benedicti, sicut nec Syluestrini, aut Cælestini, aut Camaldulenses appellari solent Benedictini, quamuis regulam S. Benedicti profiteantur.

Quin etiam nonnulli viri doctissimi huius ætatis, illum modum loquendi adhuc retinet. Sic Iohannes Azorius lib. 12. instit. moral. cap. 21. cum varios ordines, sub regula S. Benedicti militantes enumerat, agens de Cistercienfibus, ait *Ex hoc ordine, Tres Romani pontifices prodierunt. Eugenius tertius, Benedictus 12. & Clemens 6. sicut ex ordine Cluniacensi tres alij Pontifices Romani extitisse perhibentur, Gregorius 7. Vrbanus 2. Calistus 2. & quia vterque ordo Cluniacensis & Cisterciensis S. Benedicti regulam seruat, ideo ij Romani Pontifices, qui ex vtroque ordine assumpti & electi sunt, dicuntur etiam ex ordine S. Benedicti, electi.* Quibus in verbis vides induci tres distinctos ordines regulæ nostræ, viz. Cisterciensem, Cluniacensem, & S. Benedicti, non enim ignorauit Azorius author diligentissimus, plures quam sex imò quam viginti sex Pontifices ex ordine S. Benedicti fuisse desumptos: quare sumpsit istos duos ordines vt distinctos ab ordine S. Benedicti, prout reliquos nigros monachos potuit comprehendere. — Ex modo loquendi Doctorũ hominum.

De industria vltimum locum reseruauimus duobus testibus omni exceptione maioribus & recentissimis: quorum, Primus est Gregorius 15. Pontifex Max. qui in Bulla concessa Ill. Cardinali de Rochefaucault pro reformatione religiosorum Galliæ data 8. April. 1622. hæc habet verba. *Cupientes itaque ad animarum salutem & Christi fidelium ædificationem, monasteria domus, & alia loca regularia S. Benedicti, S. Augustini, Cisterciensis, & Cluniacensis ordinum, in regno Franciæ existentia. authoritate nostra visitari: ac de tua singulari fide &c.* vbi apertissimè distinguit ordinem S. Benedicti à Cluniacensi, eo modo quo ordinem S. Augustini, quem interjicit, inter nomenclaturā S. Benedicti & Cluniacensis Eodemque loquendi modo vtitur, alter testis etiam in suo statu maximus Ludouicus 13. Francorum rex Christianissimus, in diplomate eidem Ill. Cardinali pro eadem causa reformationis concesso 5. Iulij. 1622. *auec faculté, & authorité. plene, libre, & absolue, pour appellant auec luy tels prælats & religieux, des ordres de S. Benoist, S. Augustin, Cisteaux & Clugny, en cestuy nostre royaulme &c.* Cui hæc non erunt clara & euidentia, sol ipse in meridie non lucescet. — Ex vsu recentiori.

§. 4. *Tertium Fundamentum: Reformatio distincta est ab incorporatione; & vtraque sine alterutra potest inueniri.*

Tertium fundamentum esto, longè aliud esse, monasteria quæpiam iuxta leges aut disciplinam alicuius Congregationis reformari, ab eo quod est incorporari, ea monasteria, aut subijci eidem Congregationi. Primum enim nihil aliud est, quam formam disciplinę in moribus, & administratione monasterij, rerumque agendarum dispositione, vel ab alicuius Congregationis institutione, accipere; vel per inspectionem & notitiam eius disciplinam habitam æmulari. At verò secundum, præterea trahit magnam dependentiam & subiectionem, seu obedientiam debitam, & exhibitam superioribus pręcipuis illius Congregationis, cui dicitur incorporari aut subijci: potestque hæc subiectio, & incorporatio alicui Congregationi — Aliud reformatio, aliud subiectio Cōgregationis.

gationi facta, ab eiusdem disciplina & modo regulari viuendi separari & omninò diuelli. Exemplis, res hæc erit euidentissima. Monasteria enim reformata, secundum normam & formam Cluniacensium, eo ipso tenebantur duntaxat ad obseruationem disciplinę regularis, in vita, victu, choro, agendis obedientialibus, & cæremonijs & obseruantia aliquarum constitutionum, quæ nempe peculiari alicui monasterio independenti poterant accommodari: & non includebant obedientiam Abbati Cluniacensi, aut capitulo ipsius præstandam.

At monasteria incorporata eidem Congregationi Cluniacensi, erant in omnibus ita subdita Abbati Cluniacensi, vt nihil ferè alicuius momenti, in spiritualibus aut temporalibus disponere potuerunt, sine Abbatis Cluniacensis, aut deputatorum ipsius ordinis licentia & permissione; non Priores aut Abbates eligere aut destituere; non monachos ad habitum admittere; non eos de monasterio ad monasterium mutare; singulis quin etiam annis, aut saltem biennijs omnes Prælati sic incorporati, (etiam qui in remotioribus degebant prouincijs,) tenebantur, aut ipsi ire, aut si legitimè impedirentur, Monachum sufficientem, (qui iuramento assereret tale impedimentum legitimum esse) ad Capitulum, Cluniacensi in Abbatia celebrandum, mittere; & visitationem etiam eorum, quos Capitulum Cluniacense deputabat, per singulas prouincias, ac si ipsius esset Abbatis Cluniacensis, admittere. Multaque alia erant similia, ad quæ melius obseruanda, ipsi monachi in professionis suæ formula, cuiuscumque tandem forent cœnobij, non suis Abbatibus, aut Prioribus seu Superioribus immediatis, sed ipsi tantum Abbati Cluniacensi promittebant obedientiam. Et ne etiam in hac cautela, negligentia aliqua aut fraus obreperet, ipsos nouitios suos siue tyrones intra triennium à vestitura, Cluniacum destinare astringebantur, vt ibi ab Abbate Cluniacensi benedicerentur, & eidem iteratò obedientiam personaliter præstarent. Nec erat vllus capax beneficiorum, dignitatum, aut prelaturæ cuiuscumque in ordine Cluniacensi, qui non semel saltem hoc modo Cluniacum visitasset. Vnde in cæremoniali S. Petri Venerabilis, habetur speciale caput, de receptione similium nouitiorum aut tyronum Cluniacum aduentantium. Quam omnem subiectionem monasteriorum, Cluniacensi ordini incorporatorum, videre poterit lector in varijs locis Bibliothecæ Cluniacensis, pag. 1460, 1364, 1365, 1467, 1480. 1608. & alias sæpissimè. Imò tanta fuit hæc incorporatorum subiectio, vt authores satis modesti & circumspecti dicere non vereantur regimen Ordinis seu Congregationis illius Despoticum potius seu Dominatiuum, quam Politicum, Ciuile, aut Paternum fuisse. Vnde extitit Abbatia ipsa ditissima, quia omnes filiationes seu Conuentus Cluniaco subditi, soluebant per singulos annos certam summam seu pensionem: & in casu alicuius necessitatis, aut indigentiæ vrgentis, vlterius etiam subsidia quædam maiora, ad Abbatis arbitrium dabant. Quæ omnia Camerarij prouinciarum in Capitulo Generali electi per prouincias Galliæ, Angliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Italiæ colligebant, & Cluniaco quotannis inferebant. De quo videatur Pater noster Antonius Yepes tom. 4. ad annum Christi 910. cap. 30.

Probatur lōgè aliud fuisse, reformationem Cluniacensem, ab incorporatione.

Qui Venerabilis pater ad annum eundem Cap. 3. protestatur suis se oculis vidisse varia instrumenta, in Archiuis Monasteriorum Congregationis Hispanicæ, in quibus expressè facta fuerit distinctio inter monasteria Congregationi Cluniacensi subiecta, & monasteria à Cluniacensibus reformata; quod ipsum multo fortius (quia domesticū testimoniū, nō nostrū vt Patris Yepes, sed ipsorum Cluniacensium), patet ex bibliotheca Cluniacensi Columna 295 Per totam, de reformatione maioris monasterij S. Martini in suburbio Turonensis, & Columna. 298 De reformatione, S. Mauri Fossatensis. Et pag. 1395. in reformatione monasterij. SS. Facundi, & Primitiui in Hispania. Et non est improbabile, imò certum habemus, monachos Cluniacenses, quando fiebant Abbates monasteriorum, Cluniaco non subditorum (vt potuisse & consueuisse patet ex columna 1498. & seq.) disciplinam tamen & regularem obseruantiam, quam in ordine illo didicissent, introduxisse, nam absque dubio, illa fuit causa, cur à principibus fuerint præfecti, aut à monachis ipsis postulati ad tales Abbatias regendas; & ita factum fuisse in Anglia, in Abbatia Radingensi, & Ramseiana inferius clarè demonstrabimus.

Haud absimili exemplo, multa monasteria Germanię extitère, quæ licet Bursfeldensi Cōgregationi incorporari, aut subijci noluerint, ab eadem tamen, reformationem & obseruantiam regularem acceperunt, prout narrat Trithemius in historia Spanhemiensi ad annum Domini 1421. 1429. 1469. 1470. Præterea Superiore sæculo, Congregatio Casalis Benedicti in Gallia reformationem suam per omnia, à Patribus Cassinensibus accepit; & Congregatio Lusitanica à Patribus nostris Valli-solitanis: nec tamē hæc Lusitanica voluit vnquam propterea subdi vel incorporari Valli-solitanæ; nec illa Congregatio Casalis Benedicti in Gallia,

fuit

fuit vnquam subdita, aut incorporata Cassinensi. Et hoc etiam nostro sæculo, quo videtur ordo S. Benedicti sese erigere, & de cinere, & squallore lōginquo excutere, Cōgregatio obseruantissima Lotharingorum, à Cassinensibus ad eum finem postulatis, accepit obseruantiam primitiuam regulæ, quam hodie deuotissimè, exercet: nec tamen propterea vllam agnoscunt dependentiam subiectionis siue incorporationis, à prædicta Congregatione Cassinensi. Et recentior Congregatio Gallicana S. Mauri, eiusdem prorsus cum Lotharingis obseruantiæ, & in obseruantia exercenda, puritatis licet disciplinam à Lotharingis acceperit, & aliquamdiu, eandem cum illis Congregationem fecerit: non tamen sic potuēre perseuerare, sed Congregationem ab illa faciunt in regimine independentem, in obseruantia verò omnino conformem.

Quod autem diximus, subiectionem, atque incorporationem monasteriorum alicui Congregationi posse fieri, etiamsi valde diuersa sit Disciplina seu obseruantia regularis: patet experientia recentissima Recollectorum Fratrum S. Francisci, qui subijciuntur Generalissimo, vt vocant, Minoritarum de obseruantia, & Carmelitarum Excalceatorum, qui diu faciebant distinctam Congregationem, à Carmelitis Calceatis, & tamen fuerunt Generali istorum subiecti: donec post aliquot annos subiectionis, Pontifex summus ipsos exemisset, vt postea referemus. Et Augustiniani Recollecti in Hispania, monasteria superioresque immediatos diuersos habent à cœnobijs Calceatorum, subijciuntur tamen Priori Generali. Simileque est, de Domicanis Recollectis. Et non ignorat Aduersarius in sua Congregatione Hispanica, fuisse quinque vel sex monasteria Recollectorum, qui habitu, & cæremonijs, & austeritate disciplinæ æquè differebant à cæteris monachis Congregationis, atque nunc differunt Recollecti Franciscani & Calceati: & tamen eidem Generali, & eidem Capitulo Congregationis erant subiecti:

Monasteria Posse incorporari etiamsi sint diuersæ reformationis.

§ 5. *Quartum fundamentum: Non omnia monasteria fuēre Cluniacensia, aut reformatione, aut subiectione; quæ vocantur Cluniacensia apud autores.*

Sit quartum fundamentum sententiæ nostræ, ex doctissimo Patre nostro Yepes desumptum, qui tomo. 4. ad annum Christi, 910 cap. 10. postquam multa fusissime & grauissimè dixisset, de sanctitate, deuotione, feruore, & excellentissima obseruantia Congregationis „Cluniacensis, hæc subiungit verba. Prolixior & diligentior fui, in hoc argumēto tractando, „quā in alijs esse consueui, quia aliqui authores, ponentes in cælum os suum, suspiciones se„minarūt, quasi in isto preclaro Cluniacensi monasterio degenerassent monachi à strictiore „obseruantia regulæ, per crebras indulgentias & dispensationes: Volui saltem Hispaniam „meam hoc errore liberare, & si hæ nostræ schedulæ, ad exteras nationes aliquando sint „leruenturę, gaudebo etiam illas per me, intelligere: quanta iniuria Authores illi, monaste„rium istud, ordinemque illustrissimum immeritò affecerint. Animaduertat autem lector „& diligenter expendat, ipsam monasterij huius excellentiam, celeberrimamque sanctitatis „eius opinionem, ac famam creauisse illi hanc infamiam, quam iam dixi. Plerique enim „omnes monachi Benedictini, qui nigri habitus schemate vtebantur, gaudebant & ha„beri & vocari Cluniacenses: tametsi nec reformatione essent illis similes, nec Vnione „eisdem coniuncti. Quod tametsi hisce oculis ipse viderim, & manibus meis (vt aiunt) „palpauerim, notauerimque ex decem videlicet partibus monasteriorum ordinis Benedi„ctini in Hispania, vix vnam fuisse de Congregatione Cluniacensi: vix tamen possum mo„nachis nostris persuadere, quin omnia totius Hispaniæ monasteria fuerint Cluniacensia. „Ex illo igitur errore (reuera enim error est maximus,) factum est vt negligentior disci„plina, & enormis etiam excessus multarum Abbatiarum, quæ erant inter se, & ab alijs „omnibus independentes, quia Nigrorum monachorum erant, & Cluniacenses vocari „honorificum putabant, Cluniacensibus veris imputarentur, atque ita istorum irregularis „vita cœnobiorum, in Cluniacensis obseruantiæ infamiam, immeritò redundabat, opi„nionemque illam, quam dixi, nonnullis authoribus ingenerabat. Hæc ille grauissimus pater noster. Ex quibus verbis facile est cuiuis, etiam vlterius rectissimè colligere, multos authores, doctos & graues, sed rerum tamen Monasticarum non ita peritos, (plus enim nouit cæcus in domo sua, quam oculatus in aliena) multa monasteria nigri habitus, vocauisse Cluniacensia, honoris causa ob disciplinæ vigorem: alios item fortasse, æmulatione vel liuore ductos, monasteria in disciplinæ feruore non ita laudata, vocasse Cluniacensia, quę tamen non fuerint talia, duntaxat vt aliquid sinistri nominis, Cluniacensibus aspergerent.

Non omnes Cluniacenses fuēre qui sic vocabantur.

§. 6. Longe

§. 6. Longe aliud est coniungi aut vniri confraternitatibus ab eo quod est vniri congregatione.

Non est idem confraternitate cõiungi, quod Cõgregatione vniri. Confraternitas Casinẽsium & Floriacẽsiũ.

VLtimum iam fundamentum quinto loco iaciemus, Receptissimum fuisse morem religiosorum, vt celebriora aut viciniora monasteria societates quasdam aut confraternitates inirent, quas alij Comprofessiones vocant, propter nonnullam communicationem temporalium & spiritualium benificiorum, quæ per huiusmodi confraternitates fiebat. Cuius rei, quamuis infinita possunt exempla produci: contentus tamen ero paucis, quæ sunt & antiquiora & illustriora. Refert Iohannes Bosco, in Bibliotheca Floriacensi, literas confraternitatis huiusmodi, ab Abbate & conuentu Montis Cassini ad conuentum Floriacensem „datas, in quibus ita dicitur. Igitur nos sinceram amicitiam, societatemque promittimus, „vtque vos etiam amici nostri, socijque existatis, deuotissimè & humiliter flagitantes. Ita „vt si ab aliquo fratrum nostrorum, ad vestrum, aut vestrorum aliquando ad nostrum mo„nasterium, venirũ iri euenerit, confidenter quasi ad propriè suum, aduenerit: omnemque „charitatem illic & solatium necessitatis inueniat, atque honorificè quamdiu ibidẽ voluerit „commorari, habeatur licentia. Siquidem & nomina omnium nostrorum ad presens vobis „scripta per Walterum vestræ sanctæ Congregationis venerabilem fratrem direximus. At„que vestra nobis inuicé dirigenda nomina desiderabiliter expectamus, vt nostra inter ve„stra, & vestra inter nostra nomina conscribantur: quatenus & vt viuentes, & defuncti, al„terius interuentionibus, meritis, & orationibus, protegantur. Scriptæ autem sunt hæ literæ ab Oderisio Abbate Cassinensi 49. qui cæpit Abbas esse, anno 1087.

Item Casinẽsium & Casalis Benedicti.

Similiter Congregatio Cassinensis, alias S. Iustinæ de Padua, ad annum Domini 1559. concessit paris societatis literas, monachis S. Benedicti in Gallia, quibus in literis inter alia hæc „scribunt. Ex quo fit, vt si quando quempiam vestrum, ad aliquod nostrorum monasteriorũ „accedere contigerit, tanquam filium nostrum charissimum nos recepturos sciatis: cum ve„stram totam Congregationem, tanquam filiam aut sororem charissimam pio amore com„plectamur. Et paulo inferius: nostra quoque monasteria omnia, vbicumque locorum fue„rint vestris semper commodis reserata & paratissima esse volumus: præcipientes omnibus „Prelatis & monachis nostris presentibus & futuris, vt vnumquéque vestrum, si quando ad „ipsorum monasterium peruenire contigerit, ea semper humanitate recipiant, qua & par „est inter sese à veris monachis recipi, & qua vos ipsos non semel, plerosque è nostratibus „in Gallia accepisse cognouimus. Quam eandem societatem, euolutis inde quadraginta annis (hoc est anno 1599.) Congregationis Cassinensis eidem Congregationi amplissimis literis renouauit.

Similis societas pacta est inter conuentum ecclesiæ Christi Saluatoris de Cantuaria, cuius Abbas erat ipse Archiepiscopus, & conuentum S. Bertini, de S. Audomaro, vt ex veteri manuscripto prędicti monasterij Cantuariensis constat: in quo enumeratis multis societatibus, quas habebat ille conuentus cum alijs regularibus aliorum ordinum: atque etiam cum equitibus Templi, & Canonicis sæcularibus ecclesiarum Cathedralium, hęc habentur. Hæc est „societas, inter nos & Ecclesiam S. Bertini; percussa tabula, pronuntiatoque obitu defun„ctorum, fiet officium in conuentu & Missa. Preterea Tricenarius missarum fiet cum præ„benda, & nomina eorum in Martyrologio & Breuiarijs scribentur. Etsi aliquando eis pla„cuerit, moram nobiscum facere, de licentia Abbatis sui, sicut vni ex nobis fiet eis, & simi„liter nobis cum eis commorantibus.

Quin etiam hoc beneficium fraternitatis regibus & principibus, erat in pretio sicut P. N. Antonius Yepes Tomo 3. ad annum Christi 756. cap. 30. narrat, Alphonsum Hispaniæ regem, propter similem, confraternitatem cum Cluniacensibus, voluisse vocari Obedientiarium Cluniacensem. Et in Bibliotheca Cluniacensi, in vita S. Hugonis, columna 453 cum „Guilelmus primus Anglorum rex, suscepisset donum Societatis Cluniacensium a S. Hu„gone, & ad tantæ benedictionis munus pileo regali deposito, caput cum summa humilitate „profundè inclinasset,) Satrapis suis illud factum stupentibus dicitur hanc suæ reuerentiæ „causam dedisse: Nolite mirari, quod me tam deuotè inclinauerim, tanquam humillimè, quia „causa tantæ benedictionis, & inuestituræ, specialiter exegit vt facerem, quod faciendum „iudicaui. Non enim tantum munus vnquam suscepi nec ipso die, tam grande aliquid me „acquisiuisse putetis, quo huius regni coronam obtinui; quia cunctis quæ habeo, terminus „erit relinquendis, sicut initium fuit capiendis cælestis autem glorię (cuius arrham quo-

dammodo

„ dammodo suscepi, quando Sancto Collegio me Cluniacensi miscui, finis esse non poterit. Walsinghamus etiam in minore historia, pagina 496. Frācofurti editus) refert, Reginam Margaritam vxorem Edwardi tertij regis Angliæ ingressam in capitulum monasterij nostri S. Albani, *benificium sororitatis* cum magna deuotione accepisse. Et in maiore historia ad annum 1313. eundem Edwardum anno 70. regni sui, ait monachos S. Albani propter similem rationem fratres suos vocasse; quod & longè ante ipsum Offa rex, & fundator monasterij illius in confirmatione priuilegiorum Croylandensis, apud Ingulphum fecisse legitur. His iam fundamentis iactis & confirmatis, superstruemus illis sententiam nostram, opinationi Aduersarij contrariam: eamque certis propositionibus explicatam argumentis talibus confirmabimus, quæ in materia morali, & ciuilibus ingenijs, abundè satisfacere posse non dubitamus.

Margarita Angliæ Regina.

Eduardus eius maritus.

Offa Rex.

SECTIO TERTIA:

Prima Pars nostræ sententiæ, Fuisse olim veram proprieque Dictam Congregationem Benedictinorum In Anglia.

Synopsis totius Sectionis.

Prima propositio: fuisse olim in Anglia legitimam Congregationem plurium monasteriorum ordinis nigrorum S. Benedicti. ¶. 2. Altera propositio: Eam fuisse vere propriæque dictam Congregationem, eiusque propositionis prima demonstratio ex authoritate Concilij Tridentini. *¶. 3. Demonstratio secunda, ex ipso lumine rationis desumpta. ¶. 4. Demonstratio tertia in vsu vocabulorum apud prudentes, & legum conditores fundata.*

§. 1. Fuisse olim in Anglia legitimam Congregationem plurium monasteriorum ordinis nigrorum S. *Benedicti.*



RIMA propositio: *fuit Antiquitùs in Anglia respublica quædā monastica, seu regularis monachorum nigrorum ordinis* S. *Benedicti: in qua vltra gubernationem Oeconomicam singulorum monasteriorum in particulari: pleraque cœnobia communiter, politicè regebantur.*

Fuit olī Cōgregatio Benedictinorū in Anglia.

Hanc ex primo fundamento facilimè, simul & clarissimè demonstramus, Nam Respublica Monastica, seu regularis nihil aliud est, (vt in eò fundamēto probatum relinquimus, quam diuersorum monasteriorum, siue conuentuum religiosorum cœtus, iuris consensu & vtilitatis communione, ad benè beateque secundum regulam approbatam, viuendum spiritus Sancti ductu, consociatus. Atqui fuit antiquitùs in Anglia talis cœtus conuentuum religiosorum, nigrorum monachorum Ordinis S Benedicti. Ergo fuit in Anglia antiquitus, talis respublica eorum, qualem in propositione probandum assumpsimus. Minorem huius discursus, quoad omnes eius particulas, nullo negotio ostendimus. Fuerunt enim antiquitus habita in Anglia constanter per valde multos annos, varia Capitula Generalia monachorum nigrorum ordinis S. Benedicti: ecce tibi cœtum diuersorum monasteriorum, seu conuenutum religiosorum ordinis præfati; Et hæc Capitula authoritate Concilij Lateranensis, iuxta Caput, *In singulis.* (Quod est Innocentij Pontificis in eodem cœnobio) fuêre Congregata: ecce Iuris consensum; In his porrò capitulis, permulta fuêre tractata & ordinata, pro reformatione ordinis, quæ egregiè conducebant, ad salutem & profectum spiritualem monachorum, ijs Capitulis subditorum: ecce vtilitatis communionem, atque etiam vna spiritus Sancti ductum; quandoquidem omne datum optimum, & omne domum perfectum desursum discendit à patre luminum. Quis igitur hinc non videt, euidenter inferri, talem religiosorum conuentuum cætum, in Anglia antiquitus extitisse, vt in minore discursus nostri ponebamus?

Patet ex Capitulis Generalibus.

Sed probemus antecedens huius prosyllogismi, per singulas eius partes distinctè discurrendo. Prima erit de Celebratione Capitulorum Generalium constanti per plurimos annos

ſibi inuicem ſuccedentes, & ſtatis, iuxta Concilij Lateranenſis diſpoſitionem, temporibus. Anno Domini noſtri 1219 celebratum fuit Capitulum Generale monachorum nigrorum ordinis S. Benedicti, apud S. Albanum: præſidentibus in eodem, Abbatibus de Euisham & & de S. Auguſtino. Cuius Capituli mentio habetur in Rainulphi Ceſtrenſis monachi Polichronico lib. 7. cap. 34. In huius vero Capituli decretis, memoria eſt expreſſa alterius Capituli, celebrati Oxoniæ, anno 1216. Præterea anno 1222. habitum eſt tertium Capitulum Bermondſeiæ, Pręſidētib' in eo Abbatib' Gloceſtrēſi & S. Albani. Rurſus anno 1225 celebratū eſt Capitulum à promulgatione Concilij Lateranenſis, ordine Quartum, in monaſterio S. Andreæ de Northamptona, Pręſidentibus, Abbatibus de Eueſham, & de Abingdon. Iterum anno, 1228, habitum eſt capitulum in monaſterio de Radinga, cui præſidebant, Abbates de Weſt-monaſterio, & de Burgo. Et hæc quinque capitula probari poſſunt, ex conſtitutionibus Capituli Generalis habiti apud Northampton, anno 1225. Quarum conſtitutionum Authenticam copiam, ex originali libro deſcriptam habemus. Earum conſtitutionum hoc
„ eſt exordium. De Eueſham & de Abingdon, Dei gratia Abbates, vniuerſis Prælatis & ſub-
„ ditis, communis Capituli Monachorum in Prouincia Cantuarienſi conſtitutis, Salutem.
„ Anno incarnationis Domini 1225. in die S. Matthæi Apoſtoli, in monaſterio, S. Andreæ
„ poſtoli apud Northampton, celebratum fuit Capitulum, præſidentibus nobis in eodem
„ Capitulo, de Abbatibus & prioribus ibidem præſentibus, communi conſenſu ad hoc præ-
„ poſitis. Quia ſtatuta Capituli, iam pridem apud S. Albanum celebrati, propter deceſſum
„ bonæ memoriæ, Abbatis S. Auguſtini Cantuarienſis, qui eidem Capitulo cum me Abba-
„ te de Eueshā præſidebat, debitum non fuerunt ſortita effectum: à nobis & à præſcriptis pa-
„ tribus, in hoc Capitulo apud Northampton Congregatis fuit prouiſum, vt ſtatuta prædicti
„ Capituli S. Albani, pleniſſimè tradantur executioni, quibuſdam tamen additis, quibuſ-
„ dam declaratis, nullo vero ſubſtracto. Fuit forma Capituli eiuſdem talis. De Euisham, & de
„ S. Auguſtino Dei gratia Abbates, vniuerſis collegis nigri ordinis, per Cantuarienſem Pro-
„ uinciam conſtitutis, pacem, proſperitatem, ſalutem perpetuam. Ad hoc, ex ſuſcepti regimi-
„ nis officio, obligatos nos eſſe reputamus, vt ſuperiorum mandata deuotè ſuſcipere, & ſuſ-
„ cepta humiliter adimplere, quatenus nobis datum eſt deſuper, affectuoſiſſimè, teneamur.
„ Cum igitur, vt ferè omnibus innotuit, apud Oxoniam conueniſſent, venerabiles Patres or-
„ dinis noſtri, ad prouidentiam & reformationem eorum, quæ ad ſalutem omnium noſtrorū
„ obſeruanda fuerint: Ex magna deliberatione actum eſt, vt iterato apud S. Albanum, reue-
„ rendi Patres præſcripti conuenirent, in proxima ſequenti exaltatione S. Crucis: ſtatuta
„ quæ ibidem eſſent facta, ſub hac forma obſeruaturi: Vt ſi quid offenſionis vel perturba-
„ tionis ex præmiſſis, apud aliquos emerſiſſet, communicato conſilio mutaretur in melius: ſi
„ quid minus actum, in bonum, augmentationem reciperet: ſi quid ſuperfluum, reſeca-
„ retur. Ea propter, præfato termino, apud S. Albanum, in Generali Capitulo, ad honorem
„ Dei, & Sanctę Romanæ Eccleſiæ, iuxta ſtatuta concilij Lateranenſis ſecundi, anno D.
„ Honorij papæ quarto, nobis præſidentibus, inuocata Spiritus Sancti gratia, diligenti &
„ diutino tractatu habito ad pacis & vnitatis obſeruantiam firmiſſimè roborandam: ſtatuta
„ proximi Capituli noſtri, quæ quibuſdam infirmioribus videbantur oneroſa, & importa-
„ bilia, communi & conſona voluntate Abbatum & Priorū nobis aſſidentium, cum mode-
„ ratione declarata ſunt. Deinde ſequuntur ipſa ſtatuta ſub ijs titulis. De Abbatibus, De non
„ alienandis; De familia; De ſtipendijs; De Vecturis, De proprietate; De Silentio: De hoſ-
„ pitalitate: De veſtimētis: De nauigationibus: De cibis: De rationibus reddendis: De excom-
„ municatione: Qui ſunt conſpiratores: Qui ſunt proprietarij: De depoſito alicuius reci-
„ piendo, De Conuerſione fugitiuorum: Quod ſtatuta Concilij Lateranenſis ſecundi, obſer-
„ uentur. De inobedientibus. Et poſtea ſubijcitur hæc ordinatio. Quoniam vero Capitulum
„ medio tempore inter Capitulum de S. Albano, & Capitulum de Northamptona Ber-
„ mondſeiam conuocatum, propter abſentiam piæ recordationis Abbatis Glouceſtriæ qui
„ eidem Capitulo, cum Abbate de S. Albano debuit præſidere, non proceſſit: niſi quod pro-
„ uiſum fuit ab Abbatibus tunc ibidem pręſidentibus, quod in Capitulo Northampton de
„ Weſtmonaſterio & Radinga Abbates deberent præſidere, vel Priores monaſteriorum ſuo-
„ rum, qui vices eorum ſupplerent, illuc pro ſe mittere, ſi in proprijs perſonis venire non
„ poſſent, ſi vero nec ipſi, nec Priores ſui, ad illud Capitulum occurrerent, cum ſumma de-
„ liberatione fuit prouiſum quodammodo propter abſentiam illorum, qui prouiſi ſunt vt in
„ Capitulo præſint, nequaquam celebratio Capituli commutetur: ſed loco abſentium de
„ ibidem præſentibus alij ſubrogentur à patribus ibidem Congregatis, ſicut in hoc Capitulo
„ prouiſum eſt de nobis, de Euisham & Abingdon Abbatibus. Deinde ſubijciuntur ſpeci-

les

les ordinationes, in hoc Capitulo editæ, (vltra statuta Capituli Oxoniensis, & S. Albani) „ De Visitatoribus, de Controuersijs intra ordinem ipsum exortis, per Capituli Prędes „ finiendis, de Controuersijs in regno contra Prelatos motis, per dictos Præsides, vel per cō„ uocationem Abbatum ad hoc competentiū, vel per Capitulū Generale pro ordinis bono, „ contra eius perturbatores, suscipiendis, de monasterijs incendio, vel alio modo collapsis, „ communi consilio Capitularium reparandis, & quomodo deinceps, Capitula debeant „ inchoari & dimitti: quomodo visitationes exercendæ, statutaque Capitularia describenda „ & obseruanda in singulis monasterijs tam monachorum quam monialium. Quæ omnia sic ad longum retulimus, quia *primò* hic aperta fit mentio, quinque primorum Capitulorum Generalium post Lateranense Concilium celebratorum, & nomina Abbatum in ijs conuenientium, & conuocatorum exactè designantur, quæ postea suo loco integra dabimus in append. numero 56. *Deinde*, quia ex ijs ipsis, quæ hic retulimus totus ille noster prosyllogismus, apertissimè probatur, vt inferius deducemus. Nunc procedamus, in reliquis Capitulis Generalibus recensendis. Igitur Matthæus Paris ad annum 1232. adducit scriptum Gregorij PP. noni, datum Spoleti, quinto Idus Iunij, papatus sui anno. 6. in quo bis habetur honorifica mentio Capitulorum prouincialium Angliæ iuxta constitutionem Concilij Generalis, à monachis nigris celebratorum. Et in alio eiusdem Pontificis scripto, pro authoritate, quorundam Visitatorum, quos authoritate Apostolica miserat, in Angliam, ad Monachos nigros visitandos, (quod nimirum hic pontifex zelo statuti Generalis Concilij executioni mandandi fecit, dubitans forte an secundum formam debitam procederetur,) præcipit ipsis Visitatoribus suis, vt statuta in Capitulo prouinciali edita, permittant in suo robore perpetuò manere, non obstante hac sua speciali visitatione. Ad hæc, alterius Capituli anno 1236. fit mentio, in tomo 3. Conciliorum *§ audiuimus, & lætati sumus*: In cuius constitutionis fine apertè supponitur, in more fuisse positum Benedictinis illis Capitula celebrare. Postea etiam anno 1246. Congregatum fuit aliud Capitulum, cui præsederunt Abbates de S. Augustino Cantuariæ, & de Glastonia. Cardinalis etiam Othobonus, in constitutionibus quas in Synodo edidit Lōdini, anno. 1248. meminit Capituli Generalis, in constitutione, *De professione nouitiorum*, quæ constitutio incipit *Sani bonæ memoriæ*, & in constitutione de *esu carnium* similiter Capituli Monachorū nigrorū mentionē inijcit. Fuit & aliud Capitulū Generale Bermondseię circa annū. 1249. vt constat ex Matthæo West-monasteriensi, & aliud Eboraci circa annū. 1266. cuius acta habentur, & exordiū eorū authenticè descriptū ostēdere possumus: Sicut & acta Capituli Generalis integra celebrati apud Oxoniū, anno Domini 1269. Vlterius Iohannes Pecham Archiepiscopus Cantuariensis, in constitutionibus synodi apud Lambetham celebratæ, anno 1271: similiter expresse mentionem facit Capituli Generalis, quod per singula triennia consueuit à monachis nigris iuxta Concilij Generalis decretum celebrari. Anno vero 1279. Nicholaus Abbas monasterij S. Augustini de Cantuaria, & Abbas Glastoniæ præfuerunt Capitulo Generali apud Abbendoniam celebrato, cuius aliqua statuta adhuc extant, in vetusto libro de vitis Abbatum S. Augustini Cantuariæ, quem cum opus fuerit proferre per amicos possumus. Anno deinceps 1290. iterum apud Abbendoniam, Generale Capitum extitit, cui præfuerunt Abbas de Certeseia, & Abbas de Westmonasterio vicem gerens Abbatis Glastoniensis, cuius etiam Capituli & actorum illius authenticum exemplar nacti sumus. Deinde etiam aliud celebratum fuit apud Northamptonem Anno 1338. in quo Præsides fuerunt, Abbas Westmonasterij, & Abbas Gloucerinæ siue Gloucestriæ. Et anno 1340. rursus apud Northamptonam, Præsidentibus Abbate S. Augustini Cantuariensis, & Abbate Westmonasteriensi. Rursus anno 1343. apud eandem Northamptonā congregatū fuit Capitulū, Præsidesque extitēre, Abbas, S. Albani &, Abbas Cestriæ. Et horum Capitulorum trium acta authentica, benificio amicorum authenticè descripta cōseruamus. Vide appen. num. 58. 59. 60. Iā etiā anno 1363. Capitulū Generale habitū fuisse testatur Thomas Walsinghamus. Denique aliud memorat habitum 1379. vt & Harpsfeldius seculo 14. Cap. 17. anno autem 1400. præfuit Capitulo Generali D. Ioannes Wheathamstead Abbas S. Albani Et anno 1403. præfuit Capitulo Generali D. Iohannes prior Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis, qui prædictum Iohannem Abbatem S. Albani, prędecessorem suum in officio Præsidatus, nomine totius ordinis nigrorum Angliæ misit ad concilium Senense quæ duo patent ex libro peruetusto, in quo continentur res præclarè gestæ præmemorati Abbatis S. Iohannis. Ex quo nonnulla decerpta per authenticos testes in fine seu appendice huius responsi nostri, cum alijs multis ad rem facientibus collocabimus. Vide scriptu: append. 66. Pręterea anno 1423. habitum fuit Capitulum Generale apud Westmonasterium anno 8. Henrici 5. cuius Capituli acta authenticè nobis describi curauimus ex archiuis: eiusdemque

Capituli mentionem habuit Harpesfeldius sæculo 15. & Walsinghamus ad annum 1411. qui cum dixisset à rege Henrico malè informato, propositos fuisse quosdam articulos obseruantiæ, omnibus Abbatibus & Prioribus S. Benedicti in West-monasterio Congregatis; adijcit ab eisdem in Capitulo Generali fuisse obseruantiam illam acceptam & confirmatam, & eius copiam in multis monasteriorum matriculis haberi. At ex ipsis Capituli actis constat, non omnes articulos à Rege oblatos fuisse admissos, quia aliqui falsæ informationi innitebantur, sed aliquos tantum, alios vero ab ipsis patribus Capituli fuisse adiectos, quibus regię pietati abundè fuerit satisfactum: Vide in appendice scrip. 71. & 72. Similiter ibidem leges acta Capituli Generalis sub anno 1426. celebrati: Extitit rursus, aliud Capitulum Generale, celebratũ anno 1441. in quo nominatur Pręses & Visitator Guilielm⁹ Abbas monasterij B. Marię, & S. Eadburgæ virginis de Pershore; eiusque acta quædã penes nos extãt vide scrip. 61. Denique habitũ fuit aliud Capitulũ Lõdini anno 1444 præsidẽtib⁹ priore Cathedralis Abbatiæ Wintoniensis, & Abbatibus de Colechester, & Cherdsea: cuius Capituli acta & statuta, ex originali libro descripta habemus fideliter, quæ sunt in appendice, numero 63. Et in fine illarũ constitutionũ, habentur quædam additiones, desumptæ vt apparet, ex Capitulis sequentibus, inter quas est vna de Contributionibus indictis, anno 1492. Habemus igitur generalium Capitulorum successiuam minimeque interruptam celebrationem, à Prælatis & monachis ordinis nigrorum S. Benedicti in Anglia, ab anno 1216. immediatè post Concilium Lateranense, vsque ad annum 1492. Hoc est per annos 276. frequentatam. Quod saltem satis est, vt demonstremus, fuisse antiquitus cœtum seu communitatem monasteriorum aut conuentuum ordinis nigrorum S. Benedicti per Angliam. Quæ erat prima particula Minoris confirmanda.

Iuris concessione celebrata hęc Capitula.

Secunda particula, assumebat illum cætum Congregari solitum fuisse, ipsius iuris consensu. Et hoc etiam ex dictis, in primæ particulæ confirmatione elucescit: ibi enim retulimus ipsos Prælatos, dicentes se ex vi decreti Lateranensis, in Capitulum Generale conuenisse; retulimus ipsum Pontificem Gregorium eorundem Capitulorum Generalium acta & statuta approbantem, vt ne quidem per visitationem Apostolicam, ab ipso specialiter institutam, voluerit illis derogari; Retulimus Legatum Pontificium, & Archiepiscopum Anglię Primatem in synodicis constitutionibus, (quæ olim in Anglia, ius Canonicum prouinciale Angliæ faciebant) Generalium Capitulorum acta collaudantes, Retulimus tandem Henricum Quintum, regem Angliæ gloriosissimum, simul & pientissimum, articulos suos Capitulo Generali monachorum nigrorum probanbos commendasse. Satis ergo patet, iuris tam Canonici ecclesiæ, quam Regalis, regni ipsius consensum, in hoc cœtu conuentuum nostrorum coadunando, frequentiusque Congregando interuenisse.

Et Vtilitatem cõmunẽ monasteriorum.

Tertia particula asserebat in hoc cœtu agi solitum, de vtilitate communui conuentuum, & monachorum tali cœtui subditorum, quod verum esse, vel ex ipsis verbis, Capituli primi & secundi, ex quarto Capitulo Generali relatis, clarissimè ostenditur; & ex titulis statutorum ipsorum; ex verbis etiam ipsorum Pontificum, ac Cardinalium & Legatorum in synodis, qui testantur patres in Capitulo Congregatos, *reuersos fuisse ad terminos suos.* Denique ista statuta ipsa, libello huic nostro ad vberiorem probationem subijcimus: in quibus nemo est, qui non aduertat, exactam fuisse inter hos conuentus, vtilitatis tam spiritualis quam temporalis communionem. Quæ cum non nisi in ordine, ad benè viuendum, secundum regulam S. Benedicti, fuerit ab illis instituta: certè non nisi Spiritu Sancto ducente similis cœtus fuit inter illos constabilitus.

§. 2. Congregationem Benedictinorum in Anglia antiquitus fuisse verè & propriè dictam Congregationem, probatur ex auctoritate Concilij Tridentini & Summorum Pontificum.

Sit iam secunda propositio, *Respublica illa monachalis, quam hactenus probauimus in Anglia antiquitus extitisse, & vt apparet ex modo gubernandi, numeroque Præsidum, Aristocratiæ formam induebat: erat verè & propriè Congregatio Monachorum ordinis S. Benedicti, prout hodie nomen Congregationis vsurpatur, & sic in rigore potest & debet appellari.*

Demonstratio prima ab auctoritate.

Ex auctoritate Concilij Tridentini.

Hanc propositionem primò ex authoritate Concilij Tridentini probamus irrefragabiliter, Etenim respublica Monachalis nigrorum monachorum ordinis Sancti Benedicti, iuxta formam constitutionis Innocentij tertij in Concilio Generali Lateranensi, quæ sic incipit, in singulis conformata, verè & propriè est, & vocari potest ac debet in omni rigore Congregatio, prout nunc illud vocabulum à communiter loquentibus vsurpari solet. Atqui illa, quam hactenus demonstrauimus in Anglia antiquitus exstitisse, monachorum nigrorum ordinis

dinis

dinis nostri respublica, talis omninò fuit, ad constitutionis illius Innocentianę formam confirmata: Ac proinde euidenter infertur eam verè ac propriè esse & vocari debere Congregationem eo in sensu, quo nunc homines docti & religiosi communiter loqui consueuerunt. Propositionem accipimus ex Concilio Tridentino nobis concessam, Sess. 25. de regularibus & monialibus, cap. 8. vbi sic dicitur: *Monasteria omnia, quæ generalibus Capitulis, aut Episcopis non subsunt, nec suos habent ordinarios regulares visitatores, sed sub immediata sedis Apostolicæ protectione, ac directione regi consueuerunt; teneantur infra annum à fine præsentis Concilij, & deinde quolibet triennio, sese in Congregationes redigere iuxta formam constitutionis Innocentij. 3. in Concilio Generali, quæ incipit in singulis;*

Minorem verò facilè probabimus. Nam in singulis regnis siue Prouincijs vbi fuerit de triennio in triennium, saluo iure Diocesanorum Pontificum commune Capitulum Abbatum atque Priorū Abbates proprios non habentium qui non antea cōsueuerunt tale capitulum celebrare: atque ita quidem fuerit, vt huiusmodi Capitulum aliquot certis diebus iuxta morem Cistercienſis ordinis celebretur; & in eo diligens habeatur tractatus, de reformatione ordinis, & obseruantia regulari: & quod inibi à Præsidentibus Capituli statutum fuerit, ab omnibus inuiolabiliter obseruetur; quo etiam in Capitulo ordinentur religiosæ, ac circumspectæ personæ, quæ singulas Abbatias eiusdem regni siue Prouinciæ, non solum monachorum, verum etiam monialium, secundum formam sibi præfixam, vice summi Pontificis studeant visitare. Ibi sanè negari non potest, institui rempublicam, secundum formam constitutionis Innocentij 3. Hæc enim omnia, quæ retulimus, sunt illius constitutionis expressa verba. Atqui iam ostendimus in probatione primæ conclusionis nostrę, Rempublicam Monachalem ordinis nigrorum in Anglia, antiquitus ea omnia obseruasse, quæ Innocentius in verbis illis præscripserat facienda. Vnde manifestè fit, eam rempublicam, fuisse institutam secundum formam constitutionis Innocentianæ: quod ad Congregationem erigendam Concilium Tridentinum statuit, fieri debere. Neque verò potest in vlla parte Christiani orbis, ostendi respublica aliqua, vel communitas conuentuum regularium, quæ sub talibus legibus & Capitulis, tam diu fuerit gubernata, quamdiu ostendimus nostram communitatem nigrorum monachorum in Anglia gubernatam fuisse; quin eadem etiam secundum recentiorem vsum loquendi, appelletur, & appellari debeat Congregatio; diximus, *secundum recentiorem vsum loquendi*: Iam enim in secundo fundamento, superius iacto clarissimè probauimus; quod olim erant sub eadem regula diuersi ordinis, habitus, aliqua distinctione, & regularis obseruantiæ modo differentes, sub separatis Capitulis siue Præsidibus: Hoc nunc esse Congregationes diuersas: ita vt ipsi Cluniacenses, Cælestini, Camaldulenses, Cistertienses, qui olim se ordines vocauerunt, nunc & à se, & ab alijs viris intelligentibus, & ordines & Congregationes appellantur. Mutatus ergo fuit modus loquendi, & acceptio, siue appropriatio verborum, ipsa tamen re immutata prorsus perseuerante.

Quod siquis vellet vti illis vocabulis Congregationis, atque ordinis, non sicut nunc alterū eorum pro altero indiscriminatim tum à doctis, quam ab indoctis accipiuntur, & quasi cōfunduntur: sed præcisè prout iuxta hodiernum vsum possent vsurpari, & alterum ab altero distingui: Ordinis nomen latius patere deberet, quam Congregationis; sic vt Congregatio significaret rempublicam quasi politicam distinctam ab aliqua alia sub eodem ordine; & Ordo esset generis nomen & speciei, Congregatio verò indiuidui. Quare ordo significaret propriè cætum religiosorum tria vota substantialia religionis profitentium, sub aliqua regula approbata S. Benedicti, S. Augustini, S. Basilij, S. Francisci, aliaue per ecclesiam laudata. Species ordinis essent diuersarum regularum professiones; quæ & ipsæ haberent species subalternas. Verbi causa, Ordo alius est Non mendicantium, alius verò Mendicantium; Ordines Non mendicantium, alij sunt Monachorum, alij Clericorum regularium seu Canonicorum: Ordines Monachorum alij Benedictini, alij Basiliani, alij Hieronimiani, alij Carthusiani. Et Ordines qui sub regula S. Benedicti militant, alij claustrales, alij Eremitæ, saltē quantum ad præcipuam instituti formam, quales sunt Camaldulenses; Claustralium ordinum, alij Cluniacenses, alij Cistertienses, alij Celestini, &c, alij vero sub cōmuni nomine Nigrorum seu Benedictinorum; Hi autem ordines vltimò nominati varias sub quauis specie aut habent, aut habere possent Congregationes; vt Cistercienses habent Fuellanos, Bernardinos Hispaniæ, & qui sub antiqua appellatione ab illis duabus Congregationibus discernuntur. Sic Nigrorum ordo varias habet Congregationes, vt Italicam, Hispanicum, Lotharingicam, Bursfeldensem &c. Sed vt diximus, nunc vsus loquentium crebrò habet, vt ista nomina Congregationis & ordinis confundantur; licet videantur reuera sic distingui debere.

 Confir-

Confirmari potest totus hic discursus, ex constitutionibus Capituli habiti apud S. Albanũ Anno. 1219. in quarum proœmio ita legimus. *Ea propter præfato termino (quem scilicet in primo Capitulo præstituerant) apud S. Albanum in Generali Capitulo ad honorem Dei, & sanctæ Romanæ ecclesiæ, iuxta statuta Concilij Lateranensis, 4. anno Domini Honorij Papæ 4. nobis præsidentibus, Inuocata Spiritus Sancti gratia, diligenti & diutino tractatu, habito &c.* Item in fine eiusdem Capituli, postquã præcepissent statuta Concilij Lateranensis ordinem eorum contingentia, diligentissimè obseruari; hæc addunt: *Si qui vero, scienter inobedientes deprehensi fuerint mandatis Concilij, penæ grauißimæ subiaceant.* In Capitulo autem Northamptonæ celebrato, ad annũ Domini 1225. ita fere concludunt statuta: *Visitatores etiam, qui aduenerint, authoritate Concilij, cum omni benignitate recipiantur; prouidentes, vt verbis vtamur Concilij, quod quando ad vos accesserint, plus apud vos inueniant, quod commendatione, quam quod correctione sit dignum.* Quæ verba habentur in prædicto decreto Concilij Generali *In Singulis*. Constat igitur clarissimè, Abbates aliosque Prælatos, in prædictis Capitulis Generalibus Angliæ, in virtute Concilij Lateranensis sæpe nominati fuisse Congregatos, eaque omnia in Capitulis eisdem, diligenter & reuerenter obseruasse, quæ Concilium præscripsit. Quod agnoscens Gregorius nonus, in Instructione data visitatoribus Apostolicis, quos specialiter & extraordinariè ad quædam monasteria Angliæ ordinis nostri visitanda deputauerat: iniunxit ipsis, vt statuta in Capitulis Generalibus ordinata omninò in vigore suo permanere permitterent. Habemus igitur duorum Generalium Conciliorum authoritatem, ex qua constat quod assumpsimus, Nempe rempublicam illam nostram antiquitus institutam, vocari, esse verè & propriè Congregationem; quandoquidem Tridentinum, tales verè Congregationes appellat.

Item probatur auctoritate summorum Pontificum.

Sed probatur insuper summorum Pontificum peculiari authoritate. Nam hi etiam respublicas Regularium, ad formam constitutionis Innocentianæ redactas, vocant Congregationes: Quidni ergo, & nostram antiquam Angliæ, in prima conclusione demonstratam, hoc etiam nomine sic vocandam inferre liceat? Nam vbi eadem prorsus est natura, ibi eadem quoque denominatio potest vsurpari. Audiamus ergò Pontifices Maximos illa loquendi formula vtentes. Gregorius decimus tertius, in bulla concessa monachis S. Basilij, ad annũ 1579. calendis Nouembris Pontificatus sui anno 8. sic loquitur: *Volentes huiusmodi ordinis instaurationem inchoare, ipsaque monasteria, in ipsam Congregationem, iuxta constitutionem fœlicis recordationis, Innocentij Papæ tertij, prædecessoris nostri, in Concilio Generali æditam, quæ incipit in singulis: ac Concilij Tridentini decreta, redigere &c. & vt hæ, facilius optatum consequi possent effectum &c.* Rursus, Num. 7. eiusdem Bullæ, assignat Pontifex, Habitum gestandum ab omnibus professoribus illius *Congregationis*. Et num. 17. Concedit priuilegia eidem *Congregationi*, eiusque conuentibus & monachis. Et Num. 18. ordinat vt visitentur Personæ *Congregationis*. Tandem in tota bulla sepissimè illis Denominationem *Congregationis* attribuit simpliciter, sine additione termini vllius restringentis, aut alienantis. Ita loquitur idem Pontifex; atque etiam Pontifex Sixtus Quintus, dum agunt de republica Monachali, exemptorum trium Prouinciarum, Senonensis, Turonensis, & Bituricensis, (de qua vide Renatum Choppinum l. 2. politiæ Eccles. titulo. 1. 11. 13. vbi hos Pontifices citat.) Ita loquitur Pontifex qui nunc sedet, Gregorius 15. in bulla erectionis Hospitij & Collegij Gregoriani pro vniuersis monachis sub regula S. Benedicti militantibus, cum num 2. illius bullæ, Bursfeldensem Vnionem appellat *Congregationem*: de qua satis clarè constat, ex Trithemio lib. de celebratione Capitulorum, conformatam fuisse ad normam constitutionis Innocentianæ. Denique ita loquitur Congregatio Cardinalium, in explicatione Decreti concilij Tridentini: censet enim Prælatis in tali Capitulo, (quale ibi, regularibus exemptis, Tridentinum indicat) Congregatis inesse auctoritatem Congregationis quia (inquiunt) Potestas est penes Congregationem. Quid ni igitur & nobis, ita loqui liceat, quomodo in controuersijs & factis iuris (quando videlicet semper propriè loquendum est) iuris ipsius conditores, & declaratores authentici loqui consueuerunt.

Gregorij. 13.

Sixti. 5.

Gregorij. 15.

Probatur idẽ auctoritate Iurisperitorum.

Cæterum habemus etiam à nobis loquentes iurisperitos doctissimos, & historicos in omni temporum memoria versatissimos, qui respublicas religiosas Aristocratica forma constitutas, vocant apertè Congregationes: non quidem ea significatione, qua religiosi vnius cuiuspiam cœnobij vocantur Congregatio, sed quatenus hoc nomine exprimitur regimen politicum, ab œconomico distinctum. Ita enim loquitur Nauarrus, in commentario tertio de regularibus, de institutione & potestate Prælatorum: in fine numeri. 3. vbi adfert decretum Concilij Tridentini, in quo primam huius propositionis probationem fundauimus. Ita loquitur Renatus Choppinus lib. 2. politiæ Ecclesiasticæ titul. 7. num. 13. dicens. Quinque-

nitalem legem inter quosdam Benedictinos Prouinciarum Senonensis, Turonensis, & Bituricensis in Gallia esse constitutam: vocatque illam Congregationem Benedictinam reformatam. Ita loquuntur Doctores Parisienses in approbatione statutorum prædictæ Congregationis: alijque sacræ Theologiæ Doctores & Licentiati, iurisperitique plurimi, pro felici inchoatione huius Congregationis conuocati: omnes enim expresse Congregationis denominationem illi attribuunt. Quorum consensum perspiciens Henricus 3. Galliarum Rex in priuilegio prædictæ monasticæ reipublicæ, trium illarum Congregationum concesso datoque vltimo Februarij, anno 1582. *Congregationem* manifestè appellat. Quod etiam facit Doctissimus P. N Antonius Yepes, tom. 1. ad annum Christi 562. cap. 1. qui insuper agens de Congregatione Bursfeldensi & Catalaunica, quæ Aristocratico regimine olim gubernatæ fuerant, vocat eas *Congregationes* celeberrimas. Vide ipsum tom. 2. anno Christi 640. c. 3. & anno 643 cap. 2. & tom. 3. anno 744 & 778. c. 1. & tomo 4. anno 830. in fine. Ita etiam loquitur Trithemius, qui suæ reipublicæ statum optimè nouerat, eamque *Congregationem* vocat, in epistola præfixa opusculo, *de triplici regimine Claustralium*: sicut eodem nomine eam appellat Theodorus Petræus in notis ad chronica Petri Dorlandi c. 2. l. 7. Aubertus Miræus vir clarissimus, & de religiosis omnibus optimè meritus, in Originibus cœnobiorum c. 82. & Johannes Breullius monachus veteranus, indagator antiquitatum diligentissimus in cœremoniali Bursfeldensi à se edito, tam in titulo libri, quam etiam præfatione. Tandem eodem modo loquuntur Abbates exempti inferioris Germaniæ, qui etiam rempublicam ferè Aristocraticam constituunt, ex authoritate Conciliorum Lateranensis & Tridentini erectam. Hic enim est constitutionum in primo ipsorum Capitulo editarum titulus; *Canones, decreta & regulæ Capituli siue synodi monasticæ Congregationis monasteriorum ordinis S. Benedicti, Germaniæ Inferioris: ad quam religiosi eiusdem ordinis seu Congregationis*, (vides veterem recentioremque loquendi modum simul ab ipsis vsurpatum) *mores & vitam suam reformare debent.* Similiter sæpè in decretis suis loquuntur, vt in decreto 5. Capituli habiti in Lobiensi monasterio: *Simul, ac fratrum aliquis mortem obierit, eius obitus omnibus alijs monasterijs protinus manifestetur, vt à tota Congregatione, pro eius anima preces fundantur.* Et in decretis Capituli habiti in monasterio S. Bertini, anno 1589. in octauo decreto sic habetur. *Nomina patrum et fratrum huius Congregationis, à postrema synodo, defunctorum recitentur in sequenti synodo ac martyrologio cuiusque monasterij, in catalogo cæterorum fratrum huius Congregationis scribantur.* Et multa passim similia. Quam iniustè igitur damnat nos impropriæ loquutionis, aduersarius: cum eam formam reipublicæ monasticæ *Congregationem*, vocamus: quam prudentissimi grauissimique nostræ ætatis Theologi, iurisperiti, Historici, Prælati non alio, quam Congregationis titulo inueniuntur denominare?

Sufficiebant ista ad rem nostram, quæ tam clarè probant nos sequi vsum communem & vulgarem Doctorum & religiosorum, *quem penes arbitrium est, & vis & norma loquendi*, vt ait poeta. At quia fortè dicet aduersarius, vsum hunc in abusu vocabuli fundatum aut ortum: demonstremus, euidenti ratione secundā propositionē, quā assumpsimus confirmandā: Cætus religiosorum ad monasteria in æconomico regimine distincta spectantium, iuris consensu, & vtilitatis communione, ad bene beateque viuendum secundum regulam approbatam, spiritu Sancto sociatus, verè & propriè Congregationis nomine est vocandus, vt ex primo à nobis iacto fundamento manifestè constat. Atqui Respublica illa monachorum, Nigrorum ordinis S. Benedicti, olim in Anglia iuxta Concilij Lateranensis decretum constituta, fuit reuera talis cætus: Non potest ergo, ab vllo prudenti rerum arbitro, negari, quin verè & propriè, possit & debeat appellari Congregatio.

§. 3. Alia demonstratio desumpta ex ipso lumine rationis naturalis.

Forsitan hæc probatio valdè generalibus compræhensa vocabulis, non ita videbitur aduersario fautoribusque eius (si quos tamen habet fautores) efficaciter probare: Illustremus igitur illam, & ad particularia omnia, quæ in Congregationibus nostræ ætatis inueniri cōsueuerunt, easdem propositiones, quasi per descensum applicemus, & dicamus confidenter (non enim potest ab vllo negari, quod sumus dicturi:) communitas politica religiosorum eiusdem regulæ atque habitus in distinctis monasterijs Deo militantium; habentium tamen communicationem bonorum, in quodam toto, cuius partes sunt & membra; cum debito & obligatione comparendi in Capitulis Generalibus, authoritate Ecclesiæ approbatis; & obtemperandi legibus, decretis, constitutionibus, correctionibus, & censuris, quæ in prædictis

Plena definitio Cōgregationis propriè dictæ.

ctis Capitulis fuerint ordinata vel imposita; etiam quæ includant, monachorum ab vno monasterio ad aliud translationem, & eorum ab officijs depositionem, vel ad officia incohabilitationem, aut quaruncumque tandem correctionum patientem susceptionem, in qua etiã communitate inueniantur constituti magistratus, seu officiarij (loquamur enim cum communi, vt melius intelligamur ab omnibus,) politici regiminis proprij, vt Præsides, Definitores, Visitatores, Suppletores, Collectores distributionum aut mulctarum Prçlatis impositarũ, Procuratores communitatis & similes: Iure merito appellanda est Congregatio Politica, prout nunc solent Congregationes regularium vocari, & prout distinguitur à Congregatione æconomica, siue vnius tantum monasterij cœtu, qualem tantummodò informare voluerant sanctissimi Patres nostri Benedictus, Basilius, Augustinus, per regulas ab ipsis descriptas. Certum enim videtur regulas illas fuisse ordinatas pro particularibus duntaxat cœnobijs, nullam aliam preterquam religiosæ charitatis inter se vnionem habentibus. Vnde & ipsorum officiarij longè alterius fuerunt naturæ ac appellationis, vocantur enim Abbates, Priores, Decani, Cellerarij, Ianitores, Sacristæ & similes: nec vllam habebant ex vi sola regularum aut primitiuæ institutionis obligationem, vt vel in Capitulis Generalibus conuenirent, vel alijs vllis legibus parerent, quam quas proprij eorum Prælati instituerint, in quorum manibus religiosam professionem emiserunt. Atqui hæc omnia in supradicta republica monachorum nigrorum ordinis nostri antiquitus, frequentata & exercitata fuisse clarissimè demonstrabimus. Vnde apparebit non vsum in abusu nominis fundatum, sed ab ipsa rei natura & essentia euidentissima ratione desumptam, nobis plenam concedere authoritatem, vt eam proprij verique nominis Congregationem fuisse profiteamur.

Videre nobis nunc videmur hic lectorem nostrum mirari, vel nostram præfidentiam, qui hæc omnia audeamus de illa communitate affirmare, quam aduersarius tanto cum strepitu patheticarum rationum, negauit esse propriè dicendam Congregationem: vel aduersarij spontaneam cæcitatem, præcipitemque audaciam, qui ausus sit illi reipublicæ nomen Congregationis denegare, cui hæ omnes veræ Congregationis proprietates & conditiones manifestissimè competebant. Et verè nemo non prudens arbiter miraretur, potuisse hoc ab illo negari, cum ista quæ diximus viderit a nobis clarissimè demonstrari: quod nunc ecce particulatim per singula percurrentes faciemus.

Fuit in Anglia olim aliqua cõmunitas monasteriorũ Benedictinorũ.

Quod enim fuerit, à tempore Concilij Lateranensis, aliqua ordinis nigrorum indigenarũ, communitas in Anglia, patet euidenter ex constitutionibus editis, in Capitulo Generali sub anno 1290. in festo translationis S. Benedicti, in quibus saltem duodecies, hæ voces *Communitas nostri ordinis*, inueniuntur: vt constabit easdem constitutiones, in fine libelli huius nostri appositas legenti. Et in constitutionibus Capituli Generalis anni. 1444. promulgatis, eodem etiam modo Patres Capituli loquuntur: siquidem in fine illarum sic habent; *Volumus etiam & ordinamus, quod nulla constitutio generalis perpetuò valitura de nouo fienda quæ per obedientiam obliget, super communitatem ordinis inducatur, nisi in vno Generali Capitulo primitus ordinetur: & consequenti tempore, per Fratrum experientiam alio Generali Capitulo confirmetur.* Quæ certè clarissime demonstrant, totum ordinem intra limites Angliæ, habitum fuisse pro vna communitate, supra quam Capitulum authoritatem, habebat, leges sub obedientiæ voto obligantes, inducendi.

Fuit in hac cõmunitate amplissima bonorũ cõmunicatio.

Quod autem in hac communitate, fuerit amplissima bonorum communicatio, (quæ secundæ particulæ materia est,) apertè colligitur ex collectionibus, authoritate Capituli Generalis factis, per omnia totius ordinis, nigrorum monachorum Capitulo subiecta: tam pro perficienda ædificatione Collegij Maximi in Academia Oxoniensi, vt habes in exordio constitutionum Capituli Generalis celebrati anno 1290: quam pro litis prosequutione, nomine totius Capituli sustentanda, contra Prçlatos monasteriorum, qui contumaciter renuebant in Capitulo comparere: Quod inuenies in statutis Capituli habiti, An. 1343. in fine secundæ sessionis. Atque etiam pro Generali Procuratore ordinis, vt patet ex Catalogo Abbatum & Prælatorum ad Capitulum Generale citatorum, secundum librum Capitularem Abbatiæ Selbeyensis, quem in fine libri tibi exhibebimus. Ac denique pro expensis communibus, ad honorem ordinis ac Congregationis, spectantibus: vt, pro cœnobijs vel ecclesijs ita dilapsis, vt à proprijs conuentibus restitui nequeant, communitatis sumptu reparandis; & pro creatione doctorum in sacra Theologia, quarũ fit mentio in statutis, An. 1444. factis, Capitulo duodecimo. Et potest hoc etiam lucidissimè demonstrari, ex ipsa fundatione Collegij Academici Oxoniensis, pro ordine fundato à nobili viro D. Iohanne Giffordio, (à cuius familia hic noster, illustrissimus ac Reuerendissimus Rhemensis qui nunc in concionibus dominatur procedit) & ab eodem Giffordio ordini nigrorum S. Benedicti, concesso. Quod cum

primos monachos, ex monasterio Glocestriensi habuisset, (vnde & illi nomen vsque ad hunc diem adhæsit, Collegij siue aulæ Glocestrensis, extant enim adhuc magnifici collegij benè magna rudera) tamen ne videretur Abbas & Conuentus Glocestrensis, quasi sibi peculiarē domum vendicare, instrumento publico protestatus est idem Abbas & conuentus ipsius, sese nihil aliud in illo collegio vendicare, aut vendicaturum in posterum, quam quod quæuis alia Abbatia ordinis posset sibi assumere: nempe vt monachos sui conuentus, studiorum causa, ad illud collegium posset destinare: sicut & omnia alia ordinis eiusdem huc (vt loquitur eius scripta protestatio) communitas ordinis facere consueuerat. Deinde in alijs scriptis eiusdem collegij erectionem spectantibus, (quæ in calce damus num. 45.) expresse cauetur, vt quæ erant collegio in studiosorum gratiam concessa à fundatore, aut alio quouis homi-num, ea studentibus monachis quorumcumque cœnobiorū totius cōmunitatis essent com-
„munia. Verba fundatoris ista sunt. Confirmaui Deo, & B. Mariæ, & ecclesiæ beatorū Iohan-
„nis Apostoli ac Euangelistæ, & Benedicti Abbatis & confessoris Oxoniæ, & Priori ac con-
„uentui eiusdē loci ordinis S. Benedicti, & communitati monachorū eiusdē ordinis, Pro-
„uinciæ Cātuariensis causa studij transmissorum seu transmittendorū in forma debito modo
„prouisa & statuta, per Generalia Capitula ordinis S. Benedicti &c. Quę verba declarant ad-
„huc lucidius, D. Henricus Prior primus dicti collegij: cōsentimus (inquit) quod dictus prio-
„ratus, cum personis in præsentiarum morantibus, & in posterum moraturis ibidem pręmis-
„sis præsidētibus (Capituli sc. Generalis prouinciæ Cantuarię) saluo diœcesani prædicti ho-
„nore, immediatè subijciatur; & quod monachi à quibuscumque domibus nostri ordinis in-
„tra prouinciæ Cantuariensis ambitu constitutis, ad prioratum præfatum causa studij, pro
„superiorum suorum arbitrio destinati & destinandi similiter in futurum, per nos seu succes-
„sores nostros, absque difficultate qualibet admittātur, & liberè morentur ibidem ac absque
„cōtradictionis obstaculo, fruct⁹ seu obuētiones quascūque, de piscarijs, pratis, pasturis. &c.
Tandem etiam ipsi monachi, ex varij cœnobijs ordinis eò confluentes, suum sibi priorem seu Pręlatum eligebant: confirmandum tamen à Præside Capituli Generalis, quod ipsa fundatoris voluntate cautum est, his verbis: Ita quod præ-
„dicto Priore cedente vel decedente, quilibet Prior succedens electus per conuen-
„tum dicti loci, mihi & hęredibus meis, tanquam patrono loci illius præsentetur, quem si-
„ne difficultate, dilatione, seu calumnia aliqua recipiemus. Et in scripto D. Henrici Glo-
„cestriensis, primi prioris dicti Collegij, verbis magis expressis: consentimus quod dicto prio-
„ratui per cessionem vel decessum Prioris quomodocunque vacanti, monachi ad prioratum
„eundem causa studij, vt præmittitur, aliundè transmissi, vna cum cæteris de conuentu
„electioni facēdę de priore futuro liberè intersint, & ius & vocē habeant in eadē, de cōuentu
„ipso, vel de monachis transmissis, causa studij personam idoneam, quæ sciat, velit, & posset,
„gregi regendo curā impendere (diligenter inuocata primitus spiritus sancti gratia) in Prio-
„rem vna cum alijs concorditer elegendi. Et quod omnes inter nos in posterū admittendi in
„loco prædicto, coram præsidentibus memoratis eorūue aliquo, seu alio Abbate ipsorum
„Præsidentium omnium vniusue ex eis, authoritatem, quoad hoc specialiter obtinente, suam
„professionem faciant solemniter. Atqui huiusmodi electio perpetui Prioris seu Pręlati regularis in vna eademque domo, facta per suffragia monachorum à diuersis cœnobijs dependentium, non solet fieri, nisi vbi est expressa communicatio bonorum inter cœnobia, quorū illi sūt monachi: quod si per specialē cōcessionē alicui⁹ ordinis possit fieri, alicui⁹ monasterij monachis ab ipso ordine indepēdētis; tamē certè vt in aliqua domo cōuētuali, professi illi⁹ cōuentus admittantur non ab alio quam à Præside Capituli Generalis, aut eius authoritatē habente, nunquā potest inueniri, nisi vbi est perfecta communicatio, eiusdemque Congregationis; quandoquidem nemo potest incorporare alicui communitati, nisi qui eiusdem communitatis est superior, vel membrum ad hoc legitima authoritate præditum. Quare ex ijs manifestum fit, in illa communitate cœnobiorum ordinis nostri in Anglia, amplissimam fuisse bonorum communicationem.

Atque hinc probata manet tertia particula, nempe communitatem hanc communicationemque factam fuisse per veram vnionem, in quodam toto, cuius omnia cœnobia communicantia essent, partes & membra, quid enim aliud significat nomen communitatis, quam Vnionem multorum in vnum corpus, cuius illi multi, sunt partes? quis aliud intelligit, sed vel intelligere iure posset, de cœnobio aliquo particulari loquens, cum audit bona *Communitatis*, personas *Communitatis*, rem hanc vel illam ad *Communitatem* huius vel illius cœnobij pertinere. quam conuentum in tali cœnobio, sub legitimis superioribus legibusque vnitum, & vnum quoddam corpus factum, cuius partes sunt religiosi singuli, ad quorum sic vnitam multitudinem, illa bona resque aut latifundia pertineant? quod si ille modus loquendi, in

Fuit hęc cōmunicatio per veram Vnionē.

vno

vno cœnobio respectu habito ad plures in eo vnitos monachos id significat: quidni etiam idem significabit, eandemque Vnionem exprimet, quando vsurpatur de pluribus etiam cœnobijs eiusdem ordinis? cur non etiam eorum communitas per aliquam prouinciam significabit æquè vere & proprie Vnionem multorum in vno toto, ac communitas dicta de multis monachis in vno cœnobio vnitis. Nihil est manifestius.

Cum obligatione subiectionis plenè ad capitulum generale.

Transeamus igitur ad particulam quartam, qua diximus in hac communitate fuisse receptam, & stabilitam obligationem comparendi, ex iure & debito, in Capitulo Generali, legibusque & ordinationibus, & censuris ac pænis ab eodem instituendis aut infligendis obtemperandi, quod quamuis ex dictis satis pateat: tamen ex abundanti, ostendemus vlterius, ex constitutione, quæ habetur capite secundo statutorum Capituli Generalis, ad annum 1444. celebrati, vbi sic dicitur. *Ad diuini honoris incrementum, feruoremque deuotionis attendentes, definimus, & obseruari mandamus, quod omnes & singuli nostræ religionis sacerdotes, &c. in eleuatione calicis, fractione Eucharistiæ, & cæteris missæ obseruantijs, ad vnum modum & vsum, cum sint vnius moris Prælati & subditi eiusdem ordinis, tanquam in vna domo se debeant commode conformare.* Vbi notabis, quod immediatè antea diximus, religiosos totius huius ordinis (ipsius ordinis comparatione) reputari tanquam vnius domus religiosi, comparatione habita ad eandem domum: ac proinde subditos esse eisdem legibus, non solū in quibusdam Generalibus rebus, verum etiam in minimis cęremonijs. Sed irrefragabiliter patet obligatio comparendi in Capitulis, & subiectio ad eorum constitutiones, ex ipsis actis Capitulorum, quæ in calce libri huius leges: in quibus pronuntiantur *contumaces* & *mulctis* subijciuntur, qui aut non comparuerunt per se, vel legitimos procuratores; aut saltem de legitimo impedimento fidem non fecerunt; instituitur etiam procurator, & taxantur distributiones faciendæ pro lite contestanda contra huiusmodi contumaces nominatim; & statuta describuntur etiam secundum conscientiam, & sub grauibus pænis obligatoria. Quod abundè probat veritatem huius quartę particulæ quam asseruimus.

Poterantque in eo monachi ab vno in aliud cęnobiū transferri.

Similiter quod in quinta particula, de monachorum ab vno cœnobio, ad alium translatione, assumpsimus: constat clarissimè ex actis Capituli habiti anno 1444. nam circa principium Capitis. 23 sic ibi habetur: *statuimus vt quoties scholares nostri in sæpe dicto studio Oxoniensi, doctore Theologo ordinis nostri caruerint, illud Præsidentibus sine mora denuntient; & Præsidentes doctoris in claustro residentis scribant Prælato, vt eum ad locum prædictum, occupandi causa cathedram magistralem transmittat.* Item in capite 4. earumdem Constitutionum, sic ordinatur: *Cum Prælatis autem proterue contendere præsumentes, acriter verbis corripiantur: aut verberibus, & ieiunijs puniantur; si autem sic correpti, se nequaquam correxerint, ex communicationi subiaceant; ac si ex tunc incorrigibiles sint reperti, ad locum alium ordinis nostri, de fratrum consensu, vt supra exprimitur* (fratrum sc. qui de consilio Prælati sunt) *mittantur.* Quod si tanto fuit potestas Capituli, vt monachos non solum bonos & honorabiles, sed etiam dyscolos & rebelles, de monasterio vno ad aliud transferre potuerit: certè non solum quosuis monachos, sed etiam tam sæpe de cœnobio ad cœnobium transferre potuisset, quam nunc solet fieri, si ita tunc expedire, iudicassent Patres illorum temporum. Sed reuera antiqui maiores nostri, non nisi vrgentissimis de causis, hanc monachorum commutationem, permittebant: Ideoque Congregatio Hispanica, mater nostra in suis exordijs ita eam reprobauit, vt peculiari voto in ea astringerentur, ne vllus religiosorum à suæ professionis cœnobio, ad aliud eiusdem Congregationis, sine speciali Pontificis summi licentia posset transferri.

Poterāt monachi per Capituli Pręsides regulariter corrigi & puniri.

Quod etiam in eadem particula diximus, de correctionibus quibusuis à Capitulo inflictis ex obedientia tollerandis, clarè habetur ex decimoquarto capite constitutionum supradicti capituli: *vbicunque constitutionibus* (inquiūt Patres) *continetur aliqua censura ecclesiastica, vbi non sit lata sententia, sed tantum comminatio de futuro: nec ibi exprimitur, à quo imponi debeat: intelligitur ab illo infligi debere, coram quo vel quibus legitime probatur excessus, dummodo talis excessus punitio pertineat ad eundem.* Vbi vides potestatem excommunicandi, & obligationem pœnas subeundi, ex parte subditorum. Sequitur. *In pœna vero priuationis vel suspensionis à diuinis, seu ordinis: intelligitur non solum priuatio Prælationis, sed celebrationis, prædicationis, audiendi confessiones, visitationis, definitionis & cuiuscumque alterius actus, ordinis officium consequentis.* Ecce tibi plenissimam authoritatem Capituli, penes quam erat, leges sub tam grauibus supplicijs & censuris statuere. Pręterea ibidem. *Insuper statutum est, vt ad vtilitatem nostri ordinis, per Præsidentes & Collectorem sit cista communis in prioratu Sanctæ Andreæ Northamptoniæ situata: in qua ista reponantur omnes bullæ papales, habitæ & habendæ, nostræ religionis iura, libertates, Præsidentium potestatem, & nostri Capituli authoritatem concernentes.* Habuerunt ergo Capituli Patres plenitudinem amplissimę potestatis, ab ecclesia comprobatæ, in subditos monachos, non secus

secus ac aliorum ordinum siue Congregationum Præsides. Cui potestati innitentes, circa an-
num Domini, 1492. circa inhabilitationem ad officia prælaturæ, & suspensionem ab omni
actu ordinis hoc statutum ediderunt: *Quia vitia multorum grauia aliqua sunt, quibus nostra religio*
grauissime molestatur (de illis dicimus, qui indignè nominandi sunt religiosi, qui ad benificia promotio-
nesque captant das fauorem dominorum & potentum accipiunt, ac ducibus, Baronibus, militibus, atque
cæteris nobilibus magna munera, ad eadem benificia promerenda concedentes): *Ideo ordinamus, statui-*
mus, atque decernimus, quatenus istiusmodi Symoniaci, & bonorum dilapidatores monasteriorum, vbi-
cumque reperti fuerint, excommunicationi maiori subiaceant, omni honore priuati & indigni, & præ-
ter hoc, si in eijdem fuerint conuicti, eos volumus carceribus mancipari. Satisne clarè hinc elucescit,
penes Capitulum authoritatem fuisse deponendi seu exauthorandi Prælatos, & ad officia
alios inhabilitandi?

Quod denique asseruimus in sexta & vltima particula, de Magistratibus, seu officiarijs hu-
ius communitatis, ordinis, siue Congregationis, distinctis ab Oeconomicis officiarijs: claris-
simè constat ex omnibus Capitulis Generalibus, in quibus sui fuère Præsidentes, Diffinitores,
Visitatores, Suppletores &c. vnde in constitutionibus Capituli illius. 1444. anno habiti, est
caput duodecimum *de Visitatoribus, eorumque Suppletoribus.* & cap. 14. *de Capitulis Generalibus,*
Præsidentibus, Definitoribus, contributionibus &c. Stetimus igitur promissis, & omnia quæ in
maiore illa assumpta erant, in communitate monachorum, & monasteriorum nigri ordinis
Benedictinorum antiquitus fuisse inuenta, legitimèque vsurpata, clarè demonstrauimus.
Quid igitur restat, ad inferendam conclusionem luculentam, Illam Communitatem, fuisse
verè proprièque Congregationem?

Habebat hæc cōmunitas magistratus distinctos ab officiarijs cœnobij particularis.

An forte non est vocanda Congregatio, quia non erat monarchica, seu vni superiori sub-
iecta; atqui hoc prorsus est à ratione, & vera philosophia alienum. Nam cum ecclesiasticæ
& regulares communitates, non libenter vsurpent titulos politicorum regiminum; quamuis
reipsa sciant se esse veras respublicas, legitimèque secundum Deum constitutas: tamen illas
suas respublicas libentius vocant nominibus sibi proprijs quam appellationibus, quæ laicorū
statui sunt communes. Quare cum Episcopatus monarchia quædam sit spiritualis: regnum
tamen non vocatur, ne ille quidem qui nullum regem quouismodo agnoscit superiorem.
Quod igitur in laicis & temporalibus personis diceretur respublica: hoc in ecclesia dicitur
Episcopatus, in regularium communitatibus Congregatio. Quomodo igitur infirma vtere-
tur illatione, si quis Aristocratiam negaret, esse statum reipublicæ, ex eo quod non sit mo-
narchia, cum respublica sit forma quædam vtrique communis: Ita imbecillis esset illatio,
qua quis hanc Anglicanam Benedictinorum Aristocratiam, Congregationem esse negaret,
ideo duntaxat, quia non esset monarchica; Congregatio enim forma quædam est, ad vtram-
que communis, descendens quidem ad vnam perfectius quam ad aliam, (sicut philosophi
putant omne genus perfectius ab vna specie perticipari, quam ab altera) sed tamen verè,
propriè, & secundum essentiam in vtrauis inuenta.

Fuit Cōgregatio Aristocratica.

§. 4. *Vltima demonstratio ex vsu vocabulorum apud prudentes, & legum ecclesiasticorum conditores.*

Rursus alia ratione probari potest propositio à nobis asserta, ex communi modo loquen-
di apud doctos huius ętatis, ac superiorum receptatissimo quo nimirum hæc vocabula *ordi-*
nis, vnionis, obseruantiæ, reformationis, Capituli, & Congregationis, tanquam eiusdem omnis ò
rei siue rationis significatæ symbola promiscuè & indifferenter vsurpari consueuerunt sal-
tem à tempore Concilij Tridentini: Atqui respublica siue communitas Monastica Benedi-
ctinorum in Anglia, verè & propriè, & in omni rigore potuit appellari, *Ordo, vnio, obser-*
uantia, reformatio, Capitulum Benedictinorum in Anglia: quidni igitur & Congregatio? quę ijs-
dem appellationibus synonima est, & vox *Isodinana* siue æquiualens. Minorem huius rationis
negare non potest Aduersarius, quia est ex hactenus dictis, & ex similium communitatum v-
su manifestata: & ex illa rectissimè inferimus Congregationis nomen, communitati anti-
quæ Benedictinorum in Anglia propriè conuenire, modo veritas maioris pro-
positionis assumptæ declararetur. At ea etiam est ex dictis clarissima, etenim Summus Pon-
tifex Gregor. 15. (vt iam diximus), *Vnionem* Bursfeldensem vocat nomine Congregationis, eo-
demque nomine appellari docuimus à Gregorio 13. & Sixto 5. *Vnionem* exemptorum trium
Prouinciarum Galliæ; *Vnionem* etiam Benedictinorum Cataloniæ, Congregationis appella-
tione, nominant P. Antonius Yepes locis superius adductis. Congregationis etiam nomine,
suam

Quibus vocabulis indiscriminatim significetur apud peritos Cōgregationis natura.

ſuam appellant *Vnionem* exempti Prælati ordinis noſtri per Germaniam inferiorem. Quibus communitatibus non poteſt aduerſarius negare, quin verè & propriè conueniant appellationes, *Vnionis* (quia vniuntur inter ſe, communibus legibus, & ſuperiorum mutuo dependentium vinculis, *&* *obſeruantiæ ac reformationis*, quia communis diſciplinæ in melius reſtitutæ eadem forma vtuntur; *Capituli* etiam, quia ſtatis temporibus, ad Capitulum Generale conuenientes, de ſumma regularis vitæ deliberant, & conſtituunt, quæ expedire iudicant. *Ordinis* tandem, quia non minus ſunt ordines Religioſorum ſub S. Benedicti regula, quam Cluniacenſes aut Cæleſtini, aut alij eiuſdem inſtituti profeſſores. Patet ergo pro eodem haberi omnia iſta vocabula: & cui ea conuenire propriè poſſunt, etiam nomen Congregationis propriè competere; Ideoque Trithemius, tam hanc, quam reliquas appellationes, ſuis Burſfeldenſibus accommodat & ſæpè, & indiſcriminatim.

Fruſtra proinde Aduerſarius concedit cæteras quidem appellationes, ijs communitatibus aliquo vſque conuenire: Congregationis autem nomen, eiſdem competere pernegat. Neque enim illius aſſertio, & *autos epha* ſine ratione, ſine exemplo, imò contra rationis dictamen, contra vſum & exemplum Doctorum debet tantum valere, vt non poſſimus cum omnibus eo nomine vti, quo ipſe ſolus aſſerat vtendum non eſſe.

Omnes autem alij etiam legum conditores, ſic loquũtur. Quod licet iam ſatis oſtendimus, tamen alias probationes, liberaliter dabimus. Sane Gregorius 13. loquens de ordine S. Baſilij in tribus quidem bullis diuerſis, datis ad 1579. 2. Calend. Maij. & 8. Calendas Iunij: & anno 1579. Calend. Nouemb. appellat in duabus prioribus bullis rempublicam horum, Baſilianam *Prouinciam*, *Capitulum Prouinciale*, *vnionem &c*. nec ſemel quidem in eiſdem *Congregationis* voce vtens: at in poſtrema ſeu tertia, modo vocat eam *Capitulum*, modo verò *Congregationem*; habet enim hæc verba num. 5. *nos autem reductionem eorumdem monaſteriorum, prioratuum & monachorum in Congregationem & Capitulum &c*: ſimiliterque num. 13. *Congregationis* nomen illis attribuit. Ac ne fortè dicat aliquis non fuiſſe redactos hos religioſos in *Congregationem* vigore decretorum Concilij Lateranenſis, atque Tridentini; conſiderentur hæc verba bullæ eiuſdem, num. 3. *Maxime expedire duximus, à monaſterijs quæ in Italia & in vtriuſque Siciliæ regnis exiſtunt, quorum plagas propius inſpeximus, huiuſmodi inſtaurationem inchoare, ipſaque monaſteria in ipſam Congregationem, iuxta conſtitutionem fælicis recordationis Innocentij Papæ. 3. prædeceſſoris noſtri in concilio Generali editam, quæ incipit, in ſingulis, ac concilij Tridentini concilia redigere: & vt hoc facilius optatum conſequi poſſunt effectum: primum Generale Capitulum dicti ordinis celebrari mandauimus &c.* vides itaque ipſum pontificem, pro eodem habere *Congregationem. Capitulum reformationem, ordinemque Baſilianorum*: & eum communitatem ſeu rempublicam, quæ ad formam conſtitutionis, Innocentianæ facta ſit, ab *ipſo iuris* conditore vocari, ac proinde proprio etiam vocari debere Congregationem. Et nobis pro iure noſtro loquentibus, ſufficit cum iuris ipſius conditore ac moderatore, in modo loquendi conuenire.

Haud abſimili modo loquendi Pontifices in cauſis Carmelitarum Excalceatorum vtuntur. Illi ſiquidem authoritate Gregorij. 13. in bulla conceſſa anno 1580. die 21. Iun. Pontificatus anno. 9. & in altera bulla eodem anno data 20. Nou. à mitigatis (vt vocant), ſeparati, & in nouam prouinciam erecti, ſæpiſſimè vocantur fratres *Prouinciæ* N. & religioſi *Capituli* N. non autem talis *Congregationis* eodemque modo loquitur Sixtus. 5. in bulla eiſdem conceſſa anno 1586: die. 20. Septembris, Pontificatus ſui anno. 20. & tamen idem Pontifex Sixtus, in confirmatione harum bullarum, de eiſdem fratribus loquens: abſque vlla prorſus in modo regiminis ipſorum, mutatione, vocat ipſos ſæpius fratres Congregationis Diſcalceatorum, & religioſos *Congregationis* Diſcalceatorum, vt patet in bulla quam conceſſit anno 1587. die 27. Iunij, Pontificatus Anno 3. & in alia data, ſequentis menſis Iulij die 10. & adhuc in alia data die immediatè ſequenti. Sic & Gregorius 14. eoſdem vocat fratres *Congregationis* Diſcalceatorum, in bulla conceſſa 1591. die 25. Aprilis. Et Clemens 8. eorumdem fratrum communitatem ſiue rempub. quam Gregorius 13. appellauerat *prouinciam*, *& Capitulum*: vocat ipſe *Cõgregationem* in bulla data anno 1593. die 20. Decembris. Eodemque anno in alia bulla eis conceſſa 13. Iulij, nec Conhregationem, nec prouinciam, nec Capitulum vocauit, ſed *Oadinem* Diſcalceatorum. In alia verò data anno 1594. die 23. Maij vocat *Congregationem*. Imo Paulus 5. eorumdem fratrum prouinciam in Italia conſtitutam vocat *Congregationem Italiæ*, in bulla ipſis conceſſa anno 1605. Decemb. 15. Pontificatus ſui anno 1. & in alia eiuſdem anni, 12. Decembr. & in alia eodem anno data Septembr. 24. promiſcuè ſumit vocabula *ordinis & Congregationis*. In ſummario etiam priuilegiorum eiſdem conceſſorum, per bullam datam 12. Auguſt. 1610. Pontificatus ſui 6. pro eodem accipit *Congregationem & prouinciam*. Idemque ſæpè inuenimus in Bullarijs, omnium ordinum, quando agitur de Capitulo prouinciali, aut,

Generat

Generali, & Congregatione, sed frustra laboramus in re tam clara. Quare cum Pontifices iuris nostri cōditores, cum alij ordines religiosi, cum docti & prudentes historici hæc vocabula tanquam synonima idemque significantia promiscuè indifferenterque accipiant, atque Congregationis appellationem eisdem Communitatibus tribuant, quas aliâs vocarunt Ordines, Prouincias, Capitula, Reformationes; non est cur aduersarius scrupulo conscientiæ mordeatur, aut Congregationis nomen antiquæ prouinciali communitati Benedictinorum nigrorum in Anglia tribuere vereatur: non peccabit ita loquens, quia cum Pontificibus, religiosis, historicisque doctis loquendo, vitium improprij sermonis nullatenus incurret.

Confirmabimus eius conscientiam ex ipso modo loquendi dictæ Prouinciæ Anglicanæ quæ cum iam citatis authoritatibus optime conuenit, vt verum vero semper consentit. nam quotiescunque in constitutionibus suis agunt patres de communitate religiosorum suo Capitulo subditorum: eisdem sermonis formulis vtuntur, quibus Cluniacenses, Cistercienses, alijque regulares, in vera proprieque dicta Congregatione vti consueuerunt; Dabit autem nobis veniam aduersarius, si putemus dictos patres nostros, non minus intellexisse proprias loquendi formulas, quam ipse se putat intelligere. Cluniacenses igitur in suis statutis, quæ in bibliotheca Cluniacensi habentur, nunquam vsi sunt hoc Congregationis vocabulo, vt eo totam suam rempublicam significarent, sed vocabulis Ordinis, Capituli, Ecclesiæ Cluniacensis: vt in fundamentis latè probauimus & legenti statuta manifestum erit; Atqui nostri illi patres antiqui post concilium Lateranense, in suis constitutionibus eodem modo loquuntur. quia in statutis, Anno 1444. magno consensu promulgatis, plusquam octogesies religiosos suæ communitatis innuentes, vocant *religiosos sui ordinis, suo Capitulo subiectos, visitatores sui ordinis, monasteria suo Capitulo subdita.* Quare in ipso prologo statutorum aiūt. *In omni monasterio nostro Capitulo generali subiecto.* & in fine Cap. 2. *Nos vbilibet, nostræ religionis locorum, decernimus &c.* Et circa mediū Cap. 7. *Volumus etiā & strictè præcipimus, quod nullus Commonachus nostri Capituli &c.* Item in principio capitis. 11. *Huius igitur præcepti nostri ordinis monachos transgressores esse volentes, vniuersos nostri ordinis prælatos, authoritate nobis indulta monemus.* Multaque similia in alijs horum statutorum locis habentur, vt in instrumento procurationis à Capitulo datæ eunti ad Concilium Senonense, alijsque scriptis, quæ in fine lector, inuenies. Ideoque plura nunc non adducimus, cum illa legenti passim talia occurrent: sicut & in statutis Congregationis Bursfeldensis: & Congregationis exemptarum trium prouinciarum Galliæ, & Germaniæ inferioris, qui etsi sæpius *Congregationem suam* nominant, (nam exempti Galliæ, hac voce centies, & sexagesies vtuntur:) sæpissimè tamen monachos & monasteria sui ordinis, vel religionis vocant, vt eos *vnius labij* esse dicas sicut simpliciter candideque loquentes solent esse. Neque vero poterit hîc aduersarius excipere, ipsos Congregationis huius exemptorum in tribus illis Galliæ prouincijs patres, quorum authoritate sæpius vsi sumus, non in solius Innocentiani, aut Tridentini decreti dispositione, sed in aliqua alia Pontificum bulla vel concessione fundari: ipsimet enim patres contra testantur, vt expressè ostendunt sessione secunda capituli Generalis habiti anno 1580. apud maius monasterium; & in sessione tertia Capituli prologo: & circa medium libri in statutis ibidem factis fol. 16. quæ omnia si attente considerentur, & conferantur cum illis, quæ in secundo fundamento diximus, (ostendentes, ordinem monachorum nigrorum S. Benedicti habitum fuisse pro ordine per se distincto, ab ordine Cluniacensi, alijsque regulam B. Benedicti profitentibus familijs,) clarissimè etiam ostendunt monachos nigros Prouinciæ Anglicanæ inter se vnitos fuisse sufficienter, vt Congregationem veri nominis, etiam ab alia quauis distinctam constituerent.

Probatio sumpta à modo loquēdi Patrum Anglicanorū.

Profectò videtur omnino incredibile, aduersarium seriò loqui, quando id videtur negare: non enim potest negare, quin omnes illi conuentus religiosi monachorum nigrorum in Anglia, conuenerint in ijsdem prorsus cæremonijs & legibus: subditi fuerint, eidem regimini politico supremo, (quantum ad regularem attinet vitam) non secus ac plures vrbes ac oppida vni alicui regimini supremo subsunt, quando in vnam rempublicam conueniunt. Non potest etiam negare, regimen supremum, seu potestatem regitiuam (vt sic dicam) administrationemque illius potestatis aliquando residere in pluribus suppositis, vt in Senatu Aristocratico Venetorum: aliquando in vno supposito vt in rege aut monarcha Galliarū. At neque illud negare potest, regimen publicum illorum conuentuum Benedictinorum ex decreto Concilij Lateranensis ab illis acceptato, in præsidibus Capituli, & visitatoribus ab eo constitutis, verè collocatā fuisse. Non potest igitur negare verā fuisse rēpublicā. Omnis enim humana gubernatio, omne regimē, aut est monasticū, aut Oeconomicū, aut politicū. Illa Guberna-

Epilog. probationum huius conclusionis secūdę.

natio non fuit, monastica, qua vnius alicuius hominis singularis actiones ab ipsomet per rationis rectæ dictamen reguntur. Non Oeconomica, qua omnia vnius domus seu familiæ priuatæ negotia, iuxta leges prudentiæ domesticæ rectè disponuntur; Erat igitur Politica, & rempublicam constituebat. At iam ostendimus idem esse Religiosis Congregationem, quod laicis est Respublica; & propterea Panormitanus, in Cap. Sacrosancta, dixerat, vocem hanc *Congregationem*, propriè religiosis applicari.

Summa temeritas aduersarij.

Quod si dicat aduersarius, se quidem non negare, quin illa antiqua Benedictinorum Anglorum communitas rempublicam quandam constituerit: sed negare quod Congregatio vocari propriè debeat; quamuis abundè probatum manet hoc ab eo temerè & incredibiliter affirmari: tamen cùm eo ipso concedat, saltem in illa republica leges fuisse validas & legitimè latas, & iuxta ordinem iuris; non debuit tanta cum audacia nostros homines, in illa communitate, sub nomine (vt ille vult) improprio Congregationis, sub re tamen vera reipublicæ regularis, professas in eam persuasionem pertrahere velle, vt se inualidè professos putantes, abiecto regulari schemate, quasi votis vinculisque monasticis exuti, ad seculum reuerterentur. Longe aliud ecclesiæ est, in similibus occasionibus iudicium. Cum enim propter aliquod haud dissimile negotium quam plurimi ordinis S. Basilij monachi in abbatijs eiusdem ordinis, defectu sufficientis authoritatis, putarentur inualidè professi: non eos voluit declarare pontifex votis suis liberos, sed quicquid minus ad votorum suorum validitatem haberent, discretissima ordinatione sua, nullo sic professo vllatenus excluso, suppleuit: vt cõstat in bulla Gregorij 13. Ita pius pastor animabus religiosorum mederi debuit, non per desperata consilia, in questionibus tãtum de nomine, vt aiũt, modoque loquendi fundata. Et de secunda propositione satis iam dicta sunto, ad tertiam & vltimam accedamus.



DE AN-

SECTIO QVARTA

ALTERA PARS NOSTRÆ SENTENTIÆ: CONGREGATIONEM ANGLIÆ *HACTENVS PROBATAM,* FVISSE A CLVNIACENSIBVS SEMPER INDEPENDENTEM.

Synopsis totius Sectionis:

§. 1. Congregationem Anglicanam, & omnia eius monasteria, fuisse à Cluniacensium iurisdictione independentia, probatur primo: ex modo eligendi & confirmandi Prælatos. §. 2. Ex maxima differentia in exemptione ab ordinariorum potestate. §. 3 Ex prærogatiuis Cluniacensium Prælatorum, quas nunquam exercuerunt in monasteria Anglicana nigrorum. §. 4. Ex ipsa ratione diuersa capitulorum Cluniacensium, & Nigrorum. §. 5. Ex auctoritate S. Hugonis primi Cluniacensis, & Gulielmi Warennæ Comitis, primi fundatoris Cluniacensium in Anglia. §. 6. Ex catalogo Cluniacensium cœnobiorum. §. 7. Ex bullis pontificijs in fauorem Cluniacensium datis. §. 8. Ex statutis Cluniacensiũ; & potentia ipsorum cõparata cum potentia Abbatiarum nostrarum. §. 9. Ex suppreßione, confiscatione, indigenationibus Cluniacensium in Anglia. §. 10. Ex apportato, seu pensione quam Cluniacenses Angli soluebant quotannis Cluniaco. §. 11. Ex statutis prouincialibus Angliæ. §. 12. Cluniacenses nunquam conuenisse ad Capitulum generale nigrorum in Anglia. §. 13. Demonstratio affirmatiua ex antedictis summatim collecta.



TERTIA propositio, maximè opposita aduersarij dissertationibus, ista sit. *Illa respublica monastica, siue Congregatio antiqua monachorum nigrorum ordinis S. Benedicti* (quam hactenus probauimus saltem à tempore Lateranẽsis concilij sub Innocentio 3. celebrati, in Anglia extitisse) *fuit planè distincta, à Congregatione siue ordine Cluniacensi, & tam ab illa, quam ab omni alia Congregatione vltramarina prorsus independens.*

§. 1. Demonstratio prima.

Hanc conclusionem multis modis demonstrare possumus. Primò enim vnicum indicium aut argumentum, quo monasterium quodpiam discerni potest etiam per Cluniacenses reformatum, à monasterio eidem Cluniacensium Congregationi subiecto & incorporato, sumitur ex Prælati electione, & confirmatione. Apertissimè enim patet ex infinitis locis bullarum seu priuilegiorum Cluniacensibus concessorum, & constitutionum ab eisdem editarum, omnes Prælatos, maximè Abbates & Priores cœnobiorum ecclesiæ & ordini Cluniacensi subiectorum, non debuisse ab alio quopiam ordinari, aut confirmari, nisi ab ipso Cluniacensi Abbate, aut eius authoritatem per deputationem obtinente. Ideoque in bullis confirmatorijs priuilegiorum ordinis ferè semper habetur, *vt Abbatiæ vna cum ordinationibus Abbatum* Cluniacensi ecclesiæ subijciantur, vt in Abbatijs ordinis Cluniacensis, *nullus Abbatem sine consensu Cluniacensis Abbatis ordinare præsumat.* Sic in bulla Innocentij Secundi, qua terminatur contentio inter Petrum Venerabilem, & Petrum Abbatem S. Ægydij, sese à Cluniacensis monasterij subiectione subducere volentis, Pontifex mandat, vt non nisi de conuentu Cluniacensi Abbas monasterij S. Ægidij prouideatur, Colum 1395 & in bulla de causa simili

 Abbatis

Abbatis S. Benedicti de Pado, fol. 1405. notanda sunt illa Pontificis verba, tanquam de persona Petri Venerabilis posita. *Abbas inquit & fratres monasterij supradicti, debitā tibi (fili Abbas), & ecclesiæ tuæ obedientiam & reuerentiam subtrahentes, super premißis & alijs iniuriosi tibi & graues existunt, ac à tua, & ecclesiæ tuæ subiectione se ac monasterium suum subtrahere molientes, ijdem quoque fratres Abbatem sibi eligere non formidant, absque tua & fratrum tuorum conniuentia & consensu*; Et vice versa Abbas S. Benedicti de Pado pro se obijcit, se & monasterium suum in nullo teneri Abbati, aut Ecclesiæ Cluniacensi, quia per priuilegia sedis Apostolicæ, ex antiquo *dispositio & ordinatio Abbatis, ad fratres eiusdem monasterij sui pertinebat*. quasi præcipuū subiectionis argumētū fuerit in ordinatione Abbatis positū. Rursus in priuilegio Lucij Papæ (Col. 1409.) quo cōmittitur & subijcitur Petro venerabili monasteriū Romanum S. Sabæ, decernitur *vt sine Cluniacensis Abbatis prouisione & cōsilio ibidē Abbas de cætero nullatenus eligatur.* Sed clarissima est ea de re bulla Clementis Papæ, quæ habetur Col. 1452. vbi repetitur causa S. Benedicti de Pado, & à tribus Pōtificibus narratur prolata sententia, *ordinationem Abbatis illius cænobij, propter subiectionem Cluniacensi ecclesiæ debitam, nullatenus debere fieri sine prouisione Cluniacensis Abbatis* Abbatemque absque ea prouisione electum, à nullo Episcopo debere ordinari: & si ordinatus fuerit, Episcopum ipsum ordinantem pœnis grauibus subijci, ordinationem autem non valituram, donec ecclesiæ Cluniacensi satisfiat. Similiter Col. 1454. in bulla confirmatoria priuilegiorum, quam Clemens concessit Hugoni quarto Cluniacensi, & in aliquibus antiquioribus, dicitur: *In Abbatijs quæ cum suis Abbatibus ordinationi Cluniacensis monasterij datæ sunt, sine Cluniacensis Abbatis consilio Abbas nullatenus eligatur*. Idemque confirmauit Innocentius tertius Hugoni quinto Cluniacensi, in bulla quæ habetur Col. 1498. Quæ priuilegia supponentes, Abbates Cluniaci, (vt constat ex statutis Hugonis quinti Abbatis Cluniac. Col. 1476. & Henrici 1.) *excommunicarunt omnes, qui Prælatos sibi eligerent, vel electioni de se factæ consentirent.* Vide Col. 1576. & Col. 1597. in statutis Ioannis tertij Abbatis Cluniacensis. Et in summario priuilegiorum Col. 1696. in summario bullæ Gregorij Papæ decimi habetur: *quod monachi Cluniacenses faciunt soli Abbati Cluniacensi professionem, promittunt obedientiam manualem, quatenus nouus Abbas instituitur, & reddunt rationem de eorum administratione. Et habet Abbas liberam institutionem, & destitutionem in Prioratibus. Et literæ Apostolicæ super electione facienda, & confirmatione in prioratibus, non sunt alicuius momenti, & contrarium facientes puniuntur per Abbatem.* Item in eodem enumerantur Prioratus, atque etiam Abbatiæ monasterio Cluniacensi subiectæ, & cauetur quod *sine consilio* Domini Abbatis Cluniacensis, *in dictis monasterijs & Abbatijs nullus eligatur.*

Electio Abbatū Angliæ semper indepēdens à Cluniaco.

Atqui constat ex Historiographis nationis nostræ, præcipuorum monasteriorum Capituli nigrorum Abbates non fuisse à Cluniacensi Prælato, neque eius expectato consilio vel consensu electos aut confirmatos. Etenim Matthæus Paris sui temporis exactissimus enarrator, suique monasterij S. Albani fidelis historicus, non malè affectus erga reformatiorem disciplinam, quippe qui à Norwegis postulatus, & à rege Henrico tertio, datus fuerit reformator monasteriorum illius regni, rebusque fæliciter confectis, ad suum redierit quietis amator monasterium; Hic inquam, Matthæus Paris ad annum Domini 1214. Pag. 243. editionis Tigurinæ, primum Abbatem à rege Offa, (ante incunabula Cluniacensis Monasterij,) narrat fuisse institutum: enumeratque omnes illius successores. 17. numero Abbates, vsque ad Guilielmum, quem fratres ipsius ecclesiæ, & conuentus elegerunt sibi Abbatem. Modum autem electionis, ab omni Cluniacensis aut cuiusuis alterius Congregationis prouisione, consilio, vel consensu prorsus independentem fuisse constat ex ipso Mattheo, ad annum 1235. pag. 595. vbi narrat electionem Iohannis, qui Guilielmo prædicto successit; locum ipsum totum authoris, quia clarissimè id quod diximus, confirmat, apponemus. Eodem (inquit)

Modus celebrā di electionē Abbatis S. Albani.

„anno, die S. Matthiæ apostoli, obijt Willielmus, piæ memoriæ, Abbas ecclesiæ S. Albani, „postquam eandem rexerat annis viginti, & mensibus ferè tribus: & sepultus est tertio Calendas Martij in Capitulo monachorum. Quo sepulto in continenti, scilicet eadem die, tres „fratres ad regem sunt destinati, & ab eo impetrata libera rite eligendi facultate, Abbatem „eligerunt. obtinuerunt etiam fratres, à Domino rege, gratiam habendi totam domum suā „in manu sua (exceptis exchatis, & ecclesiarum donationibus) à die obitus prædicti Abbatis, vsque in annum completum, pro qua obtenta donauerunt monachi regi trecentas „marcas. Deinde obtenta à rege licentia Abbatem eligendi, die martis, post annunciationē „B. Mariæ, conuocatis nobilibus ecclesiæ membris, scilicet Prioribus cellarum: & omnibus „qui debuerunt, & voluerunt, & potuerunt commodè interesse; elegerunt solemniter Iohannem de Hertfordia (Priorem de Hertfordia,) monachum suum professum, in pastorem „animarum suarum, virum pium & monachum ordinatum; qui regi præsentatus, ab illo

fauorabi-

„fauorabiliter est receptus, Dominica in ramis palmarum. Deinde missi sunt duo monachi, „eiusdem ecclesiæ, & clerici, (sc. Dominus Nicholaus de Len, & Dominus Reginaldus Phy„sicus, & magister Galfredus de Langleia) ad curiam Romanam, ad quam immediatè spe„ctat, vt electionem ritè factam, impetrarent à sede Apostolica confirmari, vbi sine diffi„cultate electione confirmata, cum benedictione Apostolica sunt reuersi. Insuper appro„bata est forma electionis, & progressus negotij, admirantibus cunctis, quod inter tot Ca„pita, vna fuit sententia, & vnanimis consensus; Vnde à multis dictum fuit, in curia Ro„mana, & ab ipso papa, quod non siue nutu spiritus sancti istud fuerat prosequutum. *Mul„titudinis enim credentium fuit cor vnum, & anima vna.* Et vt audientem non lateat, hæc est „consuetudo eligendi Abbatem in Ecclesia S. Albani. Confessores scilicet tres, vel quatuor, „iubentur strictè in virtute Spiritus sancti (vtpote qui cognoscũt corda & renes singulorũ) „vt ipsi eligant duodecim de conuentu fratres electos, scilicet fideles & peritos, vt ipsi, vel de „seipsis, vel de ipso conuentu Ecclesiæ, vel de cellis, vnum idoneum eligant in Abbatem. Vt „autem eorum electio, & labor deliberatiuus super hoc negotio, irritus non habeatur: lite„ras habent de conuentu, penes se, sigillo conuentus roboratas: vt ipse cõuentus illũ, quem „ipsi duodecim eligent in Abbatem, sine cõtradictione vnanimiter suscipient & gratanter. „Vnde series negotij sic prosequuta, à summo Pontifice & omnibus audientibus, cum admi„ratione est commendata, & facta examinatione, authoritate Apostolica cõfirmata. Verun„tamen quia de persona electi papæ non constabat, dedit summus pontifex in mandatis, E„liensi & Londonẽsi Episcopis, vt ritè facta ex persona electi examinatione, eundem in Ab„batem confirmatum benedicerent: plenè in omnem tam spiritualium quam temporalium „administrationem instituentes. Post hæc autem idem electus, facta examinatione, in crasti„no natiuitatis B. Marię in Dominino die à Rogero Londinensi Episcopo (quia ambo nego„tium exequi non poterant iuxta mandatum Apostolicum) benedictionem Abbatis susce„pit. Legit autem electus literas clausas & bullatas ante altare indutus solenniter, quibus „antea consimiles non vidimus scilicet de profectione, & visitandis apostolorũ liminibus „de triennio in triennium, quod grauiter accepimus. sed hæc postea plenius. Medio autem „tempore, quo hæc omnia facta sunt, remansit, Abbas cum omnibus pertinentijs, sub custo„dia conuentus, ex regio beneficio, hospitalitate integra remanente. Hactenus Matthæus. Quid ais lector beneuole, an non hæc apertissimè ostendunt, Abbatiam illam nullo modo spectasse ad Cluniacense regimen? nulla fit mentio Abbatis Cluniacensis, aut consilij vel consensus illius, nec in electione, nec in confirmatione, nec in consecratione: Sed solius regis authoritas, propter baronatum annexum, solius pontificis propter omnimodam exemptionem fit mentio. Electio denique talis ponitur, tanquam conuentui iam olim consueta, & à Pontifice confirmatur, qualem nullus Abbas Cluniacensis admisisset: quippe in qua conuentus ipse liberrimè eum in pastorem suum assumit, quem de suo gremio inuenit idoneum, nullo extraneo ad eum concurrente. Quod si Cluniacensium vllum in ea ius extitisset, cur Hugo sextus Abbas, simul Cluniacensis, & maioris monasterij, vir magnus & potens, in curia Romana, querelam non deposuit, quod se neglecto, consilioque suo, Abbatem sibi, monachi Albanenses delegissent? cur non ad eum prius quam ad Papam? imo cur omninò ad papam, si ad Cluniacensem authoritas illa spectasset, monachi sunt pro confirmatione electionis destinati? Nimirum satis clarè asserit Matthæus, qui sui monasterij statum probè nouerat, *ad solum papam immediate* (non mediante Cluniaco) *spectasse illius electionis ratificationem.* Et quod de exempto hoc monasterio S. Albani: idem de monasterijs westmonasterij, Edmõdi Burgensi, & Augustinensi Cantuariæ, similiter exemptis & sedi Apostolicæ immediatè subiectis, par est dicere. Quorum Abbates à conuentibus ipsis electi, à rege propter Baronatum, à pontifice propter exemptionem, solebant confirmari. Quod de monasterio S. Augustini Cantuarię, expresè docet idem Matthæus ad annum 1253. Pag. 814. quod præcentorem suum summa cum festinatione in Abbatem elegerint monachi, ne regiæ paterent rapacitati. Et de westmonasteriensi in tribus consequutiuè electionibus suorum Abbatum. p. 942. Et de Abindonensi pariter ad annum 1256. pag. 899, in quibus nulla Cluniacensis concilij ratio aut mentio est habita, cum tamen accuratè satis narrat author, qui nam Romam pro confirmationibus missi fuerint obtinendis. Quod vtique tanto cum sumptu & labore non fecissent, si aut Cluniacum solum adire debuissent (vt sane debuissent, si illi reuera fuissent subiecti;) aut saltem Cluniacensis Abbas, audita & approbata electione, pro ijs Pontifici à propinquo supplicasset: facturus id proculdubio pro sibi subiectis, vt parceret ipsorum labori, prouideret electionis securitati, quæ sæpè Romæ rescindebatur: & partem illam sumptuum potius in vsum Ecclesiæ suæ diuerteret. Hæc igitur nigrorum exempta monasteria, non fuerunt

De cœnobio S. Augustini Cãtuariæ.

Cluniacensibus subdita, vel incorporata. Fuerũt tamen Capitulo Generali Anglico subiecta, cui Capitulo, non concesserat Innocentius in Concilio authoritatem (instituendi, aut destituendi Abbates, sicut Cluniacensi Abbati fuerat ab alijs Pontificibus indulta: sed specialiter in ipsa constitutione, consuetum ius suum aut cõuentuum diocæsanorum ea in re voluit obseruari. Vt proinde authoritas instituendi, ac deponendi Abbates, sit nota certa Congregationis Cluniacensis, non autem requiritur ad quamlibet Congregationem.

Abbates multi Angliæ etiã fuẽre simul Episcopi.

De alijs autem monasterijs apud eundem Matthæum extat etiam narratio, quod suos Abbates liberè, sine vllius vltramarinæ authoritatis (voluntatem Romanæ sedis excipimus) ratione vel respectu eligerint. Et rationem satis euidentem insinuat: Nam eorum Abbates simul erant futuri episcopi, ideoque non poterat eorum electio, à Cluniacensi externo corpore pendere, sic ad annum 1237. & 1257. pag. 464. docet Couentrienses Monachos, non obstantibus regijs minis, & blanditijs, suarum tamen animarum Pastorem, Abbatem, & Episcopum elegisse. Idemque de Wintoniensibus monachis S. Suithini, eodem anno scribit pag. 501. & de Eliẽsibus ad annum 1256. pag. 907. & 921. vbi ipsorum electionem de suo superiore in Prælatum & Episcopum suum factam, vt sanctam & canonicam laudat, & ratam manere persuadet Henricus Angliæ Cancellarius, quem rex tamen cupiebat à monachis adoptari. Quæ de monasterio S. Albani, ex Matthæo Paris attulimus, confirmat etiam Thomas Walsinghamus, eiusdem cœnobij monachus & præcentor, qui ad annum Domini 1396. hæc habet. Eodem

Iterum de S Albano.

„anno decessit, totius monasticæ religionis speculum, *currusque & auriga eius*, D. Thomas, „Abbas monasterij S. Albani, cui successit per electionem, D. Ioannes Moot, Prior eiusdem „loci, qui iuxta noua priuilegia à curia impetrata, (vt videlicet eo ipso, quo ritè foret electus „esset & confirmatus) primus omnium eo priuilegio vsus est. Antea enim Romam, pro con„firmatione nuntios destinare cogebantur. Suscepitque munus benedictionis ab Archiepis„copo Cantuariensi D. Thoma Arondell, non quia sic oportuit (erat quippe ab omni iuris„dictione Diocæsanorum exemptus:) sed quia per manus eius benedici præelegit. Et postea „ad annum 1401. pag. 3571. Hoc anno (inquit) D. Ioannes Moot, Abbas S. Albani rebus hu„manis exemptus est; cui successit per viam scrutinij, D. Guilielmus de Henworth, Cellera„rius dicti loci. Quamquam Capitulum fuisset eo die turbatum per minas nuntiorum ex „parte regis venientium, vt regis intuitu alium elegissent. Vides liberrimam electionem, non solum ab authoritate Cluniacensis, verum ipsius etiam regis independentem; & confirmationem, non solum ab assensu Cluniacensis Prẹlati, verum etiam ab ipsius Pontificis, per eius priuilegium, absolutam.

Institutio collegij monastici Oxoniensis.

Denique Collegium Oxoniense, (quod Aduersarius temerè & falsò, vt ex ipsa fundatione constat) asserit erectum fuisse præsertim pro Cluniacensibus) eligebat sibi suum Priorem, ex numero omnium collegarum, cuiuscumque tandem essent Abbatiæ Capitularis; qui Prior non ab alio, quam Præside Capituli Anglicani, confirmabatur; nec in eius rei ordinatione, quam in fine libri inuenies, vlla mentio Cluniacensium habetur. Imo nunquam ostendere poterit aduersarius, vllum eorum cœnobiorum, quæ ad Capitulum Generale Angliæ, ex Innocentiano decreto conueniebant, expectasse aut curasse, Cluniacensis Abbatis aut ordinis, vel alterius vllius externi capitis aut corporis (solo Pontifice excepto) consilium, vel prouisionem, in suorum Prẹlatorum electione aut confirmatione: vel rerum suarum quacunque dispositione. Non erant ergo vllo modo subiecta vel incorporata Cluniacensi ordini, vel alteri cuiuis Congregationi, extra Angliam positæ.

§. 2. Demonstratio 3. *ab exemptionis priuilegio.*

Secunda demõstratio à modo exemptionis visitationis &c.

Idem potest demonstrari, ex alijs Cluniacensium proprijs notis, *visitatione* nimirum, & *exemptione*. Pro quibus primò apponamus verba Henrici primi Abbatis Cluniacensis, qui rexit ordinem illum anno 1308. & habentur in statutis eius in bibliotheca Cluniac. pag. 1558. „sub hoc tit. De authoritate Abbatum Cluniacensium in visitando. Quia (inquit) teste B. „Gregorio, nullum Deo maius sacrificium, quam zelus animarum: ad ipsarum animarum v„beriorem salutẽ, & ordinis prosperiorem statum, præcipiunt saluberrimè statuta apostoli„ca Abbatibus Cluniac. quod ordinem Cluniacensem, locaque sui ordinis, & remotas pro„uincias eiusdem per se vel per alium, sicut ipsis possibile fuerit, studeat visitare. Ex quibus „& subsequentibus clarè patet, quod Cluniacenses Abbates, omnia loca ordinis, etiam Ec„clesiæ Cluniacensi subiecta immediatè, sicut facerent Episcopi nisi exẽpta essent, debebunt „& poterunt visitare. Etenim visitatio Episcoporum, quam in dictis locis habebant ipsi E„piscopi, per exemptionis virtutem & efficaciam, in Abbates Cluniacenses, velut in Patres

Cluniacenses à suis

princi-

„principales & caput ordinis, est translata, suntque ipsius exemptionis virtute, loco Epis-
„coporum & Prælatorum in visitatione huiusmodi, subrogati. Et paulo inferius. Cum enim
„solis Abbatibus Cluniacensibus, omnibus Prioribus ordinis exclusis, monachi prioratuum
„omnium, decanatuumque ac monasteriorum seu Abbatiarum quarumcunque, ore & scri-
„pto promittant obedientiam, quæ aufert totale Dominium sui à promittente, transfert-
„que in illum, cui talem obedientiam promittit, tanquam in verum & proprium pastorem:
„liquidò apparet, monachos ipsorum locorum, Abbatum Cluniacensium proprias oues es-
„se, ipsosque Abbates Cluniacenses abstringi ad cognoscendum diligenter istos mona-
„chos tanquam oues suas, & ad visitandum eos opportunè, dirigendumque in viam salutis
„æternæ, bonis exhortationibus & exemplis. Et post pauca, quibus id amplificat. Denique
„zelantibus profectum ouium Christi, minimè id debet esse graue seu molestum, quin imo
„suaue & acceptum: cum in visitatione huiusmodi, in qua vacandum est exhortationi bo-
„norum, correctioni excessuum, & reformationi morum, cognoscere de causis subdito-
„rum ipsorum superiorum non intendamus, nisi in casibus nobis, patri & iudici ordinario
„totius ordinis, successoribusque nostris de iure & consuetudine competentibus & conces-
„sis. Item quia Abbates Cluniacenses, ad Camerarias seu Prouincias Angliç, Hispaniæ,
„Lombardiæ, Alemanniæ, & alias consimiles à Cluniaco remotas ac distantes, nequeunt
„pluribus & arduis negotijs impediti sæpè pro visitando personaliter accedere, vt deceret &
„expediret prosperitati status vtriusque, spiritualis scilicet & temporalis locorum prouin-
„ciarum huiusmodi: propter quod decet & expedit ad dicta loca per Abbates Cluniacen-
„ses mitti quandoque Visitatores Generales pro domibus ordinis Cluniacensis, in illis parti-
„bus debitè visitandis; Nos qui iuxta statutum Apostolicum tenemur loca ordinis nostri
„per nos vel per alios visitare, præcipientes destrictius ordinamus, vt omnes & singuli de di-
„cto nostro Cluniacensi ordine, in dictis partibus existentes, nobis & ecclesię Cluniacensi,
„immediatè, aut mediatè subiecti, visitatoribus huiusmodi in visitationis officio, tanquam
„nobis deuotè obediant & intendant, eorumque reformationem & correctionem recipiant
„patienter. Qui verò talibus visitatoribus inobediens extiterit, si est beneficiarius, benefi-
„cium amittat, si non excommunicationi subiaceat ipso facto.

Cluniacensibus visitari tantum debent.

Ex quibus antiqui statuti Cluniacensis verbis constat omnia loca ordinis illius, virtute subiectionis ac dependentiæ, quam ad Abbatem Cluniacensem habebant etiam in ipsa Anglia fuisse ab omni Episcopali iurisdictione & visitatione libera atque immunia, & à solo Abbate Cluniacensi & deputatis eius debuisse & potuisse in Anglia, alijsque prouincijs visitari. Atqui pleraque omnia monasteria, Capitulo Congregationis Angliæ subiecta non gaudebant exemptione à diocesanis: constat enim ex ipso catalogo Prælatorum Capitularium, quem fideliter damus in finem libri, solum quinque fuisse hoc modo exemptas Abbatias, nempe Albanensem, Westmonasteriensem, Augustiniensem, Edmundiburiensem, Euishamensem & fortassis Glastoniensem, quamquam in catalogo illi solum conuentus enumerati, dicuntur exempti. Et ratio etiam suadet, quia illis temporibus, multa ex cœnobijs illis, erant etiam cathedralia, quorum scilicet Abbas erat Episcopus loci, & à conuentu monasterij eligebatur; nimirum monasterium Christi Cantuariense, Abbatiæ Dunelmensis, wintoniensis Eliensis, Norwicensis Wigorniensis, Bathonensis, Couentriensis, Roffensis &c. Hæ Ecclesiæ Abbatiales simul erant & cathedrales, quæ propterea non erant omninò ab Episcopi sui iurisdictione exempti, quia Episcopi ipsi erant Abbates ab ipsismet conuentibus electi: nullus autem conuentus absoluitur ab Abbatis sui iurisdictione, nisi contingat ipsum esse prorsus laicum & commendatarium quæ pestis tamen (vt bene docet doctissimus Sanderus supra citatus) nondum Angliam inuaserat.

Cluniacenses omnes exépti ab omni Iurisd. Episcopali.

Præterea, ex historia manuscripta Abbatiæ Dunelmensis, quędam per notarios authenticè descripta habemus, inter quæ hæc est historia, qualiter anno Domini 1280, cum Archiepiscopus Eboracensis pro dignitate & officio metropolitæ, voluisset Priorem & conuentum ecclesiæ Dunelmensis, visitare: & ipsi visitationem noluissent admittere, non allegarunt ipsi exemptionis priuilegium, sed tantum contra personam visitantis exceperunt, tum aliis causis obiectis, vt probarent eum ad actum iurisdictionis inhabilem: tum maximè ob excommunicationis maioris censuram, qua esset nominatim excommunicatus duobus titulis, tum ob non solutam decimam Sexennalem per Papam Gregorium decimum impositam, in concilio Lugdunensi; tum quia *esset notorium* (inquiunt) *ipsum maioris excommunicationis sententia innodatum, per conseruatores priuilegiorum, monachorum de Pontefracto Cluniacensis ordinis, quia priuilegia illis indulta confregit.* Ex qua narratione euidenter constat, conuentum Abbatialem Dunelmensis ecclesiæ non fuisse exemptum: cum tamen prioratus de Pontefracto Cluniacē-

De monasterio Dunelmensi.

ſis ordinis non longè diſtans ab Abbatia, exemptionis prærogatiua muniretur. Aliter enim non fuiſſet opus excipere contrà perſonam Archiepiſcopi tanquam excommunicati, ob violata Pontefracti priuilegia, & alios titulos: ſed ſatis fuiſſet, imò primum omninò eſſe debuit, ſuam exemptionem allegare, quod tamen non fecerunt; vt nec in tota hiſtoria illa, talis exemptionis mentio habetur, cum tamen origenes monaſterij, decurſumque contineat. Eſt autem origo monaſterij (ne putetur Cluniacenſe) talis (vt ex illa conſtat hiſtoria cap. 70.) Aldwinus monachus Abbatiæ de Winchecombe, cum duobus monachis Euishamenſis Abbatiæ, venerunt in Northumbriam, & monaſterijs de Iarrow, & Weremouth in ea prouincia reædificatis, alijſque nonnullis (quæ 180. annos poſt Inguarum & Hubbam Daniæ tyrannos vaſtata remanſerant,) reſtitutis, & monachis inibi collocatis, primus Prior eccleſiæ Dunelmenſis, factus eſt, anno 1083. eo enim anno (vt poſtea alio capite narratur) monachi de, Yarrow & Weremoutha venerunt Dunelmum. Ab eo autem tempore Yarrow, & Weremutha manſerunt tantum vt celiæ ſeu prioratus ſubiecti Abbatiæ Dunelmenſi, vſque ad diſſolutionem monaſteriorum ſub Henrico 8. factam. Erant enim reductum exiguorum, quæ cauſa eſt cur in Capitulo Generali, non comparuerint eorum Priores, ſi ut nec aliarum cellarum minorum, quæcumque Abbatijs maioribus erant ſubiectæ. Eſt autem pro re noſtra notandum hoc tempus, quo Aldwinus poſt reædificata monaſteria Yarrow, & Weremoth, aliaque in Northumbriæ agro, factus eſt demum Prior Cathedralis Abbatiæ Dunelmenſis (nam Dunelmum olim vocabatur, terra Epiſcopatus, & habebatur tanquam pars Northumbriç) nempe anno 1083 quinque annis poſt Cluniacenſium primum Lanzonem, Priorem S. Pancratij, in Anglia conſpectum: & quatuor annis ante ſecundam miſſionem Cluniacenſium in Angliam, quæ fuit eorum qui Bermondſeiæ in ſuburbijs Londini conſederunt. Anno enim 1089. venerunt Petrus, Richardus, Osbertus, Humbaldus monachi de conuentu Charitatis, quorum primus Petrus, Prioris Charitatis iuſſu, conſtitutus eſt Prior Bermondſeiæ, alijs ſub ipſo, in eodem prioratu manentibus. Atqui Aldwinus Prior Dunelmenſis, iamdiu antea in Northumbria rexerat monaſteria à ſe reædificata, & diu ante reædificationem ſuſceptam, in Abbatia Winchcombæ monachus extiterat; Cluniacenſes vero non ante 1078. in Anglia conſpectos fuiſſe inferius demonſtrabimus; Non fuit ergo Dunelmenſis eccleſia, de Congregatione Cluniacenſi, cum in antiquiſſima hiſtoria monaſterij nulla fiat mentio talis ſubiectionis. Nec fuerit illa eccleſia exempta à viſitatione Epiſcoporum à qua tamen immunia erant omnia loca Cluniacenſium. Et tandem quia verba, contextuſque & factum ipſum hiſtoriç, quam narrauimus, omninò demonſtrant, id quod vrgemus, loquitur enim author hiſtoriç de Pontefracto, cum additione illa noſtris hiſtoricis ſolita vocatque *ordinis Cluniacenſis*, qua additione iudicant diuerſam aliquam Congregationem, maximè Mattheus Paris: qui ſicut vocat ordinem Ciſtertienſem, & ordinem canonicorum S. Auguſtini, ita vocat ordinem Cluniacenſem, & ordinem Nigrorum, tanquam quatuor diſtinctos ordines & Congregationes.

Quare ad annum, 1253. ponit viſitationem ordinis nigrorum per Angliam, & Galliæ regna Epiſcopis diocœſanis iniunctam, vt quoſdam articulos reformationis obſeruare cogerentur, qua narratione, tria inſinuantur argumenta, id quod volumus probantia. Tunc enim viſitabantur ſolum Abbatiç non exemptæ: docet ſiquidem Albanenſe monaſterium ob exemptionem declinaſſe viſitationem; At omnia Cluniacenſium monaſteria exempta erant; non ergo intelliguntur nomine ordinis Nigrorum, cuius ſolius conuentus viſitandos Pontifex declarauit. Deinde viſitatio fuit iniuncta, ad articulos quoſdam reformationis introducendos: at omnia Cluniacenſium monaſteria erant reformata tunc, imo vigebat in eis diſciplina regularis ſub ſanctiſſimo Abbate Yuone primo, de quo vide quanta prædicat Girardus de Aruernia in Chronico Cluniacenſi. Hic eſt (inquit) *preco diuini verbi, tuba euangelij, amicus ſponſi, Columna Dei, oculus cœci, lingua muti, pes claudi, ſol terræ, lumen patriæ, miniſter altiſſimi, vicarius Chriſti Chriſtus Domini. Tota conuerſatio huius, eſt ſchola honeſtatis, morum ædificatio, & ſtructura iuſtis. Eſt enim in iudiciis rectus, in carne Angelus, in miſericordia totus, in dando largiſſimus, & in conſilijs circumſpectus.* Et ne putes adulatoria hæc dicta ab illo: conſtat dictum Iuonem dum viueret, totum ordinem in ſumma pace & tranquillitate conſeruaſſe. Quantæ autem æſtimationis fuerit tunc ordo Cluniacenſis, apud Pontificem, conſtat ex eo, quod paulo ante, hanc viſitationem, Innocentius quartus, cum duodecem Cardinalibus ſuis; rex etiam Francorum Ludouicus cum Regina & ſorore, & fratre comite Arteſiæ; Imperator quoque Conſtantinopolitanus, filius Regis Aragonum, filius regis Caſtellæ, alij inſuper duces, & Epiſcopi, Cluniaci ſunt hoſpitio ſimul, & ſemel excepti, infra ambitium monaſterij *& tamen nunquam propterea* (ſunt verba Chronici Cluniacenſis) *monachi amiſerunt dormitorium, neque refectorium, neque*

monaſterio-

monasterii, neque Capitulum, neque Infirmariam, neque Cellariam, neque coquinam neque aliquā de officinis deputatis conuentui. Quæ omnia ita fusè retulimus, vt constaret, visitationem, quā narrat Matthæus ab Episcopis Diocæsanis in ordine nigrorum ex mandato Pontificis factam, non extēdisse se ad ordinem Cluniacensem, tum quia erat Congregatio reformata sub religiosissimo tunc Abbate florens: tum quia apud Pontificem Maxim. erat summo in honore, & apud reges Galliarum: tum quia fatetur, imò non sine felle notat aduersarius pagina 122. Cluniacenses monachos, à pōtificibus & amicis *fidelissimis pōtificiæ authoritatis, iudicatos fuisse maximè idoneos rebus apostolicæ sedis promouendis*; ideoque magna animorum contentione ipsorum ordinem ab ipsis propagatum; vt propterea ipsorum ordinem, quem tantis priuilegijs ornantes ab omni iurisdictione Episcoporum exemerunt, non intenderint pontifices, illi mandato reformatoriæ visitationis subijcere. Tertiò distinctis verbis Matthęus vocat ordinem nigrorum, & non ordinem Cluniacensem. at ille nunquam nominat monachum, aút locum de quo certum sit fuisse Cluniacensem, quin addat illum titulum declaratiuum, *ordinis Cluniacensis.* Quare intelligit nomine monasteriorum nigri ordinis, monasteria non Cluniacensia.

Sed redeamus ad Dunelmensis ecclesiæ factum, quo se contra Archiepiscopalem visitationem tuebantur. Sicut ergo ecclesia Dunelmensis: ita cęteræ ecclesiæ cathedrales, præter visitationem à generali Capitulo institutam, etiam visitationi episcoporum, vtpote Abbatum suorum erant subiectæ; sicut & omnes aliæ abbatiæ, & prioratus Capituli Anglicani (exceptis quinque exemptis supra nominatis) quod aliàs, tam de iure, quam de facto probari potest. De Iure quidem ex constitutione Othoboni, quæ incipit *Ad hæc*, & solos monachos nigri ordinis concernit, vbi pręscribitur examen, de esu carnium, Episcopis subiecta sibi monasteria eiusdem ordinis visitantibus, non minus quam ipsis Abbatibus Capitulo Generali præsidentibus. Erant ergo monasteria quædam Capitulo Generali subiecta, quæ etiam Episcoporū visitationibus erāt de iure obnoxia. De *facto* autē, vt ex visitationibus iā dictis & alijs etiam à Roberto Lincolniensi Episcopo factis patet apud Matthęum Paris, ad annum Domini 1251, in tota diocæsi Lincolniensi, quæ amplissima est inter omnes Angliæ Episcopatus, multasque continet insignes ordinis nostri Abbatias, vt Crowlandensem, Bardeneyensem, Eynshamensem, Rameseyensem: & prioratus etiam Capitulares præstantissimos, vt Spaldingam, Dauentriam, Luffeldiam, Bradwelliam, Snelshalliam. In ijs omnibus domibus, & alijs etiam diocęsis suæ conuentibus, visitationis officium seuerissimè dictum Robertum Lincolniensem exercuisse, narrat Matthæus, & nominatim recenset modum, quo austerè nimis Ramseyensem Abbatiam visitauit, nec vllam ei factam meminit resistentiam à conuentibus & Abbatijs, quam proculdubio fecissent, si exemptionis benificium habuissent. Quod, notandum est, probare clarissimè, tum alias Abbatias Capituli nostri, non fuisse Cluniacēses; tum specialiter nec Ramseyensem, (quæ tamen aliquando Abbatem Cluniaco dedit) fuisse Cluniacensem, quùm ab episcopo diocæsano authoritate ordinaria visitari consueuerit. Nam si fuisset Cluniacensis, ab episcopo visitari, nec debuisse, nec potuisse, tum factum Dunelmensis ecclesiæ (allegantis Archiepiscopum propterea excommunicatum, quia prioratum Ponte-fracti contra priuilegia Cluniacensium vexauerat) probat, tum etiam verba Henrici Cluniacensis, in statuto superius posito constanter id asserentis, demonstrant.

Quæ verba etiam aliam nobis ex visitatione Cluniacensi Abbati debita, probationem suppeditant. Nam si Abbates Angliæ ordinis nigrorum fuissent Cluniacensi ecclesię obnoxij aut subditi, extaret aliqua memoria saltem Visitationis, per Abbatem Cluniacensem aut eius Camerarios siue deputatos, in dictis Abbatijs factæ; sicut extat memoria visitationis factæ per eos in prioratibus Cluniacensis ordinis, nominatim in Prioratu de Broholme, quam & catalogus bibliothecæ, & Catalogus ex Archiuis Londinensis arcis depromptus (quem inferius dabimus,) inter Cluniacensia membra recensent: atqui nulla extat talis memoria, de Abbatibus Angliæ, monasterijsque ipsorum, per Cluniacenses monachos visitatis: imo Mathæus Paris satis clarè ostendit Abbates Angliæ, nullo modo spectasse ad visitationem Cluniacēsiū: cum de ipso Cluniacensi Abbate, Guilielmo 3. in Angliam causa visitationis ingresso, sic scribit ad annum Domini 1251. pag. 794. *Diebus quoque sub eisdem*, inquit, *Abbas Cluniacensis venit in Angliam, monachorum suorum visitator, ordinis resartor, & pecuniæ sedulus inuestigator, & dum in Anglicanis partibus, emolumentis intentus moraretur: quidam confines sui in vltra marinis partibus, quædam sua castra cum pertinentijs violenter occuparunt, vnde oportuit ipsum festinanter remeare.* Vbi sane quiuis cordatus lector intelligit Matthæum loqui de Abbate Cluniacensi, tanquam de prælato, cui nullam deberet obedientiam, alias non ipsum illis encomijs ausus fuisset onerare, *vt pecuniarum sedulum inuestigatorem, & emolumentis intentum, & ordinis*

Abbates Cluniacenses nūqnam visitarūt Abbatias Anglicanas.

Et tamen suos in Anglia Prioratus sæpius visitarunt

ordinis restitutorem, ironicè vocaret. Et quod dicit *suorum monachorum* visitatorem eum venisse, satis innuit eum habuisse quidem monachos in Anglia subditos, sed non multo maximam partem monachorum & monasteriorum, vt imperitè concludit aduersarius. Dixisset enim Matthæus absolutè, *visitatorem monachorum*, aut *nostrorum monasteriorum*, aut quid simile; Non adhibuisset pronomen illud *suorum*, valde restrictiuum, & ferè (vt apparet ponderanti) per ironiam, vtpote de alienigenis, (tales enim habebantur, omnes Cluniacenses in Anglia, quos ditatos bonis Indigenarũ, grauiter passim, & non sine stomacho conqueritur Matthæus,) vsurpatum.

Mattheus Paris semper distinguit monachos nigros à Cluniacensibus.

Et obseruari debet modus loquendi perpetuus Matthæo, vt de Cluniacensibus loquatur semper, tanquam distinctis ab omni alio nigrorum ordine, suisque commonachis Anglis. Sic enim vbicumque de illis aliqua mentio facienda est, quasi clarioris distinctionis gratia, loqui consueuit. Sic ad annum 1214. pag. 642. loquens de muneribus, pontifici à captiuitate redeunti oblatis, scribit. *Abbas Cluniacensis non vltimus esse desiderans, ne deses haberetur, suam ecclesiam depauperans, & suis prioratibus prægrauatis & spoliatis, tantam pecuniæ quantitatem præsentauit, quod audientibus admirationem magnam non immerito generauit. Imo intelleximus ex relatu Prioris de Westacre, qui est monachus Cluniacensis, quod Dominus Abbas Cluniacensis prædictus dederit &c.* Quis hic non videt, Abbatem Cluniacensem à Matthæo non agnosci tanquam Prælatũ suum? aut quis monachus Cluniacensis, ita de supremo Abbate suo, loqui præsumpsisset? presertim cum Cluniacenses istum laudatissimum Abbatem deprædicent. Iste enim est, sub quo memorabilis ille conuentus Papæ, Cardinalium, Regis Galliæ, Imperatoris, principum, episcoporum & ducum tanta cum laude religionis factum Cluniaci superius diximus: vt non obstante tanto strepitu splendoris secularis, nihil tamen prorsus omissum fuerit in monasterio disciplinæ & regularis obseruantiæ, consuetæ. Deinde quis non aperte colligit, Mattheum se Cluniacensem negare, cum signanter dicat illa se didicisse ex relatu Prioris de Westacre, *qui* inquit, *Cluniacensis monachus est*: quasi diceret Mathæus, ne puteris me, qui Cluniacensis monachus non sum; aut de rebus mihi incompertis loqui, aut odio vel inuidia Cluniacensium hæc narrare: ecce authorem profero monachum Cluniacensem, Priorem Domus Cluniacensis in Anglia, cuius relatu hæc didici. Non erat ergo Matthæus Paris, cæterique Albanenses monachi, ac proinde neque cæteri Capitulo Anglicanæ Congregationis ordinis nigrorum subditi monachi, Cluniacensi Iurisdictioni in vllo obnoxii, cum nec exemptione ipsorum Cluniacensium fruerentur, nec ab ipsis vnquam visitarentur.

§. 3. Tertia demonstratio.

Prærogatiuæ Cluniacensium nunquã exercitę ab ijs in monasteria nigrorum.

Sed quid nos ista colligimus, ex illis exemptionis, & visitationis prærogatiuis (quas in omnibus sibi subditis habebant monasterijs): quam multæ sunt aliæ prærogatiuæ, Cluniacensibus propriè, quas nunquam in Abbatia vlla totius Angliæ obtinuerunt, aut exercuerunt? Quando enim vnquam confirmarunt, aut approbarunt Cluniacenses Capitula prouincialia Abbatum Anglorum? at confirmari ab illis debuerunt, imò & conuocari illorum authoritate, si Abbates ipsis fuissent subiecti; Quando vlla controuersia inter monachos, Abbates, conuentus Abbatiales, cathedrales aut priorales, (qui Capitulo prouinciali subdebantur) ad Cluniacensis Abbatis, aut deputatorum eius, iudicium, vel arbitrium fuit delata? atqui incredibile est, quin spatio trecentorum annorum (tot enim anni effluxerunt, à Concilio Lateranensi sub Innocentio. 3. celebrati,) aliquæ controuersiæ Abbatum, Priorum, Monachorum, ad Cluniacensem fuissent delatæ, si ipsi eisdem fuissent subditi. Imo aliquæ extitissent controuersiæ de obedientia, vel pensionibus, siue recognitionibus per eosdem Abbates & priores ecclesiæ Cluniacensi debitis & pręstandis, sicut constat, in partibus Galliæ & Italiæ Cluniaco vicinioribus, multas extitisse, vt in bibliotheca Cluniacensi patet, de S. Dyonisij de Nogento Abbatia, De Abbatia S. Ioannis Angeliaci, de Abbatia S. Benedicti super Padum, de Abbatia S. Mauri Fossatensis, de prioratu S. Martini de campis, alijsque membris & obedientijs Cluniaci, quæ vel in toto, vel in aliquibus, sese ab Abbatis iurisdictione subtrahere nitebantur. Sed nihil tale vnquam, de Abbatibus & Prioribus nostris reperietur, quia nempe nullo modo erant Cluniacensibus obnoxia. At reperitur, de prioratibus, quos in Anglia constat fuisse Cluniacenses, vt habes in bibliotheca Cluniacensi, in charta pacis inter Wilielmum comitem, & Petrũ Cluniacensem, super Mauriacensi & Cassiniacensi monasterijs Colũ. 1411. de cõtrouersia inter Theobaldum Abbatem Cluniacensem & Hamelinum Warennæ comitem, patronum S. Pancratij Lewensis, (secundæ

Controuersiæ Cluniacensium vbi terminatæ.

secundæ filiæ Cluniacensis) circa electionem Prioris Col. 1446. & multæ aliæ similes inferius forsitan occurrent, cum agetur de suppressione & redemptione Prioratuum alienigenarum in Anglia. Est ergo magna aduersarij imperitia, aut ingens audacia, qui non vereatur Cluniacensibus in tot illustres Abbatias iurisdictionem attribuere: cuius nec authorem vllũ fide dignum, & rerum nostrarum peritum, nec exercitium aliquod memorabile, nec tenue etiam vestigium potest assignare.

Constitutiones prouinciales latæ pro monachis nigris in Anglia,

Et vt vis huius argumenti, quod à Cluniacensis ecclesiæ prerogatiuis desumpsimus, clarius confirmetur: quomodo potest aduersarius, vel vllus Cluniacensis honoris verus fautor illud admittere, vt in prouinciali concilio Episcoporum, legato Apostolico præsidente, leges ferãtur Abbatibus ordinis Cluniacẽsis, nõ solũ nulla præfatione aut mentione habita priuilegiorum, quibus derogant; verum etiam leges omnino deprimentes in plerisque authoritatem Abbatis & visitatorum Cluniacensium? & leges, quæ Abbatibus & monachis, quibus imponuntur, pro communi quasi iure prouinciæ habeantur? Hoc certè nullus ordinis Cluniacensis zelator admittet, ne potius præuaricator, quam propugnator iuris Cluniacensium habeatur Nam in decretis quidem communibus, quæ totam ecclesiam ligabant, in plerisque Cluniacẽses per priuilegia sua nõ tenebãtur: quanto minus tenerentur decretis alicuius prouincialis Concilij, decretis (inquam) quæ maximam partem disciplinæ & iurisdictionis monachorum & Abbatum, dirigerent, corrigerent, modificarent? Atqui Prouinciale Angliæ, quo tota olim Anglia, tanquam iure Canonico Pontificijs decretis surrogato, gubernabatur continet quamplurimas leges huiusmodi à Pontificum legatis & Archiepiscopis in synodis suis latas, & Abbatibus ac monachis Anglicani Capituli impositas, & ab ijsdem in praxi receptas. Non erant ergo Abbatiæ & monachi illius Capituli, iurisdictioni Cluniacensi subditi. Verum esse quod assumpsimus inueniet lector, si legat & perpendat constitutionem Othonis, quæ incipit *Audiuimus*. Ibi fertur lex, de Abstinentia carnium: De nouitijs post annum tyrocinij exactum, sub graui pœna per prælatos ad professionem admittendis: De non eligendis in Abbatem aut Priorem ijs, qui professionem non emiserint; De multis alijs per Capitula Generalia instituendis. Et constitutiones Othoboni ab ea, quæ incipit, *Regnum Cœlorum*, vsque ad finem constitutionum illarum, quas omnes ad reformationem monachorum ordinis seu religionis S. Benedicti se fatetur edidisse: confirmans & innouans statuta Othonis iam dicta; insuper addens, vt proximè post regulam legantur in Capitulis, saltem bis in anno decreta Pontificum, & constitutiones suæ, quę monachos concernant, vt inquirant Abbates, & Priores superiores Abbates non habentes, bis in anno de proprietarijs: & si negligent inquirere, ab officio suspendantur; ne detur pecunia pro vestimentis: ne monachi solitarij habitent in prioratibus, aut manerijs; ne possessiones aut maneria dentur monachis ad firmam: de non esu carnium rigorosissime seruando, & per Episcopos ac præsides Capituli visitantes, diligentissimè inculcando: de particularibus aut pretiosis vasculis in refectorio, aut ornamentis in dormitorio non adhibendis: de infirmorum cura: de religiosis è refectorio ad mensam prælati euocandis: de non alienandis aut vendendis in perpetuum: de antiquo numero monachorum seruando in ecclesijs Abbatialibus & cathedralibus: de reddenda à prælatis ratione administrationis: ne monachi emant, an vendant: ne moniales à certis locis exeant: vt religiosi frequenter confiteantur, & frequenter celebrent. Et pleraque hæc statuta iniunguntur, sub pœna suspensionis Abbatum & priorum ab administratione, si illa obseruari neglexerint. Quæ tam diffusè induximus, vt ostendamus, quam multis decretis prouincialibus tenerentur Abbates & Priores ordinis nigri in Anglia, quibus Cluniacenses in eadem Anglia, non tenebantur; Sed nec ex authoritate Legantina, vt loquebantur, teneri poterant; cum visitatio, correctio, reformatio, & ordinatio monasteriorum & monachorũ Cluniacensium, soli Abbati Cluniacensi, & deputatis ipsius, per plurima pontificum summorum priuilegia, committerentur. Et quid opus erat hæc Cluniacensibus in Concilio prouinciali per legatum præscribi: cum ista omnia, quæ hic mandantur, districtius per Cluniacensium statuta, ab Henrico. 1. Abbate, & alijs ante & post ipsum ordini ipsorum fuerint iniuncta: & quo tempore Othobonus hæc statuerit, in viridi praxi, laudabiliter obseruata? Liquet ergo Abbates & Priores Abbates superiores non habentes, de quibus tam sæpè Othobonus, non fuisse ordinis Cluniacensis, sed ordinis duntaxat nigri à Cluniacensibus distincti, & independentis.

Non ligabant Cluniacenses ordinis monachos.

§. 4. *Demonstratio quarta.*

Demonstratur eadem conclusio ex ipsa ratione Capituli generalis nostri, & Cluniacensiũ.

Etenim

Capitulum Generale Cluniacensium incompatibile cũ Capitulo Generali nigrorũ.

Etenim prælati ordinis Cluniacensis, non poterant extra Cluniacum in alijs quibuscumque prouincijs siue regionibus Capitulum generale celebrare: quandoquidem singulis annis ad Capitulum generale ordinis Cluniacum conuenire tenebantur: & singulis biennijs, etiam qui in remotis valde prouincijs habitabant, vt patet ex statutis Hugonis S. Abbatis ipsorum decimi septimi, circa annum Domini 1200. inter quæ penultimũ hoc est in bibliotheca, Col. 1480. *Qui de remotis sunt prouincijs, de biennio in bienniũ, ad Capitulũ venire procurent, Illos autem remotos reputamus, qui in Anglia, Hispania, Lombardia prouincijs, fuerint constituti. Alij singulis annis venire nullatenus prætermittant. Qui autem terminis statutis venire contempserint, a prioratibus deponantur, nec eos nisi per definitores Capituli generalis valeant retrahere, illis duntaxat exceptis, qui se excusauerint necessitate euidenti.* Idem constat ex bulla Gregorij IX. ad Cluniacenses data anno 1233. cuius primus articulus hic est. *Quare cupientes deformatum ordinem Cluniacensem* (de eo enim distincte paule ante loquutus est) *reformare, & instaurare collapsum, imprimis statuimus, vt generale Capitulum Abbatum & Priorum, tam conuentualium, quam Minorum, Cluniacensis ordinis, siue immediate siue aliquo medio sunt subiecti, apud Cluniacum annis singulis celebretur.* & infra. *Prima enim vice, omnes Abbates & priores conueniant ad Capitulum, accepturi reformationem præsentibus annotatam, & postmodum illi, qui sunt vltra mare, Angliæ, vel vltra Alpes vno anno intermisso cum moderato familiæ ac equitaturarum comitatu, ne domus ad quas eos venire continget, aggrauentur, accedant.* Similiter & Nicholaus 4. Pontifex, ad eosdem Cluniacenses, data bulla Anno 1290. idem statuit, inquiens. *Imprimis itaque statuimus, vt omnes Abbates & priores Cluniacensis ordinis, immediate Cluniacensi monasterio subiecti in regno Franciæ constituti; annis singulis; existentes autem in Anglia, Hispania, Allemannia & Lombardia, de biennio in biennium conueniant, ad Capitulum generale &c.*

Nec fuit hoc ab Hugone Abbate, aut Pontificibus dictis, nouiter iniunctum, sed antiquũ valde ordinis Cluniacensis statutum, vnde in bibliotheca Cluniacẽsi tempore Iuonis primi anno 1259. est excusatio Guilielmi Prioris S. Pancratij in Anglia, quod infirmitatis languore in via correptus, ad Capitulum generale venire non potuerit, ideoque coactus fuerit in Angliam regredi.

Capitulũ Generale nigrorũ triennale,

Atqui Patres Congregationis Anglicanæ, non singulis annis, aut biennijs, sed tertio quoque anno Capitulum generale suum tenere solebant, idque non in Cluniaco, neque extra Angliam, sed in ipso Angliæ regno, vbi magis opportunum ipsis videbatur. Nec in eorum statutis aut actibus Capitularibus, vnquam fit mentio Capituli Cluniacensis, vel profectionis vllius ad aliquod Capitulum extra Angliam, suscipiendæ; neque in historijs monasteriorum, neque apud Chronographos nostri ordinis Monachos, vestigium vllum talis profectionis apparet. Non posset non celeberrima esse memoria talium profectionum si vllę fuissent: cum tot potentes Abbates, non nisi cum maximo apparatu venire voluissent; quinimo nec apud Cluniacenses, in actibus, bullis, statutis, opusculis, chronicis, catalogis, aut annotationibus, (quæ diligentissimè in bibliotheca Cluniacensi congesta sunt,) inuenitur vlla Capituli triennalis, ab ipsis celebrandi memoria, siue extra siue intra Cluniacum: nec vlla mentio Capituli Generalis Cluniacensium in vlla prouincia extra Franciam, in qua sitũ est Cluniacum & tamen quis non videt, si Cluniacenses vlla Capitula triennalia domi, forisue, imo si vlla omnino Capitula Generalia foris celebrare consueuissent, ipsos in constitutionibus suis, aliquas ordinationes facturos fuisse, de modo quo ad similia Capitula foret accedendum, & quid à prelatis ibidem agendum? non fuerunt ergo eiusdem Congregationis, patres Anglicani Capituli, & prelati Cluniacenses.

Nunquam meminit Capituli Cluniacensis.

Ad hæc patres Anglicanæ Congregationis, sæpius in suis constitutionibus expresse affirmant, sese ex decreto Concilij Lateranensis Generalis, ad Capitulum conuenire, & negligentes conuenire aut pertinaciter recusantes, ex eiusdem Concilij authoritate puniendos; visitatores etiam in Capitulo institutos iuxta concilij mandatum per omnia benigniter excipiendos, reuerenterque habendos; statuta tandem Concilij dicti diligenter obseruanda proponunt, vt patet ex verbis proæmiorum ad constitutiones suas, quæ superius proposuimus. Authoritatis autem Cluniacensium ne semel quidem in actis Capitularibus aut constitutionibus suis meminerunt, vt patet legenti eadem acta atque statuta, quæ inferius integra fide euulgamus. Cæterum Cluniacenses in omnibus suis decretis & Capitulis quę habentur in bibliotheca Cluniacensi, passim mentionem faciunt, authoritatis, iurisdictionis, ecclesiæ, & Abbatis Cluniacensis, sine cuius consensu, nihil magni debeat fieri in Capitulis Generalibus, aut aliâs, eodemque modo de Cluniacensis Abbatis authoritate, loquuntur Pontifices, Gregorius & Nicolaus in bullis prędictis. Liquet igitur manifestissimè nostros, in Anglia Abba-

tes,

tes, Prioresque Cathedrales & Capitulares non fuisse obnoxios vllatenus iurisdictioni Cluniacensi, cuius nec rationem habuerunt, nec mentionem fecerunt, in vllis actis aut ordinationibus suis; quod incredibile fuisset fieri potuisse ab illis, qui Cluniacensis Congregationis membra fuissent.

Insuper in decreto Concilij Lateranensis, cuius vigore Patres Congregationis Angliæ in Capitulum Generale conueniebant, multa constituuntur, quæ cum Cluniacensis ordinis natura, & institutis approbatis non cohęrent. Veluti *primò*, est ipsa Capitulorum omni triennio celebratio, cum Cluniacenses singulis saltem biennijs per sua statuta, pontificumque bullas post Concilium datas, Cluniacum ad Capitulum Generale, sub obedientiæ virtute, grauibusque pęnis venire debuerunt. Si ergo comprehensi fuissent etiam sub Concilij decreto, aliquoties contingeret necessario ipsos bis in anno, ad Capitula duo Generalia propriè dicta, (vt distinguuntur à Capitulis illis, quę quamuis minora prouincialibus, Generalia tamen vocantur aliquando, in quibus vnius tantum ecclesiæ, aut Abbatiæ membra conueniunt, sub vno præsule, etiamsi ipse alias alium præsidem seu Generalem, aut alios præsides recognosceret) conuenire quod sane cum sit sumptuosum, & nimis distractiuum prelatorum à grege suo, & monachorum à quiete claustri sui; nullatenus potuit, vel à Concilio, vel à pontificibus intendi. Qui inter cætera reformationis instituta, præsertim crebras euectiones (vt vocant) & superfluos sumptus, vt monastici spiritus impedimenta amputare studebant. *Deinde* Cōcilium ordinat, vt fiat Capitulum eorum duntaxat prælatorum, qui non consueuerunt talia Capitula celebrare. Ideoque in huiusmodi nouitatibus, adiungit illis duos Cistercienses, quasi in Capitulis celebrandis exercitatos, vt, ab eis in modo formaque Capituli dirigerentur. Atqui (vt ex dictis constat) Cluniacenses satis superque consueuerunt Capitula Generalia celebrare: cum singulis annis aut ad minimum biennijs, omnes prælati tenerentur in Capitulo Cluniaci comparere. Quod non diffitetur aduersarius, pag. 314. Nec contra hoc facit bulla Gregorij Pontificis, decernentis Cluniacensibus Capitula Generalia, & volentis vt illis ad dirigendum interessent tres Priores Carthusienses; non enim id decreuit Pontifex tanquam iam desueuissent Cluniacenses ad Capitula sua conuenire, cum bulla ista data 1233. solum octodecem annis data fuerit post Hugonis quinti Cluniacensis Abbatis decessum, cuius extant pręclaræ ordinationes pro reformatione Ordinis, & Capitulis celebrandis, quæ constat ex historijs, ipsum diligenter curasse. Nec Carthusienses adiuncti fuerunt, vt eos in forma Capitulorum celebrandorum dirigerent, quam spatio tam paucorum annorum, etiamsi ea celebrare desueuissent, obliuioni tamen non mandassent; sed vt instruerent eos in reformatione disciplinæ, & Zelatores essent eorum articulorum, quos pontifex ipse illis præscripserat hac bulla, omninoque monerent, si eos negligēter Cluniacenses obseruassent. Quare cum Cluniacenses soliti fuerint conuenire in Capitulis: Abbates autem & Prælati, qui virtute Concilij Lateranensis conuenerant ad concilia, non consueuerint antea conuenire, vt constat ex ipsis Concilij verbis, non fuerunt hi tales prælati, de Congregatione Cluniacensi. *Præterea* apparet, tam ex ipsius Concilij verbis, quā ex supra relatis, episcopos potuisse visitare monasteria sibi subiecta, etsi alias subijcerentur visitatoribus, à Generali Capitulo suo deputatis: atqui fuse docuimus, Cluniacenses, amplissimorum priuilegiorum vigore, ab omni episcoporum visitatione fuisse immunes. *Adde etiam aliud* non obscurum argumentum distinctionis, quod in decreto Concilij statuatur, visitatores debere episcopis deferre Abbates & prælatos, qui depositionem meruerint; & in decreto Honorij (quod in corpore iuris ipsum decretum Innocentij sequitur, confirmat & amplificat) ordinatur vt visitatores à Capitulo designati, etiam exemptos Abbates remoueant, à regimine, si viderint ita expedire, vel de necessitate amotionis, seu depositionis talium prælatorum, sedem apostolicam certiorem faciant. Atqui in bulla Gregorij Noni, & Nicholai ad Cluniacenses non multis annis post Concilium Lateranense statuitur: vt nullus Abbas Cluniacensis destituatur, nisi ab Abbate Cluniacensi cum consilio aliquot Abbatum Ordinis sui. Quare hinc certum est, Cluniacenses non comprehensos fuisse decretis Innocentij, aut Honorij, nec visitatoribus Capituli Generalis eorundem Pontificum, authoritate indicti, cum in rebus maximi momenti, & iurisdictionis pręcipuæ, Cluniacenses debuerint, sine appellatione stare sui Abbatis Cluniacensis arbitrio: Abbates vero & Priores Ordinis nigrorum, non nisi arbitrio Præsidum & visitatorum sui Capituli.

Statuta Capituli nigrorum repugnabant statutis Cluniacensiū.

Tandem in bulla Gregorij decernitur expresse, *vt omnes causæ quæ inter personas ordinis Cluniacensis emerserint, & per Abbatem Cluniacensem non fuerint terminatæ, delatæ ad Capitulum* (Cluniacense sc. de quo ibi loquitur) *per definitores statutos (prout fit in Cisterciensi Capitulo) terminentur: & ea statuantur, quæ prouenire ad conseruationem & restrictionem, non ad relaxatio-*

nē ordinis, vel regulæ videbuntur. Omnes vero Abbates & Priores annis singulis, ad Capitulū venientes, definitiones (si quæ factæ fuerint) in reditu suo, habeant bis in anno, in suis Capitulis, & visitationis tempore nihilominus recitandas, vt nullus prætextu ignorantiæ se valeat excusare. Quo decreto pontificis nescio quid clarius in rem nostram dici potuit. Si enim omnes causæ personarum, omnia negotia reformationis Cluniacensium in Capitulo Generali ipsorum debeant terminari, ac statim, omnes illius Capituli definitiones ab ipsis ita stricte debuerint obseruari: quomodo poterant ad Capitulum prouinciale nigrorum conuenire? aut quę causę, quę negotia poterant illos eo pertrahere? Non causę personarum, quia illæ debebant, in proprio ipsorū Cluniacensium Capitulo terminari; non negotia reformationis & disciplinæ, nam illa ibidē tractari iubentur; non definitiones, quæ solent fieri de rebus alijs occurrentibus, tam temporalibus quam spiritualibus: nam & illæ in Cluniacensi Capitulo decerni mandantur. Nulla ergo causa, nullum negotium, nulla ratio, nullum vestigium vllius necessitatis, aut vtilitatis apparet, cur Cluniacenses ad Capitulum Nigrorum deberent conuenire. Reuera igitur non conueniebant, quia omnino distincti corporis & Congregationis, prorsusque independentis fuerant. Et Pontifices præmemorati hoc intelligentes, cum iam viderent, nigrorum Ordinis prælatos secundum Concilij decretum vnitos in prouincijs suis: cernentes etiam Cluniacenses opus habere reformationis remedio, idque non fuisse prouisum in Concilio Generali, quia tunc non putabantur egere, sub insignibus gubernati Abbatibus; hoc postea suis bullis siue constitutis prouiderunt, probè scientes decreta Concilij Lateranensis, ad eos non pertinere, sed ad nigri duntaxat Ordinis professores, qui vsque ad tempus Concilij in vnum corpus Capitulariter nondum fuerant Congregati; sicut iam diu Cluniacenses, Cistercienses, Cælestini, alijque regulæ nostræ professores fuerunt.

Regimē Cluniacēsium Monarchcū: nigrorū vero Aristocraticū.

Vt illud omittamus, etiam non leue distinctionis indicium, quod Congregationis Cluniacensis regimen fuerit Monarchicum, in quo omnia ab vnius boni Abbatis selectis consiliarijs vtentis, pendebant arbitrio, regimen vero Capituli seu Congregationis Anglicanæ, & cuiusuis vtentis Innocentiani forma decreti, fuerit Aristocraticum, à duobus præsidibus tanquam Consulibus triennalibus, senatuque Capitulari administratum, ac proinde impossibile fuerit in eodem Capitulo conuenire, eiusdemque Capituli legibus & ordinationibus gubernari prælatos, oppositi ferè regiminis formæ subditos & assuefactos: sicut impossibile fuit reipublicæ Romanæ formam Aristocraticam sub consulibus & senatu positam, vigorē suum retinere nomenque proprium reipublicæ, cum res omnes ad vnius Imperatoris aut regis arbitrium gubernarentur. Constat ergo ex ipsa Capitulorum Generalium forma, Abbates & prælatos Congregationis Anglicanæ, fuisse prorsus distinctum corpus independensque à Congregatione atque ordine Cluniacensi.

Confirmantur præcedentes rationes ex annalibus S. Pancratij.

Confirmabimus præcedentes rationes desumptas à forma electionis, exemptionis, visitationis, capitulique generalis, ex fragmento nobili, quod ex annalibus manuscriptis S. Pancratij Lewensis, secundæ filię Cluniacensis in Anglia verbatim descripsimus: Anno millesimo ducentesimo decimo octauo, die Sancti Leodogari, Geroldus Abbas Cluniacensis fuit Dauentriæ, à quo professi sunt Wilielmus de Salabre, Petrus; Wilielmus de Dukeby, & alij.

„ Anno millesimo ducentesimo trigesimo septimo ceperunt Stephanus, & Thomas, & Galfredus habitum monachorum. Item in hoc anno Abbas Hugo fuit in hac terra, & fecit plures monachos professos.

„ Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, venit Abbas Willielmus in Angliam decimo quinto calendas Iunij: & die sanctæ Florentiæ virginis venit ad Lewes; & die S. Albani martyris post, fecit ibi monachos plures professos: & die sancti Ioannis Baptistæ cantauit summam missam. Eodem anno idem Abbas fuit apud Montemacutum, & amouit Marcum Priorem.

„ Anno millesimo ducentesimo sexagesimo, die sancti Aegidij venit Abbas Yuo & recessit in die ante natiuitatem beatæ Mariæ virginis, & fecit plures monachos professos apud Lewes, nonas septembris. C. fuit litera dominicalis.

„ Anno millesimo ducentesimo septuagesimo octauo, venit Dominus Yuo (secundus scilicet eius nominis) Abbas Cluniacensis in Angliam, & applicuit quarto idus Iunij, & venit apud Lewes. 16. calendas Iulij, & fecit ibi professos triginta duos monachos. Deinde perrexit ad Regem. Deinde constituit Capitulum suum apud Bermondsey, & tenuit Capitulum in die B. Petri, qui dicitur ad vincula. Deinde misit se ad mare & transfretauit pridie nonas Augusti.

„ Anno millesimo ducentesimo octogesimo quarto D. Ioannes Tirenghes Prior Lewensis transfre-

„transfretauit, vt adiret Capitulum Generale: & ardua domus siue Lewensis cum Domino „Rege Francorum posset expedire. Transfretauit autem dictus Ioannes de Tyrenghes circa „purificationem sanctæ Mariæ supradicti anni, & remansit Prior apud sanctam Mariam de „la Weronte in Auuernia: cui successit Dominus Ioannes de Auinion Prior de Wanloes.

„Anno 1189. Prior de Farley iter arripiat versus Cluniacum ad Capitulum Generale. 4. calendas Aprilis.

Vides hic lector scriptorem Cluniacensem multa simplici veritate plena narrare quæ in rem nostram faciant. Primum cum successiuis vicibus quatuor Abbatum Cluniacensium in Angliam aduentum visitationis causa recensuisset, nihil prorsus de potentibus Angliæ Abbatijs ne quidem insinuat: quod si vllos Abbatum Cluniacensium in eas iurisdictionem habuisset, nec eas visitare prætermisissent, nec eorum ad Abbatias illas aduentum siluisset hic scriptor; sicut eorum præsentiam in prioratibus S. Pancratij, Bermondseyæ, Mõtisacuti non reticuit. Deinde apparet exiguam in Anglia moram traxisse Cluniacenses Præsules quia nimirum tres tantum prioratus magni nominis habuerint, quos inuiserent, nimirum eos quos iam dixi, reliqui enim omnes erant Cellæ inferioris dignitatis, & aut illis tribus subiectæ, aut certè mensæ Abbatiali Cluniacensis Præsulis attributæ: At si Abbatias illas insignes, & numero monachorum, & census magnitudine, & prærogatiuarum splendore illustrissimas in Anglia sibi subditas agnouisset, profecto longiorem moram in visitationibus Anglicanis collocassent. Neque vero licebit dicere, regio imperio prohibitum ne has Abbatias visitaret nam ex hoc eodem fragmento apparet, Cluniacenses prçlatos in visitationibus suis liberrime Cænobiorũ suorũ negotia ordinasse, Prioresque rege ipso inconsulto amouisse, alios eorum loco substituisse; ex quo euidens, in illa duntaxat iurisdictionem illi competijsse, in alias Abbatias nequaquam. Præterea apparet ex hoc fragmento monachos Cluniacenses in Anglia, non nisi ex speciali Cluniacensis Abbatis mandato professionem emittere solitos: vides enim hic annotari quot monachos fecerint quiuis Abbates in Angliam venientes; & de Yuone secundo habes ipsum vna vice triginta monachos diuersorum proculdubio prioratuum ad professionem admisisse, quod manifestum argumentũ exhibet, eos aduentum Abbatis Cluniacensis expectasse, vt profiteri possent; aut saltem eius speciale de professione emittenda mandatum; quod in monachis Abbatiarum Anglicarum non solum non potest ostendi factitatum, verum etiam clarè constat iure prouinciali fuisse prohibitum. Rursus hoc fragmentum indicat Prælatos Prioratuum Cluniacensium in Anglia Frãcos natione extitisse: vides eos cum Rege Francorum, tanquam Domino suo de negotijs suis solicite consulere: vt vel inde colligas alienigenarum illa fuisse non indigenarum cœnobia. Vides tandem Capitulum priuatum Abbatis Cluniacensis non in aliqua celebri Abbatia, sed in prioratu Bermondseiæ celebrari: at quis credat ipsum non electurum Abbatiam aliquam potentiorem, si vllam sibi habuisset subiectum? dixi vero Capitulum priuatum, celebrasse enim illud dicitur die primo Augusti & quarto Augusti transfretasse; vnius ergo diei Capitulum fuerit, potiusque exhortationem aliquam in eo, quam ordinationem alicuius magni negotij celebrauerit. Habes denique in hoc fragmento, Priorem de Farley ad Capitulum Generale Cluniacensium mare traiecisse: non habebant ergo Cluniacenses aliud Capitulum Generale in Anglia; nec propterea Capitulum Generale Abbatum Anglorum potest censeri Capitulum Cluniacensium.

§. 5. *Demonstratio 5. euidentissima.*

Sufficerent ista cuiuis ingenio non prorsus inciuili: sed quia agimus cum aduersario, qui (vt dicebat Tertullianus de Hæreticis) vinci potest, confundi potest, conuerti à sua pertinacia, vel persuaderi non potest: saltem vt confundatur magis alias adhuc potentiores adducemus demonstrationes. Supponamus igitur, quod omnes historici consentiunt esse verum, S. Hugonem Cluniacensem factum fuisse Cluniacensium Abbatem anno 1042. eamque Abbatiam & Congregationem summa cum gloria & laude sanctitatis rexisse vsque ad annum. 1109. Ponamus etiam quod non minus vnanimiter tradunt historici Normannicarum Anglicanarumque rerum, Guilielmum primum Angliæ regem, (quem vulgo conquestorem vocamus) cepisse regno Angliç potiri, cum antea esset tantum dux Normanniæ, circa annũ Domini 1066. vel 1067. Ponamus tertio loco veram historiam, quam habet bibliotheca Cluniacensis Col. 454. in vita S. Hugonis, quamque ex parte citauit aduersarius, nam paginã totam aut non legit, præ festinato desiderio quidlibet in telum contra nos intorquendi: aut

Demonstratio sumpta ex S. Hugonis Cluniacẽsis apertissima confessione.

 si legit,

si legit, dissimulauit, quia nihil potest excogitari magis contrarium fundamento quo innititur maxima pars sententiæ, & disputationis ipsius, nempe de antiquitate ordinis Cluniacensis in Anglia, in qua re non minus crasse, imò multo crassius (quia magis spontanè) ipsum errasse demonstrabimus, quam ipse existimat ex leuiculis coniecturis suis Trophæi autorem fratrem nostrum errauisse in antiquitate Congregationis Anglicanæ siue Gentbenicæ asserenda.

Habes (lector beneuole) in loco citato bibliothecæ, gloriosum illum Angliæ conquæstorem Guilielmum, cum primum Angliæ regno potiri cepisset, (ac proinde circa annum. 1067. vt diximus, petijsse instanti prece imò & pretio à celeberrimæ sanctitatis Abbate Cluniacensi, Hugone illius nominis primo, quatenus sex ei personas dirigeret, ex fratribus sui ordinis, quorum consilio, res ecclesiæ Anglicanæ ageret, daturum se pro singulis argenti libras. 100. quotannis Cluniaco, sub titulo amicitiæ & gratiæ, ne forte Abbati graue foret eorum fratrum fructu priuari. His regis literis & postulatis respondens S Hugo, excusansque seipsum cur petita non concederet, inter alia sic scribit. *Igitur charissime Domine, nolite à me quærere, quod facere, nisi cum perditione mea, non possum: quia nullo pretio volo animam meam venundare: quam profecto venalem darem, si vnum ex fratribus mihi commissis mitterem, vbi illum perderem* (notanda verba) *& libentius ego pecuniam darem prò comparandis monachis, quibus valde indigeo, per diuersa loca à me ordinanda, quam pro eorum venditione acciperem. Quod enim Capitulum in partibus illis timerent, vbi nullum viderent nostrum monasterium? ad cuius portam applicare valerent, aut constringi possent? Aliud itaque iubete, & sustinete hoc patienter, si non potest fieri cum salute amici vestri, hoc quod petistis. Valete.* Hactenus abbas sanctissimus qui non ex scrupulo vt loquitur aduersarius, sed ex certissima ratione periculi impendentis denegauit regi monachos quos postulauerat.

At quænam ratio, aut quod periculum fuit, quod Sanctus extimuit? nimirum, quia nullum in partibus Angliæ monasterium extitit, ordinis Cluniacensis, ad quod monachi à se missi possent identidem se recipere, obseruantiam sanctæ disciplinæ custodituri; ad quod possent reuocari facile, si periculum secularis vanitatis incurrissent, à cuius superiore & Capitulo possent corrigi, atque emendari, si secus, quam monachos deceat, se gessissent. Ergo teste ipso S. Hugone, Cluniacensis ouilis optimo pastore, (quem par est putare longe melius sui gregis numerum & mandras nouisse, quam hic aduersarius nouerit, qui scilicet 60. totos annos rexerat gregem) nullum tunc temporis extitit in partibus Angliæ Cluniacensis Iuris monasterium; ac propterea timuit suos eo mittere. *Quod enim Capitulum* (inquit) *in partibus illis timerent?* idest, cuius pastoris, quorum superiorum correptiones? *vbi nullum viderent nostrum monasterium, ad cuius portam applicare valerent, aut constringi possent,* (si forte spirituali recessu ad reparationem morum suorum opus haberent. Nullum monasterium? quid ergo westmonasterium, S. Albani, Petroburgi, Ramseiæ, Crowlandiæ, ceteræ Angliæ Abbatiæ, quas aduersarius Cluniacenses esse clamat? Non sunt (inquit S. Hugo) Cluniacenses; Viderent ibi monachi, si quos mitterem, nullum nostrum monasterium. Iam hic considera lector, demonstrationis nostræ primam partem inuictam. Nullum adhuc fuerat, in partibus Angliæ, Cluniacensis ordinis monasterium, nulla Abbatia, nullus prioratus, cum monachos Cluniacenses, Guilielmus rex ab Hugone sancto postularet, vt quid enim postularet, si iam tum in Anglia fuerant plurimi? An fortè postulabat non tantum Cluniacenses, verum Francos Cluniacenses? sit ita, sed sanctissimus Hugo, nec Anglos, nec francos, ordinis sui Cluniacensis, tunc temporis, hoc est circa annum Domini. 1067. agnouit, quia reuera nulli erãt. Ergo iam omnis illa disputatio, leuissimis nixa coniecturis, qua contra Trophæarium probare nisus est aduersarius, celeberrimas Angliæ totius abbatias fuisse Cluniacenses: hoc vnico S. Hugonis testimonio euanescit in fumum, & ostenditur esse vanissima ex falsis collecta præsumptionibus.

Ex ipsa primi in Anglia Cluniacensis cænobij fundatione.

Et non solius S. Hugonis testimonio possumus hanc confirmare veritatem, ex ipsa fundatione prioratus Lewensis S. Pancratio dicati, (qui postea in secundam filiam Cluniacensẽ præ sua nobilitate euasit, clarissimè patet, illud fuisse omnium primum Cluniacensium monasterium in Anglia. Instrumentum totum fundationis, in fine huius disceptationis inuenies lector Beneuole, numero. 48. ex eo nunc solum ea verba accersemus, quæ id quod diximus, luce clarius probant. Ait ergo. Guilielmus magnificus Comes warennæ, gener ipsius regis Guilielmi (Gundredam enim filiam ipsius duxerat) se cum vxore dum perigrinaretur religionis causa, diuertisse ad Cluniacum monasterium, magnam & sanctam Abbatiam, in honore S. Petri, & ibi (inquit) adorauimus, & requisiuimus S. Petrum; & quia inuenimus, religionem & charitatem ibi tam magnam, & honorem erga nos à bono Priore & à toto

sancto

„sancto conuentu, qui receperunt nos in societatem & fraternitatem suam incepimus ha-
„bere amorem & deuotionem erga illum ordinem, & illam domum, super omnes alias do-
„mos, quas videramus. Sed Dominus Hugo sanctus Abbas eorum, tunc domi non fuit: &
„quia longe antea & tunc magis habuimus in proposito & voluntate per consilium Do-
„mini Lanfranci Archiepiscopi ego & vxor mea, quod faceremus aliquam domum reli-
„gionis, pro peccatis nostris & salute animarum nostrarum; tunc visum fuit nobis, quod de
„nullo alio ordine tam libenter, quàm de Cluniacensi eam facere vellemus, & ideo misimus
„& requisiuimus à Domino Hugone Abbate, & à tota sacra Congregatione, quod conce-
„derent nobis duos, vel tres, vel quatuor monachos, de sancto Grege suo, quibus daremus
„ecclesiam vnam, quam de lignea lapideam fecimus, sub castro nostro Lewiarum, quæ fuit
„ab antiquo tempore in honore S. Pancratij, & illam daremus eis, & tantum in principio,
„terrarum, animalium, & rerum, vnde duodecem monachi possent ibi sustentari. Sed san-
„ctus Abbas, prius valde nobis fuit durus ad audiendam petitionem nostram, propter lon-
„ginquitatem alienæ terræ, & maximè propter mare. Sed postquam nos perquisiuimus li-
„centiam à Domino rege willielmo adducendi monachos Cluniacenses in Anglicam terrã
„& Abbas ex sua parte requisiuit voluntatem regis: tunc donauit tandem & misit nobis
„quatuor de monachis suis, Dominum Lanzonem, & tres socios suos, quibus donauimus
„in principio omnia, quæ eis promisimus: & confirmauimus per scriptum nostrum, quod
„misimus abbati Cluniacensi & conuentui, quia noluerunt nobis antea monachos suos
„mittere, quam haberent confirmationem nostram, & regis, quæ eis perquisiuimus, de om-
„nibus ijs quæ eis donauimus; & sic dati sunt mihi & vxori meæ, monachi Cluniacenses,
„& conuentus in Anglicam terram. Ex istis fundatoris verbis primum omnium discas verũ esse id, quod antea dicebamus in fundamentis, Cluniacenses habitos fuisse pro ordine distincto ab ordine monachorum nigrorum. Dicit enim Comes, se *de nullo alio ordine* tam libenter, domum religiosorum erecturum, quam de Cluniacensi. Atqui tunc temporis non erat notus Occidenti alius ordo quam Benedictinorum. Ergo contraponit (vt sic dicam) ordinem Cluniacensium reliquis institutis Benedictinorum aliorum, quorum maxima pars erant nigri: sed vocabantur nomine præcipui alicuius monasterij matricis, vnde pendebant minores cellę, vt Floriacenses, San-Dionisiani, Martiniani maioris monasterij in Gallia, Beccenses, Sagienses in Normania, Crowlandenses, Eushamenses (vnde venerunt vt supra diximus, restauratores Geribennicæ domus Dunelmensis) in Anglia. Ad eum sane modum, quo nunc si quis roget, cuius ordinis sunt monachi reformati, & in Congregationem moderni moris redacti, de ordine nostro: vulgus respondere solet, esse Benedictinos; sin ab eisdem interroges, cuius sunt ordinis monachi, S. Dionisij maioris, S. Remigij, & similium cœnobiorum, quæ non ita strictam disciplinam profitentur, non aliud dicent vulgares, quam esse monachos ordinis cœnobij S. Dionisij vel S. Remigij, & ita de alijs, quamuis reuera sint etiam Benedictini. Quod maxime tunc temporis erat verum, quando Cluniacenses primi sua monasteria & prioratus, in corpus ab alijs omnibus Abbatijs regulam eandem sub diuersa tamen reformatione profitentibus, distinctum redegerunt, & ad Capitula Generalia Cluniacum quotannis prelatos ipsorum conuocarunt. Deinde constat id, quod præcipue intendebamus, Primos Cluniacenses, quos *Anglia terra* (vt comes loquitur) aspexit, fuisse monachos S. Pancratij, Dominum Lanzonem (virum sanctissimum) cum socijs suis. Hinc dicit apertè Comes, *se se à rege licentiam obtinuisse, vt monachi Cluniacenses admitterentur in Angliam*, & quasi deuoto Epiphonemate sibi & vxori suæ congaudet, *quod ipsis Cluniacensem conuentum in Anglia erigere concessum esset.* Sane si antea in Anglia in celeberrimis illis Abbatijs, fuissent monachi Cluniacensis iurisdictionis & disciplinæ, nec tam anxiè perquisiuisset Comes fundator, & Hugo Abbas, licentiam regalem eosdem in Anglicam terram introducendi: nec ipse sanctus Hugo, tantopere veritus fuisset pauculos monachos eo mittere, vbi scilicet tam celebria habuissent monasteria, in quibus possent excipi, quorum Capitula & correctiones possent timere, ad quæ possent cum expediret, constringi, nec mari interiecto monachos suos formidasset committere, quod necesse fuisset eos sæpius traiecisse, si tãta fuisset antiquitas Cluniacensium in Anglia quantam somniauit aduersarius. Fuerunt ergo monachi S. Pancratij primi Cluniacenses, seu primus conuentus Cluniacensium in Anglia. Præterea ex verbis huius fundationis S. Pancratij colligimus, S. Lanfrancum, non fuisse authorem aut persuasorem huic magnifico comiti, Cluniacenses in Angliam introducendi. Dicit enim Comes conceptis verbis, se quidem cum vxore sua ex Lanfranci consilio, longe antea habuisse in animo propositum, aliquam domum religiosam construendi: sed tunc demum de Cluniacensibus cogitasse, cum ipsorum sanctitatem, religionem, & charitatem sua didicisset experientia.

Tandem ex posteriori parte scripti eiusdem (quod vide lector in appendice loco citato, pag. 60.) clarissimè colligimus, causam cur Gulielmus rex Cluniacenses monachos à S. Hugone postulasset; non fuisse illam, quam aduersarius comminiscitur, scilicet, vt monasteria Anglorum Cluniaco subijcerentur, ea enim diuersi ordinis, licet sub eadē regula, iam satis docuimus extitisse: sed vt viros sanctos, sedulos, fideles haberet, quos episcopatibus Angliæ præficeret, à quibus, conquisitis diligenter occasionibus, siue veris, siue fictis, omnes Anglicos paulatim deiecerat, vno fere Sancto Wolstano excepto; quem ne sede Wigorniensi pellerent Regij, euidenti miraculo prohibebantur. Dicit enim Comes in parte illa scripti sui: *Hæc perquisiuimus* (à S. Hugone scilicet) *ne cum Dominus Lanzo rediisset, cito auferretur nobis; quia rex, quos meliores inuenire potuit, in dignitates ecclesiæ exaltauit; & nobis audientibus requisiuit ab Abbate* (Hugone, nomine enim Abbatis solitariæ posito, Cluniacenses suum tantummodo intelligunt Generalem,) *quod mitteret ei duodecim de sanctis monachis suis, & eos omnes faceret Episcopos, & Abbates in terra hæreditatis suæ, quam ei dederat Deus.* Vides non de subiectione Cluniacensium, non de amplianda eorum Congregatione cogitasse Regem: sed de fidis consiliarijs & Baronibus (vt loquuntur nostrates) ecclesiasticis, quibus ad populum nuper domitum in officio contineret, deiectis (vt dicebam) quacumque de causa quæsita, etsi non inuenta, Episcopis & Abbatibus Anglicis, Normannicisque, aut Burgundicis eorum loco substitutis.

Colligitur etiam ex eadem posteriori parte scripti, ædem hanc S. Pancratij, fuisse iam tunc præcipuam domū Cluniacensium in Anglia, & Prioratui Charitatis proximam: quippe cuius prior, post Priorem ipsius Cluniaci, & monasterij de charitate, præcipuus in ordine constitutus fuerit: Addique duo priuilegia, vltrà omnes alios ordinis Prælatos: nimirum, Priorem S. Pancratij non fore ad nutum amouibilem, sed perpetuum; nec in vllo prorsus Cluniacensi Abbati suo, præter ea quæ ad regularis obseruantiæ integritatem spectarent, subijci aut teneri. Quæ duo nulli alteri Prælato ordinis, ne quidem Abbati alicui de ordine, concessa fuisse illo tempore, facile apparet legenti bullas & statuta ordinis, quibus tunc regebatur. Vnde clarè etiam confirmantur, quę suprà diximus, non posse Abbates Anglos in censu Cluniacensium numerari, ex eo, quod isti pro auctoritate Cluniacensis Abbatis poterant vel deponi, vel transferri; cum Abbates Anglici non secus atque Episcopi, à solo Pontifice, & Rege deponi potuerint, vel mutari.

Sic & illud, quod anteà dixeramus, Monasteria à Cluniacensibus reformata non statim eisdem fuisse subiecta: & in Minori monasterio S. Martini Turonensis, ex historia reformationis eiusdem probaueramus; euidenter ex hoc scripto constat esse verissimum. Cum enim venerabilis Abbas Cluniacensis, per annum integrum detinuisset Cluniaci Lanzonem Priorem S. Pancratij, nec tum, sæpius licet petenti Comiti Warennæ restituisset: *vnde, tam inquieti fuimus* (inquit ibidem Comes) *quod pene proposuimus dimittere inceptum nostrum* (nimirum monasteriū Pancratianū perficiendi & Cluniacensibus subijciendi) *vel auferre eis, & dare ecclesiam nostram Maiori monasterio.* Non ergo fuit Maius monasterium iurisdictionis Cluniacensium; nam alias, non dixisset, se ablaturum ab eis, Cluniacensibus scilicet, & daturum Maiori monasterio; si ipsum maius Monasterium, iuris fuisset Cluniacensium.

Quare vides lector, hinc facillime destrui ingentem illam *Machinam cataphaticam* aduersarij, qua nititur demonstrare, ante tempora Concilij Lateranensis, nullam fuisse Congregationem Benedictinorum in Anglia preter Cluniacensem: & vice versa, manere in suo robore coniecturas Trophearij, quod fuerit aliqua Congregatio Anglicana distincta à Cluniacensi, nam cum in re historica (vt aduersarius asserit pag. 102.) tota ratio sit authoritatis probatio; & hic habeamus duplicem authoritatem authenticam, vnam S. Hugonis Abbatis Cluniacensis maxime longæui; alteram Guilielmi, comitis Warennę, primi Cluniacensium fundatoris in Anglia; qua clare asseritur, nullum fuisse vsque ad illa tempora Cluniacensis ordinis in Anglia monasterium: sequitur euidenter argumenta siue coniecturas Trophearij, si vllam probant Congregationem in Anglia, (quod aduersarius pag. 100. libenter admittit) probare eam non fuisse Cluniacensem, atqui aduersarius non agnoscit, aliam extra Angliam tunc temporis Congregationem, preter Cluniacensem. Si igitur fuit in Anglia ante Lanzonis aduentum Congregatio (vt iam ex suppositione ab aduersario admissa, & ex authoritate per nos adducta demonstratum est) & extra Angliam nulla fuerit alia Congregatio, preter Cluniacensem certe illa, quæ ponitur in Anglia fuisse recte vocari potuit & debuit, Anglicana. Deinde putat aduersarius monachum Cluniacensem, probabiliter non introduxisse aliam disciplinam in Angliam quam Cluniacensem; ideoque Dunstanum, Oswaldum, Ethelwoldum, Lanfrancum sanctissimos Patres nostros, (quos falsi putat, Clu-

niacense

niacenses aliquando fuisse, vt inferius demonstrabimus) etiam Cluniacensibus monasteria sua dedisse. Atqui hic ex comite Guilielmo habemus, Lanfrancum quidem suasisse Guilielmo, vt monasterium ędificaret; sed, (vt valde manifestè apparet ex filo sermonis) de Cluniacensibus mentionem non fecisse, quippe quos non nisi in perigrinatione sua cognouerit Comes, cum ante perigrinationem, propositum ædificandi cœnobium concepisset: atque ita *Magnicrepa illa Cataphatica Catapulta* aduersarij, verissima S. Hugonis & comitis Guilielmi authoritate eneruata, telum irritum & inane, non tam emisit quam amisit, & Tropheari coniecturæ, quantum quidem est ex parte cataphatici impugnatoris, remanserunt inexpugnabiles.

Et hæc est prima pars veritatis, à nobis demonstratæ, nempe ante tempora Normanni, Abbatias illas Angliæ S. Albania, Petroburgensem, Westmonasteriensem, S. Augustini Cantuariæ, Christi Saluatoris ibidem, Glasconiensem, Euishamensem, Edmondsburiensem, cęterasque, quas ad suam Congregationem spectare dicebat autor Tropheorum, non fuisse Cluniacenses.

§. 6. Demonstratio 6.

Sequitur altera pars, Nec post illa Normanni tempora eas vnquam ad Cluniacense ius pertinuisse. Id autem demonstrabimus, primum *apophaticôs*, deinde *cataphaticôs*, ne aduersarius solus grecè methodizet.

Negatiuè primo, quia in catalogo amplissimo Abbatiarum, Prioratuum, Decanatuum, & benificiorum ac obedientiarum ordinis Cluniacensis, (qui habetur in sepe laudata bibliotheca Cluniacensi, & ex Archiuis ipsius ecclesiæ Cluniacensis diligentissimè collectus est) non apparet nomen vllius earum abbatiarum aut prioratuum, quorum prælati & monachi ad Capitulum Generale Anglicanum, conuenire debebant; & solebant. Atqui non est vllo modo credibile in illo Catalogo prætermissuros fuisse eius collectores, tam insignia membra Congregationis illius, quam fuissent Abbatiæ illæ Anglicanæ, siquidem illius ordinis membra vnquā extitissent. Etenim in Cluniaco custodiebantur, ipsa totius ordinis Originalia instrumenta, vt patet ex bibliothecæ illius lectione, & specialius ex scripto Guilielmi comitis de Warenna, (quod supra citauimus, & in appendice totum ponemus) in quo Lanzo Prior S. Pancratij in Anglia, idcirco postulat à comite redintegrationem scripti dotalitij seu fundatorij, quia scriptum prius Originale Comitis, & regis Guilielmi approbatio, Cluniaci erant. Cum ergo hæ Abbatiæ & prioratus nostri in Angliæ Capitulo conuenientes non sint in catalogo Cluniacensi, non fuerunt certè de ordine, aut iure Cluniacensium.

Ex Catalogo ipso per Cluniacenses edito: in quo nulla continetur Abbatia Anglica.

Neque verò est ad rem, aduersarij audax responsio: Catalogum illum esse imperfectum, eo quod Bertinianum, & vnum aut alterum monasterium in eo non sunt, quæ tamen constat fuisse aliquando iuris Cluniacensium.

Primo enim, ea non posuit author Catalogi, quia non diu manserunt subdita Cluniacensibus, sed sese authoritate Pontificia (vt Bertinianum) aut Regia, (vt aliqua Hispanica) subduxerunt; quod licitè & validè potuerunt, quicquid aduersarius intemperanter & impotenter nimis paratragædians pronunciat contra Bertinianum, quasi ad eum pertineret aduocatio fisci Cluniacensis, pro reducendis ad ipsum Abbatijs, quæ vnquā vllo tempore fuere illi subiectæ. Etenim Pontifici licere, iustis de causis monasteria, à quacumque iurisdictione spirituali sibi subdita eximere (qualis saltem est Cluniacensis) non negabit (vt opinamur) aduersarius. Causas iustas exemptionis, nullas fuisse non debet dicere, nisi probet: probare autem non poterit, qui ne noscit quidem, quando, aut quibus de causis, fuerit exemptum. Et regum ac principum supremorum, eam esse potestatem licitam, beneque ordinatam, non negabit aduersarius, vt suarum prouinciarum & regnorum prælatos non permittant, alterius cuiuspiam regni aut principatus prælatis (Romanum Pontificem semper excipio) subesse, quando securitati aut maiestati suæ coronæ iudicant talem subiectionem non esse consentaneam. Ita nunc Christianissimus Galliarum rex concessit Congregationi S. Mauri ordinis nostri in Galliarum regnis diploma suum, quo sancitur, ne vlla nostri ordinis domus, alieni regni aut principatus iurisdictioni submittatur. Ita reges Hispaniarum, quasdam diœceses inferioris Germaniæ (quæ nunc ad ipsorum spectant ditiones,) olim subiectas Archiepiscopatui Rhemensi, ab eo subtraxerunt, & Archiepiscopo suæ ditionis submiserūt. Quare si quas olim habuerint Cluniacenses Abbatias, quæ non sunt in illo catalogo, ideo in eo non sunt, quia diu iam antea ab earum iure se subtraxerunt.

Monasterium S. Bertini an vnquā reuera subditū Cluniacēsibus.

Quoniam autem aduersarius valde amarulenter proscindit Bertinianos prælatos tan-

quam contra ius fasque omne iugum Cluniacense etiam nunc detrectent: ingratiam patronorum nostrorum ostendemus, illud insigne monasterium nunquam fuisse de iure Cluniacensibus subiectum: vel certe cito subiectione ablata in pristinam libertatem suam vendicatum. Tractatum quidem fuit de hac subiectione primum omnium anno Domini. 1100. quo anno (vt constat ex bibliotheca Cluniacensi col 522.) Paschalis secundus illud ordinationi S. Hugonis & successorum eius subiecit: Anno autem 1106 Robertus comes Flandriæ per diploma suum, (quod extat in bibliotheca Cluniacensi col. 538.) recitans quod ... vxor ipsius Clementia, dum ipsemet bello sacro in Palæstina detineretur, obtinuisset à S. Hugone tum per literas, tum per mediationem ipsius Abbatis sancti Bertini, vt idem sanctus Hugo monasterij disciplinam resarciendam susciperet, ipsum monasterium etiam ordinationi S. Hugonis & successorum committit. Confirmatur autem dictum monasterium postea Pontio Abbati per Paschalem secundum anno. 1109. Calistum secundum anno 1120. vt videre est in bibliotheca eadem col. 570, & 573. Denique anno Domini 1125. Honorius secundus idem monasterium Petro venerabili confirmat.

At his omnibus non obstantibus contra hanc subiectionem tot bullis insinuatam reclamatum est ipsius Petri venerabilis tempore: cuius rei testem omni exceptione maiorem suscitabimus sanctum Bernardum epistola. 149. in qua sic ad eundem Petrum venerabilem scribit: *De monasterio S. Bertini vellem vos moderatius agere, quam cœpistis: nam etsi hoc vobis in pace subijcere, & absque omni contradictione possetis; ne tunc quidem quid vestra referret, video; neque crediderim vos delectari honore cum tanto onere. Nunc vero cum nec absque magno labore vendicare vobis præfatum monasterium, nec in pace (vt aiunt,) queatis possidere: honesta vobis, (vt mihi videtur) præbetur quiescendi occasio timor inquietandi.* Hæc ad sanctum Petrum doctor mellifluus. Ad quam epistolam doctissimus vir Ioannes Picardus hanc annotationem apposuit: *Meierus lib. 5. annalium Flandriæ rem hic a S. Bernardo tactam dicit explicate. Anno 1137 Leo Abbas Lobiensis Theodorici comitis ab eleemosynis claro in Furnensibus ortus loco, creatur Abbas Bertinianus. Vir fuit prudens & strenuus: Cluniacensium fortiter obuiauit conatibus, qui domum sibi Bertinicam subijcere conabantur: eoque agente Theodoricus comes & vxor Sibylla, Milo Episcopus Morinorum, Philippus & Milo archidiaconi, Gulielmus Præfectus Audomarensis, eorumque successores Bertinianæ domus perpetui protectores à Pontifice Romano instituti sunt.*

Hæc autem ita gesta fuisse satis liquet ex progressu ipso rerum Cluniacensium in bibliotheca Cluniacensi descripto, nam Petrus ipse venerabilis postea ad annum Domini 1144. à Lucio Papa secundo qui proximè successit Innocentio præfato, obtinuit confirmationem omnium Abbatiarum à Cluniaco dependentium per diuersas prouincias & dioceses, & in Episcopatu Taruauensi non iam ponit (sicut autem positum fuerat) in alijs bullis prioribus nomen Abbatiarum S. Wulmari, sanctique Bertini, sed solum S. Wulmari monasterium; quod & in alia bulla Eugenij 4. postea factum est similiter; Nec postea in vllis rescriptis habetur S. Bertini mentio. Quare siquando subiectum de facto fuerit Cluniacensibus Bertinianum cœnobium (de quo non constat, quia nusquam dicitur côuentum consensisse, sed tantum principes id quodammodo conatos fuisse) at saltem per triginta septem duntaxat annos fuerit subiectum, tot enim solum anni effluxerunt ab anno 1100. vsque ad ordinationem Leonis Abbatis Bertiniani, qui Cluniacense iugum excussit, quæ facta fuit anno 1137.

Quare non est quod aduersarius tantopere catalogum Cluniacensis Bibliothecæ, tanquam deficientem culpet. Quod si Catalogus ille sit imperfectus, vt aliquam forte vnam, aut alteram, aut pauculas abbatias omiserit: tamen ita imperfectam esse, vt ne vnam quidem ex quadraginta celeberrimis abbatijs & prioratibus (è quibus aliquæ fuere ipsi Cluniacensi pares diuitijs, & numero monachorum) per Angliam constitutis in catalogo posuerint authores eius, dici nulla alia de causa potest, nisi quia reuera non fuerint tales Abbatiæ de iure Cluniacensium. Reuera enim incredibile est, viros diligentissimos pariter, & ordinis sui, vt ex catalogo illo apparet, studiosissimos, qui Abbatias duas ordinis in Scotia notauerint, & prioratus multos in Anglia, adeo exactè, vt non solum domos conuentuales, enumerauerint, numerumque monachorum, qui in singulis esse debuerit, verum etiam obedientias & domos duntaxat trium monachorum, imò duorum, imò vnius monachi, non omiserint: omissuros fuisse tam insignes Abbatias in Anglia, quarum minima maior erat prioratu S. Pancratij, qui erat tamen secunda filia Cluniacensis.

Adde, catalogum illum fuisse factum, ante schismatis Anglicani tempora: loquitur enim catalogi author (quisquis fuerit) dum prioratus Angliæ enumerat, de sui temporis obseruantijs, nam de S. Pancratij prioratu agens, ait, *Videatur super hoc, quædam prouisio facta per Abbatem Bertrandum anno 1298. de dicto prioratu, in qua institutione, Prior S. Pancratij Lewensis*

iurauit

iurauit sibi plura: licet dicta compositio sit hodie reuocata per Decretalem. Rursus de prioratu Montis acuti, loquens ait. *Hospitalitas & eleemosynæ, & ea quæ pertinent ad obseruantias regulares, benè consueuerunt ibi fieri & obseruari, & quotidie tenetur ibi Capitulum,* & de prioratu Bermondseiæ Londini. *Hospitalitas eleemosynæ, silentium, & aliæ regulares obseruantiæ ibidem benè obseruantur.* & de prioratu S. Milburgis de wanneloch, *omnes obseruantiæ regulares, secundum quod melius fit in ordine, ibidem firmiter obseruantur,* & de prioratu S. Iohannis de Pontefracto, *ibidem benè obseruantur obseruantiæ regulares.* & de prioratu B. Mariæ de Clifford. *Diuinum officium, hospitalitas, & eleemosyna, & aliæ obseruantiæ regulares secundum poßibilitatē benè obseruantur ibidem.* & de prioratu de Thetford. *Omnes obseruantiæ regulares benè ibi obseruantur.* Quæ verba clarè indicant, eo tempore quo catalogus iste confectus est, adhuc viguisse, imò floruisse valde Cluniacenses in Anglia, ac proinde catalogum longe ante Henrici Octaui tempora factum esse: ac propterea authores seu collectores catalogi illius (quos nemo sanus negabit melius sui ordinis domos nouisse, quam hic nouerit aduersarius) nullam in tota Anglia abbatiam sui ordinis, siue iurisdictionis agnouisse.

§. 7. Demonstratio Septima.

Secundò probo negationem assumptam, ex bullis pontificijs, in quibus diligenter enumerantur omnes Abbatiæ, *quæ vna cum ordinationibus suis subditæ fuerunt Cluniacensibus*: Etiam aliquę, quę non sunt in dicto catalogo, vt Bertiniana, & aliæ postea, subtractæ vt S. Ioannes Angelij Et tamen in nulla earum, nominatur vlla istarum Abbatiarum, aut prioratuum, qui in Capitulo nostro Generali, conuenire consueuerant; cùm tamen ibidem nominantur prioratus S. Pancratij de Lewes, S. Milburgis; de wennelock, & alij quos concedimus fuisse Cluniacenses. Nec extant in tota bibliotheca Cluniacensi vllæ literæ regales aut principales, per quas vlla talis Abbatia vel prioratus Cluniacensi ordini tradatur, aut incorporetur: ac proinde dicendum est, nullam reuera Cluniacensis iuris fuisse. *Ex bullis pontificum.*

Neque hic mihi occinat suum illud logicum axioma aduersarius, argumentum esse ab authoritate negatiue desumptum, proinde parum valere: nam in negotijs ac litibus possessionis, hoc argumentum negatiuæ authoritatis non est inualidum, si quidem, quicumque prætendit ius ab Abbatiam, ecclesiam, aut latifundia quæuis contra negantem ius suum aliquē debet titulum ostendere, vel diplomatis Pontificij, vel donationis regiæ & principalis, vel fundationis, vel realis & à tempore immemoriali licitè retentæ possessionis: qualem nullum titulum proferre possunt Cluniacenses, ad prædictas Abbatias aut prioratus. Nam si tituli illi vllatenus extitissent, vtique in bibliotheca illa protulissent: cum ergo ostenderimus, in catalogis, bullis, diplomatis, & instrumentis, quæcumque hactenus prolata fuere, nullam fieri nostrarum Abbatiarum & prioratuum mentionem: sufficiens in iure argumentum est, ea monasteria non fuisse Cluniacensia, donec Cluniacenses ipsi aut potius hic eorum fisculus voluntarius proferant indubitatum aliquem titulum, qui in iure sufficiens sit ad possessionem earum asserendam.

§. 8. Demonstratio octaua.

Tertio probamus eandem negationem, ex ipsis Cluniacensis ordinis statutis, etenim extat statutum Bertrandi primi Abbatis Cluniacensis, 28. qui mortuus est anno 1308. tenoris „huiusmodi. Vt bonum ordinis paribus & imparibus, sua loca cuique dispositione laudabili „tribuentis, in nostro ordine maneat, honorque debitus Cluniacensi ecclesiæ matri nostræ „& Pastori eiusdem, Abbatibus, prioribus, & ceteris personis ordinis, secundum eorum „statum & officium conseruetur. Nos Fr. Bertrandus miseratione diuina Cluniacensis ec„clesiæ minister humilis, innouando & declarando statuimus infra scripta, super huius„modi honoribus, & ordine sedium in nostri ordinis locis, futuris temporibus obseruandis „Imprimis quod in Abbatijs, quinque prioratibus principalibus, & in aliis cōuentualibus „ordinis nostri, in quibus in vigilia Paschæ cereus benedicitur & tabula cerei scribitur anni „regiminis cuiuslibet Abbatis Cluniacensis de cætero ponantur, & describantur in dicta ta„bula cerei benedicti. Item statuimus, quod in Cluniacensi monasterio post Abbatem Clu„niacensem in ijs quatuor locis, sc. Monasterio, Claustro, Capitulo, & Refectorio, ex vna „parte sedeant Moysiacensis, Balmensis, Losatensis, & Thiarnensis Abbates: ex alia verò „parte Figiacensis, Monasterij noui Pictauensis, Belliloci in Argonia prope siluam Arduen„nam, & Mauziacensis Abbates. Rursus post priorem maiorem & Claustralem Cluniacen- *Ex statutis ipsis Cluniacensium.*

sem, in

„ sem, in prædictis 4. locis incedant & sedebunt quinquè Priores principales, isto modo, vi-
„ delicet post priorem maiorem ex vna parte, Prior Charitatis incedet, & sedebit, & post eum
„ prior Syluiniacensis : ex altera autem parte post priorem Claustralem, Prior S. Pancratij
„ Lewensis, Sancti Martini de campis, Parisijs, & Prior Celsiniarum &c. Et in fine dicti statuti, quod est statutorum in bibliotheca Cluniacensi positorum postremum Columna
„ 1590. Habentur hæc verba, Expliciunt prædicta statuta, quibus vna cum regula S. Bene-
„ dicti, & statutis apostolicis regitur ordo Cluniacensis.

Ex hoc statuto constat, non fuisse plures Abbates ordini Cluniacensi subiectos, quam octo illos ibidem enumeratos, quorum nullus sedem habuit in Anglia. Nam si aliqui Abbates Angliæ fuissent illius ordinis, eo tempore, quo hæc statuerat Bertrandus, non minus illis locum & sedem in quatuor illis locis Cluniaci assignauisset, quam assignauerat Priori S. Pancratij de Anglia; imo assignauisset ante omnes illos octo Abbates, quandoquidem nostræ Abbatiæ pleræque potentia, & diuitijs, atque numero monachorum, ipsi Abbati Cluniacensi pares fuerunt; quibus propterea sine dubio plus detulisset Abbas, quam Abbatijs illis, quas recensuimus.

Imò aliqui ex Abbatibus nostris, ne quidem ipsi Abbati Cluniacensi, quantum ad prerogatiuam sedis voluissent cedere, quod de Abbate S. Augustini ex historia manuscripta constat, in qua Abbatum illius Cænobij vitæ & gesta narrantur, in cuius historiæ folio. 44. hęc habentur. *Anno Domini* 1055. *Eduardus rex*, (nempe sanctus Confessor) *dedit huic Monasterio, totam terram, quam habuit in* Fordiono. *Anno sequenti, Leo papa* (nonus nimirum) *Symoniacam hæresim in Francia debellabat, mittiturque ad eum consensu regis & regni, Vlfricus Abbas, pro negotijs regni & ecclesiæ Anglicanæ Pontifici responsurus. Cuius responso Papa intelligens Anglos cæteris innocentiores, & Anglicanæ ecclesiæ profectui congratulans, inter alia multa confirmabat, vt Archiepiscopus Cantuariæ in concilijs vel synodis celebrandis assidere d. beat Sancto* * *Romano Pontifici Abbas vero Augustinensis, Abbati montis Cassini*. Et certè Abbas Cluniacensis, inferior loco semper fuit Abbate Cassinense, & proinde iuxta huius sancti Pontificis decretum, Abbate Augustinense.

Vide Malmesbuin Anselmo: de loco illi à Pontifice cōcesso.

Sed & potentia Abbatis Glasconiensis, & Abbindoniensis, Edmundi-burgensis, Euishamensis, aliorumque Abbatum, Abbatiarumque nationis nostræ hoc ipsum euincit ipsos nullo modo, aut voluisse aut potuisse Abbati Cluniacensi se submittere. Primò enim vt iam diximus, aliqui Abbates, simul erant Cathedralium ecclesiarum Episcopi, ab ipsis conuentuum seu Abbatiarum monachis, ex antiquo ordinis priuilegio electi, sub quibus Priores Abbatias gubernabant, quos priores Cathedrales nominabant, quia Ecclesia Abbatiæ erat simul ecclesia cathedralis Episcopatus, & in ea proximè post Abbatem Episcopum, prior & monachi primas habebant. Sic erant Abbatiæ S. Saluatoris Christi in vrbe Cantuariæ, Eliensis, Roffensis, Wintoniensis S. Swithini, Couentriensis, Dunelmensis, Wigorniensis, Bathonensis. Nam has Abbatias fuisse Cathedrales, earumque conuentus, monachos Benedictinos eligere solitos sibi Abbates & Pontifices suos constat ex Matthæo vtroque Parisiense & Westmonasteriense, ex Florentio Wigorniense, Polidoro Virgilio, cæterisque omnibus rerum Anglicarum scriptoribus. Ex eisdem etiam manifestum est, (consulatur enim Catalogus Iohannis Spedi Chronologi nostræ nationis, quem latinè edidit ad finem historiæ ecclesiasticæ Nicholai Harpsfeldij, R. Pater, Gibbonius) de numero Abbatum seu Prælatorū regularium in Anglia fuisse viginti octo Barones Parlamentares: (quorum nomina vide in appendice num. 69) è quibus, 24 ordinis nigrorum S. Benedicti fuerunt, tres alij vero Prior ordinis militaris S. Iohannis Hierusalem: & duo Abbates Canonicorum nigrorum S. Augustini siue Lateranensium de Walthā & de Cirencester, quibus addi debet Abbas de Tauestoke ordinis nostri, cui Henricus octauus an. regni sui 5. per litteras patentes concessit pro ipso & successoribus Abbatibus dignitatem Baronis parliamentaris, locūque Baronis occupauit de facto in proximo parlamento, quod habitum fuit anno sexto regni eiusdem eundemque retinuit, vsque ad Generalem Abbatiarum, & regularium dissipationem. Cæteri autem omnes Barones spirituales, tam episcopi quam Abbates dignitatem baroniæ habuerunt, non ratione gratiosæ concessionis per litteras patentes factæ, sed ratione feudi Baronatus annexi Episcopatui vel Abbatiæ. Quare viginti quinque prælati ordinis nigrorum in Anglia fuere Barones parlamēti, quæ dignitas non legitur concessa vlli prælato, de quo certum sit fuisse Cluniacensem, nam priores S. Pancratij, & Bermondseiæ, qui sine controuersia Cluniacenses fuerunt, nunquam barones parlamenti audierunt.

Quid igitur hic dicit aduersarius? audebit asserere omnes istos Episcopos & Abbates ordinis nigrorum, Baronatuum feudis insignes, fuisse Congregationis Cluniacensis? tantamne

potestatem

potestatem reges nostros (regalium prærogatiuarum parcissimos distributores imò tenacissimos amplificatores) concessisse Cluniacensibus, vt decem Episcopatuum & in ijs ipsius Metropolitani Cantuariensis, & 25, Baronum suffragia in comitijs parlamentaribus habentium, electio, confirmatio, regimen & correctio penes Cluniacensem esset: quod non nisi repugnantes ipsis summis Pontificibus concedere voluerunt? qui hoc audeat asserere, nisi iudicio omnium, qui antiquitatum Anglicarum periti sunt, declaretur aut impudens assertor, aut imperitus narrator, causam victi penitus deleremus. En tibi 25. Barones parlamentares, & decem priores Cathedrales, quos omnes certum est, ad Capitulum Generale Angliæ conuocari solitos; quorum ne vnum quidem ratione Episcopatus & Baroniæ annexæ potuisse externo seu vltramarino superiori subijci, à ab eo institueretur, vel destitueretur, vel omnino regeretur, omnes antiquarij & iurisperiti nostri certatim affirmabunt. Vera est ergo negatio, quam assumpsimus.

§. 9. *Demonstratio nona.*

Sed quid omittimus aliud argumentum irrefragabile, ex communi consensu historicorũ nostrorum desumptum? Omnes domus Cluniacensium in Anglia, quotiescumque bellum ingruebat, inter Anglos & Francos, fuerunt à regibus nostris statim fisco adiudicatæ, sicut & reliqui omnes prioratus & cænobiales conuentus alienigenarum. Nunquam autem potest probari vllam Abbatiam, aut prioratum, ex numero earum domuum, quę Capitulo Anglię benedictinorum Anglorum Nigrorum subdebantur, fuisse in illis occasionibus aut temporibus, vel fisco adiudicatos vel suppressos. Nulla igitur istarum domuum aut prioratuum fuit iuris Cluniacensium. Propositionem affirmant authores nostri, qui scribunt de rebus Anglicanis, & quidem Stous in Edwardo 3. ad annum 1337. & in Henrico quinto ita asseuerantes: vt cum primò rex ille bellicosissimus eorum, quos dixi, bona confiscasset, & decretum tamen suum exequutioni non mandasset: postea tamen secundo, omnes omnino alienigenarum conuentus per vniuersam Angliam, numero plus (110) ex decreto comitiorũ parlamentarium, sic confiscasse eum dicat, vt omnino sic manserint, vel penitus suppressi, vel à matricibus ecclesijs vltra-marinis diuulsi, vel alijs maioribus Angliæ Abbatijs, aut episcopatibus annexi. Sed ne forte Stous, author videlicet recentior, fidem minorem apud aduersarium mereatur: prodeat testis oculatus Thomas Walsinghamus, in Hypodigmate Neustriæ pag. 513. sic habet. *Hoc anno* (nempe 1337.) *propter instantem guerram* (Edwardi regis tertij, contra Francos) *Rex Angliæ confiscari fecit bona Longobardorum, & monachorum Cluniacensium, atque Cistercensium per totum regnum.* Videsne expresse, propositionem nostram à grauissimo teste assertam? Longobardi (quos vulgo Lombardos id est, fæneratores, Italos, genus hominum bene notum per Gallias, & Britanniam nostram) quia erant Alienigenæ; Cistercienses, quia pendebant à matrice ecclesia Gallicana; Cluniacenses ob eandem causam, quia nempe matrici ecclesiæ Franciæ subdebantur; habebantur per alienigenis, atque ideo rex eorum bona tanquam hostium suorum, aut hominum hostibus suis obnoxiorum, confiscari fecit. At si vel vnam Abbatiam, aut prioratum vnicum solum conuentum eorum cænobiorum, quæ Capitulo prouinciali nigrorum per Angliam subiecta fuerunt, (quorum Catalogum in fine libri fidelem dabimus) possit aduersarius ostendere ex simili occasione fuisse à regibus nostris confiscatum, herbam porrigemus, easque omnes domos Cluniacenses fuisse confitebimur. Atque hæc quam dixi calamitas, adeo sæpe vexauit in Anglia conuentus Cluniacensium, vt tandem ad eiusmodi confiscationes euitandas coacti fuerint, Indigenationem (vt nostri Iurisconsulti loquuntur) certis sub conditionibus, à rege comparare quatenus ita ciuitate Anglicana donati, non amplius haberentur pro alienigenis, aut iuris Francici, quando similes alienigenarum confiscationes ob bellorum motus repeterentur. Hoc adeo verum est, vt singularum fere domuum Cluniacensium indigenationis tempus, ex Archiuis Angliæ regalibus ostendere possimus. Extat enim in prædictis archiuis Catalogus illorũ conuentuum, qui cum matricibus ecclesijs vltramarinis subijcerentur, hanc tamen indigenationem ob fisci periculum sunt consequuti, singulorum ordinum cænobia seorsim per classes enumerantur Cluniacensium Cistercientem, Præmonstratensium, Canonicorum nigrorum S. Augustini &c. Et de Cluniacensibus quidem (de quibus est nobis sermo specialior) indigenatio Prioratus S. *Pancratij* habetur rotula patente. 25. Eduardi. 3. parte. 1. mem b. 27. *Castelacri, Prituelli, Farley, Hortannæ, Stangatæ*, patenti. 47. Edw. 3. parte 1. memb. 10. *Bermondseiæ*. 1. Henrici. 4 cuius Denizationis seu indigenationis copiam in fine libri candide apponemus. *Lentonæ* indigenatio inuenitur pàtente 16. Ricardi. 2. parte. 2. memb. 19.

Ex frequenti suppressione & confiscatione Cluniacensium in Anglia.

Northamptonæ

Northamptonæ S. Andrææ patente. 6. Henrici. 4. parte. 2. num. 25. *Thetfordiæ.* patente. 3. Ricardi. 2. parte. 2. num. 27. *Montisacuti.* patente. 8. Henrici. 4. parte. 2. mem. 10. Et ita de cæteris domibus ad Cluniacenses pertinentibus, quæ omnes composuerunt cum regibus pro iure ciuitatis, siue Indigenationis, certa summa pecuniæ thesauro regum persoluta. Vt verbi causa, *Bermondseiæ*, cum anno 1371, (ducentis nimirum & paulo amplius annis post Cluniacensium aduentum in Angliam) cum Prioratus alienigenæ diu confiscati fuisset (nempe per triginta totos annos) *Ricardus Denton* monachus Anglus factus est Prior Bermondseiæ, de ipso gremio eiusdē prioratus, vt arbitramur, assumptus, cui Rex Eduardus tertius per diplomata, seu patentes literas (vt vocant) commisit eiusdem Prioratus custodiam, reseruatis regi aduocationibus ecclesiarum parochialium à prioratu dependentium. At post nouem annos, anno. 1380. & quarto anno Ricardi secundi (qui auo suo Eduardo 3. successerat in regno) idem prioratus iure ciuitatis siue indigenationis ornatus est, persoluta arcæ regiæ (*Hanaper* vocat instrumentum) summa ducentarum marcarum. Vixdum quieuit, hoc obtento beneficio: cum ecce anno 1399. Ioannes Attleborough Anglus & Prior Bermondseiæ, eodem rege Richardo secundo postulante creatus est à Bonifacio nono Pontifice primus Abbas eiusdem cænobij; quod tamen factum est contra leges & priuilegia Cluniacensium, & ius Prioris de charitate, cui illa domus Bermondseiæ à fundatione sua fuit subiecta.

Cæterùm est notatu dignissimum istas alienigenarum confiscationes suasu nonnullorum equitum laicorum, qui in comitijs parlamentaribus multum poterant, factas fuisse; quos equites Walsinghamus Lollardos (ita tunc vocabantur Wicleuistæ, qui nunc sunt Husitæ) fuisse testatur: quos idem voluisse Regi persuadere tradit, vt confiscarentur etiam omnia omninò bona ecclesiarum per vniuersum Angliæ regnum. Historiam, (quia & ad rem nostram pertinet, & digna lectu est, ostenditque vnde hodierni hæretici hauserint illam animositatem, qua Ecclesiæ prælatis & clericis ac religiosis bonorum temporalium affluentiam inuident;) integram ipsius walsinghami, monachi nostri verbis ponemus. Sic igitur ait in hypodidagmate Neustriæ ad annum. 1404. qui erat 4. Henrici. 4.

„Eo tempore Rex indigens (vt fertur) pecuniâ, conuocauit regni proceres ad parliamen„tum tenendum Couentriæ circa festum S. Fidei virginis: non considerato quod hoc ipso „anno, tempore quadragesimæ, parliamentum celebrauerat apud Westmonasterium, quod „inutiliter, vt multis videbatur, per duodecim hebdomadas fuerat protelatum. Direxit „ergo breuia vicecomitibus, ne quosquam (procuratores in comitijs futuros) pro comi„tatibus eligerent quouismodo *milites, qui in iure regni vel docti fuissent, vel ap„prenticij; Sed tales omnino mitterentur ad hoc negotium, quosque constaret ignorare „cuiusque iuris methodum. Factumque est ita (vnde in annalibus nunc deinceps, hoc vo„catur *parlamentum indoctorum*) Qui conuenientes in vnum & sapientes in id ipsum, cum „propositum fuisset pro parte Regis, quanto premebatur rei familiaris incommodo, instan„tibus *propè* Scotis & Wallicis, *procul* Britonibus, Flandricis, & Gallicis: Selecti milites „parliamentales pro releuando rege non aliud inuenire potuere remedium, quam confiscādi „Christi per totum regnum patrimonium, scilicet, vt ecclesia generaliter de bonis tempo„ralibus priuaretur. Hinc orta est inter clericos & laicos grandis altercatio, militibus regijs „asserentibus se pro rege atque cum rege sæpius profectos contra rebelles & hostes, non „solum sua expendisse profusius, sed corpora quoque multis periculis exposuisse, siue labo„ribus; clericis interim otiosè domi sedentibus, & in nullo Regi suffragantibus. Contra quę D. Cantuariensis (is erat Thomas de Arundelia quem postea vocat Walinghamus eminentissimam turrim ecclesiæ Anglicanæ, ob eius in tuendis ecclesiæ libertatibus constan„tiam) respondit: clerum tantum semper consuluisse regi, quantum laicos, dum decimas „ipsi frequentius darent regi, quam laici quintas decimas; & insuper *tenentes sui non mi„nori numero Regem sequebantur ad bella vel pericula, quam tenentes feodi laicalis. Et „super hęc omnia nocte dieque missas & orationes facerent pro eodem, & pro omnium „ipsi famulantium prosperitate. Et cum ad hæc proloquutor militum, vultu voceque præ„tendisset publicè, se preces ecclesiæ parui pendere: Iam, inquit Dominus Cantuariensis „video manifeste quorsum tendit regni fortuna, exclusis vilipensisque suffragijs, quibus di„uinitas placari solet. Certe nunquam fuit diu regnum stabile, quod vacauit à precibus & „deuotione. Attamen tu, qui vilipendis cleri religionem ne te putes impunè direpturum „ecclesiæ possessionem; quia si viuit Cantuariensis, malo tuo rapies quicquam de suis. Erat „autem proloquutor miles, qui (vt fertur) militiam sortemque Christi deserens, in sortem „Martis apostatando transierat: nam (prout dicunt) Diaconus fuerat ordinatus, nulla

†Cheualiers.

Vasall.

„tamen vt resiliret dispensatione licentiatus. Archiepiscopus inter hæc Regem nutantem „considerans, surrexit, genuque flexo coram Rege, rogauit vt attenderet quam gratiose reg- „num consequutus sit; attenderet primitiuum propositum suum, quod cuilibet seruaret „iura propria pro posse suo; attenderet & iuramentum quod non inuitus pręstiterat, vide- „licet, quod Ecclesiam & ministros eius honoraret, foueret, & manuteneret; attenderet & „periculum iuramenti siue dedecus violati; & ecclesiam gaudere permitteret suis priuilegijs „& libertatibus, quibus gauisa est antecessorum suorum temporibus; vereretur offendere „regem, per quem Reges regnant, vereretur & censuras, quas incurrunt, qui res ecclesiasti- „cas deprædantur, quos omnes constat excommunicationis sententia innodari. His à Can- „tuariensi prolatis, Rex præcepit ei repetere sedem suam, asserens voluntatis suæ fore, ec- „clesiam adeo bono in statu dimittere, sicuti eam inuenerat, vel potius meliori. Archiepis- „copus conuocatis militibus, dixit: Vos, inquit, & vestri similes consilium dedistis Domino „nostro Regi moderno, & antecessoribus suis, vt confiscarent bona cellarum, quas Gallici, „vel Normanni possederunt in Anglia, dicentes, eis per hæc diuitias accumulandas in „magna copia, & quidem prout valent multa fului metalli millia: Sed tamen constat hodie „Regem non esse ditiorem dimidia quidem marca, vobis extorquentibus vel emendican- „tibus de manu sua, & vobismet appropriantibus dicta bona; vnde potest conijci vos non „pro Regis vtilitate, sed pro vestra cupiditate, temporalia nostra petere. Quia proculdubio „si Rex, quod absit, vestro satisfecisset execrando proposito, non esset opulentior vno qua- „drante sequenti anno. Et certe prius hoc caput exponam gladio, quam ecclesia destituatur „minimo iure suo. Milites hac sententia Regis, simul & metropolitani cōstantia repercussi, „constituere; maximè quia Archiepiscopus Dominos temporales quosdam allexit in suam „partem. Sicque factum est, vt de exactione temporalium nulla fieret mentio in posterum. „Sed & milites ipsi qui importune perstiterant in hoc errore, Domino Cantuariensi suppli- „carunt vt illis ignosceret, fatentes malitiam & reatum suum, & gratias agentes, quod „animositate sua sub hac tempestate respirasset ecclesia, commemorantes illud Ethnici „dicentis.

Tu solus sub Principe duro,
Temporibusque malis ausus es esse bonus.

Hæc Walsinghamus ex cuius verbis clare patet, cellas alienigenarum, Cluniacensium, scilicet, Cistercienfium, & aliorum (quas à Gallicis & Normannis dicit Archiepiscopus fuisse possessas, quia matricibus ecclesijs Gallicanis & Normannicis subijciebãtur & maxima pars monachorum fuerunt alienigenæ) sub regibus nostris fuisse Lollardorum, siue hæreticis fa- uentium militum factione confiscatas: & Episcopos, tanquam in bonis alieni regni imò & hostilis, nempe Franciæ, proprijs, nihil se commouisse; Sed cum ijdem pessimi Politici, con- fiscationem etiam ecclesiarum, quæ iuris Anglici, nullisque externis superioribus subditæ forent, suaderent: tunc vt in re propriè ad regnum Angliæ, patriamque suam spectante, Ar- chiepiscopum fortissimo animo sese opposuisse. Ex quo clarè apparet, quod in propositione assumpsimus, omnes domos Cluniacensium in Anglia sæpè, ob bella Francica, fuisse fisco adiudicatas: nullas autem Abbatias, aut Prioratus Anglicani Capituli; nullæ ergo Abbatiæ, nulli prioratus illius Capituli subijciebantur vllo modo Cluniacensibus.

§. 10. Demonstratio decima. Ab eo, quod singulæ domus Cluniacensium in Anglia, aliquam annatam Cluniaco persoluerent.

Hoc ipsum alio argumento æque manifesto conuincamus. Omnes enim domus siue con- uentus Cluniacensium in Anglia, certam pecuniæ pensionem singulis annis Ecclesiæ S. Pe- tri Cluniacensis tenebantur contribuere, quam pensionem *apportatum* vocabant; Quod non solum habemus ex statutis Cluniacensibus in bibliotheca, & ex scripto Comitis Warennæ in quo singulis annis quinquaginta solidos sterlingos Cluniaco solui debere conuentum est verum etiam ex archiuis regijs Angliæ, in quibus habetur exactissimus catalogus omnium similium pensionum & contributionum, quæ à religiosis familijs in Anglia constitutis con- sueuerunt persolui exteris ecclesijs matricibus, à quibus dependebant. Et in hoc catalogo omnes Angliæ Cluniacenses recensentur, & tributum illud, siue *apportatum*, quod singulæ

 domus

domus Cluniaco pendebant, singulatim annotatur: quod videlicet Prioratus S. Pancratij, contribuere soleret quinque libras Sterlingas annuatim, seu quinquaginta francos aut florenos; vt constat ex patente bundello anno 25. regni Eduardi. 3. parte 1 memb. 27. Prioratus Montisacuti octo libras, vel octoginta francos; vt constat ex patente rotulo anno. 2. regni Henrici. 5. parte, 2. memb. 37. Atque ita de cæteris Cluniacensium cænobijs per Angliam in præfatis archiuis inuenitur diligenter descriptum, quid vnumquodque Cluniaco contribuebat.

Atqui nihil tale de Westmonasterio, de Ramseia, de Radingis, de Abendonia, alijsque Abbatijs & prioratibus Capitulo nigrorum monachorum potest inueniri; quod tamen in tanta Regij fisci *acribeia* seu diligentia ab oculatissimis illius officiarijs annotatū fuisset, si vtriq; tale aliquid fuisset ab eis debitum. Quare non potest vlla cum probabilitate asseri (quod tamen tam confidenter, tanquam ex tripode pronunciat aduersarius) huiusmodi monasteria fuisse Cluniacensibus subiecta.

Imo, quum sæpius dicat, maximam fuisse Cluniacensium in Angliæ regno authoritatem, potentiam, atque opulentiam: apparet quam voluntarie (vt loquuntur scholastici) & sine vlla sufficienti ratione aut testimonio sit ab illo assertum: cum inter omnes ordines monasticos in Anglia collocatos, Cluniacensium minima fuerit multitudo, & opulentia. Nam cū monasteria reditibus gaudentia fuerint per Angliam, Nigrorum S. Benedicti, Cistercensiū, Canonicorum S. Augustini, quos nigros vocabant, & Præmonstratensium, Cluniacensiumque istorum, minimus fuit numerus; soli Carthusienses videntur per Angliam minori in numero cœnobia habuisse; at quantus fuerit, quamque excessiuus, comparatione Cluniacensium, numerus cœnobiorum de alijs quos diximus ordinibus, catalogi ex Archiuis & authenticis Angliæ registris desumpti, quos in fine huius libri collocauimus, satis euidenter demonstrabunt. Vt videat lector, quam temerè, imò quam infideliter affirmat sua aduersarius: si non potius somniare, quam affirmare dicendus sit; nemo enim sobrius ac vigilans, tam absurda & audacia paradoxa sustinere præsumsisset.

§. 11. *Demonstratio.* 11.

Finem faciemus apophaticæ, seu negatiuæ huius probationis, argumento etiam euidenti desumpto ex constitutione Ioannis Pechami Archiepiscopi Cantuariensis, edita apud Lambeth anno Domini. 1271. titulo de religiosis non eximendis à Capitulis tenendis: quæ habetur in prouinciali Angliæ Gulielmi Linwood, & verba constitutionis hæc sunt. Plures „ inuenimus domos religiosas ordinis S. Benedicti, quæ pro eo quod olim quibusdam matri„ cibus ecclesijs vltramarinis adhæserant, à quibus ferme iam diuturno tempore separatæ „ noscuntur, occasione quarundam ceremoniarum à dictis matricibus ecclesijs receptarū, „ per quas discrepant à cæteris eiusdem ordinis domibus in Cantuariensi prouincia consti„ tutis, non conueniunt cum cæteris in Capitulo Generali singulis terminis, iuxta Generale „ Concilium celebrandis. Sed quia turpis est pars, quæ non conuenit suo toti, statuimus, vt „ omnes huiusmodi de cętero domus, salua sanctarum ceremoniarum suarum obseruantia, „ specialiter moneantur per locorum episcopos, vt conueniant cum alijs canonicis in Capi„ tulo suo Generali, de regimine & reformatione ordinis sui tractaturi: vel si inter eos quan„ tum ad substantialia religionis sit notabilis diuersitas, sibi ipsis separati constituant Capi„ tulum Generale: alioquin hoc facere per censuram ecclesiasticam compellantur. Hactenus verba constitutionis. Pro quorum lucidiore intelligentia consulat benignus lector Catalogum religiosorum ordinis S. Benedicti alienigenarum, hoc est matricibus ecclesijs vltramarinis subiectorum, quem in appendice collocauimus: & mirabitur deuotionem nationis nostrę atque hospitalitatem, quam erga aliarum nationum homines antiquis illis temporibus exercuit. Certe tantus fuit alienigenarum conuentuum numerus, vt demptis Cisterciensibus & Cluniacensibus, (quos nunquam legimus omnino suppressos fuisse, donec religionem catholicam Henricus octauus deseruisset) tempore Henrici quinti centum & decem prioratus à Gallicanis monasterijs dependentes, occasione belli Gallici fuerint ab ipso rege Henrico suppressi. Deinde notandum est, constitutionem expresse factam fuisse pro monachis ordinis S. Benedicti, quos tamen postea *Canonicos* vocat, non solum quia multi ex illis erant etiam ecclesiarum cathedralium Canonici, enumerauimus siquidem superius decem Abbatias cathedrales, quorum Præsules erant Episcopi, & à conuentu monachorum eligebantur: sed præsertim ex ipsa vi vocabuli, cum *Canonicus* regularem significet, vt nihil aliud sit cum cæteris canonicis ad Capitula conuenire, quam cum cęteris regularibus illius ordinis

nis, cuius ordinis bonum constitutio ista respiciebat. Quod etiam vidit aduersarius, loquens de monachis ecclesiæ Christi Cantuariæ pagina. 49.

Ex hac igitur constitutione probamus Abbates & Priores iu Capitulo Angliæ conuenientes, non fuisse Cluniacensis iurisdictionis: *Primò*, quia erant ordinis S. Benedicti, vt constitutio expresse loquitur: at iam ostendimus, non solum ex more antiquorum, sed etiam ex recepta phrasi horum temporum, ordinem Cluniacensem distingui ab ordine S. Benedicti sic specialiter & sine additione expresso, non minus quam ordo Cistercienfium distingui soleat ab vtroque; quamuis eandem regulam obseruent; imò non minus quam ordo Canonicorum S. Augustini, quantum attinet ad distincti corporis, seu distinctæ reipublicæ religiosæ naturam; vt apertissime in fundamentis quęstioni quam discutimus pręstitutis probauimus.

Secundò, quia Archiepiscopus iubet, eas omnes domos citati ad Capitulum commune Benedictinorum nigrorum, quæ cum olim dependissent à matricibus ecclesijs vltramarinis, iam diu ab eisdem noscebantur separatæ; & tamen propter ceremonias à matricibus illis ecclesijs receptas, ad commune Capitulum recusabant conuenire: Atqui Cluniacenses non fuerant à Cluniaco separati, eo tempore, quo hæc constitutio facta est, nec diu postea, nimirum, non nisi circa tempora Henrici quinti & paulo infra; vt suo loco ostendemus: nomen autem, & separatam distinctionem Cluniacensium ab alijs monachis eiusdem regulæ retinuerunt vsque ad Generalem Abbatiarum omnium in Anglia ab Henrico rege 8. factam, vt supponimus, notum in historijs nostris, & aduersarius non illibenter fatebitur, quia nisi fateatur, eo ipso concedit Abbatias omnes ita separatas desiisse Cluniacensis iuris esse; cuius tamen contradictorium de omnibus aut præcipuis Angliæ Abbatijs pugnaciter in libro suo defendendum suscepit. Ergò Domus illæ, quas citari voluit Archiepiscopus ad commune Capitulum prouinciæ, non erant Cluniacenses: Ergo nec illæ aliæ Abbatiæ quæ ad Capitulum illud conuenire consueuerant; Apparet enim ex constitutione, illas domos, quæ fuerant hac constitutione compræhensæ, ideo fuisse compræhensas, quia cum olim matricibus ecclesijs vltramarinis subiectæ fuissent, iam ab earum obedientia & cura se separauissent, ac proinde in curam Diocesani, & ex consequente etiam Capituli prouincialis nigrorum recidissent; Quare à contrario sensu domus omnes quæ matricibus ecclesijs suis adhæserunt, obedientiamque solitam præstiterunt, ad Capitulum nigrorum Angliæ non tenebantur, sed suarum matricum ecclesiarum Capitulari iuri censebantur reseruatæ. Propterea dixerat Episcopus, *turpem esse partem, quæ non conueniat suo toti*; qnoniam illæ domus sic separatæ, nec conueniebant cum alijs cellis matricum ecclesiarum suarum, quibus olim tanquam partes subijciebantur; nec cum Abbatijs prouinciæ, quarum tamen iam debebant compartes esse, cum propter separationem factam desijssent subijci vltramarinis, ac proinde subijciebantur indigenis. Tertio apparet ex verbis & discursu ipsius constitutionis, Archiepiscopum voluisse duabus obiectionibus istorum citatorum respondere. *Prima* poterat esse, non debere se ad Capitulum Generale prouinciæ venire, quia ecclesijs matricibus vltramarinis erant subiectæ, nempe quia ad earum ecclesiarum Capitula conuenire consueuerant ad tractatum de regimine, ac reformatione ordinis sui habendum. Et huic obiectioni occurrit Archiepiscopus prolepsi, seu præoccupatione, quod licet ecclesijs vltramarinis fuissent subiectæ, iam tamen ab eisdem diuturno tempore notoriè fuerint separatæ. Ex hac igitur prolepsi constat, si illa excusatio, à subiectione vltramarinæ ecclesiæ desumpta, vera fuisset: eam sufficientem etiam futuram fuisse, vt à Capitulo Prouinciali Nigrorum secluderentur: Atqui vt iam diximus, Cluniacenses reuera fuerant tunc temporis, suæ matrici Ecclesiæ & Abbati Cluniacensi subiectæ, apportatumque suum pendebant, & reliqua obedientiæ officia præstabant; Non igitur conueniebant ad Capitulum Generale Angliæ; vnde & qui conueniebant, non erant Cluniacenses. *Altera* obiectio tacita, quam Archiepiscopus elidit, est, quia poterant dicere citati Priores, se ceremonijs valde grauibus, & ad substantialia regulæ spectantibus, differre à Benedictinis nigri ordinis, qui ad Capitulum Generale prouinciæ coibant. Huic obiectioni occurrit Archiepiscopus alia prolepsi: Si ita esset, statuere se vt seorsim ab alijs separati Capitulum prouinciale, & Congregationem, distinctam sibi conficerent, in qua de sui ordinis (hoc est Cōgregationis) reformatione & regimine tractarent. Ex hac etiam obiectione elucet, excusationem illam, à differentia substantiali ceremoniarum desumptam, satisfuisse, vt ad Capitulum prouinciæ non tenerentur; atqui Cluniacenses in multis valde substantialibus differebant à Pręlatis nigri ordinis in illo Capitulo prouinciali conuenientibus, vt in prima probatione huius tertiæ conclusionis est manifestissime ostensum; ergo hi Prælati non fuere Cluniacenses. Supponit enim hæc excusatio (quam pro legitima ad-

mittit Archiepiscopus) fundamentum omninò contrarium opinioni nostri aduersarij de qua inferius sermo recurret; supponit autem nullatenus esse conueniens aut rationabile, vt ad vnum idemque Capitulum reformandi, regiminisque causa debeant conuenire, qui ceremonijs substantialibus distinguantur. Quod si Patres in Capitulo congregati fuere Cluniacenses: Si etiam Priores alij hac constitutione citati fuere Cluniacenses, aut si matrices ecclesiæ vltramarinæ à quibus dependebant, fuere Cluniacenses (quod aduersarius per totum librum imperite simul, & præfactè contendit:) quomodo potuissent notabilem diuersitatem in substantialibus prætexere, propter quam à Capitulo prouinciali excusarentur? cum inter Cluniacenses, hoc est eiusdem Cluniacensis ordinis subditos, nec debuerit, nec potuerit esse tam notabilis differentia, non modo substantialium, sed ne quidem minorum ceremoniarum, vt propterea debuerint Capitula separata rationabiliter seorsim celebrare.

Quarto denique Archiepiscopus expresse agit de illis Benedictinis, qui secundum Concilij Lateranensis decretum debebant ad Capitula prouincialia sui ordinis conuenire. Atqui aduersarius expresse fatetur pagina. 314. Cluniacenses monachos non fuisse in constitutione Innocentiana Concilij Lateranensis comprehensos: Quamuis ibidem falso opinetur solos Abbates non exemptos ea constitutione ligatos fuisse: cum Abbates S. Albani, Westmonasterij S. Augustini Cantuariensis, & Euishamensis exempti fuerint, & tamen præcipuè & præ alijs diligentissime ad hæc Capitula conueniebant; Et Honorius Pontifex Innocentij successor immediatus, qui eius statuta confirmauerat, id ipsum expressis verbis contra aduersarium loquatur: nam cum modum præscripsisset Abbatum non exemptorum negligentias per visitatores à Capitulo destinatos corrigendi: statim addidit: *Hæc eadem circa exemptos Abbates fieri præcipimus per visitatores, vel præsidentes Capitulo Generali, depositione ipsorum sedi Apostolicæ reseruata: ita vt Abbate, qui amouendus videbitur, nimirum per visitatores, vel in Capitulo Præsidentes ab administratione suspenso, Administrator idoneus monasterio deputetur.* Qua fronte igitur asserit aduersarius exemptos non fuisse lege Innocentiana comprehensos? Atqui non potuit huius decreti dispositionem ignorare, cum immediate sequatur caput *in singulis* in 3. de statu monachorum. Quicquid sit de fronte aduersarij, non negabit id quod hic asserimus, sed nobiscum docet Constitutionē concilij Lateranensis ad Cluniacenses non pertinuisse. Quod si negaret, posset ex bullis Gregorij noni, & Nicolai 4. Pontificum conuinci, qui cum non multis annis post illud maximum Concilium sedissent, bullas duas pro Cluniacensium reformatione ediderunt, longe differentes à modo præscripto in statutis Innocentij & Honorij;

§. 12. *Cluniacenses non conuenisse nec conuenire debuisse cum monachis nigris ad Capitulum Generale, seu prouinciale.*

At ne forte dicat aduersarius, Prælatos in Capitulo prouinciali conuenientes, quamuis non fuerint stricte à Cluniacēsibus dependentes, eatenus tamen Congregationem à Cluniacensibus penitus distinctam non constituisse, quia in Capitulo illo prouinciali Cluniacenses etiā cōuenerint, & ita totus cætus Capitularis, fuerit secundum dispositionē Benedictinę ex Cluniacēsibus, alijsque Prelatis nigri ordinis quasi commixtū quoddam migma: ostendemus nec illud posse vlla cum probabilitate dici; Primum quidem quia saltem ante Benedictinam, à tempore Lateranensis concilij (quod aduersarius fatetur Cluniacenses non comprahendisse) per centum fere annos, quibus illud Concilium Benedictinam bullam antegressum est, certum est Cluniacenses non conuenisse ad illud Capitulum forma Innocentiana congregari solitum; sed Abbates tantum & prælatos nigri ordinis Angliæ indigenas, & à matricibus ecclesijs vltramarinis independentes, vt iam est probatum. Atque ita saltem per illos centum annos fuerit Congregatio Anglicana nigrorum S. Benedicti, à Cluniacensi, aliaque omni Congregatione vltramarina verè distincta: cuius propterea instaurationem Pontifex potuerit facere, nosque potuerimus sine frande, aut falsis narratiuis (vt iste imponit) postulare: præsertim cum Concilium Tridentinum, (cuius dispositiones & canones seruari à nobis imperat breue Apostolicum) Capitula Congregationesque reducat secundum formam Innocentianam, seu Lateranensem, nulla facta mentione Benedictinæ, quam aduersarius autumat à Lateranensi fuisse diuersam.

Sed & Benedictinam ipsam non spectasse ad Cluniacenses, nec hos illius ordinationibus fuisse comprahensos, clarissimè etiam probabimus. Primo quidem ad hominem, ex ijs quæ ab aduersario tāquam certa ponantur. Fatetur enim Benedictinam in varijs mundi partibus adhuc

adhuc in vsu esse: *Hac enim Benedictina* (inquit pagina. 285. sui libelli) *tanquam vitæ monasticæ canone, vtuntur hodie reformatissima monasteria totius Belgij, pleraque Germaniæ superioris, in Hispania & Nauarra nonnulla, vt nihil dicam de Italia*; (quod non sine causa dixit, quia nihil tale nunc inueniri potest in Italia) Et pagina. 334. *Quod Concilium* (Tridentinum scilicet) *hac in re vbiuis dormiat, nullibiue practicetur, nullus, puto, existimat, qui nouit esse non modo in Hispaniæ aliquibus partibus, in Germania, Belgioque; sed etiam in ipsa Gallia, vbi minus recipi videtur Concilium Tridentinum, qui illud hac in parte obseruent*: nempe seruando formam constitutionis Innocentij tertij in Concilio generali, quę incipit; *In singulis*. Atqui non potest aduersarius in illis locis, seu regionibus quas commemorat, vel in alijs vllis ostendere praxim talem Benedictinæ, vt ad idem Capitulum conueniant membra Congregationis Monarchicæ, cum membris Congregationis Aristocraticæ; aut (vt clarius & pressius dicamus) non potest monstrare eodem Capitulo compræhendi aut de facto, aut de iure Cluniacenses, & non Cluniacenses Prælatos. Non in Hispania, non in Germania, non in Italia, non in Belgio: ostendat enim hoc sæculo Prælatum aliquem Cluniacensi Abbati Reuerendissimo subiectum, qui cōueniat, aut proficiscatur ad vllum Capitulum in partibus illis; aut probet illos qui ad Capitulum ibi conueniunt, esse nunc Cluniacenses. Nos certe non opus habemus alia probatione quam ipsorum Pręlatorum ostensione: nam Abbates Belgij negabunt se esse Cluniacenses; Abbates per vniuersam Hispaniam negabunt se esse Cluniacenses; Abbates per Italiam negabunt se esse Cluniacenses; Abbates denique Bursfeldenses in Germania negabunt se esse Cluniacenses. Vbi est ergo illa praxis in viridi obseruantia Benedictinæ, quam tam confidenter asserit aduersarius, secundum quam praxim conueniant simul Cluniacenses & non Cluniacenses in eodem Capitulo Generali? Nullibi, nisi in Vtopia, in qua videtur peritior esse aduersarius quam in orbis cogniti regionibus, ibi enim collocat Congregationem nostram, sed falso: ibi collocet, si voluerit, praxim istam, quia certe alibi non inuenietur.

Rursus ait aduersarius pagina. 314. *Si bene notetur tenor Lateranensis, dignoscetur, quod constitutio eius lata sit pro monasterijs illis solis* (notanda est exclusiua) *quæ suberant Episcopo, & extra omnem Congregationis incorporationem viuere statuerent: nam in ea solum fit mentio eorum, ad quos dirigitur, Abbatum & Priorum Abbates proprios non habentium, qui non consueuerunt Capitula celebrare, more illorum scilicet, qui in perfecta Congregatione viuebant, hi enim tunc consueuerant celebrationem Capitulorum facere; iubetur ergo per Lateranensem constitutionem, vt solum ij* (notanda iterum exclusiua) *qui extra Congregationem degerent, & ideo non consueuerant Capitulum celebrare, vniuersi conueniant ad illud.* Quibus in verbis duo sunt digna censura: *primum*, quod dicat aduersarius solos Abbates non exemptos illa constitutione compræhendi, quod iam superiùs probauimus esse falsum; *alterum est*, quod dicat, constitutionem illam latam pro prælatis illis, qui statuerent extra omnis Congregationis incorporationem viuere; nam si intelligat constitutionem, illam latam, vt qui statuissent extra Congregationem viuere, ad Congregationem redigerentur etiam inuiti: verum dicit, nam ita exponit Tridentina synodus decretum istud, nempe eo decreto contineri erectionem Congregationis, seu incorporationis in Congregationem. Sin autem intelligat decretum illud factum, vt Prælati extra incorporationem manere statuentes, ad Capitulnm Generale sic conuenirent, vt nulli incorporarentur Congregationi, dicit contradictoria, & asystata; nam illa Capitulorū Innocentianæ formæ celebratio, est in Congregationem illius prouinciæ (in qua celebrantur) incorporatio, vt Tridentina synodus exponit, & nos tota prima & secunda Conclusione euidenter ostendimus; non magis ergo poterant ad illa Capitula conuenire, & nulli tamen Congregationi incorporari, quam esse simul & non esse. Præterea notandum est aduersarium in his verbis sibi ipsi contradicere, cum superius, pagina 148. omnino contrarium affirmarit his verbis, *Hæc Capitula celebrata ante Benedictinæ promulgationem virtute decreti Lateranensis ostendunt ad oculum* (nota inconsideratam confidentiam) *decretum dictum* (Innocentij scilicet) *fauisse incorporationi Cluniacensium, eorumque authoritatem mire illustrasse*, & in sequentibus nititur docere, Præsides Capitulorum Anglicanorum desumptos propterea fuisse de Congreg. Cluniacensi. Sed quia nos ista omnia iam verè ad oculum confutauimus; supponamus etiam aduersarium priora verba posterioribus suis curis reuocasse, *& melius notato tenore Lateranensis decreti, dignouisse illud pro solis Prælatis extra omnem Congregationis incorporationem viuentibus, fuisse promulgatum*: ac proinde Cluniacenses in perfectissimæ Congregationis incorporatione viuentes decreto illo non fuisse compræhensos: quod & nos etiam euidenter demonstrauimus. Atqui Benedictina fuit tantum instauratio constitutionum Innocentij tertij & Honorij quarti; vt patet in fine prologi, quem Benedictus. 12. suæ illi cōstitutioni Benedictinæ pręmittit; Ergo sicut Innocentiana constitutio eos solos compræ-

 hendebat;

hendebat; qui non solebant Capitula celebrare; ita & Benedictina; Ac proinde sicut virtute Innocentianæ non cogebantur Cluniacenses conuenire cum alijs ad Capitula Generalia, quia (vt aduersarius fatetur, & verum est) ipsi tunc sua Capitula celebrabant diligentius; ita nec virtute Benedictinæ (quæ solum Lateranensem seu Innocentianam constitutionem restituit, & ad praxim meliorem reformat) cogebantur; quia illi etiam tunc temporis Capitula sua diligenter celebrabant, vt patet ex statutis Bertrandi & Henrici Abbatum Cluniacensium qui tunc temporis florebant.

Sentētia aduersarij derogat Cluniacensibus. Facit

Alio modo etiam euerti potest istud commentum ex parte ipsorum Cluniacensium, quorum certe honorem & libertatem multum diminuit, qui eos Benedictinæ statutis teneri contendit. Nam si ad prouincialia capitula tenerentur Cluniacenses, qui intra prouinciæ ambitum habitarent: cum nemo non videat multò plura Monasteria alterius modi in illis capitulis conuenire debuisse, quam Cluniacensia: etiam inde quiuis videt consequens esse, vt in his Capitulis paucitas Cluniacensium deprimi potuerit facillime, eorumque auctoritas multitudine aliorum ita extingui, vt sine vllo remedio Capitularibus actibus Cluniacensium disciplinæ contrarijs obruerentur, & illi potius ad istorum Capitulorum reformationes, quam Capitula ipsa ad Cluniacensium obseruantias traherentur. Ponamus enim Abbates illos Capitulo Præsidentes, & visitatores ab ipsis institutos, aliquid decernere quod Cluniacensi Abbati displiceret: cui nam esset obediendum? aut quid inde commodi vel honoris, imo quid non incommodi & dedecoris Cluniacensi iurisdictioni eueniret? Eat nunc aduersarius, tantus Cluniacensis gloriæ Zelator, & doceat, posse Episcopos & Diæcesanos Cluniacensem Prælatum virtute Benedictinæ cogere, vt in Capitulis istis prouincialibus compareat cum cæteris Abbatibus extra Congregationis ipsius incorporationem viuere statuentibus, de regimine & reformatione ordinis sui tractaturus: vt certe Tridentinum simul & Lateranense Concilium eam auctoritatem Episcopis committit respectu eorum Abbatum, qui Benedictinæ legibus ligabantur. Nam vt Benedictina restitutio quædam est Innocentianæ, ita Tridentinum decretum instaurationem esse tam Innocentianæ, quam Benedictinæ docet aduersarius loco superius nunc producto, & aliquoties alibi. Appellamus autem Cluniacenses ipsos, an hoc non sit preuaricari potius, quam ipsorum honorem illustrare; & eosdem audemus testes ac patronos nobis suscitare, an non iunctis manibus pedibusque repulsuri sint hanc aduersarij temeritatem; & tam Episcopis illud conantibus, quam Presidibus Capitulorum illud postulantibus, vt nimirum Cluniacenses ad synodos illas Innocentianæ formæ conuenirent, exemptionis suę priuilegia, & Congregationis distinctæ omninò & independentis ab omnibus istis Capitulis prærogatiuam opposituri. An vero Cluniacensis Abbas permitteret, aut vnquam permisisse docebitur, vt visitatores à Capitulis huiusmodi destinati Cluniacensem Abbatiam, aut Prioratus illi subiectos visitarent, ordinarent, aut quiduis in eis quouismodo disponerent? Aut vnquam Prioratum S. Pancratij in Anglia, aut Charitatis in Gallia, aut alia nobilia Cluniacensis ordinis membra, concedent illi ab his Capitulis fuisse vigore Benedictinæ reformata? Non dicent, non admittent: non ita ignari sunt rerum suarum, non ita incuriosi suæ iurisdictionis.

Nec verò repetimus hic argumentum illud quod antea nos tractasse recolimus, bullam Benedictinam pro nigris monachis S. Benedicti promulgatam fuisse, vt expressè Pontifex asserit, & sępius in ipsis bullæ statutis dicitur: quos à Cluniacensibus ipsa appellationis illius vi distinctos esse habendos docuimus, ex omnium scriptorum, temporum, & iurium vsu. Nec Gregorij & Nicolai Pontificum pro Cluniacensium reformatione bullas vrgemus, quarum neutra vestigium vllum præbet subodorandi, Pontifices illos voluisse vt Cluniacenses decretis pro Innocentiana forma conditis sese conformarent; cum tamen creberrimè datis ad nigros præceptis, literis, & constitutis, missisque visitatoribus apostolicis expressè ad horum decretorum obseruantiam eos cohortentur. Illud autem non possumus omittere, hanc aduersarij opinionem Cluniacensibus necessitatem gyrouagæ circumcursitationis imponere, quam tamen ipse tam odiosè, quam inopportunè inculat pag. 84. His verbis; de S. Benedicto loquens: *nam vult quemuis monachum suo cœnobio affixum manere, quia vagari per orbem (quod faciunt hodie sub prætextu visitationum Generales, Definitores Visitatores, Capitulis Generalibus deputati,) non expedit animabus monachorum.* Quid vis Antitrophærarie? *poion se epos phugen erkos odonton*; Itane vero Capitulorum Generalium instituta, quibus deputantur Generales, Definitores, Visitatores ad monasteria Congregationis alicuius incorporationi subdita in regularibus disciplinis custodienda, prætextus est per orbem vagandi, saltem prout hodie vsurpatur? Audiant, & ponderent aduersarij huius magnificam hanc censuram prælati Cluniacenses; audiant nostri superiores, & nutritij Hispanicæ Congregationis Patres; audiant

Cluniacenses ferè gyrouagos.

audiant Cisterciensium, Cælestinorum, Charthusianorum, aliorumque ordinum regulariũ sanctissimi antistites; & iudicent, an hic Censor dignus sit, cuius vox ab ouibus ipsorum audiatur, cuius libellus infamis legatur, cuius consilium fide & acceptatione dignum habeatur.

§. 13. Demonstratio 12. affirmatiua ex dictis.

Sed profectò satis probata est *apophaticôs*, siue negatio nostra, Abbates in Capitulo prouinciali Angliæ conuenientes, siue Congregationem Anglicam Benedictinam, non fuisse à Cluniacensi dependentem; Iam ergo facile erit probare *cataphaticôs* conclusionem nostram, fuisse scilicet in Anglia Congregationem Benedictinam à Cluniacensi distinctam, eiusque obedientiæ minimè obnoxiam; Faciamus hoc quam breuissime. Etenim; Congregatio Prælatorum & conuentuum indigenarum in Angliæ regno legum canonũque dispositione, & Regum Anglorum approbatione constituta, & ab omni vltramarina auctoritate seu iurisdictione independens, est verè, proprieque vocari debet Congregatio Angliæ, seu Anglicana; Sic enim vocatur Congregatio Benedictinorum, in qua nos educati sumus, Congregatio Hispanica, & Congregatio ordinis eiusdem in Lusitania, vocatur Lusitanica, quia sunt in regnis illis legibus ac Regibus approbantibus constitutæ, & ab omni iurisdictione cuiuscumque Congregationis extra illa regna se diffundentis independentes; Atqui iam est abundantissime & euidentissimę à nobis demonstratum, Cœtum illum Abbatum & Priorum Abbates proprios non habentiũ, qui in Capitulo Generali seu prouinciali Angliæ per singula conueniebant triennia, fuisse vere & propriè Congregationem, prout iuris ordo, Regumque auctoritas requirunt & permittunt; per totam conclusionem secundam; Eumque cœtum ab omni matrice ecclesia vltramarina, & particularius à Cluniacensi auctoritate penitus independentem, per totam hanc tertiam conclusionem; Quare sufficienter, imò abundanter & euidenter tam *apophaticôs* quam *cataphaticôs* demonstrauimus, fuisse verè à tempore Lateranensis Concilij, Congregationem Angliæ, seu Anglicanam Benedictinorum; quæ proinde non est Vtopica, Chimætica, aeria synagoga, quales aduersarius in esse tantum obiectiuo solet fingere, sibique somniare: Sed Topica, realis, & subsistentiam in regione patriæ nostrę per trecentos & amplius annos possidens, quod est theorema quod à nobis debuit demonstrari. Epilogus, & summa rationũ præcedentium.

SECTIO QVINTA;

IN QVA DISSOLVVNTVR QVINQVE ARGVMENTA ADVERSARII CONTRA SECVNDAM CONCLVSIONEM.

Synopsis totius Sectionis:

§. 1. AD Primum argumentum, de sensu Capitis 8. sess. 25. Concilij Tridentini §. 2. Ad 2. Regimen monarchicum non requiri ad rationem Congregationis, sed sufficere Aristocraticum; & in hoc consentire R. P. Antonium Yepes ab aduersario aduocatum. §. 3. Ad. 3. Capitulorum Generalium celebratio infert Congregationem propriè dictam. §. 4. Ad. 4. Exemptionem à Diœcesanis non requiri ad Congregationis subsistentiam, nec semper in illa inueniri. § 5. Ad. 5. An in omni Congreg. constituenda necessarium fuerit Pontificiam Regiamque auctoritatem expressè intercesisse? Ipsum aduersarium hoc negare. §. 6. Iudicium Iurisconsultorum de hac secunda conclusione.



QVONIAM vero ex philosophorum communi proloquio rectum est index sui simul & obliqui: apparebit probationes conclusionum nostrarum legitimas esse, rectissimeque à nobis vocari demonstrationes, cum ex illis responderimus ad omnia argumenta, quibus hic aduersarius Congregationẽ nostram arietare conatus est. Quæ ita proponemus, non quomodo ille nostra, dissipando, & eneruando: sed ita candidè vt nihil prorsus dissimulemus, ita

ita neruose, vt longè imbellius ab ipsomet propositam fuisse cuiuis appareat.

§. 1. Primum argumentum aduersarij, contra 2. conclusionem nostram dissoluitur.

Et quidem contra primam conclusionem non est quod possit obijci, quia est propositio fere ex ipsis terminis intellectis & declaratis nota lumini naturali: Contra veritatem autem in secunda conclusione comprahensam, habet vnicum argumentum, quod tribus in locis vrget diuisim, vt videatur pluribus telis pugnare, pagina videlicet 309. 310. & 317. Ex quibus locis confici potest talis obiectio. Concilium Tridentinum sessione. 25. de regularibus. cap. 8. cum decernit vt regulares sese redigant in Congregationes, non vtitur ibi nomine Congregationis proprie & absolutè, sed cum clausula diminuente vel potius alienante acceptionem propriam illius vocis, & ad impropriam, quasique æquiuocam, aut valde analogam distrahente: mandat enim vt quolibet triennio sese in Congregationes redigant iuxta formam constitutionis Innocentij tertij in Concilio generali quæ incipit *in singulis*. Quare ex hoc Tridentinæ synodi decreto minime probatur cœtum illum Prælatorum in Capitulo Angliæ iuxta formam ab Innocentio tertio præscriptam conuenientem esse vere & proprie Congregationem, prout nunc illud vocabulum vsurpari consueuit. Nota est enim Dialecticorum regula, non valere consequentiam à termino diminuto & alienato ad eundem absolute sumptum. Clausulam autem illam diminuere, aut alienare propriam *tou Congregationis* acceptionē vel inde constat, quoniam Concilium ibidem confundit nomen Congregationis cū nomine Capituli, quod vsurpauit concilium Lateranense, cuius decretum in Tridentino allegatur aut etiam renouatur: adeo vt quod Lateranensis canon vocet Capitulum, hoc Tridentina constitutio vocet Congregationem; quæ tamen voces, si propriè sumi debeant (prout à nobis suméda monet quæstionis propositæ *crynomenon*, seu status initio propositus) multum inter se significato differunt: atque ita differunt, vt vox Congregationis propriè sumpta, non possit in Lateranensi decreto substitui loco vocis Capituli. Mandat enim Lateranense Concilium, vt in huiusmodi nouitatis primordijs aduocent duos Cistercienses, quia in huiusmodi Capitulis celebrandis ex longa consuetudine sunt plenius informati: Ridiculum autem esset dicere, Cistercienses esse plene informatos in celebrandis Congregationibus, prout hac voce nunc vulgo vtimur. Apparet ergo Tridentinam synodum vsurpasse *tò* Congregationem improprie, & eam improprietatem significare voluisse clausula illa diminuente & alienante vim vocis, *iuxta formam constitutionis Innocentij tertij*; atque ita nec Tridentinæ, nec Lateranensis synodi decreta probant aut pręcipiunt Congregationes regularium propriè dictas.

Quo sensu Concilium Tridentinum vtatur nomine Cong.

Ad hanc primam aduersarij machinam subuertendam non opus est alia re, quam rotundè negare, quod ipse voluntariè asumit. Itaque dicimus; Concilium Tridentinum vsurpauisse vocem Congregationis in propria acceptione, qua significat multorum monasteriorum, seu conuentuum in vnum corpus vno regimine gubernatum insitionem, siue incorporationem: neque propterea clausulam illam additam esse diminuentem, multo minus alienantem. Concilium enim Tridentinum allegauit Concilij Lateranensis auctoritatem, tanquam rationem cur istud decretum renouauerit; ideoque cùm iubet vt regulares sese in Cōgregationes redigant, iuxta formam constitutionis Innocentij; non rectè dispungit aduersarius; nam post verbum redigendi, in exemplaribus Concilij notatur commatica pausa interiecta inter illud verbum, & propositionem *iuxta*; vt illa clausula non modificet vocē Congregationis, sed verbum redigendi; nec sensus sit, Congregationes de nouo erigendas necessario similes esse debere Congregationibus per Concilium Lateranense erectis; Sed, sicut Concilium Lateranense decreuit, Abbates & Prælatos debere se in Congregationes redigere, ita etiam hanc sacram synodum simili zelo illud ipsum regularibus omnibus exemptis imperare. Hanc esse Concilij mentem, patet euidenter, quia postea immediate decernit, vt in dictis Congregationibus deputentur quædam regulares personæ, quæ de modo & ordine, de prædictis Congregationibus erigendis, & statutis in eis exequendis deliberent & statuant. Relinquit igitur illis liberum deliberare de modo & forma Congregationis, dūtaxat vt in Congregationem sese redigant; at si formam solam Congregationum Innocentianarum illis præscribere voluisset, non reliquisset illis liberum *de modo* deliberare ac statuere. Quem sensum inde etiam confirmamus, quod synodi Tidentinæ decretum solum de Monasterijs loquatur exemptis, non habentibus ordinarios visitatores suos; Constitutio autem Lateranensis intelligatur (vt antea demonstrauimus) tam de exemptis, quam de non

exemptis

exemptis, quæ non consueuerunt Capitula Generalia celebrare: allegat igitur Concilium Tridentinum hanc auctoritatem antiquioris Concilij Lateranensis,] vt exemptorum monasteriorum Prælati videant, nullum onus nouum illis imponi, nihil aliud grauius in eos decerni, quam quod antea eisdem per iura canonica in vniuersa ecclesia recepta imponebatur. Addere autem videtur liberam optionem, cum variæ sint formę, seu modi Congregationũ, vt quam sibi velint formam aut modum matura deliberatione assumant. Quodsi omninò velit aduersarius absque commate interiecto clausulam illam præcedenti continuare: nec sic tamen ea clausula vim habebit diminuendi, aut alienandi naturam, aut rationem Congregationis, sed potius contrahendi naturam illam communẽ in Congregationis nomine significatam ad rationem quandam certam & specificam sub ea contentam, nempe Aristocraticam, quæ in Constitutione Innocentiana describitur; & Abbatibus ac Prioribus Abbates proprios non habentibus, qui Capitula celebrare non consueuerant præcipitur; non ita tamen præcipitur, à Concilio Tridentino, vt iam diximus, sed nec credibile est sic pręceptam fuisse à Lateranensi; (vt aduersarius indoctè & irrationabiliter asserit) quasi noluerint synodi patres permittere, vt Regulares perfectionem Congregationis formam assumerent, si vellent; Sed quòd perfectiorẽ noluerint præcipere, absque dubio tamẽ voluerint permittere, Vnde valde imperitè declamat in nos pagina. 308. & alibi tanquam si Lateranensis Concilij decretum violauerimus, differentem ab Innocentiana formam Congregationis erigentes: neque enim postulauimus illam ipsam formam instaurari; Sed Congregationem, quæ olim sub Innocentiana forma valuerat, instaurari, & ad meliorem perfectioremque formam reduci; quod Pontificem facere potuisse, & decuisse nemo prudens negabat; quodque à nobis honeste postulatum fuisse, & intelligenter, nemo modestus arbiter inficiabitur. Neque enim aut petitur, aut statuitur aliquid cõtra canones, quod sine aliorum iniuria in perfectiorem formam erigi petitur, quam canonum conditores olim se putauerint posse fidelibus imperare; ideoque minus præscripserunt, quia maius aliquid, aut melius viderunt difficilius potuisse obtineri. Neque vero dicat aduersarius hanc de Aristocraticis & monarchicis Congregationibus philosophiam, nostram tantum esse; nam præterquam quod reipsa veram esse non potest negari: Iam dudum ante nos doctus & grauis auctor Miranda, nihil de nostris cogitans controuersijs in manuali prælatorum illam quæstionem in terminis, vt loquimur, disputauit vtrum melius sit in Congregationibus regimen, Monarchicum, aut Aristocraticum? Et certe Aristocraticum regimen non est nisi in Aristocratica forma seu specie politię, reipublicę, siue Congregationis.

Quod verò affertur de distinctione vocum Capituli, & Congregationis; quasi Tridentinum confuderit illa vocabula, Congregationem vocans, quam Lateranensis constitutio Capitulum nominat: non facit vt impropriè loqui dicatur, aut diminutiuè seu alienanter vocem Congregationis vsurpet. Primum quidem, quia est vsitatissimus loquendi modus, scriptorum grauium, summorumque Pontificum, pro eodem ponere voces istas vnionis, Obseruantiæ, Reformationis, Capituli, & Congreg. quando de regularium conuentuum rebuspublicis, præsertim Aristocraticis loquuntur. Quod in secundæ conclusionis confirmationibus est a nobis fusissimè & clarissime ex iure, ipso, Pontificibus, Iurisconsultis, scriptoribus grauissimis, ipsius què rationis lumine euidenter probatum. Cui probationi vberioris doctrinæ causa addimus, rationem eam loquendi fundari videri in eo quod ex intima philosophia deprompsit D. Thomas 1. 2. q. 29. art. 4. in Cap. Vbi docet, vnumquodque maxime id esse, quod est principalius in ipso: vnde cum ad rationem propriam congregationis, prout aduersarius maximè vsurpandam hanc vocem contendit, plura requirantur & concurrant, Capitulum, Regimen, Visitatores, Definitores, Pręlati, subditi, ecclesiæ denique & domus regulares, & ex his omnibus præcipuum & principale requĩ situm sit Prelatorum vnitorum Capitulum; rectissime iuxta philosophicum illud *axioma* Congregatio potest vocari Capitulum, siquidem id est maxime (sicut & quænis alia res conposita) quod est in ipsa pręcipuum & principale. Quemadmodum etiam Ciuitas siue regnum rectè aliquid facere dicitur, quod a Rege tamen suo vel magistratu suo summo factum fuerit; Et ecclesia verissimè dicitur sancirẽ, quod Pontifex aut Concilium generale totam ecclesiam representans definiunt: quoniam iuxta philosophiæ placitum prędictum, Rex, siue magistratus summus, est præcipuum & principale in ciuitate aut regno, & Pontifex, siue Concilium generale in ecclesia: Haud absimili modo propriè dicitur Congregatio institui, quando capitulum instituitur, est enim capitulum id quod principalius est in Congregatione.

Secundò aduertendum est Concilium Tridentinum in illo decreto, licet forte a proteruiente possit exponi in priori parte vsurpasse vocẽ cõgregationis *synecdochicos* pro capitulo, tamen Concilium Tridẽ.

tinum propriè vsurpauit vocabulū Cōgregat.

tamen in posteriori parte clarissimè attribuere congregationi secundum decretum Innocentianum erectæ, nomen, naturam, & potestatem Congregationis proprie & simpliciter appellatæ atque eam à capitulo distinguit, tanquam totum politicum à principe seu præcipuo Concilio vel tribunali suo. Sic enim loquitur. *Quodsi infra limites vnius prouinciæ non sit sufficiens talium monasteriorum numerus ad erigendum congregationem: possint duarum vel trium prouinciarum monasteria vnam facere congregationem. Ipsis autem congregationibus constitutis illarum generalia capitula, & ab illis electi Præsides vel visitatores, eandem habeant authoritatem in suæ congregationis monasteria, ac regulares in eis commorantes, quam alij Præsides ac visitatores in cæteris habent ordinibus; teneantur suæ congregationis monasteria frequenter visitare, & eorum reformationi incumbere, & ea obseruare, quæ in sacris canonibus, & hoc sacro Concilio sunt decreta.* Quid clarius & manifestius his verbis concilij poterit dici? nonne aperte hic distinguit Congregationem erectam iuxta decretum Lateranense, a capitulis generalibus ipsius? Nonne primo loco Congregationem semel constitutam, tanquam totum quoddam politicum nominans, posteà singula ad veram Congregationem requisita, tanquam ipsi toti sic constituto inexistentia enumerat, Capitulum generale, Præsides, visitatores, monachos, monasteriaq; ipsis subiecta? Et ne oggerat hic aduersarius Cramben suam de clausula diminuente, & alienante: nonne expresse huius congregationis capitulis, Præsidibus, visitatoribus *eandem* tribuit in monasteria monachosque *aucthoritatem*, eademque prescribit munia, eosdemque seruandos iniungit canones, quæ cæteris ordinibus competunt? Tantum ergo abest, illà clausula a termino diminuente aut alienante; vt studiosissime videatur Concilium voluisse excludere similes interpretationes, & nomen, partes, munera, aucthoritatem, limites, eadē denique omnia istiusmodi Congregationibus iuxta decretum suum erigendis attribuere, quæ alijs aliorum ordinum Congregationibus quibuscumque attribui cognouerat.

Sed frustra tempus terimus in re clarissima comprobanda. Tam enim manifesta est cuiuis oculato, mens concilij, vt Congregatio exemptorum Abbatum inferioris Germaniæ nihil aliud requisiuerit, quo se decreto hinc conformaret, quam [illegible] celebrationes, Presidisque seu visitatorum deputationes, à quibus [illegible] mandat cōciliū, in monasteria & regulares sibi subiectos. Nec propterea verentur, ne Congregationis nomine propriè loquendo priuētur, quia aduersarij, & eius similium iudicio non satisfaciat. Sed & Congregatio exemptorum in tribus Galliæ Prouincijs Senonensi Turonensi & Bituricēsi erecta, in constitutionibus suis Parisijs impressis apud Michaelem de Roygny via Iacobæa sub signo quatuor elementorum anno 1582. eodem modo intelligendam esse Concilij dispositionem agnouit. Fatentur enim Patres, congregationem suam institutam fuisse virtute decreti Tridentini; & in secundo consessu Capituli sui habito in suburbijs Andium, sic dicunt: *Nos deputati & electi procuratores generales & speciales venerabilium conuentuum &c. notum facimus, quod iuxta decretum octaui capitis sessionis vigesimæ quintæ & vltimæ Concilij Tridentini, & ordinationes Regias in Comitijs statuum nuper Blæsis editas cap. 25. sub titulo de Ecclesia, publicatas in Curia Parlamenti Parisijs 25. Ianuarij anni præsentis, idem sentientes & constituentes cum decreto & constitutione Innocentij quæ habetur capite in singulis de statu monachorum, in vnum conuenimus hodierno die Iouis, qui est vigesimus quintus Augusti anni domini.* 1580. *&c.* Atqui Patres isti, qui congregationem secundum Innocentianam formam ex decreto Concilij Tridentini se erexisse, profitentur, per totam illam constitutionum suarum collectionem, *Congregationis* sibi nomen ita assumunt, vt capitulum suum à Congregatione sua apertissime discernant, ita vt ipse titulus constitutionum illam præscribat toti libro distinctionem, talis enim est. *Statuta & decreta reformationis Congregationis Benedictinorum exemptorum Abbatiarum trium Prouinciarum Senonensis, Turonensis & Bituricensis à sancta sede Apostolica Romana immediate dependentium aucta & recognita in capitulo generali predictæ Congregationis primo &c.* Est igitur manifestum ex Concilij Tridentini auctoritate, nomen, naturam, potestatem & munia Congregationis propriè dictæ, & prout nunc *tò* Congregatio vsurpatur, deberi Congregationibus secundum formam Innocentiani decreti erectis, ac proinde antiquæ Congregationi Anglicanorum Benedictinorum.

Cur Cistercienses adhibiti.

Quod tandem de Cistercensibus in argumento assumitur, fuisse eos pleniùs informatos in celebrandis capitulis, non autem in celebrandis congregationibus; mera est & inanis argutia. Nam adhibiti sunt Cistercienses, qui sepissimè iam & diligentissime capitula generalia celebrauerant, ac proinde in capitularibus agendis habebantur merito peritissimi; vt Prelatos istos, qui nullum adhuc capitulum celebrauerant, in primi sui capituli celebratione (quę nouitatis primordia appellauit Pontifex) dirigerent; & eo ipso quo capituli erectionem docerent, etiam congregationis erectionem ostenderent. Nullo enim alio modo primò constituitur,

tuitur, Congregatio, quam per capituli generalis vnanimem dispositionem; & per eiusmodi Capitulorum Generalium repetitam celebrationem Congregatio semel instituta conseruatur, ita vt cessante Capitulorum Generalium celebratione, cesset etiam paulatim Congregationis consistentia, quod vel inde maxime patet, quia non alio modo multa magnaque Monasteria, a Cluniacensi, Bursfeldensi, & nuper etiam à Cassinensi Congregatione separata sint, & extra omnem Congregationem posita: quam quia vel bellorum interuenientibus impedimentis, vel Principum suorum voluntate, vel forte etiam suæ *autarkeias* amore ad Capitula dictarum Congregationum conuenire aut non potuerint, aut paulatim desueuerint. Itaque celebratio Capituli Generalis aut infert Congregationis constitutionem, aut supponit iam constitutam; Vt sicut Creatio & conseruatio eiusdem rei differant in natura, sic institutio Congregationis per primum Capitulum Generale, & Conseruatio eiusdem per sequentia differre videantur. Ac proinde Cistertienses, licet ex eo quod dicantur plenius informati in celebrandis Capitulis, non possint sic dici informati in celebrandis seu constituẽdis Congregationibus, quasi iam actu plures Congregationes erexissent, prout strictè & in casu quæstionis proposito Congregatio accipitur: verissimè tamen ex eo quod periti dicantur in Capitulis celebrandis, dici possint etiam periti in Congregationibus, si opus fuerit, de nouo erigendis, & de nouo etiam celebrandis, quia non alio modo de nouo erigitur Congregatio, quàm per Capitulum Generale. Cæterum vbi materia ipsa subiecta terminorum istorum tam præcisam distinctionem non postulat, ineptum est à præcisa significatione arguere; Et quicquid sit de his argutijs, res ipsa clara est; nam quamuis non vtatur Innocentius nomine Congregationis, sed Capituli: quià tamen Capitulum infert Congregationem hæc in illo subintelligitur. Imo videtur vox Congregationis in eo sensu, de qua disputamus, à Capituli frequentatione deduci: vt quia certi quidam ordinis alicuius atque prouinciæ Prælati ex legis pręscripto, & condicto ipsorum, ad vnum locum è varijs partibus pro reformatione & regimine ordinis sui Congregarentur; inde cœtus ipse seu multitudo talium Abbatiarum & Prælatorum qui Congregari solebant, vocaretur Congregatio; ipsa autem societas eorum iam in vno loco Congregatorum vocaretur Capitulum. Atque ita primum aduersarij nostri telum in ventos abijt innocuum.

§. 2. Secundum argumentum aduersarij contra 2. conclusionem

Examinemus & aliud contrà eãdem veritatem: ægrè enim fert aduersarius, cætum Abbatum iuxta formam] Innocentianam Congregatorum, vocari Congregationem propriè dictam: Quia non subdebatur vni Rectori, sed a pluribus Præsidibus regebatur, & hoc putat repugnare naturæ Congregationis propriè dictæ, quam pagina 13. vult hoc modo definiri debere: Congregatio dicit regimen Monasticum supremum, in quod tanquam vnius reipublicæ membra & oppida, sic plura coalescunt monasteria, cuique ita subsunt cum suis suppositis, vt tam in capite quam in membris appareat subiectio supremo alicui omnium monasteriorum Rectori & regimini. Vnde etiam P. N. Antonius Yepes. 1. tomo Chronicæ ad annum Christi 546. dicit, (si liceret ipsi pro suo philosophari iudicio) ita definiturum Congregationem vt sit, vnio plurium monasteriorum æqualiter liberorum, & exemptorum, quæ mutua societate sibi deuincta vnum monasterium primarium, vnumque caput cognoscunt, cui vt Generali suo subijciuntur. Quę sane definitiones non conueniunt illis cætibus Innocentianis, in quibus nec vnus erat rector, nec vnum primarium & quasi prædominans monasterium, quod esset caput cæterorum. Quin addit aduersarius pag. 32. 33. & 334. ne quidem cætus secundum Benedictinam in Capitulis conuenire iussos adhuc induisse veram propriamque Congregationum formam: nusquam enim apud vllos historiarum scriptores memoriam inuenimus Congregationis Scoticæ, Hibernicæ, Toletanæ, aliarumque similium, quæ fuissent ad trigintà quinque Congregationes, si Congregationes per Benedictinam fuissent institutæ, tot enim illa instituit quasi classes cætuum Capitulariter seorsim conuenientium. Legimus quidem Capitulum ducentorum Pręlatorum in monasterio S. Germani de pratis habitum ad Benedictinæ promulgationam celebrandem, qui omnes ad Rhemensem Senonensemque prouinciam spectauerunt: at Congregationem eos erexisse non legimus, nec San-germanensem, aut vllam aliam Abbatiam de tanto numero, fuisse vlli Congregationi ante tempora Leonis Papę decimi incorporatam. Non fuit igitur cætus ille Anglicorum Prælatorum nigri habitus, siue per Innocentianam, siuè per Benedictinam institutus, veri nominis Congregatio.

An sola Cõgregatio Monastica mereatur dici Cõgregatio,

Cæterum hoc argumentum claudicat, vitio fallaciæ, quam ex elenchis Ariſtotelæis nouit aduerſarius Sophiſtarum propriam eſſe, habet enim conſequentiam inutilem ductam à negatione ſpeciei ad negationem generis: Negat enim cætus illos formę Innocentianæ fuiſſe Congregationes, quia non fuere monarchici regiminis; quod tantundem valet, ac ſi probare vellet Romanum populum exactis Regibus non habuiſſe veram aliquam reipublicæ formã, quia non habuit Monarchiã. At habuit Ariſtocratiam Democratiæ mixtã, & extra caſus raro contingentes, in quibus conſtituebat ſibi dictatores tẽporarios. Quare licet argumento ſuo probet aduerſarius cætus illos non fuiſſe Congregationes Monarchicas, neutiquam tamen probat non fuiſſe Congregationes Ariſtocraticas. Vnde definitio ipſius aut eſt tantum definitio Congregationis Monarchicæ: aut laborat in æquiuoco; quæ æquiuocatio ſi euoluatur, nulla inde contra nos poteſt inferri conſequentia. Si enim per vnum Rectorem vnumque regimen, intelligat vnum ſuppoſitum (vt ſic dicam) in quo ſit illa ſuprema auctoritas, & gubernandi poteſtas, certe definiuit ſolum Congregationem Monarchicam: atque ita non valet negatio illius definitionis vt negetur eſſe reſpublica, cui illa non competat; poterit enim adhuc eſſe Congregatio, ſi ſit Ariſtocratica, hoc eſt ſupremam auctoritatem regitiuam in pluribus ſuppoſitis ſeu Pręſidibus ſubiectatã habẽs, ſicut apud Romanos fuit in decemuiris, aut in Conſulibus & Tribuus. At vero ſi per vnum Rectorem intelligat (vt propriè debet intelligi) vnum quaſi Monarchicè præſidentem, qualis eſt in ſuo ordine Abbas Cluniacenſis; & nomen Regiminis vſurpet propriè, ſiue ſaltem appropriatè, ſicut Caſſinenſes, & Congregationis Lotharingicæ, & Gallicanæ recentiores patres eam vocem vſurpant, nempe pro certo numero Prælatorum, quibus Congregatio in Capitulo Generali committit gubernationem Monaſteriorum & negotiorum ac perſonarum pro tempore intermedio quod ab vno Capitulo ad aliud fluit, verbi cauſa, pro Præſide & definitoribus anni, vel triennij, aut quadrennij currentis; Aut ſi abſtracte vſurpet illam ipſam vocem Regiminis, pro ſuprema auctoritate ipſa, quæ ſit in aliquo corpore politico ſuper membra illius; Vtroque modo definitio (ſi ſit ita vocanda definitio, in qua ſpecies ſub ipſa contentæ exprimuntur) facit contra illationem aduerſarij: Nam etiam cętus Innocentiani, atque etiam formę Benedictinæ habebant, & habent ſupremam auctoritatem Regitiuam, ſeu ſupremum regimen iure approbatum, quod regimen, quæque auctoritas in pluribus Præſidibus ſeu Prælatis ſubiectiue inuenitur vnita: ac proinde rectiſſimè vocari ſolet & debet vnum regimen, imo & vnus Rector cui tales cætus ſubijciuntur; ſicut in diuinis (ſi humanis diuina componere cum reuerentia liceat) vna ſpirandi poteſtas in duobus ſuppoſitis denominat vnum principium ſpirãdi, vnumque ſpiratorem.

At vero definitio R. P. N. Antonij eſt potius ab ipſo per hypotheſim poſtulata, quã *theticôs* & abſolutè poſita: propterea enim dixit, *ſe ſi permitteretur, libenter talem definitionem Congregationis daturum*: At vidit ſibi non fore permittendum. Voluit enim definire tantum Congregationem ſimilem Cluniacenſi Ciſtertienſi & Congregationi Hiſpanicæ, pro ſtatu quem tunc temporis habuit: nempe in qua non ſolum eſſet vnus Rector, nempe Abbas Generalis, verum etiam vnum monaſterium tanquam caput cæterorum, cui reliqua monaſteria deferrent principatum, & acceptam deferrent Congregationis ſuæ denominationem. Sed quid fieret tunc de ipſa Congregatione Hiſpanica, quæ poſteà illam monaſterij vnius ſuper alia prerogatiuam extinxit? quid de Caſſinenſi, quæ non vnum, ſed duo monaſteria diſtincta habet pro præcipuis & præcellentibus, vnde vocatur Congregatio Caſſinenſis ſiue S. Iuſtinæ de Padua; ſicut & Lotharingica a duobus pariter monaſterijs denominatur Congregatio Sanctorum Viconi (Virdunenſis) & Hidulphi (in monte Vogeſo?) Deinde quid de Burſfeldenſi, de Gallica trium prouinciarum, de Catalaunica, de Luſitanica quas ipſe alibi Congregationes illuſtriſſimas vocat, vt in ſuperioribus diximus? Itaque voluit ille Congregationem Monarchicam, duntaxat, imò nec omnem Monarchicam ſed tantum perfectiſſimam definire; At Ariſtocraticam a ratione Congregationis, vt diximus, non excluſit.

Vt autem aduerſarius non accuſet nos, quaſi inuitum trahamus hunc venerabilem virum in cauſam noſtram, duo loca ex ipſomet fideliter traducta apponemus, ex quibus clarè conſtabit ipſum definitionem illam ſuam de monarchica duntaxat perfectiſſimaque Congregatione intelligere, nec propterea Ariſtocratias a vera Congregationis ratione arcere. Prior
„ locus eſt ex tomo 2. folio 122. ad annum Chriſti 640. Repetat memoria ſuâ lector (*inquit*)
„ id, quod antehac diximus, cænobia ordinis S. Benedicti nondum fuiſſe in Congregationi-
„ bus vnita, nec in vnum corpus ſub vno capite redacta: Sed ſingulas Abbatias cum Priora-
„ tibus ſuis ſui proprij Abbatis regimine contentas ſeorſim fuiſſe, ſubditas tamen aut Epi-
„ ſcopis Diocęſanis, aut ſolis Pontificibus ſummis. Sed cum ſchiſmate pernicioſiſſimo dila-

ceraretur

„cerarerur ecclesia, trib' Pontificib' de sede contendentibus, Ioanne, Gregorio, & Bene-
„dicto: omnes fere religiosorum conuentus grauissimis iacturis vexabantur; pręcipue vero
„ordinum monachaliū Abbatiæ, propter opulentiam, ipsis sæcularibus inuidiosam & pau-
„latim orexin eisdem acuentem. Cumque iam essent aliquot Pontifices intrusi, facile facie-
„bant sibi amicos de bonis alienis, ea quæ non erant sua, fautoribus ambitionis suæ largien-
„tes; atque ita diuitijs monasticis secularium potestatum auxilia sibi obnoxia reddentes.
„Hinc igitur a tot commendatarijs, plærumque etiam laicis sibi ingentia impendere pericula
„considerantes monachi, cæpere se a veterno quodam securitatis, & laxioris disciplinæ ex-
„cutere, & sibi de remedijs contra hæc incommoda opportunè prouidere. Vnde in sola
„Germania circa vnum idemque fere tempus, tres Congregationes sub regula nostra sunt
„exortæ, Castellensis, Melicensis, & Bursfeldensis, quæ per prouincias Bauariæ, Austriæ,
„atque Saxoniæ sese diffuderunt: Bursfeldensis maximè, quæ cæteras, quas nominauimus,
„numero principalium Abbatiarum in eandem incorporatarum longe excelluit: ad eius
„siquidem Capitula centum viginti septem Abbates conuenire solitos scribit in historia
„Spanheymensi Trithemius. Vnaquæque vero harum Abbatiarũ principalium multas ha-
„bebat sibi annexas filiationes: quo factum est vt hæc Congregatio euaserit ditissima, poten-
„tissima, celeberrima, & Principibus cunctis maximè accepta, propter insignem reforma-
„tionem & austeritatem quæ in ipsius vigebat monasterijs. Primum huius Congregationis
„Capitulum, in quo primum radices egit, habitum est ad annum 1417. quo Concilium Con-
„stantiæ totius ecclesiæ fuit celebratum, multique abusus qui per orbem Christianum irre-
„pserunt extirpati; Tunc enim monachi nostri recenti memoria periculorum suorum edocti
„libentissime inter se consentientes decreuerunt, Capitula tertio quoque anno celebrare,
„sicut illud mandauerat Concilium: Deinceps vero crescente indies reformationis studio,
„ipsa singulis annis Capitula conuocarunt; in quibus quatuor Præsides nominati visitatores
„pro cunctis Abbatijs & Prioratibus destinabant. Duo præsertim fuere tunc Abbates, qui
„huic insigni reformationi principium dederunt, Ioannes Hagen Abbas Bursfeldensis, &
„Ioannes de Rode Abbas S. Mariæ Treuiris, vidi religiosissimi, Deique serui maximi: qui
„sua sanctitate, exemplo, & doctrina insigniter Alemannicas Abbatias reformarunt. Erant
„autem reformationum istarum modi duo: Quædam siquidem Abbatiæ ita reformabantur,
„vt simul etiam vnirentur, & incorporarentur Congregationi Bursfeldensi; Quædam aliæ
„sola contentæ reformatione, abusuumque extirpatione, manebant sicut antea exemptæ,
„absque vlla vnione vel incorporatione cum prædicta Congregatione. Prioris generis Ab-
„batiæ facillime acceptam reformationem conseruabant: quoniam enim ad Capitula Ge-
„neralia conueniebant, inde electi visitatores singulis annis domos visitabant, & sub Præsi-
„dibus zelum Religionis habentibus obseruantia regularis florebat. At posterioris modi
„cœnobia fuerunt sicut terra, quam in Euangelij parabola dixit Dominus Lucę 8. semen
„bonum recepisse, sed spinis & sentibus luxurientibus, illud ipsum semen in ea suffocatum
„fuisse; sic ista cœnobia reformationem quidem libenter acceptarunt, sed cum visitatoribus
„ac præsidibus non subessent: qui spinas & vepres malorum abusuum enascentes eradica-
„rent, suffocato bono reformationis semine celeriter in veterem relapsa sunt licentiam.
Et hic prior locus est P. Antonij, quo cœtum Bursfeldensem, non ab vno, sed quatuor Præ-
sidibus per exordia reformationis gubernatum, Congregationis nomine sæpius dignum
iudicauit.

Alter locus est ex tomo. 3. pag. 267. ad annum Christi 778. vbi cum sermonem instituis-
set de Congregatione Catalaunica, quæ erat tantum secundum formam Concilij Latera-
„nẽsis, hęc habet grauiter & prudẽter disputata. Monasteria Principatus huius Catalaunici,
„de quib' hactenus egimus, etiãsi vnũquodq; eorũ quasi seorsim subsistat & ab alijs indepẽ-
„dẽs (nẽpe quia nullum inter illa habetur tanquam caput reliquorum) habent nihilominus
„vnionem quandam certam, quæ originẽ habet istam, quam nunc recensebo. Temporibus
„Sanctissimi Patris nostri Benedicti, multisque postea sæculis, etiamsi quæuis Abbatia (in
„immensa illa multitudine cœnobiorum) regulam Sancti Patriarchæ seruaret; tanta nihilo-
„minus erat in singulis ceremoniarum & consuetudinum particularium varietas & diffe-
„rentia, in omnibus regnis, imò etiam intra eandem prouinciam, vt potius distinctarum
„regularum atque ordinum Abbatiæ, quam vnius eiusdemque esse viderentur. Adeo omnes
„vestitu, cantu, victu, austeritate aut remissione disciplinæ inter se differebant. Hac de causa
„instituerunt Pontifices summi, vt vniuscuiusque Prouinciæ maioris omnes Abbatiæ &
„Prioratus, ita coniungerentur, vnirẽtur & conuenirẽt, vt eisdẽ certis stabilibusque legibus
„vterentur, & morum rituumque maiori similitudine sibi inuicem conformarentur. Et

H quemad-

„ quemadmodum musici cytharam lyramue temperantes cordas remissas intendunt, nimi-
„ umque[ ]tensas ad iustum tonum remittunt, atque inde veram suauemque procreant har-
„ moniam siue consonantiam: Ita summi Pontifices in tanta obseruantiæ varietate, nimiam
„ aliquorum cœnobiorum austeritatem mitigantes, aliorum autem laxiorem licentiam emẽ-
„ dantes, sic voluerunt omnia à viris doctis, peritis & discretis ordinis nostri attemperari, vt
„ nec in plus nec in minus peccantes monachi, regulam sanctam vniformiter custodirent.
„ Hinc Innocentij tertij, Gregorij noni, & Nicolai quarti decreta prodierunt: Sed maximè
„ Benedicti duodecimi emicuit zelus & diligentia, qui decreta prædecessorum suorum re-
„ stituens atque perficiens, constitutionem promulgauit triginta nouem capitibus distin-
„ ctã, quæ Benedictina dicitur, siue ab ipso Pontifice authore nomen hoc sortita, siue ab eo
„ quod pro meliori obseruantia regulæ Sancti Benedicti fuerit edita. Hic ergo Pontifex (vt
„ propius ad rem veniamus) totum ordinem S. Benedicti in triginta sex prouincias parti-
„ tus est: decreuitque vt in singulis prouincijs haberentur Capitula, ad quæ Abbates con-
„ uenirent, & inter se tractarent de modo vniformitatis in legibus atque ceremonijs, regu-
„ lam ipsam præsertim ante oculos habentes. Eligebantur tunc temporis, & adhuc etiam
„ eliguntur Præsidentes in his Capitulis, & visitatores qui exequantur constitutiones Bene-
„ dicti 12. aliasque leges quæ institutæ fuerint in Congregationibus illis Prouincialibus. In-
„ ter prouincias a Papa Benedicto nominatas, nono loco est Tarraconensis & Cæsaraugu-
„ stana, quæ correspondet Regno Arragoniæ & Principatui Catalauniæ: omnesque Abba-
„ tes huius Regionis obediuerunt hactenus summi Pontificis mandatis, & ad Capitula con-
„ uenientes nominarunt Visitatores, qui per singulas Abbatias inuigilent, vt seruentur ea
„ quæ in Capitulis fuerint decreta; quod si neglectum inuenerint seuere castigant. Hæc vnio
„ siue Congregatio dissimilis est Cassinẽsi, siue S. Iustinæ in Italia, Vallisoletanæ S. Benedicti
„ in Hispania: conformis autem Bursfeldensi in Germania, cuius Abbates perpetui sunt,
„ nec vnum agnoscunt generalem; ideoque non nisi rarissimè monachos ab vno monasterio
„ in aliud mutare consueuerunt. Constitutiones quas speciatim in suis edidere Capitulis, nu-
„ merumque cœnobiorũ huius Prouinciæ Tarraconensis, in quibus denique differant tunc
„ annotabimus, quando ad eorum peruenerimus Pontificum tempora, qui has prouincia-
„ lium Abbatiarum vniones præceperunt. Nam quæ hactenus diximus, ideo duntaxat a no-
„ bis dicta sunt, non tantum vt plenè sciremus modum viuendi Congregationis istius, quan-
„ tum vt demonstraremus istas Abbatias quas recensuimus & in posterum recensebimus,
„ etsi abinuicem independentes, mutuamque subiectionem non cognoscentes, vnum tamen
„ corpus constituere, vnionemque conseruare quam Pontifices maximi suis in bullis & con-
stitutis ordinarunt. Hæc ille doctus & venerabilis Pater noster. Cuius verba ita fideliter ve-
stimus; vt nusquã nomen Vnionis, Congregationis, aut Corporis posuerimus, nisi illis tan-
tum in locis, vbi ea ipsa vocabula ab eo posita fuerint: Vt nimirum intelligat lector verum
esse, quod paulò ante diximus, hunc prudentissimum Patrem nostrum, definitione illa sua,
quam in argumento contrario produximus, noluisse cœtus istos Aristocraticos a vera Con-
gregationis ratione secludere; sed voluisse tantum ostendere, in quo ipse perfectissimæ Con-
gregationis rationem constituerat. Ideoque sicut non desinit leo vel agnus sub genere ani-
malis comprehendi, quantumuis homo sit perfectissima species illius generis: ità nec Aristo-
cratica resp. regularium desinit esse species vera Congregationis, tametsi Monarchica sit eius
species maxime perfecta.

Quod autem postulat aduersarij argumentum vt Congregationem aliquam Scoticam, Hibernicam, Toletanã apud probatum aliquem auctorem ostendamus: petemus nos ab illo vt ostendat apud aliquem probatum historicum, Prælatos ordinis in Scotia, Hibernia, & Toletana prouincia seruasse aliquo longiore tempore constitutionem Innocentij & Benedicti 12. & simul ostenderit Congregationem Scoticam, Hibernicam, Toletanam. Quodsi illarum prouinciatũ Prælati constitutiones illas aut non admiserunt in praxim, aut in praxi earũ non perseuerarunt: non est mirum si Congregationes ab illis prouincijs denominatæ non inueniantur. Non enim id nobis incumbit, vt probemus in singulis prouincijs tales extitisse Congregationes: sed tantum vt ostendamus, in quacumque fuerint prouincia, veri nominis Congregationes eas extitisse. Sanè si Ducenti illi Gallici Prçlati in San-Germanensi conuenientes cœnobio Benedictinæ praxim recepissent, & conseruassent etiam Congregationem ab illis prouincijs denominandam constituissent; Sed apparet conuenisse quidem conuocatos vt audirent Benedictinæ promulgationem, non autem ei se conformasse; tum quia nulla alias facta legitur talium prælatorum in aliud Capitulum conuentio; tum quia modificationes illę, limitationesque Benedictinæ ab eodem factæ indicant facta promulga-

tione exortas fuisse difficultates, propter quas non fuerit ibidem recepta, & quas ut tolleret, facilioremque redderet Benedictinæ obseruantiam, prædictas limitationes & modificationes ediderit. Sed quicquid sit de Gallicana, Scotica, Hibernica, aut Toletana Congregatione; siue tales aliquando fuerint, & desierint esse; siue reuera Benedictina in praxim diuturnam ab illis prouincijs recepta non fuerit, quod videtur verisimilius; sufficit nobis quod produxerimus Congregationem Alemannicam Brusfeldensem, Catalaunicam, Nauarricam, & trium prouinciarum Galliæ, quæ singulæ cum formam Lateranensis Concilij, & Benedictinæ constitutionis sequutæ, veræ Congregationes sint, & vocentur: vt ad earum instar etiam Anglicana quæ diuturno tempore praxim Innocentij & Benedicti 12. exercuit in Anglia, vere fuerit, proprieque vocari debuerit Congregatio Anglicana. Atque ita etiam secundum aduersarij telum sine vulnere dissilijt.

§. 3. *Tertium argumentum aduersarij contra conclusionem 2. eneruatur.*

Producamus igitur & tertium argumentum, quod pagina 152. & 268. contra nos summa vi intorquet, & est huiusmodi. Ordo Cluniacensis, eiusque personæ, loca, & cœnobia, nunquam alterius Congregationis iurisdictioni subdebantur, quam iurisdictioni Abbatis & Ecclesiæ Cluniacensis; Et tamen subdebantur Capitulis Prouincialibus, atque adeo illis seu corporibus siue cœtibus politicis, quæ per Benedictinam instituebantur; Vnde clarè sequitur huiusmodi capitula siue cœtus, quæ vel per Benedictinam vel per Innocentianam constitutionem erecta fuere, non constituisse Congregationes prouinciales; ac proinde Capitula illa prouincialia Angliæ non inferre vllo modo veri nominis Congregationem, cuius soli prælati in illo Capitulo conuenerint. Spectasse autem etiam Cluniacenses ad illa Capitula Prouincialia, probari potest ex multis. Primo quidem ex prologo Benedictinæ, Pontifex Petrum Abbatem Cluniacensem (qui fuit eius nominis Abbas secundus, & Cluniacensis ecclesiæ trigesimus primus) recenset inter præcipuos promotores, consiliarios, & impulsores, qui Pontificem ad illius Benedictinæ promulgationem adduxerint: eumque dicit illius religionis Abbatem, pro cuius religionis reformatione illam constitutionem ediderit. Deinde, instrumentum ipsum publicationis huius Benedictini decreti pro Rhemensi & Senonensi Prouincijs commissum est duobus prælatis Cluniacensibus: qui propterea debebant assistere ipsi Capitulo vt membra illius homogenea. Tandem in verbis ipsis Bullæ, dicit Pontifex, *se ad sacram religionem monachorum nigrorum suum direxisse attente considerationis intuitum, &c.* Et luce meridiana clarius est Cluniacenses in numerum nigrorum Monachorum S. Benedicti venisse. Quare cum ad illa Capitula Prouincialia Cluniacenses etiam venire debuerint, nec propterea aut suæ Congregationi atque Abbati pro antiquo more subesse desierint, aut alterius Cōgregationis vel ordinis membra esse inceperint: aperte patet illa Capitula non inferre Congregationes diuersas proprij nominis, sed fuisse tantum Synodos eiusdem ferè naturæ, cuius sunt Synodi Episcopales, in quibus quando conueniunt Canonici sæculares, regulares, prælatique non exempti variorum ordinum; nō dicuntur propterea vnam facere Congregationem, prout nec illo nomine vtimur.

Cæterum hoc argumentum iam antea in fine probationum vltimæ propositionis nostræ eneruauimus: ibi enim euidenter probatum est, Cluniacenses monachos ad illa Capitula nunquam conuenisse, nec ad ea conuenire debuisse. Quare illæ ratiunculæ, quibus probare molitur aduersarius rem tam falsam & improbabilem, leui flatu dissipantur. Nam quod ad Petrum Cluniacensem spectat, in prologo nominatum, eo ipso quo Cluniacensis dicitur, patet non fuisse religionis illius, quæ nigrorum appellatur: illum ergo Cluniacensem absolute nominauit, non alio modo quam Cisterciensem, aut Præmonstratensem Abbatem nominasset, id est illorum ordinum Caput, si illis vsus fuisset consiliarijs; reliquos autem postea recensitos Abbates nominauit eiusdem religionis nigrorum, pro cuius reformatione sanctionem edidit, tanquam a Cluniacensi distinctos ordine; & de omnibus simul subiunxit, quod erat omnibus commune, nempe fuisse Decretorum Doctores: Et a se ad consultationem adhibitos non autem (vt aduersarius asserit) huius decreti præcipuos impulsores. Quod autem verba Pontificis ita debeant exponi, docet illud instrumentum publicationis, quod citatur in aduersarij argumento: cuius hæc verba: *Cæterum quia pro prædictorum statutorum & ordinationum exequutione, dilectos filios Bernardum de Genebreda de Longavilla, &c. Ioannem de Fisco S. Pauli de Caduoni, Cluniacensis, & S. Benedicti ordinum, Rotomagēsis, Vitonensis, Diœcesiū, Prioratuum Priores in Romana curia persequutores, per alias nostras literas duximus deputandos, &c.*

Hæc inquam verba, nonne clarissimè distinguunt inter istos duos ordines Cluniacensem, & S. Benedicti, nam nisi pro distinctis habuisset Pontifex, non vtique dixisset, Cluniacensis, & S. Benedicti ordinum, sed nominasset eos Cluniacenses ordinis S. Benedicti. Quare falsum est primò, quod in argumento dicitur, istos duos Commissarios fuisse ordinis Cluniacensis prælatos, vnus enim eorum tantummodo fuit Cluniacensis. Falsum est deinde istos ita factos Commissarios, vt etiam essent membra Capituli. Nam Capitulares omnes debebant esse Rhemensis & Senonensis Diæcesium, Commissarij vero isti erant aliarum Diæcesium, dictis duobus non subiectarum distinctumque Capitulum constituentium: Nec fuerunt deputati vt Capitulo præsiderent, sed ad summum vt ipsam bullam promulgarent; alioquin valde incredibile fuisset duos Priores a Pontifice deputatos, vt ducentos Abbates, & in his etiam Cluniacenses (vt vult aduersarius) ad Capitularem agendam compellerent. Nec etiam vidit aduersarius, etiamsi Cluniacenses Commissarij, ac Præsides fuissent, non sequi propterea Capitulares reliquos, aut vllos ex eis fuisse Cluniacenses: cum potuerint compræsides fuisse, sicut Cistercienses inter nigros ex Innocentij decreto, & Carthusiani inter Cluniacenses ex bulla Nicolai fuere; nec tamen inde deducet sanus aliquis nigros fuisse Cistercienses, aut Carthusianos fuisse Cluniacenses. Atqui reuera nec exequutores fuere isti duo, nec Præsides, neque Compræsides. Sed tantum pecuniarum collectores, vt patet ex ipsa bulla commissionis, quæ non est facta ipsis prioribus, sed Abbati S. Dionysij, Sanctæque Colombæ; illi enim erant bullæ exequutores, & neuter eorum fuit Cluniacensis. Est præterea notissimum, exequutores bullarum Apostolicarum, & visitatores Apostolicos, nec necessario, nec plærumque esse eiusdem ordinis aut status, cuius sunt illi in quos exercendus sit actus exequutionis aut visitationis.

Cæterum etiamsi aliquid probaret hoc argumentum de Benedictina (cum reuera nihil probet, nisi aduersarij oscitantiam & temeritatem) adhuc tamen non sequitur idem probari de Innocentiana constitutione, cum ipse expresse profiteatur, & nos supra manifestum fecerimus, Cluniacenses ea constitutione compræhensos non fuisse: non ergo sequitur, si compræhensi fuerint Benedictinâ, compræhensos fuisse sub Innocentiana: Atque ita ipso aduersario Pseudographum suum syllogismum agnoscente constabit, a tempore Lateranensis Concilij ad Benedictinæ vsque promulgationem, per spatium centum amplius annorum, fuisse Capitula prouincialia Prælatorum nigri habitus in Anglia, ad quæ non conueniebant Cluniacenses: quæ Capitula, cum non habuerint membra heterogenea, (vt habent synodi episcopales, quas argumentum objicit) quæ tamen, vt sic faciunt veri nominis Congregationem Ecclesiasticorum sub vno Capite, eisdemque legibus viuentium, vt postea docebimus) sed tantum monachos eiusdem habitus atque ordinis, nationisque Anglicanæ: inferunt (vt ex dictis constat) euidentissimè Congregationem Anglicanam, non Cluniacēsem; sed nigrorum a Cluniacensibus distinctam, quæ centum annos ante Benedictinam floruerit; ac proinde tam auctorē Trophæorum, quàm nos merito dicere, fuisse olim in Anglia Cōgregationem illam, cuius instaurationem, commodioremque erectionem postulare à summo Pontifice potuerimus. Quare argumenta etiam quæ aduersarius sumit ex eo quod Præsides aliquot Capitulorum putet fuisse Cluniacenses, nihil probant aliud, quam ipsum sibi contradicere: Certum enim est ex actis Capitularibus ante Benedictinam habitis, dictos Præsides fuisse desumptos ex numero eorum, qui ad ea Capitula vigore Lateranensis Concilij citabantur, & conueniebant; Et certum est, fateturque imo contendit aduersarius, Cluniacenses ad ea Capitula non conuenisse; Certum proinde est etiam ex confessione aduersarij illos Præsides non fuisse Cluniacensis ordinis, & ipsum quando hoc asserit, sibi ipsi, & veritati confessæ temerè contradicere; Nam illi ipsi Præsides, quos post Benedictinam facit esse Cluniacenses; a Lateranensi Concilio vsque ad Benedictinam sæpius fuere Præsides, ac proinde non fuere Cluniacenses.

Tandem etsi concederemus tam nigri habitus monachos, quam ipsos etiam Cluniacenses ad hæc Capitula ex vigore Benedictinæ, conuenisse: non tamen inde potest aduersarius inferre, Abbates & Priores Abbates proprios non habentes, vt a Cluniacensibus distincti fuerant, Congregationem propriam & distinctam non constituisse. Primum enim, Totum illud Capitulum ex Nigrorum ac Cluniacensium Prælatorum conuentu constitutum, veram & propriam Congregationem Prouincialem, post Benedictinam (sic vt vult aduersarius intellectam,) constituisset: sicut enim Concilium Generale & œcumenicum Episcoporum in vnū legitime conuenientium, verè & propriè repræsentat vniuersalem Ecclesiam, & totam rempublicam saltem spiritualem Christianorum; ita vt quod ipsi sic congregati definiunt, vere & propriè dicatur ab Ecclesia vniuersali definitum fuisse; & tamen hic conuentus seu Synodus

dus Oecumenica Ecclesiam vniuersalem legitimè repræsentans, non tollit a Prouincijs seu Diæcesibus particularibus, rationem propriam Ecclesiæ peculiaris, Romanæ v. g. Alexandrinæ, Antiochenæ; aut etiam Gallicanæ, Britannicæ, Hispanicæ; quarũ vnaquæuis vt sic habent veram formam & naturam reipublicæ spiritualis sub legitimo capite immediato, Patriarcha videlicet, aut Archiepiscopo Metropolita: Pari modo Synodus hęc Prouincialis Monachorum Benedictinorum, etiam ex varijs distinctisque Congregationibus conflata (si talem Benedictina bulla postulauerit,) erigeret veri nominis Congregationem, quasi Generalem, sub eodem regimine legibusque & superioribus iuris ac vtilitatis communione fruentem, quia esset vera quædam respublica spiritualis regularium, vt probauibus in prima conclusione; ac proinde vera congregatio; siquidem (vt anteà notauimus,) quod est in temporalibus & laicorum cætibus Respublica, aut communitas; hoc in ecclesiasticis est Ecclesia; in regularibus Congregatio, vel ordo; sic enim nũc vsus doctorum & prudentium ista vocabula (ut sic dicamus) appropriauit. Quare non veremur, dicere, quod Synodus Episcopalis inferat veram & propriam rempublicam, quæ vocari possit ac debeat, Ecclesia talis prouinciæ, vel diæcesis; nec veremur admittere, quod cætus Baronum spiritualium & temporaliũ Angliæ in parlamento conuenientium inferat veram rempublicam, quæ Regnum Angliæ vocetur & sit; Nã ridiculus est aduersarius, qui pagina 270. infert ex nostra hypothesi, Parlamentarios dominos facere vnam Congregationem & incorporationem religiosam; Profectò clarè vidit, illum cætum procerum facere aut inferre rempublicam, quæ esset in ciuilibus illius naturæ, cuius est Congregatio in regularibus; reuera enim facit vnam rempublicam, & incorporationem ciuilem; cum proceres ibi conuenientes, non conueniant vt Christiani, aut ecclesiastici ad spiritualia constituenda negotia: sed vt membra corporis politici, ad finem pacis temporalis conseruandum. Vidit, inquam, hoc aduersarius, & quia inde vidit etiam rectè inferri, quod nos voluimus; similem nempe cætum regularium prælatorum, etiamsi Congregationibus legibusque particularibus distinguerentur, Congregationem & incorporationem inferre; (faciunt enim vnum corpus, sub vno regimine eisdemque superioribus atque legibus generalibus, ad regulæ suæ obseruantiã custodiendam;) ideo lusit in absurdo; quasi nos ex omni cætu conuenientium in vnum, Congregationem inferremus; & non potius formaliter (vt aiunt) loquentes, ex cætu seu Concilio ciuili, rempublicam; ex Synodo ecclesiastica, Ecclesiam, seu Diæcesim; ex Capitulo regularium, Congregationem inferremus; cum respublica in laicis ac tẽporalibus, Ecclesia seu Diæcesis in Ecclesiasticis, & Congregatio in religiosis idem sint habeantque eandem formam regiminis, ex fine tantum peculiari pacis temporalis, salutis animarum, & status perfectionis acquirendo diuersificatum. Ludat igitur absurdè quantum voluerit; non poterit negare quod nos iam probauimus, Capitulum illud ex prælatis multarum Congregationum conflatum, aliud genus Congregationis inferre: sub qua Congregatione continerentur aliæ Congregationes particularibus superioribus ac legibus subiectæ; vt proinde sicut ante Benedictinam, Congregatio fuerat Cluniacensis & Congregatio vt sic dicam Lateranensis in Anglia, aut quæuis alia prouincia, distinctis & non ijsdẽ assueta Capitulis: ita illæ eædem Congregationes post Benedictinam perseuerauerint; hoc tantum discrimine, quod Nigrorum Congregatio triennali Capitulo communi contenta, aliud seorsim celebrare nõ consueuerit, sumptibus parcens, & nimijs euagationibus ac gyrouagis exitibus non indulgens; Cluniacensis verò (si verum est quod vult aduersarius, quodque solum ex hypothesi illi concedimus) etiam suum Capitulum peculiare, præter illud Prouinciale, singulis annis & biennijs celebrauerit, magnis expensis, & aperta calumnia, (sic enim reuera debet dici illa aduersarij tam zelosa scilicet repræhensio,) gyrouagæ vagationis. Sed nec aduersarius potest hanc formam Congregationis quasi genericæ, plures alias Congregationes quasi specificas sub se continentis impugnare, aut repudiare. Tum quia illa fuit communis conceptus omnium fratrum nostrorum, tam Congregationis Hispanicæ, quam Cassinensis, & Anglicæ ab eo tempore, quo ceperunt agere de vnione aliqua inter ipsos ineunda: posse nimirum sub vna Congregatione quasi generica plures particulares Congregationes legibus superioribusque peculiaribus immotis permanentibus, comprehendi. Tum quia ille ipse aduersarius multo difficiliorem formam genericæ Congregationis in protreptico suo, per tria postrema capita libri sui quanta potest eloquentia & vehementia propugnat. Nam vt intelligas lector, ipse aduersarius est doctor ille Theologus, ad quem Præses Congregationis Anglicanæ modernus, scripserat, qui Doctor Præsidi dicto tanquam optimam, & Benedictinæ, ac Innocentianæ, iurique & prudentiæ conformem proposuit idæam nouæ Congregationis Anglorum, quam habes in Appendice ipsis verbis, quibus ad nos in Capitulo Generali positos est perscripta; qua nimirum erigere cupiebant eius fabrica-

tores, Congregationem vnam veri nominis, quæ vocari deberet Congregatio Monachorũ Anglorum ordinis Sancti Benedicti, cuius membra essent Congregatio Anglicana, Cluniacensis, & Hispanica, sub suis respectiuè superioribus atque legibus intra & extra Angliam viuentes: subditæ tamen vni tanquam Generalissimo, visitatoribusque & legibus communibus, quæ pacem & concordiam in missione conseruarent, & obseruantias regulares vnicuique Congregationi peculiares nullo modo contingerent. Quicquid sit de practicabilitate, (vt loquitur) huius siue idææ realis, siue entis obiectiui, chimærici, vtopici, & atopici; certe quãdoquidẽ aduersario talis forma Congregationis placet; & non tantũ placet, verum etiã eadem ipsa illi sit, quã Benedictina constitutio prætendebat, & præscribebat: ex eà euidenter constat falsum & pseudographum ab eo factum fuisse syllogismum; cuius nulla propositio etiam in ipsius sententia, constaret solida veritate. Hac enim idæa stante, Maior argumenti iam positi pro ipso, & ex ipso, est falsa, aut ab ipso saltem probari non potest: potuit enim, Congregatio Cluniacensis, manens in se Cluniacensis, pars tamen esse Congregationis illius maioris, siue quasi genericę, quam Benedictina constitutio erigebat. Minorem nos euidenter & ad hominem probauimus falsam esse, & in dedecus Cluniacensium ab aduersario assertam: Consequentia vero nulla est, tum quia ex Benedictina infert quid factum fuerit iuxta Innocentianam, quam ipse tamen profitetur ad Cluniacenses non pertinuisse, tum quia ex Congregatione generica seu totali affirmata, infert negationem specificæ siue peculiaris, nõ aliter ac si Socratem negaret esse hominem, ex eo quod constet illum esse animal. Atque ita apparet hoc telum non fulgere cuspide acuta, sed (vt ille dixit) habere sub arundine plumbum.

§ 4. Quartum argumentum contra 2. Conclusionem exploditur.

Audiamus igitur & quartum, an in eo se subtiliorem ostendat malæ causæ patronum. Ex pagina 145. 154. 312. alijsque alibi sparsis locis talis formari potest ratiocinatio, contra eandem nostram conclusionem secundam. Nulla Congregatio consistit ex monasterijs exemptis a Diæcesanorum auctoritate, & alijs ab eadem non exemptis: omnes enim Congregationes tam mendicantium, quam non mendicantium, eo ipso quo a Pontificibus eriguntur, aut stabiliuntur, beneficio etiam exemptionis ornantur. Ideoque P. Antonius Yepes idem exemptionis priuilegium tanquam conditionem necessariam ad veræ Congregationis naturam requirit. Constat autem multo maximam partem monasteriorum, quæ ad Capitula illa formæ Innocentianæ conueniebant, legibusque ibidem latis regebantur, priuilegium illud exemptionis non habuisse, sed Episcoporum prouincialium iurisdictioni mansisse obnoxia, prout expresse cauit in decreto Innocentius. Neque enim potest dici, quod exemptionem consequuta fuerint illa cænobia ex eo tantum, quod etiam Cluniacenses per Benedictinæ dispositionem in eorum Capitulis comparere iussi sint: nec potest aliunde ostendi, quomodo ab episcoporum iure fuerint absoluta. Manifestum igitur est, Benedictinam & Innocentianã constitutionem, quæ tam solicite sartam tectam esse voluerunt Episcoporum iurisdictioné, nullam constituisse Congregationem.

Sane quamuis magno strepitu quatiat hanc hastam aduersarius, est tamen omnino arundinea, nihil habens roboris, nihil acuminis; Nam omnino falsum est illud fundamentum, quod sepius vsque ad nauseam repetit, exemptionis prærogatiuam ad rationem & consistentiam verę Congregationis requiri. Etenim nec in illa ipsa definitione Congregationis ab aduersario posita mẽtio facta est exemptionis; nec potentissimæ antiquissimæque Congregationes in exordijs suis, multos etiam per annos, eam prerogatiuam sunt consequutæ; nec si ea nunc amitterent omnes quotquot extant regularium Congregationes, idcirco rationem & essentiam verę Congregationis deperderent. Et quidem quod antiquissimæ maximæque Congregationes diu sine vlla substiterint sui corporis, siue incorporationis exemptione, constat vniuscuiusque historiã perlustranti: Cluniacensis certe Congregatio, siue Ordo, (ita enim mallemus cum ipsis Cluniacensibus & Pontificibus loqui) non habuit in sui exordio istam ab Episcoporum iurisdictione libertatem, seu immunitatem: siquidem incepit anno 913. sub Odone sancto, & vsque ad annũ 948. Episcopi iurisdictioni subdebatur ecclesia & Abbatia Cluniacensis; anno autem prædicto 948. Aymando S. Odonis successori priuilegium exemptionis & immunitatis Agapetus Papa primum concessit, quod tamen priuilegium ad alia loca seu cœnobia Cluniaco subiecta nondum extendebatur; ideoque inuenimus Syluiniacum Cluniacensis ordinis monasterium primum omnium per Vrbanum Papam 2. ab Episcopi iurisdictione subtractum, anno 1097. eiusdem Pontificis anno 8. Quia ipsum Cluniacum non

gaudebat illo ipſo priuilegio ita pacificè, vt non opus habuerit Petri Damiani Cardinalis & legati Apoſtolici authoritate, ex Alexandri ſecundi iuſſu, ad compeſcendum conatus Drogonis Epiſcopi Matiſcenſis, qui ſuper idem monaſterium Cluniacenſe tentabat ius poteſtatis arripere, locumque ſibi dominationis quantulumcumque contra ſedis Apoſtolice priuilegia vindicare circa annum 1063. Ad hæc in priuilegio Vrbani ſecundi anno 1088. conceſſo ſanctiſſimo Hugoni Cluniacenſi, expreſſe legimus, Abbatiam Moyſiacenſem, ordinis & iuriſdictionis Cluniacenſis, Epiſcopi tamen Diœceſani ditioni ſubiacuiſſe: ſic enim ibidem loquitur Pontifex: *Moyſiacenſe ſane cœnobium, in ea quæ nunc eſt, in poſterum libertate permaneat, niſi forte Epiſcopus admiſerit, propter quod eius debeat ditione priuari.* Et poſtea, quando reliqua monaſteria Cluniacenſia ab Epiſcoporum auctoritate eximit, illam ipſam exemptionem valde limitat, vt appareat euidenter, non fuiſſe conſuetas olim, ne quidem in Cluniacenſis ordinis flore tã abſolutas exemptiones, quibus nunc ordines & Congregationes fruuntur. Ait enim Pontifex: *Epiſcopis verò, in quorum diœceſibus veſtræ ſunt facultates, omninò non liceat de veſtris monachis aut monaſteriis iudicare: ſaluo canonico illo iure, quod in eis hactenus habuere.* Sane longè alio modo nũc loquũtur exẽptiones Pontificiæ Cõgregationib⁹ conceſſæ. Sicut igitur abſolutæ & omnimodæ exẽptiones ad Cõgregationis eſſentiã non requiruntur (quia eas nõ ſtatim habebat Cluniacenſis ordo, quando maxime ſub Hugone florere inceperat; ſed paucis poſtea annis propter eiuſdem Hugonis, Abbatis maximè longæui ſanctitatem & auctoritatem obtinuit) ita nec vlla prorſus exemptio ad Congregationis requiritur rationem neque enim poteſt reddi cauſa cur omnimoda exemptio non requiratur, niſi quia reuera nulla omnino exemptio eſt neceſſaria, ſed tantum adhibita fuerit ad maiorem Congregationum quietem conſeruandam.

Haud abſimili modo Congregatio Italica S. Iuſtinæ, ſiue Caſſinenſis, quę incæpit anno 1408. exemptionis priuilegium conſequuta primum fuit anno duntaxat 1434. & tamen ab Eugenio 4. ante conceſſum exemptionis beneficium Congregationis nomine decoratur, vt patet ex eiuſdem Congregationis priuilegijs. Pari forma Ciſtercienſis ordo vel Congregatio quoad aliqua monaſteria illi ſubiecta, non fuit immunis ab epiſcoporum viſitatione: vt conſtat ex bulla Gregorij 13. anno 1573. eidem ordini conceſſa. Legatur etiam Trithemius in libr. Epiſtolarum, ep. 29. & in opuſculo de viſitatione monachorum c. 7. & 9. & 11. quibus ex locis aperte manifeſtabitur, Epiſcopos viſitaſſe Abbatias & Monaſteria Burſfeldenſis Congregationis, quæ non habuerant ſpecialia ſeu localia priuilegia exemptionis.

Vellemus etiam aduerſario percunctari, an putet ſummum Eccleſię ſub Chriſto paſtorem, Pontificem Romanum, poſſe validè a Congregatione, ſiue ordine Cluniacenſi, Ciſtertienſi, alijſque ordinibus & Congregationibus priuilegia exẽptionis reuocare. Si neget, (quod certè quædam libri huius loca videntur innuere) non eſt quod diſputemus cum tali aduerſario, qui Pontificis auctoritatem non agnoſcat: ſi concedat id poſſe valide a Pontifice fieri, an propterea ordines illi & Congregationes, ordinũ Congregationumque naturam exuerent? Arbitramur non fore tam alienum a recta ratione vt hoc aſſerat. Quare cum exemptionem nullo modo poſtulet ratio Congregationis, tanquam ſine ea Congregatio non eſſet: imperite arguit aduerſarius, ideo negans Lateranenſi decreto ius Congregationum erigendarum factũ fuiſſe, quia exemptionis ius vnà non conceſſerit: & imperite falſoque aſſumit ſibi vt certam, illam propoſitionem, Nullam Congregationem conſtare ex monaſterijs exemptis pariter & non exẽptis. Multoq; magis imperitè aſſumit, ex eo quod Cluniacenſes vigore Benedictinæ debuerint (ex ipſius ſententia, quam iam exploſimus) ad Capitula prouincialia conuenire, aut Cluniacenſes exemptionem ſuam perdidiſſe, aut eandem cæteris Abbatibus & Prælatis in Capitulo conuenientibus exemptionem ſuam communicaſſe; Neutrum enim ſequitur vlla probabilitate; Non primũ, quare enim amitterent ius exemptionis, ſi conuenirẽt ad Capitula, ſiue ſynodos: ex quibus auctoris ſententiâ, & veritatis ipſius luce certum eſt, ipſos Cluniacenſes Congregationis ſuæ formam non amiſiſſe? Cur autem amitteret naturam & priuilegia ſua, propter obedientiam Pontificiæ bullæ præſtitam, qua in bulla nihil omnino præcipitur aut dicitur, quæ conuenientium Abbatum priuilegia tollat aut minuat? Non etiam ſecundum; quia per decreta Innocentij & Honorij, quæ ſupponit & explicat Benedictina, expreſſe cauetur, ne quid iuris pereat Diœceſarius Epiſcopis, ex huiuſmodi Capitularibus agendis aut ordinationibus. Et ex ijſdem decretis ſatis clarè patet, etiam Prælatos exemptos ad eadem Capitula Generalia pertinuiſſe, longe ante Benedictinam: vnde Honorius quid in exemptorum per Capituli viſitatores amotione fieri debeat, pręſcribit; & ex actis Capitulorum noſtrorum quæ in Anglia fuere tam ante Benedictinam, quam poſt eam celebrata, conſtat in eo conueniſſe etiã exẽptos Abbates Weſtmonaſterij, S. Albani, S. Edmundi,

& S. Augustini Cantuariensis; vt mirum sit in tanta decretorum adhuc in corpore iuris extantium claritate, ausum fuisse aduersarium dicere, illa decreta exemptos minime comprehendisse, sed tantum ordinarijs subiectos. Sed cur diximus hoc mirum esse? mirum potius ipsum toties probare, & reprobare hanc assertionem suam: cum aliquando velit exemptos ad hæc non conuenisse; aliquando probet eos præsertim ibidem conuenisse: *Quo teneam vultus mutantem Protea modo?* Atque ita solutum manet quartum argumentum.

§. 5. Quintum argumentum contra eandem veritatem refutatur.

Quintum argumentum contrà eandem veritatem desumit aduersarius pagina 41. & 42. ex eo, quod omnis veri nominis Congregatio suam possit erectionem seu fundationem ostendere, productis Pontificum bullis, & Principum aut Regum diplomatibus, per quę sua confirmentur & approbentur exordia: quorum neutrum a Congregatione Anglicana fieri posse existimat, ideoque talem aliquam Congregationem aliquando extitisse inficiatur. Præterea nulla Congregatio est, cuius superior præcipuus Pręlati dignitatem, eo ipso, quo superior existit Congregationis, non obtineat: At ex Lateranensi forma expresse habetur, Capitulorum Præsides ex eo, quo Præsides fuerint, Prælaturę excellentiam neutiquam obtinere: atque adeo illa Concilij dispositio Congregationes nullas erigebat. Quare cum ab illa solum nostræ Congregationis exordium deriuemus constitutione: patet quàm non mereatur nomen Congregationis, cuius superior Prælatus esse non mereatur.

Leuissimũ profecto argumentũ, & ex quo vel Cluniacensẽ, vel Cassinensẽ, vel Bursfeldẽsẽ, vel omnẽ fere Congregationẽ, possit aduersarius euertere, si quid valeret. Etenim ostendat vsque ad tempora sancti Hugonis primi, bullam Pontificiam, aut diploma regium, quo erectio Cluniacensis Congregationis siue ordinis fiat; aut confirmetur; cum tamen incęperit anno 913. & Hugo sanctus regimen susceperit anno millesimo quadragesimo nono. Ostendat inquam toto hoc interuallo temporis, quod est plusquam centum annorum curriculum, aliquod omnino Pontificum aut Regum scriptũ, quo erectio Congregationis Cluniacẽsis, aut approbatio eiusdem contineatur: Sed quid dico erectionem? ostendat vel mentionem Congregationis Cluniacensis in vlla Apostolica bulla Cluniacensibus concessa. Ordinis quidem Cluniacensis in eis mentionem inueniet sæpissime, Congregationis autem nunquam. Confirmationem vero etiam ordinis Cluniacensis, à Pontificibus, aut Regibus factam, nec sub Beato Odone nec sub Aimardo, nec sub sancto Mayolo; nec sub sancto Odilone producere vllam poterit: sed bullas duntaxat ipsum Cluniacum, & quædam ab illo loca dependentia Abbatibus Cluniacensibus confirmantes; non tamen vel ordinis, vel Congregationis titulo, aut incorporationis politicæ, seu plusquam Oeconomicæ intuitu factas. Primum omnium sub Hugone primo in bullis Pontificijs *Ordo Cluniacensis* vocatur, primum omnium sub illo multitudo monasteriorum conuentualium Abbatis Cluniacensis ordinationi & regimini permissorum, atque creditorum à Pontificibus confirmata memoratur. Atque ita vsque ad illud tempus, iuxta hanc aduersarij ratiunculam Congregatio nulla Cluniacensis fuerit: & nihil amplius opus erit, vt probetur ipsum aerem verberare, quando sanctum Dunstanum, Osualdum, Ethelwoldum, aliosque nationis & ordinis nostri proceres, facit Cluniacensis Congregationis monachos; quandoquidem eorum temporibus nulla Pontificia aut Regia approbatio Cluniacensis incorporationis diplomatibus aut bullis adhuc fuerit exarata. Sic nec Cassinensis Congregatio, quæ inceperat anno 1408. potest vllam pro erectionis suæ confirmatione Pontificiam bullam ostendere priorem anno 1432. non fuerit igitur ante illum annum Congregatio. Nullam omnino, ne nunc quidem potest Regium ostendere diploma, quo eius approbetur erectio: non fuerit igitur, nec nunc quidem Congregatio illa Cassinensis.

Forsitan aduersarius intelligit, iuris auctoritatem Canonici, & saltem permissionem iuris regij, siue municipalis: Si ita est, vtrumque pro Congregatione Anglicana producemus. Illius quidem, nempe iuris Canonici, dispositionem, ex decreto Concilij Lateranensis, cui statim obedientes Pręlati nigrorum per Angliam, anno post Concilium habitum, sese in Congregationem per Capituli Generalis celebrationem redegerunt. Hoc autem sufficere ad Congregationem veri nominis erigendam iam antea sole clarius ostendimus. Hoc decretum in iuris corpus relatum, & non aliam vllam Pontificiam confirmationem, pro sua Congregatione Bursfeldẽsis vnionis Abbates ab anno 1429 quo incepit, vsque ad annũ saltẽ 1458 ostendere aut pretendere possunt, vt constat ex capitularibus actis ipsorum à Ioanne Trithemio diligenter perscriptis. Regiam autem vel imperatoriam, vel Principalem aut electoralem aliquam confirmationem ne quidem vllam putamus eos expectasse, aut ambiuisse, cum

in Imperio

in Imperio semper hucusque liberrime ecclesiastici & Regulares prælati spiritualem iurisdictionem in sibi subditos exercuerint non expectata temporalium principium auctoritate, quorũ videlicet pietas in huiusmodi negotia sese non consueuerat intromittere. Hoc solum decretum, cum Tridentino ipsum renouante, tanquam facti sui fundamentum, Congregationique erigendæ sufficientem basim supponere, sibique ob oculos se posuisse dicunt Patres Congregationis exemptorum monasteriorum in tribus prouincijs Gallici regni, Senonensi, Turonensi, & Bituricensi; Regiam autem confirmationem non aliam initio putauerunt sibi necessariam, quam generalem Comitiorum Blæsensium ordinationem, qua hoc decretum reformationis iuxta Concilium Lateranense fuit acceptatum. Est ergo sufficiens hoc ipsum decretum, ad Congregationis Anglicanæ ab ipso Lateranensis Concilij tempore validam erectionem; Permissio autem iuris municipalis siue Regum Anglorum non alia postulari debet, quam quod missis ad Capitula huiusmodi nuntijs suis, (vt ex ipsis actis Capitularibus apparet) quædam patribus ibidem congregatis inhibuerunt, ipsam autem Capitulorum celebrationem nunquam prohibuerunt. Verumtamen adhuc speciales & peculiares tam regum quam Pontificum bullas, & ordinationes confirmatorias Congregationis Anglicanæ secundum formam Lateranensem fuisse, (vt aduersarij conscientiæ scrupulisque medeamur) aperte probabimus. Etenim Capitulo prouinciali celebrato apud Northamptonam anno 1444. sic habetur. *Insuper institutum est ad vtilitatem nostri ordinis per Præsidentes & electores, vt sit cista communis in Prioratu Sancti Andreæ Northampton situata, in qua cista reponantur omnes bullæ Papales habitæ & habendæ nostræ religionis iura, libertates, Præsidentium potestatem & nostri Capituli auctoritatem concernentes.* Habuit ergo Congregatio Anglicana bullas Papales, pro Præsidum suorum potestate, Capitulique generalis auctoritate: quod est habere Pontificiam auctoritatem pro Congregationis erectione & perseuerantia; quoniam Congregationes (vt antea diximus) non aliter de nouo eriguntur, aut erectæ conseruantur, quam Capitulorum Generalium celebratione. Habuisse etiam permissionem iuris municipalis in Anglia, & Regum nostrorum, constat ex eo quod narrat Walsinghamus ad annum Domini 1421. nempe Henricum quintum, regem gloriosissimum aliquot reformationis disciplinæ articulos Abbatibus & Prælatis ordinis nigri proposuisse, in Capitulo prouinciali ex more proxime celebrando approbandos, & à domno Apostolico confirmandos: quam reformationem (inquit Walsinghamus) qui volunt aspicere, in monasterio S. Albani, & alijs pluribus locis eiusdem religionis poterit inuenire. Cuius reformationis seu propositionis Regiæ processum in appendice lector inueniet.

Sed quid opus est anxie laborare vt pro Congregationis Anglicanæ erectione bullam aliquam quæramus Pontificiam? An quia eius necessitatem in argumento vrsit aduersarius? Noli credere, lector benigne, aduersarium ex animi sui sententia, & serio illius necessitatem, vrsisse: disputandi tantum gratia id fecit. Alioquin cum reuera, & ex suo sensu loquitur, eam prorsus negat ad congregationis erectionem esse requisitam. Etenim in protreptico suo, quod antepenultimo capite libelli sui, (ex valde magno pacis & concordiæ scilicet zelo) proponit, quodque toto penultimo & vltimo capite quibus potest ingenij viribus propugnat: in illo inquam protreptico disertis verbis hortatur nos ad aliam Congregationem, hac nostra, quam hactenus impugnauerat, longe meliorem, instituendam, absque vlteriori scripto vel decreto Pontificio vel superiorum consultatione. Vide lector paginam 283. 301. & 344. aliaque protreptici loca, & inuenies ipsum docere non solum Congregationem erigi, sed longe maiora posse fieri absque vllo recursu ad Pontificium tribunal: illis enim in locis talia iacit fundamenta, vnde vel Episcoporum consecrationem quis posset ab vno Episcopo factam licitam probare, etiamsi nullus alius Episcopus assisteret, aut nulla Pontificis commissio interueniret.

Sed nobis non licet esse tam temerarijs: qui quoniam Pontifex summus Paulus iniunxerat, ne vnio a nobis facta mandaretur exequutioni, donec ab ipso fuisset examinata; per bene longum temporis spatium ab eius, quam feceramus, vnionis promulgatione abstinuimus, donec ab ipso approbationem expressam obtinuissemus. Concludamus igitur in Congregationis Anglicanæ erectione per Lateranense decretum facta sufficientem interuenisse iuris, & Pontificum auctoritatem, ad hoc vt veri nominis Congregatio dicatur. Nam per illud decretum, corpus quoddam commune aliquo modo vnitum, quandam religiosorum rempublicam constitutam fuisse, fatetur ipse aduersarius varijs in locis libelli sui, pag. 7. 13. 50. 51. 52. 55. 56. 57. 59. 77. 83. 134. 143. Et si non fateretur, res ipsa clamaret id ita esse: ac proinde fuit erecta per illud decretum vera Congregatio; quia vera respublica religiosorum, Præsidibus, visitatoribus, Definitoribus, Capitulis prouincialibus, & legibus communitati multorũ

cænobiorum

cænobiorum præscriptis obedientium, est veri nominis Congregatio: nam cur vocantur & habentur Congregationes veræ, cœtus Franciscanorũ, Augustinianorum, Dominicanorum, Carmelitarum, nisi ob illam, quam iam diximus, subordinationem? Preterea illa communitas & vnitas Abbatum ac Priorum Abbates proprios non habentium, cum subordinatione illa ad Præsides, visitatores, Definitores; Capitula Generalia, legesque in istis latas, non fuit œconomica Congregatio, quia illa continet regimen legesque vni tantum monasterio eiusque Abbati vnico Prioribusque, Cellerario, Decanis, Ianitori, Infirmario, & similibus officiarijs sub vno Abbate degentibus traditas, qualem dicit recte aduersarius fuisse duntaxat S. P. N. Benedicti, Sanctique Basilij, & Sancti Augustini, regulam: At in Capitulis istis Angliæ prouincialibus ordinis nigrorum leges ordinationesque prescribuntur Præsidibus, visitatoribus, Definitoribus, quorum in regula œconomica nulla fuit mentio; tradebanturque ad regimen commune multorum cœnobiorum & Prælatorum Capitulis illis legibusque subditorum; Fuit ergo respublica, fuit communitas politica, & quia religiosorum, non sæcularium, aut laicorum extitit, respublica, ideo verè & propriè Congregatio nominanda.

Illa autem argutia, quam obijcit ex verbis Innocentij, superiores huius Congregationis, ex Præsidatus sui titulo non debere Prælaturam assumere: nihil facit ad rem; nam siuè Præsidatus sit in iure dignitas Prelationis, siue solum officium triennale: (quod quidam putant Prælaturam non debere vocari, illam appellationem solis perpetuis rectoribus communitatum ecclesiasticarum aut regularium conuenire arbitrantes; quod meminimus in Hispania non semel nostris Abbatibus obiectum;) non tollit hoc, quin ille cetus Abbatum, fuerit Congregatio: & probat solum non fuisse Congregationem monarchicum, nec illos Præsides habuisse monarchicam auctoritatem in reliquos prælatos, sicut Cluniacensis habuit, & nunc habent plerique ordinum generales; sed tantum habuisse officium aut ministerium Aristocratico regimini proprium, vt pro aliquo tempore, & occasione quidam aliorum suffragijs electum munia reipublicæ obirent; nec tamen propterea, se alijs reges datos intelligerent: quod in Romana Republica notandum duxit Machabeus lib. 1. cap. 8. *Et in omnibus istis* (inquit) *nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, vt magnificaretur in ea, & tamen curiam fecerunt sibi, & quotidie consulebant trecentos viginti, consilium agentes super multitudine, vt quæ digna sunt gerant; & committunt vni homini magistratum suum per singulos annos, dominari vniuersæ terræ suæ, & omnes obediunt vni, & non est inuidia neque zelus inter eos.* Vbi vides clarè discrimen inter regnum & Aristocratiam insinuatum: quod in regno vnus induat diadema, & purpuram, vt magnificetur in eo; & magistratus populi non ei committitur, sed in eum a populo ipso consentiente transfertur: At in Aristocratia, non est aliquis ita magnificatus, qui insignia gestet regalia, nec in eum a populo transfertur magistratus, sed populus & priores *magistratum suum*, id est, quem principaliter & subiectiuè penes seipsos retinent, *committunt* illi, quem iudicant dignum; non in perpetuum, sed ad certum tempus; quod est non tam magistratus dignitatem quam exequutionem & ministerium ipsi committere. Sic igitur in Capitulis Lateranensis formæ, Abbates & Prælati in seipsis subiectiuè habentes auctoritatem suam; committebãt illius auctoritatis dispensationem Præsidibus, Definitoribus, & visitatoribus; non autem a se abdicabant: ideoque etiam decreta ab illis facta, priusquam valida essent, ab ipsis Prælatis denuo recensita comprobabantur; quod certè non erat Præsides in Prelatos erigere, sed in officiarios, seu magistratus sui ad vtilitatem communẽ administratores. Et cauit expresse Põtifex idipsum, ne Præsides electi putarent sibi datã monarchicã potestatẽ, qualẽ Cluniacẽsis Abbas habebat; ideoque addidit illa verba, nemo sibi ex eo Prælationem assumat, *vnde cum expedierit, prouida possit deliberatione mutari*; quod reuera nihil aliud est, quam Prælationem perpetuam (qualis sola tunc vera Prælatio habebatur) illis Presidibus interdici, temporariam autem, & statis terminis mutabilem illis concedi; qualis hodie est in plærisque Congregationibus prelatura superiorum, qui non in rigore iuris antiqui, sed solum ex noui iuris dispositione, & Pontificum priuilegijs Prælatorum dignitatem sunt adepti: Accipe ipsa Concilij Tridentini verba, quibus hoc ius nouum conditur: sess. 25. cap. 8. *Ipsis autem Congregationibus constitutis, illarum generalia Capitula, & ab illis electi Præsides vel visitatores, eandem habeãt auctoritatem in suæ Congregationis monasteria ac regulares in eis commorantes, quam alij Præsides ac visitatores, in ceteris habent ordinibus.* Quando autem Pontifices ex priuilegio superioribus duntaxat triennalibus, siuè quadriennalibus, aut etiam annalibus Congregationum dignitatem ac prærogatiuam tribuerint Prælatorum, pro tempore quo superiores fuerint, ex peculiaribus singulorum ordinum bullis & priuilegijs facile diligenti lectori patebit.

Quod vero de nomine speciali Congregationis, a nomine prouinciæ suæ diuerso penitus

atque

atque distincto in argumento aduersarii attexitur, falsum esse ipsemet non ignorauit: Neque enim illi in memoriam venire non potuit sua Gongregatio Hispanica, in qua fuerat professus, quæ nunc aliud nomen non habet, quàm Cõgregationis Hispanicæ. Sed & Congregatio Benedictinorum in regno Lusitaniæ siue Portugalliæ non alio appellatur nomine quam Cõgregationis Portugalliæ, tam à seipsis, quam à Sixto Pontifice V. in bullis de data anni 1587. & 1588. Sic & à prouincijs duntaxat nomen habent Congregationes Carmelitarum, vocanturque simpliciter Congregatio Carmelitarum Excalceatorum Italica, vel Hispanica a Paulo V. in bulla anno. 1610. 12. Augusti data: & Congregatio trium prouinciarum Galliæ Senonensis, Turonensis, & Bituricensis, toties a nobis citata, non aliam habuit, quam ab istis prouincijs desumptam denominationem. Quid igitur mirum, si non aliud nomen sibi Congregatio nostra, quam Angliæ attribuerit: cum nulla ratio suppetat, cur aliunde nomen sibi honorabilius, aut euidentius ad distinguendum ab alijs communitatem suam, acciperet? Emarcuit igitur omnis illius argumenti vis, & in fumum cum sonitu innoxia euanuit.

§. 6. *Iudicium Iurisconsultorum de hac conclusione.*

ITA proinde ostendimus inuictam & inconcussam perseuerare secundæ conclusionis nostræ veritatem. Cæterum vt aduersarius fateatur sibi cum liberalibus antagonistis negotiũ esse, præcedentium argumentorum solutionibus epimetrum superaddemus, responsũ nempe facultatis celeberrimæ vtriusque iuris in alma Academia Duacena, de eiusdem conclusionis nostræ veritate & iustitia. Ipsius enim facultatis professores regios consuluimus, atque ita consuluimus, vt exhibuerimus eisdem (quo certius iudicarent de modo loquendi prudentum in hac materia) statuta variorum Capitulorum Generalium in Anglia celebratorum, quę posuimus etiam in appendice; Bullas & rescripta Pontificum pro erectionibus variarum Congregationum expeditas; statuta & ceremonialia, atque agendas Congregationum diuersarum ordinis, puta Cassinensis, Bursfeldensis, Hispanicæ, Gallicanæ; Iudicia & approbationes Senatus Regij Galliæ, doctorumque aliquot Parisiensium adiunctas statutis Congregationis Gallicanæ trium prouinciarum; varia Capitula generalia Congregationis Bursfeldensis, quæ nostræ huic Anglicanæ prorsus similis extitit: Definitiones tandem Capituli Generalis Hispanici & instrumenta quædam authentica plurium Generalium Congregationis Hispanicæ: quibus omnibus in manibus ipsorum relictis, indicatisque locis, quę de hac re agebant: casum hunc ipsis examinandum proposuimus.

Casus.

ABbates, & priores Abbates proprios non habentes, ordinis nigrorum sancti Benedicti per Angliam, partim exempti, partim non exempti; sequuti authoritatẽ Concilij Lateranensis sub Innocẽtio tertio, quæ habetur in corpore iuris. cap. In singulis. De statu Monachorum & Canonicorum Regul. à tẽpore ipsius Concilij, vsque ad tempus Henrici 8. (sub quo monasteria omnia fuere suppressa;) solebant de triennio in triennium congregari in Capitulo Generali: ibique Præsides, visitatores, definitores, collectores, pro triennio insequenti eligere, statuta ordinare, pręcepta correctionesque & censuras & pœnas etiam carcerales totam communitatem monasteriorum suorum obligantes præscribere; aliaque omnia facere, quæ Congregationes aliorum ordinum simili authoritate conuenientes in suis capitulis, & per suos superiores, legesque facere consueuerunt.

Hoc posito: Quæritur.

AN cœtus monasteriorum seu Abbatum, & Prælatorum ac Monachorũ sic in Capitulo Generali, iuxta formam decreti Innocentij tertij in Concilio Lateranensi editi vnitorũ, fuerit veri nominis Congregatio, iuxta recentiorem vsum vocabuli illius: & sine improprietate possit ac debeat nunc ita vocari?

COllegium Doctorum ac Professorum ordinariorum iuris vtriusque in alma vniuersitate Duacensi, examinatis matureque perpensis casu & quęstione propositis, censuit respondendum: Cœtum illum monasteriorum seu Prælatorum & monachorum sancti Benedicti per Angliam olim, sic, vt in casu dicitur, vnitorum fuisse, secundũ vsum loquendi recentioris huius sæculi nostri, veri & proprij nominis Congregationem; Et ita etiam sine vlla improprietate nunc posse nuncupari. Huius imprimis ratio est, quod Concilium Tridentinum sess. 25. de Regularib. c. 8. cœtus monasteriorum, quæ iuxta formam prædictæ constitutionis Innocentij tertij in Concilio Lateranensi, de triennio in triennium conueniunt, & Capitulum celebrant, vocat Congregationes; ac insuper statuit, vt ipsis Congregationibus constitutis, illarum Generalia Capitula, & ab illis electi Præsides, vel visitatores, eandem habeant authoritatem in suæ Congregationis monasteria, ac regulares in eis commorantes quam alij Præsides ac visitatores in cæteris habent ordinibus, &c. Per quod, tanquam cor-

pori legitima potestate constituto, tribuitur potestas decernendi quæ ad commune totius corporis illius, seu Congregationis spectant. Deinde eum fuisse communem vsum loquendi summorum Pontificum, patet ex bullis Pij quinti data, 1571. die 5. Octobris, Congregationi Cassinensi: Gregorij 13. inscripta de reformatione ordinis S. Basilij, edita 1579. Kalend. Nouemb. Pontificatus sui anno 8. vbi ita loquitur, *volentes huiusmodi ordinis instaurationem inchoare, ipsaque monasteria in ipsam Congregationem, iuxta constitutionem fœlicis recordat. Innocentij Papæ III. prædecessoris nostri &c. ac Concilij Tridentini decreta redigere &c.* Pauli V. nona mensis Februarij ann. 1613. Gregorij 15. anno. 1621. decimoquinto Kalend. Iunij & aliorum Pontificum. Ex quibus apparet, rem ita esse claram, ac manifestam, vt dubitari bona cum ratione non posit, nec alias rationes adiungere opus est, vbi iura ipsa, iuriumque conditores tam euidenter loquuntur.

Ita responsum & deliberatum Duaci, die 18. Iunij 1624.

Sub sigillo pensili in cera rubra.

Io. Ferrarius.
Robertus Crametius.

Epo Boetius.
Nepueu. 1624.
G. Spira, 1624.

De mandato Clarissimorum DD. totiusque collegij, Petrus Auroy Notarius Apostolicus.

Hæc illi prudentissimi legum iuriumque interpretes & antecessores responderunt: quorum iudicium magis debet in nostra causa acceptari; quam vnius aut alterius contradictoris pertinacax oppositio, nõ ex iuris rationumque momentis, sed ex animi perturbari acerbissimo præiudicio (vt per totum eius libellum coruscat) profecta.

ANNOTATIO AD LECTOREM

HIc te admonendum duxi, beneuole lector, quod cum finita iam esset tota hæc disceptatio historica, & prælo commissa, recepimus Roma huius controuersiæ iudiciariam decisionem, ac legalem sententiam, quam si aliquantò citius licuisset obtinere, non fuisset nobis opus in probanda veritate secundæ nostræ conclusionis, aut in infirmandis aduersarij argumentis contra eam, tam diu in morari. Sed non pœnitet laboris; non enim potest innocentia hoc sæculo nimijs fulciri præsidijs, aut nimis tuta incedere, quando non desunt, qui etiam agnitam veritatem impugnent Quia igitur aduersarius ausus est asserere cœtum monasteriorum in Anglia secundum constitutionem Innocentianam in vnum capitulum per singula triennia conuenientium, non constitu- isse veri nominis Congregationem, ac propterea nullam esse Congregationem nostram, nulliusque valoris esse breue Apostolicum pro eius erectione, aut restauratione à sede Apostolica emanatum, eo quod huiusmodi falso niteretur fundamento: & quia etiam, vt vidimus supra, idem aduersarius hæc omnia ex ipso sacro Concilio Tridentino confirmare nisus est: ideo Procurator Congregationis nostræ in curia Romana existens propo- suit sacræ Congregationi Cardinalium Concilij Trid. interpretum hanc causam examinandam, & declarandam sub hac forma.

Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini.

HVmillimè exponitur huic sacræ Congregationi quod olim ante ruinã Monasteriorum in Anglia Abbates, & Priores Abbates proprios non habentes, ordinis nigrorum S. Benedicti per dictum Angliæ regnum, partim exempti partim non exempti, secuti authoritatem Concilij Lateranensis sub Innocentio. III. Cap. *In singulis. ext. de statu Monachorum*: per plurimos annos solebant congregari de triennio in triennium, in capitulo generali, ibique Præsides, visitatores, &c. pro triennio insequenti eligere, leges etiam & ordinationes condere totam communitatem suorum monasteriorum obligantes: cum autem Benedictini Angli Cœtum huiusmodi monasteriorum, quæ iuxta formam prædictæ Constitutionis Innocentij, de triennio in triennium conueniebãt, & capitulum celebrabant, vocauerint Congregationem Benedictinã Angliæ, dictãque Congregationem, per nomen Congregationis Anglicanæ ordinis S. Benedicti antiquæ renouari petierint, indeque Breue fœl. record. Pauli Papæ. V. datum 23. Augusti 1619. (cuius exemplar simul exhibetur) obtinuerint: Ita est quod al. qui vt pacem dictorum Religiosorum perturbarent, prætendunt illam non fuisse veram congregationem & Breue præfatum Pauli V. vel omnino irritum esse propter falsam siue impropriam narrationem; vel congregationem per illud erectam seu renouatam veram Congregationem non esse:

QVia verò monasticæ quietis perturbatio hinc timetur humilimè petitur huius sacræ Congregationis resolutio: an Breue prædictum impetrantibus suffragetur, & an reuera dicenda sit congregatio, quæ per illud erecta siue renouata est: & pro hac gratia &c. Quas Deus &c.

DIe 23. Maij 1626 Sacra congregatio Cardinalium concilij Trid. interpretum censuit Breue fœl. record. Pauli V sub annulo Piscatoris concessum monachis Anglis ordinis S. Benedicti, & per eos exhibitum loqui de vera Congregatione, illisque suffragari.

Cosmus Cardinalis de Torres.

loco ✠ sigilli.

Franciscus Paulutius Secretarius.

ECce hic pauculis verbis, sed neruosis & planè efficacibus, stabilitam veritatem non solum secundæ nostræ conclusionis quam hucusque propugnauimus, sed etiam ferè totius tractatus tertij, quem infra inuenies, in eo enim præcipuè quæritur an illud Breue nobis suffragetur. Ipsum autem Breue, de quo hic est mentio habes in appendice numero 25.



SECTIO SEXTA.

IN QUA DISSOLVITUR SEXTUM, & præcipuum aduersarij argumentum, ostenditurque nullam Abbatiam per vniuersam Angliam fuisse vnquam ordini Cluniacensi subiectam. Hæc sectio propter prolixitatem in paragraphos plures est distributa.

VEniamus tandem ad sextum, & vltimum telum, quo sese maxime effert & iactat aduersarius, quod est ipsius Poliorcetica machina, qua nostram Angliæ Congregationem captiuam abduxit in Galliam, & Cluniacensi ordini penitus subiecit; Sic enim contrà tertiæ conclusionis nostræ veritatem pugnat, vt probet, etiamsi concessa fuerit aliqua Congregatio Angliæ iuxta formam Innocentiani Capituli; non tamen aliam fuisse à Cluniacensi, aut certe omnino ab illa dependentem. Hoc autem videtur sibi aduersarius conuicisse miris modis, & omnes, aut ferè omnes Abbatias Angliæ, monachosque illustrissimi nominis, qui illas primi instituerunt, Cluniacensis disciplinæ professione, Cluniacensis obedientiæ subiectione donatos ostendisse. Nos illud omninò ab eo probabiliter ostensum fuisse negamus: nullamque omnino Abbatiam Angliæ fuisse Cluniaco subiectam sicut antea argumentis clarissimis, ita nunc non minus claris responsis ad aduersarij obiecta accommodatis euincamus: Id quod melius, dilucidius, & facilius præstari non poterit, quā si per singulas Abbatias percurrentes, argumenta, quibus ipse vnamquamque Cluniacensibus subiecit, dissoluamus, & in particulari eandem ex fundatione decursuque ipso temporum & alijs infallibilibus notis, ab ea subiectione liberemus.

Synopsis huius primi membri sectionis sextæ.

1. *De auctoritate Arnoldi Wion, D. Pitsij, P. Poßeuini.* 2. *De sententia Ingulphi Crowlandensis.* 3. *& Comprofeßionibus.* 4. *Floriacum nunquam fuit subiectum Congregationi Cluniacensi.* 5. *Nec S. Dunstanus vnquam fuit monachus Floriacensis.* 6. *Quare S. Odo, & S. Osawldus à Floriacensibus habitum sumpserint.* 7. *S. Dunstanus ipse aperte docet suo tempore monachos Anglos non fuisse Cluniacenses.* 8. *De Capitulis Generalibus Angliæ obiectio soluitur.* 9. *Lanfrancum, eiusque nepotem Paulum, & monachos ab eis reformatos non fuisse Cluniacenses.* 10. *Directè probatur S. Albani cœnobium nunquam fuisse Cluniacense; nec vllas alias Abbatias Angliæ.*

§ 1. De Monasterio S. Albani.

Incipiamus autem a monasterio S. Albani, quod, propter gloriosi Britanniæ protomartyris reliquias, caput reliquorum Angliæ monasteriorum, & inter illa primatum habere, nostri Reges sanxerunt. Hanc igitur insignem Abbatiam, quæ secundam Cluniaci filiam, Prioratum S. Pancratij, opulentia redituum triplo excessit; Cluniacensis iuris fuisse probat aduersarius, *primo*, pag. 61. ex authoritate Ioannis Pitsij in historia scriptorum Britanniæ, qui folio 208. 337. 629. 630. ordini Cluniacensi eam addixit. *Deinde* authoritate Ingulphi, authoris vetusti sane, & proculdubio veracis, dum ad annum 1070. de sui Crowlandensis monasterij statu loquitur, quosdam narrans *comprofessos* sui Capituli, ex varijs monasterijs Angliæ, quandocumque ad Crowlandiæ insulam venirent, stallum in choro, locum in refectorio

atque dormitorio habuisse:atq; illud Capitulum, seu illam Capituli *comprofeßionem*, Clunia-
censis ordinis subiectionem aduersarius interpretatur. *Tertio* ex S. Dunstani persona, qui
cum Floriaci professus; ac propterea Cluniacensis Congregationis monachus extiterit; &
vbique monachos in monasterijs ab Edgaro Rege nobiliter reparatis, specialius autem in
hac S. Albani Abbatia posuerit: non potest nec debet aliter dici aut credi, quin Cluniacensis
ipse monachos Cluniacenses ad hanc disciplinæ reformationem stabiliendam adhibuerit.
Vlterius ex eo quod Abbas S. Albani Præsidens Capitulo præfuerit Generali, habito circa
annum 1225. quod Capitulum Cluniacensis ordinis fuerit, ideoque & eiusdem Capituli præ-
sidens ordinis Cluniacensis cum Abbatia sua professus esse debuerit. *Præterea*, Pitsius, Posse-
uinus, & Arnoldus Wyon, Mathæum Paris notissimum Abbatiæ S. Albani monachum, in-
ter Cluniacensis ordinis monachos numerant; & *tandem*, quia Paulus Cadomensis nepos
magni Lanfranci ab eodem factus sit Abbas S. Albani, & cum Lanzone Priore S. Pancratij
plurima Cluniacensium monasteria rexerit: Lanfrancus autem & Lanzo dubio procul Clu-
niacenses monachi fuerint.

Prodigiosæ illationes aduersarij, ex fictis principijs.

Tantum autem sibi complacuit in hac probatione Aduersarius, vt ex hoc solo principio,
quasi euidenti, quo Dunstanum & Lanfrancum Abbates, fuisse Cluniacenses se conuici-
se simulauit; (neque enim id vel ipsemet reuera credit esse probabile) vt mirabiles inde per
totum libellum suum deduxerit confluges falsarum assertionum: quas omnis sub vnum as-
pectũ statuemus, vt inspecta simul principij falsitate videat & rideat ingenuus lector molem
tam ingenté errorum in fundamento tam leui festucâ solidato ab homine docto superstru-
ctam fuisse. Principium igitur est: Floriacense monasterium fuisse Cluniaco subiectum, ad
annum Domini 930. qui ipse annus ab omnibus authoribus natalitius esse Congregationis
Cluniacensis asseritur; hãc assertionem late inculcat, sed vnius Ingulphi testimonio falso cõ-
probare nititur, libelli sui pagina 78. 80. 86. 87. 88. 89. 90. 94. 113 Quare S. Dunstanum
ordinis nostri in Anglia reparatorem celeberrimum, circa annum Christi. 940. (quo Rex
Edmundus Angliæ suscepit principatum) Floriaci monachum factum, necessaria sequelà ra-
tionis Cluniacensem fuisse, pag. 78. 87. 90. Quidni igitur & omnia monasteria à S. Dunsta-
no per vniuersum Angliæ regnum instituta? pag. 88. Præsertim suum illud Glasconiense; pa.
90. 91. Imo & Westmonasterium ab ipso restitutum; pag. 38. 97. 98. 115. 138. 162. Adde &
Albanense, pag. 114. 115. & Sherburnense. pag. 125. Quinimo & ipsum Cantuariense S. Sal-
uatoris. pag. 129. adeo vt S. Thomas Cantuariensis propterea tantum Cluniacensis fuisse
euincatur, pagina 129. 130. Multò magis S. Oswaldus Floriacensis, & S. Ethelwoldus mo-
nachus Glastoniensis, & ab ipso Dunstano educatus. pag. 91. Atque adeo omnia monaste-
ria ab ipsis ædificata, aut instaurata Cluniacensis ordinis fuisse dicenda sunt, pag. 91. vt Abin-
donense, pag. 91. 92. Eliense, pag. 92. 112. Petroburgense. pag. 111. 112. Thorneiense. pag. 92.
112. Rameseyense. pag. 90. 113. Wigorniense pag. 118. 119. Proinde & constitutiones illæ pro
concordia regulari monasticæ disciplinæ per Angliam stabilienda in synodo Wintoniensi
sub Edgaro rege editæ, à Cluniacensis congregationis prælatis editæ fuere. pag. 94. Et quid
dico obseruantiam monasticam? omnem disciplinæ ecclesiasticæ reformationem per ea
tempora à S. Dunstano, Oswaldo, Ethelwoldo factam Cluniacẽsi ordini debet Anglia, p. 81.
Apparet ergo, copiosissime Illator, frustrà te impugnauisse tot argumentis veritatem illã,
quæ est secunda assertio nostra; frustra teipsum vexasse, vt ostenderes nullam veri nominis
congregationem fuisse per Angliam. Frustrà, inquam, quia ex his principijs ita fortiter sci-
licet concatenatis apertè sequitur, fuisse olim in Anglia à tempore S. Dunstani congregatio-
nem Benedictinorum. Certo certius esse, toto corpore annuis: sed Cluniacensem; pag 94.
245. Tam antiquam igitur censes apud Anglos Cluniacensis congregationis memoriam?
antiquissimam, iam enim (inquis p. 117.) a 900. annis in Angliam fuit introducta; forsitan er-
rauit Typographus vel Amanuensis tuus, & ab anno Christi 900. voluit scribere. Quid ergo
per breue Pontificium nobis concessum confirmauit Pontifex Paulus? Sane, inquit pag. 81.
243. 244. aut nullam omnino Congregationem confirmauit, aut solam Cluniacensem. Er-
go, quantum auguror, affirmabis ius ad omnia prædicta nationis nostræ monasteria semper
remansisse penes Superiores Gallofrancos: sic tu non dubitas dicere pag. 162. 163. 194.
& quæcunque Abbatiæ per Angliam iam inde à Dunstani temporibus speciem aliquam
Congregationis prę se tulere, ea omnia pari modo ad Cluniacensem iurisdictionem spectas-
se arbitraris? arbitraris profecto pag. 86. Næ tu valde faues Gallis homo Anglus, qui illis
tantum imperium in monachos Anglos permittis, quantum nunquam habuere in Gallos
suos: apud quos non inuenio subiectos Cluniaco vltrà octo vel paulo plures Abbates, cum tu
apud Anglos inuenias, illis subditos fuisse quadraginta octo Abbates, omnes nimirum, quos

Dunstanus, Oswaldus, Ethelwoldus, Cluniacenses te somniante monachi, Edgaro instaurante formauerunt moribus & disciplinis: idque eo ipso tempore, quo sanctus Odo vixit, hoc est, vt mitissimè dicamus, eo ipso tempore quo nondum fuit aliqua congregatio Cluniacēsis in Gallia, aut in ipso Cluniaco, iam fuit amplissima & numerosissima in Anglia. Non mirum igitur est, si D. Sigebertum Buclæum incuses quod nullo iuris colore seruato, congregationem nouam in Anglia voluerit erigere inconsulto penitus Abbate Cluniacensi. Malum me hercle hominem oportuit fuisse hūc Sigebertum qui tanta antiquitate Cluniacensium neglecta, recentius aliquod corpus erexerit. Sed miror etiam cur illud oblitus fueris ex præclaro principio tuo inferre; Vigintiquinque Barones Parlamentares ordinis nostri in Anglia, qui ius suffragij in regalibus comitijs habuere: fuisse etiam eodē iure congregationis Cluniacensis, & ab Abbate Cluniacensi ad ea comitia destinari solitos? Imò cur non intulisti, etiam Reges Angliæ, qui solebant esse comprofessi capituli S. Albani fuisse monachos Cluniacenses? Quam multa sunt à te omissa, quæ æquè dilucidè poteras ex similibus inferre principijs? Ecce igitur, lector beneuole, verum inuentum, quod dicebat philosophus, paruus error à principio, in fine fit maximus. Ex principio falso de monachatu Floriaco-Cluniacensi S. Dunstani sanctique Oswaldi orta est omnis hæc fundi nostri calamitas; & in captiuitatem abducta tota congregatio Anglica cum omnibus Abbatijs suis in terram non suā, in terram alienam deportata, aut certe ditioni alienigenarum subiecta.

Sed facile asseremus illam cum omnibus monasterijs monachisque suis in libertatem pristinam, & omnes hasce læuis armaturæ copias ab aduersario immissas sola veritatis luce irradiante dissipabimus. Teretismata enim mera sunt, & somnia quæ sibi finxit aduersarius, quæ solum auctoritatibus à seipso contemptis Pitsij, Posseuini, & Wionis; ex locis male intellectis Ingulphi; ex ignorantia crassa historiarum Anglicarum in rebus gestis S. Dunstani, sanctique Lanfranci comprobare connisus est infelicissimè, vt statim manifestum faciemus.

Ad authoritatem igitur Arnoldi, Pitsij, & Posseuini in argumentis istis productam, possumus primo ad hominem, nempe aduersarium ipsum, respondere: testes illos non esse dignos fide, quos ipse qui eos suscitauit, vanitatis, & infidelitatis arguit; contrà quos vt fabulosos, & sensus communis impotes, ipse qui eos allegat, expressis & vehementibus verbis excipit. Tales sunt aduersario nostro Arnoldus, Pitsius, Posseuinus. Dic quæso nobis Trophæorum euersor maxime, qualis testis est Arnoldus Wion? *Scriptor fabulosus.* Sic enim ais pagina 58. tui libelli; *pro audaci & temerario asserto confirmando solum allegat Arnoldum Wion nouum, & hac in re fabulosum scriptorem.* Forte quia hac in re fabulosus fuit, non meretur vlteriorem censuram, Imo Arnoldus Wion *author est fabulosissimus*, qui non solum *in Anglia Congregationem Geribennæ sed & in Gallia Congregationem S. Mauri, in Sicilia Congregationem S. Placidi, sine authore, siue teste, dic aut consule docet, quod ingens in historico vitium est* pag. 55. Agnoscis tua verba, quibus illo egregio epitheto prolusisti de Trophæario loquens, *ex imitatione Arnoldi Wion authoris fabulosissimi.* Est ne ergo tam vanus author Arnoldus Wion? sane est, nam pag. 139. sic ais, *Non hoc vlla antiqua inscriptio docet, sed vana collectio Wionis: qui vbi legisset forsan alibi fuisse in Anglia Congregationis Genbennicæ monachos, seu potius id somniasset &c.* Quid hoc? non tantum vanus est, sed etiam somniator? Imo, *vt intelligat author* (trophæarium intelligis, vel forte lectorem, non authorem voluisti appellare) *quam turpiter hallucinari solet Wiō vnum pro multis indicium proferam*: verba deinde citas, *in quibus verbis tres crassissimæ falsitates continentur.* Forte non erat sui compos, cum ista verba Wyon perscripsit. Tu sane toto capite annuis, pag. 141. de eo sic loqueris: *Harum rerum exactam cognitionem Wyon hausisset à Wigorniensi, quem sæpe citat, si Hellebero sumpto prius legisset.* Hunc ergo testem fabulosum, fabulosissimum, vanum, somniatorem, crassissimum erronem, helleboro purgandum tuo iudicio conuictum, putas bona fide, apud quenquam fidem facere? Quia te per tuam fidem coniurauimus, haud dubium quin ex animo respondebis, id quod de eo pagina 55. scriptum reliquisti, *Arnoldus Wyon penes me fidem non facit.* At fortasse Pitsius, & Posseuinus viri graues, viri eruditi, fidem penes te facient: nam & illos etiam laudas testes. Quales ergo testes sunt Pitsius & Posseuinus? *Congregationem omnium primam fuisse Cluniacensem asserunt omnes, excepto Arnoldo Wyon, (& eum sequutis sine delectu & maturo iudicio Posseuino & Pitsio) qui fabulatur multa de Congregatione Italica, Gallica, Sicula, Geribennica.* Sane non valde assiduos laudas tēstes quando sine delectu loquantur, & sine maturo iudicio; stultos & temerarios testes esse oportet. Quidni, inquis? quia non examinant, quæ ex alijs proferunt: pag. 138. *At ex Wyone, quem in vsurpatione nominis Congregationis illius ficta Pitsius & Posseuinus ex fide ipsius, sine vlteriori rei examine secuti sunt.* Parū certe soliciti de veritate rei testes, quā ex fabulosissimi scriptoris fide sine vltiori examine affirmant. Quod si tales tibi videntur hi testes, illustrissi-

De authoritate Pitsij, Wionis, & Posseuini.

ſtriſſime trophæorum euerſor, quales tua confeſſione, tua exceptione nobis iam ſunt depi-
cti: næ tu eos contra nos nunquam produxiſſes, ſi prius Helleboro caput purgaſſes; Sic i-
gitur accipe: ſi penes te non faciunt fidem teſtes hi: *fabuloſi, vani, ſomniatores, ſine iudicij ma-
turitate, ſine veritatis ſolicitudine*: Multo minus apud nos fidem debent mereri, qui nullius il-
lorum authoritate vtimur, aut vſi ſumus, quum tu tamen eos contra nos producas. Poſſu-
mus etiam addere de Pitſio peculiariter, tantum hic valere authoritatem eius, quantum in
eo quod pag. 864. appendicis quæ de quodam monacho Congregationis Hiſpanicæ aſſerit,
quem facit illo iam tempore authorem quorundam librorum & tranſlationum, quæ nec le-
gerat, nec viderat, nec niſi ipſius monachi relatu audiuerat. Hæc, & hoc modo poſſemus
reſpondere, ſi aut liceret, aut liberet nobis viros de eccleſia, de ordine noſtro, de gente no-
ſtra optime meritos ſuperbe, & arroganter tuo exemplo traducere. Sed nos eos, quamuis in
aliquibus lapſi ſint vt homines; & in rebus monaſticis & Anglicis errauerint aliquando vt-
pote alterius inſtituti, aut certe alterius nationis: tamen eorum doctrinam & labores, reue-
rentia debita excipientes, ita ad eorum reſpondebimus teſtimonia, vt nec illis ſua pereat au-
thoritas, nec cauſæ noſtræ noceat.

Ac primum liberabimus eos à tuis accuſationibus. Quod Wyonem ſcriptorem fabulo-
ſiſſimum, vanum, ſomniatorem, Helleboro dignum hallucinatorem voces: facis ſane tuo
more vt viris bonis & doctis turpiter, & irreligioſe maledicas: vnde te cenſura apoſtoli no-
ueris compræhendi, qua dicitur vanam eſſe illius religionem, qui linguam ſuam non refræ-
nat, quantumuis ſe religioſum exiſtimet. Exemplum autem, quo probas ipſum in paucis
verbis tres craſſiſſimas aſſeruiſſe falſitates, probat te perturbati animi caligine fuiſſe circum-
datum, quando ea ſcripſeras. Audiamus verba Wyonis. *Wirimudæ in Anglia S. Benedicti primi
Abbatis cœnobij ſanctorum Petri & Pauli, Londini.* Audiamus tuam de his verbis cenſuram: *In
quibus verbis tres craßißimæ falſitates continentur. Prima eſt, quod duo monaſteria, quorum vnum erat
dicatum S. Petro alterum S. Paulo, faciat vnum cænobium dicatum S. Petro & Paulo; Secunda eſt,
quod monaſterium tum Petri tum Pauli, quod eſt duplex, ſitum in locis dißitis, quorum vnum eſt ad
flumen Vedæ, ſiue Wiræ, alterum ad oſtium Thinæ ponat in vno loco ad flumen Wiræ, quod ex i-
mitatione vocabuli Anglici Wirmouth, vocat Wiremudam. Tertia eſt, quod vtrumque monaſterium ſi-
tum in regni Northumbriæ extremitate, ponat Londini.* Videamus nunc vter craſſius erret, Tu
homo Anglus, qui in rebus tuæ gẽtis hic cẽſurandis erras, an ille homo Belga, qui in vno ſolũ
Londini nomine peccauit. Illud enim ſi tollatur, nullã omnino continent illa verba falſitatẽ.

Defẽditur Arnoldus Vvyon.

Quod enim ad primam, accuſationem ſpectat, illo modo loquendi ipſemet venerabilis
Beda vtitur, duo illa monaſteria vnum ſæpius appellans: ad finem enim hiſtoriæ ſuæ, ſe pre-
ſbyterũ monaſterij beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quod eſt ad Wirimudam, & Ingir-
uium, vocat, cunctumque ſe vitæ ſuæ tempus ab anno ætatis ſeptimo in eiuſdem monaſterij
habitatione peregiſſe, hiſtoriam Abbatum monaſterij huius ſcripſiſſe tradit. In hiſtoria au-
tem prædictorum Abbatum, S. Ceolfridum S. Benedicto defuncto, *vtrique monaſterio, vel ſi-
cut rectius dicere poſſumus* (verba ipſius ſunt) *in duobus locis poſito vni monaſterio beatorum Apo-
ſtolorum Petri & Pauli viginti annis ſolerti regimine præfuiſſe* memorat. Cum igitur venerabilis
Beda dicat illa duo monaſteria, quamuis duobus in locis poſita, *rectius tamen vnum vocari* de-
bere monaſterium, ideoque vnum monaſterium ſemper vocet: non errauit Wion, qui cum
venerabili Beda loquitur; ſed aduerſarius craſſiſſimum errorem admiſit, qui de rebus ſibi in-
compertis tam audacter pronunciat. Secunda etiam accuſatio, eſt aduerſarij tantum aſſertio:
nec enim Wyon ambo hæc vnius cænobij membra eodem in loco ad flumen Wiræ ponit; ſed
plane & ſimpliciter illud tantum dicit, *Wiremudæ* (quod verbum non formauit Wyon, ſed
longe ante ipſum Beda vſurpauit) *in Anglia*, S. *Benedicti Abbatis cœnobij ſanctorum Petri &
Pauli*; quibus in verbis, non dicit illud monaſterium vtrumque ad wiram poſitum fuiſſe, ſed
B. Benedictum Wiremudæ obijſſe, ibique ſanctitatis nomine cultum, & monaſterij ſancto-
rum Petri & Pauli Abbatem extitiſſe, quæ omnia veriſſima ſunt, & ex venerabili Beda de-
ſumpta. Vides itaque benigne lector quis ſit magis accuſandus, Arnoldus ne Wyon, qui in
hoc loco ſemel errauit, exiſtimans Londini fuiſſe hoc monaſterium, quod reuera longe di-
ſtabat à Londino, nempe in Northũbriæ finibus ſitum, quod non fuit valde mirum in homi-
ne externo: an ipſe aduerſarius, qui cum Wyonem trium errorum accuſet, primum poſuit,
in quo ipſum Bedã Wyon authorem habuit; alterum ipſe Wyoni impoſuit, qui in verbis eius
omnino non continetur. Sed ſi deberent omnia falſo & contradictoriè dicta ab hoc aduer-
ſario, in hoc paruo libello numerari: inuenientur ſanè multo plura, quam quæcunque in
magno illo volumine Wyon admiſerit, in quo de omnium pene gentium cœnobijs agit.

Quare autem aſſerit aduerſarius Pitſium & Poſſeuinum, ſine iudicio, & ſine delectu, ſine

examine Wioné sequutos vbi vero asserūt illi, se solū Wioné authoré habere? sane Pitsius in plærisque authoré sequitur Lelandū, cuius libri nō extāt impressi, sed tantū manuscripti; de quibus propterea nō possumus aliquid certi affirmare: est tamé probabile ex ipso potius Lelando Pitsium desumpsisse, homine scilicet Anglo, & rerum Anglicarum peritissimo; quam ex Arnoldo. Et sane non potest negari, grauissimos fuisse viros Pitsium & Posseuinum, vt apparet ex eruditis eorum laboribus: qui si Wyonem legerint, & ex eo, quæ scribūt, hausērint; sobrij ingenij fuisset existimare potius, ipsos maturo iudicio & examine probasse, quæ inde sumpserunt, quam sine iudicio aut delectu, quicquid in quolibet scriptore occurrisset, in sua scripta transtulisse. Apud Arnoldum sine dubio hæc verba legerant: *Hæc (aggregatio) quamuis ex corrupto loquendi more ab historicis Congregatio Geribennæ vocatur; Ingerulanam tamē, siue Ingeruiensem debere dici, ex scriptoribus Anglicis, & maximé ex S. Beda Venerabili qui eius Congregationis fuit alumnus sub præfato S. Benedicto Abbate, edocemur. Vsitatum tamen Geribennæ appellationem retinuimus & nos, ne nouitate gaudere videamur.* Poterunt ergo iudicare, Wyoné nō à seipso hoc nomen, hanc Congregationem, hos historicos finxisse, qui nusquam extitissent: sed reuera ea omnia in prioribus authoribus, siue impressis, siue manuscriptis inuenisse. Quæ enim vtilitas illum ad hæc fingenda compelleret? an vt nobis faueret? Atqui cum ista anno Christi 1595. Wyon imprimeret nullus de Congregatione Angliæ instauranda adhuc cogitauerat. Et hæc pro nostra modestia & in viros doctos reuerentia diximus, vt Wyonem, Pitsiū, & Posseuinum ab aduersarij petulanti censura vindicaremus. Defēdūtur Pitsius & Posseuinus.

Nunc ne eorum authoritas defensa nobis sit præiudicio, ad eorum hac in re testimoniū respondemus, ipsos pro eodem habuisse monachos Cluniacenses, & monachos nigros reformatè viuentes: non quasi hi reuera Cluniacenses forent, sed partim quia Cluniacensem ordinem eundem cum nigro S. Benedicti existimarunt, partim quia Cluniacensium exemplo excitatos putarint reliquos nigros vel ad eandem, vel parem disciplinam in suis cœnobijs suscipiendam. Vsi sunt ergo honoris causa hac appellatione; nec tamen inde sequitur putasse reuera Cluniaco subiectos. Iam enim antea ex Trithemio docuimus, permultas Abbatias a monachis Bursfeldensibus disciplinam suscepisse quorum tamen regimina, siue subiectioné suscipere noluerunt. Et in Gallia quis nescit valde insignes Abbatias Fontisebraldensis Abbatiæ obseruantiam admisisse non tamen obedientiam? Nam Calense S. Batildis, Rhemense S. Petri monasterium, illam obseruantiam habuit, nec tamen Fontis Ebraldi Abbatissæ subiecta sunt, aut fuerunt: ideoque cum omnia cœnobia Fontis Ebraldi Abbatiæ subiecta (quę adhuc sunt quinquaginta fere monasteria, eaque Sanctimonialium numero & pietate celeberrima) regantur per Priorissas; ista, quæ diximus ei non esse subiecta, suas habent Abbatissas, venerabili Abbatissæ Fontis Ebraldi in nullo subiectas. Talia fuere etiam comparatione Cluniacensium multa alia monasteria, quæ ab illis independentia, obseruantiam tamen eorum sunt æmulata; quę quia habitu & disciplina parum, regulæ vero authoritate nihil omnino differebant, Pitsius & Posseuinus eiusdem nominis communione iunxerunt, parum soliciti de hac controuersia, cum non fuerit illis aliud propositū, quam vt docerent, eos, quos Cluniacenses vocarunt, fuisse habitus nigri, & non Cælestinos, aut Cistercienses, aut Camaldulenses, similesue eiusdem regulæ professores, qui habitus rituúque dissimilitudine plus a se inuicem, & a nigris differunt, quam nigri a Cluniacensibus. Vvionis Pitsij, & Posseuini sententia benignè exponitur.

Iam quemadmodum Pitsius, & Posseuinus ex hac conuenientia habitus, & obseruantiæ lapsi sunt in errorem, vt pro eodem prorsus in multis habuerint, esse Cluniacensem monachum, aut ordinis nigrorum Sancti Benedicti; ita quidam alij viri docti in alio extremo erroris versati sunt, quando Cluniacenses, propter distinctionem quam in eis agnouerunt esse ab ordine nigrorū, nullo modo Benedictinos esse existimarunt. In his est Ioannes Azorius Institutionum moralium parte secunda, lib. 5. cap. 43. vbi postquam Trithemium introduxisset octodecim Pontifices summos ex ordine S. Benedicti enumerantem: hæc subiecit: *Sed certe Trithemius confuse Pontifices numerauit ex ordine S. Benedicti assumptos: Nam Gregorius septimus, Vrbanus secundus, Paschalis secundus, Vrbanus quintus, fuerunt Cluniacenses Monachi; Anastasius quartus, & Adrianus quartus, fuerunt Canonici regulares, non Benedictini* Cum ergo hos exemisset è numero Pontificum Benedictinorum, & alios septem a Trithemio omissos, subiecisset, & aliquos Pontifices de ordine Canonicorum regularium assumptos enumerasset, iterum subijcit: *Ex ordine Cluniacensium quatuor fuere Pontifices Romani, Gregorius 7. Vrbanus 2. Paschalis 2. Vrbanus 5. Ex ordine Cistercienſium duo, Eugenius 3. & Benedictus 12.* Et paulo post: *Ex Eremita factus est sūmus Pōtifex Petrus cognomento de Morono, qui dictus est Cælestinus 5. author eorū qui dicuntur Cælestini, militantes sub regula S. Benedicti.* Dicimus Azorium in his labi; & tanquam ad pauca respicientem (secundū philosophorum regulam) errare, cum reprehēdit Tri-

 themium,

themium, quod Pontifices ex Cluniacensium ordine assumptos, inter Benedictinos enumerasset; Nam Trithemius aperte omnes vocat Benedictinos, appellatione generica (vt indicauimus in fundamentis huius concertationis) omnes quotquot regulam S. Benedicti professi fuerunt; alioqui non ignorauit eos fuisse ex Congreg. seu ordine Cluniacensium; Nam cum Põtifices Benedictinos enumeramus, aut Sanctos ordinis Benedictini, eosque immenso pene numero esse in Domino gloriamur: non sumimus ordinem S. Benedicti in specie, pro monachis nigris, vt ab alijs ordinibus eandem regulam profitentibus distinguuntur, sed pro generico ordine (vt dixi) complectente sub se Cluniacenses, Camaldulenses, Fontisauellanenses S. Damiani, Oliuetanos, Vallisumbrosæ, Cisterrienses, Grandemontenses, Fontisebraldenses, Gulielmitas, Syluestrinos, Cælestinos, & si qui sunt alij qui regulam S. Benedicti profitentur. Itaque non respexit Azorius ad argumentum & scopum Trithemij, qui non erat viros illustres ordinis Benedictini, prout a numeratis eius ramis ac surculis differt, recensere; sed omnes quotquot ad regulam S. Benedicti pertinuerunt, vt ipsum legenti clarũ est. Præterea confusè valde idem Azorius Petrum de Morono Eremitam nominat, ac si Augustinianũ forte existimasset, cum Onuphrius Panuinus Eremita Augustinianus, & sui ordinis statum ac historias apprimè doctus, in libro de Pontificibus Romanis expresse & clarè, vt debuit fidelis historicus, ipsum faciat, *Professione Monachum seu Anachoretam ordinis S. Damiani Regulæ Sancti Benedicti*; verba enim eius cito; qui etiam, Augustinianæ gloriæ non tantopere fauit, vt contrà veritatem, (quam homo in historijs penè omnibus, & maxime Archiuijs Romanæ Ecclesiæ versatissimus ignorare non potuit) Anastasium quartum, & Adrianum quartũ nobis ereptũ regulę suæ insereret: nã in Anastasio 4. ait ipsum fuisse, *Patria Romanum de regione Saburræ, ex patre Benedicto, monachum ordinis S. Benedicti, Abbatem S. Rufi Veliternæ diœceseos.* Et in Adriano quarto, qui superiori successit, ait, eum ante fuisse, *Nicolaum de Malmesburia, ex oppido S. Albani Anglicum, monachum ordinis S. Benedicti, Abbatem monasterij S. Rufi prope Valentiam in Gallijs.* Et paulo ante cum Cardinales ab Eugenio 3. Creatos enumerauit, hunc ita recenset; *F. Nicolaus de Malmesburia Bathoniensis Diœcesis Anglicus, Monachus, Abbas S. Rufi propè Valentiam Ordinis Cistertiensis, Episcopus Card. Ostiensis.* Viderit ergo Azorius, quo iure alios imperitiores sequutus, istos Augustinianis inseruerit, quos eruditissimus eorum historicus in opere maximè elaborato, & ex archiuis Ecclesiæ Romanæ maxima ex parte scripto, Benedictinis monachis clarissimè accenset. Scio, esse aliquos, qui Abbatiam S. Rufi Canonicorum regularium faciant: Sed omnino contra fidem historiæ, vt vel ex hoc solo patet, quod hic Adrianus. 4. iam Abbas fuerat S. Rufi, antequam Eugenius 3. ad Pontificatum assumptus fuisset, qui ipsum in Cardinalium numerum cooptauit: superiores autem Canonicorum regularium, vel consentientibus ipsorum historicis, vsque ad huius Pontificis Eugenij 3. tempora Præpositi, non Abbates vocabantur; Eugenius vero 3. concessit ipsis priuilegium, (vt refert D. Seruatius Laruail 5. Opticę Regularium specul. 18,) vt Prælati ordinis ipsorum in Abbates benedicerentur. Hoc optimè nouerat Onuphrius, eo nempe tempore Canonicorum regularium prælatos nondum fuisse Abbatum titulo insignitos: nec vnquam venire Canonicum regularem appellatione monachi; ideoque quod vidit, asseruit, & istos duos Pontifices, quia monachi fuerunt & Abbates, & sub regula S. Benedicti, Benedictinis monachis associauit. Hæc diximus, non vt sugillaremus eruditi Patris Azorij auctoritatem in rebus alijs, sed vt intelligat lector, quam facile labi soleant in rebus monasticis, illi qui nunquam monachi fuerunt: qui plerumque coniecturas aliorum potius sequi malunt, quam religiosis ipsis de ordine suo sibi optimè perspecto scribentibus fidem adhibere. Sicut & hic bonus Pater, tantum tribuit eodem in loco authoritati Cardinalis Barronij, contrà cõmunem receptamque (vt fatetur Azorius) opinionem, Gregorium magnum fictitio ordini S. Equitij ascribentis, vt etiam ipsius Baronij apertum errorem transcripserit, & cum eo Pretiosum monasterij Sauluercanis Præpositum, seu Priorem loco tertij Abbatis recensuerit. De quo anteà dixeramus in tractatu primo. Sed voluimus hic repetere: quia cum videamus æmulatione magni ordinis ductos, Barronianam opinionem, etsi clarissimè a nostris confutatam, pertinaciter tamen tueri; decet nos veritatis zelo æquè constanter eosdem erroris sui commonefacere.

Interim tamen hoc debemus R. P. Azorio, quod apertè insinuet, se, & omnes doctos cũ illo, quando specificè, & presse loqui volunt, ordinem Cluniacensem non minus distinguere ab ordine Benedictinorum in specie sic appellati, quam ordinem Cistercienslum, aut Cælestinorum. Sic igitur ostensum satis manet authores qui monachi non fuerunt, non satis distinctè & intelligenter loqui aut scribere, de differentijs intrà diuersas Congregationes & ordines sub vna eademque regula militantes: At nos, qui eiusdem regulæ professores existimus,

mus, alio modo loquimur; & ,vt par est de rebus nostris loquentes, accuratius; ideoque non inuenit aduersarius *vllum monachum antiquum*, qui in suis scriptis, aut historijs, hanc S. Albani, aut vllam aliam totius Angliæ Abbatiam, Cluniacensem fuisse diceret.

De sententia Ingulphi Abbatis Crovvlādēsis.

Ad Ingulphi auctoritatem vt respondeamus, primò sciat lector, in tota illa historia Crowlandensi ipsum ne semel quidam Cluniacensis ordinis, monasterij, aut disciplinæ meminisse quod certe semel saltem, fecisset, si ex Cluniacensi familia fuisset: coniecturam tantum Trophæarij nostri non malam aduersarius in suam sententiam valde improbabiliter retorsit. Verba Ingulphi, vnde vterque suam coniecturam extruxit primò ponemus, deinde ad veritatis normam tam amici, quam aduersarij coniecturam examinabimus. *Inueni in isto monasterio* (inquit Ingulpus de Crowlandia) *cui authore Deo deseruio, monachos numerò 62. quorum 4. fratres laici erant: præter aliorum monasteriorum monachos nostri Capituli comprofessos; qui omnes, cum aduenirent, stallum in choro, sedem in refectorio, & lectum in dormitorio habebant, & hi numerum centenarium transcenderunt. Quando volebant, quidam post dimidium annum, quidam post annum, ad propria monasteria remeabant: maxime in tempore Guerrarum, minimoque pacis turbine personante, tanquam apes ad aluearia pluuia imminente, ita vndique in Crowlandiam confluebant. Fuerunt enim tunc nostri comprofeßi, de Thorney decem; De Burgo sex; De Ramsey 8. De Hely 3. de S. Edmundo 9. de S. Albano 12. de Westmonasterio 10. de S. Andræa Northamtoniæ 2. Ecclesiæ Christi Norwici 14 de Thetford 15. de Couentria 7. Sanctæ Mariæ extra Eboracum 6. Sanctæ Mariæ Stowiæ 10. de Michelneia 6. & de Malmesburia 5. præter aduentantes quotidie, & semper aliquos nobiscum commorantes: qui visa loci securitate, & fratrum Crowlandensium mutua charitate, nostro collegio adunari deuotißime supplicabant. Vrbanitas innata monasterio ab antiquo, rarò vel nunquam aliquem pulsantem repellebat.* Et propterea paulo superius dixerat prouerbij loco apud Anglos iactatum, *Crowland courtesie, Vrbanitas Croylandensis.* Ex his Ingulphi verbis Trophęarius noster putauit aliquam Congregationem colligi posse, quę cū non esset subdita vltramarinæ ecclesiæ, fuerit vocanda Congregatio Angliæ; Et quidem, quamuis (vt statim dicemus) vox illa *comprofeßionis*, non significet id, quod trophæarius & aduersarius eius ac noster voluerunt; tamen ex modo potest colligi non male aliqua conuenientia in habitu, & ceręmonijs, atque etiam legibus: quia vix est ςredibile, monachos tot monasteriorum, in hac Abbatia locum in choro, & refectorio & dormitorio habuisse, nisi habitu, legibus, & ceræmonijs conuenissent, & superiores ipsarum Abbatiarum aliquibus vinculis societatis fuissent vniti: quæ vnio sufficeret ad Congregationem talem constituendam, qualem Trophæarium, intellexisse superius est ostensum. Verum quia nos hic de Congregatione magis propriè strictèque sumpta disputamus, quam hinc aduersarius etiam deduci posse existimat eamque Cluniacensem; docebimus nullo modo posse ex hoc loco tale quid deduci.

Cauillus aduersarij.

Primo autem animaduertenda hic est aduersarij ironia, atque cauillatio: qui cum reuera perspiceret, nihil ex his verbis solide posse inferri, noluit ipse eam illationem tanquā à se factam ponere, sed tanquam à trophæario deductam & admissam assumere; vt siquis nollet illam consequentiam examinare, tunc admittere deberet, quæcunque ipse eidem illationi superædificaret commenta; siquis vero oculatior illam discuteret & reijceret illationem; ea *asyllogistia* imputaretur non aduersario, sed trophæario. Et tamen per totum librum aduersarius supponit hanc probationem, tanquam pręcipuum fundamentum improbabilis doctrinæ suæ, nec alio modo probat, quam confessione trophæarij, & monachatu Floriacensi S. Dunstani. Age igitur primò omnium, disputādi causa, cōcedamus Trophęarij sententiam; nimirum ex hoc loco Ingulphi constare, aliquam fuisse Congregationem horum monasteriorum; quod quia aduersarius etiam non grauatè admittit, accipiamus etiam tanquam ipsius sententiam: ex ea autem non solum non sequitur, quod aduersarius infert, istam Congregationem fuisse Cluniacensem; verum aperte inferri debet, non fuisse Cluniacensem, ac proinde etiam ex concessis ab aduersario principijs, debere vocari Congregationem Angliæ, quia, præter Cluniacensem, nullam aliam intra Angliam tunc temporis aduersarius admittit.

Scriptū Ingulphi antiquius Cluniacēsiū aduentu in Angliam.

Hoc iam facile nobis est monstrare ex principijs antea demonstratis: Nam quo tempore Ingulphus ista scribebat, nullum fuit adhuc Cluniacensis ordinis in Anglia monasterium: vt probauimus euidenter in 3. conclusione nostra ex confessione S. Hugonis primi Abbatis Cluniacensis, & ex instrumento fundationis S Pancratij, factæ à Gulielmo Comite Warrennæ genero Cōquæstoris, qui se primū omnium Cluniacenses in Angliā introduxisse in Domino gloriatur. Facilis ergo & dilucida est hinc probatio; Congregatio siqua fuerit cui incorporabantur monasteria, ab Ingulpho recensita, præcessit aduentum Cluniacensium in Angliam, primamque ipsorum in ea fundationem: non fuit igitur Cluniacensis Congregatio: & cum nulla alia intrà Angliam tunc fuerit Congregatio, ista, quæ apud Ingulphum insinuatur fuit

Congregatio Anglicana. Probamus hoc antecedens euidenter quia Ingulphus ista scripsit anno 1070. vt dicit aduersarius, aut 1076 vt habet nostra Ingulphi editio: Epistola autem S. Hugonis qua negat se monachos suos ad Regem Guilelmum tuta conscientia posse destinare propterea quod nullum extaret ordinis sui in regno Angliæ monasterium; scripta fuit (vt ex ipsa vita S. Hugonis apparet) postquam Guilelmus iam Angliæ regnum inuaserat, & vt ipse fatetur, ante fundationem S. Pancratij, & Bermondseiæ, ad quos prioratus missi sunt Cluniacenses, cessante iam ob eorum fundationem, ratione, quam obiecerat S. Hugo. Prioratus autem S. Pancratij, fundatus est à Comite Warennæ, anno 1078. Bermondseiæ autem ab Aldelmo Londinensi, anno 1090. quare euidenter patet, adunationem illam, comprofessione indicatam apud Ingulphum, præcessisse Cluniacensium aduentum in Angliam. Cęterum reuera nomen illud, *comprofessionis* non significat aliquā strictæ & propriè acceptionis Congregationē, sed tantùm *confraternitatem quandam gratiosam*, qualē in quinto fundamento quæstionis istius produximus inter Cassinenses & Floriacenses; inter Cassinenses etiam & monachos Casalis Benedicti; imò inter monachos, & Reges, ac reginas sæculi: soletque alias appellari, *beneficium fraternitatis, aut sororitatis, siue charta confraternitatis.* Et quæcunque hic apud Ingulphum leguntur concessa monachis tot monasteriorum à Crowlandensibus; eadem conceduntur in scripto Cassinensium ad Floriacenses, & Casalis Benedicti monachos; & à monachis Ecclesiæ Christi Cantuariæ monachis S. Bertini Audomaropolitani eo tempore, quo certum est ipsos Bertinianos non fuisse iuris Cluniacensium. Sicut igitur ex illis non licet inferre Cassinensium & Floriacensium & Casalis Benedicti eandem fuisse Congregationem: ita nec ex istis ab Ingulpho relatis concessionibus potest inferri Congregationis subsistentia. Præterea, si *comprofessio* significaret monasteriorum istorum incorporationem in vnam & eandem Congregationem, certe non competeret comprofessio petentibus eam ex gratia; sed ex debito, & ex ipsa rei natura: non enim deberet postulari precibus a Crowlandensi Abbatia, sed supponi iam facta, seu concessa ex ipsa incorporatione; quicumque enim eiusdem sunt Congregationis, quotiescumque cum superiorum suorum licentia ad quoduis suæ Congregationis cœnobium accesserint, habent in eo stallū in choro, sedem in refectorio. & lectū in dormitorio; nec ea in re fit illi gratia specialis, magis quam cuiuis professo cœnobij illius. Ingulphus autē loquitur de *cōprofessione gratiose concessa.* Ad hæc *comprofessio*, sumpta pro professione propriè dicta sub eodem Capitulo Generali, eademque Congregatione, non conuenit aliquibus tantum monachis alicuius monasterij incorporati, sed omnibus omnino monasterij illius professis. Atqui comprofessio, de qua loquitur Ingulphus, competebat duobus tantum monachis S. Andrææ Northamtoniæ, cuius tamen dubio procul plures fuere monachi professi, quàm duo; competebat etiam sex tantum monachis Burgi, quod tamen monasterium ob magnitudinem, *Burgi* hoc est, oppidi seu castri nomen obtinuit, habuitque longe plures monachos, qui non erant Crowlandici Capituli comprofessi; atque ita de alijs monasterijs ab Ingulpho nominatis licebit cuiuis arguere. Quare cum vera incorporatio sub aliqua Congregatione, conueniat æqualiter omnibus cœnobijs in eadem comprehensis: hæc autem comprofessio apud Ingulphum inæqualiter conuenerit monasterijs enumeratis, puta tribus tantum monachis Eliensis cœnobij, octo dumtaxat monachis Ramseyensis, nouem monachis S. Edmundi, quatuordecim monachis Ecclesiæ Christi, quindecim monachis Thetfordiæ, duodecim monachis S. Albani, non autem omnibus monachis vllius monasterij nominati; euidenter apparet, comprofessionem non significare, nec habere secum ex vi suæ coniunctam veræ propriæque Congregationis societatem siue incorporationem. Causa etiam ipsa, quam assignat Ingulphus huius comprofessionis, idipsum probat: nempe *securitas loci tempore hostilium incursionum*, cum esset insula in medio latissimarum paludum accessu imperuia; quo propterea non soli monachi sed (vt ibi scribit Ingulphus etiam omnes villici cœnobij cum familijs suis, a barbarorum inuasionibus confugiebant; & monasterij charitate interim refocillabantur. Quę sane iustissima causa potuit esse gratiosæ comprofessionis, vt haberent confratres certi perfugium: non solet autem vnquam esse causa incorporationis in Congregationem, quæ fit propter regularis obseruantiæ custodiam, & non propter temporalis perfugij securitatem. Sed quid opus est pluribus? Idem est apud Ingulphum, postulare vt quis collegio Crowlandensi adunaretur, quod esse Capituli illius comprofessum, vt patet ex vltimis Ingulphi verbis suprà relatis: nō fuit igitur comprofessionis beneficium debitum, ratione incorporationis, in Congregationem, sed gratiosum ratione Crowlandensium vrbanitatis & charitatis, à quibus hoc beneficium, (ait Ingulphus,) deuotissimè postulabatur.

Quid significet Ingulphus vocabulo comprofessionis.

Iam arguamus vlterius & nos ex isto loco Ingulphi contrà aduersarium. Aut illa tantum

Angliæ monasteria, quæ hic recensentur ab Ingulpho, fuere Cluniacensis Congregationis; aut præter illa, fuere etiam alia monasteria Angliæ, Cluniaco subiecta. Primum horum non admittet aduersarius, quia Glastoniensis, Augustinensis, Euishamensis, aliæque æquè antiquæ Abbatiæ, quæ tempore Ingulphi floruerunt, in hoc numero non continentur, quas tamẽ aduersarius, contendit passim fuisse Cluniacenses. Debet igitur secundum concedere: atque ita nihil valebit hic locus ad Cluniacensem Congregationem inferendam. Certũ est enim ex Ingulphi verbis, ipsum omnes omnium monasteriorum monachos cõputasse, qui essent vel ex pacto gratioso, vel ex societate quacũque, sui Capituli Comprofessi. Vnde cõsequens est, vt hæc enumeratio comprofessorum, non magis pertineat ad Cluniacenses, (cum enim ad omnes pertinuisset, omnes enim ad quos pertinuit, Ingulphus enumerauit) quam ad quamcumque aliam societatem, siue incorporationem. Imo ad nullam incorporationem propriè respexit Ingulphus, sed ad mutuam duntaxat aliquorum monasteriorum, pro aliquot monachis suis, non autem omnibus, cum occasio postularet, gratiosè suscipiendis, charitatem.

Ingulphi authoritas retorquetur in Aduersarium.

Videtur autem aduersarius non ex sola comprofessione argumentum sumere pro Cluniacensi causa; sed etiam ex eo, quòd inter monasteria ab Ingulpho enumerata inueniatur Prioratus Northamptonæ, & Thetfordiæ, quæ ex bullis Pontificijs, & catalogo Cluniacensis bibliothecę constat fuisse sine vlla ambiguitate reuera iuris Cluniacensis: atque adeo etiam cætera monasteria ibidem recensita, eodem loco fore habenda.

Sed est valde vitiosa collectio; Primo enim nihil probat, etiamsi admitteremus, (quod est tamen falsum; hęc duo monasteria, tunc fuisse iuris Cluniacensium, quando hæc scribebat Ingulphus. Nam hæc conprofessio, vt diximus, non dicit adunationem in vnam Congregationem, sed gratiosam duntaxat confraternitatem, qualem in fundamento quinto descripsimus. Et nihil refert ad hanc confraternitatem identitas (vt sic dicam) aut diuersitas Congregationum, cum non solum ab vno monasterio concedi soleat alijs monasterijs eiusdem Congregationis, aut ordinis, verum etiam inueniamus, & iam antea viderimus talem fuisse concessam à monasterijs habitus nigri, monachis ordinis Cistertiensis, vnde tamen non liceret deducere, monachos illos nigros & Cistertienses eiusdem fuisse incorporationis. Deinde falsum est quod supponitur ab aduersario; neque enim tunc temporis spectabat ad Cluniacenses Thetfordiæ, neque S. Andreæ Northamptoniæ monasterium. Non Thetfordiæ, quia Cluniacenses ibidem primo positi fuerant tempore Gulielmi Iunioris, quem nos Rufum vocamus: siquidem Heribertus (vt narrat Malmesburiensis de gestis Pontificum Anglorum lib. 2. cap. de Episcopis Orientalium Anglorum, in Heriberto) cum in iuuenili ætate primo Abbatiam Ramseyensem, deinde Episcopatum Thetfordiensem à Rege Gulielmo simoniacè emisset (Episcopus enim illius loci, Thetfordiæ scilicet, erat Abbas, & monachi sub eo erant canonici) arbitratus oppidum Thetfordiense nimis exiguum pro dignitate Episcopalis sedis, eam inde Nordouicum vnà cum monachis nigris, Canonicis videlicet suis transtulit ad Ecclesiam Christi, quam (cum iam diu antea monasterium fuisset) ita reparauit, & dotauit, vt de nouo illam construxisse dicatur, ibique iam posita sede Episcopatus, monachos etiam Canonicos suos esse in monasterio voluit, quos à simoniæ labe resipiscens summis beneficijs prosequutus est. Apud Thetfordiam vero, vnde priores monachos Nordouicum transtulit (inquit Malmesburiensis) *monachos Cluniacenses instituit, quod sint* (inquit) *illius* (Cluniacensis) *cœnobij monachi vbique gentium locupletes in sæculo, & splendidissimæ religionis in Deo.* Quare ante illud tempus monachi Thetfordiæ non fuerunt Cluniacenses, cum loco priorum monachorum, posuerit ibi primus Heribertus Cluniacenses; & Thetfordiam qui fuerat antea prioratus Cathedralis, fecit prioratum Cluniacensem, Nordouicum autẽ, quod antea simplex fuerat Abbatia, erexit in prioratum Cathedralem. Locus euidentissimus, quo probatur nec Thetfordenses, nec Nordouicenses fuisse Cluniacenses, antequam Heribertus Episcopium Thetfordia transtulisset Nordouicum; cæpisse autem Thetfordiæ tunc esse Cluniacenses, quando monachos Canonicos suos Heribertus inde transtulisset, & eorum loco Cluniacenses introduxisset. At hoc ab Heriberto non est factum nisi sub Gulielmo 2. seu Rufo, qui cæpit regnare anno 1088. ab eo enim Episcopatum Thetfordiensem Heribertus (dictus à blanditijs appellatione Anglica Losinga) emerat; longe post tempora Ingulphi qui ista scripsit anno 1076. Nondum igitur, cum hæc scripsit Ingulphus, erat Thetfordia iuris Cluniacensium. Sed neque S. Andræ Northamptoniæ: nam Ingulphus dicit se, factum Abbatem Crowlandiæ, iam dudum admissos inuenisse omnes illos capituli sui comprofessos, inter quos enumerauit duos S. Andræ Northamtoniæ Monachos; factus est autem Abbas anno 1075. quo tempore Monasterium S. Andræ nondum fuisse Cluniacense euidenter probamus ex eo; quod teste etiam aduersario, illud monasterium à fundatore Simone de S.

Cõprofessio non infert cõgregationem Cluniacensem.

Thetfordia quando subiecta Cluniacẽsibus.

Prioratus S. Andreæ Northãtonæ, quando datus Cluniacẽsibus.

de S. Lizio, siue de Sen-liz seniore fuit Cluniacensibus datum: at quo anno factus est Abbas Ingulphus, Simon ille nondum hoc præstiterat, fuit enim adhuc Comes Northamtonæ & Huntingtonæ Saxonici sanguinis princeps Waltheofus, qui sequenti anno, nempe 1076. cõspiratione perfidæ coniugis suæ Iudithæ circumuentus, iussu Gulielmi primi Conquestoris fuit decollatus. Cumque Rex Gulielmus Iudithæ mariti sui comitatum retinendum ea conditione contulisset, vt Simonẽ de S. Lizio in maritũ acciperet, eaque Simonem, quia claudus erat, spreuisset; Rex iratus comitatum Northamton, & Huntingtõ ab ea ablatum vnà cum filia ipsius Iudithæ Mathilde ex Waltheofo suscepta, Simoni Sanlizio contulit qui tunc demũ castrum Northamtoniæ reparauit, & ecclesiam S. Andrææ Cluniacẽsibus subiecit; quod cũ post mortem Waltheofi contigerit, satis diu post electionem Ingulphi in Abbatem Crowlandiæ, constat euidenter S. Andrææ monasterium, quo tempore hæc scripsit Ingulphus, nondum fuisse Cluniacensibus subiectum. Historia hæc Waltheofi & Iudithæ habetur in Chronicis patriæ nostræ, specialius apud Stowium in Gulielmo 1. pag. 115. & 116. editionis maioris emendatæ, & posthumæ. Historia autem subiectionis illius monasterij Cluniacensi monasterio factæ habetur his verbis in registro prioratus S. Andrææ Northãptonæ quod videri potest apud Richardũ Nealium vocatum Episcopum Dunelmẽsem, ex quo registro hæc fideliter transcripta sunt, & ad nos transmissa. *Simon de Senlyz Comes, anno regni Gulielmi Conquestoris 18. fundauit domum S. Andrææ Northampton, & eam submisit in perpetuum domui B. Mariæ de charitate. Postea tempore Regis Henrici primi iste Simon Comes Huntington adijt terram sanctã, & in redeundo obijt apud Charitatem, & ibidẽ sepultus est. Eius hæres Simon de Senlyz iunior post mortem patris eius fundauit Abbatiam Beatæ Mariæ de pratis iuxta Northamton.* Hæc ex registro: vbi habes ipsum annum, quo S. Andrææ monasterium factum est iuris Cluniacensium, nempe, annum 18. Gulielmi Conquestoris; cæpit ille regnare anno gratiæ 1066. exeunte: ergo annus, quo fuit Ingulphus in Abbatem sublimatus, nempe 1075. fuit nonus annus regni conquestoris: quare scripsit ista Ingulphus nouem totos annos antequam S. Andrææ domus data fuit Cluniacensi ordini, quod nempe factum fuit anno 18. Gulielmi, hoc est, circà annum Domini 1084. Non fuit igitur iuris Cluniacensis, cum ista scribebat Ingulphus.

Obiter autem notandum, Simonem hunc non esse reuera primum S. Andrææ fundatorem cum longe ante ipsum, monasterium, illud extiterit: sed quia ipsum reparauit, & insigniter auxit, Cluniacensibusq; tradidit, ideo à monachis Cluniacensibus, quos ibi posuit, Fundatoris gloria & honor illi cõcedebatur. Nihil ergo pro Cluniacensi Congregatione, imo directè & euidenter contrà illam, facit locus ille Ingulphi, ab aduersario tanto strepitu productus. Ex quo denique simili, sed meliori modo contra ipsum nobis licet argumentari. Monasteriũ Burgi, quod est ex præcipuis apud Ingulphum enumeratis, non fuit tunc temporis, nec longe post illud tempus Cluniacensibus subiectum: ergo monasteria reliqua ibidem recensita, non possunt per comprofessionem illam, aut aliquid aliud in loco Ingulphi comprehensum, Cluniacensi ordini adiudicari. Hoc antecedens probamus euidenter, tum ex ipsa Burgensis siue Petroburgensis monasterij fundatione; quia constat ex Malmesburiensi, & refert etiam Ioannes in historia aurea, (citatus in collectione veteris manuscripti, de fundationibus cœnobiorũ nostrorum quam in appendice inuenies positam) Ethelwoldum Episcopum ipsum monasterium, antea Medamsted appellatum reparasse, & monachis repleuisse; neque tamen in eius fundatione aut reparatione fit vlla mentio Cluniacensis ordinis, quæ semper solet fieri in alijs monasterijs, de quibus certó constat fuisse Cluniacensia, vt in prioratu S. Pancratij, S. Saluatoris de Bermondseia, S. Andrææ de Northamptona iam ostendimus. Tum vel maximè ex authentico scripto ex historia antiqua Burgensis monasterij desumpto quod in appendice inuenietur, quod clarissime ostendit illud monasterium anno 1118. nondum fuisse Cluniaco subiectum; & cum malis artibus alienigenæ Abbatis ferè ex regali iussu fuisset Cluniacensibus datum, robus tamen maturè discussis, in sua libertate fuisse eiusdem Regis authoritate conseruatum. Vides igitur lector hoc Achillæum argumentum aduersarij, quod per totum fere librum suum supponit vt basim suæ sententiæ, hoc solum sensu Achillæum esse, quod sicut ille à poetis in calcaneo duntaxat mortalis & vulnerabilis fingitur, ita hoc argumentum multis vt vidisti modis in consequentia claudicat.

An S. Dunstanus fuerit Cluniacẽsis monachus.

Ad probationem desumptam ex monachatu Floriacensi S. Dunstani, Respondemus primò etsi concederemus; S. Dunstanum fuisse reuera monachum Cluniacensem, (idemque de S. Oswaldo, atque Ethelwoldo dictum sit;) nulla tamen probabilitate sequi, monasteria ab illis vel constituta, vel restituta, fuisse Cluniacensi Congregationi subiecta. Sicut in simili exemplo non sequitur, quia S. Winibaldus multos per annos (vt minimum decem) in Cassinensi monasterio, propter amorem S. Benedicti (qui illud quasi caput suorum monasterio-

rum

rum fundauerat, & prædilexerat) monachus vixisset vt ex eius vita habetur: idcirco ipsum Abbatiam suam Elltattensem in Germania positam Cassinensi monasterio subiecisse; aut sanctum Bonifacium, quia Sturmum sanctum nepotem suum in eodem Cassinensi monasterio alijsque Italiæ cœnobijs aliquantisper voluit conuersari; idcirco Abbatiam Fuldensem, cui Sturmum Abbatem præfecerat, Cassinensis monasterij iurisdictioni subdidisse. Nec nunc quidem, quia Cassinenses monachi, misso ad hoc viro suæ Congregationis venerabili, Congregationem Lotharingicam in disciplina reformata instituerunt, ideo sequitur Lotharingicam Congregationem subdi Cassinensibus; nec quia Lotharingica Congregatio initium dedit reformationi Congregationis S. Mauri, quæ nunc floret in Gallia, idcirco consequitur Congregationem S. Mauri, esse iurisdictionis Lotharingicæ Congregationis. Potuit igitur S. Dunstanus disciplinæ regularis florem, quem Floriaci didicerat, in monasterijs suis plantasse: absque eo quod eadem monasteria Cluniaco subijceret.

Deinde negamus, vllam habere probabilitatem, quod de S. Dunstani monachatu Cluniacensi, ex monachatu eius Floriacensi colligitur. Nam Floriacum ipsum nunquam fuit Cluniaco subiectum, quamuis sanctus Odo illius aliquando Abbas extiterit. Fuit sane idem sanctus diuersis temporibus diuersarum Abbatiarum Abbas, etiam antequam Cluniacensis Abbas factus fuerat: nempe monasterij Dolensis, S. Iuliani Turonensis, S. Petri de viues Aurilliacensis, & Floriaci: sed nulla istarum Abbatiarum propterea fuit vnquam iuris Cluniacensis; itaque nec in catalogo Cluniacensium domuum, (in quo nec minimi prioratus vnius, duorum, aut trium duntaxat monachorum omittuntur) inuenitur vlla harum Abbatiarum nominata; nec in bullis aut priuilegijs Pontificum, in quibus tamen omnes Abbatiæ Cluniacensis iuris nominantur, potest Floriacum cœnobium reperiri. Nec leue est aut contemptibile hoc argumentum: cum enim sit pro libertate monasteriorum, quæ in sua fundatione certum est Cluniaco subiecta non fuisse, debent Cluniacenses, aut hic aduocatus non vocatus Cluniacensium, producere bullas Pontificum, aut concessiones principum, aut confessiones ipsarum Abbatiarum, vt eas probent esse sibi subiectas: alioquin si statim fiat Cluniacense membrum, omnis Abbatia vel Ecclesia, quam audax quispiam affirmator ad Cluniacum spectare per coniecturas & ratiunculas contendat: Nullum fere monasterium erit, quod nō sit futurū Cluniacense, cum nullum sit, pro quo non possint æquè probabiles coniecturę fingi, ac sunt istæ quas procudit aduersarius. Norunt autem iurisperiti, possessionem non adiri coniecturis & rationibus Topicis, sed legitimis indubitatisque titulis: scripturis authenticis, infeudationibus & inuestitnris realibus; aut testimonijs horum omni exceptione maioribus, quorum nihil profert aduersarius. Fuit igitur Floriacum Odoni subiectum vt reformaretur, non vt Cluniaco subderetur: imo quamuis S. Odo Cluniacum rexerit, & pater ordinis & Congregationis merito suo habeatur: tamen nondum sub ipso, nec sub successore suo Aymardo congregatio illa tam altas egerat radices, vt monasterium ipso longè potentius antiquius, nobilius sibi subijceret; Considera lector Chronicum Cluniacense, vbi S. Odoni traduntur à S. Bernone tria tantum monasteria Cluniacum, Mausiacum, & Dolense; Guigoni verò alia tria, Gigniacense, Balnense, Æthicense cum cella S. Lauteni; & quamuis essent omnes hæ domus vnius disciplinæ & obseruantiæ eiusdem, tamen viuente Guigone non conuenerunt in vnum corpus monarchicum, cùm duo fuerint supremi Abbates; imo nec Cluniacum fuit adhuc viuente Guigone præcipuum caput obseruantiæ, sed subdebatur Gigniacensi tanquam primario, cui propterea certum reditum pēdebat. Mortuo Guigone videntur illa monasteria omnia cum membris suis S. Odoni paruisse, excepto Dolensi, quod nec habetur in catalogo, nec in bullis Pontificijs adeoque videtur Abbatem sibi proprium delegisse, & non fuisse incorporatum. Non est igitur existimandum, Floriacum fuisse vnquam Cluniacensi incorporatum ordini; neque enim probabile est tam altum de tanto monasterio fuisse in bullis priuilegijsque confirmationis post Odonis tempora, & in catalogis silentiū; si vnquā illi fuisset incorporatū. Imo nec est probabile monasterium illud, quod tā ægrè ipsū sāctū Odonē admisisset directorē, eo post paucos regiminis an. ex hac vita digresso, sese Cluniaco perpetuo subiecisse, quo tunc temporis erat opulentius, habens sub se multos magnosque prioratus cōuentuales, vt constat in vita S. Abbonis, qui in reformādo vno ex illis mortem pro zelo reportauit. Cuius sancti vitam siquis attentè legerit, inueniet adpertissima argumenta independentiæ, nulla autem vestigia subiectionis Floriacensium ad Cluniacenses. Maximè quoniam vbi fit mentio Cluniacensis Abbatis, non illam facit scriptor vitæ ipsi martyri contemporaneus & monachus Floriacensis, cum illa honoris præfatione, quam videmus omnes Cluniacensis ordinis scriptores tantum non ambitiose facere. Imò quādo ipsius S. Odonis Abbatis occurrit memoria apud Adreualdū Floriacensem statim sub ijciuntur

Floriacū nunquā fuit Cluniacensi Cōgregationi subiectum.

ijciuntur acta aliorum Abbatum Floriacensium post ipsum, maiori cum præfatione honoris, & nulla prorsus aliorum Cluniacensium seu Abbatum, siue monachorum mentione iniecta.

Rursus ex ipsis Leonis & Alexandri Pontificum bullis aperte constat, confirmari illi monasterio, Floriaco videlicet, exemptionem ab omni iurisdictione quacumque, tanquam ab omni memoria per prædecessores suos ipsi concessam; & inter reliqua, etiam insignem prærogatiuam, vt sit Primas Abbatum Galliæ illius monasterij prælatus: tantum abest vt Cluniacensi ordini subijciatur. Sed ipsos audire Pontifices præstat, vt sic maiorem faciant fidem. Et primus loquatur Leo septimus, cuius bulla ad ipsum sanctum Odonem missa, & ab ipsomet proculdubio obtenta, *Ad Odonem religiosum Abbatem venerabilis monasterij S. Benedicti, quod & Floriacense, in quo ipse requiescit corpore*, inscribitur. Iam vel ex titulo videt lector, Odonem non vocari Abbatem Cluniacensem, sed Floriacensem; neque proinde confirmari ipsi Abbatiam illam, vt Cluniacensium, sed vt Floriacensium Prælato. Reuoluat enim, qui hoc auet penitius examinare, bullas Pontificias, quibus cœnobia Cluniacensi ordini incorporata confirmantur: nusquam inueniet alio titulo inscripta, quam Abbatis Cluniacensis; itaque cum Mauziacense, aut Bertinianum, aut quoduis aliud Cluniaco Pontifex concedit, non inscribit bullam Abbati Mauziacensi aut Bertiniano, sed Cluniacensi; nec Prelatus Cluniacensis vnquam se vocauit inferioris aut subiecti monasterij Abbatem, nec sic vnquam à Pontificibus cōpellatur. Hic igitur cum ad Odonem, tanquam Floriacensem Abbatem scribat, satis apparet, Pontificem non facere Floriacum Cluniaci filiam aut membrū; sed Odonem duntaxat Floriacensium reformatorem constituere. In ipsa autem bulla: *Valde gauisi sumus*, (inquit) *quia prædictum cœnobium beatißimi Patris Benedicti, qui est Pater & dux monachorum, reflorescere ad normam monasticæ religionis audiuimus. Nam cum ille monasticus ordo vbique nimium sit imminutus, spes nobis inest, quia si in illo cœnobio, quod est quasi caput & primas omniū cœnobiorum, vigor monasticus conualescat: cætera, quasi membra, conualescent.* Hæc Pontifex ad ipsum Odonem, anno Christi 938 scripsit, cum Cluniacum adhuc (vt apparet) Gigniaco subesset, nec Odonis celebritas ab ipso; sed eius omnis fama ab Odone promanauerat: vt improbum sit prorsus existimare, Abbatiam totius Galliæ præcipuam Cluniaco, subijcere tunc temporis, cum ipsum Cluniacum alteri fuerit tributarium. Iam verò audiamus Alexandrum secundum, in bulla circa annum Christi 1071. data (prius sanè, quam Cluniacenses in Angliam transfretassent, vt iam superius demonstrauimus;) In ea bulla statuit Pontifex. *Addimus etiam, vt, quia venerabilis pater Benedictus monachorum legislator, ex diuina gratia Dux est monasticæ religionis: sit etiam, qui eidem monasterio præfuerit, primus inter Abbates Galliæ. Nec aliquis de ordine sacerdotali, Archiepiscopus scilicet, aut Episcopus, aut inferioris ordinis, eum inquietare, nec contra voluntatem ipsius ad idem monasterium venire, aut aliquam ordinationem facere, vel mißas celebrare præsumat.* Et paulo post. *Abbas vero, qui ordinandus ibi est, cum electione fratrum propter vitæ meritum, & honestatem morum, & non propter turpia lucra, seu pro pecunia eligatur, & absque vlla calumnia, à quocunque Episcopo, prout sibi placuerit, benedicatur &c.* Quæ omnia Pontifex se constituere affirmat suorum prędecessorum statutis insistendo: quasi non aliquid noui priuilegij concedat, sed veteres tantum prærogatiuas confirmet. Inter quas cum hæc duo enumeret, vt Abbas Floriacensis sit primus inter Abbates Galliæ, & sine vllius alterius consilio aut consensu eligendus; clarè apparet Cluniacensi nunquam fuisse subiectum.

Adde Ioannem Bosco in Floriacensi bibliotheca sua, nunquam huius aut subiectionis, aut incorporationis meminisse, facturum sine dubio, si vlla talis fuisset: imo ex Aimonio per eundem edito in 1. parte bibliothecæ eiusdem, in lib. 2. de miraculis S. Benedicti cap. 19. aperte constat, hoc monasterium nulli alteri potestati infra regnum Galliarum, quam Regiæ fuisse subiectum; & ex cap. 17. atque 18. eiusdem libri patet, monachos Floriacenses elegisse in Abbates suos Athelbertum, & postea Oylbaldum, Lothario Rege consentiente; qui Lotharius regnum inchoauit anno 956. duodecim duntaxat annis post mortem sancti Odonis; At eligere sibi Abbates sine consensu Cluniacensis Prælati, aut per Regiam auctoritatē, repugnat prorsus subiectioni siue incorporationi Cluniacensi, non solum propter posteriorum Abbatum statuta, sed etiam priorum, vt patet ex historia Maioris monasterij quę habetur in bibliotheca Cluniacēsi col. 293. in qua sanctus Maiolus illius monasterij à se reformati monachos asperè reprehēdit, quod per Regiā & Pontificiā auctoritatē, Abbatē sibi cōstituissent: atque illud esse pręuaricari obedientiam, & matrem Cluniacensem ecclesiam contemnere. Fuerit igitur Floriacum à sancto Odone regulari disciplina informatum, non tamen ipsius Congregationi vnquam extitit incorporatum: sed nec Cluniacensi disciplina potest propriè informatum dici, cum monachos Cluniaco translatos Floriacum non legamus, sed ipsum

ipsum duntaxat S. Odonem monachos Floriacenses, (qui paucis antea annis disciplinæ laude floruerant, tūc autem postquam à barbaris inuadentibus huc illuc fugati, & postliminio ad sua reuersi, ex illa dispersione multum sæcularis rubiginis contraxissent)ad meliorem sanctæ regulæ obseruantiam reduxisse. Nec tunc S. Odo tam notus erat omnibus ex titulo Cluniacensis Abbatis, sed Cluniacum potius propter ipsum cæpit duntaxat innotescere;atque ita cœpit, vt ad partes nostræ Angliæ non videatur eo tempore nomen Cluniacensis disciplinæ peruenisse; Alioquin cur de ea apud omnes authores nostros Gulielmo conquestore antiquiores tam altum silentium? proferat aduersarius vel vnum, qui ante illa tēpora Normanni, inter omnes authores Anglicæ historiæ, Cluniacensem disciplinam laudet,aut commemoret: scimus non posse aliquem inueniri. Nam cur non meminerat Ingulphus, si sanctus Dunctanus zelo Cluniacensis disciplinæ Floriacum adiuit; cur non meminerat illius ecclesiæ, que Floriaco principaretur? Quia reuera nondum erat tam celebris Cluniacensium gloria, nondum tantæ potentiæ illorum Congregatio,quæ sub Aimardo successore S. Odonis admodum tenuis fuit,sub S. Mayolo,lōgęuo scilicet Abbate,primū sua tam longe produxit pomæria; Sub Odone autem, vix quatuor aut quinque monasteriorum rectrix fuerat,eorum scilicet, quæ illi à Guigone, & S. Bernone fuerunt tradita; cum reliquas Abbatias,quas etiam vt optimus magister spiritualis militiæ rexerat, S. Petri viui, Aureliacensem S. Gyraldi, Turonensem S. Iuliani, aut ipse dum viueret, alijs Abbatibus fratrum consensu subiecit; aut qui eas ipsi tradiderant, eo mortuo alijs Abbatibus tradiderunt; non enim legūtur aut in bullis, aut in catalogis, aut alijs instrumentis authenticis Cluniacensis Congregationis: quibus solis probatur aliquam Abbatiam esse, aut fuisse illi subordinatam; non autē coniecturis istis; cum inferius probatum fuerit, multos factos esse Cluniacenses Abbates,qui ipsi non fuerint antea ordinis Cluniacensis; & multos Cluniacenses extitisse Abbatiarum non Cluniacensium Abbates. Vnde valde indocta & imbecillis est illa consequentia, qua infertur, Abbatiam aliquam esse iuris Cluniacensis,quia habuit monachum Cluniacensem aliquando Abbatem.

Atqui non solum falsum est aduersarij commentum, quo Floriacum subiecit Cluniacensibus: verum & illud aliud, quo S. Dunstanum contendit fuisse monachum Cluniacensem; quamuis id valde cupide contendit, quamuis eius rei magnum laudet autorem, sed in hac re (vt euidenter ostendemus) errore lapsum Ingulphum. Etsi enim possem id, quod aduersarius in suam traxit ex Ingulpho sententiam, dicente de S. Dunstano, *Qui Floriacum adiens, & monachus ibidem factus*; ita interpretari, vt non ibi ipsum in monachum attonsum fuisse (quod videtur aduersarius sentire) sed conuentualem illius Cœnobij pro aliquanto tempore factum; malo tamen quod res est, dicere; & Ingulphum, virum doctum quidem sed in rebus Anglicis (præterquam monasterij sui) non valde versatum similitudine veri deceptum demonstrare. Non valde versatum in historijs Anglicis inde apparet, quod à puerili fere ętate fateatur se relictis literarum studijs aulicam vitam otiosissime sequutum Comiti Gulielmo (qui posteà Rex Angliæ, Conquæstor dictus) adhæsisse, & ab eo in Normanniam abreptum, negotijsque palatinis implicatum; post multum pretiosi temporis ità dissipatum, iter Hierosolymitanum peregrinationis causa suscepisse; & inde post multas difficultates & pericula regressum, in Fontanellæ monasterium se abdidisse; priorem deinceps in eodem egisse; & à Gulielmo iam rege ad Abbatiam Crowlandiæ euocatum: vbi apparet ex hoc scripto, tum demum sese ad Angliæ suæ historias applicuisse, vt res cœnobij sui melius inspiceret; cum vsque ad id temporis à patria sua,patrijsque curis extorris pene & alienus vixisset. Vt minimè mirum sit, si in rebus S. Dunstani errauerit,eumque Floriaci monachum factum fuisse, falso existimauerit. Falso autem existimasse, tribus testibus ipso aut antiquioribus aut certè in rebus Angliæ peritioribus aperte conuincemus.

S. Dunstanus nō fuit monachus Floriacensis.

Prodeat ergo primus ac præcipuus testis Osbernus monachus Cantuariensis multorum sanctorum vitis à se eleganter scriptis clarus, cuius testimonia credibiliora nimis facta sunt, quam testimonium Ingulphi: Primo quidem quia Ingulpho ætate antiquior, anno siquidem Christi 1074. defunctus est sæculo, cum Ingulphus sub finem duntaxat anni 1075. vt ipsemet scribit, Abbas sit consecratus, & in exordio sequentis anni regimen inchoauerit. Deinde quia celeberrimus vitarum Sanctorum scriptor, ab Edmero contemperaneo scriptore, & à Mamsburiensi nostro summis præconijs ornatus: ac proinde cui in Sanctorum rebus gestis, qui apud nos floruerint, author habetur fidelissimus & diligentissimus: maxime autem, quia testatur in prologo vitę S. Dunstani à se conscriptę, ex ardenti studio ac deuotione erga hunc Sanctum, ad historiam eius scribendam fuisse commotum: *Quamuis & mea voluntas*, inquit, *tantum deuotionis erga eundem patrem* (Dunstanum) *& Dominum nostrum obtinere debeat, vt si nulli*

Probatur ex Osberno.

K vellent

vellent ista à me expetere, (historiam vitæ ipsius intelligit;) *ego pro persona non dubitarem ingerere: Ita namque cum in alios, me vidente, tum in meipsum, me sentiente eius merita valuere.* Quæ eius in Sanctum virum deuotio, indicat ipsum summo studio & diligentia acta gestaque omnia S. Dunstani accuratissimè conquisiuisse : quam etiam diligentiam testantur illa ipsius verba, quæ post descripta monasticæ disciplinæ à Dunstano arreptæ primordia, hæc subdit: *Miserum me ac peccatorem fateor inspexiße sanctum sessionis ipsius locum, quædam etiam manuum illius opera peccatricibus manibus contrectasse, oculis apposuisse, lachrymis rigasse, & flexis genibus adoraße. Recordatus namque sum, quam sæpe clamantem me in periculis exaudierit, quam misericorditer auxiliatus fuerit; & idcirco neque lachrymis temperare, neque si fieri potuisset, inde recedere volebam.* Vides deuotam huius scriptoris diligentiam plus mereri fidei, quam obiter & casu factam ab Ingulpho S. Dunstani mentionem. Hic igitur Osbernus expressis verbis dicit, ipsum Sanctum monastico habitu vestitum, & præsbyterio deinde ornatum, ab auunculo suo Elphego, etiam monacho & Episcopo Wintoniensi, & tandem etiam Abbatem Glastoniæ magno monachorum conuentui præsedisse, prius quàm vllibi extrà Angliam pedem efferret. Verbis ipsius authoris rem narrabimus, ne fingere nos dicat aduersarius. Cũ igitur narrasset S. Dunstanũ anno primo Athelstani Regis, aduentus vero Anglorum in Britanniam 497. hoc est anno Christi Domini 924. natum fuisse Westsaxonibus apud villam Glastoniæ miraculaque in ipsius gestatione ac natiuitate facta retulisset studiaque iuuentutis in aula Regis Athelstani in inuidia Curialium transacta absoluisset, hoc de ipso narrat: *Profectus autem inde* (scilicet ab aula Regia) *cognatum Pontificem Elphegum, qui tunc temporis Wentanæ præsidens ecclesiæ vitam virtutibus decorabat: à quo frequenti supplicatione rogatus, vt monachum indueret, quatenus qui Angelicæ conuersationis initia haberet perseuerantiam in habitu monstraret;* & post dialogismum inter Episcopum persuadentem & Dunstanum reluctantem, narrat febrem diuinitus Dunstano immissam eum ad monachi propositum suscipiendum compulisse; his verbis : *Tum ex insperato reconualescens, hic ait, legibus voluptatis renuntio, hic me sempiternum sibi aduersarium promitto. Nil cum vxore fœderis paciscar, sola me virtus militem habebit : Insanum quippe est, illam animi mei dominatricem sustinere, quæ nec viuentes reddit satiatos, & morientes relinquit desperatos. Virginem me virginis filius hucusque seruauit : virginem me virginum Regina Maria habebit. Confestim accito ad se Episcopo postulat sibi dilatæ religionis benedictionem dari. Episcopus vero immensa lætitia pro salute simul & conuersione iuuenis perfusus, celeriter illum monachali ac sacerdotali gratia promouit, attitulans ecclesiæ B. Mariæ Virginis cui eum ab initio parentum suorum sponsio dicauit. Consummatis autem primis inceptæ conuersionis diebus, cum eum Episcopus aduersus insidias diaboli & sermone instruxisset, & authoritate roborasset, dimisit illum proficiscentem ad locum suæ generationis principiũ* (Glastoniam,) *ibique in ecclesia præfatæ virginis mansitabat, operans ea, quæ piæ religionis norma exigebat.* Habes hic ex Osberno fidelissimo Dunstani Biographo, Dunstanum ab Elphego, Wintoniensis ecclesiæ simul Episcopo & Abbate, Monachum factum, & sacerdotem, & Nouitium in Abbatia probatum, & in deserto Glastoniæ monasterio eremitam arctissimæ pænitentiæ operibus insistentem. Sequitur postea narratio deuota, de ipsius cum diabolo certaminibus, de celebri sanctitatis eius diuulgatione, de sancta morte Alginæ Reclusæ, dicipulæ ipsius, & honorifica in ecclesia Glastoniensi sepultura : & subdit, *Dunstanus vero tum de illius* (Alginæ nempe) *tum etiam de suiipsius patrimonio solicitus (nam vterque parens obierat nec præter eum alium hæredem reliquerat,) primo quidem eandem ecclesiam vicinioribus atque vberioribus terris, quæ in omni patrimonio erant munerauit : cæteris vero fundandis quinque monasterijs pro situ terrarum ab inuicem seiunctis reseruauit.* Subiungit deinde perseuerantiam Dunstani in exercitijs sanctitatis, & mirabilem de fælicitate eius in cælo futura reuelationem: quæ omnia indicant aliquot saltem annos ipsum in monachali habitu Eremiticam degisse (Sancti Benedicti exemplo) vitam; & tum addit consequenter: *Defuncto tandem Rege Athelstano, frater eius Edmandus imperij monarchiam suscepit;* qui nimirum (vt late subijcit) Dunstanum ad palatium accersit, eiusque arbitrio totius regni negotia permittit; æmulis verò Dunstanum ex aula exturbantibus, Rex tertio post die insigni periculo præcipitij Dunstani meritis liberatus, eum denuo in aulã reuocat, atque redeuntẽ sic affatur: *Agnosco virorum sanctißime quod in te cõmiserim mali; non per fidem meam, quod ego voluerim; sed quod à peßimis hominibus coactus id fecerim. Grates ergo clementiæ Dei, quæ non modo debitum mihi supplicium, verum etiam indebitum voluit beneficium prorogare; dum me à præcipitio mortis eripiens longioris vitæ spatia in tuo nomine conceßit. Sit ergo deinceps inter nos perfectæ familiaritatis; perpetua integritas sit disponendis in palatio rebus libera semper facultas, sit in toto Anglorum imperio iudicandi inter virum & proximum eius summa potestas. Atque vt animi mei affectum circa te cognitum habeas; locum tibi in quo te genitum, educatum, conuersatum* (monasticè scilicet, vt supra patuit,) *accepi perpetuo iure trado poßidendum,* (erat enim vt in priore parte vitæ huius Osbernus notauerat, post vastatio-

vastationem monasterij à Danicis inuasoribus illatam regio fisco totus locus addictus,) *vt quodcumque de illo velis statuere, tui sit arbitrij considerare. Quodsi id corde tuo potissimum sederet, vt eius ordinis viros, cuius tu habitum geris,* (ecce Dunstanum monachi habitu etiam in ipso palatio indutum) *ibidem aggregare placuerit, quicquid eis in quacumque re defuerit, ego ob gratiam tui regia liberalitate supplebo. Igitur Dunstanus accepta potestate super regiam mansionē, quæ Glastonia vocabatur, post paucos dies augustioris ecclesiæ fundamenta iacere officinas secundum exemplar olim sibi ostensum construere, & consummatis omnibus, magnum pariter & egregium monachorum agmen ibidem coadunare. Quibus ipse primus Abbas effectus, ad tantam perfectionem iustitiæ omnes cohabitantes adduxit, vt quasi cæli luminaria ad effugandas totius erroris nebulas & peccatorum tenebras viderentur. Tunc ad omnes circumquaque ecclesias ex eisdem monachis Pontifices electi, tunc Abbates assumit, tunc denique diuersorum officiorum Præpositi instituit; propterea quod essent & religionis merito præcipui, & doctrinæ sapientia clarissimi, & ad catholicæ fidei defensionem præstantissimi.* Constat igitur ex verbis & ordine ipso narrationis Osberni, Sanctum Dunstanum multo tempore regni Athelstani, Monachi vitam & habitum coluisse Glastoniæ, & toto tempore Edmundi Regis Abbatem ibidem egisse, quod munus etiam ipsum sub Edredo pariter docet sustinuisse, nec ab eodem Rege oblatū Episcopatum Wicciorum acceptare voluisse: quem tamen sub Edwio qui Edredo successit, Dei monitu suscepit. Tot igitur annis, trium nempe Regum, Athelstani, Edmundi, atque Edredi temporibus, monachus & Abbas Glastoniæ extitit, & monachus quidem in cœnobio Wintoniensi factus, ibidem egit nouitium, reliquum tempus vel in Glastonia sua monachus & Abbas, vel in aula Regum præcipuus rerum publicarum administrator transigebat. In monasterio exactissimę disciplinę institutor; in palatio iustitiæ integerrimus custos: nec adhuc extra regni Anglię limites exiuerat: vt omninò corruat Ingulphi assertio; qui eum Floriaci monachum factum dixerat. Eandem prorsus cum Osberno historiam eodemque ordine narrat Capgrauius, siue Osbernianam in compendium redigens, siue aliam similem Ioannis Anglici; cuius historias sanctorum iam antea monuimus Capgrauium pene verbatim descriptas alphabetico duntaxat ordine, paucisque de suo adiectis edidisse, qui Ioannes Anglicus Capgrauium centum amplius annis præcesserat; vt ex volumine manuscripto eiusdem Ioannis in bibliotheca Cottoniana clarè colligitur. Eodem prorsus ordine monachatum, & Abbatialem ipsius dignitatē per illorum regum tempora narrant Godwinus in catalogo, & Parkerus in antiquitatibus ecclesiasticis Anglicis; quamuis immixtis multis in Dunstanum conuitijs, quæ Parkerus more suo promit impudētius, Godwinus vero timide, sed præter modestiam, quam in Anglico scripto vtcumque seruauit. Errorem etiam manifestum adscribit Parkerus, tunc in Anglia solam Glastoniæ Abbatiam fuisse, & solum Dunstanum Abbatem, cum ex omnibus historijs nostris constet quamplures alias Abbatias aliosque Abbates fuisse; quamuis Danica barbaries ita plæraque monasteria deformauerat, vt Edgarus rex ipsorum reparator, quasi pro fundatore habeatur. Verum non est mirum Parkerum pręsertim odiosissime monachos proscindere, causam enim aperte insinuat odij sui, quod monachi sanctum scilicet (vt hæreticus loquitur) presbyterorū coniugium oppugnarent. Malmesburiensis præterea author fidelissimus idem de monachatu Dunstani apud Glastoniam traducto, & Abbatis officio ibidem ante tempora Edwij regis suscepto fert testimonium, in Elphegi Wintoniensis, & Dunstani Cantuariēsis rebus gestis, & dum agit de Abbatia Glastoniensi: cuius autoris testimonium proxime post Osberni, fidem maximam meretur; quandoquidem is Glastonię archiua singulari diligentia se scrutatum fateatur, eiusque historiam scripserit luculentam, & à multis, qui legerunt (nondum enim impressa est) valde laudatam. Atque hi omnes testes, qui res gestas Dunstani ex professo tractauere, Abbatem eum faciunt sanctitatis opinione celeberrimum, antequam temporibus Edwij regis coactus fuerit exulare; quod exilium Osberni verbis iterum describemus, vt errorem simul Ingulphi, & erroris ansam ostendamus. Furente enim contra ipsum Edwij Regis pellice, quum adhuc Abbas duntaxat fuisset, *Dunstanus* (inquit Osbernus) *Dominicæ memor promißionis, qua beatos fore, qui pro iustitia persequutionem patiuntur, Christus asseruit, marinis se fluctibus tradit, contrarium littus in gente Flandritarum attingens: vbi eminente coram principe terræ illius gratia inuenta, manebat in monasterio B. Petri, quod situm est Gandaui; propterea quod illud cæteris illius regionis monasterijs & professione virtutis & philosophiæ documentis excellere videbatur. Nec tamen cessat væsana furentis mulieris insania, quin omnibus, qui virum Dei tempore suæ recessionis hospitio fouerant, perscrutatis, proscriptis, damnatis; ipsius quoque oculis eruendis malignos transmitteret ministros. Verum miserante diuina clementia, cuius nunquam auxilio destituebatur; ante illum Gallia susceperat, quam æquoreos serui Iesabelis fluctus attigissent.* Deinde narrat ipsius in Angliam reditum, Edgaro rege reuocante; qua in narratione omnes alii citati authores consentiunt,

 & ex-

& expreſſe notant, annum duntaxat vnicum in hac exilij peregrinatione effluxiſſe. Qua ex narratione conſtat primo, nullum prorſus hiſtoricorum noſtrorum (excepto Ingulpho) Floriacenſis commorationis meminiſſe, cum tamen ex profeſſo exilium eius memorent, & Gandauenſi in monaſterio eum ſediſſe aliquãdiu ſcribant: imo Capgranius, & vetus Legenda ipſum in eodem arctiſſimam vitam egiſſe tradat. Deinde ſi maxime Floriacum adijſſet, cum in Galliam, metu eorum, quos ad ipſum excæcandum furens regina miſerat, ſeceſſit; illud tempus, quo ibi commoratus foret, non potuiſſe tantum eſſe, vt diceretur ibi monachum diſciplinæ cauſæ factum; Si enim diu Gandaui hæſit, vt conſtat ex dictis; ſi annum tantum extra Angliam exulauit; quod omnes expreſſe aſſerunt: ſi non pauxillo tempore opus ſit homini peregrino, ad longinqua itinera metienda & remetienda (quale certe erat à Gandauo Floriacum, & Floriaco ad Angliam;) quis non videt minimum temporis ſpatium aſſignari poſſe, quod Dunſtanus Floriaci impenderet? Tandem, quod caput eſt, & aduerſario noſtro directè contradicit, non ad diſcendas Cluniacenſes aut Floriacenſes conſuetudines ſolum Anglicum mutauit Dunſtanus, ſed ad declinandam perſequentis fæminæ tyrannidem; Nec Floriaci vllus meminit prædictorum; cumque occaſio ſeſe obtuliſſet, aliquid de laudibus locorum, in quibus Dunſtanus exul quieuerat, ſcribendi; de Floriaco prorſus ſilent, de Blandinienſi Gandaui cœnobio præclarum ponunt elogium, de Cluniacenſibus, vſque ad tempora Normanni nullus illorum vel vnam ſcripſit ſyllabam. Ita clariſſime probauimus S. Dunſtanum nec Floriacenſem, nec Cluniacenſem monachum fuiſſe, & Ingulphum ea in re erraſſe teſtibus ipſo maioribus, & hac in re fide dignioribus demonſtrauimus.

Quid ergo inducere potuit Ingulphum in errorem? Certe quod illo ipſo tempore fecit Odo ſeuerus, ipſiuſque nepos Oſualdus; quorum ille ſuſcepit monachi habitum, aut tranſito mari apud Floriacum, vt quidã; aut accito in Angliam Floriacenſi Abbate vt alij docent, vt ſic ſine ſcrupulo Pontifex fieret Cantuariæ, cum ante ipſum nullus non monachus ibi Pontifex ſediſſet: iſte vero, nempe Oſualdus exemplo & ſuaſu auunculi ſui Floriaci monachica ſuſcepit; hoc inquam Ingulphus per errorem, forte etiam per lapſum memoriæ, aliud agens, atque obiter, S. Dunſtano attribuit. At quæ cauſa Odonem, & Oſualdum compulit, vt Floriaco potius habitum ſibi ad ferri quam ex aliquo Angliç monaſterio depoſcerent? Non ſane religioſa loci diſciplina, neque enim domi defuit longe nobilior obſeruãtia, vt in S. Dunſtani Abbatiali ſchola, diu antequam exulauiſſet, iam vidimus; ſed alia longe cauſa ad hoc eos induxit. Dicat hanc cauſam teſtis incorruptus, ne me fingere ſuo exemplo cauſetur aduerſarius; dicat eam Malmesburienſis, qui lib. 3. de geſtis Pontifi. Anglor. de Odone agens, aſſerit ipſum hoc feciſſe, non ex deſiderio diſciplinæ reformatioris, (ſomnium hoc eſt aduerſarij, neque enim Odo opus habuit diſciplinam addiſcere, quam Archiepiſcopus factus non poſſet exercere) ſed ex reuerentia erga S. Benedicti corpus: quod Floriaci requieſcere ſciebat; hanc enim ſolam veramque cauſam fuiſſe ait Malmesburienſis, *Familiari per id tempus Anglis conſuetudine* (verba ſunt citati authoris) *vt ſiqui boni afflati eſſent deſiderio, in Beatiſsimi Benedicti monaſterio cœnobialem ſuſciperent habitum, à quo* (Benedicto) *religionis huiuſmodi manauit exordium.* Eandem etiam cauſam & conſuetudinem ob quam Angli Floriacum ventitarent, aſſignat illorũ temporũ ſcriptor Aimoinus Floriacenſis, in vita S. Abbonis Abbatis ſui, c. 4. quod ſuperius attulimus. Sicut & meminimus S. Winibaldum Abbatem ob eandem erga S. Benedictum reuerentiam in monaſterio Caſinenſi, (quod vitç eius ſcriptrix conſanguinea monialis, ex eius ore referens eius acta, vulgari tunc Anglorum conſuetudine loquens, non alio nomine, quam apud S. Benedictum vocat,) monachum per decem annos extitiſſe: non quaſi S. Winibaldus diſciplinam illius monaſterij tanti fecerit, nam ipſe monachos ibi conſiſtentes pauculos cum Abbate ſuo Petronace nuperrime ſuaſu Pontificis Caſſinũ poſt longæuam deſolationem incolente, potius exemplo ſuo docuit, quam aliquid ab ipſis didicit, vt eadem ſanctimonialis narrat; ſed quia in eo loco vbi vel ſanctus Patriarcha ordinis noſtri viuus fuerat conuerſatus, vel mortuus quantum ad carnẽ requieſcebat, aliquantulum temporis deuote impendiſſe, dulce ipſi & glorioſum videbatur. Eadem cauſa Odonem, Oſwaldumque ad Benedictini corporis repoſitorium, Floriacum ſcilicet, traxerat: Nam alioquin, (vt id ſæpius repetam, quia ad rem facit maximè) ſi diſciplinam ſpectaſſent regularem, proculdubio non opus habebat Winibaldus Caſinum adire, cum longe arctior, excellentior, imò & ſtabilior fuerit in S. Benedicti Geruienſis monaſterijs, quam apud Caſinates; vt conſtare poteſt ex epiſtola Theodemari Abbatis Caſinenſis ad Carolum magnum paulo poſt ſcripta, (quam habet P. Antonius Yepes in appendice ad tomum. 3.) ſiquis diſciplinam Caſinenſem in ea deſcriptam conferre velit cum regularibus inſtitutis, quæ tempore S. Winibaldi vigebant in Anglia. ſane vel ipſius Croulandenſis Abbatiæ ſanctitas & obſeruantia fuit antiquior,

quior, sub qua omnes præter quatuor, martyrio sunt coronati; siue recentior tempore ipsius Dunstani per Turketulum Abbatem restituta, talis extitit, vt in nullo cederet Floriacensibus aut Cluniacensibus; vt saltem propter disciplinæ gloriam, nec Oswaldus, nec Ethelwoldus Turketulo posteriores debuerint traijcere cum domi habuerint excellentiorem. Sed vti diximus, ad sancti Patriarchæ nostri reliquias sedere volebant aliquantisper, & peculiari deuotione honorare instituti nostri fundatorem, vt sic eum magis promererentur habere intercessorem.

Sed quare non audimus ipsum sanctum Dunstanum narrantem nobis vnde disciplinam monasticam hauserit quam monasterijs per Angliam reparatis tradidit? Quis enim verius id dicere poterit? dicat ergo nobis sanctus magister monachorũ, & ex prologo ad regularẽ concordiam, (quam totam in appendice posuimus) sententiam de nostra ferat controuersia: „Nam ilico eius (*Edgari Regis*) imperijs toto mentis conamine alacriter obtemperantes, „sanctique patroni nostri Gregorij documenta, (quibus B. Augustinum monere studuit, vt „non solum Romanæ, verum etiam Gallicarum honestos ecclesiarum vsus rudi Anglorum „ecclesiæ decorando constitueret,) recolentes: accitis Florensis B. Benedicti, nec non præ„cipui cœnobij, quod celebri Ghent (*Gandaui*) nuncupatur vocabulo, Monachis; quæque „ex dignis eorum moribus honesta colligentes, vti apes fauum nectaris è diuersis pratorũ „floribus in vno alueario: ita has nostrum consuetudines ad vitæ honestatem, & regularis „obseruantiæ dulcedinem, vt ab his, qui viam regiam mandatorũ Domini absque iactantię „vitio lactei adhuc humiliter incedunt, depulso nauseæ tædio sine querela legitimè haustu „degustari libentissimo, ac auide amabili possent impleri deuotione, temperata cum magna „atque subtili rationis discretione, Christi mundi saluatoris opitulante gratia, hoc exiguo „apposuerunt codicillo. Ne igitur singuli, si suam, quod absit, adinuentionem suapte præ„sumptuosi eligerent, excellentissimum sanctæ obedientiæ fructum alicuius arrogantię fastu „inopinate seducti miserabiliter amitterent, ac sarabaitæ, vel ferę potius, quam Monachi „aut homines viderentur: legitimum votum Domino nostro Iesu Christo vnanimes vo„uerunt, pactoque spirituali confirmauerunt, se vita comite iugo regulæ deditos, has ad„notatas morum consuetudines communi palam custodire conuersatione.

Hæc sancti Dunstani verba esse diximus, quia ab ipso proculdubio (qui synodo Archiepiscopus præsidebat) dictata, sed vbi in laudem ipsius sonare videntur, à patribus ibi Congregatis in hoc ornata videntur; quæcumque in illa concordia regulari statuuntur. Ex verbis autem relatis, primo corrigendus est modus loquendi, quo vtitur Harpsfeldius, alijque ipsum sequuti, dicentes synodum ex Benedicti aliorumque patrum regulis desumpsisse, quæ hic monachis præscribunt; neque enim id ipsi præ se ferunt in synodo Patres, sed expresse omnia vel ex regula, vel ex consuetudinibus monasticis celebrium cœnobiorum dicunt se excerpsisse. Nec aliquid ex aliorum ordinum regulis intulerunt obseruandum, vt clarè legenti opusculum illud patebit. Deinde aperte constat, quod probare voluimus S. Dunstanũ & synodi Prælatos non ex Cluniacensi, sed ex Floriacensi cœnobio; nec ex illo solum, aut præsertim, sed prererea & præcipue ex monasterio Gandauensi, consuetudines illas deprompsisse; nec quicquid Floriacenses, aut Gandauenses monachi obseruabant, se præscripsisse suis obseruandum, dicunt; sed cum delectu, ea tantum quæ discretione dictante moribus suis iudicabant accommodata. At quis dicet hoc esse, Cluniacensem disciplinam introducere? nam Gandauense monasterium, cuius maximè habita est ratio, nec tunc nec vnquam fuit Cluniacensibus coniunctum; Et sane si Cluniacensem ordinem voluisset introducere Dunstanus, cur non nominauit saltem? cur non omnem eius obseruantiã, aut Floriacensem omnem, aut omnem Gandauensis cœnobij disciplinam introduxit? Nimirum, quia non illi fuit in animo monasteria Angliæ Floriaco, aut Blandinio, aut Cluniaco subijcere: sed exemplo S. Augustini, monitu S. Gregorij, quæcumque in celebribus monasterijs decorè fieri videret, ea in vsum suorum conuertere. Iam Florensis Cœnobij monachos cur aduocauerit, satis insinuat ex addito S. Benedicti vocabulo, ob reuerentiam scilicet corporis S. Benedicti ibidem quiescentis; & inter illos monachos S. Abbo postea Floriacensis Abbas & martyr extitit, qui per biennium fere in monasterijs nostris scholas rexit; Gandauenses verò, ob sanctos mores, quos ipse oculatus testis, cum aliquandiu inter ipsos vixisset, probè nouerat; sed nec huius, aut illius cœnobij omnia instituta suscepit; vt neutro cœnobio inferior esset; sed vtroque superior obseruantia monasteriorum suorum. Peto autem ab aduersario, an Cluniacensi Congregationi incorporati & subiecti, possint pro suo arbitrio, habitoque delectu quædam Congregationis suæ instituta seruare, quædam immutare; quædam aliunde emendicare? aut an hoc in vlla Congregatione recte instituta debeat vllo

 modo

modo tolerari? Cum igitur hic S. Dunstanus vniformem præscribat obseruantiam toti Angliæ, partim à Florensi, partim à Gandauensi monasterio mutuatam, adeoque ab vtriusuis monasterij integra obseruantia discrepantem: certo certius est non eum sua monasteria alij cuiuis trāsmarino regimini, Congregationiue submisisse. Vt omittamus, quæ hic præscribūtur, prorsus repugnasse institutis Cluniacensibus, nimirum electionem Prælatorum Monasterij, nō sine cōsensu regis celebranda; Episcoporū Abbatialium pro futuris temporibus electio etiam cum eodem consensu per monachorum tamen suffragia corroborata, & ipsis Episcopis talibus præscripti canones viuendi, aliaque multa, quæ nec Cluniacenses vnquam tolerassent; sed nec præscribere per vllam suam potestatem potuissent. Nonne apertum est argumentum, nullam extraneam Congregationem in hæc monasteria huic regulari concordiæ subiecta iurisdictionem habuisse: quod hic statuatur, in illis ecclesijs Cathedralibus in quibus eatenus monachi sedere consueuissent (erant autem plęræque Cathedrales ecclesiæ illius ætatis per Angliam tales) deinceps non nisi monachis tradantur, nec ijs nisi per suffragia monachorum electis & postulatis? Consideret etiam quiuis arbiter crepundia tunc fuisse Congrationis Cluniacensis: nempe nondum per Galliam increbuerat eius nomen, cum sub Odone aut eius successore S. Aimando non magis appellari potuerit Congregatio, quam monasterium duplex S. Benedicti Biscopij in Anglia. Erat enim tunc exordium quoddam Congregationis aliquando futuræ; nondum autem aut ordo, aut corpus aliquod instar ordinis fuit Cluniacum, donec sub S. Maiolo cæpit ita haberi & appellari. Apparet igitur quam temerè, quam absurde sentiat aduersarius, qui Cluniacum, quod in Gallia vix adhuc nascebatur, aut noscebatur, facit dominari toti Angliæ, quæ minimum tunc temporis habebat cum Gallicano regno commercium.

Sed nimis multa diximus de Floriacensibus, & S. Dunstano: nam ad summum, vt concedamus Floriacum fuisse ipsum Cluniacum, & S. Dunstanum Cluniaci etiam fuisse professū atque educatum, sequeretur inde ipsum in Angliam reuersum, monasteria Edgari Regis liberalitate restituta, disciplinis regularibus Cluniaci vel Floriaci haustis informasse, aut secundum Cluniacensis idæam obseruantiæ reformasse: nullo autem modo eadem Cluniaco subiecisse, aut incorporasse: quoniam iam superius euidenter conuicimus in conclusione tertia, ante tempora Gulielmi Normannici, nullam prorsus domum Cluniacensis ordinis extitisse; ac proinde illa monasteria, sancti Dunstani, Oswaldi, Ethelwoldi laboribus exculta, non fuisse tunc Cluniacensi ordini subiecta.

Soluitur argumētum sumptū à Præsidibus Capitulorum Generalium.

Ad coniecturam desumptam ex eo quod Præsides capitulorum Prouincialium Angliæ desumpti fuerint ex ordine Cluniacensi: Respondemus aduersarium petere principium, & supponere quod debuit probare. Non fuerunt illi Præsides de corpore Cluniacensi desumpti, vel ipso aduersario teste, quem iam audiuimus profitentem, & contendentem, capitula illa formæ Innocentianæ non comprehendisse Cluniacenses, nec eos ad illa capitula conuenire solitos: Atqui ex ipsis capitulorū actis, quæ in appendice dabimus, cōstat Præsides capitulorum illorum electos esse de numero Prælatorum, qui non solū conueniebant, sed etiam per censuras & mulctas compellebantur conuenire ad illa capitula; Non fuerunt igitur, vel ipso aduersario teste, Præsides illi de numero Cluniacensium. Quare argumentum suum in caput ipsius inuicta consequentia retorquemus, & dicimus: Cluniacenses non poterant compelli vi decreti Innocentiani ad capitula prouincialia: sed Præsides capitulorum erant assumpti de numero eorum, qui poterant ad ipsa capitula compelli; Non fuerunt ergo nec ipsi, nec patres reliqui illorum capitulorum, monachi Cluniacenses. Maior est ipsius aduersarij, & non dubitamus, quin totus ordo Cluniacensis iunctis pedibus sustentabit illius veritatem; Minor est ipsorum actorum capitularium relatione & processu euidentissima; vis illationis est legitima, in forma Augusta nempe Cęsare. Quid ergo respondere poterit aduersarius? Certe debet concedere, Abbatem Sancti Albani reliquosque Abbates Præsides capitulorum nostrorum non fuisse Cluniacenses.

Facit tamen, quod solent pertinaces, & reluctatur quanta vi potest, etsi non argumentis validis, tamen assertionibus audacissimis; & omnia Capitula Generalia, quæ nos supra in prioris conclusionis probatione enumerauimus, omnino contendit fuisse à Cluniacensibus, aut eorum auctoritate celebrata; quod quamuis, vt dixi contradicat principijs iam dictis quæ non potest conuellere; vult tamen vt eorum veritas lectori persuadeatur, principijs illis suis iādudū euidenter disiectis, Monachatus Cluniacensis sancti Dunstani, & Cōprofessionum apud Ingulphum. Vnum præterea, & vnum solum profert argumentum vmbram habens sophismatis, neque enim vel veri sophismatis rationem induit, adeo est imbelle & plumbeū. Quia enim (quod nos etiam iam fassi sumus) aliqua ex iam citatis Capitulis Ge-

bus celebrata fuerint in cœnobijs Cluniacensibus, Bermondseiæ, & Northamtonæ; infert violenta scilicet sequela, etiam eos omnes qui in dictis Capitulis alijsque omnibus conuenerunt fuisse Cluniacenses. Iam superius est huic obiectioni à nobis responsum: sed vt clarius appareat aduersarij anchinoian, & solertiam, hic sane nullam esse: complebimus primo catalogum Capitulorum Generalium superius annotatorum, ex ijs quæ postea à nobis animaduersa sunt; & deinde argumentum ipsum soluemus.

Igitur superioribus Capitulis adijcienda sunt duo alia: ex Annalibus siquidem Teuxberiensibus manuscriptis collegimus, Capitulum Generale nigrorum monachorum celebratum fuisse Oxonij anno 1252. ipso die S. Mathæi; & aliud anno 1255. apud Euesham, præsidentibus Abbate Glastoniæ & Abbate de Perschore, *in quo* (referunt dicti annales) *maximæ & notabiles edebantur constitutiones*. Præterea de Capitulo, quod ibi diximus celebratum fuisse an. 1249. Bermondseyæ; notat Mathæus Paris *conuentum habitum fuisse in die S. Calixti, & inspirante Deo insignem reformationem prouisam fuisse, quam ipsemet* Mathæus retulisse *se ait in librum additamentorum ad historiam suam*. Rursus notandum est, capitulum anni 1269. indictum fuisse ad festum sancti Mathæi Oxonij celebrandum: *Sed cum octo tãtum Abbates eo die conueuissent, prorogatum fuisse idem Capitulum vsque in crastinum S. Eduardi, in die nimirum S. Calixti: locumque assignatum, in ecclesia S. Mariæ apud Southwarke, quam vocabant*, Trans-Thamisanam. Huius capituli statuta nacti sumus: in quorum fine indicitur Capitulum Generale proximè futurum apud Oxonium, in ecclesia de Osney, nominanturque Præsides Abbates S. Edmundi, & de Glocestria.

Ex hac illustratione detegitur illius augmenti fucus: qua enim sequela probat Patres in Capitulis illis conuenientes fuisse Cluniacenses, quia in cœnobio aliquo Cluniacẽsi celebrabant Capitula sua: eadem potest ipsos facere Canonicos regulares, quia ecclesia de Osney Oxonij, in qua Capitulum celebrasse ipsos docuimus, fuit Canonicorum Lateranensium, seu nigrorum S. Augustini; imo poterit eos eodem iure in sæculares transformare; nam ecclesia B. Mariæ trans-Thamesim in Burgo Southwerk, ad collegiũ sæcularium canonicorum spectabat. Patres ergo, non cuius iurisdictionis vel ordinis fuerit locus, in quo conuenirẽt; sed quam opportunus ipsorum negotijs, quę in Capitulo erunt tractanda considerabant. Verum de hoc argumento iam ante satis in ipso quæstionis corpore dixeramus.

Ad quod attexuit vltimo loco, de Lanfranco, Paulo, & Lanzone, merum est Sophisma, ex amphibologia pariter, & falsa citatione conflatum, in qua nempe aduersarius numerum singularẽ ab authore quẽ citat positũ, mutauit in pluralẽ, vt ita suo instituto inuitum accommodaret. Verum igitur est D. Lanzonem virum religionis laude præstantem, cum in Angliam ex petitione instantissima Gulielmi Comitis Warennæ missus fuisset, Priorem S. Pancratij factum, Cluniacensem disciplinam, & ex ea, regulam S. Benedicti mirificè illustrasse, monachosque Cluniacenses per Angliam tunc succrescentes vice Cluniacensis Abbatis gubernasse, propterea enim Prioratus ille S. Pancratij in honorem secundæ filiæ Cluniacensis est à sancto Hugone sublimatus. Quæ omnia nos longè certius, & clarius, ac magis ad honorem & gloriam Cluniacensis ordinis in appendice produximus: vt intelligant illi, nos honori ipsorũ lõgè melius cõsulere, certa & indubitata illorũ iura proferẽdo, & illustrãdo, quã aduersarium falsa fictaque illis offerendo. Sed quod de Lanfranco & Paulo dicit, ipsos nempe vt Cluniacenses, ordinem in Anglia reformasse, non aliter probauit, quam authorem suum falsificando. Locum enim, quem ex Westmonasteriensi nostro descripsit, ita tam in impressis libris (quam etiam in manuscriptis, quos in Anglia iussimus inspici) lector inueniet, ad annum 1077. sicut hic verbatim tibi exhibemus. *Lanzo Prior S. Pancratij venit in Angliam: Et Paulus Cadomensis nepos Lanfranci Archiepiscopi creatus est Abbas S. Albani. Per ipsum etiam totus ordo monasticus in Anglia restoruit, coadiuuante Lanfranco*. Audiuisti Lector, quam acerba censura aduersarius Wyonem vexauerit ob tres crassos errores in tribus lineis commissos, quos tamẽ nos vnũ tantum erratũ fuisse conuicimus. Ecce tibi aduersariũ ipsum, qui in tribus lineolis tres crassos errores commisit; Primum enim insinuat tanquam authoris sui mentem, horum (.i. Lanzonis, Paulij, Lanfranci) opera monasticen in Anglia viguisse: cum Westmonasteriensis non dicat, per ipsos, sed per ipsum, Paulum scilicet, id factum fuisse; Quod quia erat ipsum authoris sui textum corrumpere, non est ausus charactere diuerso (quod citatum testimonium expressit) cudere, ne à legentibus ipsum Westmonasteriensem conuinceretur falsarius: sic tamen continuauit, vt lector, qui Westmonasteriensem non vidisset, reuera putaret illam summam esse sententiæ quam in verbis sequentibus Westmonasteriensis haberet. Est hic primus est, siue error, siue corruptela, in mutatione numeri. Deinde quod Westmonasteriensis soli Paulo præcipuè tribuit, id aduersarius, tanquam

Lanfrãcum & discipulos eius nõ fuisse monachos Cluniacenses.

ex mente Westmonasteriensis Lanzoni etiam assignat: At non esse hanc Westmonasteriensis mentem, ex ipsomet colligitur, qui memor eorum, quæ hoc in loco dixerat, tanquam si aduersarij calumniam præcauere voluisset, alio in loco, nulla facta Lanzonis mentione hoc ipsum Pauli elogium sæpius repetijt. Nam etiam ad annum 1071. dixerat: *Ipse Archiepiscopus Lanfrancus monachorum ordinem secundum regulam Beati Benedicti in multis cœnobijs Angliæ constituit. Primo verò in ecclesia Cantuariensi, postea in ecclesia Sancti Albani Anglorum protomartyrijs, vbi etiam decedente Frederico Abbate substituit nepotem suum Paulum: qui fretus adminiculo auunculi sui ecclesiam restaurauit, & ordinem pene lapsum reformauit.* Et postea ad annum 1089. sic scribit de Lanfranco: *Ordinem monasticum ministerio Pauli nepotis sui, quem secum duxit monachum à Normannia, & in Abbatem S. Albani stabiliuit, eleganter informauit.* De solo ergo Paulo, intellexit Westmonasteriensis, quæ priore loco scripserat, & Lanzoni nullo modo id commune esse voluit. Tertium erratum, & quasi perpetuum, sed in his maxime verbis fundatum est, quod ex eo quod Lanzo Prior S. Pãcratij in principio testimonij ponatur, etiam Paulum & Lanfrancũ, discipulosq; ipsorum faciat Cluniacenses, quo in conceptu mentis suæ per totam pag. 121. & sequentem triumphat. Sed cito ipsi dememus triumphalia insignia. Asserimus enim, & probabimus euidenter, nec Paulum, nec Lanfrancum, nec monachos ab illis in Anglia informatos fuisse vnquam Cluniacenses: idque non ex coniecturis, vt solet aduersarius sed ex authore ipso Lanfranco & Paulo, temporibusque illorum coætaneo, eoque Normanno, Gulielmo Gemiticensi, lib. 5. de ducibus Normanniæ cap. 9 Ex eo siquidem constat, Herluinũ virum sanctum, cum diu miles celebris in armis floruisset, postea assumptis duobus aut tribus socijs paruulum sibi monasterium condidisse, sub arctissima disciplina, (longè certe arctiori quã fuerit Cluniacensis disciplina vel in ipsis suis exordijs) habitũ autẽ religionis ab ipsomet Episcopo Lexouiensis ecclesię suscepit & ab ipso fuisse presbyterũ simul & Abbatem ordinatum: sicut solet fieri, vbi monasterium, omnesque monachi, non aliunde assumpti, sed de nouo creati stabiliuntur. Quare cum nullo antea in monasterio fuisset educatus, sed sola regula magistra, Spiritu Sancto ductore, Episcopo exhortatore sibiipsi nouitius simul & Abbas extitisset, in summa paupertate, arctissimaque disciplina monasterium suum formauit. Ad hunc ergo Abbatem Herluinum Lanfrancus adhuc sæcularis iurisprudentiæ laude (fuerat enim aduocatus teste Orderico Vitali) & literarũ gloria celebris, monasticum habitum quæsiturus venit: cumque inuenisset ipsum Abbatem succinctum panes clibano inferentem, osque furni luto (vt fit) obturantem: motus tanta humilitate senis Lanfrancus, ei se in discipulum dedit, factusque breui Prior sub ipso gloriam Beccensis monasterij longe lateque diffudit, ipsumque opibus, & monachis mire amplificauit; Itaque Gulielmus Conquestor noster Cadomense cœnobium à se nuper ædificatum ipsi tradidit regendum; relictoque proinde in Beccensi cœnobio Anselmo, ipse Cadomum tenuit, & in eo monasterio non Cluniacensem, quam nunquam didicerat, sed Beccensem disciplinam, quam à *therodidacto* sene Herluino acceperat, instituit, in ea Paulum nepotem suũ educauit: Beccensem propterea disciplinam Paulus in monasterium sancti Albani intulit, si tamen disciplinam monasterij omnino innouauit. Ex eadem Beccensi disciplina fuit Arnulphus qui ex monacho S. Luciani Beluacensis (quod cœnobium certe non fuit Cluniacensis disciplinæ, cũ ab eo propterea discesserit Arnulphus, quod propter deformatos cœnobij mores, animam se suam inibi seruare posse dubitaret) ad Lanfrancum veniens primo Cadomũ deinde etiam Cantuariam, in ecclesia Christi monachus sub eo diu fuit. Qualis autem fuerit disciplina quã Lanfrancus Cantuariẽsibus monachis Ecclesię Christi tradidit Malmesburiẽsis verbis, pag. 118. de Archiepiscopis Dorobernensibus agentis in Lanfranco accipe: *Sunt hodie ampliori, quam vspiam Angliæ, vt decet, numero; religione Cluniacensibus non impares. Plurimus inest eis adhuc Lanfrancus.* Quæ cum dicat author non ita longe post æuum Lanfranci viuens (floruit enim sub Henrico I. Rege filio Conquestoris Gulielmi, circa annum Christi. 1154.) simul insinuat & disciplinæ Lanfrancianæ excellentiam, & eiusdẽ, vtputa Beccensis, siue Cadomensis, à Cluniacensi, cui eam quasi contradistinctã confert, diuersitatẽ. Nam si ipsos Cluniacẽses fuisse monachos agnouisset Malmesburiensis, nullatenus eos Cluniacensibus religionis laude coæquasset: omnis enim comparatio inter distincta instituitur, eiusdem autem ad seipsum nulla est comparatio; Hic vero Bibliothecarius noster, Cantuarienses monachos dupliciter comparat: ait enim eos numero maiore fuisse, quam in vllo alio Angliæ monasterio conspiceretur; religione vero ipsos Cluniacenses æquare. Atque vt semel absoluamus huius autoris Malmesburiensis de Cantuariensibus & Cluniacensibus iudicium audi lector, quid de ipsis dicat, vt secus cur illos istis comparauerit, & quam clarè istos ab illis professione distinctos agnouerit. Lib. 5. de gestis Regum Anglorum, agens de Henrico

Monachi discipuli Lãfrãci, non fuere Cluniacenses.

Henrico primo, qui in cœnobio Radingensi à se instaurato Cluniacenses monachos po-„suerat, hæc habet. Pietatis in Deum prædicandæ, monasteria in Anglia & Normannia „construxit: quibus quia nondum supremam manum imposuit, ego interim judicium meũ „differrem, nisi me Radingensium fratrum charitas non fineret. Hoc ille cœnobium inter „duo flumina Kerretam & Tamesim constituit, loco vbi pene omnium itinerantium ad po-„pulosiores Angliæ vrbes posset esse diuersorium; posuitque ibi monachos Cluniacenses, „qui sunt hodie præclarum sanctitatis exemplum, hospitalitatis indefessæ & dulcis indi-„cium. Videas ibi, quod non alibi, vt plus in hospites totis horis venientes, quam in habi-„tantes insumant. Præproperum me & adulatorem fortasse quis dixerit, quod nunc primũ „nascentem religionem tanto efferam præconio, nesciens quid ventura pariat dies. Sed „ipsi vt spero cum Dei gratia enitentur, vt in bono durent: ego non erubesco, si sanctis vi-„ris blandiar, & bonum quod in me non habeo, in illis admirer. Quis non videt clarissimè his verbis indicari à Malmesburiensi, quod Cluniacenses habeat pro monachis toto genere, aut certè toto ordine distinctis à monachis Benedictinis reliquis per Angliam? Ideo enim vocat eos, *religionem nunc primum nascentem*, quod paucis duntaxat antea annis in Anglia apparuissent cum sexaginta tantum anni aut circiter elapsi fuissent à fundatione monasterij Pancratiani siue Lewensis: Neque enim alio respectu recenter natam religionem vocare potuit, quam quia in Anglia respectu aliorum Benedictinorum recentissimũ esset Cluniacensiũ institutum, quod extra Angliam iam per ducentos ferè annos floruisset. Sane si Cantuarienses, si Malmesburienses monachi Cluniacenses fuissent, alio modo laudationem hanc concepisset Gulielmus & non adulationem, quæ in alijs laudandis consistit, sed arrogantiã, quæ in rebus suis nimium extollendis deprecatus fuisset. Dixisset, sese plura de sanctitate Radingensium fratrum scripturum, nisi vereretur nimis insolenter de suæ religionis obseruantia gloriari. Dixisset tandem, aliquando saltem, semel saltem, Cluniacensibus nostris, nostræ religionis monachis hoc vel illud, vel aliud monasterium concessum fuisse; at nunquam ita loquitur aut ille, aut vlli alij nationis Anglicæ historici monachi, quia nulli scilicet eorum fuere Cluniacenses, ideoque de Cluniacensibus tanquam de alterius schematis monachis semper loquuntur. Sed ad discipulos Lanfranci redeamus. Arnulphus igitur ille, quem supra nominauimus, ex Priore Cantuariensis ecclesiæ sub Anselmo factus est Abbas Burgi, siue Petroburgensis cœnobij, ac proinde ibidem Beccensem in qua vixerat, non autem Cluniacensem, quam nunquam exercuerat, disciplinam propagauit. Sicut ex eadem disciplina Beccensi Galterus monachus (Malmesburiensi vtimur autore) Cadomensis, factus est Abbas Eueshamensis; & Gundulphus, Cadomi pariter ac Cantuarię educatus, Abbas simul & Episcopus ecclesiæ Roffensis; Sicut & idem narrat Malmesburiensis, Hugonem comitem Cestriæ, Abbatiam, quam apud Cestriam ædificauerat, Monachis potissimum Beccensibus impleri voluisse; idque ab Anselmo tunc Beccensi Abbate in Angliam eum in finem accito obtinuisse. Constat igitur Beccensem disciplinam per Abbatias Anglię fuisse propagatam, ministerio Pauli, ac postea Arnulphi, Galteri, Gundulphi, Anselmi: quo tempore Cluniacensis disciplina per pauculos tantum prioratus de nouo in eum finem ædificatos, aut denuo ex ruinis resuscitatos fuerat dispersa. Quod vt innuerẽt nostri scriptores, Lanzonem semper vocant Cluniacensem, Paulum nunquam sic appellantes, sed duntaxat Cadomensem.

Lanfrãcus non fuit Cluniacensis: sed instituit reformationem ab illis diuersissimam.

Sed audiamus ipsum Lanfrancum, idoneum proculdubio apud omnes prudentes sui monachatus testem, cui à cordato lectore credatur potius quam Antitrophæarij istius inanibus coniecturis. Extat igitur in palatio Dunelmensi Londini manuscriptum registrum cœnobij Dunelmensis, ex quo describi curauimus totam obseruantiam Lanfrancianam, nempe leges & ordinationes ipsius, quarum in illo libro hic est titulus: *Decreta D. Lanfranci pro ordine S. Benedicti.* Proœmium vero (ne forte librum ipsum decretorũ, in appẽdice non possimus dare) „hic apponemus. Lanfrancus indignus sanctæ Dorobernensis ecclesiæ antistes dilectissi-„mis fratribus suis, Henrico Priori, & cæteris, salutem & benedictionem. Mittimus vobis „nostri ordinis consuetudines scriptas, quas excerpsimus ex consuetudinibus eorum cœno-„biorum, quæ nostro tempore maioris auctoritatis sunt in ordine monachorum. Addidimus „quoque perpauca, & mutauimus nonnulla, & maximè in celebrandis quibusdam festis, „excellentius in nostra ecclesia oportere ea agi censentes propter primatem sedem. In qui-„bus nec nobis, qui præsentes sumus, nec ijs, qui post nos venturi sunt, in aliquo præiudi-„camus, vt non vel eis addere, vel ab eis tollere, vel in eis permutare aliqua valeamus, si „aliter ea commodius posse fieri, vel magistra ratione, vel doctiorum auctoritate intelli-„gamus. Quantumlibet enim quisquam proficiat, maximus ei defectus est, existimare, se „vltra non posse proficere; nam numerus fratrum auctus vel diminutus, facultates locorũ,

varietates

„varietates rerum, quæ sæpe eueniunt, diuersitates sensuum, quod alij quidem sic, & alij sic „intelligunt, plæraque diu seruata plærumque aliter ordinari compellunt. Hinc est, quod „nulla fere ecclesia imitari aliam per omnia potest. Illud tamen cautissime attendendum est, „vt ea, sine quibus anima saluari non potest, omnibus modis inuiolata seruentur, fidem „dico, contemptum mundi, charitatem, castitatem, humilitatem, patientiam, obedientiam, „de perpetratis culpis pænitudinem, earumque humilem confessionem, frequentes ora„tiones, competens silentium, multaque in hunc modum. Hæc vbi seruantur, rectissimè „potest dici, regulam beati Benedicti, & monachorum ibi ordinem custodiri: quoquo modo „varientur cætera, quę pro arbitrio diuersorum in diuersis sunt cœnobijs instituta. Cuius„modi sunt, quod in præcipuis solennitatibus, alibi in tunicis tantum, quos froccos vocant, „& alibi in albis & cappis cantores ad vesperos responsorium canunt; quod in ijsdem fes„tiuitatibus, in alijs locis in albis solummodo, & in alijs cappis etiam induti procedunt; quod „in quibusdam cœnobijs viceni vel triceni, aut plus aut minus, simul in alueis, & in qui„busdam singuli in singulis catinis pedes in claustro ante mandatum abluunt; quod plæra„que monasteria mense Februario transacta B. Mariæ festiuitate officium mortuorum post „vesperas dicere incipiunt: & plæraque vsque ad septuagesimam præstolantur. Huius ge„neris plurima alia existunt, quæ pro sui prolixitate breuiter enumerari non possunt. Hæc „tamen ipsa, postquam seruanda subiectis à pastoribus ordinantur, ab ijs, quorum tota vita „in obedientia sita est, sine culpa minime violantur. Inde vero nemo turbetur, quod in tra„ctatu harum consuetudinum nomen Abbatis tantum, non Episcopi, vel Archiepiscopi po„nitur: ordo quippe monachorum describitur, quorum per Abbates frequentius, quam „per Antistites, vita disponitur. Quamuis & ipsi Antistites, si paternam curam vice Christi „subiectis suis impendant, non absurde Abbates, id est, Patres congruo suis actibus voca„bulo appellari queant. Deus pacis & dilectionis vobiscū maneat & ipse pace & dilectione „sua vos repleat, & ab omnibus peccatis clementer absoluat; Amen. Hactenus proœmium D. Lanfranci.

Non dubito quin prudens lector ex hac præfatione Lanfranci mecum obseruauerit, *primò* decreta hęc facta pro toto ordine S. Benedicti in Anglia, quatenus specifice ab alijs distinguitur ordinibus, qui stricta acceptione Benedictini appellari non solent: vult enim expresse has consuetudines suas inseruire, non solum ijs cœnobijs Benedictinis, quorum Prælati erant Abbates; sed ijs etiam, quibus Abbatum loco & officio præsidebant Episcopi; quod solis Benedictinis, & non Cluniacensibus conuenire, satis superius probauimus, ex eo, quod propterea tales Episcopi, quia simul habebant iura Abbatialia, suffragijs monachorum cathedralium eligerentur; & nemo sani sensus concedet tale priuilegium permissum fuisse ordini maxima ex parte ex alienigenis consistenti. *Deinde* obseruari debet & illud, consuetudines & leges istas per Domnum Lanfrancum, (iuxta quod antea Diuus fecerat Dunstanus ex præscripto S. Gregorij magni) collectas fuisse, non ex vnius obseruantiæ monasterijs, sed ex varijs cœnobijs, eumque nonnulla de suo addidisse, quędam etiam pro suo arbitrio mutasse, & arbitrio prælatorum subsequentium, cum occasio postulauerit, mutanda permisisse: & quis Prælatus Cluniacensis, aut vllius Congregationis reformatæ Generalis, permitteret leges & consuetudines sui ordinis quæ maxime debent esse vnius moris in tota domo ita permisceri, tolli, mutari, modificari, pro inferiorum prælatorum arbitrio? *Denique* quis non videt, non fuisse D. Lanfranco opus libellum consuetudinum tanto labore & cura ex varijs cœnobijs seligere, si Cluniacensis illi obseruantia placuisset, aut eam monachis prouinciæ suæ præscribere voluisset? Sufficere enim eo casu debuisset, monachos ad Cluniacensia statuta cōsuetudinesque remittere, & ipsos in eisdem instituendos Cluniacensibus Prælatis committere. Atqui neque in toto opere isto consuetudinum, seu decretorum regularium meminit Cluniacensium, non meminit eorum ne semel; ne tum quidem, cum maxime debuisset homo Cluniacensis aut Cluniacensibus fauens, eorum meminisse, nempe in capite de Abbatis electione & officio cuius hoc est exordium: *Abbas cum eligitur, omnes fratres, vel maior & melior pars, in eius electionem consentire debent. Electus autem, si extra monasterium consecratur, cum redierit, cum festiua processione suscipiatur. Ipse vero in vtraque statione prostratus iaceat: finito cantu secundæ stationis, Episcopus, si adest, vel legatus eius, in loco & statione Abbati eum statuat. Quo statuto, si Episcopus abest, &c.* An non hæc aperte contradicunt Cluniacensium institutis, Abbatem eligi per suffragia fratrum, nulla habita ratione aut mentione Prælati Cluniacensis? Collocari in stallo Abbatis per Episcopum Diocesanum, aut eo absente, per Vicarium eius? An non hoc directe contra prærogatiuam Cluniacensis exemptionis militat? Nimirum, nihil est cur solicitus esse debuerit Lanfrancus de iure Cluniacensium, pro quibus non erat

illi opus nec animus condere noua decreta: sed pro Prælatis Benedictinis Angliæ, siue illi essent Episcopi, siue Abbates subiecti Episcopis aut ab eisdem exempti, opus hoc assumpsit Lanfrancus: ideoque statuta non Cluniacensia, sed longè à Cluniacensibus diuersa, & dissentanea præscripsit vt legenti facile apparebit.

Et ne dicat aduersarius, Cluniacensem Prælatum Lanfranco permisisse, vt suo arbitrio monachorum in Anglia mores & statuta componeret (quanquam hoc dicere sit absurdissimū, quomodo enim tunc vocari possent Cluniacenses, qui nec obseruantia vterentur Cluniacēsi, nec iurisdictioni Cluniacensi subessent, vt patet ex statutis, & iam dictis non fuisse subditos Benedictinos quibus hæc scripsit Lanfrancus, quorum plurimi habebant Episcopos loco Abbatum, ipsique erant Episcoporum Canonici, plurimi Abbates erant Diocesanis subditi, paucissimi ab eisdem exempti; quæ omnia repugnant substantialibus Cluniacensium institutis & priuilegijs?) Ne tamen etiam hoc absurdum perfugium vsurpet aduersarius, ad omnia paratus, potius quam vt cedat veritati: animaduertat lector mecum, quid ex antiquissimo Registro manuscripto cœnobij S. Albani, quod extat in bibliotheca Cottoniana n. 66. contrà hoc perfugium annotetur. *Paulus Cadomensis ecclesiæ Monachus fuit. Ad cumulum autem laudis eius adijciendum est, quod Consuetudines approbatas & approbandas authoritate Lanfranci quondam Beccensis ecclesiæ Monachi, in ecclesia S. Albani, eliminatis antiquis reprobandis, constituit obseruari.* Et ecce Beccensis ecclesiæ monachi authoritate, non Cluniacensis id factum fuisse. Et longe manifestius atque euidentius alio in loco eiusdem Registri: *Paulus Cadomensis monachus nepos Lanfranci reformauit sanctum Albanum. 1077. & facta est ecclesia Sancti Albani quasi schola religionis & disciplinaris obseruantiæ per totum regnum Angliæ. Attulerat namque secum consuetudines Lanfranci, & statuta monastica, à Domino Papa merito approbata, conscripta. Vnde odor bonæ famæ huius ecclesiæ Romanam Curiam & remota regna illustranda peruolauit, & multorum tam prælatorum quam magnatum corda fæliciter ei inclinauit.* Hic certe Pontificia & Archiepiscopalis authoritas ponitur, non Cluniacensis Prælati: cuius tamen non erat ignota Lanfranco obseruantia, quippe quę iam per Lanzonem quendam (vt eum vocat Malmesburiensis tanquā suis Benedictinis Anglis non admodū notū, quippe quia alterius ordinis) inceperat in Anglia plantari. Sed Lanfrancus arctiori, nobiliorique (vt antea ex Gulielmo Gemiticensi eius coætaneo demonstrauimus) assuetus obseruantię, eam voluit Monachis per Angliam reformādis tradere: idque merito, Benedictinis Benedictinam disciplinam, non Cluniacensem, quæ licet sub eadem regula, alterius tamē ordinis habebatur. Et notanda vox *reformationis*, qua vtitur Historicus S. Albani, per quam certe indicat Paulum monachos, quos ibi repererat non ad alium ordinem transtulisse, sed ad meliorem formam disciplinæ reuocasse. Quod si Cluniacenses fuissent anteà (vt aduersarius præfracte contendit) aut esse tunc incepissent: non fuisset Paulo opus reformatione Beccensis ecclesiæ, imo non debuisset ea vti, sed homogeneā Cluniacensem instruxisse. Enimuerò somniauit aduersarius hoc paradoxum: quod tanquam somnium à Morpheo ipsi immissum contemnamus cum prudentibus, & Lanfrancum, Paulum, cæterosque eorum discipulos nunquam fuisse Cluniacenses tanquam demonstratum ponamus.

Putamus nos primum hoc aduersarij argumentum, quo S. Albani monasterium subiecit matrici ecclesię alienigenæ, satis refutasse copiose: quod fecimus, non quia tanti æstimamus aduersarij ratiunculas: sed quia sic antiquitates Congregationis nostræ solide simul & abundāter illustrabimus. Propterea, licet quę hactenus dicta sunt, sufficiāt, tamen nō tantum elenchicè aduersarium confutando, sed etiam directè & in speciali probabimus, hoc nostrum S. Albani monasterium Cluniacensibus non fuisse subiectum. Certè Mathæus Paris diligentissimus rerum nostrarum scriptor; cum à tempore Normanni præcipuas monasterij S. Albani (cuius ipse erat monachus & Præcentor) annotauerit: nunquam hoc omisisset, si Paulus Cluniacensis fuisset, aut Cluniacensem disciplinam in suum monasterium inuexisset. At cum eius electionem laudesque enarrat, & diem obitus consignat, semper Cadomensem, nunquam Cluniacensem appellat. Similiter ad annum 1214. pag. 243, cum recenset omnes Abbates S. Albani ab ipsius prima fundatione, nempe à Willegodo quem Offa Rex & fundator præfecit, vsque ad Gulielmum Abbatem vigesimum secundum a Rege Ioanne institutum; & anno 1235. in electione Ioannis de Hertfordia, qui fuit successor præfati Gulielmi, nō solum non meminit Cluniacensium, verum etiam ea dicit, quæ euidenter ostendunt Abbatiam illam non fuisse Cluniacensium, vt constat ex loco ipso, quem totum in prima probatione tertię conclusionis nostræ descripsimus: vbi ponitur liberrima electio Abbatis, præhabito duntaxat assensu regio; formaque electionis omninò independens à quacumque alia ecclesia, quæ omnia corroborantur in bulla Gregorij noni ad eandem electionem confirmādam

Demonstratur decrete, cœnobiū Albanense nō fuisse Cluniacensium.

A forma electionis Abbatum.

dam expedita (quæ apud Mathæum Paris habetur pagina 399. ad annum 1233.) ad quem Pontificem Albanenses monachi, nulla habita Cluniacensis Abbatis aut ecclesiæ ratione, pro sui Abbatis confirmatione confugerunt. Profectò clausula ipsa literarum, quas pro confirmatione electionis prædictæ Prior, & conuentus ad Pontificem Gregorium 9 miserunt, ostendit cuiuis intelligenti lectori, Albanenses nullo modo ad Cluniacum spectasse: *Hinc est* (inquiunt) *benignißime Pater, quare nos, qui filij vestri sumus, & immediate ad Romanum Pontificem spectantes, vobis in omni, qua possumus supplicamus deuotione, quatenus Dei intuitu, & ad leuamen ecclesiæ nostræ, quæ sub hac vacatura in magno nauigat periculo sub sæculari custodia constituta, electo nostro absque moræ dispendio officij sui confirmationem misericorditer impendatis.* Similiter & clausula prior rescripti Pontificij hoc ipsum demonstrat; committens enim Episcopis Londinensi & Eliensi examen de persona electi Abbatis, ita eos alloquitur: *Monasterio Sancti Albani Lincolniensis Diœcesis, quod ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinet, Abbatis solatio destituti, dilecti filij Prior & Conuentus ipsius monasterij, sicut accepimus, requisito prius, sicut moris est, assensu regio & obtento, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt, potuerunt commodè interesse, de Abbatis futuri substitutione tractantes, post diuersos tractatus, quibusdam de collegio, eligendi ei Abbatem potestatem plenariam vnanimiter contulerunt. &c.* Sanè in vtrisque literis, tam conuentus, quam pontificis, apparet Abbatiam nullius iurisdictioni, præterquam Pontificis in spiritualibus subiectam fuisse; liberrimè, & plenaria potestate Abbatem sibi iure suffragiorum elegisse, sine vlla Cluniacensium interuentione; eamque potestatem Pontificem agnouisse qui tamen, si Cluniacensium fuisset vlla in eos iurisdictio, eius mentionem fecisset, & se eidem (vt in similibus solet) hac saltem vice derogare velle scripsisset. Non commisisset rem examinandam Episcopis: imo nec ipsi Monachi ad Romanum Pontificem, sed ad Cluniacensem Abbatem pro confirmatione electi recurrissent. Sed nec ab ipso rege consensum postulassent, verum eo non expectato ad electionem processissent, sicut in conuentibus Anglicis sibi subiectis facere solebant. Quod ne quis à nobis gratis (vt aiunt) & sine fundamento dictum obijciat, ecce testimonium, (quod proinde hac in re omni exceptione maius est) ipsorum Cluniacensium ex annalibus transcriptis S. Pancratij de Lewes in quibus, præter ea, quæ superius citauimus, hæc habētur. *Anno millesimo trecentesimo* (inquit) *in vigilia Sancti Mathæi Apostoli, Prior Levvensis accessit ad domum de Farley, & Priorem dictæ domus per præceptum Domini Abbatis, & ex officio suæ visitationis degradauit; qui dictam domum in multimodis placitis, & alijs oppressuris reliquit. Cui successit Ioannes de Castro nouo Iardinarius de domo Levviensi, & intrauit in domum de Farley in crastino Circuncisionis Domini, & à toto conuentu honorificè receptus est.* Vides liberrimam destitutionem, & institutionem Prælatorum in ordine Cluniacēsi, vsurpatam, sine suffragijs fratrum conuentualium, sine regali assensu petito, solius Abbatis Cluniacensis imperio, aut Visitatoris ab eo constituti arbitrio. Simile est in ijsdem Annalibus: *Anno millesimo ducentesimo septuagesimo quinto Petrus de Villiaco Prior de Siluiniaco à Domino Abbate Cluniacensi mißus in Priorem Levviensem venit apud Levvias die Sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi. Item eodem anno nonis Nouembris, idem receßit, factusque est Prior S. Martini Paris in octauis S. Martini hyemalis. Cui successit D. Ioannes Thiengues Prior de Gay factus Prior de Levves.* Ita etiam præcipuus prioratus Cluniacensium in Anglia, cuius Prælatus erat visitator natus ordinis sui, liberrimè ad motum Abbatis intra vnius anni curriculum instituebatur, & destituebatur. Quod nunquam factum est in Abbatijs nigrorum per Angliam: in quibus siue crearentur Prælati, siue amouerentur, semper interueniebat suffragatio fratrum, assensus regum, & confirmatio Pontificum. Verum quidem est aliquando solitos Cluniacenses visitatores petere regis *saluum conductum*; sed eo habito, sine alio assensu quæ sui erant muneris exequabantur. Cuius rei testimonium regale habemus ex Archiuio Turris Londinensis patenti. 19 Edwardi 3. parte. 1. membrana. 15. tenoris sequentis: Rex omnibus Balliuis & fidelibus suis salutem. Sciatis, quod cum dilecti nobis in Christo Prior de „ Monteacuto, & Prior de Wenlock ordinis Cluniacensis in Anglia, ad Prioratum de Lentona iuxta Notingham de mandato Abbatis Cluniacensis iuxta tenorem cuiusdam commissionis sibi inde factæ visitandum, & ad ea, quæ salutem animarum concernunt faciendum in proximo se diuertant: suscepimus ipsos priores ac homines seruientes suos secū existentes in eundo versus prioratum prædictum, ibidem commorando, & exinde redeundo manuteneatis, protegatis, & defendatis, non inferentes eis, vel permittentes aliquod damnum. &c. Hæ literæ per annum duraturæ. Teste meipso. 4. Maij. Annus hic erat. 1344. videturque concessus istis visitatoribus saluus conductus, propterea quod ardente inter Reges Angliæ & Galliæ bello, non fuisset alias tutum prædictis, cum essent alienigenæ, per regnum Angliç iter facere.

Iam

Iam confidera mihi etiam modum Exemptionis Immediatæ, qua excluditur dependentia ab omni alio Prælato Spirituali, præterquam à summo Pontifice: quem exemptionis excellentem modum, & illi ipsi Albanenses monachi profitentur in sua Epistola, & Pontifex in rescripto agnoscit. De quâ etiam vide fragmenta quædam ex collectionibus Ioannis Wheathamsted Abbatis S. Albani, quæ posuimus in appendice, num. 64. quibus adde lepidū exordium narrationis, quam idem Abbas in libro de actis Prælaturæ suæ manuscripto nondum edito (qui est in bibliotheca Cottoniana) instituit de lite acta inter ipsum, & Archiepiscopū Cantuariensem. est autem huiusmodi. Post hoc, inquit, in anno prælationis huius Abbatis primo (loquitur de priore prælatura tempore Henrici quinti; nam cum semel resignasset, iterum ad eandem assumptus est) cum ipse pater requiem haberet cum omnibus, nec esset vllus aut de eo tenens, aut sibi obediens, qui perturbare præsumpsit pacem eius: vidit pacis æmulus, & inuidit, in eiusque inquietationem non modicam excitauit cor Archipræsulis Cantuariæ, sibique suggessit pro suorum retractione reuerentialium bella plusquam ciuilia contra Abbatem mouere. Vnde quadam die, cum venissent coram ipso Archipræsule clerici singuli, qui sibi assistebant in sua pendente Metropolitica visitatione: affuit etiam inter ipsos sacerdos, (ne dicatur, Sathanas) qui comperta correxerat in comitatu Hertfordiæ. Cui cum dixisset iste dominus; vnde venis? & ille respondisset, circuiui terram, & Comitatum Hertfordiæ perambulaui, fecique in his, quæ mandastis mihi, aliqualem, licet non plenariam iuxta vestrum desiderium correctionem. Dixit iterum, sed eloquio, satis ironico, Archipræsul ad eum: nunquid considerasti fratrem meum Abbatē de S. Albano, quod non sit ei similis in toto illo comitatu, vir simplex & rectus, & recedens à malo? Cui sacerdos ridens, dixit. Domum & dominia huius Abbatis vallauit summus Pontifex exemptionis priuilegio per circuitum, ita quod non poterit ordinaria potestas vllam extendere inquietationis manum in eum: iube tamen me tangere ea, quæ possidet alibi, & forsitan in faciem benedicet tibi. Adhæc Archiprimas: ecce in manū tua sunt vniuersa, quæ extrà suam iurisdictionem possidet exemptam; tantum in eam, quia in ea parte nobis deficit ordinaria potestas, ne extendas manum tuam. Egressus igitur sacerdos iste &c. Quibus in verbis patet amplissimam fuisse exemptionem huius monasterij, nec ratione Cluniacensis vllius obedientiæ conuenientem, sed immediatam sedi Apostolicę. Quare in vexationibus & molestijs nunquā ad Cluniacenses confugiebat hic Abbas, sed vel ad Capitulum Generale, vel ad Regem, aut Pontificem. Cuius rei argumentum habemus, rescriptum regium, contra nonnullos monachos rebelles monasterio illi subiectos: desumptum est ex Clauf. 14. Eduard. 2. memb. 17. cuius tenor est huiusmodi. Rex vicecomiti Norfolciæ; Insinuauit nobis dilectus in Christo frater Simon Abbas Ramseyæ Præsidens Capitulo Generali ordinis S. Benedicti Cantuariensis prouinciæ per literas suas patentes, quod cum in eodem Capitulo apud Northamton celebrato de statu ordinis prædicti per definitores, Abbates, Priores, & cæteros in eodem cōgregatos diligens iuxta morem consuetum tractatus haberetur; compertum est, quod Fr. Willielmus de Somerton, qui se dicit Priorem de Binham, & Fr. Nicolaus Spark, Fr. Stephanus de Dunstable, Fr. Radulphus de S. Albano, Fr. Wilielmus de Stok, Fr. Wilielmus Quatermains, Fr. Bartholomæus de Berneye, Fr. Robertus de Geremuth, Fr. Wilielmus de Wetheringsete, Fr. Ioannes de Romesey, Fr. Ioannes de Whathamstede, Fr. Adam de Wittenham, Fr. Simon de Binham, & Fr. Robertus de Westerfild, monachi eiusdem domus, spreta substantia sui ordinis & professione, contra substantiam viuunt in inobedientia, proprietate, varijsque insolentijs in animarum suarum periculum, & scandalum monastici ordinis vniuersi; & ad suæ præsumptionis temeritatem confouendam, arma accipiunt, ac fautorū conuenticula & congregationes exquirunt. Cumque Abbas de S. Albano, cui subditi esse noscuntur, varijs modis contra eos processerit, tam per censuram canonicam, quam regularē, quas ipsi contēpserunt hucusque vtique vt impij, qui in profundū malorum deuenerūt: nec superest quid vlterius facere possint iuxta disciplinam regularem; Propter quod prædictus Præsidens vice sua, & collegæ sui ac cæterorū Definitorum, Abbatum, & Priorum ibidem præsentium, pro honore totius ordinis prædicti nobis supplicauit vt ad huiusmodi obstinatorum malitiam deprimendam extendere dignemur auxilium brachij sæcularis; Nos igitur pro honore & statu ecclesiæ ac obseruantiæ regularis remedium apponere volentes in hac parte, tibi præcipimus quod ad prædictum Prioratum de Binham cum sufficiente posse accedas, & prædictos fratres Wilielmum &c. capias, & ipsos Abbati suo, vel eius in hac parte procuratori liberes, secundum regulam Beati Benedicti corrigendos; eidemque

Amodo exemptionis.

A modo inuocādi Capituli, & Regis auxiliū in grauaminibus.

„ Abbati, aut eius procuratori in adducendo ipsos ad claustrum monasterij siue professio-„ nis de S. Albano securum conductum suis sumptibus habere facias. Teste meipso. apud „ Westmonast. 18 die Octobris. Quid hic non sonat ordinem prorsus distinctum à Cluniacensi? Præsidens capituli ordinis S. Benedicti, cum Definitoribus, Abbatibus, Prioribus ibidem Congregatis de statu ordinis sui diligenter tractantes, nulla facta mentione, nulla habita memoria Cluniacensium, (quid enim ad illos alterius ordinis in suo capitulo mentio aut memoria) in causa Abbatis S. Albani contra rebelles monachos magni Prioratus sui, vt apparet ex tanto numero hic nominatorum vltimum remedium regulare supponit esse Capituli Generalis iudicium; à quo ad auxilium brachij sæcularis itur: quod si Cluniacensis Abbatia fuisset, certe aut ipse Abbas, Cluniacensis Prælati inuocasset imperium; aut monachi à suo Abbate, & Capitulo huius prouinciæ ad Capitulum Generale ordinis Cluniacensis prouocassent. Sed nimirum Abbatia S. Albani, cuius Abbas erat Angliæ Protoabbas, nunquam agnouit alium in spiritualibus superiorem, præter Capituli Generalis Præsides, & summum Pontificem. Tantæ excellentiæ, vt Prioratus sub se habuerit conuentuales insignes & vnum præsertim, de Wimondham, cuius Prior locum in Parlamento habuit anno 1307. sub Edwardo 1. & posteà in Abbatiā erigi meruit: cuius erectionis diploma, quod nullam Cluniacensis, sed Abbatis tantum Albanensis iurisdictionis derogationem expresse insinuat, hic etiam apponemus, desumptum ex pate. 27. Henrici 6. part. 2. m.12. Vbi rex Henricus in literis patentibus suis, quibus Prioratum illum in Abbatiam erigi permittit, inserit „ verbatim bullam sequentem: Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei „ memoriam. Romanus Pontifex super vniuersas orbis ecclesias monasteria, beneficia, sæ-„ cularia & regularia diuina obtinens miseratione primatum, ecclesiarum & beneficiorum „ huiusmodi statum quandoque immutat, honores auget, & illis salubriter prouidet, prout „ rerum & temporum qualitate pensata id in Domino conspicit salubriter expedire. Sane ex „ parte dilecti filij nobilis viri Andreæ Ogardi militis nobis nuper exhibita petitio contine-„ bat, quod olim quidam Willielmus Daubeney aliàs de Albineyo &c. Prioratum de Wi-„ mondham ordinis S. Benedicti fundauit &c. pro parte dicti Andreæ, veri eiusdem Prio-„ ratus Patroni fuit nobis humiliter supplicatum, vt dictum Prioratum in monasterium eri-„ gere, nec non conuentum & Abbatialem dignitatem inibi instituere dignaremur; nos igi-„ tur & Prioratum ipsum ad laudem Dei & beatę Mariæ, huiusmodi ad monasterium præ-„ sentium tenore reducimus, ac conuentum & Abbatialem dignitatem, inibi instituimus; Ita „ quod Prioratus ipse, monasterium beatæ Mariæ de Wimondham perpetuo nuncupetur „ &c. & quod Abbates eiusdē monasterij omnibus prærogatiuis, priuilegijs, honoribus, im-„ munitatibus, insignijs, quibus alij dicti ordinis monasteriorum Abbates in partibus illis in „ genere gaudent & vtuntur, vti valeat pariter & gaudere &c. Non obstantibus constitu-„ tionibus & ordinationibus Apostolicis &c. specialiter priuilegijs & indultis Abbatiæ S. „ Albani per legatos huius sedis Othonem & Othobonum concessis &c. ac statutis & con-„ suetudinibus monasteriorum & ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Aposto-„ lica, vel quauis alia firmitate roboratis, cæterisque contrarijs quibuscumque, quibus om-„ nibus, illorum tenores atque formas præsentibus pro expressis habentes specialiter & ex-„ presse hac vice duntaxat derogamus &c. Datum Romæ apud S. Potentianam anno incar-„ nationis Dominicę. 1448. 16. calend. Octob. Pontificatus nostri anno. 2. Fuit is Pontifex Nicolaus eius nominis secundus: erat annus regni Henrici 6. vigesimus septimus, quo hæc erectio Prioratus Wimondham in Abbatiam à Pontifice & Rege facta est petente Domino Andræa Ogardo, qui Gulielmi de Albineyo fundatoris hæres extitit ac proinde Prioratus illius Patronus; ad cuius instantiam Prioratus iste factus est Abbatia, extincto in eo per specialem derogatoriam clausulam iure & titulo Abbatis Albanensis; nulla prorsus facta mentione (vt notabam antea) Abbatis Cluniacensis: quæ tamen per similem derogatoriam debebat fieri, si Albanensis Abbatia Cluniaco subdita fuisset: per multas siquidem bullas confirmatum fuerat Cluniacensibus, priuilegium, ne Cluniacensi Prælato non consentiente, vlla domus eis subiecta in Abbatiam commutaretur. Denique quid opus est verbis? relegat beneuolus inspector historiam Cluniacensium trium qui in Angliam venerant vt iurisdictionem suā recuperarent, quam posuimus in appendice, n.74. & aperte constabit adeo non fuisse Albanensem Abbatiam iuris aut formæ Cluniacensis, vt ne habitum quidem ipsum, quem gestabant, Abbas Albanensis vir doctus antea cognouerit, ideoque eius formam sibi à monachis illis descriptam mitti curauerit.

A magnitudine Priorum ab Albanēsi depēdētium.

Non omittendum hoc loco duximus etiamsi parum extra locum suum dicatur nos postquam ista meditati fuissemus, incidisse in alium codicem continentem vitam & gesta Dun-

stani scriptam literis Saxonicis antiquissimis, in bibliotheca Cottoniana cuius author se interfuisse ait vltimæ missæ, quam Sanctus Dunstanus celebrarit & inter alios monachos, Agnus Dei cecinisse, ac proinde ipsi vt de rebus sibi exploratis & quorum oculatus plerumque testis fuerit scribendi par est magis credere quam Ingulpho tot post annos viuenti, & de rebus tantummodo per auditum acceptis narranti. Hic igitur author, cum eadem per omnia tradat cum Osberno, nullam tamen facit mentionem Floriacensis monasterij, sed tantummodo profectionis ipsius D. Dunstani in Gallias, breuisque ibidem factæ moræ: qui proculdubio tam notabilem rem nunquam omisisset, si Floriacum monasticæ disciplinæ causa Dunstanus adiuisset. Imo expressè ait ipsum, longe ante exilium Gallicum factum fuisse monachum. Cum enim narrasset Dunstani adhuc adolescentis animum à vita monastica, alieniorem, morbumque propterea ipsi diuinitus immissum: his verbis vtitur: *Interea propinquus ipsius Aelphegus cognomine Caluus, Præsul quoque fidelis, petitionibus multis & spiritualibus monitis eum rogauit vt fieret monachus: quod ille renuncians*, & cætera de morbo superueniente: tum adijcit quomodo reconualescens, *ad se Pontificem iam antea spretum humili prece vocauit, & obedire se velle eius salutaribus monitis nunciauit. At ille visitando veniens consolatum, & emendatum Deo monachum consecrauit.* Hæc autem regnante Athelstano facta narrat, & postea vitam tum eremiticè, tum monasticè & Abbatialiter in monasterio Glastoniç actam recenset: vt nihil testatius esse possit, quam Dunstanum nunquam fuisse monachum Floriacensem, testimonio autorum Ingulpho antiquiorum, & qui ex professo res illius gestas diligentissimè inquisiuerunt, quorum vnus non inquisiuit modo, verum etiam oculis suis vidit & testatus est.

Addamus etiam, quod & seriùs in manus nostras incidit aliud testimoniũ cuiusmodinam fuerit disciplina Albanensis monasterij primitus instituta: In peruetusto enim manuscripto exemplari, in quo vitæ & res gestæ Abbatum Albanensium continentur, hæc verba quasi in exordio libri inuenimus: *Anno 33. regni Offæ Regis inuentus est S. Albanus, & ipsius domus fundata. Willegodus primus Abbas ecclesiæ S. Albani curam ecclesiæ sibi commissæ adiutorio regis fultus regit. Huic gloriosus rex Offa Merciorum gerens gubernacula, corpore B. Albani patroni nostri de terra leuato hanc ecclesiam multarum possessionum libertatumque prærogatiua dotatam tradidit gubernandam, atque monachis è multis regionibus sanctitate præelectis in eadem ecclesia fœliciter aptatis, iuxta institutionem & tenorem regulæ S. Benedicti sub ipso viuere regulariter ac reuerenter ordinauit.* Ex quibus verbis intelligi datur, antiquam fuisse consuetudinem nostrorum, in recenter ædificatis monasterijs instituendis, vndecumque pios & obseruantes regulæ monachos conquirere, è varijs monasterijs & prouincijs: & propterea absurdum sit ex tali consuetudine, quam postea Dunstanus, Lanfrancus, & alij sequuti fuerint, inferre, monasteria sic instituta ijs monasterijs subiecta fuisse, vnde monachos institutores accepissent.

Atque hactenus vindicauimus monasterium nostrum S. Albani ab aduersarij captiuitate, qua in re cõsideret etiam benignus lector, difficilem & iniustam nobis conditioné impositã: vt fundationes monasteriorum & bullas Pontificum, Regumque concessiones Abbatijs nostris factas ad earum à Cluniacensibus independentiam ostendendam producamus, post tantam calamitatem, quam passa sunt monasteria, in qua mirum esset plæraque scripta authentica non fuisse penitus deperdita: Cum potius aduersarius deberet pro iure Cluniacensium, quod non zelo illius sancti ordinis, sed proposito nobis officiendi propugnat, ex Archiuis Cluniacensibus vel Romanis similia producere, quibus in locis, cum nondum fuerit tantum periculum, securius hæc instrumenta custodiuntur. Et asseruata Cluniaci fuisse præcipua instrumenta quæ domos in Anglia concernebant, constabit bene perpendenti scriptum Guilielmi Comitis Warennç in appendice positum, in quo inter reliqua dicit Comes se illud scriptum ad petitionem D. Lanzonis dedisse, eo quod prius instrumentum fundationis Cluniaci custodiretur. Voluit tamen Deus, vt in tanto rerum & monumentorum vetustatis sanctæ neglectu suscitaretur nobilissimus Antiquitatis amator, & eruditionis ac eruditorum fautor egregius D. Robertus Cottonus qué honoris & gratitudinis causa nomino: qui nõ est tot passus insignia monuméta patriç nostræ perire, sed vndique magnis impẽsis, curaque gloriosa cõquisiuit manuscripta veterũ bibliothecarũ, eaque in ornatissima & copiosissima bibliotheca sua non solum securè collocauit, sed etiam (quod immortali laude dignissimum est) eadem ipse penitus reuoluit, & perlegit. Vt quantum temporis alij alijs sæculi negotijs tradunt, tantum illius nobilissima mens studio antiquitatis, & veterum heroum gestis contemplandis concedit. Quæ obiter ad laudem tanti viri diximus, quia quamuis nec nos nec nostram causam forsitan nouerit, tamen cum multa monumenta rerum nostrarum per amicos ab eius instructissima bibliotheca hausimus, non debuit sine iustis præconijs à nobis prætere-

ri: vt de eo dicamus, quod de sapientia dixit Salomon, quia sapientiæ splendorem, quo illius animus illustratur, *sine inuidia communicat, & honestatem illius non abscondit.*

Memb. 2. De Abbatia Abingdonensi, & alijs.

Synopsis totius membri.

§. 1. Argumentũ aduersarij. §. 2. Soluitur negatione consequẽtiæ. §. 3. Ethelwoldũ, Ordgarũ, Corbeiæ monachos, nõ fuisse Cluniacẽses. §. 4. Loc⁹ Harpsfeldij male impressus restituitur veræ lectioni. §. 5. Directa probatio, Abbatiã Abindoniæ nũquam fuisse Cluniacensem. §. 6. De Abbatia Amesburiensi. §. 7. De monasterio S. Andreæ Northamtonensi. §. 8. De Abbatia S. Augustini Cantuariensis.

PRocedamus iam ad reliquas aduersarij coniecturas, quibus conatur Abbatias Anglicanas Cluniaco subijcere: & quanquam ex ijs, quæ de monasterio S. Albani disputauimus, solutæ sint virtute, & *dunamei* vt ille loqui amat, omnes eius ratiunculæ; tamen vt vberius appareat causæ nostræ veritas, & aduersarij temeritas, de singulis monasterijs ab ipso recensitis, aliquid dicemus; sic enim etiam Apparatum hunc historiæ nostræ melius illustrabimus.

De Abbatia Abẽdonensi. Vult igitur aduersarius insignem Abbatiam Abingdonensem, Cluniacensis iuris esse pag. 111. & probat solitis illis coniecturis. Quia sanctus Ethelwoldus Abbas illius misit Ordgarũ successorem suum ad monasterium Floriacense, quod spectabat scilicet ad Cluniacenses, vt Cluniacensem disciplinam exacte disceret; ac deinde accersitis etiam per eundem ex Corbeia Galliæ cœnobio monachis magnæ religionis, Abbatiam hanc in perfecta stabiliuerit obseruantia. Deinde pagina 92. ex Harpsfeldio, sic legit decimo sæculo, cap. 9. *Quo factum est vt huic potißimum* (cœnobio scilicet Abingdonensi) *præfecti sint, qui alia cœnobia gubernarent, vt Eliense, Burgense, Thorneyense, & alia.* Deinde ex hac deprauata lectione sic arguit. *Ex quo patet non solum Abingdonense monasterium fuisse Cluniacensis Congregationis, sed etiam illius in Anglia potißimum caput, cuius regimini modo dicta monasteria subessent: atque adeo hinc colligitur ea fuisse subdita non solum disciplinæ sed etiam regimini & iurisdictioni Congregationis Cluniacensis, cuius Abingdonia per S. Ethelwoldum facta est membrum præcipuum.*

Aduersarij tautologia. Est quidem res fastidij plena, toties idem dicere: Sed quoniam aduersarius forte hic sibi iudicat patrocinari illud græcorum adagium, *dis, kai tris ta kala;* & quoniam bellam rem, & omnino pulcham theoriam se inuenisse putat, cum Floriacũ transformauit in Cluniacense, & sydera illa monastici ordinis in Anglia Dunstanum, Oswaldum, Ethelwoldum, in monachos Floriaco-Cluniacenses, aut Cluniaco-Floriacẽses (est enim aduersarius entium obiectiuorum, & vtopicarum chimærarum ingeniosus architectus) necessitas quædam nobis est easdem veritates repetendi, & eisdem erroribus opponendi; & crambem ab eo vigesies recoctam, vigesies etiam abijciendi. Quod tamen ita faciemus, vt semper aliquid antiquitati monasteriorum nostrorum illustrandæ in gratiam eruditi lectoris adferamus. Ad argumentũ itaque quod attinet, iam patet ex prædictis nihil valere consequentiam, etsi totum concedatur antecedens; Fuerint Ethelwoldus, Ordgarius, illi Abbatiæ Abingdoniæ (vt legit aduersarius) præfecti, quin & multa alia rexerint monasteria: fuerint inquam Floriacenses, non tamen sequitur fuisse Cluniacenses, vt iam est ad prius argumentum abunde demonstratum. Fuerint etiam Cluniacenses, non tamen inde conficitur, eos Abbatias sibi commissas Cluniacensi Congregationi subiecisse: quia iam luculente ostendimus, ante Gulielmi Normãni tempora, *Anglicam terram* non vidisse, nec agnouisse monasteria vlla Cluniacensium.

Ethelwoldus & Ordgarus nec Cluniacenses fuere, nec Floriacenses. Sed reuera S. Ethelwoldus, Ordgarus, & reliqui illi Abbates nec Floriacenses monachi fuere, nec Cluniacenses. Id iam ex parte probatum est, nec enim Ethelwoldus Floriacum adiuit disciplinæ exactioris causa, quam sub Dunstano magistro longè melius quam Floriaci haurire potuisset; sed more illorum temporum ob reuerentiam corporis S. Benedicti, quod Floriaci habebatur ad cuius sacras reliquias spiritũ se religionis deriuare posse fœlicius per ipsius preces putabant. Neque enim ignotũ est historicis Saxones & Anglos nostros præ cæteris nationibus, peregrinationibus religiosis ad sanctorum pignora fuisse addictissimos, & Benedicti Patriarchæ sui gloriæ studiosissimos. Nec Ordgarum ob aliud Floriacum miserat, sed vt aperte patet ex narratione, quam aduersarius vere citat, vt postquam corpus S. Benedicti honorasset, Corbeiam potissimum viros monasticam disciplinam exquisitissimè callentes

callentes secum ad Abingdoniæ cœnobium adduceret. At hoc ipsum validissimum est telum contrà ipsum aduersarium, cuius per hoc obiectio more scorpionis suam secum adducit antidotum. Etenim Corbeia nunquam fuit iurisdictionis Cluniacensis, nunquam ab ipsis reformata: quod constat ex priuilegio amplissimo Nicolai magni, ejus nominis primi, concesso Tratulpho Corbeiæ Abbati longè ante Cluniacensis monasterij tempora & postea per priuilegia Benedicti, Leonis, Vrbani, Paschalis, Innocentij, Eugenij, Adriani, Alexandri Clementis, Cælestini Romanorum Pontificum, eidem Abbatiæ concessis; tandemque per bullam Innocentij tertij, qui eorundem omnium Pontificum bullas supponens, atque imitans, exemptionem Corbeiæ ab omni potestate confirmat, ad annum Domini 1198. Neque de hac re vlla potest esse apud Gallicarum rerum peritos dubitatio. Cum igitur non adduxerit Ordgarus monachos Cluniacenses, sed Corbeienses ad suum cœnobium, aperrè cōstat, non id eum egisse, vt aut Corbeiæ, aut Cluniaco monasterium suum subijceret; Sed vt monachos aliquot disciplinæ laude præstantes haberet in suo cœnobio instituendo coadiutores. Quod autem Corbeienses monachos elegerit, & non Cluniacēses aut Floriacenses, ostendit euidenter quam vana sit illa aduersarij argumentatio (quam tamen sæpissimè vsurpat) Dunstanum, Oswaldum, Ethelwoldum, Lanfrancum, cæterosque heroes nostros, monachos optimæ disciplinæ vndique conquisiuisse: ergo Cluniacenses. Patet enim hic in Ordgari facto, Corbeienses habitos ab illo pro religiosissimis, quos constat nunquam fuisse Cluniacenses; vt omittam quod apud autores, penes quos hæc Ordgari historiam inuenit aduersarius, nulla fiat mentio Cluniacensium. Deinde aduersarius ostendit se imperitum & historiæ nostræ, & artis coniectandi (quam tamen videtur vbique profiteri:) cum non aduertat nullo negotio Ordgarum à Corbeiensi monasterio, quod voluit, impetrare potuisse: cum illud monasterium à Saxonici sanguinis regina Batilde fuerit fundatum, & magna ex parte pro eius exordijs Saxonibus monachis ornatum: quare nobis probabile videtur, Ordgarum monachos AngloSaxones ibidem probatissimi nominis inuentos, secum ad suum monasterium abduxisse. Legatur historia Hildę Abbatissæ, & Batildis reginæ, gloriosarum ancillarū Christi de gēte nostra, & inuenietur, & verissimum esse, quod diximus, & cœnobia Gallicana ab ipsis fundata, non à viris solum, sed & à virginibus nobilissimis ex Anglia aduolantibus fuisse repleta. Vt mirum non sit Ordgarum ibi reperisse facillimè, quod volebat. Sed iam vlterius agamus: Ethelwoldum fuisse Glastoniensis Abbatiæ monachum disertis verbis ostendit Malmesburiensis lib. 2. de gestis Pontif. in Ethelwoldo: sic enim de eo ait *A Dunstano Glastoniensi Abbate est cucullatus in Monachum*; Atqui & iam ostendimus, & infra amplius ostendemus, nunquam Glastoniensem Abbatiam subiectam fuisse Cluniacensibus, ac proinde nec monachos à S. Dunstano cucullatos. Sed & Ordgarus successor Ethelwoldi, Cluniacensi ordini subiectus esse non potuit, cum ab Edredo rege Abbas institutus fuerit; quod membris corporis Cluniacensis, vt superius probauimus, repugnat.

Corbeia Galliæ nunquā fuit Cluniacēsis iuris.

Cur Ordgarus Corbeię monachos acciuerit.

Ad locum ex Nicolao Harpsfeldio confessore Christi sanctissimo, facile est respondere; & miraremur aduersarium, non male versatum in humanioribus disciplinis, non animaduertisse locum illum esse vitio typographorum corruptum: nisi iam sępe vidissemus, illum non curare multum quid dicat, modo aliquid dixisse videatur imperitis. Sic igitur corrigendus est totus ille locus. *Quo factum est, vt hinc* (nempe ex Abendoniæ cœnobio) *potissimum profecti sint, qui alia cœnobia gubernarent, vt Eliense, Burgense, Thorneyense; & alia; multique præterea Episcopi.* Hæc enim verba, (quæ Harpsfeldius immediate adiecit, & aduersarius callide reticuit) clarè ostendunt, non debere legi, vt est in codice excuso, *huic potissimum præfecti*; *sed, hinc potissimum profecti*; ait enim Harpsfeldius, ad decus illius monasterij facere, quod non solum inde profecti sint, qui alia multa monasteria gubernarent, verum etiam, qui ad Episcopatus apicem sublimarentur: Nulla autem esset consequentia sermonis, sed potius stulta & insensata loquutio, si non solum Abbates qui alia regerent monasteria illi monasterio præfectos diceret Harpsfeldius, verum etiam alios Episcopos multos: nam Episcopos, qui latiorem habent præsulatum, tanquam si aliquid magnum de eis dicatur, dicere alicui Abbatiæ præfectos, insanum est; cum (priuilegijs cessantibus) Episcopus omni Abbatiæ suæ diœcesis pater & prælatus superior existat. Vt non dicamus non insulsam solum facere hoc modo sententiam, verum etiam falsam: cum non possit ex omni memoria produci vel vnus Episcopus; qui factus fuerit Abbas Abendoniæ; possint autem produci (quod voluit Harpsfeldius) qui ex Abendoniæ monachis facti fuerint Episcopi.

Locus Harpsfeldij restitutus.

Sed adhuc directè probabimus hoc monasterium non fuisse Cluniacense. Primo quia fundatum est à Cissa patre Inæ Regis, & ab ipsomet Ina perfectum, qui regnum inchoauit circa annum domini 688. Restauratum postea, (cum Danicis incursibus fuisset vastatum) ab

Edredo Alfredi Regis nepote circa annum Christi 950. nec vlla, aut in fundatione, aut in instauratione facta est Cluniacensium mentio; imo patet ex modo loquendi Malmesburiensis, authoris bene antiqui, & qui non ita multum post Lanzonem Cluniacensem floruit, (quem nimirum, tanquam ex recenti memoria miris effert laudibus, & mortem sanctam ipsius deuoto & nobili calamo depingit;) Et tamen cum occasio expressa sese offert loquendi de hoc monasterio & Cluniacensibus, ipsum ab istis manifeste distinguit. Siquidem lib. 2. de gestis Pontificum. Capite de Shirburnensibus Episcopis, cum in Barkensi pago duo enumerasset regulæ nostræ cœnobia, Abingdoniam, & Radingam: In Abingdoniæ historia, quam prius exequitur ne verbum quidem habet de iurisdictione, disciplina, aut ordine Cluniacensi: At statim subijciens historiam fundationis Radingæ, disertis verbis ait, Regem Henricum illius nominis primum, Conquæstoris nempe Gulielmi filium (sub quo ipsemet vixit Malmesburiensis) monasterium Radingæ, remotis inde monialibus, à fundamentis ædificasse, & monachos ibi Cluniacenses posuisse. Quod quomodo intelligi debeat, postea dicemus: nunc sufficiat, Malbesburiensem eo ipso, quo nec in fundatione, nec in restitutione, nec in tota historia Abendoniæ meminit Cluniacensium; in historia autem Radingæ immediate in eodem Capitulo subiuncta, meminit quis quandoque Radingæ Cluniacenses posuerit, clarè ostendere voluisse, Abendoniam nullo modo pertinuisse ad Cluniacenses; Radingam autem saltem ratione reformationis pertinuisse. *Secundo*, iam docuimus, proprium quasi characterem, quo dignosci possint monasteria Cluniacensibus subiecta, illum esse, si monachi sibi ipsis Abbatem, aut Priorem elegerint, nullo ad Cluniacenses Abbates habito recursu: hoc enim per bullas & priuilegia Cluniacensium, hoc per constitutiones ipsorum, hoc per praxim ipsam iam inde à S. Maiolo deductam, constat esse Cluniacensibus insolitum, & illicitũ: Atqui docent nostri authores fidelissimi, Mathæus vterque Malmesburiensis & Paris, siue Albanensis, monachos Abendoniæ, consensu regis sui semper præhabito (quem non tenebantur, ne quidem in ipsa Anglia, in superiorum suorum electione expectare Cluniacenses) eum quem de suo gremio vellent Abbatem sibi elegisse, nulla ratione habita alterius cuiuscumque ecclesiæ vel Prælati; vt de Institutione Ethelwoldi, & Ordgari, à rege ipso Edredo facta docet Malmesburiensis locis citatis; & de aliorum Abbatum electione libere à conuentu per regis consensum facta ostendit Mathæus Paris, ad annum 1256, pag. 899. Denique in officio (vt vocant) Cancellariæ Angliæ in capella Rotulorum, in rotulis clausis, de annis 27. 28. 29. 30. 31. Henrici octaui, continentur instrumenta, quibus coacti prælati regulariũ in Anglia suorum cœnobiorum possessiones in manus regis resignarũt fisco applicandas, vbi omnes prælati subscribunt suorum ordinum titulis appositis, Prior S. Pancratij subscribit se Cluniacensem, sicut & Cluniacenses reliqui: Abbas Abendoniæ, vt & reliqui Angliæ Abbates nigri, subscribunt se, ordinis S. Benedicti; Abbates Cistercienses & Canonici regulares pari modo, subscribunt se Cistercienses, & S. Augustini, sicut & Præmonstratenses; quod iam superius clare euicimus, etiam nunc temporis in Galliarum regno (extra cuius limites nulla inueniuntur hodie cœnobia Cluniacensis iuris, præter pauculos in Belgio prioratus) euidens esse signum ordinis ab alijs omnibus Benedictinæ regulæ seu congregationibus, siue ordinibus & in speciali ab ordine nigrorum, prorsus distincti. Atque ita liberauimus Abendoniam à captiuitate, & subiectione ablienigenarum, quibus eum aduersarius inclementer & temere subijcere conabatur.

Ex modo eligendi Abbates

A resignatione facta per vltimũ Abbatẽ.

De Amesberiensi Sanctimonialiũ cœnobio.

Eamus Amesberiam (sequimur enim ordinem literarum in monasterijs Angliæ asserẽdis, vt lector videat integrum alphabetum errorum & falsitatum, quo constat & conscriptus est totus liber examinis trophęorum) & videamus quibus machinis eam oppugnet, vt illis dissipatis in sua maneat, siquam habuit, libertate. Hanc igitur Abbatiam Cluniacensis ordinis esse confirmat ex Polydoro virgilio lib. 6. historiæ Anglicanæ versus finem libri: narrat enim Polydorus, Alfredam nouercam S. Edouardi regis pœnitentia facinoris horrendi ductam, quo scilicet priuignum suum sceleratè curauerat obtruncari; vt crimen suum expiaret fundasse duo monasteria; quæ dicit aduersarius fuisse ordinis Cluniacensis, quem ipsa etiam impotens mulier multum antea afflixerat; vnum istorum duorum fuisse Amesburiense cœnobium.

Imbellis sane machina & quę nihil habet præter inanem bombum & strepitum. Audiamus enim ipsum Polydorum (hominem Italum, & erga religiosos, imo religionem catholicam satis sinistrè affectũ, propter quas duas causas, peregrinitatem scilicet, & impietatem, multa male mentitur, multa perperam & imperite narrat in Anglicana historia.) Sed audiamus tamen ipsius verba. Ait ergo, Alfredam, *duo condidisse monacharum cœnobia, vnum Amesberiæ in pago Salisburiensis diœcesios, ordinis Cluniacensis; & alterum ordinis D. Benedicti, ad Wher Wellum*

vicum wintoniensis diæcesios. Hæc Polidori sunt ipsissima verba: factum autem fuit, quod narrat, anno 979. Ex istis verbis, primò constat; monasteria illa fuisse monialium, non monachorum; de quibus proinde non est nobis magna quæstio: & arbitramur Cluniacenses nunquam suscepisse curam monialium in Anglia tanquam incorporatarum in Congregationem suam; Sed duntaxat, vt habentium similem cùm Congregatione sua disciplinam: Nec posse ostendi, quod vllum in Anglia cœnobium monialium regulæ Benedictinæ, fuerit à iurisdictione Episcopi diæcesani exemptum; ac propterea, nullum monasterium monialium Anglicarum fuisse de corpore Cluniacensi, quod omnimoda fruebatur pro se & omnibus domibus suis etiam sanctimonialium cœnobis, exemptione; quamuis potuerint esse, & vero certissimum sit, fuisse de Congreg. nigrorum, quæ exemptionem à Diæcesanis Episcopis necessario non requirebat, Deinde iam probauimus ante tempora Normanni nullam habuisse Cluniacenses domũ in Anglia: hæc autẽ duo monasteria fundata fuere longe ante Normanni tempora.

Verùm, vt videatur quam peruersa fide citet authores suos Examinator iste, vbi reperit apud Polydorum, Alfredam reginam hoc monasterium dedisse Cluniacensibus vt vexationes illi ordini à se illatas hoc beneficio compensaret? verba Polydori hæc sunt: *Pœnituit interea Alfredam commissorum,* nempe crudelis parricidij in priuigni sui Eduardi cæde commissi, (quẽ eo fine curauerat occidi vt filium suum Etheldredum in regem sublimaret; neque enim aliud facinus aliquod reginæ commemorat Polydorus) *quæ & ieiunio, & verberibus corpus afficiens omne patrimonium aut indigentibus hominibus, aut sacras ædes ædificando, Sarciendoue effudit: quam ferunt duo condidisse monacharum cœnobia; vnum Amesberiæ in pago Sarisberiensis diæceseos ordinis Cluniacensis: & alterum ordinis* D. *Benedicti ad Wherwellum vicum Wintoniensis diæceseos, & in hoc illam vitam egisse;* Quid hic de vexatione Cluniacensibus illata? nec in antecedentibus nec in consequentibus vel vmbra vlla apparet: solum de ea somnium sibi finxit aduersarius. Sed ipse Polydorus non asserit monasterium illud ab Alfreda Cluniacensibus datum, solum id ab aliquibus dici narrat; *quam ferunt* (inquit) *condidisse*; reuera enim nec sola condidit Alfreda duo illa cœnobia, nec Cluniacensibus dedit. Non *sola* condidit Wherwellam, in qua dicit Polydorus illam vitam egisse: cuius rei fidem facimus ex ipso instrumento dotali, seu fundationis, quod est huiusmodi, desumptum ex charta *de inspeximus* Henrici 6. pa. 9. parte 1. m. 2. in qua præmisso prolixo pioque proœmio instrumentum illud confirmãdo inserit, tenoris sequẽtis. Ego Ethelredus gentis gubernator Angligenæ; totiusque Insulæ Choragulus Britannicæ & cæterarũ insularum in circuitu adiacentium, quoddã nobile cœnobium in villa circunquaque sibi connexa Christo Sanctisque omnibus humillima offero deuotione, quod vulgares suapte à vicinitate fontis; etiã Wherwelle (1. Weræ fontem) appellare consueuerunt; cum villulis quæ vel præscripto arcisterio, vel villæ, vt prædiximus, subiacent circumpositæ, quæ vtriusque portio tota pariter in vnum collecta quantitatem in se continet mansarum 70. licet diuersis disiaceat in locis, vt sit particulatim monasterium cum omnibus quæ suprà taxata sunt ad se rite pertinentibus, omni mundiali iugo æternaliter liberũ; & hoc deuote ipsi omnium largitori bonorum obtuli pro remedio animæ Patris mei Eadgari, & matris meæ Ealfridæ vocitatę, quod ipsa, dum vixit, possederat, & iugi aggressa est extruere diligentia: existimaui etiam me participem fore retributionis æternæ, in eleemosynaria partitione possessionis trãsitoriæ; atque idcirco hoc egi, ne me argui pertimescerem ante districti tribunal iudicis, si supra memoratam ipsius sententiam, dũ scirem quid in oculis suæ maiestatis esset placitum, contempsisse seu neglexisse conuincerer. Adhuc autem vt in illo tremendo examine misericordiam in conspectu tam iusti censoris inuenire, & in dextra parte inter oues asciscì merear in Iudicio, munus synceriſſimæ deuotionis tribuens ad adminiculum victus & vestitus sanctimonialium in prænominato monasterio Christo sedulo seruientium, aliud rus situm in prouincia Saxonum australium, quod loci accolæ Edelingodon cognominant, casatorũ 60. quod & ipsa prędicta regina, quãdiu spiraculo vitæ potita est, sibimet in vsus vsurpauit proprios, vt subijciatur huius portio telluris crebriùs pręscripto cœnobio, quatenus illi sãctæ Familiæ ad vsus sibi nil desit necessarios: tantum vt laus Christi nunquam per murmurationis torpescat grauedinem, nec regulæ sanctæ frigescat obseruantia, præualente qualibet naturalis inopia refocillationis. Vt vero illud nostrũ decretum stabile capiat solidamentum; huius curam regiminis commendo Abbatissę venerabili Eanfledæ agnominatæ, quæ ad eundem sanctum locum ipsum honoris, & vt veriùs dicam, oneris sortita est gradum: vt ipsa hæc omnia quamdiu spiritũ gesserit vitalem diligenti cura iuxta Dei velle præordinet; postque sui defectum excessus habeat ipsa religiosa Cõgregatio cum sui consilio Metropolitani sibi inter se arbi-

„ triũ eligendi, si inter eas talis inueniri possit, cui omnes obediant more regulari. Et ne fa-
„ stidium faciam in multiloquij prolongatione, omnes Christi timentes per eius adiuro cru-
„ cifixioné, ne quispiam elationis inflatus supercilio, hoc nostrum munus quod Deo obtuli,
„ euertere, seu in aliud quid transmutare vel minuere præsumat: seruata ęternaliter à cunctis
„ huius institutione priuilegij. Siquis autem &c. Scripta siquidem est hæc Chartula anno do-
„ minicæ incarnationis millesimo secundo, his vnanimi conspirantibus testimonio, quorum
„ inferiùs subsequuntur nomina. Ego Ethelrod Rex Anglorũ. Et sequebantur subscriptiones sex filiorum regis, duorum Archiepiscoporum, S. Wulstani, aliorumque Episcoporum, Abbatum & procerum. Quod instrumentum hic transcripsimus, vt sciamus primò Ethel-dredum regem esse reuera huius monasterij Wherwellæ fundatorem, Reginam matrem eius solummodo ex parte ipsum inchoasse: Deinde vt appareat ex ipsa fundatione, hoc saltem cœnobium (quod fatetur aduersarius cum Polydoro, fuisse ordinis S. Benedicti,) non fuisse datum Cluniacensibus: expressè enim subijcitur Metropolitano, & cum eius solius consilio moniales sibi suam ex fundationis lege constituebant Abbatissam, quod repugnat incorporationi Cluniacensium. Iam ergò vel vult aduersarius vtrumque hoc cœnobiũ ab Alfreda esse donatum Cluniacensibus, hoc autem nec dicit Polydorus, nec verum est, quia reclamat ipsa fundatio; vel alterum solum, nempe Amesberiæ; & tunc sequitur monasteria, quæ vocantur sancti Benedicti per Angliam, esse distincta à monasterijs Cluniacensibus. Atque ita modus ipse loquendi, quo vtitur Polydorus, tanquam scorpiacum, est & antidotus contra morsum argumenti ex ipso desumpti: nam clarè & distinctè, vnum monasterium dicit fuisse Cluniacensis ordinis, alterum ordinis S. Benedicti: id est (vt iam satis euidenter demonstrauimus) vnum fuisse Cluniacense, alterum non fuisse Cluniacensis ordinis, sed ordinis nigrorum. Et Cluniacense dicit, quia forte existimauit illud monasterium disciplinam obseruasse Cluniacensium, quam ab initio, & à fundatione non seruabat: alterum vero, propria phrasi ordinis S. Benedicti appellat, quia videbat Capitulo nigrorum & visitatoribus eius subiectum, Et quicquid sit de hac re, siue Amesburia fuerit aliquo saltem modo Cluniacensibus Polydori tempore subdita; siue ab omni Cluniacensium iurisdictione libera: Saltem hic habemus, Polydorum communi modo loquendi illorum temporum vsum, aperte distinxisse ordinem nigrorũ S. Benedicti, ab ordine Cluniacensi. Sed reuera nec ipsum Amesberiæ cœnobium fuit Cluniacensis iurisdictionis; quod etiam euincemus regalis diplomatis testimonio. Quod enim non fuerit ne quidem disciplinæ Cluniacensi subditum tempore Polydori, multo minus iurisdictioni, (vt appareat Polydorum in his rebus Angliæ loqui tanquã
„ hospitem, non indigenam) docet hoc sequens Regis Ioannis instrumentum. Ioannes Rex
„ &c. Sciatis Sanctimoniales de Amesberia circiter triginta propter vitæ turpitudiné, &
„ ordinis sui dissolutionem & infamiam, quæ diuulgabatur publicè, mandato Domini Papæ
„ Alexandri, & Domini regis Henrici, consilioque & prouidentia Richardi Cantuariæ Ar-
„ chiepiscopi Apostolicę sedis legati, & Iocelini Sarũ, & Bartholomæi Exoniensis, & Rogeri
„ Wigorniæ, & G. Londinensis, & aliorũ plurimorum episcoporum & magnatum & Baro-
„ num nostrorum, à monasterio suo fuisse amotas, & in alijs monasterijs collocatas: & mo-
„ niales de ordine Fontis Ebraldi ibidé ad seruiendũ Deo introductas. Quamobrem conce-
„ dimus, & præsenti charta confirmamus ordini & religioni Fõtis-Ebraldi ecclesiarũ sanctæ
„ Marię & sancti Malori de Amesberia, vt ordo & instituta Fontis-Ebraldi ibidé perpetuo
„ conseruentur, & conuentus monialium multo maior quam fuerat, sub custodia Priorissæ
„ secundũ ordinem pręfatæ ecclesię Deo famuletur. Anno regni nostri primo. &c. Fuit hic annus Christi 1199. fere ducentesimus post Amesburiæ fundationem. Iam primò patet hinc clarissime monasterium hoc tempore Polydori fuisse ordinis Fontis-Ebraldensis, sub regula quidem Benedictina sed longè distinctæ disciplinæ à Cluniacensibus: quippe Fontis-Ebraldenses monachi quartum votum obedientiæ quantum ad seruitutem ecclesiasticam monialibus impendẽdam faciebant Abbatissæ, & à Priorissa gubernabantur in externis: quem ordinem parum antea insignis concionator Robertus Arbricensis instituerat, in agro Andegauensi, fundauerat autem rex Angliæ Henricus, qui in præcipuo ordinis monasterio iacet humatus. Patet deinde nec ante hanc translationem ab Henrico rege factam, fuisse hoc monasterium Amesburiæ iuris Cluniacensis: cum enim certum sit ordinem Cluniacensium (vt testatur Malmesburiensis illorum temporum scriptor) fuisse illa ætate regularis disciplinæ florentissimum, nunquam permisissent Prælati (quibus Reges nostri Normanni, plurimum deferebant) vt monasterium sanctimonialium ordinis sui tam turpiter a totius corporis reliqui pulchritudine degeneraret: nec fuissent introductæ alterius ordinis sanctimoniales, sed istis turpiculis per ordinis sui cœnobia dispersis, alias reformatioris vitæ, ex reli-

quis

quis cœnobijs submisissent. Saltem Rex & Episcopi, quorum auctoritate & consilio facta est hæc Amesberiæ translatio ad alium ordinem, consensum Cluniacensis ordinis postulassent, qui tunc ingentibus munitus priuilegijs, & ab optimis gubernatus Prælatis, non facile passi fuissent tam nobile & potens monasterium à corpore sui ordinis abscindi. Atque hæc satis, imo nimis multa de Amesburia: de qua non putamus Cluniacenses inituros contentionem, nec laboraturos, vt conuentus tam infœlicis disciplinæ ad ipsos dicatur tunc pertinuisse, quando ipsorum disciplina maximè fuit gloriosa; quare nec nos pro ea contendemus amplius: Satis habentes quod euidenter ostenderimus, & aduersarium mala fide, & nullo fructu citasse Polydorum, ipsumque Polidorum de rebus sibi incompertis asseruisse, quod lõge aliter se habebat. Sed relinquamus tandē Amesburiā, quam si volent, Priori alicui Cluniacensi prope habitanti, puta Priori Farleyę regendam subiecerit Episcopus Salopiensis; non magnopere pro ea contendemus; etsi argumentum aduersarij nihil probat, nisi quod ad summum in eo monasterio recepta fuerit reformatio Cluniacensis.

Nunc ad Sant-Andræanum Northamptoniæ monasterium conuertamus iter considerationis nostræ; quod Cluniacensis iuris fuisse probat aduersarius tum ex supra examinato Ingulphi loco; tum etiam authoritate Petri Venerabilis Cluniacensis Abbatis lib. epistolarum, ep. 8. cuius titulus est & inscriptio, *Dilectis filijs & Fratribus de Northamptona*. Et deinde probat ex eo, quod in hoc monasterio habitum fuerit Capitulum Congregationis Cluniacensis anno 1225. De Monasterio S. Andrææ Northãtoniæ.

Sed ad priorem argumenti partem iam est ostensum, tempore quo scribebat illa Ingulphus, S. Andrææ cœnobium nondum fuisse iuris Cluniacensium; necdum enim fuerat à Simone de Senliz reparatum: sed aliquammultis annis postquam illa scripserat Ingulphus, vt constat temporis calculo, inchoasse Simonem comitem reparationem prædicti monasterij, & in ipsa reparatione, aut quasi secunda fundatione, ipsum Cluniaco subiecisse. Ad posteriorē vero partem ingenuè fatemur, iam inde à tempore dicti Simonis Sanlizij fuisse ordinis Cluniacensium, vsque ad tempora calamitosa, quibus Henrico rege octauo iubente suppressa sunt omnium ordinum religiosorum monasteria. Quomodo vero ad ius Cluniacensium transierit, & quo tempore in appendice ex ipso authentico Prioratus illius registro, notatum lector reperiet. Cæterum hoc nullo modo probatur ratione illa quam adducit aduersarius. Non ex authoritate epistolari sancti & Venerabilis patris nostri Petri Abbatis Cluniacensis; nam quamuis concedatur insinuari in illa epistola subiectionem, & addatur etiam amplius, illud cœnobium esse in catalogis & bullis Cluniacensis ordinis; non tamen valet inde deducta consequentia; illud cœnobium reuera fuisse Cluniacense. Neque enim omnes, quos in suum ius vendicarunt Cluniacenses, propterea cesserunt illi vendicationi, aut subiectionem agnouerunt, ne quidem bullis Cluniacensi ordini concessis insinuatam, aut confirmatam. Probari potest hoc multis exemplis: illustre valde est exemplum Abbatiæ S. Ioannis Angelij, quæ in multis extat bullis confirmata sub Abbatis Cluniacensis ordinatione: & tamen tempore Giraudi decimi noni Abbatis Cluniacensis, anno Domini 1217. (hoc est, quasi biennio post Concilium Lateranense) se ipsam illi subiectioni obnoxiam non fuisse probauit. Tota controuersia in bibliotheca Cluniacensi, ex ipsis Cluniaci archiuis habetur, col. 1498. in clarissimo instrumento, ex quo verbis ipsis quæ ibi habentur, aliquanto tamen contractius eam recitabimus. Nempe cum controuersia verteretur inter Cluniacense, & Angeliacense monasteria, super subiectione monasterij Angeliacensis, quæ multo tempore non sine dispendio & grauamine eius durauerat: de consensu patrum, Giraudi Cluniacensis, & Heliæ Angeliacensis, & ex approbatione Pontificis Honorij, & Iudicum causæ ab eo datorum, electi sunt arbitrij, pro parte Cluniacensis, Elias Prior de Charitate, & Magister Wilelmus de Berbezillo capellanus; pro parte vero Angeliacensis Bernardus S. Maxentij, & A. S. Leodegarij Abbates. Hi arbitri, habito prædictorum virorum consilio, tranquillitati & vtilitati vtriusque monasterij consulentes, cum de monasterij Angeliacensis subiectione nequaquam constaret, pro bono pacis arbitrati sunt, vt Abbatia Angeliacensis in solidum, & perpetuo concederet Cluniacensi domui Prioratum de Buri, cum omnibus possessionibus, bonis, & chartis ac priuilegijs ad ipsum spectantibus; Abbatia vero Cluniacensis, si quid iuris, subiectionis, vel dominij habebat, vel habere debebat in monasterio Angeliacensi tam in capite quam in membris (excepto illo Prioratu de Buri) Abbatiæ Angeliacensi quittaret, & omnino in pepetuum remitteret, nec vllis scriptis aut priuilegijs particularibus aut generalibus contra ipsam Angeliacensem Abbatiam pro subiectione recuperanda in posterum agerent. Hæc est summa illius controuersiæ, in qua videt lector etiam ipsa curia Romana appellata, & interueniente, pronunciatum fuisse, *Non liquet*, de subiectione monasterij Angeliacensis, quam

quam tamen Innocentius tertius paulo ante bulla amplissima nominibus plærorumque Cardinalium subscriptis insigni;(quæ in bibliotheca ibidem refertur) expresse Cluniacensi Abbati videbatur addixisse. Sed nimirum, quia poterat fieri, vt Cluniacensis Abbas non rectè retulerit, subiectamque sibi dixerit eam Abbatiam, quæ reuera non fuerit; confirmationes autem Pontificiæ, (vt sæpe aduersarius nobis obijcit) veram supponunt narratoriam petentis confirmationem: ideo factum est vt Angeliacensis Abbas dubiam reddiderit fidem narratoriarum quibus innitebantur precedentes bullæ; & Cluniacensis contentus fuerit compensatione modica Prioratus Buriensis, pro Abbatia Angeliacensi. Similes aliæ Controuersiæ in bibliotheca Cluniacensi occurrunt: sed istam narrauisse sit satis: ex ea enim optimè & euidenter colligitur generalis responsio pro omnibus Abbatijs Anglicis, quas aduersarius fuisse contendit ordini Cluniacensi coniunctas, non probari sufficienter hanc siue subiectionem siue incorporationem ex epistolis Abbatum Cluniacensium, sed neque ex ipsis bullis & catalogis, nisi aliunde firmis adiuuentur monumentis: multoque minus probari aliquid, vbi nihil horum affertur, sed tantum simplex aliqua coniectura ex eo duntaxat sumpta, quod author quispiam recentioris æui, rerum monasticarum imperitus dicat hunc vel illum monachum talis Abbatiæ fuisse Cluniacensem; aut historicus aliquis etiam probæ notæ dicat in hoc aut illo monasterio positos fuisse Cluniacenses; quod solum probat ibi fuisse disciplinam Cluniacensem, non autem etiam incorporationem; nec aliquid amplius inde potest per torcular logicæ etiam Chrysippeæ exprimi. Quod tandem dicitur de Capitulo Generali Northamptonæ celebrato, non probat illam domum fuisse Capitularem; quandoquidem certum est Capitulum illud citatum ab aduersario fuisse habitum ante promulgatam Benedictinam: & ante illam, profitetur ipse Cluniacenses nec debuisse, nec consueuisse ad illa Capitula Innocentianæ formæ conuenire.

Igitur Capitulum eo anno, celebratum non fuit Cluniacensium sed monachorũ nigrorum ordinis S. Benedicti, à Cluniacensibus prorsus independentium; in quo Capitulo nec ipse Prior S. Andreæ, nec S. Pancratij Lewensis, nec S. Saluatoris Bermondseiæ, nec vlli alij Priores quos Cluniacenses sine vllo dubio fuisse constat, vnquam comparuerunt; Ad quod Capitulum nec solitos conuenire, nec debuisse accedere Cluniacenses, tam alijs rationibus euidentibus, quam ipsius etiam aduersarij confessione pariter & contentione satis superque antea demonstrauimus. Sui ergo prorsus oblitus, & consequentiæ rationum ac assertionum suarum immemor, protulit argumentum istud vt Sant-Andreanum monasterium probaret esse Cluniacense; quo nihil probatur omnino; aut siquid probaretur, non solum probaret Abbates in Anglia fuisse Cluniacenses, verum etiam Canonicos sæculares, imo & Capucinos aliosque regulares fuisse Cluniacensis ordinis, aut Benedictini, quandoquidem & Benedictini aliquando Capitulum Generale habuerunt in cathedrali ecclesia Canonicorum Salisburiensium, quos certissimum est non fuisse monachos. Siquidem anno 1290. in ecclesia collegiata (seu Cathedrali) de Sarum celebratum fuit Capitulum Abbatum nigri ordinis plenissimum; quod in appendice posuimus; ad quod Capitulum non accessit Prior Farleiæ Cluniacensis infra pauculos passus à loco Capituli situatæ, nec Prior S. Pancratij, quod non valde distabat, cum tamen accesserint alij Abbates nigri, qui 130. milliarium itinere à ciuitate Salisburiensi separabantur. Non alia sanè de causa, quam quod hi ad Capitulum illud spectabant, nõ autem Cluniacenses. Trithemius etiam in libro de Capitulorũ celebratione, narrat secundum Capitulum Congregationis Bursfeldensis habitum fuisse Moguntię in ecclesia Eremitarum S. Augustini, & nos ipsi hac tempestate sæpe videmus, & Capucinos Capitulũ suum tenuisse in monast. S. Vedasti, & Conuentum Ecclesiasticorum, seu Episcoporum Galliæ sæpe apud Eremitas Augustinianos Parisijs habitum fuisse; & Comitia, seu Curiam Parlamenti Britannici, etiam hodie apud Franciscanos Rhedonibus celebrari scimus: vnde tamen nemo sanus inferre conabitur, aut Vedastinos fuisse vel esse Capucinos S. Francisci, aut omnes Galliæ Episcopos aut Bursfeldenses monachos esse Augustinianos eremitas aut Clarissimos Præsides Parlamenti Britannici, esse Franciscanos. Relicto igitur hoc tam improbabili & *anakolouthо* argumentandi genere, ad aliud monasterium Alphabeti nostri veniamus.

De S. Augustini Cãtuariẽsis Abbatia.

Illud vero est S. Augustini Cantuariæ. Audet enim etiam illud Cluniacensi ordini vendicare noster Poliorceta pag. 147. libelli sui: sed æquè infæliciter, ac Eremitæ S. Augustini magni Doctoris ecclesiæ in Hispania in suis Chronicis sibi illud ipsum monasterium vendicare ausi sunt. Sicut enim ipsi, cum hoc solum haberent argumentum, quod legerent esse Cãtuariæ celeberrimos monachos Augustinenses, ridiculo errore putarunt eos esse Augustinianæ regulæ professores, quos tamen à solo S. Augustini Anglorum Apostoli nomine, dictos

ctos fuisse Augustinenses tota nouit Anglia non aliter ac à S. Albani appellatione, monachos illius monasterij sæpe vocatos inuenimus Albanenses: Haud minus ridiculè aduersarius, ex eo solum probat hoc monasterium fuisse Cluniacense; quod Ioannes Pitsius aliquot eius monasterij cœnobitas vocat Cluniacenses; & frigida illa coniectura, quod Abbas huius monasterij præsederit aliquando Capitulis (vt ipsi videtur, & non videtur, nam modo ait, modo negat) Congregationis Cluniacensis in Anglia.

Itaque ad autoritatem Doctoris Pitsij, sic eam declinamus cum reuerentia; vt existimemus eum Cluniacensem ex reformata disciplina vocasse: aut quia pro eodem habuit monachos omnes S. Benedicti nigros, & Cluniacenses; aut certe (vt iam antea diximus) non esse mirum si in re ipsa principali verum dicens, scilicet illos fuisse monachos S. Benedicti in varietate congregationis assignanda aliquando lapsus fuerit. De Capitulo iam diximus argumentum inde sumptum omnino à nobis militare: siquidem cum ex actis capitularibus, quę in appendice damus constet ipsum Augustinensem Abbatem, & membrum, & caput seu præsidem fuisse Capituli Prouincialis ante Benedictinam promulgatam: & hoc temporis illa Capitula, etiam aduersario attestante Cluniacenses non construerent; hinc sequitur ineuitabiliter Abbatem hunc non fuisse Cluniacensem, nec Capitulum illud fuisse Congregationis Cluniacensis. Ita nihil prorsus valet hoc aduersarij argumentum.

At nos probabimus aliunde, præter argumēta generalia in cōclusionis tertiæ probationibus inducta, etiam specialibus indicijs hanc Abbatiam non fuisse Cluniacensem. Primo quidem ex ipsa fundatione, quæ ab Apostolo nostro Augustino fuit iacta, ipso Diui Gregorij Magni tempore, nec vnquam potest ostendi quo tempore mutauerit modum illum libertatis quem ante Congregationem Cluniacensem exortam illud monasterium possidebat. Sanè nos superius ostendimus Vlfricum Abbatem S. Augustini anno Domini 1056. missum fuisse ex consensu Regis Eduardi sancti, regnique totius ad Leonē Papā 9. pro negotijs ecclesiæ Anglicanæ responsurū; & tāto in honore à Pōtifice illo sancto habitū fuisse, vt in Generalibus synodis locum illi Pontifex assignauerit proximum Abbati Cassinensi; superiorem videlicet ipso Cluniacensi; vt nondum fuerit tunc temporis Abbas Augustinensis Cluniacensi subiectus. Prætereà Pontifices Romani hoc monasterium ab omni Archiepiscopali aut Episcopali iurisdictione eximentes, sibique immediate subijcientes, semper illud vocant, cœnobium ordinis S. Benedicti, nunquam verò ordinis Cluniacensis; cum tamen in priuilegijs concessis cuiuis membro aut Abbatiæ Cluniacensis ordinis, nunquam omittant illam determinatiuam particulam, ordinis Cluniacensis; quod iam probauimus in bullis pontificum, instrumentis curiarum, seu fori externi Principum, esse consuetum discrimen diuersarum incorporationum. Consule in appendice, scriptum de controuersia inter Bonifacium Cantuariæ Archiepiscopum, & Rogerium Abbatem S. Augustini circa ann. 1253. vbi inuenies verū esse quod diximus de hac Abbatia. Consulantur etiam priuilegia Cluniacensia in bibliotheca extantia, & reperietur verum quod diximus de illius ordinis membris, specialiter autem in priuilegio Clementis quarti, Honorij item quarti, & Clementis sexti (quæ habentur in bibliotheca præfata col. 310.) concessis monasterio Syluiniacensi, tertiæ filiæ Cluniacensi, in quibus videlicet priuilegijs omnibus expresse semper dicitur, Priori & Conuentui Syluiniacensi, ordinis Cluniacensis. Quin & illud, etiam facit ad rem, tantæ fuisse auctoritatis hanc Abbatiā, vt anno 1277. Nicolaus eius Abbas factus fuerit per literas Apostolicas Cōseruator priuilegiorum totius ordinis Præmonstratensis per Angliā; quod officium honorificū probabile est ordinē illum, qui etiam inter alienigenas habebatur, huic principi Abbati exempto, & non alienigenæ obtinuisse, vt maiori cum auctoritate, ipsum exerceret; Nam Cluniacensis si fuisset, profecto parum apud præpotentes Angliæ proceres ipsius autoritas potuisset. Sed cum ipse aduersarius neget concilij Lateranensis decretum Cluniacensis ordinis prælatos compræhendisse: in appendice autem per acta Capitularia probemus euidenter huius Abbatiæ Prælatum Capitulis Innocentianis & præfuisse & subiectum extitisse; satis apparet nec ipsum fuisse Cluniacensem, nec Capitula quibus aut pręfuit aut interfuit; nec aduersariū consequenter loqui, quum ex ratione præsidentiæ & Capitulorum inferat Cogregationem Cluniacensem, cum neutrum illorum spectasse ad Cluniacenses ipsemet contendat: vt verū sit, quod inter referendum ipsius argumentum diximus, hæc Capitula aduersario videri Cluniacensia, & tamen non videri. Relinquamus ergo ipsum in hac contradictionis suæ vinculis, & eamus ad aliud monasterium.

MEMBRVM

Membrum. 3.

Synopsis.

1. De Abbatia Abbotsberiæ, Alcestriæ, & Athlingiæ, seu Athelneyæ. §. 2. De prioratu Bermondsciæ. §. 3. De Abbatia de Bello. §. 4. De Abbatia S. Bened. de Hulmo. §. 5. Burtonæ super Trentā. §. 6. De Prioratu Cathedrali Bathoniensi, & Abbatia Bardeneyæ. §. 7. De Abbatijs Cerneliæ, Certesciæ, & Colchestriæ. §. 8. De Abbatia Croulandriæ. §. 9. De Prioratu cathedrali Couentriæ.

Monasterium Abbotsberiæ. Restant enim adhuc tres insignes Abbatiæ nigrorum, ac proinde Congregationi Anglicanę olim subditæ: de quibus Cluniaco vindicādis aduersarius nihil laborauit, qui nihil apud autores suos Pitsiū & Posseuinum, aut Ingulphum inuenit: eæ sunt Abbotsberia, Alcestria, Athelnega. At nos ad vberiorem confutationem paradoxistæ ne[illegible] hac vtemur liberalitate, vt istas etiam probemus non fuisse iuris Cluniacensium; vt earum, quæ nunc non extant Abbatiarum, memoria saltem non omnino negligatur. Et quidem fuisse omnes tres Capituli generalis Benedictinorum nigrorum in Ang[illegible]ę regno membra satis constat ex catalogo Selbeyensi, qui est in appendice, num. 60. continetque nomina omnium Abbatum, & Priorum Abbates proprios non habentium qui ad Capitulum generale conuocari solebant. Est autem Abbotesberiæ Abbatia in agro Dorsetensi S. Petro Apostolo dicata, fundata ab Orkingo, Oeconomo palatij regij sub Cānuto rege, circà annum Domini 1026. cum nondum Cluniacensium nomen Anglis innotuisset. Alcestriæ. De Alcestria nihil aliud inuenio, quam quod illius Abbates sæpius Capitulo generali interfuerint; & nomen insigni pago ad Auonum flumen in agro Waruicensi, in quo constructa erat, reliquerit. Athelneiæ. Athelneya vtrisque antiquior Abbatia fuit, in agro Somersetensi, in insula quam stagnantes aquæ fluminum Pedredi & Thoni effecerant; Eam Abbatiam Aluredus rex qui latebris insulæ seipsum à Danis incursantibus aliquandiu tutatus, postea ex eis repens hostes suos fæliciter subegit, in gratiarum actionem aut construxit, aut certe sic amplificauit, vt primus eius fundator dici mereatur. Videtur quidem ibidem à longis antea temporibus fuisse Monachorum habitationē antiquam, iam inde à Kenelwalchio rege, qui ante Paulini Archiepiscopi mortem regnabat, inde apparet, quod (referente Malmesburiensi) Monachi illius loci Sanctum Egelwinum Kenelwalchi fratrem patronum suum colerent: Certe charta dotationis, quam ei Abbatiæ concessit Aluredus rex, non fundationem, sed amplificationem monasterij insinuat: est autem tenoris sequentis. Regnante in perpetuum Domino nostro Iesu Christo. Omnia regna huius vitæ labentis, regnorumque dispensatores ab initio istius sæculi cum velocitate deficientes transeunt. Ideo fugitiuis & mortalibus rebus æterna gaudia promerenda sunt. Quapropter ego Aelfred diuina ordinante misericordia Occidentalium Saxonum rex, pro remedio animę meę, & criminum meorum absolutione aliquantulam agri partem, id est, decem carratas in loco vbi dicitur Sudton ad insulam Clitonum, quę Anglicè vsitato onomate Ædlingarey nuncupatur ad supplementum monasterialis vitæ monachis ibidem sub regulari exercitio Deo omnipotenti deuote seruientibus, animo volenti largitus sum, hancque libertatem præfato monasterio deuota mente donaui, cum pratis, pascuis, riuulis, & omnibus rebus ad ea rite pertinentibus, vt ab omnium regalium tributorum, & exactione operum atque pænalium causarum, absque expeditione sola arcis & pontium structura, secura, immunis & libera perpetualiter permaneat. Et qui hoc augere voluerit, augeat Deus bona illius in regione viuentium. Si autem aliquis, quod absit, superbię fastu inflatus & tyrannica potestate illectus hoc infringere, & irritum facere conatus fuerit, sciat se ab omni ecclesia Christianorum anathematizatum, & in die iudicij coram Christo & angelis eius, nisi ante emendauerit, rationem redditurum esse. Præfata vero terræ & donatio huius agelli, his terminis circumsepta patescit, Arastore, Lerore &c. Scripta autem est hæc scedula huius donationis anno ab incarnatione Christi DCCCLII. indictione 4. his testibus consentientibus, quorum nomina patescunt. Ego Ælfred rex hanc meā donationem cum signo sanctæ crucis corroboraui. † Ego Ealfend Episcopus &c.

Charta Aluredi Regis.

In hoc exemplari ad nos transmisso mendum est in data diplomatis, neque enim ante annum 871. suscepit Aelfredus regni gubernacula: quare annus notari debet DCCCLXXVIII, eo enim

enim anno in Aethlingaeg, seu Athelneya delituit rex Alfredus, referente id Assero ipsius familiari præceptore, ex vita S. Neoti, qui Regi ibidem latitanti & viuus futuram prædixit fælicitatem, & post mortem apparens in prælio contra Danos adiuuit. Tunc enim par est credere, ipsum regem recenti beneficio deuinctum monasterium S. Neoti, ibidem positum in melius commutasse; vt propterea eiusdem fundator merito dicatur. Sanè idem Asserus postquam instituisset narrare duo monasteria ab Aluredo condita fuisse, subijcit hæc verba: „Vnum monachorum in loco, qui dicitur Athelingaeg, quod permaxima gronnia paludo„sissima & intransmeabili, & aquis vndique circuncingitur: ad quod nullo modo aliquis „accedere potest, nisi cauticis, aut etiam per vnum pontem, qui inter duas alias arces ope„rosa protelatione constructus est; in cuius pontis occidentali limite arx munitissima præ„fati regis imperio pulcherrima operatione consita est: in quo monasterio diuersi generis „monachos vndique congregauit, & in eodem collocauit. Nam primitus, quia nullum de „sua propria gente nobilem ac liberum hominem, nisi infantes (qui nihil boni eligere, nec „mali respuere, pro teneritudine inualidæ ætatis adhuc possunt) qui monasticam volun„tarie vellet subire vitam, habebat: nimirum, quia per multa renouata annorum curricula „monasticæ vitæ desiderium à tota illa gente, nec non à multis alijs gentibus funditus de„sierat; quamuis perplurima adhuc monasteria in illa regione constructa permaneant: nullo „tamen regulam illius vitæ ordinabiliter tenente, nescio quare aut pro alienigenarum infe„stationibus quæ sæpissime terra marique hostiliter irrumpunt; aut etiam pro nimia illius „gentis in omni genere diuitiarum abundantia, propter quam multo magis id genus des„pectæ monasticæ vitæ fieri existimo: ideo diuersi generis monachos in eodem monasterio „congregare studuit: primitus Ioannem presbyterum monachum, scilicet Ealdsaxonum „genere Abbatem constituit. Deinde vltramarinos presbyteros quosdam & diaconos; ex „quibus cum nec adhuc tantum numerum, quantum vellet, haberet, comparauit etiam „quamplurimos eiusdem gentis Gallicæ, ex quibus quosdam infantes in eodem monasterio „edoceri imperauit, & subsequenti tempore ad monachicum habitum subleuari. In quo „etiam monasterio vnum paganicæ gentis edoctum in monachico habitu degentem, iuue„nem admodum vidimus, non vltimum scilicet eorum. Hæc Asserus: cuius verba ideo libentius adduximus, quia significat se ipsum monasterium hoc recenter constructum & habitatum vidisse; cum videlicet aliquot annos postea venisset ex Cambria sua ad Aluredum regem; Quoniam autem obscuriora sunt eius verba, non abs re erit, in gratiam eorum qui Anglicæ historiæ non sunt periti, eadem illustrare. Quod igitur primò dicit, tempore Aluredi regis in gente illa monasticam fermè exoleuisse, intellige de gente Westsaxonica, nam in alijs Angliæ partibus in regno Merciorum adhuc multa monasteria non incelebria fuere; Sed Westsaxonia Danicis infestationibus miserè afflicta, monachi quamuis in monasterijs degerent, tamen inordinabiliter, (vt loquitur Asserius) & non secundum regulam conuentuali sub disciplina ob paucitatem degebant. Quod autem vtatur vocabulo infantum, pro puerulis minoribus, ex vsu regulæ nostræ habet, quæ pueros minoris ætatis in monasterijs educatos infantes vocat: vnde clarum euadit illa ætate etiam Britones monachos (è quibus fuit Asserius) regulam nostram suscepisse. Quod rursus dicat, Aluredum monasterium hoc Athelneyæ (id enim est, quod primitus Aethlingaeg dicebatur) diuersi generis monachis impleuisse; non intelligas de monachis diuersę regulæ aut disciplinæ, sed diuersarum gentium & nationum; sic enim dicit Ioannem presbyterum Abbatem Athelneiæ, fuisse *Ealdsaxonum* genere, hoc est de gente seu prouincia veteris Saxoniæ, (*eald* enim Saxonicè, *vetus* latine sonat) ex qua videlicet Saxones à Vortigerno in Angliam sunt euocati. Nam apud eos iam per Bonifacium & discipulos eius propagata fide, monasticæ disciplinæ rigor florebat. Gallicam autem gentem non accipias presse pro ea, quam nunc Gallos seu Francos vocamus, sed pro tota illa natione, quæ Aluredi & Asserij ætate magnam partē Germaniæ incolebat, & lingua atque moribus cum Saxonibus nostris erat symbola, valdeque vicina. Sic Paganicam gentē, Danos intellige, qui adhuc à Christo alieni, maximas clades crebris inuasionibus Anglo-Saxonibus inferebant. Multa vero annorum curricula, quibus dicit Asserius monasticam paulatim quodammodo euanuisse: sunt anni circiter sexaginta elapsi ab initio regni Atheluulphi Patris Aluredi, sub quo primum Danicæ clades inualuere, per quas monasterijs spoliatis, monachisque aut occisis, aut dispersis, regularis disciplina in desuetudinem, & postea (vt loquitur Asserius) in despectum vitæ genus euasit. Aluredus paulatim restituit cooperantibus Plegmundo Cantuariensi, Werfritho Wigorniensi Episcopis, Grimbaldo, Ioanne, & hoc etiam Asserio, qui omnes regulæ Benedictinæ monachi fuere: Eadgarus autem Aluredi pronepos ad florentissimum rursus statum per Dunstanum, & Oswaldum, ac Ethelwaldum reuocauit;

Testimoniū Asseri Episcopi, Preceptoris Aluredi.

Illustātur verba Asseri & explicatur.

reuocauit; nam ante tempora Ethelwolphi, & calamitates Danicas, plena iam passim Anglia monasterijs celebribus, monachisque sanctissimis fuit, sub Ina maximè, & Kentwino, ac Kenelwalchio regibus, qui etiam monachum induerunt, & Kenelwalchius ante Paulini Eboracensis excessum iam aliquot annos regnauerat: vt ab Augustini in Angliam ingressu, vsque ad Ethelwulfum patrem Aluredi videas floruisse regulam S. Benedicti, defloruisse autem sub Ethelwulpho vsque ad Aluredum quartum eius filium, quartumque post ipsum occidentalium Saxonum regem. Denique hinc colliges (propter quod præsertim Allerij verba produximus) veterem morem Principum nostrorum, monachos ex diuersis Cambriæ, Galliæ, Saxoniæque partibus ad monasteria ab ipsis ædificata, vel restituta euocandi: quod hic ab Aluredo factum vides ante ipsa sancti Bernonis, & Odonis Cluniacensium Patriarcharũ tempora. Quare valde inepte aduersarius infert monachos Angliæ fuisse Cluniacenses, ex eo quod à partibus Gallicanis multos monachos in Angliam legerit vocatos fuisse: patet enim clarissimè ex Asserij verbis, monasteria Saxonica, & Gallica (i. ex ea Gallia, quæ nunc Coloniæ, Treuirorum, Maguntiæ, Belgijque recentioris prouinciæ euaserunt) notissima nostris hominibus fuisse: vnde monachos accersere soliti fuerint, etiam prius quam Cluniacũ fuisset à sancto Bernone fundatum. Tandem ex charta Aluredi & verbis Asseri satis apparet luculenter Athelneyæ Abbatiam in ipsa fundatione sua non fuisse Cluniacensem, sed ipso Cluniacensi monasterio antiquiorem; nec protulisse aduersarium quicquam quo eam Cluniaco subijceret: cum nos præter dicta, ex Capitulorum nostrorum actis, quæ sunt in appendice, Athelneyenses Abbates Congregationi Anglicanæ subiectos fuisse docuerimus. Ad aliam igitur alphabeti nostri literum, aliudque monasterium proficiscamur.

De monasterio Bermõdseiæ.

Bermondseiam videlicet, in suburbio transThamisano, seu vltra flumen Thamesis positio, quod Southwarkam vocant, sitam. Hanc esse in catalogo & bullis scimus, & fuisse Cluniacensium prioratum agnoscimus, fundatum quidem ab Adwino Child, seu Infante, (nomen est familiæ) ciue Londinensi circà annum Domini 1081 subiectumque in ipsa fundatione Prioratui de Charitate; posteà legimus ad annum 1090. collatum à Rege Henrico fuisse huic prioratui manerium seu palatium Bermondseiæ, & ecclesiam in eo ædificatam, vt ad illud propterea Prioratus fuerit translatus, & nomen Bermondseiæ, seu ecclesiæ Christi in Bermondseia obtinuerit. Conuentus autem Cluniacensium in eo collocatus non fuit ante annum 1089. quo anno (vt supra memorauimus ex ordinatione Prioris de Charitate, factus est ibi Petrus Prior datis illi alijs tribus socijs Richardo, Osberto, Vnibaldo. Quoniam autẽ eo ipso quo Cluniacense membrum factus est hic prioratus, inter alienigenas reputatus fuit, sæpius est vel in toto, vel in parte (nempe quoties bella inter Anglum & Francum oboriretur) à Cluniacensi matre separatus: *In parte* quidem, anno. 1371. quando Richardus secundus Angliæ rex Richardo Denton Priori Bermondseiæ, natione Anglo, per literas patentes huius Prioratus custodiam commisit: quasi voluerit ipsum à Rege, non à Cluniacẽsi Abbate, qui esset in regno hostis sui, Galli regis, pendere. Cæterum anno 1380, solutis regi ducentis marcis Prioratus cessauit inter alienigenas reputari, consequutus illo pretio ius libertatum Angliæ. *In toto* verò, quando Regum autoritate loco Prioris, contrà priuilegia Cluniacensia ordinati sunt in eo conuẽtu Abbates; quod saltẽ bis factũ scimus: Primũ anno 1399: tunc enim agente eodem rege Ricardo secundo, Bonifacius nonus Ioannem Atleborough Priorem Bermondseiæ, iussit creari ipsius loci Abbatem; quod (vt apparet ex similibus euentis, in maiori monasterio Turonico, & cœnobio S. Mauri Fossalensi, in bibliotheca Cluniacensi, columna 298.) non fiebat sine separatione ab obedientia Cluniacensiũ. Præterea ex catalogo Episcoporum Angliæ, quem contexuit Godwinus, apparet longè antea, scilicet 1129. Henricũ Blæsensem ex Abbate Bermondseiæ factum fuisse Episcopum Wintoniensem, fratrem nempe Regis Stephani; qui ille idem est Henricus Wintoniensis Episcopus, tantus benefactor Cluniacensium, qui annum integrum sub Petro Venerabili pauit 470. monachos, Cluniaci, ipse ibidẽ residens; & ęs alienũ, 7000. marcarũ dissoluit; rogatus ad hoc à cõuentu Cluniacensi, & pontifice ipso Innocẽtio 2. Fuerat olim etiã ipse monachus Cluniacensis; ac propterea fieri potuit, vt etiam Cluniacensis Abbas in tam illustrem personã, Regis fratrem consenserit, vt contra morẽ in prioratu suo Abbas fieret. Similiter anno. 1198. (vt narrat Matthæus Paris pag. 185.) Hubertus Cãtuariensis sua autoritate contulit hũc Prioratum Bermondseiæ, cum prioratu Wenlok, etiã Cluniacẽsi, cuidam Ioiberto, habenti adhuc duos alios prioratus, quæ ambo maximè repugnabãt statutis & autoritati ordinis Cluniacensis: vt propterea valde probabile sit, fuisse tũc quodãmodo ab eius iurisdictione subtractũ. Sed & alijs temporibus, cum alienigenæ supprimebantur exortis bellorum tempestatibus, etiam vetabantur Cluniaco obedire, donec libertate Anglicana fuissent prioratus donati. At vero temporibus

temporibus Henrici quinti, in generali suppressione alienigenarum etiã ipsi Prioratus Cluniacenses desierunt obedire Cluniacensibus Abbatibus; quamuis nomen & naturam Cluniacensium semper obtinuerint, vsque ad infælicia tempora Henrici octaui, vt & vulgo Cluniacenses vocarentur etiam in publicis instrumentis, & nec capitulo prouinciali Ordinis nigrorum, nec Episcopis Diœcesanis subijcerentur. Instrumentum Denizationis pro hoc prioratu concessum, videre poterit lector in appendice, num. 67.

Ex hac denizatione (vt semel hoc dicatur plenius) apparet quotiescunque bellum ingruisset inter Anglorum & Gallorum Reges, statim omnia Cluniacensium monasteria fuisse fisco Regio adiudicata tanquam alienigenarum bona, & ab aduersarij Regis monasterio, nempe Cluniaco, dependentia. Nec hoc solum, verum etiam vsque ad illa tempora Cluniacensium domos in Anglia ita fuisse alienigenis repletas, vt necesse habuerint Reges nostri hac methodo vti, redigendi illas in fiscum suum, nisi quãdo Priores & maior pars monachorum, seu conuentuum essent Angligenæ. Quorum neutrum de Abbatijs Benedictinorum, seu nigrorum monachorum potest affirmari, nisi ab eo cui non est sanum sinciput, adeoque elleboro (vt aduersarius consulit) purgandũ. Constat præterea ex illo indigenationis diplomate, ad ea vsque tempora alienigenas inepto regiminis sui modo domos Cluniacensium in Anglia depauperasse: quod sanè indicat, ipsos reditus conuentum suorũ, potius in Galliã suam deportasse, quàm in bonum ipsarum ecclesiarum expendisse: eamque etiam causam Regibus occasionem dedisse constituendi, vt deinceps in eisdem conuentibus tùm superiores, tum maior pars monachorum essent Angli. Quod vbi semel statuissent, etiam Prioratus in Abbatias mutauerunt, & Cluniacensis Abbatis iurisdictioni subtraxerunt. Quin & reliquæ domus Cluniacensium vt confiscationes crebras euaderent: per quas in manus Regias deuolutæ, ab ipso Rege coactæ fuerãt certis reditibus annuis latifũdia domosq; suas cõducere: partim indigenæ fieri voluerunt; partim nouas fundationes susceperunt, atque ita vel titulo, indigenationis, vel renouatæ fundationis à Cluniaco obedientiam subduxerunt. Nam ideo facti sunt indigenæ, ne haberentur pro alienigenis: alienigenæ autem ideo existimabantur quia à Cluniacensis Abbatis iurisdictioue pendebant. Sicut & Cisterciensis familia, longe potentior in Anglia, quam fuerit Cluniacensis (vt apparet ex catalogo Abbatiarũ Cisterciensiũ in appendice) pari modo confiscationem patiebatur, bello exardescente contra Franciam, eo quod omnes ipsius Abbatiæ à Capitulo Generali & Abbate Cisterciensi regerentur. Vnde Mathæus Paris, narrat Cistercienses Abbates in Anglia, Regi Henrico 3. contributionem quandam negasse, quod sine Abbatis sui Cisterciensis licentia id facere non auderent: regemque propterea illis molestias intulisse miserabiles. Et Thomas Walsinghamus, Mathæi prædicti commonachus (fuit enim & ipse Albanensis monasterij professus) narrat sub Eduardo tertio, propter bellum Gallis illatum, omnes Abbatias Cistertiensium, omnesque domos alienigenarum fisco adiudicatas fuisse. Ergo sibi per indigenationis remedium alienigenæ consuluerunt: factique indigenæ, ab externis seu transmarinis Abbatibus ecclesijsue pendere desierunt. Aliqui item Prioratus magni, vt Lentona & Dauentria, non solum iurisdictionem, verum etiam disciplinam & nomen Cluniacensium deseruerunt, & nouis fũdationibus assumptis Capitulo Generali nigrorum se subdiderunt: plærisque alijs Cluniacensium domibus conuentualibus, sub nomine & disciplina, non autem sub iurisdictione & obedientia Cluniacensi, vsque ad Henrici octaui tempora perseuerantibus. Quin & aliqui prioratus Cluniacenses alijs Abbatijs nigrorum sunt per regum nostrorum potentiam coniuncti: quod ne gratis affirmare duntaxat, aduersarij nostri more putemur, ecce id de Ledcomb, & Offord Cluny, duabus domibus Cluniacensis Abbatis mensæ olim subditis, quarũ reditus hodie ad decem millia florenorum annuatim excrescunt, per literas patentes Regis Henrici sexti probamus quas inferius, cum de Westmonasterij Abbatia agendum fuerit producemus.

Quod autem in hoc Prioratu nonnulla habita fuerint Capitula prouincialia, causam superius assignauimus, quia scilicet oportuit aliquãdo ea celebrare in loco curię regię viciniori: Westmonasterij autem, vbi tenebatur curia, nullatenus expediebat, propter frequentissimũ aulicorum litigantiumque cõcursum, quo patrum Capitularium quies per salutantes cliẽtes, aliosque interturbaretur; tantusque Abbatum & Priorum conuenientium apparatus nimiũ fuisset inuidiosus laicis proceribus, qui ecclesiasticorum & regularium opes limis oculis intuebantur. Bermondseia autem, & Londini erat, & tamen in vltimo suburbij angulo, diuisa magno flumine à reliqua ciuitate, secretis apta recessibus; & circumcirca in vicinis suburbijs vicis erant palatia Abbatum multorum, magnaque hospitia, apta recipiendis illis, qui Londinũ placitorum & vadimoniorum causa sępius venire cogebantur. Hæc fuit causa cur

M 2 Bermondseiæ

Bermondseiæ aliquando Capitula haberentur; non quasi in ipso Prioratu hospitarentur, qui non capiebat apparatum trium Abbatum istorum; nec quasi Bermondseiæ Prior eidem cum Abbatibus Capitulo fuisset subditus, cum nusquam ille, aut vllus alius Cluniacensium Prior in Capitulo comparuisset, aut in catalogo Prælatorum ad Capitula citatorum inscriptus fuerit, vt ex ipso catalogo, in appendice clare constabit consideranti.

De Abbatia de Bello.

Quare autem nihil produxit Antitrophæarius pro vindicanda Cluniacensibus insigni Abbatia de Bello, seu *de la Bataille*, quam Rex Gulielmus conquestor in Sussexia eo in loco fundauerat, in quo Haraldum Regem deuicerat? cum Cluniacensium fautor maximus fuerit Rex ille, & vt ipse asserit aduersarius, Cluniacenses ad ordinem reformandum aduocauerit, vt nos verò probauimus, ad eosdem monasterijs præficiendos, & Episcopatibus petierat, nec tamen ab Hugone sancto obtinuerat? Cur inquam istam Abbatiam non subegit victrice calamo, & Cluniacensibus subiecit? In promptu causa est: nimis clarum fuit, illam Abbatiam nec in prima sui fundatione, neque vnquam deinceps fuisse Cluniacensem, nec disciplina, nec subiectione. Probemus dictam assertionem primum ex Gulielmo Malmesburiensi, qui lib. 3. de gestis Pontificum Anglorum in ipso fine libri scribit in diœcesi Cicestrensi *duo duntaxat fuisse suo tempore cœnobia de nouo facta; Sancti Martini de Bello* (verba legis authoris citati) *quod Rex Wilielmus fundauit & prouexit in loco, vbi Angliā debellauerat multa ibi & pretiosa tum viuus tum mortuus delegans. Altare ecclesiæ est in loco vbi Haraldi pro patriæ charitate occisi cadauer exanime inuentum est. Sancti Pancratij de Lewes, quod, authore Wilielmo Comite de Warenna, Lanzo quidam monachus Cluniacensis in supremo religionis locauit cacumine. Efficaciam viri sublimitas prætendit loci, adeo vt veraciter asseratur, nullum omnino monasterium posse illud vincere religione ad monachos, affabilitate ad hospites, charitate ad omnes. Vincit pompam famæ rerum veritas, licet fatiget audientes referentium verbositas. Certe de Lanzone plura loquerer, nisi alias non contemnenda dixissem; simulque eius meritum omne transcendit eloquium.* Hæc Gulielmus: qui ipso modo loquendi, dum eadem quasi periodo orationi Monasterium Belli non assignat Cluniacensibus monasteria vero S. Pancratij ijsdem addicit, & à *quodam Lanzone Monacho Cluniacensi* formatum asserit, tanquam de homine non valde noto omnibus sui ordinis per Angliā Benedictinis: satis innuit, prius monasteriū, de Bello, nō fuisse Cluniacense, & monachos proinde Benedictinos Angliæ distinctos fuisse à Cluniacensibus. Quem modum arguendi, ex modo loquendi authorum nostrorum desumptum, ne aduersarius irrideat, tanquam futilem, iam ostendemus esse in re historica euidentem. Ostendemus enim monachos à Gulielmo Conquestore in hac Abbatia de Bello positos expressè non fuisse Cluniacenses, ex quo patebit cur in eadem periodo hos ab illis Malmesburiensis ipso illo modo loquendi censeri debeat distinxisse: Ostendemus vero ex irrefragabili testimonio ipsius Conquestoris, qui Abbatiam fundauit; cuius hæc est charta priuilegiata, ad verbum ex monumentis illius monasterij relictis ad nos transmissa. Willelmus Dei gratia Rex Anglorum Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi, Sigeberto Episcopo Cicestrensi, omnibusque successoribus suis regnum Angliæ obtinentibus, & cunctis fidelibus, salutem. Notum vobis facio, quòd locum victoriæ meæ, sicut Deo iuuante mihi conquisiui, & Rex liberum possedi, ita illum liberum, & ab omni exactione hominum quietum obtuli Deo, ibidemque ecclesiam in honorem S. Martini ædificaui, quam de Bello appellare volui, eo quod mihi Deus in eodem loco tantam victoriam attribuit, vt de aduersarijs meis mihi iniustè resistentibus triumpharem, regnumque mihi debitum, & successoribus meis iure hæreditario perpetualiter possidendum acquirerem. Votum itaque, quod Deo, & sancto Martino voui, implere festinans, idem monasterium monachorum religioni dedicans, ex ordine & religione Maioris-monasterij fundaui, & inde primum Abbatem Gausbertum, ad hoc tantum vt religionis ibi normam fundaret, constitui: ita tamen, vt libera & quieta in perpetuum ab omni subiectione & dominatione & querela Maioris-monasterij, & aliarum personarum exactione permaneat, sicut ecclesia Christi Cantuariensis, & sicut mea Dominica capella, & signum Anglicæ coronæ, per quam ego regno, & successores mei regnum Angliæ debent obtinere. Statuimus itaque tam ecclesiasticæ, quam regiæ prospectu potestatis, vt decedente Abbate de Bello, omnis possessio monasterij, vbicumque fuerit, libera & integra cum omni iure & consuetudine sua remaneat in manu & dispositione Prioris & monachorum capituli de Bello. Hoc autem ideo statuimus, statutumque perpetuo seruandum confirmamus, quia Abbas de Bello proprios reditus non habet, sed communes cū fratribus; qui igitur Deo annuente canonica fratrum electione Abbas substitutus fuerit, ibidem absque venalitate omni benedicatur, sicut primum Abbatem Gausbertum in eodem monasterio de Bello Sigebertus Episcopus Cicestrensis benedixit. Abbas itaque de Bello

nec

„nec cum suis sæcularibus consanguineis, seu quibuslibet alijs, eleemosynas monasterij male „vtendo disperdat: sed pauperibus, & peregrinis & hospitibus suscipiendis; & fratrum curã „gerat. Terras censuales nec ad feudum donet, nec milites, nisi in sacra veste Christi faciat, „nec de possessionibus ecclesiæ quisquam teneat aliquid feudeliter absolutum, sed ad censũ „annuum, & seruitium Abbati & monachis debitum. In Abbatis de Bello & monachorum „domo & possessione nullus intus vel extrà per hæreditatem officium teneat: sed in arbitrio „Abbatis & monachorum consistat de transmutandis præpositis, seu quibuslibet officiarijs „alijs. Hanc igitur monasterio de Bello & omnibus ad ipsum pertinentibus in perpetuum „dono & confirmo liberam immunitatem, & immunem libertatem: quam etiam per signo „coronæ regni nostri, regibus post me in Anglia regnaturis causa Dei commendo seruandã, „& eam Deus conseruet in æternum. Teste Petro Episcopo Cestriæ: Hermanno Episcopo „Sarisberiæ: Wilielmo Comite Werennæ: Bernardo de nouo mercato: & Gausberto nunc „eiusdem loci Abbate cum monachis suis, qui ad hanc chartam faciendam præsentes erãt apud Winton. Non ascripserat exscriptor æram, qua data fuit hæc charta; sed apparet circa annum 1000. scriptam fuisse. Et quid clarius dici aut proferri potuit in rem nostram? dicit magnificus Rex se Abbatem huic monasterio non ex Cluniacensi ordine, sed ex ordine maioris-monasterij Turonensis desumpsisse: dicit se eum inde vocasse ad religionis normam fundandam; nec tamen propterea velle vt Abbatia sua subijciatur Maiori-monasterio, cuius disciplinam recipiebat; dicit se eam ita facere liberam tam ab illo monasterio Turonensi, quã ab omni alia persona ecclesiastica aut sæculari, quam sit ecclesia Christi Cantuariæ, aut Capella regia, aut ipsa regni corona; dicit tandem se statuere vt Abbatem sibi conuentus libere deligat nullius alterius personæ vel ordinis consensu requisito. Quæ omnia euidenter ostendũt monachos huius monasterij non fuisse Cluniacenses; euidenter etiã ostendunt vocabulũ ipsum ordinis seu religionis, (vt nos sępe diximus) accipi solere pro cõgregatione monachorũ ab alio quouis monasterio indepẽdẽte, qualis erat ordo seu religio Maioris-monasterij; quod monasterium à Cluniacensi omnino liberum & independens fuisse, & modus iste loquendi Regis in hoc diplomate, & quæ superius diximus de controuersia inter monasterium illud sanctumque Mayolum exorta, declarant. Tandem hinc elucet clarissimè, Abbatias nostras in Anglia, per Normanicos Reges Cluniacensi, vel quauis alia diciplina informatas, semper tamen exemptas fuisse ab omni subiectione ecclesiarum illarum vltra-marinarum à quibus monachos aut disciplinam sumpserunt. Nec sane opus esset plura in huius rei confirmationem adducere: sed vt appareat, quam firmis nixa sit nostra sententia fundamentis; & quã inualidis aduersarius nitatur coniecturis, cum eam impugnat, duo alia eiusdem ætatis testimonia proferemus. Primum sit Gulielmi Gemiticensis lib. 8. historiæ Normannicæ cap. 37. qui videtur ex ipso Regis diplomate sua verba descripsisse: *Locus vero* (inquit) *vbi sicut supra diximus pugnatum est, exinde Bellum vsque hodie vocatur. Porro Wilielmus Rex ibi cœnobium in honore S. Trinitatis construxit & monachos ac ordinem Maioris-monasterij S. Martini Turonensis statuit: atque necessariis opibus pro interfectis vtriusque partis affatim ditauit.* Alterum est Orderici Vitalis, li. 4. ecclesiasticæ historiæ, sub ipso statim initio: Postquam bello peracto fortiter „hostes subegit, & diadema regium apud Londoniam suscepit: cœnobium sanctæ Tri„nitatis in Senlac, vbi bellum factum, construxit, & multis opibus vel fundis, vt decet re„galem munificentiam, ditauit. Ibi Gerisbertum Maioris-monasterij religiosum monachũ „Abbatem constituit, quo monitore monasticus ordo & regularis disciplina commode vi„guit. Maius enim monasterium à sanctissimo Martino Turonum Archiepiscopo cæptum „est, ibique bonorum hominum religio creuit inspirante Deo, & multiplicata est. Nostris „temporibus Albertus, & Bartholomęus, Bernardus, & Hugotus, ac Gulielmus Nanticen„sis Abbates huic monasterio præfuerunt, qui sanctitate & probitate multis profuerunt, & „longe lateque famosi, vicinis & externis viriliter micuerunt. Post obitum Goisberti Hen„ricus Cantuariensis Prior Abbatis officium suscepit, & Bellense cœnobium honorificè te„nuit. Quo defuncto Rodolphus Roffensis Prior monachusque Cadomensis successit: „studioque sanctitatis & salutaris doctrinæ sibi multisque coessentibus prodesse sategit. Tã„dem anno Henrici Regis Anglorum (*primi*) vigesimo quinto religiosus senex fœliciter ad Deum transijt è mundo. Nec plura dicam de hac Abbatia, quam qui ex testimonijs hisce non videt nullo modo fuisse Cluniacensem, sole lucente diem non esse eadem pertinacia poterit negare.

Fuit etiam alia Abbatia S. Benedicti de Hulmo in agro Norfolciensi subiecta Capitulo Generali nigrorum: cur non & illam vendicauit aduersarius? non inuenit aliquod testimonium male intellectum apud Pitsium aut Posseninum, ex quo aliquid pro Cluniacensium Abbatia S. Benedicti de Hulmo

 iurisdictione

iurisdictione exprimeret. Sanè à Canuto rege fuit ædificata, circà annum 1026: antequam Cluniacenses in Anglia innotuissent: & Capitulo Generali nigrorum monachorum subijciebatur, vt ex actis Capitularibus in appendice positis aperte comprobatur.

Abbatia Burtonæ.

Similiter Abbatiam Burtonæ super Trentam comitatus Staffordiẽsis omisit quia apud autores illos suos non inuenit quod contra illius libertatem diceret. Fuit autem fundata ab Vlfrico comite, & fundatio corroborata ab Ethelredo rege circà annum Domini millesimum, cuius confirmationis exemplar vidimus. Itaque nec in ipsa eius fundatione fuit Cluniacensis cum ante Cluniacensium in Angliam aduentum fuerit erecta: & post Innocentij. 3. tempora semper Capitulo Generali fuit subiecta vt ex catalogo Abbatum Capitulo subditorum, & ex actis Capitulorum sæpe citatis apparet.

Abbatia Bathoniensis.

Restat insignis prioratus Cathedralis Bathonẽsis Ecclesiæ in prouincia Somersetensi quã non potuit vllo colore vendicare Cluniacensis aduocatus: etenim Abbas huius loci simul erat & Episcopus, Monachi vero etiam & Canonici, penes quos ab antiquo manebat sui Episcopi & Abbatis electio. Offa Merciorum Rex (inquit in catalogo Godwinus) Cœnobium Bathoniæ primus posuit anno 775. quod a Danis incensum ac deletum funditus Rex Eadgarus more suo refecit & auxit, delectatus loci magnificentia, & quod ibi coronam Regni susceperat: Ealphegus autem, qui ex Abbate huius ædis wintoniensis Præsul anno 984. & Cantuariensis Primas anno 1006. factus est, Ecclesiam hanc ædificijs optimis illustrauit. Anno 1087 cœnobium & ciuitas Bathoniensis penè vniuersa incendio absumpta sunt: sed ipsum à fundamentis nouum circa annum 1090. erexit Ioannes de Villula; *qui* (Malmesberio referente) *minoris gloriæ putans, si in villa* (Wellensi) *resideret inglorius, transferre thronũ in Bathoniam animo intendit. Sed cum id inaniter viuente Gulielmo Patre* (conquæstore) *cogitasset, tempore Gulielmi filij* (Rufi) *effecit. Nec eo contentus, totam etiam ciuitatem in suos & suorum vsus transtulit, ab Henrico rege quingentis libris argenti mercatus vrbem, in qua balnearum calidarum latex exurgit. Abbatiam ergo ipsam Ioannes à Rege non grauate obtinuit. Multa ibi per eum nobiliter incæpta & consummata in ornamentis & libris, maximeque monachorum congregatione, qui erant scientia literarum & sedulitate officiorum iuxta prædicabiles.* Quod autem penes Monachos fuerit Episcopi tanquam Abbatis sui electio, docet his verbis Godwinus iam citatus, in Roberto Bathoniensi Episcopo, qui temporibus Stephani Regis anno 1136. vixerat; Orta enim est „sub eo de sede Episcopali inter Bathoniẽses monachos & Wellenses canonicos sęculares in„gens discordia. Rem per compromissum ad Episcopi arbitrium delatam ille sic ordinauit, vt „illius diœcesis antistites, nec Wellenses dicerentur, vt olim, nec Bathonienses vt nuper; sed „ab vtraque ecclesia nomenclaturam mutuantes, nuncuparentur in posterum Bathonienses „& Wallenses Episcopi. Constituit etiã, vt sede vacante ab vtraque ecclesia pari numero de„legati, suis suffragijs nouum Præsulem designarent, quem oportuit vtrobique, Bathoniæ nimirum, & welliæ installari. Ergò Bathonicum cœnobium non est quod Cluniacensibus eripere laboremus amplius, quandoquidem cathedralis dignitatis priuilegio sit ab eorum Dominio immunis; quare nec eam ausus est vendicare aduersarius: vt neque Bardneiæ Abbatiam in prouincia sitam Lincolniensi, & à Regibus Merciorum olim fundatam in qua & Ethelredus rex filius Pendę, post. 30. annos in regno exactos monachum egit, & Abbatem; quam Congregatio nigrorum monachorum iure suo intrepide vendicauit, cum Capitulis Generalibus illius, vt ex actis constat, huius monasterij Abbates subiecti sedulo interesse consueuerint.

Haud ab simili de causa à Cerneliensi Abbatia calamum abstinuit Antitrophæarius noster: Abbatia antiquissima, quam Augustinus Apostolus noster in agro Dorsetensi primum fundauit, & postea dirutam Danicis incursionibus Egelwaldus prædiues homo (vt docet Malmesburiensis) *construxit non ita exiliter, quinimo abundanter, si illi, quorum interest, non ca nebulonibus, sed Dei seruis impertirent.* Pari modo propter inopiam testimoniorum non vexauit aduersarius libertatem Abbatię Certeiensis, ab Erkenwaldo Londoniensi Episcopo S. Melliti discipulo, fundatæ, in quo & ipsemet conuersabatur: qui eodem tempore alterum cœnobium sorori suæ Ethelburgæ erexit, quod Berkingum dicebatur magnæ sanctitatis monialibus repletum, vbi ipsa Abbatissam egit, & Abbatissam post se reliquit Hildelidam, ad quam de laude virginum scripsit S. Aldelmus. Sanctitatem loci declarauit prouidentiæ diuinæ cura, qua factum est, vt inter tot barbarorum irruptiones nunquam ille fuerit omnino destructus donec sub Hẽrico rege omnia sacræ religionis loca rapacitati tyrannicæ patuerunt. Et huius Abbatiæ Certeiensis Prælatos Capitulis Generalibus nigrorum subditos fuisse declarat sæpe laudatus catalogus & acta Capitularia in appendice posita. Sicut & Cestriensis Abbatię S. Wereburgæ Presules, de qua etiam Abbatia Cluniacensibus ad-

dicenda

dicenda desperauit aduersarius: reclamat enim ipsa fundatio monasterij, de qua Malmesburiensis lib. 1. de gestis Pontificum in Anselmo loquens, ait Anselmi ex Normannia primum in Angliam aduentum fuisse inter reliqua, vt Abbatiam apud Cestriam firmaret, quam eiusdem ciuitatis comes Hugo monachis potissimum Beccensibus implere volebat, quod & Anselmus ipsius rogatu præstitit. Beccenses autem monachos nec disciplina, nec subiectione fuisse vnquam Cluniacenses iam antea, cum de Lanfranco ageremus, demonstratum fuit, & inferius in Edmundiburgensi Abbatia iterum demonstrabitur. Habemus historiolam manuscriptam fundationis & dotationis huius Abbatiæ Cestrensis, cui Comes Hugo amplissima concessit priuilegia; & inter reliqua (verba sunt chartæ dotalitiæ) *Huic ecclesiæ S. Wereburgæ Hugo supradictus comes, & Ermentrudis Comitissa possessiones priores* (fuit, enim ante ipsos ecclesia antiquitus monialibus ordinis eiusdem dicata, quæ iam diu desierant ibidem esse) *liberas in perpetuum & quietas concesserunt, & de suis augmentauerunt, & habitationem monachorũ habilem reddiderunt, eamque Abbatiam nulli omnino Abbatiæ* (proinde nec Cluniacensi) *subiectam fecerunt.* Eademque priuilegia multis in eadem historiola diplomatis magnifici Comites Cestriæ, Richardus; Ranulphus primus, & Hugo secundus, eiusque filius Ranulphus secundus Regibus consentientibus corroborarunt. Liberrima igitur ab omni iugo Cluniacensium maneat Abbatia Cestriæ: liberrima etiam Abbatia Colcestriç in agro Essexiensi, cuius Abbas Baronatus Parlamentaris prçrogatiua gaudens (vt & Abbates quos hactenus enumerauimus Albanensis, Augustinensis, Abendonensis, Bardeneyensis, & de Bello) non poterat iurisdictioni Gallicani corporis aut ordinis subesse, vt fuse antea demonstratum est: propterea ad regularem obseruantiam fouendã cum reliquis Abbatibus nigrorum Capitulis Generalibus Angliæ subdebatur. Ad laudem huius Abbatiæ accedit, quod vltimus ipsius sub Henrico 8. Abbas ob fidei constantem professionem martyrio affectus, gloriose occubuerit, vt in priori tractatu ostensum fuit.

De Abbatia Couentriẽsi & Croulãdensi.

Similiter & pro Couentrensi ac Crowlandensi monasterijs subiugandis, nihil producit aduersarius, præter autoritatem Pitsij, & Ingulphi: ad quas iam est responsum, Pitsij autoritatem non debere à nobis hac in re suscipi, cum aduersario in alijs sordescat, nec apud vllos valere debet in historijs monasticis, hominis non monachi testimonium, contrà apertissima monachorum de ijsdem rebus scribentium & consentientium asserta. De Ingulpho autem; locum ex eo productum, omnino contrarium euincere, quandoquidem ille ea scripserit antequam Cluniacenses in Angliam fuissent recepti: Qui propterea in tota illa historia suæ Croulandiæ, ne semel quidem Cluniacum, aut Cluniacenses nominauit; sed contrà profert priuilegia, quibus omnimodam sui monasterij ab omni alia ecclesia exemptionem ostendit? multosque nominat Abbates à rege datos, aut ad petitionem regum à fratribus electos, quæ vtraque non cohærent cum subiectione Cluniacensium: videat lector in appendice scripturam 38. & 39. ex Ingulpho desumptam.

De qua Abbatia hoc memorabile non est prætermittendum: sub Danica rabie omnes eius monachos fuisse martyrio affectos quatuor dumtaxat exceptis, quos Deus reseruauit à barbarorum cæde, vt destructi per eosdem Monasterij sui resurgentiam rursum sub Turketulo Abbate (Angliæ prius Cancellario) conspicerent ædificia: quorum primus Clarembaldus (verba sunt Ingulphi) completis annis vitæ suç 168. infirmatus iam de manu Domini tam longissimi laboris in suo sancto seruitio præmia percepturus è sæculo in cælum transijt, anno proxime sequenti alter ex eisdem Swarlingus, completis annis vitæ suæ 142, obijt: vltimus eorum Turgarus completis annis vitæ 115. decescit ad paradisum. Aliorum duorum ætatem non consignauit Ingulphus: Sed eodem anno mortuos, quo Swarlingus defunctus fuit, affirmat. Tanta longeuitas in istis senibus fuit, inter tam miserabiles monasterij sui calamitates, idque in loco palustri & limosis, aquis vndique cuncto, ex quo illi nusquam pedẽ efferebant.

Couentriæ autem monasterium fuit Prioratus cathedralis, cuius monachi Episcopum, vtpote Abbatem suum, eligebant: adeoque nullo modo potuit subijci externç ecclesiæ regulari. Fuit autem constructum cœnobium à Godina vxore Leofrici magni Cestriæ comitis, temporibus Sancti Eduardi Confessoris, longe ante aduentum Cluniacensium in Angliam. Cæterum vt sciat lector, Prioratum hunc fuisse cathedralem, nihilque ad Cluniacenses spectasse: accipiat admirabilem simul & lepidam historiam ex Mathæo Paris, ad annum 1198. „ipsius omnino verbis descriptam. Eodem anno (*inquit*) Hugo de Nunant, Couentrensis, „siue Cestrensis Episcopus Romã tendens, in Normannia cœpit grauiter infirmari: cumque „ingrauescente ægritudine, mortem sibi vicinam cognouisset, fecit accersiri viros religiosos „totius Normanniæ, quos habere poterat, Abbates & Priores: & audientibus cunctis

„ voce clamosa confessus est, purè, & maxima cordis contritione ac lachrymarum iugiter
„ effusione, omnia peccata, scelera, & enormitates omnes, quæ memoriæ suæ occu-
„ rrebant; Tanta autem contritus erat & commotus pænitentia, quod omnes astantes &
„ se intuentes ad lachrymas & singultus commouit. Denique flens & eiulans, manibusque
„ cõsertis, Prælatos omnes in virtute Dei adiurabat, quatenus sibi pęnitenti super tot & tan-
„ tis flagitiorum excessibus, pænam infligerẽt, & satisfactionem condignam. Audientes autẽ
„ viri religiosi, qui lecto astabant in Episcopo vitã adeo flagitiosam, simul & admirabilẽ cor-
„ dis contritionem, ad inuicem sese contuentes, obmutuernnt vniuersi, nescientes quid da-
„ rent consilij, vel quid tam subito responderent. Quod cernens Episcopus dixit: Scio, scio,
„ quod tantis enormitatibus auditis, hæsitatis inter vos, quid mihi pro pænitentia infligatis:
„ sed obsecro vos in nomine Iesu Christi Domini nostri, quatenus in locũ pænitentiæ, & re-
„ missionem peccatorum meorum iniungatis mihi, vt secundum voluntatem Dei sim in pæ-
„ nis Purgatorij vsque in diem iudicij, vt tunc per misericordiam redemptoris nostri, qui
„ semper misericordiam exaltat super iudicium, saluus fiam. Placuit hoc consiliũ vniuersis,
„ salua sibi semper clementia diuina, quæ omnes seruari desiderat, & neminem vult perire.
„ Tunc Episcopus, audientibus cunctis, cum ingenti mœrore recognouit, qualiter expulsis
„ monachis Couentrensibus, ad cumulum omnium malorum, in loco eorum irreligiosos cle-
„ ricos introduxit. Ad cuius flagitij satisfactionẽ, aliud genus correctionis non inuenit, nisi
„ vt in eorũ habitu vitam finiret, in quos diabolico spiritu exagitatus, dum potuit, persequu-
„ tionẽ excitauit, mendicare coegit, & quantum in se erat, odio mortali afflixit. Sicque cum
„ magno eiulatu Abbatem Becci, qui inter cæteros aderat, deprecans adiurauit, quatenus in-
„ tuitu charitatis, ad diaboli confusionẽ, habitum sibi concederet monachalem; vt illos ha-
„ beret patronos in sæculo futuro, quos persequutus fuerat in hoc mundo. Quod cũ imple-
„ tum fuisset, omnia quæ possidebat, in auro, & argento, in gemmis, & vasis pretiosis, domi-
„ bus religiosis & pauperibus erogauit. Et sic in spe bona omniũ assistentium, & iugi lachry-
„ marum effusione, fine insperato quieuit.

„ Morabatur in curia Romana ea tempestate, Monachus quidam Couentrensis cœnobij,
„ Thomas nomine, qui ab Episcopo præfato, cum cæteris fratribus expulsus (vt superius re-
„ latum est) monachos circumquaque dispersos, simul cũ cœnobio, authoritate summi Pon-
„ tificis in statũ pristinum studuit reformare. Quidam autem fratrum eius obierant, quidam
„ tædio & paupertate affecti à curia recesserãt, ipso solo in negotio perseuerante, ac pauper-
„ tate nimia compellente, panem suum multoties mendicante. Sed cum nuper de morte Co-
„ uentrensis Episcopi nuntios desideratos accepisset, exaltatum est cor eius in domino, qui
„ dat in se sperantibus & perseueranter agentibus bonitatem. Quadam vero die, cum Inno-
„ centius Papa nuper creatus, cũ Cardinalibus suis in consistorio sederet, monachus memo-
„ ratus audacter prorupit in medium, & petitionem sui negotij indicatione Papæ porrexit.
„ Quam cum ille perlegisset, incontinenti Monacho respondit: Frater, nonne ista petitio à
„ prędecessoribus nostris Clemẽte & Cælestino, sępius repulsa est, me audiente & vidente? Et
„ tu, qui illos nõ potuisti, me quoque vt delyrum, vis circumuenire? Et iratus adiunxit: Re-
„ cede frater, recede; certe inaniter hic expectas. Monachus autem hæc audiens, cum lachry-
„ mis amarissimis respondens ait: Pater sancte, petitio mea iusta est, & omnino honesta, &
„ ideo inaniter non expecto. Expecto enim mortem vestram, sicut feci mortem ante-
„ cessorum vestrorum; succedet enim vobis, qui petitionem meam exaudiet cum effectu.
„ Papa vero hæc audiens, & suprà quam dici potest admirans, assidentibus sibi Cardinalibus
„ dixit, Nõne audistis, quid diabolus iste dixit? Expecto inquit, mortẽ vestrã, sicut feci mortẽ
„ antecessorũ vestrorum. Et conuersus ad monachum ait: Frater, per sanctum Petrum, mor-
„ tem meũ non hic exspectabis, exaudita est enim petitio tua. Et continuo antequam cibum
„ sumeret Papa, Huberto Cantuariensi Archiepiscopo dedit in mandatis, vt continuo, visis
„ literis, ad Ecclesiã Couentrensem personaliter accederet, & expulsis clericis, monachos in-
„ uestiret. Sicque Archiepiscopus memoratus, amotis clericis præfatis, summi Pontificis au-
„ thoritate roboratus, decimo quinto Kalendas Februarij, monachos introduxit. Et quoniã
„ Prior illius loci, monachis exulantibus, defunctus fuerat, pręfecit eis Priorem nomine Ioi-
„ bertũ, natione Normannum, qui propter eminentiam prudentiæ sæcularis, tres prioratus,
„ de Dauintre, & Wenloch, & Bermõdseia susceperat ad regendũ. Qui continuo cum consi-
„ lio monachorũ de electione Episcopi tractare incipiens, communi deliberatione Gaufridũ
„ de Muschãp elegerunt. Eodem tempore, mortuo Priore de Bermondseia, Hubertus Can-
„ tuariẽsis Archiepiscopus, vt Ioiberti supradicti auaritiæ satisfaceret, tribus Prioratibus suis
„ hũc quartum adiecit. Hactenus Mathæus. In qua historia, intellige lector, monachos Co-

uentréſes nullo modo fuiſſe Cluniacéſes, ſed ſucceſſores monachorũ Beccenſiũ, quos in Ceſtréſi Abbatia collocauerat Anſelmus: vt propterea Epiſcopus ille Couẽtrenſis moriturus ab Abbate Beccenſi habitũ poſtulauerit. Non fuiſſe autem Cluniacenſibus ſubiectos, ex multis in hac hiſtoria narratis patet: Primo & præcipuè, quia Prioratus cathedrales nulli eccleſiæ transmarinæ erant ſubiecti; ne quidem Beccenſi, quamuis ex eo monaſterio primi monachi Couentrenſes proceſſiſſent. Deinde quia nuſquam in tota hac narratione fit Cluniacenſium mentio, quibus cum fauiſſent intimè Pontifices illi qui Innocentium præceſſerunt, facile illis conceſſiſſent agentibus, quod huic monacho miſello negauerant, ſi res ad Cluniacenſes ſpectaſſet. Et quando permiſiſſet Cluniacenſis Abbas monachum ſuum tanta paupertate Romæ pro re tanta commorantem affligtari? præſertim Abbas Hugo quartus, vir magnæ nobilitatis & liberalitatis, vt in Chronico Cluniacenſium prædicatur? Sed res hæc non pertinebat ad Cluniacenſes, ideoque neque ad illos ſpectabat, de monachi illius paupertate curã gerere. Tandem intellige lector, hoc ipſo anno, quo iſta acta ſunt ab Huberto Cantuarienſi, frequentiſſima prælia extitiſſe (vt idem narrat Mathæus) inter regem noſtrum Richardum, primum, & regem Francorum: quæ fuit cauſa, vt Hubertus iſte de Burgo Archiepiſcopus Cantuariæ, & magnus Angliæ Iuſtitiarius, ſub ipſo rege in Normannia bellicis negotijs occupato, regnum Angliæ gubernans, de bonis & prioratibus Cluniacenſium, tanquam de ſubditis regi Francorum, hoſti videlicet regis ſui, pro libito ſuo diſponeret; Cui malo vt occurrerent Cluniacenſes, Hugonem Abbatem de Radingis, hominem Anglum, mortuo Hugone quarto, Abbate ſuo, ſibi in Abbatem anno ſequenti, nempe 1199. elegerunt; vt ita res ſuas in Anglia iam ob hoſtiles duorum regum inimicitias multum inclinitas & diminutas erigeret, & ſuſtentaret. Sed iam ad aliam procedamus alphabeti ſtationem.

Membrum quartum.

Synopſis.

§. 1. De Prioratibus Dauentriæ, & Doueriæ, & Prioratu cathedrali Dunelmenſi. §. 2. De Abbatia Edmundiburgenſi. §. 3. De Abbatia ſeu Prioratu cathedrali Elienſi. §. 4. De Abbatia Eouiſhamenſi. §. 5. De Glоceſtrenſi. §. 6. De Glaſtonienſi. §. 7. Malmeſburienſi. §. 8. S. Mariæ Eboracenſis. §. 9. Nordouicenſi cathedrali.

Dauentriam, prioratum Northamptonæ non exiguorum redituum, olim quidem Cluniacenſem fuiſſe, fatemur; ſed iam poſtea (vt ſuprà diximus) à corpore & diſciplina Cluniacenſium ſeparauit Ioibertus, potens Normannus: quare noua aſſumpta fundatione, (ſicut & Prioratus Lentonæ, alijque alienigenæ fecerunt) ſub nigri ordinis denominatione poſtea cenſebatur, & vt ex catalogo patet propterea inter capituli Generalis Patres enumerabatur, quia Prioratus erat nulli proprio Abbati ſubiectus; qualis erat & Prioratus Doueriæ æqualis Dauentriæ in cenſu annuo, eodemque modo Capituli Generalis Anglicani membrum in catalogo recenſetur. Hos duos Prioratus, & multos alios ſimiles omiſit Antitrophæarius; at nos quia Capituli Generalis iuriſdictioni parebant omittere noluimus. Cur autem ille Dunelmenſem Abbatiam non vendicauerit, miror; non enim ideo omiſit, quia cathedralis erat eccleſia, cum Eccleſiam ipſam Metropoliticam Cantuariæ non ſit veritus Cluniaco ſubijcere: forte in cauſa fuit, quod illam Abbatiam ſciret illam ipſam eſſe, quam tantopere irridet, Geribennæ, ſiue Ingiruienſis Congregationis familiam à S. Benedicti Biſcopij duplici monaſterio illuc tranſlatam, vt ſuperius eſt à nobis ex hiſtoria Dunelmenſis eccleſiæ oſtenſum: vbi & ſatis euidenter probauimus hoc monaſterium, etſi cathedralis eccleſiæ prærogatiua non obſtaret, aliunde tamen non fuiſſe iuriſdictionis Cluniacenſis.

Edmundiburgenſe monaſterium, fuit tantæ olim potentiæ, vt ipſi Cluniacenſi haud dubio in reditibus fuerit æquiparandum: cum quæ olim Abbatia illa poſſedit, more huius ſæculi atque ætatis fere trecenta millia florenorum, ſeu francorum, aut librarum Turonenſium annuatim redderent. Hoc tale tantumque cœnobium Cluniacenſi Abbatiæ atque ordini ſubiecit aduerſarius pag. 61. & 114. authoritate Pitſij, aliquem eius Abbatiæ monachum Cluniacenſem vocantis, & Ingulphi in loco iam ſæpius citato comproſeſſos de hoc cœnobio

cœnobio monachos enumeratis. Præterea cōiectura mirabili: quia nimirũ Canutus Angliæ, Daniæ, & Noruegię rex, sancti Edmũdi martyris corpus monastica voluerit caterua honorare: idcirco monachos proculdubio reformatissimos elegisse; & cum non fuerint tunc Cluniacensibus reformatiores, Cluniacenses in eum finem fuisse à rege delectos. Sed quam parum ipsi suffragetur Ingulphus, quam parum fidei in his rebus faciat Pitsius, aut potius quam iniquè trahatur ad hanc controuersiam eius authoritas, iam satis liquet. Ad frigidam autem illam de Rege Canuto coniecturam longè meliore & probabiliore coniectura argumentum retorquentes respondemus: potius inde colligi, Canutum hominem Danum, ac proinde eiusdem cum Anglo-Saxonibus idiomatis, qui tunc cupidissime ambiebat & venabatur Anglorũ amorẽ quos fidelissimos, fortissimosq; milites cōtra rebelles Noruegos expertus fuisset, & apud quos maximè cupiebat se à cædis S. Edmũdi crimine purgare, nō Cluniacenses homines externos & alienigenas ad cœnobium S. Edmundi olim ab Alfwino Orientaliũ Saxonũ Episcopo fundatũ, & recenter à se monachis ornatũ circa annum gratiæ 1020. aduocasse, sed Anglicos sine dubio monachos, conciuis sui regis, & martyris gloriæ addictissimos ibidem posuisse, vt & gratior esset Anglis per monachos tali beneficio cumulatos; & magis placeret martyri in cælis regnanti, qui sine dubio vt verus Christi cultor, maximè curaret domesticos suæ fidei. Quod autẽ à disciplina arguit debuisse necessario esse Cluniacẽses monachos istos, à Canuto rege ibi collocatos, nō solum parum affectum, sed etiam iniquum & iniuriosum in patriam suam animum aduersarij ostendit: quasi tantæ fuissent per vniuersam Angliam licentiæ & deformitatis monachi, vt nullos Anglos ad hoc aptos Canutus Rex inuenire potuisset: cum ex ipso Ingulpho potuisset aduersarius discere quantæ fuerint sanctitatis & religionis monachi Crowlandenses, Euishamenses, & aliorum monasteriorum tunc temporis incolæ religiosi. Canutus igitur, vt Anglis gratificaretur, Anglicos ibi monachos expulsis clericis posuit: quibus monachis (vt constat ex historia Henrici de Siligraue, & Chronicis nostris) Egelnotus Doroberniæ, siue Cantuariæ Archiepiscopus Abbatem pręfecit Guidonem quem Aldwinus Londoniensis Episcopus consecrauit. Constat præterea ex Mathæo Paris ad annum 1258. pagina 929. monachos Edmundiburgenses liberè sine recursu ad aliam vllam ecclesiam, præter Romanam, Abbatem sibi eligere consueuisse; quem ibidem docet illo anno Romæ confirmatum fuisse, Rege ipso Henrico tertio, & Archiepiscopo Cãtuariensi nequaquam alium eidem monasterio præponere cupientibus. Sic ergo patet, Edmundiburgensem Abbatiam, à Cluniacensium iugo liberam semper extitisse.

Sed & Eliensem pariter liberam pronunciamus: pro cuius subiectione nihil aliud producere potuit aduersarius, quam locum Ingulphi, quem iam abũde pro nobis explicuimus; Debuit autem considerare hanc Abbatiam fuisse Prioratum Cathedralem, ac proinde non potuisse externæ ecclesiæ matrici, qualis est Cluniacensis, subijci. Sciendum enim est, Sanctam Etheldredam (in cuius honorem cathedralis ecclesia Eliensis ędificata fuit, in qua ipsius sanctum corpus tumulatum fuit) obtento consensu mariti sui Egfridi Regis Northumbrorum; in hanc Insulam religiosæ vitæ desiderio secessisse, vbi cum ecclesiam olim ab Ethelberto Cantij rege persuasione D. Augustini Apostoli nostri anno 607. ædificatam inuenisset ruinis suis oppressam, eandem anno 677. consilio S. Wilfridi Archiepiscopi Eboracensis, & auxilio fratris sui Aldulphi Orientalium Anglorum Regis, reparauit; cœnobioque sanctimonialiũ ibidem extructo ipsis Abbatissa præfuit, & post eam Sexbinga, Ermenildis, Wereburga, aliæque sanctæ Abbatissæ per centum octoginta tres annos, quibus euolutis, anno. 890. Inguar & Hubba Pagani ex Dania in Angliam traijcientes, omniaque miserè vastantes, etiam hoc monasterium cum virginibus destruxerunt. Ita diu desolatam ecclesiam; circiter octo presbyteri sæculares inhabitarunt, quibus inde expulsis Ethelwoldus Wintoniæ Episcopus, empta tota hac insula Eliẽsi, (est enim palustris locus vndiq; dulcibus aquis circũdatus) monachos introduxit, nō Cluniacenses (vt aduersarius vult, quod nos satis expugnauimus, cum ante tempora Normanni eos Anglia non viderit) sed ex suo monasterio Wintoniensi S. Swithuni, cuius præpositum Brithnodum tunc monasterio Eliensi primum Abbatem præfecit, ad annum Domini. 970. Cui successerunt Elfius, Leoffinus, Leofricus, Leoffinus alter, Vlfricus, & Thurstanus Abbates. Huius Thurstani tempore, multi ex nobilitate Anglo-Saxonica insulam hanc Eliensem, contra Gulielmum Conquęstorem diu armis tenuerunt; quibus post septem annos certis sub conditionibus pacis seipsos regi dedentibus, Rex insulam occupauit, & (vt ait autor doctus ex quo hæc desumpsimus, in catalogo Episcoporum huius ecclesię) delirant reges, plectuntur Archiui; peccauerant isti Anglorum proceres, sed pauperculi monachi puniuntur: quare vt possessionibus priuilegijsque suis redonarentur, mille marcas regio fisco soluere coacti sunt insuper & quadraginta milites Normannos alere in

ipsa

ipsa insula debuerunt, donec ipse Rex post quinquennium inde eos auocatos alibi collocauit. Quorum militum nomina atque insignia, adhuc in insigni tabula in ipsa ecclesia dicuntur esse depicta. Ex quibus constat euidenter non fuisse in hac ecclesia collocatos Cluniacenses; Quomodo enim tam inhumaniter Abbatiam, monachosque Cluniacenses Rex Cluniacensium amicissimus tractasset? aut quomodo sine pudore ab Hugone sancto monachos Cluniacenses postulasset? Cur etiam idem sanctus Hugo tam insignem Abbatiam à suis tam diu occupatam ignorasset; & non potius regi monachos à se petenti respondisset, non audere se monachos suos eius fidei committere, à quo sciret alios monachos suos tam crudeliter oppressos? Valeant igitur coniecturæ chimericæ aduersarij, locumque cedant tam lucidæ veritati. Post Thurstanum adhuc successerunt Abbates tres, Theodwinus, Godfridus, & Simon; quo defuncto Ricardus Comitis Gilberti filius, Abbas effectus, & Lincolniensi Episcopo vir tanti sanguinis subesse dedignatus, profusione largissima apud Regem Henricum primum, Conquestoris filium, obtinuit, vt Abbatia in Episcopatum erigeretur: Sed antequam plenè negotium Romę confectum fuisset, ipse, ne fieret Episcopus, morte præuentus fuit, & Episcopatum eius monachis eligentibus, regeque consentiente accepit Heruæus, ex Episcopatu Bangorensi à Wallis eiectus; hunc autem Episcopatum accepit anno 1109. tenuitque. 22. annos, vsque ad 30. Augusti, anno. 1131. Constat autē ex hoc eodem catalogo, (vnde hæc desumpsimus) conuentum electione Episcoporum, tanquam pastorum suorum gauisum, vsque ad monachorū suppressionem sub Henrico octauo: quod idem, nempe de electione monachis debita, patet ex Mathęo Paris, ad annum, 1257. sub Henrico. 3. vbi cum monachi Priorem suum, (Hugonem de Balsam) elegissent, & Bonifacius Archiepiscopus contrà eum Adamum de Marisco Franciscanum promouere satageret: super hoc facto mirati sunt omnes (verba iam ponimus Mathæi) *quia nec electus, nec electio reprobari de iure poterat, nec in eisdem vitium reperiri. Sed præuaricatores quærentes nodum in scirpo, & angulum in circulo, imposuerunt ei* (nimirum Priori electo Episcopo) *quod simplex claustralis fuit, nec de negotijs sæcularibus exercitatus vel expertus, & penitus insufficiens ad custodiendum & tuendum nobilem Episcopatum Elyensis ecclesiæ, & insulam, quæ ab antiquo asylum extitit refugij omnibus oppressis tempore tribulationis. Sed vt certius credebant quam plures, hanc gratiam præcluserunt monachorum constantia & fidelitas, qui noluerunt petitioni Regis acquiescere, postulantis vrgenter, & instanter vt sibi Henricum de Wingham eius Cancellarium in Episcopum eligerent vniuersi. Et cum talis petitio ignaro ipso Henrico facta fuisset, idem Henricus, sciens quod idoneum sibi Conuentus elegerat in pastorem, ait Domine Regi: Domine desimite istum pium conuentum circumuenire, & vestris imperiosis & armatis precibus amplius solicitare: Monachi enim inuocata Spiritus Sancti gratia rite elegerunt idoneum & me meliorem. Absit vt sic occupem tam nobilem Episcopatum, vt vsurpem tantum tam cauteriata conscientia ministerium.* Hæc Mathæus: quibus per omnia consentit author Catalogi Episcoporum Angliæ, qui insuper addit, huius contentionis catastrophen fuisse, Henricum de Wingham factum fuisse Episcopum Londinensem, Hugonem autem de Balsā à Pontifice confirmatum Eliensem, decimo Martij consecratum fuisse, ad annum, 1257. ibidemque, 28. annos sedisse: eoque tempore collegium Cantabrigiæ pro monachis suis fundasse, quod cum adhuc Prior cathedralis fuisset, inchoauerat, vocaturque hodie Domus Petri. Quam ergo perfrictæ frontis debet esse, qui his omnibus consideratis audeat dicere, insignem hanc Abbatiam Cathedralem, cuius reditus annui tunc temporis, (quando in Episcopatum est erecta) nostræ ætatis computo centum millia florenorum efficerent; fuisse Cluniacensi ecclesię incorporatam?

Euishamense monasterium est ex antiquioribus totius Angliæ cœnobijs, fundatum anno 691. à sancto Egwino, tertio Wicciorum, siue Wigorniensium Episcopo; Ipsum etiam aduersarius pag. 147. liberaliter Cluniacensibus donat, eo solum argumento, quod inueniat Abbatem Euishamensem aliquando Capitulo prouinciali præsedisse, quod inconstanter nimis putat fuisse Cluniacensium, cum tamen ad ipsum Cluniacenses nullo modo conuenisse, & ex ipsius verbis, & ex re ipsa demonstrauerimus. Et profecto mirum est quantopere passiones præiudicent rationi; adeo enim occæcauit aduersarij mentem desiderium nobis nocendi, vt ipsum initium Ingulphi historiæ (quam tanquam basim suæ disputationi, & paradoxi substituit) aut non legerit, aut omnino neglexerit: siquidem in instrumento fundationis Crowlandensis ab Ethbaldo rege, sub annum Christi 796. facto, hæc habentur verba expressissima: *Ad perpetuam securitatis memoriam, hoc chirographo patenti dono trado & concedo omnipotenti Deo, beatæ Mariæ, & sancto Bartholomeo de dominicis meis ad fundationem monasterij nigrorum monachorum sub norma S. Benedicti Deo famulantium, totam insulam Croylandiæ ad sedem*

Abbatia Euishamensis.

Abbatiæ

Abbatiæ &c. Deinde poſtquam terminos inſulæ Monaſterio conceſſæ nominatim enumeraſſet, ſubiungit: *Vnde quendam Cœnobitam Eueshamenſem probatæ religionis virum, nomine Kenulphum, vt ſecum eiuſdem ordinis monachos probatos ibidem congregaret, Abbatem conſtitui.* Vbi vides, Eueshamenſes monachos & Croylandenſes, ab ipſa fundatione ſua, hoc eſt à 692, anno Chriſti, nominatos fuiſſe monachos nigros ordinis S. Benedicti: & hanc appellationem ipſos, omneſque ſui ſimiles à Cluniacenſibus olim diſtinxiſſe, & adhuc diſtinguere, ſatis lucide probatum eſt ſuperius. Non mutâſſe autem hanc Abbatiam monachos huius ordinis in Cluniacenſes tunc temporis, quando in Angliam Normanno Gulielmo permittente ac poſtulante primum venerant, etiam ſuperius probauimus facto Lanfranci, qui non aliquem Cluniacenſem monachum, ſed Gualterum Beccenſem monachum huic cœnobio præfecit Abbatem; Beccenſes autem ſuam diſciplinam non Cluniacenſibus, ſed Herluino fundatori, & Lanfranco atque Anſelmo Abbatibus poſt ipſum debere ex Gulielmo Gemiticenſi illorum temporum ſcriptore ſatis aperte demonſtrauimus.

Videamus iam qua ſubtilitate Gloceſtrenſem Abbatiam pag. 145. Cluniacenſibus nititur ſubiugare: nimirum quia Pitſius, Poſſeuinus, & Wion Ioannem Frumentarium monachũ quondam Gloceſtrenſem dicunt fuiſſe Cluniacenſem. Mirabilis ſane dialectica; non ſolum quia teſtes, quos producit, ipſe clariſſimè dixit eſſe fabuloſos, ſine iudicio, ſine delectu loquentes; ſed quia etiam non aduertit, potuiſſe illum Ioannem Frumentarium relicto ſuo monaſterio Gloceſtrenſi, ad Cluniacenſem diſciplinam tranſire, ſicut Galielmus Abbas S. Theodorici prope Rhemos, (monaſterij nigrorum monachorum) relicta ſua Abbatia factus eſt Ciſtercienſis, de quo ſuo facto ipſe ſuam conſcientiã conſolatur in meditationibus deuotis, quæ adhuc habentur. Cæterum ſcias lector beneuole, hãnc Abbatiam eccleſiam Gloceſtrenſem, primo fuiſſe ſanctimonialium cœnobium, fundatũ ab Oſrico Northumbriæ rege, ſub annum Domini, 700; cui ſucceſſiue præfuerint Abbatiſſæ, Kineſburga, Eadburga, & Eua Merciorum Reginæ. Deſtructum tandem cœnobium per Danos fuit per Aldredum Eboracenſem Archiepiſcopum reædificatum monachiſque datum anno 1060: qui Alredus inſignem eccleſiam, quæ hodieque extat, à fundamentis ædificauit. Manſit Abbatia magni nominis & autoritatis, Capitulo Prouinciali ordinis nigrorum ſubiecta vſque ad fatalia monaſterijs tempora ſub Henrico octauo, qui per comitia Parlamentaria Abbatiam fiſco adiudicans, loco Abbatis, & inſignis monaſterij poſuit ibi Epiſcopum, Decanum, ſex Præbendarios, alioſque Capituli ſæcularis clericos. Vltimus Abbas fuit Ioannes Parker, & primus Epiſcopus fuit à rege conſtitutus Ioannes Wakeman Abbas antea Teukeſburienſis, Orthodoxus, ſed in ſchiſmate: nam cæteri plærique ſucceſſores etiam extra eccleſiæ fidẽ fuerunt. Et de hac etiam Abbatia, non aduerterat aduerſarius, aut ſaltem diſſimulare voluit, inſignem eius obſeruantiam à Serlone Abbate, ex monacho S. Auguſtini Cantuarienſis introductam: de qua Malmesburienſis lib. 5. de regibus Angliæ fol. 9. ac proinde non magis ad Cluniacenſes ſpectat Gloceſtria, quam Auguſtinenſis Abbatia, quam ad eos nullo modo ſpectare iam antea euicimus. Sed quam egregie fallantur Pitſius & Poſſeuinus in Cluniaciſmo Frumentarij dicemus in fine huius controuerſiæ.

Sed quis Anglicarum rerum, vel mediocriter peritus arbitraretur, hominem prudentem, & cui adhuc eſſet ſanum ſinciput, vnquam auſum aſſerere, Glaſtonienſem Abbatiam, tantam ac tam illuſtrem, quæ ipſa Cluniacenſi maior eſſet, ac potentior, vt iam oſtenſum eſt in operis huius initio, Cluniacenſis iuriſdictionis fuiſſe? aſſerit tamen aduerſarius pag. 87. & 88. quia nimirum S. Dunſtanus, poſtquam à Rege ſancto Edmundo Abbatiam hanc ſuſcepiſſet Floriacenſi in monaſterio monachus factus fuerit: ac proinde cum Floriacum exiſtimauerit fuiſſe Cluniacenſe, etiam Dunſtanum Cluniacenſem fuiſſe, atque ex conſequenti Abbatiam Glaſtonienſẽ. Atqui iã ad totam hanc deductionẽ, quã multis partibus claudicet, dictũ eſt in reſponſo ad coniecturas eius contra monaſteriũ S. Albani, vt proinde non ſit opus iterum repetere. Sed vt Aduerſarij frontẽ magis feriamus, qui Cluniacenſiũ tantus aduocatus cupit haberi: ex Malmesburienſi lib. 2. de geſtis Pontificum, cap. de Epiſcopis Wellenſibus teſtimonium adferamus: Cæterũ (inquit de Glaſtonia) neſcio quo infortunio ſemper poſt aduentum Normannorũ peſſimis infracta eſt laboribus, nec in nouis ædificijs, nec in habitorũ compendijs profecit: Abbates rerum gloria elati, non religioſos, ſed tyrannos agunt, foris tumidi ſed inualidi; intus crudeles & incommodi. Ad quod probandũ Thurſtini ſolius ſufficiet factũ: qui dono Regis Wilhelmi patris eiꝰ monaſterij factꝰ Abbas, terras & pecunias in peccatorum ſuorum abuſus conſumpſit. A monachis ſeuere ordinẽ exigere, ſed inter hæc eos victualibus miſerabiliter tractare. Hinc lites verborum, animorũ diſcordiæ: quia, vt ait Lucanus, neſcit plebs ieiuna timere. Poſt iurgia, ventum ad arma, coactique à

militibus

"militibus monachi in ecclesiā, sancto altari miserias applorabant suas. Sed irrumpentibus "militibus duo ex ijs ibidem cæsi, 14. vulnerati, cæteri repulsi. Nā & furor insanientium dū "emin' monachos impetit, crucifixū sagittis inhorrere fecerat. Huius criminis noxa tota vita "regi infamatus Abbas exilio apud Cadomū deportatus est: eoque defuncto pro redemp- "tione peccati auxiliaribus annumerata pecunia honori restiturus est. Impudens, & infamis, "qui tanti sacrilegij conscius, ausus sit iterū loco, quem violauerat intrudi. Audi quæso aduersarie, hic Abbas erat Cluniacensis, hi tyranni dati à Regibus Normannis Abbates, inuexerunt Cluniacensem disciplinam? Næ tibi ob aduocationem debent Cluniacenses insigne præmium.

Quid Malmesburiense? an illud etiam vendicabit aduersarius pro Cluniacensibus? ita sane, nec alio argumento, quam auctoritate Pitsij, & sæpe ventilato loco Ingulphi: quibus proinde cum iam abundantissimè sit satisfactum, liquet ipsum hoc monasterium iniustè & temere vendicare. Addamus tamen testimonium Wilielmi Malmesburiensis, qui sui Monasterij res optimè nouerat: is igitur in historiæ nouellæ lib. 2. ad annum Domini 1140. Primo narrat quomodo Rogerius Salisburienisis Episcopus sub rege Henrico primo, Conquęstoris filio, Cluniacensium patrono maximo, Abbatias Anglię (proculdubio neutiquam Cluniacenses, non enim permisisset Rex Henrcus, cui de Abbatibus Anglis parum curæ fuit, more parentis sui Gulielmi, alienigenis suis omnia permittentis, vt indigenas Anglos seruituti subijceret, & ad iugum excutiendum redderet imbecilliores) vexabat. Verba Wilelmi sunt de isto Rogerio: *Sentiebat ipse quantum posset, & aliquanto durius, quam talem virum deceret, diuinitatis abutebatur indulgentia. Denique sicut poeta quidam de quolibet diuite dicit, Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis: ita Rogerius, Abbatias in Episcopatum, res Episcopatus in Abbatiam alterare conatus est. Malmesberiense & Abdesberiense antiquissima cœnobia (quantum in ipso fuit) Episcopatui delegauit: Sciréburnensem Prioratum, qui proprius est Episcopi Salesberiensis in Abbatiam mutauit, Abbatia de Hortuna proinde destructa & adiuncta.* Deinde narrata eiusdem sub Stephano rege, qui Henrico successerat infælicitate subijcit: *Anno incarnati verbi 1140. Monachi Abbatiarum, quas Rogerius Episcopus contrà fas tenuerat, rege adito antiqua priuilegia & Abbates habere meruerunt. Electus est in Abbatem Malmesberiæ à monachis secundum tenorem priuilegij (quod beatus Aldelmus à Sergio Papa iam ante 466, annos impetrauerat, & à Regibus Westsaxonum Ina, & Merciorum Ethelredo roborari fecerat) eiusdem loci monachus Ioannes, vir benignitate morum, & animi liberalitate apprimè insignis* Et posttea: *Itaque habeant successores eius laudē, si libertatem ecclesiæ tutati fuerint: ipse proculdubio eam à seruitute vendicauit.* Male itaque aduersarius eam iterum in seruitutem conijcere molitus est, pro cuius libertate Ioannes iste tantopere laborauit. In cuius electione, & in Rogerij factis clarissimè patet, Abbatiam Malmesberiensem eo tempore, non à Cluniacensibus possessam, (quorum res omnes per Angliam erant in sūma tranquillitate, sub rege ipsis summopere fauente:) sed à tyrannide Normannorum prorsus vexatam, & pene pessundatam, nisi sub Stephano, (qui religiosior erat in ecclesiam, quamuis plenus ærumnis, quam vllus Normannici sanguinis ante & post ipsum) paululum respirasset.

Simili successu, similique argumento S. Mariæ extrà Eboracum Abbatiam Cluniacensibus hic munificus Abbatiarum distributor addicit. At idem Ingulphus, cuius testimonio male intellecto nititur ad annum 1056. docet monasterium illud fuisse fundatum à Siwardo Comite Northumbriæ qui eo ipso anno 1056. obijt: at illo tempore nondū (vt docuimus) aduenerant in Angliam Cluniacenses, neque producit aduersarius aliquid, quo probetur post illa tempora fuisse Cluniacensibus subiectum: sed neque potest producere, cum clare pateat ipsum Capitulo Prouinciali monachorum nigrorum fuisse subditum, ac proinde à Cluniacensibus independens, cuius consequentiæ vim inuictam, iam satis supra demonstrauimus. Omisit Abbatiam Midletonæ, seu Miltonæ, & Muchelneyæ: sed nos non omittemus, quia ex actis Capitularibus manifeste probatur Capituli Generalis Anglicani membra fuisse, ac proinde nullatenus Cluniacensibus subiecta. Midletona potens Abbatia fuit in Comitatu Dorsetensi posita, & anno 896. ab Athelstano Rege fundata: quam Gundulphus Abbas à Lanfranco, de numero suorum monachorum datus egregiè amplificauit; Lanfranci autem monachos omnes iam docuimus à Cluniacensibus prorsus distinctos fuisse. Muchelneya vero in agro Somersetensi, antiqua monachorum ecclesia: quam Lelandus à Rege suo circa annum 740. asserit constructam: alij autem ab Athelstano circiter annum 896. quanquam hæc forte monasterij eiusdem reparatio existimari poterit. Maluerniam vtramque in Wigorniæ prouincia positam, aduersarius non vendicauit merito, fuerunt enim congregationis nigrorum membra nobilia, nec vlla in re Cluniacensibus obnoxia.

S. Mariæ Eboracensis.

Nordouicense autẽ cœnobium Cluniacense fuisse astruit pag. 92. noster hic aduersarius, nõ alio argumento, quàm assertione magnifica: *His fundamentis sic iactis* (quæ nempe ex Ingulgulpho imperitissimè collegit, & nos clarissima veritatis lucis euertimus) *facile est intelligere monasticam disciplinam, qua tria sydera SS. Dunstanus, Oswaldus, Ethelwoldus monasteria Angliæ imbuerunt non fuisse aliam quam Cluniacensem S. Odonis studio propagatam: vt vere scripserit Guliel. Malmes. lib. 2. de gestis Pontificum Anglorum vbi agit de erectione cœnobiorum Noruicensis & Thetfordiensis, Monachos Cluniacenses institutos, quod sint illius cœnobij professores vbique gentium pene dispersi, locupletes in seculo, & splendidissimæ religionis in Deo.* Et quia mirificè placuit illi hoc dictum Malmesburiensis, nec tamen satis ipsius proposito quadrare sic videret, interposuit postea pag. 95. quædam quod Malmesburiensis non posuerat, Ex *quo constat* (inquit) *Malmesburiensem verè asseruisse Cluniacenses fuisse vbique gentiũ apud suos Anglos dispersos.* Itaque hoc argumẽto, iam omnia decreta Dunstani fiunt Cluniacensia: statuta ab ipso edita, quæ aduersarius nõ viderat, proculdubio tamẽ sunt Cluniacẽsia; seditio commota ab impijs regibus & concubinarijs clericis contra omnes monachos Angliæ, fuit facta contra Cluniacenses: Et cætera quæ inde tam confidenter ex falsissimo leuissimoque fundamento asserit, vt mirum sit ausum fuisse talia proferre; nisi quia pudori suo consuluit, cum libello nomen suum non apposuit, vt ita cum erubesceret, non putaretur tamen illius causa erubuisse.

Ergo ad hæc tam audacis calami portenta, paucis dicimus; iam superius à nobis satis probatum, Nordouicense monasterium Malmesburiensem expressisse distingui à Cluniacensibus, quos Herbertus Thetfordiæ collocauit. Heribertus autem ipse monachus non Cluniacensis, sed Prior Fiscanensis, pecunia ingenti & Episcopatum Thetfordensem sibi & Abbatiam Wintoniensem patri suo emit: postea vero Paschalis Pontifex ipsi resipiscenti iniunxit, vt simoniacam labem ædificandis ecclesijs & monasterijs redimeret: quod & fecit, dum Thetfordenses antiquos Monachos transtulit Nordouicum, fecitque vt conuentus cathedralis qui prius fuerat Thetfordiæ, postea esset Nordouici; & loco eorum Cluniacenses Thetfordiæ collocauit, propter causam quam ibi Malmesburiensis dixit; non quia *vbique apud suos Anglos*, sed quia, *iam vbiuis gentium fuerant illi dispersi.* Postea ecclesiam cathedralem ædificauit Nordouici, & quinque alias insignes ecclesias in vrbe ipsa, & alijs suæ diœcesis oppidis. Quare cum Prioratus hic fuerit cathedralis, eo ipso constat conuentum non fuisse Cluniacensem: nam monachos illius semper habuisse ius eligendi Episcopum, vtpote pastorem & Abbatem suum, clarè constat apud omnes historicos nostros, & in catalogo Episcoporum huius ecclesiæ in singulorum fere Episcoporum vita, electio eorum expresse per monachos facta dicitur. Valde autem subdole aduersarius verba illa Malmesburiensis protulit tanquam dixisset tam Nordouici, quam Thetfordiæ positos fuisse Cluniacenses; cum ille solum Thetfordiæ hoc dicat factum fuisse, atque ita dicat, vt aperte relinquat intelligendum, monachos Nordouici positos non fuisse Cluniacenses. De legibus vero Dunstani, quam non fuerint Cluniacenses anteà diximus, & ipsæ in appendice positæ satis per se loquentur. Seditionem clericorum coniugatorum contra monachos nigros fuisse, omnes alij agnosunt: Cluniacẽses enim tunc temporis in Angliam non venisse, nec diu postea, manifestissimè demonstrauimus. Addamus & hoc, omnes domos Cluniacensium, quas indubitato constat illius ordinis domos fuisse, expresse talis incorporationis siue subiectionis mentionem in ipsa prima, vel restaurata earum fundatione, & instrumentis desuper factis habuisse: at Nordouicenses simpliciter in dotationibus maximis Monachi vocantur, sine additione Cluniacensium, quod iam docuimus indicium esse distinctionis; Docebimus autem hoc ita esse in hoc Nordouicensi cœnobio ex instrumento donationis ab Henrico primo factæ, quod est huiusmodi: In
„ nomine Patris & filij & Spiritus Sancti. Amen. Dei filius amator & redemptor hominum
„ Iesus Christus, adeo sanctã dilexit ecclesiam, vt eam suo sanguine redimeret, & suo spiritu
„ insigniret, suæque carnis alimento satiaret. Expoliauit eam erroribus & peccatis, & induit
„ eã innocentię purpura, & omnium virtutum ornamentis: ditauit etiam muneribus, & in-
„ uisibilibus thesauris, & stola immortalitatis consecratam sibi in matrimonium copulauit;
„ donauit ei diuitias spirituales & æternas, & decorauit eã cælesti & immortali corona. Fœ-
„ lix sponsa tali coniuncta viro, vbi pudor vernat, & fæcunditas conceditur; impletur liberis
„ domus, & virginitas non violatur. Huius reginæ speciem Spiritus Sanctus admirans ex-
„ clamat: quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt
„ sol, terribilis vt castrorum acies ordinata: Et propheta: astitit regina à dexteris tuis in ve-
„ stitu deaurato, circundata varietate. Et post pauca: adducentur regi virgines post eam, pro-
„ ximæ eius afferentur tibi. Iuste igitur ad tantæ dignitatis obsequia conuenit, & coniurauit
„ orbis, & omnis humana altitudo humiliata est: exultãt in eius obsequijs reges & dignitates

totius

„totius orbis, & fælici commercio de temporalibus æterna, de terrenis mercantur cælestia
„bona. Abundanter terreni reges ſanctæ eccleſiæ largiuntur temporalia bona, & exemplo
„ſummi imperatoris, qui eam interius illuſtrat, exteriora præparant neceſſaria. Quod Ego
„Henricus rex, filius Willielmi Regis conſiderans, ipſe quoque matri meæ ſanctæ eccleſiæ
„ſeruire ſtudui, eamque rebus, quas ab anteceſſoribus meis iure hæreditario acceperam, ho-
„noraui. Igitur in eccleſia ſancta ciuitatis de Nordouico donaui Deo & Herberto Epiſcopo
„& ſucceſſoribus ſuis, & monachis, qui in eadem eccleſia Deo ſeruiunt & ſeruituri ſunt, ma-
„nerium meum de Thorpe, cum omnibus appendicijs ſuis, cum ſacca & ſocca mea, & om-
„nibus alijs meis conſuetudinibus, ſicuti vel ego, vel pater meus in manu noſtra melius vnquã
„habuimus. Hoc autem feci pro anima mea & anima patris & matris meæ, & Wilielmi Regis
„fratris mei, & omnium anteceſſorum & ſucceſſorum meorum: præſente Regina Matilde
„filia Regis Scotiæ & viris illuſtribus totius Angliæ eccleſiaſticis & ſæcularibus, quorum no-
„mina infra ſcripta ſunt. Et vt in æternum permaneat mea donatio, ſanctæ crucis præſenti
„ſigno eam confirmaui, & meæ regiæ dignitatis ſigillo eam corroboraui. Facta eſt igitur hæc
„donatio anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo primo, indictione nona, epacta
„18. concurrente. 1. Luna. 6. tertio nonas ſeptemb. regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui
„eſt conſubſtantialis & coæterna æqualitas, honor, & gloria cum Patre in vnitate Spiritus
„Sancti, per omnia ſęcula ſæculorũ. Amen. Ego Henricus rex donaui & confirmaui. †. Ego
„regina Matildis conceſſi & confirmaui. †. Ego Robertus Dux Normannorũ frater Regis
„Henrici conceſſi, & hoc ſigno crucis confirmaui. †. Nomina Archiepiſcoporum & Epiſ-
„coporum. Ego Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis ſubſcripſi. †. Ego Gerardus
„Archiepiſcopus Eboracenſis ſubſcripſi. †. Ego Gundulphus Roueceſtrenſis Epiſcopus
„ſubſcripſi. †. Ego Mauricius Londonienſis Epiſcopus ſubſcripſi. †. Ego Ioannes Epiſ-
„copus Bathonienſis ſubſcripſi. †. Ego Osbertus Exonienſis Epiſcopus ſubſcripſi. †. Ego
„Rotbertus Ceſtrenſis Epiſcopus ſubſcripſi. †. Ego Rotbertus Lincolnienſis Epiſcopus
„ſubſcripſi. †. Ego Radulphus Ciceſtrenſis Epiſcopus ſubſcripſi. †. Ego Sam-
„ſon Wigreceſtrenſis Epiſcopus ſubſcripſi. †. Ego Ranulphus Dunelmenſis Epiſ-
„copus ſubſcripſi. †, Ego Ioannes Tuſculanus Epiſcopus, Legatus Papæ ſubſcripſi.
„†. Ego Tiberius Camerarius Paſchalis papæ ſubſcripſi: Menſe Septembris ordinatione
„beati Papæ Gregorij: Apud Windſore. Confirmet hæc Deus, qui operatur omnia in ſanctis
„cui reges offerunt munera incipientes ab Hyeruſalem. †, Nomina primatum & princi-
„pum. †. Ego Robertus de Pontinio Comes S. †. Ego Stephanus Comes Britanniæ S.
„† Ego Rotbertus Comes Rutland S. †. Ego Euſtachius Comes Bolonię S. †. Ego Hen-
„ricus Comes de Warwic S. †. Ego Simon Comes de Northamptuna S. †. Ego Wilielmus
„Comes de Warenna S. †. Ego Wilielmus Comes de Moritonio S. †. Ego Rogerius Co-
„mes Pictauenſis S. †. Ego Eudo Dapifer S. †. Ego Haimo Dapifer S. †. Ego Wiliel-
„mus Pincerna S. †. Ego Richardus de Retuers S. †. Ego Robertus filius Haymonis
„S. †. Ego Alanus Haraldi flius S. †. Ego Giſlibertus filius Richardi S. †. Ego Robertus Mal-
„eth S. †. Ego Rogerus filius Richardi S. †. Nomina Abbatũ & Clericorũ. †. Ego Giſli-
„bertus Abbas Weſtmonaſterienſis S. †. Ego Serlo Abbas Gloceſtrenſis S. †. Ego Hen-
„ricus Abbas de Bello S. †. Ego Stephanus Abbas Eboracenſis S. †. Ego Alduinus Ab-
„bas Rameleyenſis S. †. Ego Odo Abbas Certeſienſis S. †. Ego Richardus Abbas S. Alba-
„ni S. †. Ego Richardus Abbas de Heli S. †. Ego Rogerius Cancellarius S. †. Ego Eue-
„rardus Capellanus S. †. Ego Robertus Peſchat Capellanus S. †. Ego Thomas Capellanus
„S. †. Ego Winfridus Capellanus S. †. Ego Robertus Capellanus. †. Ego Osbernus Ca-
„pellanus S. †. Ego Herbertus Regis Camerarius †. Ego Waldricus Capellanus S. †. Ego
Petrus Walonenſis S. †. Ego Wilielmus de Warelwaſt S. †. Hactenus charta Henrici primi Regis, dicti ob eruditionem Beauclarc; & exiſtimatur ab ipſo dictata Rege: tantiſque propterea teſtibus corroborata. Villa etiam, quæ donatur prope Nordouicum ſita, valorem decem mille florenorum annuorum excedebat. Similiter in iudicatis, ſeu reportatis D. Edoardi Cook. 3. p. in caſu Capituli Nordouicenſis, expreſè Priorem & Conuentũ monachorum loci illius ordinis S Benedicti monachos vocat ſtylo Iuriſconſultis veteribus conſueto: quos ſi Cluniacenſes fuiſſe iudicaſſet idem ſcriptor, qui libenter antiquitatis notitiam profiteri ſolet, vbicumque ſeſe offert occaſio, non omiſiſſet hanc rem, ſed Cluniacenſes eos proculdubio nominaſſet. Sed nimij ſumus in Capitulis Cathedralibus monachorũ noſtrorũ aſſerendis: quandoquidem vel eâ ſolâ pręrogatiuâ admiſsâ, nullus rerum Anglicarum peritus iudex eſt qui non rideret inſaniam huius aſſertoris, illud Cœnobium externę ſeu tranſmarinæ Eccleſiæ ſubijcientis.

Atque ita aduersarij *phluarian*, & falsiloquentiam clarè conspiciendam dedimus, quantumuis ille longe dissita simul coniungens, nempe narrationem Malmesberiensis sub Henrico primo, cum factis Dunstani sub Edgaro, aliquot antea sæculis; fucum incautis lectoribus facere voluerit.

Pershore Abbatiā capitularem, ab Edgaro Rege in agro Wigorniensi fundatam, quia non vendicat aduersarius, non fuit opus asserere, cum ex actis Capitulorum Generalium constet Congregationi Angliæ fuisse subiectam. Petroburgense monasterium, quod simpliciter monasterium Burgi antiquitus vocabatur, non alijs armis, oppugnare nititur, quam auctoritate Pitsij, Posseuini, & Wionis: quæ authoritas quam procul absit ab eo efficiendo, quod intendit per illam facere, ipsemet fatetur, cum leuem, inanem, & fabulosam esse iudicat. Non debet igitur illi suffragari, testimonium eorum, quos ipse redarguit vt intestabiles. Sed nimirum ipsos, solito errore, Cluniacenses cum monachis nigris confundere putamus: quod vero hoc monasteriū non fuerit Cluniacensibus subiectum, vtcumque illi videantur hoc ambiuisse, euidenter probatur ex historia ipsius cœnobij manuscripta, ex qua quod ad hāc rem facit, in appendice descriptum inuenies lector benigne caput vnum, quod adeo manifeste conficit id quod contra aduersarium diximus (quemadmodum in calce huius controuersiæ patebit) vt alio argumento non sit opus. Cæterum monasterium hoc olim Medeswellhamstead, vel Medeshamstede appellabatur, quandoquidem in medio fluminis Nenniæ, quod Australē partem oppidi Petroburgensis alluit (inquit in scripto Anglico author catalogi Episcoporū Angliæ) euripus est profunditatis immēsæ, è quo ebulliētes iugiter aquæ vortices nō permittunt vt vel in frigidissima hyeme vnquam glacie operiatur. Inde Medeswell; quasi fons vel euripus prati; & villa adiuncta Medswell-hamstede, appellata extitit. Ibi Penda qui inter Meciorum Reges primus Christo nomen dedit, ad annum Domini 656. cœnobij fundamenta iecit; sed perfidia suæ coniugis interemptus, non potuit consummare. Wulpherus frater eius primo quidem adeo impense Paganus vt duos filios suos Wolfhalum, & Ryffinum, in Christianæ fidei professione constantes occiderit: postea tamen diuina præuentus gratia fidem amplexus, vt crudelitatem erga filios expiaret, hoc monasterium à fratre suo inchoatum ipse magnifice perfecit, adiutus plurimum eo in opere à fratre suo Ethelredo, & sororibus Kinesburga & Kineswitha sanctis virginibus, quæ ibidem iacent tumulatæ. Dicauit autē cœnobium S. Petro, Abbatemque ibi primum collocauit Saxulphum. Floruitq; cœnobium per ducentos fere annos: quibus exactis crudelissima Danorum barbarie omnia deuastante, etiam hoc monasterium ruinam passum est, omnibus illius monachis obtruncatis: Ita iacuit suis sepultum ruderibus per centum & nouem annos: donec sanctus Ethelwoldus monachicæ obseruantiæ propagator optimus ipsum Regis Edgari nutu & auxilio reędificasset, insignibusque priuilegijs & possessionibus amplificasset, ad annum domini 970. Abbatem ei Rex Edgarus & Episcopus Ethelwoldus præfecerunt Adulphum, qui cum Regis antea Cancellarius extitisset, amore vitæ cęlestis monachus factus, se suaque omnia (cum hæredem infæliciter amisisset) huic cœnobio donauit. Kenelmus Abbas post ipsum, cinxit monasterium muro forti atque alto, vnde quod burgi siue oppidi speciem pręberet, Burgum appellari cæpisse putat Malmesberiensis; quamuis in prima eius restitutione ab Ethelwoldo facta, literisque confirmationis Regis Edgari anno 970. datis, quæ apud Ingulphum habentur, etiam Burch, seu Burgum nominari legamus. Sed forte non ita increbuit illa appellatio, donec murus accedens appellationi maiorem occasionem præstitisset. Kenelmus autem ille Abbas præfuit circa annum 1000. A prima igitur fundatione, vsque ad Normanni tempora Cluniacenses in eo nihil iuris habuerunt: nam coniecturam de Floriaco-Cluniacensi disciplina superius patenter explosimus. At nec in ipso Normanni Gulielmi regnatu Cluniacenses admisit. Siquidem Malmesberiensis lib. 1. de gestis Pontificum. §. vlt. narrat, Arnulphum è cœnobio S. Luciani in Beluaco monachum, quum ibi nonnulla plena insolentiæ videret, quæ nec emendare posset, nec pati vellet; cum antea Becci apud Lanfrancum studuisset, ad eundem relicto Beluacensi cœnobio, *quia inibi animam suam saluare non posset*, ad Lanfrancum venisse, totoque vitæ illius tempore monachum apud Cantuariam egisse, ab Anselmo vero ibidem Priorem, & mox Abbatem Burgi factum fuisse, & ibi (monasterio videlicet valde vastato per calamitates temporum) monachorum numerum auxisse, religionem bonis monitis confouisse ædium veterum ruderibus deturbatis noua fundamenta iecisse, culminaque erexisse. Hactenus ergo non Cluniacensis, sed Beccensis disciplina in hoc cœnobio floruit. Nec fuisse ibi aliquod Cluniacensis iuris vestigium vsque ad Henrici 2. tempora, ex eo quod dixi historiæ Petroburgensis fragmento in appendicem relato, fit manifestissimum. Capitulo autem Prouinciali Angliæ

gliæ à tempore Lateranensis Concilij subiectum fuisse, Baronatus Parlamentaris prærogatiua insignitum; ac proinde à Cluniacensibus (vt iam probauimus) independens, acta ipsa capitularia demonstrant. Eat nunc aduersarius, & ratiunculas frigidas his irrefragabilibus antiquitatis venerandæ testimonijs opponat.

Membrum quintum.

Synopsis.

§. 1. De monasterio Ramseyensi. §. 2. Radingensi. §. 3. Salopiensi, Selbeyensi, & Sherbornensi. §. 4. Spalding. §. 5. S. Saluatoris de Cantuaria. §. 6. Tauestokia, Teukesberia, Thorneya. §. 7. Walden, Whitebey, Winchelcombiæ. Wintoniensi cathedrali; & Hyda. Wigorniensi cathedrali. §. 8. Westmonasterio.

QVi nihilo fælicius pugnat pro subiectione Rameseyensis cœnobij, pagina 113. ex eo quod sanctus Oswaldus monachus Cluniacensis (vt ipse quidem vult, sed sine teste loquutus) ipsam Abbatiam fundauerit, Germanum Congregationis Cluniacensis monachum, secum in Angliam adductum eidem præfecerit Abbatem; & S. Abbonem etiam Cluniacensi Congregationi subiectum monachum in hoc monasterium docendi causa aduocauerit: minime enim esse credibile Cluniacenses monachos huius monasterij profectui tantopere adlaboraturos fuisse, nisi ipsa Abbatia ipsius Congregationis Cluniacensis membrũ extitisset. Atqui ô bone, multum extenuas cælestem sanctæ illius Congregationis charitatem, si nullo modo putas eos voluisse insignium monasteriorum profectui auxiliares manus porrigere, nisi etiam subiectionis honor & emolumentum ipsis præmij, seu mercedis loco appenderetur. Non sic existimauit sanctissimus Odo, qui multa reformauerat monasteria, quæ tamen Cluniaco non subiecit, vt ea omnia, quæ habuit, antequam Cluniaci Abbas creatus fuerat: neque enim probabis vnquam AbbiatamS. Petri viues, S. Iuliani Turonensis, Auriliacensemue, quas ipse Abbas rexit & reformauit, post ipsius mortem ad Cluniacense ius spectasse; nullis hoc bullis, nullis priuilegijs, nullis catalogis aut instrumentis euinces. Nam coniecturæ solæ in materia possessoria scis ipse quam parum valere debeant. Præterea; nonne Sanctus Mayolus Maius-monasterium; nonne Sanctus Odilo San-Dionysianum prope Parisios reformauerunt? indicat hoc ipsorum vita: rem gestam narrat bibliotheca Cluniacensis: at hæc monasteria non fuisse Congregationi Cluniacensi incorporata ipsorum narrant historiæ: nec vllus est illorum monachus qui non cum stomacho te aliter asserentem audire sustineret. Quid dicemus de Hirsaugia Alemanniæ, quid de S. Facundi cœnobio Hispaniæ? nam istis submisisse reformatores Cluniacensem Congregationem vtriusque gentis narrant historici illius quidem Trithemius, huius autem Antonius Yepes. At nec Hirsaugiæ, nec S. Facundi Abbatiæ vnquam fuere Cluniacensibus subiectæ; & primam quidem Cluniacenses ipsi nunquam vendicauerunt; alteram sane vendicarunt, sed titulo reformationis, non subiectionis: adeoque nunquam obtinuerunt ius in illam, vt fuse probat P. Antonius, & constare potest ex ipsa Cluniacensi historia, vbi tempore Gulielmi tertij Abbatis Cluniacensis, anno 1245. reperies inter reliquos Cardinales, qui Pontificem Innocentium secundum Cluniaci obseruabant, fuisse Abbatem S. Facundi, haud dubio non subiectum Cluniacensi Abbati, qui pro magna dignitate habuit postea ab Abbatia illa sua ad Episcopatum Olenensem assumi, vt eadem in vita illius narrat historia. Quare etiamsi S. Oswaldus, Germanus, sanctusque martyr Abbo Cluniacenses fuissent, operamque posuissent Edgaro regi in reformatione Rameseiæ, non sequitur ideo Rameseyam debuisse mercedis loco Cluniacensi ecclesiæ subijci aut donari. Sed vnde tu Oswaldum, Germanum, Abbonem Cluniacenses esse didicisti? Floriacẽses fuisse non negabimus, quia ita loquitur Malmesberiensis, (quamuis quo sensu Floriacensis fuerit Oswaldus iam dictum sit, nempe quia ibi ob deuotionem S. Patris Benedicti, cuius corpus tunc Floriaci requieuit, Floriaci aliquantum monasticam exercere voluerit) Sed tunc temporis Floriacenses fuisse Cluniacenses, aut Cluniacensi Abbati subiectos pernegamus: negationisque nostræ satis euidentia produximus firmamenta. Debuit etiam aduersarius animaduertere, Cluniacensem, aut Floriacensem monachum potuisse assumi ad Abbatiam aliquam regendam, quę monasterio vel Congregationi professionis suæ nequaquam esset subiecta: cum & ipsi Cluniacenses aliunde quam è gremio suo, non semel Abbatem suũ

desumpserint, vt Theobaldum primum Abbatem antea S. Basoli, anno 1179. Hugonem de Claromonte quartum, Abbatem antea S. Luciani Beluacensis anno, 1180. Geraldum primũ, Abbatem antea Molismensem, anno 1215. Hugonem sextum, Abbatem antea Maioris-monasterij, an. 1236. Andruinum primum de Rupe, prius Abbatem S. Sequani an. 1351. Iacobum primum, Abbatem antea S. Theofredi, añ. 1383. *Ioannem secundum de Cosanno* (verba sunt Chronici Cluniacensis) *Abbatem montis Aremarensis ordinis* S. *Benedicti, Abbatem vero Cluniacensem*, 38. *anno*. 1383. Vbi quid aliud sibi vult, quod hunc Abbatem Montis Aremarensis signanter dicit fuisse *ordinis S. Benedicti*, nisi quia antea non fuerit ordinis Cluniacensis, quam factus fuisset Abbas Cluniacensis? nam si velit diligens lector illud Chronicon reuoluere, inueniet eius autorem monachum Cluniacensem nec indoctum, nec rerum ordinis sui ignarum, nunquam nominare aliquem Abbatem Cluniacensem de gremio ordinis sui desumptũ quin simul membrum seu domum ordinis signanter nominet, vnde fuerit desumptus: Id verum est in Odone, Aymardo, Mayolo, Odilone, Hugone primo, Pontio primo, Hugone secundo, Petro venerabili, cæterisque fere omnibus, exceptis ijs quos nominaui alienarum Abbatiarum Abbatibus ad Cluniacensem assumptis, vsque ad titulares seu commendatarios Abbates, quorum primus est Ioannes de Borubonio. Quid mirum igitur, si Rameseyensis Abbatia Præfectum sibi habuerit Abbatem ex Floriacensi cœnobio; cũ Cluniacensis ipsa sibi assumpserit tã multos, qui non fuerint de gremio suo? Sed vnde habet aduersarius Germanũ Floriacẽsem ab Oswaldo factũ fuisse Abbatẽ Rameseyæ? Inuenimus (ne apud Malmesburiẽsem factũ fuisse illum Germanũ Abbatẽ Winchelcõbensem, magnoque adiumento fuisse & religioni & restaurationi ecclesię, lib. 4. de gestis Pontif. in §. de monasterijs Wigorniẽsis Diœcesis. Qui tamen eodem libro de Episcopis agens Dorcestriensibus & Lincolniensibus, Rameseyæque fundationem enarrans, vbi tamen locus maxime postulabat, nullam Germani huius facit mentionem. *Rameseyensis* (inquit) *Abbatiæ fuit ædificator sanctus Oswaldus Eboracensis Archiepiscopus, cooperante Egelvvino quodam Orientalium Anglorum Comite, ...[illegible] liberalitate vtrique prædicabiles, sed maximè laicus, qui hoc loco, quod vidisset antistitem cuiusdam principis inferias agentem dulciter defixo in solum lumine ingenuè illachrymasse, adeo religione ipsius captus est, vt ei omnia sua prona faceret. Sancto ergo fauore propensius cœnobium illud opulentissime construxit in palustri quadam vligine situm.* Hæc cum dixisset de monasterio Malmesberiensis, conuerso ad sanctorum ibi iacentium reliquias sermone, Germani alicuius Abbatis Rameseyensis non meminit. Sed non in hoc solo lapsus est aduersarius. Et qualis etiam est illa de S. Abbone argumentatio? an quia illi tunc iuueni viginti duorum annorum, munus docendi in hoc monasterio demandauit Oswaldus: statim etiam eius monasterio Floriacensi Rameseyam subiecisse dicendus est? Sed nimirum multum daret aduersarius Floriacensibus, si illa ratio inferendi esset probabilis: & quia Odo seuerus noluit prius fieri Archiepiscopus, quam monachus, nec monachi habitu alibi suscipere quam Floriaci: nimirum vt à Sancti Benedicti corpore tutelam sibi cum habitu deriuaret (vt de eo narrat Malmesburensis) si valeret hæc aduersarij dialectica, etiam Archiepiscopatum Cantuariæ daremus Floriacensibus, aut Cluniacensibus. Quod si in ea materia valde disparata est hæc sequela: non minus erit in ea de qua nos loquimur; cum non alia de causa Oswaldus, habitum aut sumere, aut gestare Floriaci voluerit, quàm quę S. Odonem antea mouerit, quam ipsi Floriacẽses in vita S. Abbonis ingenue agnoscunt fuisse, vt à D. Benedicti corpore sanctæ conuersationis primitias traherent securiores. De cætero nihil valere hanc arguendi normam inde maxime probamus, quod ante Gulielmum Normannum Cluniacenses Angliæ nondum visos probauimus: hoc enim toties repetere debemus, quoties aduersarius arundineam hanc consequentiam inculcare non erubescit. Temporibus autem Normannis, Aldwinus Abbas fuit Rameseyensis; quem deposuit Lanfrancus: vtique illud non facturus si Cluniacensis ea Abbatia fuisset; nam quod aduersarius Lanfrancum Beccensem, monachum, & Angliæ Primatẽ, ornet tanquam vicariatu Abbatis Cluniacensis, vt accepta ab illo potestate de Cluniacensibus monasterijs disponeret, tam est ridiculum, tam indignum docto homine, vt mirum sit ab aduersario viro non indocto potuisse proferri. Et si dignatus fuisset hoc munus ab Abbate Cluniacensi accipere Lanfrancus (cuius tamen maiores fuere spiritus, maior in Anglia locus & authoritas, maior apud summos Pontifices ipsos reuerentia, quam vt ad huiusmodi opus haberet Abbatis Cluniacensis emendicare consensum;) sed fuerit ita: tamen quando Alduinus erat sub Edoardo sancto Rege Abbas Rameseiæ, nulli adhuc in Anglia Cluniacenses extitere. Deposuit igitur Rameseiensem prælatum Alduinum, duplici auctoritate: vna ordinaria, quia Rameseya (vt statim ostendemus) non fuit monasterium à iurisdictione Diœcesanorum exemptum, atque eo ipso nequaquam Cluniacensis ordinis, cuius

omnia

omnia membra tunc saltem sub sanctissimo Hugone primo fuere per Pontifices ab illo iugo liberata; altera regali, qua non accedente, vix putaret quispiam Lanfrancum voluisse eum deponere. Sed rebus suis expedire iudicabat Normannus, vt magnificæ Abbatiæ non subijcerentur Anglici generis Abbatibus, qualis erat Aldwinus, sed Normannis suis manciparentur. Hæc vera causa depositionis nobis videtur, quamuis simoniacus ingressus in Abbatiam illi post multos annos Prælaturæ quiete, & honorificè exactos prætexatur. Hic ille est Aldwinus, quem vnà cum Burcardo Algari filio, Leofrici magni & sancti Cestriæ Palatini nepote ab Eduardo sancto legatus missus est ad Leonem nonum Pontificem tunc Remis cõcilium celebrantem: pro commutatione voti sui quod fecerat peregrinandi in terram sanctam, cuius loco beatissimus Papa illi Westmonasterij reparationem iniunxit. In hoc itinere mortuus est Burcardus Comes, & in ecclesia noua S. Remigij Rhemensis (quam tunc Leo consecrauit) sepultus, eiusque tumbam marmoreus lapis adhuc operit cum epitaphio Latinis versibus exarato, in quo Burcardus Comes Anglorum vocatur. Pro cuius principis anima Leofricus auus, & Algarus pater quatuor maneria siue villas S. Remigio in Anglia perpetuo possidenda donauit, cuius donationis instrumetum à sancto Rege Edoardo, Editha sancta regina, Stigando Archiepiscopo Cantuariȩ, Aldwino Abbate Ramseyæ, Leofrico, Algaro, Godwino, Testino, Haraldo comitibus subscriptum in archiuis insignis illius Archimonasterij Remigiani (cui tota nostra natio multum debet honoris & amoris) ipsi vidimus. In hoc itinere putamus accidisse, quod narratur, in legenda, de conceptionis festo instituendo, contigisse cuidam monacho Elfino, vel Elpino, Remigiano; quod cùm tempestate iactaretur, & pene naufragio vicinus esset, à sancta virgine ipsi apparente in mandatis acceperit, vt in suo monasterio conceptionis immaculatæ festum celebraret; quod cum ipse vouisset, periculo ereptus fuit. Nam hoc Alduino huic accidisse apparet, cuius nomẽ, cum more Anglico sonet Ealfinus (idem enim nomen est Ealfinus, Ealduinus, & Alduinus, sicut idem Ealfredus, Alfredus, & Aluredus) mutarint Galli in Elfinum, & alij in Elpinum; cumque vbi esset Rameseyensis Abbatia nescirent, rem autem quæ sibi accidisset, in Remigiana Abbatia Alduinus narrasset, monachum Remigianum illum esse voluerunt. Sic enim in nonnullis legendæ exemplaribus legitur. Quod autem festum illud circa hæc tempora in Anglia primum celebrari cæptum fuerit, in nostris historijs antiquioribus notum est. Sed siue vir bonus fuerit, siue per simoniam in Abbatiam irrepserit, siue per calumniam Normanni Regis ab ea fuerit deiectus: certum est nec illum tunc temporis, nec cœnobium suum Cluniacensibus fuisse subditum. Quod autem diximus Abbatiam hanc nunquam fuisse à iurisdictione Episcoporum exemptum, patet tum ex ipso catalogo regio & monastico Abbatum in appendice positum in quo soli quinque Abbates exempti ponuntur: tum etiam ex Mathæo Paris ad annum, 1251. pagina, 789. Vbi sic ait: Diebus quoque sub eisdem Epis„copus Lincolniensis (Robertus Grostead, vulgo in scholis D. Lincolniensis appellatus) „visitationem fecit in domibus religiosorum in diœcesi sua constitutis: in qua (visitatione) „siquis omnes tyrannides, quas exercuit, recitaret; non seuerus, sed potius austerus, & in„humanus censeretur. Cum enim inter cætera ad Ramesciam peruenisset stipatus sæcula„ribus, in dormitorio lectos monachorum in propria persona perscrutando, omnia circuit, „vniuersa reuoluit, & siquid communitum inueniret, demoliebatur: & quasi effractarius „scrinia dissipans, sciphos quos inuenit circulis vel pedibus redimitos comminuit concul„catos: quos si circumspectius fecisset, posset pauperibus integros erogasse. Et quod in„dignum est scribi, ad domos religiosarum veniens, fecit exprimi mamillas earumdem, „vt sic physicè, si esset inter eas corruptela, experiretur. Additque horribiles ma„ledictiones, quas super capita transgredientium statuta sua congessit &c. Sed hæc „omnia fecisse creditur, vt subiectos, de quorum animabus habet respondere (viue„bat enim tunc ipse autor Mathæus) à peccatis coerceret. Clarissimè igitur patet Rameseiam fuisse Episcopalibus visitationibus, imò & statutis subiectam, in quantum ea statutis & ordinationibus Capitulorum Prouincialium (quibus etiam Ramseya subdita fuit) non contraibant; Pontifices enim summi cautum voluerunt, vt statuta Capitulorum nec per Diœcesanos, nec per Legatos Apostolicos infringerentur. Et hinc tam inhumanæ visitationi, tam insolenter exercitatæ, non opposuerunt Abbas & monachi Rameseyæ, Abbatiæ potentissimæ, priuilegia vel prærogatiuas Cluniacensis ordinis: quibus sine dubio (si ea illis competijssent) ab episcopi vexatione redditi fuissent immunes: cum tamen (vt suprà in probatione conclusionis tertiæ retulimus) prioratus quidam non magnus ordinis Cluniacensis Archiepiscopum ipsos visitare volentem ita excommunicationis vinculo innodatum pronunciarint, ob violata ipsorum priuilegia; vt etiam alia monasteria non exempta suffi-

cienter contra ipsum eosdem visitare volentem, tanquam contra excommunicatum, Pontificijque mandati seu priuilegij violatorem excipere se posse arbitrarentur. Quod maxime notandum est, ne quis putet, quia paucis ante hanc visitationem annis Gulielmus Abbas Rameseyensis factus fuerit Abbas Cluniacensis: propterea etiam hanc Abbatiam fuisse Cluniacensem. Nam ex eo quod subiecta fuerit Episcopi visitationi, atque statutis (vt clarè indicat Mathæus testis inspector) conficitur certissimè non fuisse Cluniacensem. Vnde Gulielmus ille, vir magnus eloquentia & probitate, ex Cluniaco desumptus est ad regendã hanc Abbatiã a regibus nostris, impensius tũc nationi Gallicanæ fauentibus: (vixit enim Gulielmus ille sub Henrico secundo, filio Comitis Andegauensis ex Matilde imperatoris vidua, Regis Henrici primi filia, suscepto) atque ita fauentibus, vt in instrumentis publicis scriberent, *Baronibus & Vasallis suis tam Francis, quam Anglis*, priore loco Francos habentes; & nostri monachi vt ex statutis in appendice positis patebit) ordinauerint, vt in suis cœnobijs Gallice loqui addiscerent, quatenus siquid in curia apud Reges pro negotijs Abbatialibus foret tractãdum, non opus haberent interprete, nec ingratiores essent regibus, eorumque officiarijs, omnia Gallicè transigentibus. Nec mirum rursus si istum Gulielmum anno 1177. ex Abbate Ramseyensi elegerint in Abbatem suum Cluniacenses, cum antea fuisset Prior S. Martini de Campis, eiusdem cum illis professionis. Quod idem valere debet de Hugone Radingensi Abbate, qui anno 1199. etiam Cluniacensis Abbas factus est.

Nam quod de Abbatia Radingensi ratiocinatur aduersarius, Cluniacensi iuri accensendam, propterea quod Malmesberiensis lib. 2. de gestis Pontificum §. de Episcopis Sherburnensibus hanc Abbatiam Cluniacensem fuisse commemoret: reuera parum habet soliditatis; Verba enim Malmesberiensis non id sonant, quod intellexit aduersarius: *Radingis* (inquit) *fuit quondam cœnobium sanctimonialium, sed iam multis annis abolitum. Illud Rex Henricus pro indicta sibi pænitentia restaurare intendens, duo olim dirua monasteria, Lefminstre, & Chelsi adiunxit; constituitque illud inter duo flumina, Keretum & Tamensem in honorem matris Domini, & Ioannis Euangelistæ, loco, vbi ad populosiores vrbes Angliæ omnium pene itinerantium posset esse diuersorium. Posuitque ibi monachos Cluniacenses præclarum sanctitatis exemplum, hospitalitatis ind. fessæ indicium.* At hic non dicit Malmesburiensis, istam Abbatiam subiectam uel incorporatam fuisse ordini Cluniacensi. Sed tantum monachos Cluniacenses ibi positos fuisse, qui nempe præclaram illius ordinis disciplinam, quam in eo hauserant, in hoc cœnobium transplantati introducerent; Quod est, primos eius monachos fuisse Cluniacenses disciplina & reformatione, non vero incorporatione. Neque vero nouum est, monachos Cluniacenses collocatos in Abbatijs non Cluniacensibus: siquidem etiam alibi, & antea factum fuisse demonstrabimus. Etenim in bibliotheca Cluniacensi in vita S. Maioli Abbatis col. 296. legitur, *Odonem Campaniæ Comitem, suggerente ei Dei amabili vxore sua Hermengardi, à Cluniaco tredecim bonæ vitæ & opinionis monachos precum obtinente suffragio deduxisse, & in Maiori-monasterio* (S. Martini Turonensis) *sequestratis inde sæcularibus substituiße, ac religionem inde posteritati profuturam propagauisse.* Illam tamen Abbatiam propterea Cluniacensi ordini incorporatam non fuisse constat in eadem narratione col. 297. in fine, vbi ipsius S. Maioli concessione statuitur, *vt Maiummonasterium à iugo & subiectione Cluniaci liberum & immune amodo & deinceps emancipetur.* Similiter ibidem columna sequenti, 298. de monasterio S. Benigni Diuionensi habes, quomodo *Episcopus Bruno supplex adijt D. Maiolum Cluniacensis monasterij Abbatem, multaque prece poposcit, quatenus eius auxilio quiuisset reparare in melius, interius religionem, & exterius possessiones. Cuius precibus flexus Reuerendus Abbas Maiolus dedit ei duodecim monachos ex omni Congregatione electos, disciplina sanctæ religionis instructos, diuina & humana sapientia doctos, nobilitate carnali claros: His Abbatem præfecit Wilelmum nomine, & patrem spiritualem sibi poscentibus filijs instituit.* Quod vtique erat ipsos omnino à sua iurisdictione emancipare, vt facile concedet, qui historiam præcedentem de Maiori-monasterio, & historiam de roformatione S. Mauri Fossatensis (quæ hanc Diuionensis monasterij reformationem immediate eadem in columna in bibliotheca Clun. sequitur) legerit: ibi enim clarè constat, Cluniacensis moris fuisse, loca sibi in reformatione subiecta ita ordinare, vt Priorem, non Abbatem monachis introductis præficerent. Tandem in Hispania, Bernardum monachum insignem (qui postea fuit Archiepiscopus Toletanus) in Hispaniam cum alijs duodecim monachis pro S. Facundi monasterio reformãdo cõstat missum fuisse Alphõsi regis prece ab Abbate Cluniacẽsi: & tamẽ, vt solide euincit P. Antonius, non idcirco illam Abbatiam subiecit rex Cluniacensibus, aut ordini ipsorum incorporauit. Quid mirum igitur si Regi Anglorum, in cuius regno plura longe habuit cœnobia, quam in vlla prouincia extra Gallias suas, volenti Radingense monasterium optimè instituere, aliquot monachos insignes Abbatia Cluniacensis donauerit, & eum in

finem

finem à iugo suæ subiectionis (vt superius loquitur sanctus Maiolus) emanciparit? Nam non fuisse hanc Abbatiam obnoxiam imperio aut mandatis Cluniacensium constat, quia non est in bullis, nec in catalogo, nec in vllis instrumentis, quę tamen de maximis & minimis membris, & obediētijs ordinis curiosissima, & accuratissima diligentia in bibliotheca Cluniacensi sunt collecta. Et quamuis (vt supra notauimus ex facto Abbatiæ S. Ioannis Angeliaci) ne ex ipsis quidem bullis sufficienter probetur possessio iurisdictionis, quia bullæ confirmatoriæ supponunt veram petentium narratoriam, in qua potest pręsumi aliquando nonnulla surreptio: tamen ex eo quod in nulla confirmatoria bulla nominetur hæc Abbatia, solidè euincitur, non fuisse Cluniacensem. Neque enim alio modo probatur possessoria, quam scriptis authenticis Pontificum, Regum, fundatorum &c. Et Cluniacenses Abbates, ad quorum suggestionem & instantiam bullę istæ confirmatoriæ sunt obtentæ (vnde enim alias Pontificibus tam exacta omnium Domuum, & obedientiarum, imò & limitum ac terminorum quibus allodia & villæ limitarentur, nisi ab ipsis Abbatibus?) præsumuntur meritò accuratissimè Pontifici enumerasse omnia principalia membra ordinis sui, quæ sibi à Pontificibus voluerunt confirmari: nec vllo modō voluisse omittere tam præclaras & nobiles Abbatias, quales erant Rameseia, Radingensis, aliæque quas ipsis addicit aduersarius; cum S. Pancratium, Bermondseiam, Wenlochiam, Monteacutum & alios prioratus non omiserint, qui tamen omnes simul, vix adæquabant reditus monasterij Radingensis aut Rameseyensis Abbatiæ. Quare certum est Regem, qui Radingas de nouo fundasset, ideo ibi Abbatem, non Priorem posuisse supremum rectorem: quia sicut in alijs monasterijs Angliæ, ita & in ipso mordicus sibi ius nominandi aut saltem confirmandi Abbatem reseruare studuit. Atque ideo noluit ipsam Abbatiam Cluniaco subdere, quamuis eius disciplinam in ea statuerit plantare. Itaque in Prioratibus Cluniacensibus, quia in ipsa eorum fundatione ex Regum consensu pij fundatores eos Cluniaco subiecerunt, non leguntur Reges nostri vnquam sese immiscuisse in Prioribus constituendis aut destituendis: nisi tempore belli inter ipsos & Reges Galliarum, (tunc enim omnes alienigenas fisco subijcere solebant;) Abbatiam autem hanc Radingensem à Rege sæpius Abbates accepisse, notum est, nec indiget probatione. Quam autem non se immiscuerint Cluniacensium electionibus, constat ex bibliotheca Cluniacensi col. 1446. in conuentione facta inter Theobaldum Abbatem Cluniacensem, & Hammelinum Comitem Warennæ coram rege; vbi vindicante Hammelino aliquam prærogatiuam in electione seu postulatione Prioris S. Pancratij ex iure patronatus, rex ipse nihil prorsus vendicabat, qui tamen in alijs omnibus Abbatijs nigrorum custodiam habebat sede vacante; & inuestituram seu homagium exigebat: Tandem, in catalogo Cluniacensium, qui ex archiuis Turris siue arcis Londinensis in appendice habetur, non connumeratur hæc Radingensis Abbatia inter Cluniacenses, sed inter Abbatias ordinis S. Benedicti, quem modum loquendi iam satis probauimus distinctionem ordinum siue congregationum indicare. Vnde & in catalogo Abbatum capituli prouincialis eorundem nigrorum ordinis S. Benedicti. Abbas huius monasterij computatur, & capitularibus actis interuenisse reperitur, & inter Barones parlamentorum locum obtinuisse quod Cluniacensibus iam ostendimus nullatenus conuenire. Cæterum, vt liquido constet, id quod antea diximus, Radingense hoc monasterium in prima sui fundatione non fuisse Cluniacensibus subiectum vel incorporatum: eiusdem natalitium (vt sic vocemus) diploma, ab Henrico primo datum fideliter hic
„repræsentabimus. Henricus Dei gratia Rex Angliæ, Dux Normannorum, Archiepiscopis,
„Episcopis, Abbatibus, Comitibus Baronibusque suis, & omnibus Christianis tam pręsenti-
„bus, quàm futuris salutem perpetuam. Sciatis quia tres Abbatiæ in regno Angliæ, peccatis
„suis exigentibus olim destructæ sint, Radingia scilicet, Chelseya, & Leominstria: quas ma-
„nus laica diu possedit, earũque terras & possessiones alienãdo distraxit. Ego autẽ consilio,
„Pōtif. & aliorũ fidel. pro salute animæ meæ, & Wilielmi Regis patris mei, & Wilielmi Regis
„fratris mei, & Wilielmi filij mei. & Matildis reginæ matris meæ, & Matildis reginæ vxoris
„meę, & omniũ antecessorũ & successorũ meorũ, ędificaui nouũ apud Radingas monasteriũ
„in honore & nomine Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, & B. Ioannis Euangelistæ;
„& donaui eidem monasterio ipsam Radingiã, Chelseiã quoque & Leominstriam, cum ap-
„pendicijs suis, cũ syluis & agris & pasturis, cum pratis & aquis, cum Molendinis & pisca-
„rijs, cũ ecclesijs quoque & Capellis & Cœmiterijs & oblationibus & decimis, cum mone-
„ta, & vno monetario apud Radingiam. Dedi etiam præfato monasterio Tacheam & eccle-
„siam de Weregraue. Ita vt quomodo ea in manu mea fuere: sic libera sint & absoluta & ple-
„na in manu Abbatis & Monachorum Radingiæ. Nulla autem persona parua vel magna per
„debitũ, seu per consuetudinem, aut per violentiã aliquid ab hominibus, & terris, & posses-
sione

„ ſione Radingiæ monaſterij exigat; non equitationem ſiue expeditionem, non pontium vel
„ caſtrorum ædificationem, non vehicula, non ſummagia, non vectigalia, non nauigia, non
„ opera, non tributa, non xenia. Sed ſint Monachi Rading, & familiæ eorum, & res ipſorum
„ abſoluti ab omni geldo & teloneo, & alia qualibet conſuetudine, in terris & aquis, in tran-
„ ſitibus pontium, & maris portuum per totam Angliam: ſintque Abbatis & monachorum
„ eius de hominibus ſuis, & de tota poſſeſſione ſua, & de alienis in ea forisfacientibus, vel ibi
„ cum forisfacto interceptis, hundreda & placita omnia; cum ſocca & ſacca, & Thol, & Theā,
„ & Infangenthef, & Hutfangenthef, & Hamſochnas infrà Burgum, & extra burgum, in vijs
„ & ſemitis, & in omnibus locis, cum omnibus cauſis, quæ ſunt vel eſſe poſſunt. Habeantque
„ Abbas & monachi Rading in tota poſſeſſione ſua omnem iuſtitiá de aſſaltu, & furtis, & mur-
„ dris, de ſanguinis effuſione, & pacis infractione, quantum ad regiam pertinet poteſtatem, &
„ de omnibus forisfactis. Quodſi Abbas & monachi de his iuſtitiam facere neglexerint; Rex
„ fieri compellat, ita vt in nullo libertatem Rading eccleſiæ minuat; veniantque ad hundreda
„ de Rading, & de Leominſtria homines circumiacentium maneriorum ſecundum conſuetu-
„ dinem temporum præcedentium: qui ſi, quando vocati fuerint ad iuſtitiam, venire contemp-
„ ſerint, Rex inde forisfactum accipiat, & venire & ſatisfacere compellat. Statuimus autem tā
„ eccleſiaſticę quam regiæ proſpectu poteſtatis, vt decedente Abbate Radingenſi, omnis poſ-
„ ſeſſio monaſterij, vbicumque fuerit, remaneat integra & libera cum omni iure & conſue-
„ tudine ſua in manu & diſpoſitione Prioris & monachorum Capituli Radingenſis: hoc autē
„ ideo ſtatuimus, ſtatutumque perpetuo ſeruandum ſtatuimus, quia Abbas Rading non habet
„ proprios reditus, ſed communes cum fratribus. Qui autem Deo annuente canonica ele-
„ ctione Abbas ſubſtitutus fuerit, non cum ſuis ſæcularibus conſanguineis ſeu quibuſlibet alijs
„ eleemoſynas monaſterij male vtendo diſperdat: Sed pauperibus & peregrinis, & hoſpitibus
„ ſuſcipiendis curam gerat. Terras cenſuales non ad feudum donet; nec faciat milites niſi in
„ ſacra veſte Chriſti: in qua paruulos ſuſcipere modeſte caueat, maturos autem ſeu diſcretos
„ tam clericos ſeu laicos ſuſcipiat. Nemo de poſſeſſione Rading monaſterij aliquid teneat feu-
„ daliter abſolutum, ſed ad cenſum annuum & ſeruitium Abbati & monachis debitum. In
„ Abbatis & monachorum domo Rading, & poſſeſſione, nullus per hæreditatem officium te-
„ neat: ſed in arbitrio Abbatis & monachorum de tranſmutandis præpoſitis ſeu quibuſlibet
„ alijs officiarijs cauſà conſiſtat. Hanc monaſterio Rading, & omnibus ad ipſum pertinentibus
„ in perpetuum dono & confirmo liberam immunitatem, & immunem libertatem: quam re-
„ gibus poſt me in Anglia regnaturis cauſa Dei commendo ſeruandam, vt eis conſeruet Deus
„ æternam. Siquis autem hoc noſtrę donationis decretum infringere ſeu minuere vel tranſmu-
„ tare ſcienter præſumpſerit, ſummus iudex omnium conterat eum, & eradicet eum cum ſua
„ poſteritate: vt permaneat ſine aliqua hęreditate in clade & fame. Quiſquis verò Radingenſe
„ monaſterium cum pręfata libertate & poſſeſſione ſeruauerit, altiſſimus qui dominatur in
„ regno hominum, bonis omnibus ſtabiliat eum, & ſeruet eum. Signum eiuſdem fundationis:
„ Ego Henricus Dei gratia Rex Anglorum & Dux Normannorum dono & ſubſcribo. Signum
„ Adeleidis reginæ. Signum Epiſcoporum: Signum Ioannis presbyteri Cardinalis Apoſtolicæ
„ ſedis Legati. Signum Wilielmi Archiepiſcopi Cantuariæ. Signum Thurſtani Archiepiſcopi
„ Eboracenſis. Signum Galfridi Archiepiſcopi Rotomagenſis. Signum Wilielmi Epiſcopi Win-
„ tonienſis. Signum Wilielmi Epiſcopi Exoniæ. Signum Bernardi Epiſcopi S. Dauid. Signum
„ Giefredi Epiſcopi Ceſtrenſis. Signum Simonis Epiſcopi Wigornienſis. Signum Ioannis E-
„ piſcopi Luxouienſis. Signum Odonis Epiſcopi Ebroicenſis. Signum Turgiſi Epiſcopi Abrin-
„ catenſis. Signum Anſelmi Abbatis S. Edmundi. Signū Warneri Abbatis S. Martini de Bello.
„ Signum Boſonis Abbatis Beccenſis. Signum Gilleberti Abbatis Sagienſis. Signum Richardi
„ Abbatis S. Michaelis de monte. Signa Comitum & Baronum. Signum Roberti comitis Glo-
„ ceſtriæ. Signum Willielmi Comitis Surreyæ. Signum Rogeri Comitis Warwicenſis. Signum
„ Stephani Comitis Albemarlæ. Signum Wilielmi Camerarij, de Tancaruilla. Signum Brietij
„ filij Comitis de Wareng. Signum Humfridi de Buhan. Signum Roberti de Haia. Signum
„ Wilielmi filij Odonis. Signum Hugonis Bigotti. Acta anno verbi incarnati milleſimo cente-
„ ſimo vigeſimo quinto, Papa Romano Honorio ſecundo, Romanorum Imperatore Auguſto
Henrico quarto. Nimirum vigeſimo quarto anno poſt Nordouicenſem illam donationem, quam ſuperius poſuimus, cum iam mortua vxore Matilde, ſecundam duxiſſet quæ hic ſubſcribit, Adeleidem. Et quis non apertè videt ex hoc ipſo fundationis inſtrumento elidi aſſertionem aduerſarij de ſubiectione Radingenſis monaſterij, aut incorporatione in ordinem Cluniacenſem? Etenim electionem liberam & canonicam Abbatis conuentui permittit: quod manifeſte diſtinguit à Cluniacenſibus, quibus talis electio, non fuit in vſu; Deinde quis

quis credat Regem concessurum tot prærogatiuas, præsertim fori secularis, & iudiciorum in vasallorum causis, hominibus externis, & ab alieni principis dominio pendentibus, quales fuissent Cluniacensis Abbatis subditi? præsertim cum hactenus probauerimus, & infrà clarissimè constabit, omnes Cluniacensium per Angliam conuentus hac tempestate ita alienigenis repletos, vt paucissimi in illis Angli fuerint? Nihil incredibilius. Libertatem igitur plenam, quam Fundator Henricus se huic monasterio reliquisse testatur, nos etiam probatam relinquamus. Et tantum de Radingis.

Salopiæ, Selbeiæ, & Sherbornæ monasteria non attigit Antagonista noster; quia nihil de illis Pitsius & Posseuinus. Prima in vrbe Salopiensi quam Shrewsberiam hodie vocamus, à Rogerio Comite Montgomeriæ anno 1081. fundata, sub rege Gulielmo Conquestore, & Baronatus parlamentarij prærogatiua gaudentem, vel inde probatur non fuisse Cluniacensibus vnquam subiectam. Vt neque Selbeyam, etiam simili Baronatus dignitate sublimatam, & in Eboracensi prouincia sitam: cuius ob maiorem fidem, ecce tibi dotalitium fundationis „instrumentum. In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti „Amen. Willielmus fortissimus imò potentissimus omniũ regum illorum, à quibus eo tem„pore sceptra regalia sub Deo gubernabantur, maximum imperium Anglicæ terræ regens, „quod permissione itaque & voluntate Dei, primũ signis mirabilibusque prodigijs, ac dein„de magnis viribus bellisque debellando Anglos tandem acquisitum gubernat, viris tam ec„clesiasticis, quam suis comitibus Baronibusque atque ministris omnibus salutem. Diuina „prouidente Dei misericordia, & à mea bonitate diuina clementia inspirata deuotè postulã„ti Benedicto Abbati deuotissimo, cœnobiũ in honorem domini nostri Iesu Christi, & bea„tissimæ eius genitricis & Virginis Mariæ, & Germani Antisirodorensis Episcopi in Selbeia „fundare concessi. In qua fundatione conieci & regali liberalitate posui & dedi de propria „mea mensa, ipsam Salebiam, videlicet vnam carrucatam terræ de Swait, & sex Boicatas de „Flaxley, & Rodeliffe, & dimidiã carrucatam in Bruitia, & vnam piscariam Witegift, & ter„ras à Thoma Archiepiscopo eidem ecclesiæ datas, videlicet Fristunam & Salebiã minorem „tam secundum viuam vocem, quã iuxta breuis eius tenorem. Eodem modo Exol hundred „quę iacet in vicecomitatu Lincolniæ, & Stãfort quæ est vicecomitatu Hamtoniæ, quas de„derunt Gaufridus de la Wirche, & Wido de Rauencourt, sine retentu confirmaui, & dando „concessi: & cuncta cum his quæ vndecumque tam in terris & possessionibus, quam in alijs „oblationibus, quæ instinctu Sãcti Spiritus à deuotis benefactoribus offerri, & quaquauer„sum iure, prece, & pretio adquiri possunt, sub regali munimine ab omni exactione & „molestia & vexatione solutè & quietè & liberè, prout decet eleemosynam regiam & pro„priam Abbatiam interminabili & perpetua pace tenere, & curiam suam cum Saca & Socca, „& Tol, & Team, & infangentef, & cum omnibus consuetudinibus, quas meliores habet „Ecclesia S. Petri Eboracensis habere & perpetuo possidere: ad testimoniũ & confirmatio„nem huius eleemosynæ & donationis pro salute animæ meæ, & tam præcedentium quam „subsequentium meorum. Data charta hac & confirmata apud Londonias in præsentia isto„rum, scilicet, Odonis Baiocensis Episcopi, Edouardi de Salebiria, Hugonis de portu, Hu„gonis de Mõteforti, Roberti de Ollei, Roberti filij Comitis Gilleberti, Balduini fratris eius, „Remigij Episcopi, Radulphi Tallebois, Rodberti de Tenu, Gaufridi de la Wirche, & totius „curiæ regis. Annus erat, 1078. Ex qua fundatione vides liberrimam fuisse à subiectione Cluniacensium, quorum ne mentio quidem in fundatione facta est; & merito, cum tantam hic auctoritatem concedat in sæculares, nempe curiam Baronatus, seu tribunal: quare nec aliam externam supra se ecclesiam, tanquam dominam agnoscebat, sed partim ab Archiepiscopi Eboracensis, partim à Capituli Generalis dispositione & regimine, sicut cæteræ Abbatiæ Capitulares pendebat. Sherbornæ Abbatia fuit sedes Episcopalis, cui Abbatis simul & Episcopi munere fungens primus præsedit S. Aldelmus, de quo copiosè in primo tractatu diximus. Deinde cum tractu temporis, Danis omnia vastantibus, monachis passim dissipatis pauci clerici ecclesiam occupassent, Wulfsinus Abbas Westmonasteriensis dum strenuè & sanctè munus illud administraret, Episcopus Shirborniæ factus est: qui confestim (ait Malmesburiensis) in sede Episcopali monachos eiectis clericis instituit, ne in tanta contemporaneorum Episcoporum sedulitate dormitare videretur. Cœnobitis nihil ad victus necessitatem ex Episcopatu largitus, sed ex alieno mercatus, Abbatem quoque instituere cogitauit; illis reclamantibus, quod dulci dominatione, dum adiuueret, carere nequirent: cessit inuitus, palamque pronuncians magnarum id calamitatum initium successoribus eorum fore. Mansit Abbatia simul & cathedralis ecclesia vsque ad tempora Normanni Gulielmi, *sub quo* (verba sunt iterum Malmesburiensis)

rienfis) *cum ex canonum decreto edictum esset vt sedes Episcoporum ex villis ad vrbes migrarent, Hermanus Episcopus tribunal suum transtulit à Shireburna, Salesburiam*; ibique inchoauit ecclesiam Cathedralem, quam successor eius S. Osmundus vir prius militaris, postea probatissimus Clericus Canonicis sæcularibus concessit, relicto monachorum vsibus cœnobio Sherborniæ, quod deinceps Abbatem habuit proprium ex principum indulgentia, & Capitulo Generali Angliæ subiectū; cuius nimirum monachi, cum vsque ad sanctū Osmūdum, fuerint cathedrales, ac proinde non potuerunt esse Cluniacenses, sede Episcopali trāslata, iam cœnobiticæ vitæ quietius vacare potuerunt, episcopalibus negotijs exempti.

Spaldingæ Prioratum insignem in Lincolnia ab Iuone Talboisio Comite Andegauensi sub Gulielmo Normanno conditam, & redituum magnitudine Pancratianæ domui pene parem, omisit aduersarius noster; meritoque omisit, quia vel eius solius prioratus historia pessundat ipsius absurdum paradoxum de monasteriorum fere omnium Anglicorum Cluniacismo. Nam cum Abbates nostri ordinis, hoc est Benedictini, ad Capitulum Generale Spaldingę Priorem citassent, bis se excusauit, semel per procuratores, iterumque per hanc sequentem in scriptis exhibitam protestationem, quam ex Registro ipso Prioratus desumi curauimus, fideliterque describi.

„Venerabilibus in Christo patribus de *Gloucestre, & de Certeseya Dei gratia Abbatibus „ordinis S. Benedicti, Capitulo Generali in prouincia Cantuariæ Præsidentibus deuotus „suus humilis W. Prior Spalding salutem in Christo Iesu, & tam deuotam, quam debitam „tantis patribus reuerentiam cum honore. Ordinis monastici vnionem per omnia zelantes „& honorem, inter alios de vestro venerabili cœtu & Generali Capitulo conscribi filiali affectione dudum in mente gessimus, & statuta quæ in eodem prouisa fuerant, vnanimiter „obseruare, si caput nostrum, Abbas videlicet beati Nicolai Andegauensis, ex cuius dispositione nostra necessario dependet voluntas suum in hac parte nobis præstitisset assensum. „Vnde dudum apud Abendoniam coram Reuerendis Patribus de S. Augustino Cantuariæ „& Glastoniensi Dei gratia Abbatibus Capitulo vestro Generali tunc præsidentibus publicè „proposuimus; quod nos habebamus Abbatem nostrum in partibus transmarinis, Abbatē „videlicet B. Nicolai Andegauensis, cui immediate & soli, saluo iure Diœcesano Metropolitico, & Apostolico, in his quæ spectant ad statum & reformationem ordinis respondere tenebamur: sine cuius auctoritate, & expresso consensu statuta vestra admittere, vel „eorum prætextu aliquid ex his, quæ per dictum Abbatem nostrum & prædecessores suos „circà nos & reformationem status monasterij nostri, vt dictum est, salubriter & pro, salute „animarum nostrarū prouisa fuerunt, & in virtute sanctæ obedientiæ nostris humilitatibus „iniuncta, ac hucusque à prædecessoribus nostris, & nobis veneranter & irrefragabiliter ob„seruata; non debebamus, nec etiam de iure poteramus immutare. Præsertim cum huius„modi admissio seu immutatio vergeret in memorati Abbatis nostri, & monasterij sui præ„iudicium atque in derogationem longęuæ consuetudinis, & cuiusdam compositionis in„ter ipsum Abbatē ex vna parte, & prædecessores nostros ex altera dudum initæ, ac per sedē „apostolicam sub interminatione grauissimæ pęnæ, quæ dictam compositionem offenden„tibus est inflicta, confirmatæ, & sic, vt præmittitur tunc in vestra venerabili Congre„gatione publicè protestati cum omnium recessimus beneuolentia. Verum cum memoratus „Abbas noster, vt nos & monasteriū nostrum Spalding nuper visitaret, ad partes nostras de „partibus veniret transmarinis, sicut de triennio in triennium semper facere consueuit, no„bis & confratribus nostris districtè inhibuit, & sub pœna excommunicationis maioris, quā „non solum viua voce, verum etiam in scriptis ex tunc in nos tulit, si contra inhibitionem „suam nos in aliqua sui parte venire contingeret: ne visitatores à vobis missos ad monaste„rium nostrum in officio visitationis aliquatenus admitteremus, & ne prætextu statutorum „vestrorum, vel aliorum quorumcumque, quæ de dicta compositione specialem nō faciunt „mentionem, quæque per sedē apostolicam specialiter & expressè non fuerint confirmata, „aliquid ex his quæ per ipsum, & prædecessores suos circa statum nostri monasterij sunt „prouisa, & à prædecessoribus nostris, & nobis hucvsque reuerenter obseruata delere, sub„uertere, seu immutare, vel ad studium vestrum erigendum conferre, aut aliquid insolitæ „nouitatis inducere pręsumeremus. Quocircà Reuerend. Paternit. Vest. humili prece „supplicamus, quatenus ad supradicta, quæ nobis ingeruntur pericula vestræ mansuetudinis „& discretionis oculos dirigentes, nos in hac parte his habere velitis, si placet, excusatos. „Valete diu in Christo, & Virgine gloriosa. Hactenus excusatoriæ verba: quo autem tempore scripta fuerint, non apparet, quia qui apographum nobis descripsit, æram seu datam ascribere non curauit; Sed quia inuenimus Capitulum Generale apud Abendoniam, præsidentibus

* Glaston.

dentibus

dentibus Abbatibus S. Augustini & Glastoniensi celebratum fuisse anno, 1279. octauo anno Eduardi primi; & postea aliud Capitulum anno 1290. decimo nono anno eiusdem regis, Præsidibus, Abbate de Chertesey, & Abbate de Glastonia; (pro quo forte Spaldingenses similitudine nominis decepti posuerunt Abbatem de Glocester;) probabile valde est circa illa tempora scriptam fuisse hanc excusationem.

Cæterum ex ea, constat primò Prioratus alienigenarum, ecclesijs transmarinis subiectos, quia à suarum ecclesiarum Matricum visitarentur Abbatibus, legitimè à præsentia Capitulis Generalibus exhibenda fuisse excusatos. Constat secundo ratio cur Cluniacenses nunquam ad Capitula Generalia nigrorum vocarentur: nempe, quia ecclesiæ transmarinæ erant subiecti, à qua per deputatos visitabantur, vt superius ostendimus; & præterea, quia erant distincti ordinis, nec appellatione monachorum nigrorum S. Benedicti veniebant, sicut hic Spaldinganus Prior, & Abbatia Andegauensis S. Nicolai, & olim fuerunt, & adhuc Andegauensis Abbatia esse dignoscitur. Quare & Prior initio huius excusationis suæ insinuat, se quia eiusdem esset ordinis cum Patribus Capituli, ex iure debuisse, & quantum ad ipsum attineret cupiuisse cum ipsis in Congregatione vniri, seu in *vnionem ordinis monastici* (vt ipse loquitur) *conscribi*, nisi Abbatis sui transmarini prohiberet autoritas. Cæterum Patres Capituli animaduertentes hanc excusationem esse potius colorem quæsitum, ne se Prior Spalding subijceret Capitulo, quem iam scirent separasse se auctoritate regia, & pacta pensione annua à conuentu Andagauensi, vt sic crebras confiscationes ob Gallicana bella euaderent: diu postea instantius eundem Priorem ad Capitulum conuocarunt, & comparere recusantem denunciarunt contumacem: cumque is propterea Archiepiscopi Cantuariensis autoritate interposita se defenderet, communi decreto Capituli statutum est vt procurator Romam mitteretur, qui contrà hunc Priorem de Spalding, & Priorem ecclesiæ Metropolitanæ aliosque pariter contumaces auxilium Apostolicæ sedis implorarent; Quod ex Capituli Generalis actis, in appendice positis, pagina 103. 105. 106. 107. lectori constabit: & inde omnes domus nigrorum indigenas, easque solas ad hoc Capitulum nostrum pertinuisse, quandoquidē eas omnes, quę vel per Abbates, vel per Priores proprios Abbates nō habētes regerentur, ad suam obedientiam secundum canones cogebant: Cluniacenses vero, etsi sæpe in ecclesijs ipsorum Capitulum celebrantur, & alios conuentus alienigenarum nunquam citarunt, quia nempe nihil ad suam Congregationem spectabant. Apparet tandem fuisse veri nominis Congregationem hanc Anglicanam, quæ absentes à suo Capitulo puniebat, contumaces in curia Romana per communem procuratorem vrgebat ad obedientiam, & communibus sumptibus huiusmodi negotia prosequebatur, indicta singulis Abbatibus Capitulantibus, pro ijsdem sumptibus contributione. Quod autem Prioratus hic Spalding eo tempore separauerit se ab Andegauensi Abbatia, locoque omnis dependentiæ pensionem annuam soluere primo, deinde ne id quidem facerent, regia auctoritate freti, patet ex petitione per ipsos Edoardo 3. in parlamenti Comitijs exhibita eo ipso tempore, quo Capituli supra citati patres ipsum Spaldingę Priorem iterato citarunt, quam gallice (prout tunc temporis à monachis fuit concepta) descriptam damus in appendice, num. 82.

Ex illa clare patet prioratum illum iam ab Andegauensis Abbatis dominio fuisse separatū; quia cum significent pensionem, quam solebant Andegauensi prælato ex pacto soluere, rex occasione belli fisco suo adiudicasset, tanquam aduersarij sui, Francorum regis subdito debitā, insinuatur clare ipsos Prioratus reditus non fuisse confiscatos, ac proinde iam non amplius alienigenas, nec alienigenarum dominio obnoxios extitisse, alioquin non sola pensio, sed omnia etiam conuentus illius bona regio fisco adiudicata fuissent. At quia iam facti erant monachi Spalding omnino ciues Anglici, propterea non poterat rex & pensionem ex possessionibus creatam, & ipsas simul possessiones sibi vendicare, quia hoc non solum contra iuris æquitatem foret, verum etiam impossibile? vnde enim monachi crearent pensionem si rex omnia ipsorum bona in fiscum suum redegisset? Igitur, cum rex pensionem, quasi rem hostium suorum sibi vendicasset, & Andegauensis nihilominus à conuentu isto pensionem solito modo ex pacto exigeret: hac petitione sibi consultum voluerunt Spalding monachi; vt per authoritatem regis ab illa solutione absoluerentur, nec propterea contra eos Pontifex aliquid statueret. Quod & ab illo tempore obtinuerunt. Quæ causa fuit, cur iam sui iuris facti, secundum Innocentianam & Benedictinam legem debuerunt ad sui ordinis Capitulum Generale cum alijs Abbatibus comprouincialibus conuenire. Et hæc de Spaldingæ negotio pro re nostra sufficiat dixisse.

De monasterio autem S. Saluatoris, seu ecclesia Christi Cantuariæ, quis arbitraretur hominem

minem doctum potuisse existimare, illud solum argumentum sufficere, ad eam Cluniacensibus incorporandam, quod Dunstanus, Lanfrancus, Anselmus, ibi monachos collocauerint, & disciplinā regularem egregiè stabiliuerint? ergone consequens est vt debuerint esse monachi Cluniacenses? nullane alia disciplina digna fuit acceptatione, præter Cluniacensem? Sed sufficere debet contra hanc imbellem coniecturam illa solum consideratio, quod monachi huius conuentus (qui Cathedralis, & Metropoliticus fuit) vt ex iure canonico constat, totius Angliæ Primatem Cantuariensem Archiepiscopum eligere consueuerint, fuerintque Archiepiscopo ante ipsos sæculares ecclesiæ Canonicos, Canonici quasi primigenei, & homogenei, de qua re extat adhuc in corpore iuris Canonici Pontificium decretum, quod in priore tractatu posuimus. Et quisquam adeò væcordi iudicio esse poterit, vt existimet reges Angliæ, tam acres iurium suorum propugnatores, tam infestos olim Francis regibus, patienter pertulisse, vt Cluniacensi ecclesiæ externæ, & Fracorum dominio subditæ, subijceretur conuentus ille Cathedralis, qui primatem toti regno suo de iure & consuetudine per electionem daret? Nemo homo prudens in tam dementem deueniret existimationem. Vide quæ de huius ecclesiæ prærogatiuis in 1. tractatu dicta sunt, & vide huius assertoris absurditatem. Sed & quæ de Beccensi disciplina per Lanfrancum in hunc conuentum, & conuentum S. Albani introducta disputauimus, & inferius statim annotabimus, euidenter ostendunt non Cluniacensem, sed Beccensem obseruantiam in hac ecclesia stabilitam fuisse: propter quam tamen Beccensi monasterio conuentus iste non subijciebatur, licet inde suam hauserit disciplinam: quæ quam fuerit illustris & gloriosa, audiamus nobis depingentem testem oculatum Malmesberiensem lib. 1. de gestis Pontif. in Lanfranco; postquam enim docuisset quanta cura conuentum illum Lanfrancus ordinauisset, hoc quasi epiphonema subiungit. *Sunt hodie ampliori, quàm vspiam Angliæ, vt decet* (quia nempe Cathedralis Primatis sedes) *numero; religione Cluniacensibus non impares; plurimus inest eis adhuc Lanfrancus.* Quid hoc elogio apertius, ad Cantuariensis ecclesiæ monachos à Cluniacensibus, quibus contra ponuntur, distinguēdos? Sed, vt diximus, non est mirum in tanta luce aduersarium caligasse, quia perturbati animi passione ducebatur, non perspicuæ rationis iudicio.

Omittamus Thetfordiā, & Wāneloch, & quos Prioratus fuisse Cluniacēses non negamus, quæque sunt in catalogo Cluniacensi, & Anglico; ideoque nunquam in Capitulo nostræ Cōgregationis Anglicæ nigrorum compāruerunt. Sed non prætereamus Thorneyam veterem, pro cuius Cluniacismo quā nihil valeat locus Ingulphi, & Floriacēsis monachatus Oswaldi, sæpissimè diximus. Omittam⁹ & Teukesberiā, à Roberto filio Hamonis ad annū 1002. in Prouincia Glocestriēsi; Tauestokiā in Deuonia ab Ordgaro, Edgari regis socero fundatā; insignes Abbatias, quia nec eas vendicat aduersarius, nec potest vllo probabilitatis colore vendicare, cum Capituli Generalis Anglici nobilissima fuerint membra, & Baronatus etiam Parlamentaris honore vtriusq; Abbatiæ Abbates extiterint nobilitati. Worcestriā pari modo, & Wintoniam cœnobia Cathedralia propter causas iam satis discussas, prætereamus: sicut & nouum (vt vocabatur) Hidę monasteriū prope Wintoniā ab Edgaro rege fundatū & dotatū, de quo in primo tractatu diximus in ipsa fundatione sua priuilegium habuisse monachos liberrimæ electionis, qua sibi de suo gremio Abbatem, sine vllius extraneæ personæ arbitrio poterant substituere. Omittamus tandem Whitbeiam sanctæ Hildæ, quod olim sanctimonialium simul & monachorum monasterium cum fuisset, Stershalle appellatum; & incursantibus barbaris destructum, Gulielmus Percy, Hugonis Comitis Cestriæ filius circa tempora Henrici primi restituit, & insignibus dotatum prædijs, Serloni fratri suo monachisque Benedictinis inhabitandum dedit. Et Winchelcumbæ tandem omittamus Abbatiam, à Kenulpho rege in Glocestrensi comitatu ædificatam, & à S. Wilfrido dedicatam, cuius Abbas in Comitijs parlamentaribus Baronatus etiam dignitatem obtinuit. Nullam enim istarum ausus est suo paradoxo specialiter vexare aduersarius.

Accedamus ad Westmonasterium, pro quo quamuis timide, (quia sæpe tantum ex probabilibus se arguere fatetur) tamen vehementer & operose decertat, pagina 38. 61. 97. auctoritate Pitsij, qui Sulcardum quendam huius cœnobij monachum S. Confessoris, & Regis Eduardi contemporaneum, vocat Cluniacensem. Et pagina 97. ex illa iam prætacta coniectura, quia Cluniacenses dicit Malmesberensis vbique gentium fuisse dispersos, vtpote reformatiores cęteris: quidni ergo Dunstani solicita diligentia aliquos Cluniacenses huic monasterio insperserit? Præsertim cum S. Edoardus illius monasterij instaurator Cluniacensibus multum beneuolus extiterit: & pag. 98. ex sæpe laudato Ingulphi loco. Et pag. 115. quia vix credibile est S. Dunstanum, qui ipse scilicet fuerit Cluniacensis, alium Westmonasterio Abbatem voluisse præficere, quam Cluniacensem, at præfecit

Wulsium

Wulfium Abbatem: ergo triumphali consequentia infertur eum fuisse Cluniacensem. Tandē p.149. quia Abbas huius cœnobij præfuit Capitulis, quæ celebrata sunt in cœnobio quod extra omnem controuersiæ vmbram fuit Cluniacense; notum autem putat per se esse, Congregationes aut ordines regulares nunquam Capitula celebrare in monasterijs sibi non subiectis; nec Præsides admittere externæ incorporationis Abbates: ac proinde trophæum Trophæario hic se iactat eripuisse, solidissimumque eius fundamentum euertisse: & ex eo non Anglicanam, sed Cluniacensem tantum Congregationem probari docuisse; Iniuriarum & repetundarum reos nos esse, qui Congregationem Cluniacensem a 900. annis Angliæ principantem per nuperę Congregationis fictitiam chimæram ex animis catholicorum conamur eliminare.

Tene ausum vir docte, ac noli tam confidenter gloriari de victoria nondum parta: copiæ siquidem rationum quas instruxisti, stramineæ sunt, & meræ paleæ, vna scintillula consumentur, vnico flatu dissipabuntur. Pitsij authoritatē tu ipse eleuasti, tanquam indignam cui credatur; Nos eam auctoritatem in re ipsa, quam ipse voluit, veram & grauem putamus: voluit autem monachos S. Benedicti enumerare; quos reformatiores putauit, eos siue habitu, siue reformatione, siue imitatione, siue æmulatione Cluniacēses appellādos iudicauit. Noluit autem de hac controuersia quidpiam dicere an reuera essent incorporati Cluniacensi ecclesiæ; Quinimo apparet, non putasse Cluniacenses à nigris fuisse distinctos, nisi sola disciplinæ bonitate; ignoscendum ergo illi, si in circūstantia parum ad eius argumentum spectante lapsus fuerit. Sed ita ignoscendum, vt nec tibi aduersario nostro auctoritas, quam intestabilem fecisti, patrocinetur; nec nobis, qui eam (vt par est) reuerenter declinamus, officiat. De Ingulpho iam tibi ita plene satisfactum est, vt plura desiderare nullus arbiter ingenuus possit. De Dunstano etiam abunde disputatum est, nunquam fuisse Cluniacensem, vt tu gratis assumis; non fuisse vere & propriè Floriacensem, sed tantum ad aliquot pauculos menses, imo septimanas eius loci hospitem, & deuotum peregrinum. Nec si fuisset Floriacensis, aut, quod tu mauis, Cluniacensis, ideo sequi, posuisse eum per Angliam totam monachos Cluniacenses. Non defuerūt illi sancti monachi probatique ex Anglia, quos Westmonasterio reparato inferret, quod te Ingulphus potuit docuisse, de suis Crowlādensibus & Eueshamensibus loquens, quorum disciplina, (ne quid amplius dicam) nihilo inferior fuit Cluniacensi: quæ monasteria nunquam fuere Cluniacensia, sicut nec Dunstanus ipse: qui longe austeriore sub ferula didicit monachum, quam fuerit Cluniacensis. Quam etsi *vbique gentium dispersam* dicat Malmesberiensis, non tamen omnes gentes impleuisse, ita vt nulli essent monachi probi & pij præter Cluniacenses. De fauore autem S. Edoardi Cluniacensibus monachis præstito ac propenso, vnde illud hauris? vbi legisti? an in tibi tam vsurpata, tam nota Vtopiæ regione? Certe in reipsa nullum extat vestigium huius rei, ne quidem vmbræ somnium. Quinimo constat apud omnes historicos nostros, Godwinum Comitem cum filijs, (quorum potentia erat Regi ipsi formidolosa, ideoque omnia sub illo facere audebant) Regi vnum tantum alienigenam Abbatię Anglicanæ præficere volenti acerrimè restitisse: quid ergo fecissent, si tam propensus fuisset Cluniacensibus, vt tam multa illis quam tu vis, donaret. Audi Malmesberiensem, lib. 2. de gestis Pontific. cap. de Shirburnensibus Episcopis, in Brithwoldo: „Regnabat iam tunc Edoardus (inquit) qui Hermanno Capellano suo natione Flandrensi „continuo Pontificatum donandum putauit. Eius animi magnitudini, vel potius cupiditati „cum non sufficeret rerum angustia, à rege petijt, vt qui se dignatus honore fuisset, non in„honorum victitare permitteret. Antecessores suos (in Episcopatu sc. Shirburnensi) indi„genas fuisse, se alienigenā nullo parentum compendio vitam, quo sustentet, habere. Proin„dè Meldunense cœnobium sibi ad faciendam sedem concederet, Abbatem sibi opportuno „casu proxime obijsse. Id Rex pro simplicitate, cui pronior quā prudentię semper erat, legi„timè concedendum ratus, tertio abhinc die dissoluit. Nam antequam Hermannus in re vel „[illegible]sitione inuisceretur, excellentis prudentiæ monachi, audito quid in curia actū, quid iu„stitiæ surreptum esset, ad Comitem Godwinum eiusque filium (*Haraldum*) summa celeritate „contendunt. Illi rei indignę nouitate permoti, Regem adeunt, & à sententia deducunt; faci„le id fuit viris summis amplissima authoritate præditis, quibus & causę rectitudo, & Regis „facilitas suffragaretur. Ita Hermannus necdum plane initiatus, expulsus est. Vides hic nouitatem, iniustitiam, indignitatem videri, quod monasterium alienigenæ concedatur; Ideoque Regem coactum rescindere, id quod facile nimis concessisset? Puta eos longe grauius permotos fore, si monasteria tam multa Cluniacensibus dedisset: quos omnes nostri historici (Godwinum dico & filios eius) accerrimos Patriæ contra alienigenarum cupiditatem & Dominium propugnatores fuisse commemorant; neq; dubitant pro patriæ charitate fuisse mor-

tuos. Sic enim idem Malmesberiensis audet loqui, (qui ipso tempore Normannorum victorũ vixerat) cum de fundatione Abbatiæ de Bello loquitur: quam Abbatiam à Gulielmo primo, tanto Cluniacensium apud aduersarium patrono fundatam, mirum est ipsum aduersarium Cluniacensibus quoque nõ addixisse. Sed ne faceret, nimis euidens erat Malmesberiensis cõtradictio: totum locum apponemus, quia breuis est, sed clarissimus, lib. 2. de gestis Pontif. cap. de Cridiensibus, Exoniensibus, Cornubiensibus, §. de Monasterijs. Da veniam, lector, si contra aduersarium centies eadem occinentem, nos etiam nonnulla aliquando repetamus. *In eius* (inquit) *Diœcesi sunt duo duntaxat cœnobia è nouo facta: sancti Martini de bello, quod rex Willielmus fundauit & prouexit in loco, vbi Angliam debellauerat: multa ibi & pretiosa cum viuus tum mortuus delegans. Altare ecclesiæ est in loco, vbi Haraldi pro patriæ charitate occisi cadauer exanime inuentum est. Sancti Pancratij de Levves, quod authore Willielmo Comite de Warenna, Lanzo quidam monachus Cluniacensis in supremo religionis locauit cacumine. Efficaciam viri sublimitas pretendit loci, adeo vt veraciter asseratur, nullum omnino monasterium posse illud vincere religione ad Monachos, affabilitate ad hospites, charitate ad omnes. Vincit pompam famæ rerum veritas, licet fatiget audientes referentium verbositas. Certe de Lanzone plura loquerer, nisi alias non contemnenda dixissem* (nempe in vltimo lib. de gestis Regum) *simulque eius meritum omne transcendit eloquiũ.* Integrè omnia Malmesberiensis verba posuimus: primum quidem, vt pateret nos non inuidere Cluniacensium gloriç, sed ex animo fauere: quamuis non ita vt alienis plumis aduersarij imitatione, honeste ornari putemus. Deinde vt quid de Haraldo historici nostri existiment, pateret: quamque de alienigenarum in Angliam introductione ipse viuus haberet opinionem; qui ne in Anglia dominarentur, ab eloquentissimo, & veracissimo historico nostro dicitur *pro charitate patriæ occisus.* Et tandem quia locus euidenter probat, quod hucusque diximus, Cluniacenses ab alijs nigris ordinis S. Benedicti monachis fuisse iudicio Malmesberiensis diuersos. Itaque Abbatiam Belli, non assignat Cluniacensibus: quam tamen à monachis nigris inhabitatam scimus. Sancti Pancratij cœnobium eodem in loco expresè cum summa ordinis laude Cluniacensibus assignat; *& quendam Lanzonem, Cluniacensem,* (nimirum non ita notum omnibus Anglis adhuc ordinem, quia tunc paucos tantum habuere Prioratus) illius magnitudinis & religionis producit amplificatorem. De Belli Abbatia agens, silet Cluniacensium nomen; de S. Pancratio immediate subijciens, eos nominat. Cur magis hic quam ibi, nisi quod istos ab illis nouerat, & modo ipso loquendi insinuare voluerat, esse distinctos? Alioquin certe, *non Lanzonem quendam, Cluniacensem,* sed prout eiusdem communitatis homines plærumque loqui solent, nostrum dixisset Lanzonem, Cluniacensis nostri ordinis, illum insignem nostrum patrem; at dixit *quendam, Cluniacensem,* vt à suo instituto seu ordine diuersum ostenderet. Imo nusquam Malmesberiensis, Walsinghamus, Mathæus Paris Albanensis, Mathæus Westmonasteriensis monachi & historici nostri, nusquam in omnibus suis libris inuenientur vel semel illo genere loquutionis vti, vt de Cluniacensibus loquentes, dicant, ordinis nostri, Congregationis nostræ, communitatis nostræ monachos: quod tamen indubitati Cluniacenses passim vsque ad satietatem de se inculcant, vt videre est in omnibus ipsorum Chronicis, & historijs.

Ad totam illam de Præsidentia capituli generalis deductionem, sæpius antea dictum est, aduersarium imperiet minus arguere. Nam concedit capitula Innocentianæ formæ, ante Benedictinam, non comprehendisse Cluniacenses: idque concedit vt vidimus, ex posterioribus curis (quæ plerumque sunt sapientiores) & re penitius inspecta: at constat ex actis capitularibus, quæ damus in appendice, tunc illis capitulis præesse & subesse solitum Abbatem Westmonasterij; non fuit igitur Cluniacensis.

Et reuera ostendit aduersarius incredibilem in viro docto, & Anglo Anglicarum rerum ignorantiam, qui huius monasterij tam excellentes prærogatiuas Cluniacensibus subijcere non vereatur. Neque enim in fundatione prima facta per Sebertum Regem potuit esse Cluniacensis, quia Cluniacum tunc non erat in rerum natura. Neque in restitutione facta per Edoardum Sanctum quia nondum eo tempore fuerant Cluniacenses in Anglia, vt late demonstrauimus in ipso corpore quęstionis huius; neque vllo in instrumento dotationis a rege illo factæ est mentio vel coniectura Cluniacensium. Neque post illa tempora potest ostendi vllũ authenticum scriptum, quo talis subiectio vel modicum insinuetur. E contra vero semper fuit monasterium ab omni alterius ecclesiæ etiam Episcopalis iurisdictione per Nicolauum Papam exemptum: Abbates sibi semper eligebat conuentus, Regio tantum consensu, & Pontificis confirmatione requisitis, vt constat ex multis locis Mathæi Paris, quæ supra citauimus; semper à concilij Lateranensis temporibus subijciebatur capitulo generali Angliæ, quæ omnia Cluniacensi incorporationi repugnabant. Adde monasterij opulentiam, reditus

reditus annui [illegible] ris ascendisse dicũtur ad 3470. libras sterlingas, veteri more, collectas; quæ summa hac ætate, his moribus in Anglia faceret trecenta quadraginta [illegible] sem, seu Florenorum Belgicorum. Dic sodes aduersarie, [illegible] tam opulentas Abbatias Cluniaco subiecisse? Fuitne vnquam [illegible]? si serio putes Reges nostros id fecisse, nemo Anglus te sanum putabit; sed nimirum aut iocanter hæc dixeras, aut somnianter, aut dissimulanter vt pleraque [illegible] consueuisti. Quid? tu putas, tam cito abijsse è memoria nostrorum Abbatis vltimi Feckenami recordationem, illiusque in vinculis socij Domni Seberti? [illegible] scierunt, se nũquam fuisse alienigenarum iugo subiectos? aut tuum vnius oraculũ ex tripode, æque atque Apollinis esse solebant, homonymum, & amphibologicum, debet ipsorum, qui istos viderunt, audierunt, familiariter tractauerunt, iudicijs præferri? si tantam fidem tibi arrogas, iuberis, quod satis irreuerenter Wioni improperas, Anticyram nauigare, & Elleborum colligere.

Membrum Sextum.

Synopsis.

§. 1. Responsio generalis ad omnia argumenta hactenus allata. §. 2. Euidens locus pro sententia nostra ex historia monasterij Petroburgensis. §. 3. Alter euidens locus ex historia cœnobij Edmundiburgensis. §. 4. Euidentißimum testimonium ex actibus Comitiorum Parlamentarium sub Eduardo tertio Anglorum rege bellicosißimo. §. 5. Locus palmaris ex historia Abbatiæ Albanensis, & Westmonasteriensis. §. 6. Conclusio controuersiæ, totiusque tractatus 2.

HAbuisti responsum speciale ad singulas coniecturas tuas: accipe iam generalem solutionem ad easdem. Omnes Abbatiæ nigrorum monachorum, quæ dignitatem Baronatus habebãt annexam, (viginti sex tales erant, vt superius adnotauimus,) ex statuto, quod vocant Magnam chartam (pro cuius obseruatione tot bella ciuilia Barones, & proceres Angliæ contra reges suos gesserunt, quia continebat illud statutum immunitates & prærogatiuas, ac libertates Ecclesiæ, ac procerum spiritualium & temporalium;) habebant sibi liberam electionem Abbatum, seu prçlatorum suorum, eamque libere potuerãt conuentus earum celebrare, singuli in Ecclesijs suis; sine vllo impedimento, vel obstaculo (petita tantum priùs à Rege licentia) electionem celebrandi, cum prælati sedes vacaret, & electi confirmationem à Pontifice Romanõ postulandi: vt constat ex Mathæo Paris ad annum 1256. pagina 891. vbi producit Innocentij tertij literas bullatas, quibus eandem Magnam chartam approbat atque confirmat, quam nimirum Magnam chartam Ioannes Rex concesserat, & postea Hẽricus tertius eiusdem filius ratam habuerat. Hoc autem repugnare incorporationi Cluniacensium supra docuimus, præterquam quod nemo sapiens iudicabit probabile Reges nostros permisisse vt viginti sex Barones sui Cluniacensi Ecclesiæ in dominio & potestate Regis Galliarum, quem plçrũque hostem habebant perpetuum, forent tributarij, & obedientiarij. Præterea vt probetur jus ad aliquam Abbatiam, vel cœnobium, cuius non habetur actualis possessio, friuolæ prorsus & inanes sunt probationes ex meris desumptæ coniecturis, & testimonijs historicorũ, aut externorum, aut qui rerum monasticorum præsumuntur imperiti, propterea quod alterius omnino professionis existant: legitima duntaxat probatio illa est, quæ fit per testes oculatos omni exceptione maiores, per authentica instrumenta fundationum, bullas indubitabiles Pontificum, à partibus quarum interest, vtrimque admissas, & [illegible] ad hoc requisitis in praxi prouinciarum agnitas; chartasque principales Regum, aut Dominorum temporalium, quorum est in regionibus illarum Abbatiarum potestas & authoritas; aliaque similia diplomata aut scripta illustria, res iudicatas, vel controuersias sopitas in possessorijs causis continentia, ex Archiuis monasteriorum, aut Curiarum Pontificalium, vel Principalium producta. Neque valet hic refugium illud aduersarij, dicentis hoc esse argumentum negatiuum; quia saltem est aliquod maius argumentum, quam meræ coniecturæ, aut testimonia historicorum, quæ in nullo tribunali admittentur pro argumentis aut probationibus legitimis. Et nos quidem talia multa produximus, vnde non sumus vsi argumento negatiuo, sed verè affirmatiuo; aduersarium autem negamus talia firma-

menta suæ causæ protulisse, sine quibus nunquam cuipiam rem actualiter non possidenti (& certe Cluniacenses non possident actu vllum in Anglia cœnobium) adiudicaretur possessoria, protulit tantum imbelles coniecturas ex male intellectis historicorum locis deriuatas, & multis æquiuocationibus suffultas; authoritatesque aliquorum scriptorum, vel externorum, vel qui ignari erant rerum Anglicarum, quos ipsemet fatetur fuisse fabulosissimos, inaccuratos, sine delectu atque iudicio loquutos.

Tandem de industria reseruauimus huic loco aliquot euidentia testimonia: quæ probant nostras in Anglia Abbatias nihil obedientiæ aut subiectionis ipsis Cluniacensibus debuisse. Primum testimonium est ex historia manuscripta Petroburgensis monasterij, qua continetur illius domus fundatio, & Abbatum eius gesta, ad annum vsque 1146. quo ipse eius historiæ autor vixit: estque manuscripta in Bibliotheca Nobilissimi Domini Roberti Cottoni, semper cum honore nominandi. Verba authoris, quia prolixiora sunt, in Appendice lector inueniet num. 64 summa eorum hæc est: Henricum quendam, qui in clericatu fuerat Episcopus Suessionensis, & Regi Anglorum Henrico primo, atque etiam Comiti Aquitaniæ cognatione iunctus, & postea monachus & Prior apud Cluniacum factus, deinceps etiam apud Sylsiniacum; obtinuisse à Comite Aquitaniæ Abbatiam S. Ioannis Angelij, & à rege Henrico Abbatiam Petroburgensem, renitentibus licet Episcopis cunctis, eamque per quinque annos retinuisse, circiter annum Domini 1121. Postea venienti in Angliam Abbati Cluniacensi & per præceptum Regis honorificè in omnibus monasterijs suscepto, promisisse eundem Henricum se monasterium illud acquisiturum subiecturũque Cluniaco: Cum tamẽ postea mare traijciens ad Angeliacensem Abbatiam rediturus, inde fuisset per monachos exclusus, Cluniaci in custodia detentum fuisse, donec firmiter promisisset, se Abbatiam Burgensem Cluniaco subiecturum. Quod quidem tentauit, & penè ad effectum perduxisset, nisi rex tandem intellecta re monachos ab eo iugo liberasset, eiectoque Henrico isto Abbate, Martinum monachum Beccensem de consensu monachorum Burgensium Abbatem eisdem præfecisset. Ex toto huius scripti contextu patet, primo ante Henricum istum, Abbatiam Burgensem non fuisse Cluniaco subiectam: cum tam diligenter vterque Abbas, iste scilicet, & Cluniacensis de eo sibi subijciendo pactum inijssent, nec tamen successisset. Deinde constat ipsum Abbatem Cluniacensem (nimirum Petrum venerabilem, is enim tunc regebat ordinem & ecclesiam illam) ex præcepto regis honorifice per monasteria susceptum, adeoque tanquam hospitem & aduenam, non vero tanquam potestatem habentem. Qui videlicet talis ac tantus vir, non opus haberet regia commendatione, si eum Abbates nostri superiorem suum agnouissent. Præterea obseruandũ authorem scripti nulla cum præfatione honoris facere mentionem ipsius Abbatis: quod sane fecisset, si Generalem & Abbatum Anglicorum Abbatem reputasset, sed potius cum indignatione pactum de suo monasterio inique subiugando ab ipso cum Cluniacensi Henrico Abbate initum denarrare. Tandem & illud notatu dignum est, Episcopos, Barones, & incolas omnes regni Anglici pro monachis stetisse, ne Cluniacensi huic inuasori subderentur: Regemque cognita ipsorum innocentia, & inuasoris fraudulentia, monachis libertatem suam reliquisse intactam. Vnde colligi clarissime potest, nec reliquas Angliæ Abbatias Cluniaco fuisse subiectas, quandoquidem hæc in vna Abbatia nouitas tentata dumtaxat, & non perfecta, tanto conatu Episcoporum & procerum fuerit reiecta. Vbi notabit etiam diligens obseruator, quasi characterem particularem membrorũ Cluniacensium fuisse, vt in ijs constituerentur, Priores, & Secretarij, & Cellerarij, & Camerarij (haud dubio quin alienigeræ, & de ipsa Cluniaca congregatione nõ de monasterio subijciẽdo electi) in quorum manus omnia intus & foris traderentur. Quod mirum non est Anglis displicuisse, apud quos non inualuerat illa beneficiariorum Cluniacensium multitudo sed omnia Abbatis & Prioris regebantur simpliciter imperio. Est & illud ex eadem historia manifestum, Abbatiam Beccensem in Normannia nunquam fuisse iuris Cluniacensis, sed ab eo ordine prorsus immunem: nam Monachi Petroburgenses qui tanta solicitudine, per intercessionem omnium optimatum totius regni, Abbatem Cluniacensis ordinis depulissent ne per eum iugo Cluniacensi subderentur, non elegissent loco illius statim Abbatem de Becensium Monachorum numero, nisi clarè scirent Beccenses nullatenus fuisse Cluniacensi authoritati obnoxios. Vnde sequitur euidens euersio argumẽtorum, quæ aduersarius à Lanfranci, Pauli, aliorumque Beccensium Monachorum in monasterijs Anglicis prælatu, ac magisterio desumpsit.

Alterum testimonium est ex historia manuscripta cœnobij Edmundiburgensis, cuius author est Iocelinus de Bracland eiusdem Abbatiæ monachus, quę etiam in eadem honoratissimi Domini bibliotheca habetur: in ea igitur historia, cap. 68. narrat author ad annum 1200.

quomodo

quomodo Sampson Abbas suus Abbatem Cluniacensem (qui tunc erat Hugo quintus, quondam Abbas Radingensis) exceperit; nec tamen ei locum honoratiorem dederit, quantumuis Abbatiæ tam illustris Prælato, & totius Ordinis Cluniacensis capiti: & de hoc facto Sampsonis dicit: *Videbatur Dominus Abbas decipi quadam specie recti, quia scilicet scriptura dicit,* Honorem meum alteri non dabo: *Abbati Cluniacensi venienti ad nos, & à nobis sicut decuit. suscepto, cedere noluit Abbas noster, nec in capitulo, nec ad processionem factam die Dominico, quin sederet, & staret medius inter Abbatē Cluniacēsem, & Abbatē Certesiēsem. Vnde diuersi diuersa sentiebant, & multi multa loquuti sunt.* Sane locus est apertissimus. In eo factum hoc Abbatis Sampsonis vides ab aliquibus vituperatum, ab authore excusatum. Vituperij causa potest esse, quia Capiti ordinis tanti debuit ex quadam comitate & humilitate religiosa deferri, primique loci honor, vtcumque in alieno monasterio, non suo tanquam hospes diuersaretur. At excusatio (inquit Iocelinus) à specie quadam recti desumitur, ne Abbas in domo sua locum suum alteri daret. Cuius possunt esse non contemnendæ rationes: prima, quia Abbas Edmundiburgensis erat ex proceribus & paribus vt aiunt Angliæ, locum præcipuum in Comitijs Parlamentaribus possidens: at Abbas Cluniacensis subijcebatur Duci Burgundiæ: adeoque minoris in sæculo fuit dignitatis: quandoquidem Rex Angliæ illis temporibus longe potentior Franco Rege extitit, cum haberet nimirum præter Angliam, totam insuper Normanniam, Andegauiam & Aquitaniam; quæ sane duæ præcipuæ sunt Galliarum prouinciæ. Secunda, cœnobium Edmundiburgense magnæ erat in Anglia existimationis propter Sacrum corpus Edmundi Regis ac Martyris, ad quod sæpe Reges nostri peregrinationis religiosæ causa veniebant; reditus eius erant opulentissimi, qui hoc tempore faciunt plusquam ducenta millia florenorum annuatim; quibus forte pares non erant Cluniacensis Abbatiæ prouentus. Tandem, quia noluit Abbas occasionem præbere Cluniacensi, præscribendi aliquam in suo monasterio auctoritatem: ideoque licet reliqua hospitalitatis officia dapsiliter exhiberet; loci tamen primarij pręrogatiuam in suo sibi monasterio reseruandam iudicauit. Hęc *Species recti* est, qua Iocenus dicit Abbatem deceptum. Quod si fuisset reuera subditus Abbati Cluniacensi, nulla ibi species recti potuit apparere: sed aperta fuisset rebellio, damnabilisque contemptus, ob quem merito venisset Abbas ille puniendus potius, quam excusandus. Non est enim discipulus supra magistrum: nec vllus color est aut rectitudinis, aut prudentiæ, subditum Abbati suo, & superiori legitimo locum non dare, sed publicè & in conspectu aliorum præripere. Fuit igitur aliquis forte error Sampsonis in officio vrbanitatis: sed non inobedientiæ piaculum, vnde nec Abbas Cluniacensis inde querelam apud regem deposuit, nec aliquam de iure suo neglecto, vel contempto controuersiam Abbati Sampsoni mouit: quod non solum potuisset verumetiam debuisset; ne per eius lenitatem, siue pusillanimitatem iura Ecclesiæ suę perirent. Sed nimirum nullum ibi ius sibi debitum agnouerat. Atque adeo duos habemus Abbates Cluniacenses personaliter in Angliam venientes, nullam apud Abbates nostros inuenisse, aut vendicasse, subiectionem: quamuis competentem per omnia monasteria receperint hospitalitatis honorem.

Tertium testimonium, quod nullam prorsus ab ipsa fraudulentia, aut subtilitate patitur effugium fieri, desumptum est ex supplicatione quam Anglici Cluniacenses Eduardo eius nominis tertio Anglorum Regi in publico parlamento porrexerunt pro grauaminum remedio contra superiores suos de eadem Cōgregatione per auctoritatem regiam adhibendo, anno Domini 1330. Edoardi regis 4. quam supplicationem exhibet appendix. n. 61 & 81. Legat illam supplicationem lector propitius; legat aduersarius infestus; & minime dubitamus, quin & Lector admiraturus sit nostrā φιλοπονίαν qui tantopere laborauerimus ad illud probandum multis ambagibus, quod hæc supplicatio nulla vtens circuitione, breuissimo demōstrat compendio; & aduersarius suam damnaturus sit pręcipitantiam, qui eam rem susceperit asserendam, quæ clarissimo totius ordinis, pro quo pugnat, & publicorum seu parlamentarium comitiorum totius regni nostri testimonio conuincitur esse falsissima. Aduerte igitur lector benigne: animaduerte tu quoque aduersarie quantumuis irate, an non ex ea supplicatione hæc manifestissime à quouis intelligente terminos (vt aiunt philosophi) colligi possint, & debeant corollaria. Primum, monachos supplicantes, quamuis seruauerint regulam S. Benedicti (sicut & Cistércienses, Romualdini, Celestini, faciunt) licet ipsam pro suis querimonijs citent: non tamen se vocare ordinis S. Benedicti monachos, sed ordinis Cluniacensis; nec de abusibus ordinis S. Benedicti conqueri, sed de Cluniacensis ordinis deformatione. Nam si de ordine S. Benedicti voluissent conqueri, cum essent, & sederent in comitijs viginti quinque illius ordinis Abbates; non postulassent supplicantes, vt vnus saltem Abbas de Cluniacensi ordine sibi ordinaretur, qui ipsorum professiones susciperet, nec conquesti fuissent, id aliquando fuisse ordinatum, à Rege, nondum exequutioni mandatum; nullum

enim se adhuc in Anglia Abbatem habere, qui hoc munus faceret, ideoque insinuant, vt Pancratianus Prior (prout fuerat prius constitutum) in Abbatem ob eum finem erigeretur. Ergo Abbates omnes, quotquot erant in Anglia, etiam Ramsiensis, etiam Radingensis, erant extra corpus & ditionem ordinis Cluniacensis, nihil illi debebant subiectionis, nihil obedientiæ. Secundum, Loqui istos supplicantes de vniuerso ordine Cluniacensi per totum Angliæ regnum vbinis positos, quasi hi abusus, de quibus querelam instituunt, in omnibus domibus Cluniacensium contingerent per totum regnum; quod quamuis, vt patet, potuerit esse verum; tamen de toto ordine S. Benedicti, & omnibus Abbatijs Angliæ non potuit cum vlla probabilitate dici, nec potuit in tanto totius regni concilio, nisi ab hominibus insanis & dementibus proponi; At hos nec insanos, nec stultos fuisse docet, regia responsio; quæ remedium illis æquissimo modo præscribit; qui si insani fuissent, ad Morotrophium potius fuissent relegandi. Est & illud animaduertendum, quamuis totum ordinem Cluniacensem incusent, nominatim tamen solorũ Prioratuũ Montisacuti, & Bermondseiæ mentionem facere, quia erant fundationis & Patrocinij regalis; parlamenta autem instituta fuere, vt subditi à rege remedium grauaminum, quæ Regiam immediatam potestatem postulabant medicamen, expectarent; Ideoque illis duabus domibus prouidet Rex non alijs, vel quia aliorum conuentuum monachi non sunt conquesti (nam si speciatim querelam fecerint, absque dubio speciale etiam leuamen reportarunt;) vel quia rem Patronis singularium domuum ordinandam Parlamentum reliquit. Illud autem (vt diximus) certissimum est, & manifestum, hæc mala, quæ in hac enumerantur supplicatione, nullo modo accommodari posse monasterijs nigrorum ordinis D. Benedicti. Tertium, Dicunt supplicantes vix esse viginti professos Cluniacenses per vniuersam Angliam: quod potest intelligi, duobus modis, vel de natione Anglicana tantum viginti in tota Anglia esse professos; vel omnino tantum viginti Cluniacenses, siue Anglos, siue etiam Francos; Et videntur priore sensu loqui, cum plusquã viginti Prioratus habuerint in Anglia; sed vtrouis modo loquantur, aperte docent, se Cluniacensem ordinem prorsus distinguere ab omnibus Abbatijs Angliæ; Nam saltem vigintiquinque Abbates & Priores Barones Parlamentarij, erant Angli (quoniam eo tempore, quo Rex bellum parabat in Francos, stultum est dicere Francos aliquos Prælatos fuisse ad Concilium regis admissos,) ac proinde non Cluniacenses, quia dicunt se non esse amplius quam viginti professos. Deindè viginti quinque Prælati Barones, sedebant in Parlamento & petitionem tanquam arbitri iudices audiebant, at isti tantum viginti Cluniacenses, supplicabant. Tandem, quia nulla fuit Abbatia Angliæ in qua non ad minimum haberentur viginti professi monachi eiusdem Abbatiæ duntaxat alumni, & in plærisque fuit longe maior numerus, vt in ecclesia Christi Cantuariæ centum viginti, in Glastenburiensi vltra centum choro addicti, & ita in alijs: at isti dicunt in toto ordine Cluniacensi per Angliam non fuisse amplius, quam viginti professos; Nulla ergo Abbatia Angliæ fuit Cluniacensis ordinis, quia nulla erat Abbatia, quæ sola non haberet ad minimum tot professos Anglos sui conuentus solius, quot haberent omnes Cluniacenses Conuentus per Angliam. Quartum, Aiunt illi maximum in toto ordine Cluniacẽsi per Angliam abusum viguisse, nimirum aliquos (Anglos vt par est credere) expectasse per quadraginta annos in habitu, antequam ad professionis beneficium admitterentur; aliquos etiam post tot annorum expectationem, ad professionem non fuisse admissos: At in cœnobijs nigri ordinis per Angliam (vt constat ex statutis [illegible] & ex constitutionibus Ottoboni) non poterat vllius monachi professio vltrà bienniũ differri; Et certum est paucos fuisse in illis cœnobijs, qui non fuerint professi; nempe solos illos qui aut infra vigesimum ætatis annum, aut extra maiores ordines erant constituti. Quintum, Conqueruntur supplicantes, superiores Cluniacensium non solere in Anglia per electionem conuentuum creari; (sed nimirum per nominationem voluntariam, aut Abbatis ipsius Cluniacensis, aut Prioris de Charitate, aut Prioris S. Pancratij, aut Prioris S. Martini de Campis, quia ad hos tantum immediate spectabat prioratuum Anglicorum illius ordinis prouisio:) atqui non solum Abbates monachorum nigrorum fiebant in Anglia per conuentuum suorum electionem liberam, verum etiam aliqui Episcopi, qui in Abbatijs Cathedralibus sedem habebant, ex eorumdem conuentuum suorum electione creabantur; Et quamuis sæpe Reges & Pontifices ex absoluta potestatis exortis prærogatiua has electiones cassabant; tamen longe crebrius admittebant, vt passim in omnibus patet historijs rerum Anglicarum. Sextum, Queruntur Cluniacenses conuentus & domos non consueuisse visitari ab vllo nationis Anglicanæ Prælato, vel deputato (quia nimirum per solos Francos ab Abbate Cluniacensi, vel à Prioribus maioribus destinatos duntaxat visitabantur:) At omnes Abbatiæ, & Prioratus ordinis nigrorum per Angliam, visitabantur valde accurate, à visitatoribus Anglis

glis per Capitulum Generale deputatis; omnes etiam præter quinque Abbatias exemptas, frequenter ab Episcopis Diœcesanis, qui plærumque semper erant Angli, visitari solebant. Septimum, Aiunt inter Cluniacenses Angliæ, consueuisse superiores Francorũ necessitatibus abunde prouidere, Anglorum non item; Francis, si quo iter esset faciendum, non deesse vecturas & viaticum; Anglis vtrumque denegari. Quod certe non potest accommodari Abbatijs nigrorum per Angliam; non enim vllatenus pertulissent; & qui tam exactè, tam paternè in statutis monachorum suorum subueniunt necessitatibus, aliquam huius abusus seuerissimã repræhensionem posuissent; sicut reperiuntur de quibusdam alijs fecisse. Octauum, Nullus superiorum Cluniacensium per Angliam, ne quidem ipse Prior S. Pancratij (vt supplicatio clarè innuit) poterat nouitiorum monachorum professiones excipere, sed mare transmittebant, professuri in manibus ipsius Abbatis Cluniacensis; ideoque aiunt supplicantes fuisse aliquando ordinatum (sed non cum effectu, vt apparet) vt Prior S. Pancratij fieret Abbas, vt nouitios ad professionem posset admittere. At nemo dubitat quin Abbates Angliæ suos singuli nouitios ad beneficium professionis temporibus per leges suas ordinatis promouerẽt; Nec vlli nouitij eorum mare transfretabant, vt domi suæ profiterentur. Nonum, Causæ & querelæ Cluniacensium per Angliam non poterant vltimatè terminari per superiores quos in ipsa Anglia habebant: Sed necessario debebant in grauioribus controuersijs Cluniacum cum magno maris terręque periculo pergere. At causæ monachorum nigrorum per Angliam in Capitulo Prouinciali per Præsides vltimatè terminabantur; quorum iudicio siquis stare nollet peruersus, aut dyscolus monachus; non certe Cluniacum, non potest hoc vllo ostendi testimonio; sed Romam nauigabant. Decimum, Asserunt solos Francos fuisse Prioratuum Cluniacensium superiores; At nulli Abbates Angliæ fuerunt Galli, ex quo tempore Reges permiserunt eos Capitula Generalia ad ordinis & disciplinæ conseruationem celebrare. Vndecimum, In domibus Cluniacensium, queruntur supplicantes, plures fuisse Francos, quam Anglos: At quis hoc credat accidere potuisse, non dicimus in omnibus, aut in multis, sed vel in vna aliqua Abbatia Angliæ, tempore petitionis istius, quando iam Capitula diligentissimè ab Abbatibus nostris celebrabantur? Duodecimum, Accusant superiores domuum Cluniacensium, quod bona terræ, hoc est ingentes diuitias exportarent in Galliam: at quomodo hoc vel ausi fuissent Abbates nostri facere, qui ne quidem contributiones à Pontifice impositas audebant soluere, nisi Rege expresse concedente? imo quem in finem homines Angli, qui in Galliam nunquã proficisci meditabantur diuitias in Gallias exportarent? Quam incredibile etiam est, reges Angliæ si tale quid de suis Abbatibus, præsertim bellorum temporibus comperissent, non grauissimè in eosdem Abbates animaduertisse? Nam Cluniacẽses, omnesque alienigenas propterea exoriente bellica discordia statim fisco suo adiudicabant: At Abbatias Angliæ simili de causa nunquam. Quam immensum enim thesaurũ exportarẽt in Galliam, si Abbates nostri id consueuissent facere: quod Cluniacenses superiores suos isti supplicantes consueuisse dicunt? Legatur Breullius in antiquitatibus Parisiensibus, initio fere operis, & inuenietur, hospitium quod vocant, seu palatium Cluniacense redemptum & reparatum fuisse peculio relicto, ab vno duntaxat Priore S. Pancratij defuncto. Iam nulla fere fuit totius Angliæ Abbatia nigri ordinis, quæ non fuerit redituum splendore æqualis Prioratui S. Pancratij; plæræque erant longe superiores, aliquæ, vt Augustinensis, Edmundiburgensis, Westmonasteriensis, Glastoniensis, Albanensis, etiam triplo, vel quadruplo ditiores; Qualia igitur peculia isti tam multi, tam magni Abbates reliquissent Cluniacensi Abbati? quibus (fidenter loquimur) potuisset sibi Cluniacensis omnia Parisiensis vrbis palatia intrà vnius sæculi curriculum redemisse. Sed reuera, non est illi saluum sinciput (vt verbis Comici vtamur) qui vnquam sibi in animum induci patiatur, Abbates nostros, aut voluisse, aut potuisse suarum Abbatiarum siue administrationum fructus in Gallias exportare. Atque hæc sufficit ex illa supplicatione collegisse, consequentijs ipsi lumini naturali notis: plura quidem possent deduci ad ea quæ superius à nobis sparsim disputata sunt confirmanda; Sed cui ista non sufficiunt, is nec solis lumen in meridie lucere existimabit.

Quid autem opus est tantopere laborare vt probemus magnificas illas ecclesias Cathedrales & Abbatiales ordinis nostri per vniuersam Angliam, non fuisse subiectas Cluniacensibus: cum apertissime demonstrare possimus, omnes domos ipsas, quæ verè olim fuerãt Cluniacensis iurisdictionis, per centum & amplius annos ante Regis Henrici Schisma inchoatum ab obedientia Cluniacensis Abbatis atque ordinis fuisse separatas; & multas ex illis etiam ordinis nigrorum conuentibus a Regum nostrorum arbitrio fuisse donatas? vtrumque probatur euidentissime ex scriptura. 74. quæ est in appendice, agitque de ingressu trium monachorum Cluniacensium in regnum Anglię causa videndi dominum Regem, petendiq; restitu-

restitutionem iurium & honorum quæ olim illis per Angliam debebantur. Ex qua historia notanda sunt primò illa Procuratorum Cluniacensium verba ad Commissarios regios: nempe, venisse se ad Regem, *ad petendum possessionem & confirmationem bonorum illorum omnium, quæ progenitores Regis Cluniacensibus contulerant, & per tempus non paucum iam dudum à manibus ipsorum detenta distractaque erant; & ad impetrandum plenam licentiam & liberam, ad ingrediendum singula loca religiosa à suo monasterio dependentia, & quæ per nobiles progenitores Regis posita fuerunt sub regimine & gubernatione Cluniacensi.* Fatentur igitur, omnia bona, quæcumque habuerant sub iurisdictione sua in Anglia, eo tempore fuisse ab eis ablata, & detenta, atque distracta; nec ipsis permissum fuisse liberè ad earum possessionem, & fruitionem redire, Hoc autem accidit sub Rege Henrico sexto, anno 36. regni eius; 79. totos annos ante schisma Henrici 8. quod inchoatum est, 25. anno regni eius, Christi vero 1534. Præterea fatentur hanc sibi calamitatem, non iam tum primum sibi allatam fuisse, *Sed per tempus non paucum iamdudum*; nempe ab anno 3. Regis Henrici quinti, Christi vero 1415. quo anno iam sæuiente bello inter Anglos & Gallos, omnia alienigenarum bona fisco regio sunt adiudicata: vnde alia fuere penitus suppressa, aliqua monasterijs Anglicanis ordinis nigrorum (vt statim ostendemus) attributa, reliqua ab omni Gallicanæ nationis, ac proinde Cluniacensis ordinis extrà Angliam, iurisdictione absoluta. Adde igitur hos quadraginta quatuor annos elapsos à tertio Henrici quinti patris ad 36. Henrici sexti filij (quem in cunis Pater coronauerat Parisijs Regem Francorum) superiori summæ 79. annorum, & exibit spatium centum & quindecim annorum, per quod penitus in Anglia cessauit omnis auctoritas Abbatis & superiorum Cluniacensium extra Angliam. Secundo notet lector ex eadem historia verba sequentia: *Postquam per quatuor menses cum dimidio fuimus in itinere, & in prosequutione iurium nostrorum apud serenissimum dominum regem, & illius sacrum concilium, omnino nihil impetrauimus: imo remittimur valde tristes, nostris manerijs priuati, pensionibus alienatis; imo quod peius est, omnium nostrorum conuentuum (qui sint numero triginta octo) obedientia sumus priuati: nec valuerunt nobis legitima documenta, neque vestrarum Cronicarum testimonia.* Verba in rem nostram euidentissima, & quę aduersari⁹ nō sine rubore & stupore debet pōderare. Etenim dicunt Procuratores Cluniacenses, ordinem suum priuatum omnibus iuris, siue possessionibus ordinis per Angliam; quę erant triplicia, habebant enim maneria, siue grangias aut villas quasdam, in quibus nullus erat conuentus monachorum quales erant Ledcumb, & Offord Cluny quæ ad mensam Abbatis Cluniacensis spectabant, vt & aliæ forsitan villæ ad alios Prioratus vltra-marinos pertinebant; habebant etiam à singulis Prioratibus conuentualibus annuam pensionem, quam superius diximus, *apportatum* fuisse nuncupatum; habebant tandem Prioratus conuentuales, aliquos valde celebres, in quibus quadraginta, sexaginta, octoginta-monachi viuerent: alios minores, in quibus duo, quatuor, decem, aut tali exiguo numero Deo seruiebant. His omnibus dicunt se non solum per multum tempus iam elapsū sese caruisse: verum etiam iam finali sententia Regis & Concilij sui omnino fuisse priuatos. Et quod tandem notatu est dignissimum, in his verbis habemus certum definitūque numerum omnium conuentuum Cluniacensium per totam Angliam, nempe triginta & octo domos conuentuales illorum iurisdictioni fuisse subiectas. Earum domuum viginti quatuor in catalogo appendicis, pag. 68. enumerauimus, quibus si addantur, Prioratus Barnstable, S. Iacobi prope Darbyam, S. Iacobi propè Exoniam siue Excester, Dudleyæ, Hokesleyæ, Grenevici, fient triginta; octo alios nondum inueni, sed ex hoc numero incerto manifestissimum euadit, nullum insigne cœnobium, nullum prioratum cathedralem, nullum deníque membrum capituli generalis Anglici in censum & album Cluniacensium venisse: Ecce enim, vt more aduersarij argumentemur; hoc forma syllogistica probatum. Nulla domus de triginta & octo Cluniacensibus enumeratis, fuit membrum capituli Generalis ordinis S. Benedicti in Anglia: sed omnes domus conuentuales Cluniacensium, per Angliam, fuere duntaxat triginta & octo enumeratæ: Ergo, nulla domus Cluniacensium, fuit membrum capituli generalis prædicti: & per conuersionem legitimam; nullum membrum capituli generalis, fuit de congregatione Cluniacensi. Maior constat ex comparatione catalogorum; præsertim catalogi capitularium Prælatorum, è quibus fuere quadraginta Abbates, nouem Priores cathedrales, duodecim Priores Abbates proprios non habentes. Minorem agnoscunt Procuratores iam producti Cluniacensium, qui ad iurium suorum recuperationem in Angliam venere. Quamuis autem non enumerauerimus octo supra triginta; cum tamen omnes quos enumerauerimus sint in catalogo Cluniacensis bibliothecæ: & incredibile sit, autores illius catalogi omisisse Prioratus aut domos aliquot insignes, qui etiā trium aut duorum monachorum Prioratus non omiserunt: euidens est eas octo, quarum nomina

non

non inuenimus, fuisse minorum gentium domos forsitan grãgias, aut villas, quales Ledcombiam, & Offord Cluny fuisse ex catalogo Bibliothecæ prædictæ constat.

Tandem ex hac eadem historia apparet, quam longè a scopo meræ ueritatis aberrauerint Pitsius, Possevinus, & Wion, eosque sine iudicio sequutus Aduersarius (potest enim de illo sine conuitio dici, quod ipse de eis dicere non erubuit) qui Ioannem Frumentarium, seu Wheathamsted, Abbatem S. Albani & huius historiæ autorem, existimarunt esse Cluniacensem: cum ex isto scripto pateat, ipsi ne habitum quidem Cluniacensium fuisse cognitum; ideoque (vt Procuratores Cluniacensium loquũtur) *desiderauisse ipsum copias habitus Cluniacensis, quem portabant*: quod nunquam desiderauisset vir talis, omnium, qui de eo scribunt, testimonio, doctrina & religione celebris, si domi habitum illum monachi sui gestassent.

Quod vero secundo loco diximus, & in hac historia insinuatur, nempe multas Cluniacensium domos, alijs nigrorum monachorum Abbatijs fuisse Regum nostrorum auctoritate applicata, iam latius ostendamus. In volumine veteri *Intrationum*, Iurisconsultis Angliæ nostræ satis cognito, in quo multa prudentum responsa, casusque iudicati registrantur (liceat nobis de iure testimonium proferentibus, iuris nostri vocabulis vti,) hæc habentur plenam „illi dicto nostro fidem facientia. Dicit, quod quidam, E. nuper Abbas de L. fuit seisitus de „Prioratu Warram in comitatu prædicto (*Dorsatensi*) qui tunc fuit cella de L. prædicto cũ „omnibus &c. vsque ad vndecimum annum regni Domini Eduardi nuper regis Angliæ „tertij post conquestum progenitoris Domini regis nunc (*regnantis*) quod ipse nuper rex „occasione guerræ inter ipsum & tunc aduersarium suum Franciæ motæ, omnes & singulos „prioratus alienigenarum, & eorum possessiones infra regnum Angliæ existentes, in manus „suas seisiuit: inter quos prioratus alienigenas prædictus prioratus de Warrham, eo quod „prioratus alienigena tunc existebat, vna cum annuo reditu prædicto, ac omnibus & sin„gulis possessionibus, commoditatibus, & proficuis eidem prioratui, in eodem regno Angliç „pertinentibus in manus ipsius Eduardi nuper regis seisitus fuit, habẽdus sibi & hæredibus „suis Regibus Angliæ durante guerra prædicta. Quo prætextu idem prioratus de Warram, „vna cum prædicto reditu annuo eidem prioratui pertinente, in manibus prędicti E. nuper „Regis Angliæ, & postea in manibus diuersorum nuper regum Angliæ remansit, vsque ad „parliamentum eiusdem nuper regis Henrici quinti, tentum apud Leicester anno regni sui „secundo: quo per assensum Dominorum spiritualium & temporalium ac communitatis „regni sui Angliæ in eodem parliamento existentium, ad petitionem eiusdem communi„tatis, certis de causis in eadem petitione contentis, auctoritate eiusdem parlamenti ordi„natum fuit, quod omnes possessiones omnium Prioratuum alienigenarum in Anglia, re„manerent & morarentur in manibus ipsius H. nuper regis Angliæ quinti, & eidem Hen„rico & hęredibus suis in perpetuum ad intentionem vt diuina seruitia in prædictis locis „possent plus debitè fieri per gentes Anglicanas tempore ex tunc futuro, quam antea facta „fuerunt in locis illis per Gallicos. &c. Patet igitur ex hoc casu anno secundo regis Henrici quinti omnes Prioratus alienigenas fuisse regio fisco adiudicatos; quod etiam ex ipsius statuti verbis potuit probari, sed ea nihil amplius dicunt, quam quod iam in casu relato affertur: nisi quod Prioratus conuentuales non fuerint virtute huius statuti in fisci possessionẽ redacti; ab eo tamen tempore, vt ex historia præmemorata constat, etiam omnes Prioratus conuentuales alienigenæ separati sunt ab omni obedientia, ac iure ecclesiarum transmarinarum. Bona autem & possessiones Prioratuum, non ita cesserunt fisco, vt in temporales vsus impenderentur, sed à bellicoso illo deuotissimoque Rege Henrico 5. & filio æquè pio Henrico sexto, fuere in pios vsus expensa: multa quidem in erectionem insignium conuentuum Carthusianorum de Sheen prope Richemondiam Surreyæ, & Brigidanarum de Sion, ad alteram ripam Thamesis oppositam Carthusianis, propè Branford; multa etiam alijs domibus religiosis concessa, quemadmodum fuere, Prioratus de Pembrochia Humfredo Glocestriæ duce postulante, datus Abbatiæ S. Albani; Cowik, & Modburia cella S. Petri super Dinam in Normannia, concessa Abbatiæ de Tauestoke, Derhurst in comitatu Glocestriæ, cella S. Dionysij prope Lutetiam, data Abbatiæ Teukesberiensi: Et Ledcomba, atque Offord Cluny, insignes grangiæ Cluniacensium, ablatæ ab illis, & donatæ Westmonasterio; quod ne fingere videamur, ecce ipso donationis instrumento probatum: Rex (*Henricus 6.*) &c. „Sciatis quod nos intime desiderantes pro anima recolendæ memoriæ metuendissimi ac ex„cellentissimi Principis D. Henrici quinti nuper regis Angliæ Patris nostri salubriter pro„uidere, ac eius vltimam voluntatem in exitu eiusdem ad effectum perducere, vt eius animã, „& animas prædecessorum nostrorum, simulque omnium fidelium defunctorum dignetur „Omnipotens in sempiterna requie cum sanctis omnibus fœliciter collocare: dedimus &

concessimus

„concessimus Deo, & ecclesiæ B. Petri Westmonasteriensis, in cuius ecclesia corpus eiusdem
„regis Patris nostri inter sepulturas regum ac subtus reliquias plurimorum sanctorum iacet
„humatum; ac Edmundo Abbati, necnon Priori & conuentui eiusdem, maneria nostra
„de Ledcõb Regis in comitatu Berkshir, & Offord Cluny in comitatu Huntington, tenẽda
„sibi & successoribus suis in perpetuũ, sub conditionibus subscriptis &c. & post multarum
missarum, & eleemosynarum obligationes subdit: Volumus etiam quod die anniuersarij
„dicti Patris nostri, singuli monachi eiusdẽ ecclesiæ priuatam missam celebrent, & alij mo-
„nachi in minoribus ordinibus constituti psalterium totum, & fratres conuersi eiusdem loci
„Dominicas orationes & Symbolum cum Salutatione B. Mariæ virginis iuxta numerum per
„eosdẽ Abbatem & Priorem & conuentum eis ad hoc assignandũ, dicant pro ipsius anima,
„& animabus omniũ fidelium defunctorum; Et volumus & concedimus, quod his omnibus
„plene & fideliter peractis residuum prouenies de exitubus maneriorum prædictorum &c.
„præfato Priori & conuentui remaneant ad pietancias suas inde prouidendas & faciendas.
„His testibus, venerabilibus patribus, charissimo auunculo meo Henrico Cardinali Angliæ
„Episcopo Wintoniẽsi, Ioanne Cardinali Eboracensi, & Ioanne Cantuariæ Cancellario no-
„stro Archiepiscopis, Thoma Bathoniensi & Wellensi, & Ioãne Roffensi Episcopis, Charissi-
„mis consanguineis nostris, Humfredo Duce Bucquingam, Edmundo Marchione Dorset, ac
„Ricardo Sarũ, & Ioanne Salopiæ Comitibus, dilectis & fidelibus nostris Waltero Hunger-
„ford, & Radulpho Battiler Thesaurario nostro militibus, dilecto clerico nostro Magistro
„Adamo Moleyns custode priuati sigilli nostri, dilectis & fidelibus nostris Ioanne Fortescua
„Capituli Iusticiario nostro ad placita coram nobis tenenda, Ricardo Neutõ Capituli Iusti-
„ciario nostro de banco militibus, Ioãne Ferry Capituli barone Scaccarij nostri, & alijs. &c.

Tam multis testibus corroborare voluit pius rex hanc suam donationem, quia permagni momenti res fuit, cum illa maneria nunc adhuc annuatim reddant vltra decem millia florenorum. Ita ergo probatum est quod assumpsimus. Quamuis autem Prioratus conuentuales Cluniacensium separati fuerint tot per annos ab obedientia & participatione seu incorporatione ordinis sui extra Angliam: non tamen desierunt plerique nomen & disciplinam Cluniacensem retinere, vsque ad Generalem religiosarum domuũ sub Henrico rege octauo suppressionem. Seruantur enim ad hunc vsque diem in Archiuis regiorum tribunalium ipsa instrumenta, quibus ille rex ecclesiarum euersor maximus, singulos prælatos, conuentusque religiosos coegit per speciales syngraphas ecclesias possessionesque suas in manus regias resignare: subscribuntque singuli adiecto titulo ordinis sui, sicut antea notauimus. V. G. Abbas Tenkesberiæ ordinis S. Benedicti; Abbas de Waltham ordinis Canonicorum nigrorum S. Augustini; Prior S. Pancratij ordinis Cluniacensis; atque ita de Præmonstratensibus, alijsque ordinibus.

Sole ergo meridiano clariùs elucet ex his testimonijs, totaque hac controuersia, Abbatias & Prioratus cathedrales, aliosque conuentus Nigrorum monachorum Angliæ, nullo modo obnoxios fuisse iurisdictioni aut subiectioni Cluniacensium: Vnde nemo non videt à quo debeat in hac lite pronunciari sententia: & ô noster aduersarie, nemo etiam non videt quam longe à semita veritatis in tota hac disputatione calamus tuus exorbitauerit. Censemus igitur ex honore tuo esse, aut libellum tantis erroribus scaturientem meliori veriorique scripto reuocare, aut perpetuo silentio damnare. Nam argumenta tua quibus tam insolenter gloriabaris vidisti arundinum putridarum in morem dissiluisse; & ingentes bombos quos tua illa tormenta edere videbantur in terrorem, propius inspectis machinis tuis in risum euasisse & contemptum, tanquam infantium crepundia, aut inania puerorum terriculamenta ad validissimas turres oppugnandas adduxisses. Quare portentosæ illæ conclusiones, quas velut impacto desuper prælo, ex male intellectis testimonijs, & leuiter fundatis coniecturis violenter expressisti, apparent meræ nugæ, & teretismata, & cerebri in vtopia nimium peregrinantis somnia. Nullam protulisti ratiunculam, nullam coniecturam, quæ non multis vitijs laborauerit, quæ non varijs modis solutionem euidentem acceperit: imo quæ non secum suam confutationem, eamque multiplicem adduxerit. Vt quod Augustinus de hæreticorum erroribus, hoc de tuis fallacijs & paralogismis dicere possimus: tanto fortiùs conuinci, quanto plures exitus patuerint ad eorum laqueos euitandos. Atque ita priorem controuersiam absoluimus: ex quo nostro labore minimè dubitamus, quin verum præiudicium facturus sit prudens lector de posteriori controuersia, quam iam, Deo affulgente, aggrediamur.

DIS-

DISCEPTATIONIS HISTORICÆ

DE ANTIQVITATE BENEDICTINORVM IN REGNIS ANGLIÆ

TRACTATVS TERTIVS.

In quo demonstratur congregationem Angliæ ordinis S. Benedicti, fuisse legitimis modis nuper à sede Apostolica instauratam.



HActenus ostendimus euidentibus argumentis, & legitimis instrumentis, ordinem nigrorum S. Benedicti fidem Christianam inter Anglos primum propagasse; & eundem per successiones & incrementa temporum, Apostolicis Romanæ sedis iussibus obtemperantem, vnionem Abbatiarum & conuentuum ad regularem disciplinam tuendam erexisse, quam hodiernus vsus Congregationem nuncupat: eamque ab omni externa iurisdictione (Romanæ ecclesiæ ius semper excipimus) independentem fuisse clarissimis euicimus documentis. Restat nunc probandum contra libellatorem aduersarium, id quod tertio loco proposuimus, huius nimirum Congregationis instaurationem à summis Pontificibus nuper factam, validam fuisse atque legitimam. Sicut igitur præcedentem controuersiam methodo tractauimus scholastica, vt facilius nuda & syncera veritas ab aduersarij nebulosis calumnijs liberaretur: ita & hanc eodem disputationis filo deducemus; Examinemus igitur eiusdem aduersarij fallacias, & discutiamus cum ipso. alteram partem controuersiæ, quam ipse nobis, siue vllo alio fundamento suscitauit, quam dyscoli ingenij vindictęque cupidi affectus cacoëthe: & quæramus,

Vtrum Breue Apostolicum pro instauratione Congregationis Angliæ Benedictinorum nigrorum obtentum, reuera fuerit surreptitium, aut ob defectum aliquem substantialem iuris vel facti, reipsa inualidum & nullum.

AMbabus enim machinis istis aduersarius oppugnat Breue, seu diploma, quod à sanctissimo Domino nostro Paulo Papa quinto, fælicis recordationis obtinuimus: vertatque brachia, intendit neruos, omnes denique vires ingenij sui conuocat, omnia eloquétiæ suæ flumina effundit, vt alterum duorum probet, aut in obtentione intercessisse surreptionem ex falsis narratiuis, & necessariarum conditionum reticentia ortam; aut errorem aliquem in promulgatione substantialem, & rem totam ipso facto annihilantem.

tem. Quorum vtrumuis, aut vtrumque si accidisset, non tamē debuit tanto strepitu verborū, tanto conuitiorum tonitruo exagitari: quando (vt iam manifestum fecimus) neque ex surreptione, neque ex errore illo sequi potuisset vllum cuipiam communitati aut personæ præiudicium, neque vllus omnino Pontificiæ aut Principalis auctoritatis contemptus vel neglectus. Sed si probauerimus euidenter, neque surreptionem vllam, neque errorem aliquem iuris aut facti interuenisse: tunc vero benignus lector iudicabit illa fulmina & tonitrua vituperiorum potius in caput aduersarij, quam in nos intorqueri debere: adeoque de ipso esse veraciter exponenda, quæcumque in nos immerentes tam impotenter iaculatur opprobria à capite septimo infamis libelli sui ad vltimam vsque illius lineam. Hoc vero vt conficiamus more nostro irrefragabilibus demonstrationibus, non chimæricis & febriculosis coniecturis, prout aduersarij mos est disputare: Primo quædam fundamenta præstruemus veritati intelligendæ necessaria; Deinde assertiones aliquas statuemus aduersarij opinationi directè oppositas; & tandem obiectiones, siue firmamenta, quibus ille causam nostram feruentissime impugnat, veraciter referemus, & efficaciter refutabimus.

SECTIO PRIMA.

Factum nostrum in Breui Apostolico obtinendo & promulgando: vnde status quæstionis elucescit.

Synopsis totius sectionis.

§. 1. R*atio ordinis.* §. 2. *Decretum de nouem definitoribus.* §. 3. *Et eiusdem exequutio.* §. 4. *Locus definitorij, Parisiis.* §. 5. *In eo stabilitur vnio, seu Congregatio.* §. 6. *A Generalibus Hispanicis approbatur.* §. 7. *Oppositio quorumdam, qua non obstante Breue Apostolicum obtinetur.* §. 8. *Et à Generali Hispanico acceptatur.* §. 9 *Exequutioni inter nos demandatur.* §. 10. *Modus exequutionis Congregationi Hispanicæ placuit;* §. 11. *Et fratribus in Anglia laborantibus.* §. 12. *Status controuersiæ.*

Ratio ordinis. QVoniam autem omnis recta disputandi methodus, à definitione, aut saltem descriptione aliqua rei, de qua contrauertitur, sumere debet exordiū: aut certe à narratione facti, de cuius iustitia vel iniquitate disceptatur; (etenim syncera & clara rei gestæ narratio, est optima eiusdem definitio;) ideo vt melius eluceat status quæstionis, factum ipsum nostrum, breuisque Pontificij obtenti atque promulgati historiam, ex scripturis actisque authenticis, & publica fide consignatis, quarum originalia conseruamus, exemplaria autem in appendice lectori inspicienda exhibebimus, fideliter breuiterque describemus. Ex qua discriptione nude proposita, arbitramur fore sine vlteriori litigio manifestum, quantus sit hic calumniandi artifex, cum quo litigandi necessitas nobis est imposita.

Decretū de nouē Diffinitoribus. Superius in statu primæ controuersiæ declarando, totam facti nostri seriem eò deduximus, vt decretum summi Pontificis produxerimus, per quod non obstante summa Procuratoris Hispanici, Romæ agentis diligentia, & instantissima vigilantia, ordinatum tamen fuit, vt nouem definitores de toto gremio missionis Benedictinæ eligerentur, qui ad locū & tempus ab Illustrissimo Nuntio Apostolico Galliarum præfiniendum conuenirent: deque vnione aliqua, quæ aut omnibus placeret, aut certe minus plęrisque displiceret, auctoritate Apostolica maturius deliberarent; Hoc suæ sanctitatis decretum per illustrissimū Nuntium Galliarum, Cardinalem Vbaldinum, nobis est insinuatum; quo accepto, & ad singulos extra, atque intra Angliam monachos transmisso, post aliquod tempus mediocre præterlapsum, succedente in prædicti Cardinalis Vbaldini locum in Nunciatura Galliarum Illustrissimo, nobisque semper cum laude & amore nominando Rhodiensi Archiepiscopo Guidone, nunc etiam Cardinale Bentivoglio, ad ipsum missa sunt ex Anglia, alijsque residentijs omnium monachorum Congregationis Hispanicæ & Anglicanæ suffragia, exceptis ad summum quinque vel sex, qui aut noluerunt suffragia sua mittere, aut si miserunt, aliqua ex negligentia vel incuria, tabellariorum (vt in tanta distantia sæpe fieri solet & in tanta monachorum multitu-

multitudine factum fuisse in tam paucis mirum fuit) ad manus Illustrissimi D. Nuntij non peruenerũt. Non debet lector mirari, si dicamus, in hac suffragatione magnam fuisse animorum inter nos omnes sollicitudinem: cum sciremus in tanto numero nõ defuisse, qui omnem omnino auersarẽtur vnionem, qui si fuissent electi in definitores, omnino definiuissent, nullam vnionem faciendam, atque ita sanctissimi Domini intentionem tot modis insinuatam frustrauissent. Non defuisse etiam aliquos, qui suas sequuti rationes, suoque deferentes seu deuotionis, siue mortificationis studio, si in definitores nominati fuissent, tales fortasse conditiones ac leges vnionis vrsissent, ad quas suscipiendas maxima pars missionis adduci nunquam potuisset. Erat etiam verendum, ne, quia monachi Congregationis Anglicanæ, quibuscum vnio fuit ineunda longe minori numero fuere quam Hispanici, aliqui tales potuissent in definitores euadere, qui eos forsitan nimium deprimere, atque adeo etiam ab vnione suscipienda deterrere studuissent. Omnia hæc debuerunt à suffragatoribus singulis in Dei timore considerari, nempe vt in tales sua conijcere statuerent suffragia, qui ex amore obseruantię leges pias, & animabus profuturas conderent; ex obedientia & reuerentia erga sedem Apostolicam, ita rem agerent, vt conuentus ab ea indictus non redderetur frustraneus; ex discretionis & experientiæ dictamine sic aliorum moderarentur feruorem, vt in obseruantia stabilienda rationabile introducerent obsequium, & non supra plurimorum vires aut voluntates arduum; qui tandem ex dilectionis & pacis intuitu non contemnerent eorum paucitatem, quibuscum debebat vnio fieri, quorum diligentia, industria, & infatigabili studio, ex iustis considerationibus (vt par est credere) profecto, res est ad definitorij necessitatem perducta. Quæ omnia sunt à nobis ideo hic exposita, vt sciat benignus lector, nec potuisse, nec debuisse aliter facere monachos missionis, quam superiores suos, antiquioresque fratres consulere, quid in tam ancipiti negotio, vnde communis omnium pax & honor penderet, ab ipsis esset agendum; nec decuisse prædictos superiores, & seniores fratres aliter facere, quam præmemoratis fratrum suorum consultationibus secundum rectæ timoratæque conscientiæ dictamen respondere. An autem ex eorum responsis ea colligi à quoquam cordato proboque viro potuerit, aut debuerit, quæ aduersarius noster prælo suæ dialecticæ exprimere nisus est, postea dicemus: quia hoc est vnum ex præcipuis ad τὸ κρινόμενον causæ nostræ spectantibus.

Cæterum Illustrissimus Dominus Rhodiensis acceptis omnium (vt diximus) suffragijs (paucissimis tantum deficientibus) atque inter se collatis, secundum quod à Sanctissimo fuerat decretum, & ab Illustrissimo Cardinali Vbaldino præscriptum, eos declarauit definitores, qui plura reliquis suffragia habuere: quorum nomina sunt, in ipso Archiepiscopi Rhodiensis mandato descripta, eo ordine, quo in suffragiorum numero sese mutuo excesserunt, nimirum F. Leander de S. Martino Congregationis Hispanicæ Vicarius Generalis, D. Robertus Vincentius Sadlerus Anglicanę Congregationis Præses, Fr. Gabriel de S. Maria Prior Maclouiensis, Fr. Robertus Haddoquius Hispanicæ Congregationis in Anglia superior, Fr. Rudisindus Barlo Prior collegij S. Gregorij Duaci, D. Edoardus Maihew Dolowartensis monasterij Prior, F. Benedictus Ionesius Assistens Vicarij Hispanicæ missionis in Anglia, Fr. Thomas Torquatus Lathom professor philosophiæ Duaci, D. Sigebertus Bagshaw Anglicæ Congregationis Monachus. Qui omnes, an pro antiquitate habitus, ætatis maturitate, rerum experientia, controuersiarum anteactarum cognitione, vitæ (quantum ad homines saltem attinet) merito, obseruantiæ, pacisque mutuę, & reuerentiæ erga sedem Apostolicam intuitu fuerint non indigni eo munere, ad quod electi fuere, suo etiam loco cum aduersario conferemus, hęc est enim alia τοῦ κρινομένου nostri appendix pręcipua. Eiusdẽ decreti executio.

His præfixit Illustrissimus locum conuentus habendi, residentiam nostram Parisiensem, quę tunc habebatur in vico S. Iacobi Parisijs in suburbio S. Germani, in hospitio, seu domo vulgo S. Andreæ vocata. Tempus vero conuentionis assignauit primum diem mensis Iunij, anni 1617. Et ad eum diem, vel circiter Deo ducente (quamuis difficillimum tunc fuerat ex Anglia vocatos egredi) omnes nouem præmemorati Patres Parisios venerunt, Illustrissimo Nuntio se præsentes reuerenter exhibuerũt: Definitorium suum in domo præscripto per aliquot dies habuerunt, ipsomet Nuntio, pro amore & cura missionis nostræ, quibus insigniter erga nos suam probauit semper pietatẽ, eos aliquoties inuisente, ac vt Sãctitatis suę expectationi per fœlicem concordiam satisfaceremus, grauissimis, benignissimisque sermonibus cohortante.

Fauente autem diuina (vt pie confidimus) gratia, vnionem stabiliuerunt, erecta per vnanimem consensum Congregatione Anglicana, in quam omnes tam Hispanicæ missionis, quam Anglicanæ prius instauratæ Congregationis monachi coalescerent; vt corpus sic coalescens

lescens continuaret antiquam Congregationem Angliæ, qualiscumque tandem illa fuisset, & si opus esset, Congregationem Angliæ ex omnibus prædictis conflatam de nouo erigeret & constitueret; Dependeret autem à Generali Reuerendissimo Hispanicæ Congregationis (à qua multò maximã monachorum partem acciperet) in aliquibus, & maxime in eo, quod ipse Reuerendissimus esset sicut Hispanicæ, ita & Anglicanæ huius Congregationis Generalis; & sub eo Congregatio ipsa sic vnita, instaurata, aut de nouo erecta, eo (quo in breui Apostolico desuper obtento declaratur) modo regeretur.

Quam accepta viris bonis.

Gratissimum fuit omnibus amicis nostris tunc in regia Parisiorum vrbe commorantibus, alijsque in locis acroama, factam fuisse inter Benedictinos Anglos tam diu expectatam vnionem: sed præsertim Illustrissimo Patrono nostro Archiepiscopo Rhodiẽsi Apocrisiario Apostolico: qui accepta à Definitoribus instrumenta actorum in Definitorio exultanti animo collodauit, Romamque misit, & postea ipse ibidem pręsens sua auctoritate plurimum ornauit. Definitores, atque ipse etiam Illustrissimus Nuntius rem totam Reuerendissimo Generali Congregationis Hispanicæ perscripserunt, accurate singula enumerantes, in quibus Definitorium laborasset, & eius, ac sanctæ Congregationis consensum ac confirmationem actorum prout decuit, postularunt.

A Generalibus Hispaniæ approbat.

Quibus acceptis, & cum definitoribus Patribusque Cõgregationis Hispanicæ matura deliberatione discussis, amplissimam omniũ in Definitorio gestorum approbationem & confirmationem, Reuerendissimus Generalis noster M. F. Antonius de Castro ad nos transmisit, datam 27. mensis Octobris, eiusdem anni 1617. Scripsitque vna ad Procuratorem Congregationis Hispanicæ Romę commorantem, quem honoris & amoris causa nominamus, P. Placidum de Roias, virum nobilitate generis, & pietate religionis, præstantiaque eruditionis spectabilem, vt eandem vnionem, actaque definitorij, qua posset diligentia & authoritate in curia Pontificis summi promoueret. Fuit autem inter cætera à definitoribus decretum, vt vnus ex ipsorum gremio, P. Sigebertus Bagshaw, qui diu causam hanc magno cum zelo & innocentia Romæ tractauerat, adeoque Cardinalibus Reuerendissimis notus fuerat, iterum ad vrbem proficisceretur cum actis & legibus in definitorio conditis atque conclusis, eorumque approbationem per Breue Apostolicum quam celeriter fieri posset, procuraret; Interea omnia eodem in statu manerent, quo ante ipsum definitorium fuerunt: statim vero atque Breue suæ sanctitatis obtentum foret, debere Præsidem ac definitores (in ipso definitorio vnà cum prouincialibus Angliæ pro prima vice duntaxat electos) conuenientes in vnum, aut certe per epistolam conferentes, Breue Pontificium, & leges Congregationis promulgare, suffragia conuentuum colligere, & iuxta eorum pluralitatem, secundum statutum ea de re factum eorumdem conuentuum Priores nominare.

Oppositio fratrũ Casinensiũ & Gallicanorum.

Egit partes suas P. Sigebertus cum ea fide, integritate & diligentia, quas ab eo semper expectabant patres missionis: sed tamen quia Patres Casinenses non omnino probabant hanc Congregationis formulam, neque eam acceptare voluerant: idcirco Romæ ipsorum nomine nonnulla sunt obiecta, quæ expeditionem negotij diutius retardabant: sed multo magis retardabant oppositiones factæ à nonnullis fratribus in Gallia commorantibus, qui per Legatum Christianissimi Regis Galliarum in vrbe tunc agentem (cui insinuauerant, quædam in actis nostris contineri, quæ cum legibus statuque regni Gallicani non consentiebant) potentissime successum rerum nostrarum impediebant. Ita de his obiectis & oppositionibus per integrum fere biennium Romę fuerat nobis disputandum: & cum illis etiam, qui in Definitorium ipsum consenserant, sed acta Definitorij omnia non probauerant, (prorsus immerito & sine iusto rationum pondere, vt putamus) colluctandum: Sed duce Deo; & causæ ipsius manifesta bonitate seipsam vel inuita inuidia proferente, eluctati sumus omnia illa retinacula & obstacula; expediuitque summus Pontifex Breue confirmatorium, de quo nunc est cum aduersario controuersia. Quod antequam obtinuissemus, vt intelligat lector, quanta cum violentia oppositionum impugnabatur hæc concordię tractatus, excitarunt aduersarij etiam ipsum Reuerendissimi Abbatis, ac Patroni nostri Vedastini Agentem in rebus, vt Breue illud Romæ impugnaret, tanquam Abbatijs vltramarinis quæ in Anglia olim possessiones habuerant, præiudiciale: quod cum ipse Reuerendissimus Abbas resciuisset, statim ipsum ab ea oppositione iussit desistere; sed quia iam proposita fuerat ab illo querela, satisfactum est ei, alijsque omnibus, qui simile quid forsitan cum aduersario hoc nostro possent obijcere, per vltimam breuis Apostolici clausulam, qua cauetur nihil per Breuis illius concessionem in aliarum Congregationum præiudicium posse deriuari.

A Generali Hispanico acceptum.

Breui Apostolico, vt pręfertur, obtento, antequam ipsum promulgaremus consulendum putauimus Reuerendissimum Generalẽ nostrum, & Congregationẽ ipsam Hispaniæ, vt cum illius

illius fieret licentia & benedictione, cui, si non omnia maxima debere nos fateremur, omnium hominum essemus ingratissimi. Ipse vero Generalis re cum prudentissimis grauissimisque Congregationis Hispanicæ Definitoribus diligenter examinata: amplissimam nobis licentiam potestatemque concessit, Breue Apostolicum acceptandi, nosque ipsos omnes, quotquot de Congregatione Hispanica professi fueramus, secundum Breuis Apostolici tenorem in Congregationem Anglicanam ab Hispanica dependentem incorporandi. Exemplar huius facultatis habes in appendice: script. 26. de data 4. Aprilis, anni 1619.

Veniendum ergo fuit ad exequutionem rei, quę tam diu, in tam varijs tractatibus nostrum exercuerat infirmitatem: quare considerantes sedem Apostolicam, vt consuleret paci & tranquillitati religiosorum (qui si ad sua rescripta exequutioni mandanda sæcularibus vti deberent ministris, in multas proculdubio molestias, difficultatesque deuoluerentur) concessisse eisdem potestatem de suo corpore religiosos diligentes & peritos in Notarios Apostolicos constituendi, ad scripta Apostolica ordinem suum concernentia, vbicumque opus foret, promulganda: de gremio Missionis nostræ & Congregationis Hispanicæ Notarios elegimus, qui Breue Apostolicum, cæteraque scripta ad erectionem Congregationis spectantia, tam in Anglia, quam extra Angliam exequerentur, & publicarent, quod primo factum est Duaci in domo S. Gregorij, & Dolowarti in domo S. Laurentij: postea successiuè Parisijs, Maclouij, Callis, & in ipsa tandem Anglia, etiam illis promulgationem Breuis Apostolici laudantibus, & quantum in ipsis fuerat promouentibus, qui nunc videntur improbare. Quod vt certius constet, non esse a nobis fictum ad causæ defensionem, ecce tibi lector, clausulam epistolæ R. Patris Francisci de Dei-custodia, qui cum paucis obstitit, & adhuc obstare nititur ipsi Congregationi cuius tamen erectioni vehementissime adlaborauerat, vt antea demonstrauimus. Sic igitur ad Vicarium Missionis „scripsit Callis 4 Decembris, anni 1619. Admodum Reuerende Pater, Literæ vestræ, quas „vna cum mandato (promulgandi vnionem & breue Apostolicum) quas ad me attulit R. „P. Bernardus, longe antiquiores erant, quàm vt tam tardè traderentur: alias miratus certe „fuissem, nihil literarum mearum ad vos peruenisse, cum iamdudum abhinc tres septima„nas scripserim. Idem P. Bernardus Paternitati vestræ satisfaciet, quantum ad promul„gationem factam, quam ego sane iampridem desideraui, cum alios ad eam acceptan„dam disposuerim. Quantum ad me ipsum, sicut omnibus præsente P. Bernardo signifi„caui, nisi in pręsentiarum aliter implicatus essem, primus omnium subscripsissem: quod „nihilominus posse me facere dixi posthac minore cum difficultate, & maiore cum sa„tisfactione, quàm nunc potuerim. Velle me interim quacumque in re potuero ipsis in„seruire, quicumque se vnioni submisissent &c. Hæc ille; qui vbi in pleno Capitulo conuentus, cui eatenus præsederat, permisisset P. Bernardo commissionem vnionis promulgandæ exequi, hortatusque alios fuisset ad eam suscipiendam, quia certas ob causas noluerat ipse suscipere, præfecturam conuentus, prout in literis exequutorijs mandatum fuerat, pacificè resignauit. Ergo (vti dicere occœpimus) per aliquot septimanas diligenter laboratum fuit, vt vnionis Breue, legesque susciperentur tam in Anglia, quam in residentijs extrà Angliam; cuius promulgationis susceptionisque formulas aliquas in Appendice posuimus: Et promulgatione facta, ex omnibus residentijs conuentualibus vnà cum subscriptionibus (omnes autem, exceptis tribus duntaxat, in his partibus extra Angliam commorantes subscripserant) miserunt ad Præsidem & Definitores Duaci Congregatos (iuxta decretum in Definitorio Parisiensi factum) suffragia pro electione Priorum conuentualium; atque ita diuina opitulante gratia Congregatio Anglicana cœpit in hoc vnito corpore subsistere, iuxta quod summus Pontifex in Breui instaurationis indulserat.

Sed quia nihil nobis fuit antiquius quā sanctæ Congregationi Hispanicæ matri ac magistræ pientissimæ maximæ partis nostrum Reuerendissimisque Generalibus, Prælatis, & Definitoribus illius nostram probare & obedientiam & gratitudinem: omnia, quęcumque in hac promulgatione & susceptione Breuis Apostolici, legumque & superiorum Congregationis huius Anglicanæ gesta fuerant ipsis in Capitulo Generali Vallisoleti, sub anno 1621. mense Maio simul congregatis synceriter & copiose insinuauimus: vnde factum est, vt ijdem Reuerendissimi & Venerabiles Patres ac Domini nostri, semper à nobis cum honoris & amoris præfatione nominandi, atque etiam cogitandi; ex eodem Capitulo Generali suo amplissimum omnium à nobis vt diximus, gestorum confirmationem destinarunt, scriptam 24. Maij, anni supradicti, vna cum confirmatione Præsidis à nobis nominati, quas scripturas in Appendice lector inueniet, numero 31. & 32.

Vt autem dilectissimi Fratres nostri, qui procul in Anglia in messe dominica Deo magno

Execationi inter nos demandatum.

Executionis modus ab Hispanica Cógregatione confirmatus.

In ipsa Anglia

promulgata Congregationis erectio.

Patrifamilias cum sudore laborabant, satisfaceremus: nec aliquid illis inuitis imponeremus, aut violenter auctoritate superiorum nobis concessa ad illos fatigandos abuteremur, quorum laboribus pro Christo exantlatis exultare, & meritis participare semper cupimus: formulam subscriptionis, iuxta leges ipsas Congregationis nostræ conceptam ipsis præscripsimus, quam putamus nemini videri posse difficilem; & vna amplissime declarauimus, quam longe abesset à nobis ea cogitatio (quam aduersarius nobis affingit) eosdem fratres nostros optime meritos vllo iure priuare, vt & omnia illis nobismetipsis æqualia seruauerimus, etiam ipsos supremos Congregationis magistratus, ad quos in capitulo nominauimus nonnullos, qui ipsi Cõgregationi nostræ nõ sunt incorporati, sed tantum iuxta leges eiusdem, & Generalis R. ac Capituli Hispanici ordinationes; (quamdiu extra Hispaniam in missione fuerint) sic subiecti vt non tantum subesse, verum etiam præesse in eadem nostra Congregatione possint, ac debeant, si voluerint; Quarum rerum testes scripturas ipsas authenticas ad eosdem missas in fine Appendicis collocauimus, numero 34. & 35.

Ita breuiter & summatim, integra fide & sinceritate historiam facti nostri in breui Apostolico obtinendo, promulgando, & suscipiendo narrauimus: Ex qua ipsa quiuis arbiter rerum modestus & prudens perspiciet, quid ad quæstionem propositam debeat respondere. Sed quia cum aduersario negotium nobis est, qui nodum in scirpo quærit, & angulum in circulo: posita hac rerum gestarum veraci historia, tanquam rei de qua agendum est, definitione ac descriptione (qualem patiuntur res indiuiduæ, & particulares, quas non alio modo quam ex cumulo accidentium, quarum collectio nunquam in diuersis potest esse eadem, describi posse docent philosophi) ad disputationem aduersarij dilucide refutandam accedamus. Et primo quidem ἀποδεικτικῶς probando legitime esse factum, quod ipse asserit surreptium & inconsistens; Deinde ἐλεγκτικῶς ipsius paralogismos & sophismata accurate, & dilucide dissoluendo.

SECTIO SECVNDA.

Fundamenta nostræ causæ probandæ necessaria.

Synopsis.

§. 1. *Fundamentum primum, quæ sit Priuilegiorum Apostolicorum natura.* §. 2. *Fundamentum secundum: Distinctio priuilegiorum à rescriptis litigiosæ materiæ, seu beneficialibus.* §. 3. *Fundamentum tertium. Quæ notitia aut probatio priuilegij sufficiat inferioribus obligandis.*

HIc iam lectoris patientiam nobis accommodari postulamus, vt quia magna pars futuræ disputationis in apicibus iuris versabitur, non expectet à nobis vt dicamus ea, quæ sunt ad causam necessaria, elegantioribus verbis, quam sint à Canonici iuris interpretibus exposita: ne dum latinitatem sectamur, vim ipsam rationum necessariarum aut eneruemus, aut certe non ita clarè, sicut oportebat, exhibeamus. Qua præfata venia, iaciamus aliquot fundamenta ex sapientum sententijs desumpta, quibus assertiones nostræ firmiter innitantur.

Natura priuilegiorum Apostolicorũ.

Primum sit de natura Priuilegij Apostolici à Pontifice Romano concessi, quod proculdubio, sicut & cætera principum priuilegia, recte definire poterimus, priuatam legem aliquid speciale à communis legis dispositione quadamtenus diuersum concedens. Concedi autem solet à Pontifice tribus modis, aliquando in forma bullæ, nonnunquam in forma breuis, interdum etiam solius viuæ vocis oraculo: & tamen quocunque ex his modis concedatur, eundem semper habere valorem censebitur, dummodo eodem modo loquatur. Verba igitur quibus priuilegium concipitur sunt attente perpendenda, vt valor & vigor ipsius intelligatur. Nam si in forma communi concipiatur ad instantiam ipsius cui priuilegium datur, debet exponi secundum quod eius petitio postulat, & non aliter: sin autem dicatur conceptum ex *motu proprio* ipsius Principis nempe pontificis, & nullo modo ad alterius cuiuspiam preces vel instantiam, magis adhuc sonat in fauorem priuilegiati, & pro ipso exponi potest & debet, & plures in eius commodum effectus operabitur; vt communis habet Canonistarum opinio, speciatim Rebuffi, tit. *forma mandati.* verbo, *motu proprio*; & Staphyli, *de gratijs, & expectat.*

expectat. §. subsequente num. 17. & Antonij Gabrielis lib. 6. communium opinion. titulo *de clausulis* concl. 2. Hi enim tres effectus præ alijs valde notandos recensent huiusmodi priuilegij: quorum vnus est, quod priuilegium ad instantiam priuilegiati concessum, non est tam voluntarium Principi, quam sit id quod ab eodem *proprio motu* emanat: hoc enim secundum magis ab intrinseco & ex propria concedentis liberalitate procedit, ideoque cæteris paribus, priuilegium *motu proprio* concessum censetur maius beneficium: vnde clausula illa, *motu proprio* amphat priuilegium extenditque quantum patitur verborũ proprietas; quod non habet priuilegium ea carens clausula. Vbi enim gratia ad instantiam postulantis conceditur, præsumitur importunitas ipsius minuere voluntarium Principis, atque ita magis extortã fuisse concessioné, quam liberè ab eo, gratioseque fluxisse. Sic iurisconsulti cõmuniter, quos latè referunt Antonius Gabriel. suprà num. 61. & 72. Rebuffus in 4. effectu. Staphylus num. 29. Alius effectus est; priuilegium *motu proprio* datum nunquam retorqueri contrà eum cui conceditur, sicut nonnunquam solet retorqueri priuilegium ad instantiam petentis duntaxat concessum; vt notat Rebuffus supra §. 27. & Antonius Gabriel. num. 66. qui hanc ponit regulam, quod stante *motu proprio* non habeat locum titulus, quod quisque iuris in alterum statuerit, vt ipse eodem iure vtatur. Quod significauit etiam Bartholus l. 1. ff. *de constant. Princip.* num. 2. Tertius effectus ponitur, quod priuilegium per surreptionem impetratum ad solam petentis instantiam, non valeat, vt communis tenet opinio: valeat autem si *proprio motu* concedatur, & nullo modo fiat alicuius petitionis in hunc finẽ exhibitæ mẽtio. Sic docent Panormitanus cap. *ad aures, de Rescrip.* num 5. & cap. *Dilecti, de præbendis* n. 9. Felinus in cap. *Cæterum, de Rescript.* num. 9. & in cap. *ad aures* n. 9. & sequentibus. Rebuffus, Staphylus, & Antonius Gabriel vbi supra citati. Qua ratione fit vt nullus inferior ipso Papa possit de tali priuilegio cognoscere, sed ad ipsum Pontificem solum eius examen & iudicium spectet, adeo vt qui quicquam ad euersionem eiusmodi priuilegij attentauerit, non petita prius à Pontifice licentia agendi contra ea quæ in tali continentur priuilegio, non sit ea in re audiendus, vt omnes interpretantur supra legem 1. §. *sed neque*, C. *de veteri iure enucleando*: vbi Imperator dicit: *quibus authoritatem no impertimur, ea omnia nostra facimus*; quæ proinde ab aliorum iurisdictione subducuntur.

Secundum fundamentũ sit: Priuilegium non esse confundendum cũ rescripto beneficiali, sunt enim valde diuersa, vt constat ex Extrauag. *Iniuncti, de Elect.* Et Azorio tom. 1. Institutionum lib. 5. c. 2. q. 5. Duo autem sunt præcipuè quantum ad nostrum attinet institutũ, in quibus differunt: Primum, quod gratia, per rescriptum beneficiale concessa, vti non possimus ante impetratas literas, vt in Extrauaganti prædicta habetur: at in priuilegijs aliter se res habet, quia in illis nõ sunt necessariæ scripturæ, vt patet ex cap. cit. Institution. q. 25. Vbi id notat glossa. Et ex Clementina, *Dudum, de sepulch.* ibi: *gratias aut priuilegia verbo vel scripto concessa*; & ibi glossa & Doctores. Item extrauag. *Etsi Dominici* vlt. de pænitentia & remissione, ibi; *tam verbo, quam scripto, confectis exinde literis, vel non.* Atque ex hoc sequitur secundum in quo differunt; nempe aliam requiri promulgationem rescripti beneficialis, aliam vero priuilegij: Modus promulgandi rescriptum beneficiale habetur apud aduersarium, à pagina 250. vsque ad pag. 260. vbi operose describit ad longum quæ suo aduocato suggessit circa promulgationem rescripti beneficialis, à quo tamen beneficio post tantam diligentiam videtur exclusus. De modo autem ad promulgationem priuilegij necessario, dicemus ea quæ habet M. Suarez in opere docto de legibus lib. 8. cap. 23. n. 7. Vbi loquens de priuilegio quatenus est priuata lex, docet. In huiusmodi priuilegio non requiri propriam promulgationem ad quamcumque obligationem, quę respectu aliorum ex illo potest oriri. Probat primo ex vsu, quia non solent talia priuilegia solemniter promulgari: & nihilominus censentur obligare quantum possunt, si sufficienter probentur & notificentur. Secundo declarat ex rei ipsius natura nam hæc obligatio dupliciter potest intelligi, aut quod oriatur per naturalem resultantiam & consequutionem, sicut ex prescriptione sequitur obligatio non priuandi alterum re legitimè præscripta; aut deinde quod oriatur directè ratione præcepti impositi in ipso priuilegio ab authore illius, sicut in bullis Pontificijs, quæ in fauoré religionum, vel aliorum expediuntur fieri solet. Ad priorem igitur modum obligationis nõ est necessaria promulgatio priuilegij, sed sufficit notitia moraliter certa de iure alteri concesso per priuilegium: quia statim ex naturali ratione iustitiæ oritur obligatio, facta in materia tali mutatione; sicut facta donatione alicuius rei alteri datæ, statim resultat naturalis obligatio non priuandi donatarium iure in rem talem acquisito; neque oportet donationem promulgari, sed satis est, vt sit nota; nam concessio priuilegij, est quędam quasi donatio Principis. Atque adeo hoc non tantum in foro conscientiæ procedit, verum etiam in foro

Distinguũtur a rescriptis beneficialibus.

exteriori, si in illo priuilegium sufficienter probetur, quod onus priuilegiario incumbit. Et ita videmus in iure Canonico inxta huiusmodi priuilegia passim proferri sententiam, nec in illis requiri promulgationem sed probationem. Neque etiam ad secundum obligationis modum necessaria est solennis promulgatio, sed sufficiens præcepti intimatio per authentica instrumenta, vel æquiualentem probationem, vt etiam docet consuetudo. Ratio est, quia tale præceptum non imponitur ecclesiæ, aut alicui communitati per se propter publicum bonum vel gubernationem; sed ponitur vt particulare præceptum alijs datum in fauorem priuilegiarij ad effectum duntaxat & obseruantiam priuilegij; atque ideo non est ei necessaria solennis promulgatio, sed particularis notificatio accommodata fini talis præcepti. Confirmari potest hoc, quia in tali indulto, priuilegium ipsum est principale, præceptum autem quasi accessorium, ideoque sequitur naturam principalis, ac proinde vt lex priuata reputatur, ad quam solennis promulgatio non requiritur. Denique ob eãdem causam cura notificandi priuilegium non spectat ad principem, sicut spectare solet cura solennis promulgationis quando est necessaria; sed ad ipsum spectat priuilegiarium, qui poterit priuilegium suum intimare aut notum facere, prout sibi vtile fuerit; atque hoc tam in foro conscientiæ quam etiam in foro exteriori locum habet: quia eadem est vtriusque ratio, supposita sufficienti probatione. Vnde si tale præceptum priuilegio insertum habeat annexam excommunicationem, ipso facto illam in conscientia incurrit, qui contumax fuerit contra tale præceptum, sufficienter intimatum: in iudicio exteriori talis venier declarandus, si eius contumacia post sufficienté notitiã priuilegij, & præcepti in ea positi sub tali censura, legitimè probetur.

Quæ probatio priuilegij sufficiat inferioribus obligãdis.

Sit Fundamentum tertium, Ex eodem Suarezio, quæ notitia vel probatio requiratur in his priuatis legibus, seu priuilegijs, vt inferiores prælati, aut iudices, aut aliæ personæ, ad quas pertinere possint, teneantur illis parere, & non contrauenire. Nam in foro conscientiæ sufficit notitia priuilegij moraliter certa, de qua scilicet probabiliter & prudenter dubitari non possit: tunc enim quæsito aliquo falso colore tergiuersari, & voluntati superioris resistere, non potest in conscientia esse licitum. Ad hanc autem notitiam non sufficit assertio dicentis se priuilegium habere, etiamsi sit bonæ famæ persona & fide digna, vt communiter notant Canonistæ cum Innocentio in cap. *Ex parte, de verborum Signific.* Et ratio est, quia nemo est in propria causa testis omni exceptione maior; & quia Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum lucis; & multa committuntur sub dolosa specie sanctitatis: atque ideo non solum tenetur quis credere dicenti se habere priuilegium ad effectum admittendi vsum eius: verum etiam nec recte faciet facile credens (regulariter loquendo) propter pericula & fraudes, quę possunt interuenire. Poterit tamen aliquando ex vrbanitate, quando non occurrit peculiaris causa suspicionis; non verò ex obligatione. Ad hanc ergo notitiam necessaria est vel ostensio priuilegij, vel alia probatio, quæ prudenti arbitrio, & bona fide procedendo, sufficiens existimetur in conscientia. Multo vero magis in foro exteriori necessaria est ostensio indulti per instrumentum authenticum, vel in se demonstratum, vel saltem per testes probatum, iuxta dicta & tradita communiter à doctoribus, vt à Syluestro verb. *Exemptio* q. 5. & 7. ex cap. *Cum personæ, de priuilegijs* in 6. vbi glossa & doctores. Panormitanus in cap. *Cum ordinem, de rescrip.* Innocentius, Antonius, Henricus & alij in dict. cap. *Ex parte.* Qui addunt limitationem, dicentes, hoc esse necessarium, quando priuilegium non est publicè notorium: vnde insinuant, publicam notitiam esse sufficientem probationem, vt tunc ostensio priuilegij postulari non debeat, nec iuste possit. Quod intelligendum videtur; quando publica notitia non tantum est per famam (quæ per se non facit sufficientem probationem; sed ad summum semiplenam) verum etiam per vsum priuilegij communem & notum. Tunc enim ipse vsus confirmat priuilegium, & confirmat ius: vnde si tantus sit, vt notoriam præscriptionem legitime induxerit, illius probatio vel publica notitia sufficiet; si vero nondum sit consummata præscriptio, vel non sit notoria; sufficiet ille vsus vt non priuetur quis possessione & vsu sui priuilegij intra sufficiens tempus ad tollendum illud, vt latius Siluester supra q. 6. allegans & alios plures, prosequitur. Hactenus doctrinam communem Theologorum & Canonistarum deduximus, idque potius verbis R. P. Francisci Suarez, quàm nostris: Tum quia voluimus vt appareret omnibus, non esse hæc fundamenta voluntarie à nobis ad causæ nostrę fulcimentum conficta: sed ab omnibus sapientibus approbata, antequam nostræ controuersiæ contigerunt; Tum quia insignis viri autoritas qui in scholis maximi nominis est ob multiplicia scripta, plena secura & modesta eruditione à nobis sententiam ferentis reprimet magis audaciam aduersarij. Tum denique quia quæ ab illo dicta sunt optimis clarissimisque verbis, non poterant nostro stylo melius clariusue dici, ideoque ipsum pro nobis non solum libenter, sed etiam quodammodo glorianter introduximus.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Pronuntiata veridica nostræ sententiæ, temerarijs aduersary assertionibus opposita.

Synopsis.

§. 1. *Breue Pontificium à nobis obtentum, veré est priuilegium ecclesiasticum.* §. 2. *Aduersarij censura falsa est, & temeraria.* §. 2. *Breue ipsum in rigore iuris validum.*

Iam ergo fundamentis istis solidis, & stabiliter collocatis, inexpugnabilem atque inconcussum superædificemus veritatem, quam tribus pronunciatis comprahendemus.

Primum est, *Breue Pontificium de quo est quæstio, vere & proprie participat rationem & naturam Priuilegij ecclesiastici.* Hęc veritas facillime probatur ex positis fundamentis, etenim enim priuilegium definiatur lex priuata aliquid speciale præter ius commune legelque publicas indulgens: nostrum hoc Breue, priuilegij rationē necessariò induet, cum sit lex à Pontifice emanans in causa priuata aliquid speciale præter ius omnibus commune concedens. Et quidem præter quam quod huiusmodi breuia siue indulta ex communi opinione doctorum dicantur esse priuilegia, scribentium in cap. *Abbate, de verborum signif.* & in cap. *In his, de priuilegijs*: probemus hoc de nostro breui peculiari manuductione. Duo enim in eo continentur præter ius commune, vnio scilicet duarum Congregationum, & multorum conuentuum seu communitatum sub regimine distincto ab eo quod per Concilium Lateranense, & bullam Benedictinam & Concilium Tridentinum ordinis nostri hominibus pręscribebatur: & exemptio eorundem, qui sic vniuntur, virtute huius Breuis, ab Episcoporum & Ordinariorum iurisdictione. Non est ergo dubium, quin aliquid speciale præter ius commune nobis concedat hoc Breue, ac proinde habeat reuera rationem priuilegij. Breue Apostolicum, est verè priuilegium ecclesiasticū.

De illis duobus, quod contineantur in Breui, frustrà esset multis verbis demonstrare, cum ex ipsa eius lectura manifestum cuiuis esse possit. Nam Concilium Lateranense & Tridentinum, & Constitutio Benedicti duodecimi, præscripserunt monachis ordinis nostri formam Aristocratici regiminis, de qua satis multa in priore controuersia differuimus; Cæterum monachis vigore huius Apostolici Breuis in Congregatione Angliæ vnitis concessum est, vt retentis gratijs & priuilegijs ac facultatibus antiquę Congregationis Aristocraticæ possint nihilominus sub forma regiminis monarchici gubernari; Præterea; vnio vel diuisio diuersarum prouinciarum Romano Pontifici reseruata est, vt docet Emanuel Rodriguez tomo 1. quæst. regular. q. 23. ar. 7. Et tamen virtute huius indulti nostri, personæ regulares, pro quarum vnione concessum est, quæ ad diuersas omnino spectabant prouincias, nempe Hispaniæ, atque Anglię, nunc ad vnam eandemque prouinciam Angliæ contrahuntur. Rursus, cautum est speciali decreto Pauli quinti Papæ sanctissimi, quod habetur in appendice, vt monachi vniti leges ordinationesque pro regimine & disciplina suæ Congregationis conceptas, quāprimum ad vrbem transmitterent, nec antea exequutioni mandarent, quam fuissent à sede Apostolica approbatæ; quod & ab illis est diligenter obseruatum. Necessaria proinde fuit illis lex priuata aliquid speciale præter ius iam antea statutum, ipsis concedens, vt ita legitime in hanc Congregationem vniti conuenirent; At hoc nobis concessit Breue Apostolicum, de quo agimus: quod propterea veram priuilegij naturam habet.

Ex qua etiam consideratione animaduertat religiosi lectoris pietas quam temerè & perniciose aduersarius suadeat suis confratribus, pag. 284 301 vt vnionem aliā verè chimæricam, quia valde heterogeneis ex partibus omnino inter se incompossibilibus conflatam inire vellent inconsulto penitus summo pastore, qui non solum est communis Christianorum Pontifex, sed specialis regularium exemptorum ordinarius, quique particulari decreto contrarium statuit, quod aduersarius non potest dicere sibi non fuisse ostensum, cum & diu in manibus habuerit, & vt apparet, expressè non solum contemnat, verum etiam impugnet. Sed nimirum

rum passim in libello suo similia spargit inobedientiæ semina; vnde magna messis oriretur dyscolorum, si ipsius consilijs malesanis acquiescerent.

Alterum, quod nobis in Breui concessum esse diximus, est exemptio ab Episcoporū & ordinariorum iurisdictione, cum virtute istius indulti communicata nobis sint omnia priuilegia quæ Congregationi Benedictinorum Hispanicæ matri ac educatrici & protectrici nostrę fuere hactenus concessa, inter quæ & multa valde specialia sunt, & peculiariter amplissima hæc exemptio, quam tamen antiqua Congregatio Angliæ, in quatuor aut quinque duntaxat habuit monasterijs, cum reliqua omnia Episcopis diœcesanis simul & Capitulo suo Generali essent subiecta. Quod vero aduersarius creberrimè arguit, non esse hanc nobis concessam exemptionem, quia in Breui ipso habeatur clausula insigniter limitans priuilegia cōcessa, *dummodo sacris Canonibus non aduersentur*: Concilium autem Chalcedonense vetuerit monachos ab Episcoporum iurisdictione subtrahi: Quamuis hanc obiectionem inuidiose satis in multis locis inculcet, vrgeatque subiectionem monachorum Episcopis, potius quàm immediatis superioribus (homo forte Episcoporum benignitate contra superiorum suorum imperia abusurus, si occasio incideret;) tamē quam nihil habeat soliditatis, sufficiet ex verbis P. Hieronymi à Sorbo, vulgo dicti Capuchini ostendere, qui in annotationibus ad compendium priuilegiorum, verbo *Priuilegia Fratrum*, hæc scribit: Est etiam aduertendum quod per illā clausulam apponi nunc solitam in confirmatione priuilegiorum, *dummodo sint in vsu, & sacris Canonibus & decretis Concilij Tridentini non aduersentur*, non est intelligendum (vt quidā male opinari videntur) de sacris canonibus summorum Pontificum in decretis & decretalibus contentis: sed de sacris Canonibus & decretis Concilij Tridentini; cum clarè pateat Conciliū ipsum & Canonibus & decretis constare. Et illud operatur illa copula (&) coniungēdo Canones decretis; adeo vt male sentire mihi videantur, qui aiunt, sub illa particula (Canonibus) intelligi decreta & decretalia summorū Pontificum; & sub illa alia (decretis) ea quæ sunt in eodem Cōcilio Tridentino; & quod proinde nulla aut paucissima remanerent mendicantibus priuilegia. Et ita esset quidem, si hæc illorum valeret opinio: sed quam sit hoc absurdissimum, & à mente & verbis supradictorum summorum Pontificum alienissimum, quis mentis compos nō videt? Hactenus Capucinus, cuius censuram si sibi quadrare videat aduersarius, non à nobis dictum sibi conuitium, sed à viro docto præiudicium illi iuste factum sciat. Et sane modus ipse loquendi, quo in illa clausula vtuntur Pontifices, non potest aliter exponi, quàm exposuit Capucinus; alias enim valde amphibologicè, & obscurissimè in legibus & priuilegijs suis (quæ debent esse apertissima) loquerentur: si sub decretis intelligeret Canones, & sub Canonibus intelligeret decreta cum tamen ex filo ipso dictionis hæc duo pro diuersis omnino rebus accipiat; ac proinde optimè pro Canonibus & decretis eiusdem Concilij, tanquam partibus eius integrantibus, nempe, pro Canonibus fidei, & decretis reformationum possint ac debeant intelligi.

Atqui etiam aliud est in causa nostra considerandum; quod aduersarium latere non potuit, nec re vera latuit, nimirum ipsum sanctum Pontificem summum Gregorium XV. ad instantiam illustrissimi Cardinalis de Sourdis Burdegalensis Archiepiscopi, Patronique nostri cum honore semper cogitandi; itèrum de nouo eadem omnia priuilegia, sine vllis clausulis limitantibus concessisse die 5. Februarij 1622. indulsisseque denuo vt tota Congregatio Anglicana, & omnes illius subditi gaudeant indulgentijs & priuilegijs, quibus gauderent si essent adhuc viuerentque, vt olim, sub Congregatione sancta Hispaniæ, & quibus gauisa est hactenus & in hunc vsque diem gaudet eadem Hispanica Congregatio. Dicimus autem hoc non latere aduersarium, quia nimirum ipsemet astitit Reuerendo admodum Præsidi Congregationis nostræ, quando prædictam confirmationem Roma acciperet, idque diu antequam prælo edidisset infœlicem hunc libellum examinis trophæorum Congregationis Angliæ. Hactenus igitur probatum esto Breue hoc Apostolicum esse priuatam legem aliquid speciale nobis præter ius ordinarium concedentem, ac proinde vere & propriè priuilegium, ὅπερ ἔδει δεῖξαι vt cum Mathematicis loquamur.

Aduersarij censura falsa & temeraria.

Subdamus iam secundum pronunciatum. *Multifariam præuaricatus est aduersarius in præcipiti hac censura sua, qua Breue hoc Apostolicum nullitatis & inualiditatis condemnare præsumpsit.* Patet hoc primò ex fundamentis positis, nam cum hoc Breue fundetur in motu proprio summi Pontificis: ad ipsum solum spectabat cognitio controuersię, siue dubij cuiuscumque ex huius Breuis substantia exorti, adeo vt sine Sanctitatis suæ licentia in scriptis obtenta, nullatenus licuerit aduersario contra Breuis huius validitatem agere, vt patet ex omnibus authoribus in primo fundamento citatis, quos non ignorare præsumitur aduersarius cum eos tam diligenter ipse citauerit.

Deinde nihil eorum, quæ apud prædictos authores censentur idonea ad huiusmodi priuilegia inualiditatis damnanda vel arguenda, in hoc Breui contigisse reperitur. Nam imprimis nulla facta est surreptio, in ipsa breuis obtentione, aut expeditione: constat siquidem ex facti narratione, quam sectione prima simpliciter deduximus, & ex instrumentis authenticis quibus illa narratio fulcitur, quorum copias in appendice posuimus, & ex omnibus in prioris controuersiæ statu referendo adductis, à nobis rectam rerum omnium informationem summa cum fide, conscientia, reuerentia, & diligentia factam fuisse; auditos fuisse Casinenses, Gallicanos, Belgicos, Hispanicos ordinis nostri Generales, superiores, & Abbates; auditas fuisse partes dissentientes per suos procuratores legitima authoritate munitos Romæ personaliter comparentes; habita fuisse suffragia omnium aut ferè omnium in missione professorum; totam rem gestam fuisse Congregationi Hispanicę bis in pleno Capitulo relatam, totam causam per sexennium & amplius fuisse maxima diligentia & solicitudine in ipsa curia Romana, & coram Nuntijs Apostolicis, & in sacro consistorio ventilatam; denique audemus dicere, nullam Anglorum hominum causam in illa curia hoc sæculo fuisse tanta cum benignitate, tanta cum dignatione purpuratorum Ecclesiæ Catholicæ Patrum, tanta etiam cum patientia & tam diuturna audientia discussam, decisam, determinatam? Qua igitur fronte potuit aduersarius sibi in animum inducere, vt surreptitiæ informationis nos tam improbabiliter, ne dicamus, tam improbè, argueret? Neque vero à priuilegiario, (nobis scilicet quorum causa emanauit hoc Breue) factum est aliquod contra ea quæ in priuilegio exprimuntur concessa & ordinata, vt ex argumentorum elucescet solutionibus. Neque rursus cessauit, aut adhuc cessat causa propter quam concessum est priuilegium: quinimo quotidie magis apparet illius necessitas, nempe intuitus pacis & concordiæ, quam ex multiplici Congregationum independentium varietate diminui necesse est atque diuelli. Sed nec emanauit à sede Apostolica aliquod aliud secundum Breue aut priuilegiũ, aut mandatum, quo hoc nostrum Breue prius concessum reuocaretur; nec ipsi priuilegiati huic priuilegio suo adhuc renunciarunt, aut renunciare vllatenus, ne quidem per somnium, meditantur; Neque vlla apparet contraria præscriptio congruo tempore legitimisque conditionibus firmata, per quã impediretur Breuis huius obseruantia; nec commissus est aliquis priuilegij ratione abusus, nec permissus aliquis eius non vsus, aut praxis contraria; Nullis ergo modis, quos sacri Canones, & eorum sapientissimi interpretes recensuerunt, debere probari ad priuilegia inualidanda, potest hoc nostrum priuilegium impugnari. Præuaricatus est ergo in sacros Canones, & in omnium sapientum doctrinam, & in omnem praxim proborum aduersarius, cum Breue Pontificium tam nullis fultus rationibus ausus est nullitatis incusare.

Nulla surreptio facta in breui obtinẽdo.

Quid quod etiam causam vnam inualiditatis videatur afferre defectum potestatis in summo Pontifice? Non enim potest aliter exponi, quod habet pagina 199. vbi ideo docet esse inualidum hoc Pontificis nostræ ætatis indultum, quia est contra Canonem Benedictinũ; quia illatio hæc nulli alteri fundamento inniti potest quam quod existimet summum Pontificem nullo modo posse prædecessoris sui Benedicti duodecimi constituto contraire. At iudicium sibi arrogare de supremæ huius potestatis terminis & limitibus, expresse est contrà Canones sacros præuaricari. Quapropter Panormitanus in cap. *Cum venisset*, *de iudicijs*, & Syluester verbo *Interpretatio*; docent, si in priuilegio dubium fuerit exortum de potestate principis qui ipsum concesserat, ad solum Principem spectare eius dubij decisionem; neque posse vlli, qui Principe ipso inferior sit, illud iudicium seu examen competere; multo minus homini subdito contra superiorem suum litiganti.

Potestas adfuit legitima concedentis.

Statuunt præterea Canones ecclesiastici, vt constat ex cap. *Porro*, & cap. *Recepimus*, *de priuilegijs*, & cap. *Intelligentiæ*; alijsque multis (quæ citat Syluester verbo *Priuilegia q.* 3. in priuilegiorum interpretatione, & declaratione præsertim attendi debere ad verborum, quibus concepta sunt, proprietatem; proprietatem autem metiendam esse ex vulgata & consueta significatione, vel ex communi vsu peritorum, & maximè omnium secundum ius priuilegio proportionatum, id est, ius Canonicum: quando agitur de rescripto Pontificio, vt notat idẽ Syluester loco citato; sumiturque ex Baldo *l. Siquando* 1. *Codicis. Bonis vacantibus lib.* 1. Quod si verba sint dubia, & obscura, potius insistendum concedentis intentioni, quam iuste & rationabiliter præsumitur habuisse, quam difficilium verborum sensui incerto; iuxta cap. *Intelligentiæ*, & cap. *In his*, *de verborum significat.* & cap. *Sedulo d.* 38. Intentionem autem concedentis inuenire poterimus, si supplicationem ac factum spectamus, cui solet concessionem suam princeps conformare, vt constat ex cap. *Inter dilectos. §. Cæteri*; *de fide instrumentorum*, & Felimo ibidem; & Gutierrez lib. 3. Practicarum q. 17. & 18. num. 41. & 43. Supplicationis autem summa plærumque solet resumi in exordio ipsius indulti, & iuxta illam solent cætera

Regulæ Iuris de priuilegiorum interpretatione.

in Breui

in Breui concessa subiungi. Materia etiam in qua versatur concessio multum facit ad principis indagandam voluntatem, quæ sine dubio non debet sic exponi, vt materiam ambitioni, aut multiplicationi litium ianuam aperiat. Denique circumstātiæ omnes causarum, & personarum debent perpendi, quas non est dubitandum quin princeps in cōcessionibus suis dignanter & diligenter examinet. Atqui aduersarius noster nec verborum proprietatem in priuilegio impugnando seruat, sed eam potius per sophismatum fumum obscurat, nec attendit ad supplicantium personas, causasqne mouentes ad supplicandum, quæ duæ præterrim faciunt pro inclinanda Pontificis voluntate; vna, quod pacem & concordiam, etiam cum aliquo temporalium suorum præiudicio quæsiuerunt; altera quod ipsemet Pontifex summus ipsas personas supplicantes expresse & peremptoriè monuerit, se omnino velle aliquam in missione vnionem, formamque eam tractandi præscripserit: quare tanquam facto suo, aut potius facto ex obedientia & reuerentia illi debita profecto fauere præsumendus est, quando nisi ipse mandasset, ad vnionem istam suscipiendam maxima pars supplicantium nunquam descendisset. Quid dicimus aduersarium ista non attendisse inter disputandum? imo prorsus neglexit: & omnino contrà interpretatus est, quam vel verborum proprietas, cōcedentis intentio, vel supplicantium conditio cuilibet modesto rerum arbitro viderentur postulasse. Videamus enim quam propriè accipiat verba indulti, iuxta regulas quas iam à viris sapientissimis præscriptas accepimus, & clausulam illam speciatim intueamur. Et (*si opus sit de nouo erigeretur*(*antiqua Congregatio Anglicana ordinis* S. *Benedicti*. Quam ille ita exponit clausulam, vt dictiones parenthesi inclusas, coniūgat cum alijs, extra parenthesim cohærentes à quibus tamen diuersum longe parenthetica clausula significat: Sensus enim, quem verba præ se ferunt, & supplicantes sibi proposuerunt, & in paucissima verba, ne inutilis repetitio committeretur, coniecerunt, est; vt sic legatur contextus indulti: *quod omnes monachi Angli dicti ordinis, Congregationis* Hispanicæ *& Anglicanæ coalescerent in vnum corpus, quod esset & vocaretur Congregatio Anglicana: & ita, vt per hanc coalitionem, & corpus sic vnitum continuaretur, & restauraretur*, (*ac, si opus eßet, de nouo erigeretur*) *antiqua Congregatio Anglicana*. Etenim cum non nos lateret aliquorum dyscolia, quibus nihil esset placiturum, quod ipsi non facerent; ideoque vereremur, nè insurgerent nouæ lites (quod videmus iam per aduersarij cacozeliam euenisse) expresse illa verba exhibuimus, vt omnes modos existendi, qui possent de Congregatione nostra, quam condebamus, concipi, includeremus; Etenim illa cogitari potest, vel sine omni interruptione ad hūc vsque diē perseuerasse, quod Patribus nostris Casinēsibus visum fuit, qui eam in longæuo sene D. Seberto & adoptatis ab eodem monachis (quos iste vocat inepte Excasinenses) adhuc conseruatam agnouerunt; vel vsque ad exulantem ex patria Catholicæ fidei publicam professionem permansisse, & toto schismatis tempore interruptam: vel nullo modo olim extitisse, sed tantummodo per hoc corpus vnitum existendi exordium suscepisse: Si primus modus verus est, postulauimus in supplicatione, vt etiam in hoc corpore vnito continuaretur; si secundus, vt per idem corpus instauraretur, & quasi reuiuisceret: si tertius, vt in hoc eodem corpore vnito de nouo erigeretur, fieretque & vocaretur nunc saltem Congregatio, siquidem antea non fuerat. Hæc fuit nostra supplicantium intentio, hunc sensum verba per parenthesim lecta propriè ferunt nec alium capiunt: cum enim tria illa verba passiua distinctos prorsus habeant significatus, (aliud enim est continuari, aliud instaurari, aliud de nouo erigi:) ita debent exponi, attribuendo singula singulis per euocationem grammaticam, vt sensum verum distinctumque faciant: quare, cum antiqua res posit continuari, & instaurari, res autem quæ nondum extitit, nec continuari posit, nec instaurari: illa duo verba de antiqua Congregatione Angliæ debent intelligi: Et cum de nouo erigi longe diuersum sit ab eo quod est continuari, aut instaurari, positque hic habere sensum suum proprium, quem supplicantes intellexerint, non debet de antiqua Congregatione Angliæ dici, quia res antiqua renouari, aut instaurari quidem potest, de nouo autem erigi non nisi abusiuè dicitur: permittat nos aduersarius intelligere in Breui, quod videmus rectè ex supplicatione nostra insertum, vt aut Congregatio Anglicana antiqua continuetur, vel restauretur, aut, si opus fuerit, (hoc est, si nulla olim fuit quæ vocaretur antiqua) de nouo per potestatem Pontificis in corpore vnionis nostræ erigatur. Habere autem illa tria distinctas significationes in ipso Breui clarè textus ipse dictionis demonstrat, cum continuationem & instaurationem absolutè postulent, quia potuit, ac debuit in vno, ac deinde in paucis continuari, & postea in multis instaurari, at vero erectionem de nouo, non absolutè, sed quatenus opus esset, petierunt: quia etsi extitisse olim Congregationem aliquam ordinis nostri plærique missionis monachi existimarent fuere tamen qui nullam talem extitisse putarent, moti debili coniectura, qua videtur aduersarius in suum errorem præcipitatus,

tatus, quod nimirum solas illas Congregationes propriè dictas iudicarent, quæ monarchico regimine essent constitutę. Vt igitur ab omni litium occasione immunes essent, & à futuris contentionibus, quantum fieri posset, securi: supplicantes omnibus tribus titulis suæ sanctitati propositis, ipsius auctoritatem humiliter implorarunt, & fæliciter obtinuerunt.

Atqui non solum contra supplicantium intentionem (quam hic Pontificem respexisse par est credere, cum non nisi ipsius mandato corpus hoc vnionis instituerint, & pro eius confirmatione, non nisi ex ipsius decreto prius hoc iniungente supplicauerint;) non solum contra propriam distinctamque ipsorum verborum significationem aduersarius clausulam illam est interpretatus: verum etiam contra moré, & vsum summorum Pontificum, & Patrum Ecclesiæ in Concilijs (qui iuris Canonici conditores sunt) vsurpatum; cum tamen ab illorum modo loquédi nos ecclesiæ filios deceat modum loquendi accipere. Etenim illi verbum *Erigendi* cum de Congregationibus loquuntur, non ad id quod prius steterat, sed id quod antea non extitit, referre dignoscuntur. Vide mihi Concilij Tridentini decretum sessione 25. cap. 8. vbi hæc habet: *Quod si intra limites vnius prouinciæ non sit sufficiens talium monasteriorum numerus, ad erigendam Congregationem: possint duarum vel trium prouinciarum monasteria vnam facere Congregationem;* quo in loco clarissimè constat, Concilij Patres pro eodem sumere erigere, & facere, non vtique id quod antea factum esset, sed quod prius factum non fuisset. Similiter eiusdem sessionis cap. 3. agens de monasteriorum ædificatione; *nec de cætero* (inquit Concilium) *simili loco erigantur, sine Episcopi, in cuius diœcesi erigenda sunt licentia prius obtenta*, vbi etiam manifestum est non agi de monasterijs reparandis, aut instaurandis, sed de ijs de nouo non erigendis: quis enim diceret mentem Concilij patribus eam fuisse, vt Prælatus quispiam monasterium suum hæreticorum insolentia dirutum, vel bellorum violentia deiectum, aut incendiorum infortunio consumptum, non possit ipsum sine noua Episcopi diœcesani licentia reædificare? Gregorius pariter 13. in bulla anno 1577. octauo calendas Iunij, Pontificatus sui anno 6. concessa monachis S. Basilij sic loquitur, *Domos & Eremitoria huiusmodi in monasteria ordinis S. Basilij adhuc canonice erecta non fuisse, nec esse: Nos dictorum Eremitarum statui oportune consulendũ esse existimantes, &c. in monasteria dicti ordinis S. Basilij perpetua erigimus, & instituimus.* Vbi ea quæ nondum erant canonicè erecta vel instituta Pontifex dicit se canonicè erigere. Eodéque prorsus modo loquitur idem Pontifex, cũ in bulla 22. Iunij anni 1580. Pontificatus sui nono concessa, de Congregatione Carmelitarum descalceatorũ, quæ antea nulla vnquam, vllibi gentium extitisset, erigenda sanciuit: docens aduersarium, si à tanto saltem Magistro discere non putet indecorum, quo sensu verbum erigendi in similibus casibus iuris ac priuilegiorum debeat vsurpari. Nunquam enim inueniet in bullis Pontificijs hanc phrasim loquendi, qua Congregatio vel prouincia de nouo dicatur erecta, relatam ad aliquid instaurandum, quod iam à suo statu ceciderat, sed ad illud duntaxat creandum (vt sic loquar) quod prius non fuerat, & nouiter incipit existere.

Tandem etiam illud in sacris Canonibus constat ordinatum, vt priuilegia ecclesiastica non ita stricto cribrentur examine, vt verborum vtili significatione delusa, ipsa tandem priuilegia mere frustranea & euanida reputentur. Semper enim ita debent explicari, vt tamé aliquid in fauorem priuilegiatorum operentur, vt docet Felinus in cap. 1. *de rescrip.* & in cap. *Causa* eod. tit. Ad idem facit & cap. *In his; de priuilegiis.* & cap. *Abbate, de verborum significationibus.* At noster hic interpres in id totas intendit ingenij vires, vt priuilegium ostendat inefficax esse, & nihil prorsus operari, nullis reuera solidis ad hoc inductus argumentis, sed suo tantum supercilio, quo non nos tantum, homines non sane magni nominis, vel æstimationis, sed ipsos etiam proceres ecclesię ad suum tribunal examinandos & exagitandos vocat, quoties aliquid statuunt, quod ipsius stomacho non adblanditur; sicut R. Generalem Hispaniæ, sicut Illustrissimum Archiepiscopum Rhemensem, sicut alios magnos doctosque viros in hoc suo libello miserrimo, indignis modis tractauit. Et tamen tantus aliorum censor, tantus Canonici iuris citator, qui nihil aliud diligentius videatur reuoluisse quam Rebuffos & alios Beneficiariæ praxeos magistros, quod in suis rescriptis exponendis sibi si factum fuisset, exclamasset prorsus ἀ....ονικὸν esse; hoc in nostro rescripto tã multipliciter præuaricãdo, cõtrà omnes Canonum regulas iniquissimas interpretationes somniando procudit. Quare ex conclusione plenissime demonstrata succensere nobis non debet, si eum Canonum præuaricatorem ostendimus.

Tertium pronunciatum, directè oppositum aduersarij conatibus, istud erit: *Breue Pontificium, pro Congregationis Angliæ Benedictinorum ordinis nigri obtentum, in toto iuris rigore validum est, & inconcussi vigoris.* Quod cum ex ipsa facti narratione, stando in apicibus, & terminis

Breue obtentũ in rigore iuris validum est.

Q

minis iuris apparet manifeſtum: non alio modo vlterius probabimus, quam per clariſſimam refutationem omnium argumentorum quę aduerſarius ſollicita diligentia, & anxia nocendi libidine conquiſiuit, & in quinque capita tota diſtribuit. Specta, benigne lector, certamen noſtrum, & ſi tela ipſius in priore controuerſia videris fuiſſe arundinea; quæ in iſta controſia iaculatur prorſus eſſe ſtraminea perſpicies.

SECTIO QVARTA.

Confutantur omnia aduerſarij contra factum noſtrum obiecta.

MEMBRVM PRIMVM.

De tribus primis obiectionibus.

Synopſis.

§. 1. *Obiectio prima aduerſarij, an Congregationis erectio fuerit abſurda & ridicula.* §. 2. *Ob. 2. An pleriſque monachis Anglis iniurioſa, & coacte obtruſa?* §. 3. *Ob. 3. An contradictorio plena; Contra ius Cluniacenſium; impeditiua concordiæ; paucorum tyrannis?*

1. Ob. An erectio Cõgr. fuerit abſurda & ridicula.

PRima aduerſarij obiectio, conuitium eſt, non argumentum: nam pagina 186. ſupponit, quod verum eſt, ſedem Apoſtolicam rite informatam, nunquam conſenſuram fuiſſe in rem ſtultiſſimam, abſurdiſſimam, & periculoſiſſimam; & ſubſumit hoc conuitium, vnionem à nobis conceptam & definitam, talem eſſe; ac proinde ſedem Apoſtolicam nunquam reuera in eius confirmationem conſenſiſſe, ſed ſiquid fecerit confirmationem ſonans, id totum per ſurreptionem fuiſſe extortum, & falſis narratiuis Pontificem à nobis circumuentum, crediſiſſe bonum factum, quod reuera eſſet religioſis perniciosum. Primum enim virtute huius vnionis tranſeunt monachi à Congregationibus indubitatis & manifeſte legitimis, ad Congregationem fictitiam ἀσυστάτων, ridiculam, chimæricam. Deinde hæc talis tranſitio nihil eſt aliud quam ſeductio monachorum à certæ obedientiæ ferula ad anarchicam apoſtaſiam, cum monachi in hac nouella Congregatione profeſſi nullatenus haberi debeant in cenſu & alboveri nominis religioſorum.

Reſp. Reſpondemus, apertum eſſe conuitium, quod obijcitur: quid eſt enim conuitium aliud quam maledictum ſine cauſa & veritate, ſine probatione aut ſpecie veri, ſine ordine debito charitatis in immerentes coniectum? At hæc omnia inſunt huic obiectioni. Nam vt à poſtremo incipiamus, cur infami libello hanc accuſationem propoſuit, poſt quadrennium integrũ Congregationis erectæ, nobis nunquam de inualiditate, & pernicie rei huius debitè admonitis? cur non ante tribunal ſuperiorum nos conuenit? audetne dicere, non fuiſſe ſibi acceſſum liberum ad ſuperiores ſuos noſtroſque? non ad Nuntios Apoſtolicos? non ad curiam Romanam? atqui auditi ſunt omnes alij, quicumque aliquid obijcere voluerunt: niſi forte non putet audiri iuſte, ſi non etiam exaudiantur accuſatores; & debere quæ ab ipſo, ipſiuſque ſimilibus adferuntur, tanquam oracula ex Apollinis tripode, æſtimari diuinæ veritatis plena; alios autem omnes cum turba popelli, nec ſapere in vero, nec conſcientiam in bono exercitatam habere. Bene apparet hanc eſſe eius mentem, qui pag. 190. minitatur, niſi Pontifex ab ipſo pronunciet ſententiam &, (*ſi qua ei viſcera charitatis ſuperſint*) *prouidere velit de remedio opportuno* ſe cum ſuis *aut ſane explicaturum* Bullam (vnionis confirmatiuam) *quo ad ſana quæ continet, aut rem acturum ἀδιαφόρως ex æquo & bono, non obſtante prædicta* Bulla, *non ſecus ac ſi nunquam obtenta fuiſſet à ſede* Romana, *quæ ſe paſſa eſt circumueniri tam exorbitanter.* Verba ſunt aduerſarij, quæ ſi non ſint ſeditioſa in loco, quem citauimus, appellamus lectoris modeſti conſcientiam. Deinde quam adfert probationem, quam ſpeciem veri pro hoc ſuo maledicto?

quomodo

quomodo probauit rem esse absurdam, stultam, periculi plenam? Nam ea quibus hæc probare conatus est, ita in superiore controuersia elisimus, vt nihil aliud probent, quam ipsius aduersarij ineptam, absurdam, perniciosamque temeritatem: qui tam crudelia crimina tam multis rationibus viris bonis, fratribus suis obijcere præsumpsit. In ea disputatione luce meridiana clarius effecimus, fuisse olim in Anglia veram propriamque Benedictinorum conuentuum Congregationem ab omni externa Congregatione independentem; quæ licet tunc temporis Congregatio non appellaretur (quia hęc appellatio superiori duntaxat sæculo nata est, hoc quidem significatu, quem nunc obtinet) appellabatur tamen nomine Ordinis, quo res eadem intelligebatur, sicut & Cluniacensis Congregatio tunc temporis non alio nomine, quam Ordinis Cluniacensis agnoscebatur. Est ergo falsum assertum, ac proinde merum conuitium, quo aduersarius ait, vnionem hanc esse transitionem ab indubitatæ Congregationis obedientia, ad Nulli-partensis Congregationis apostasiam (mirificè enim sibi complacet aduersarius in huiusmodi inuidiosis onomatopæis, & in eis maximam partem suæ collocat ostentatque eruditionis) quia tam vera fuit Congregatio ea ad quam transierunt, quam ea à qua transitum cum benedictione Pontificis & superiorum fecerunt; tam sanctas habuit leges pro illorum temporum ratione, tam verum & plenum obedientiæ, paupertatis, deuotionis, hospitalitatis, clausuræ, silentij, abstractionis exercitium; tam vera vincula mutua regiminis & participationis rerum, monasteriorum, personarum, sumptuum, pænarum, præmiorum; quam habeat vlla hodierni temporis Congregatio: quæ omnia in ipsis statutis antiquę Congregationis in appendice positis sunt planissima. Sed qui aduersarium norunt, & nos è vicino intuentur, sciunt nos sub arctissima superiorum custodia in claustro viuere, obedientiæ, paupertatis, disciplinæque regularis institutis quotidie nocte dieque exerceri, eoque nomine in prouincijs, in quibus degimus, in aliquo saltem pretio haberi: ipsum vero aduersarium, nihil horum iam à multis annis habere, de quibus laudetur; imo si vel nomen eius vellemus prodere, nullus fere est virorum grauium, qui eum nouerit, quin simul ipsum de licentiosa nimis vita, periculosoque ingenio damnaret. Falsum proinde est conuitium quo nos arguit, tanquam sine legitima superioris obedientia viuentes: qui diuina freti misericordia superiores nobis impositos libenter gaudenterque ferimus, & ad eorum pręscriptum in claustro, aut in animarum messe sic vitam instituimus, vt nihil contra aut præter eorum iussum audeamus, aut velimus in vllo præsumere. Quod si ab illo rogaretur, sub cuius viuat imperio, (nam prælatus non est, quantumuis ridicule se suumque socium hoc exornet titulo, cum monachum nullum habeat sibi subditum, nec sit à suorum superiorum natiua obedientia legitime emancipatus) in qua viuat Abbatia, cuius possit Prælati discretione ipsius siue excessus, siue fragilitas, siue negligentia corrigi aut emendari; neque enim confirmatus est in gratia, vt nunquam, nusquam, in re nulla exorbitet à recto: non haberet paratum aliud responsum, quam quod à quouis gyrouago, vel Sarabaita posset adhiberi.

Secunda obiectio similis est primæ. Barbaram inquit p. 187. & inauditam rem esse ac proinde ab Apostolica sede alienissimam, & contra Canonem Nicenum, qui iubet, *antiquos mores obtinere*: quod in gratiam quinque solummodo monachorum, centum viri grauissimi congerentur inauditi, inuiti, omnibusque modis licitis repugnantes, transferri ad nouum corpus Anglicanæ Congregationis. Quare fieri non potest, quin circumuenta falsis narrationibus sede Apostolica breue hoc fuerit obtentum, ac proinde nullius esse debeat apud monachos auctoritatis. 2. Ob. An erectio Congr. fuerit iniuriosa & violenter imposita inuitis? Resp.

Cæterum hanc eius cramben toties recoctam, toties appositam lectori, non nisi cum fastidio reijcimus: Sed reijcimus manifestissimis demonstrationibus productis, quibus tam ex prioris disputationis decursu, quam ex narratione & instrumentis quæ vtrique disputationi sunt communia constat euidenter, maximam partem grauiorum monachorum missionis, in vnionis formulam talem consensisse, quâ Congregatio Anglicana eigeretur, & promoueretur; auditos fuisse tam in Hispania, quam Romæ omnes, qui voluerant audiri; examinata fuisse omnia rationum momenta, quæ vel nos ipsi contrà vnionem, vel Cassinenses & Anglicani pro eadem vnione in Congregationis Anglicanæ fauorem erigẽda fuerant hinc inde prolata; examen hoc per aliquot annos durauisse; superiores Congregationis Hispanicę, rebus omnibus, etiam minutissimis ad hanc rẽ quomodolibet facientibus, exactè cognitis atque perspectis plenissimũ consensum vnioni dedisse. Nõ in gratiam igitur quinque virorũ coacti sunt centum viri graues, quo nollent transire: sed in gratiam decem aut duodecim ad summum monachorum, plus quã octoginta monachi coacti sunt per aliquot annos differre desideria sua, & expectare decisionem pro vnionis alicuius erectione, quam agnoscebant communi omnium tranquillitati iam esse prorsus necessariam. Falsum quoque est, & contra

ipsius conscientiam ab eo prolatum figmentum, quo dicit centum viros graues coactos vt in congregationem transirent Anglicanam: ne vnus quidem vir grauis, ne vnus quidem ex iunioribus, coactus est hunc transitum facere: Relictum est in vniuscuiusque arbitrio, vt quid vellet, faceret; adeo vt magna pars eorum qui in Hispania sunt professi, subditi quidem sint legibus congregationis Angliæ, quamdiu extrà suæ professionis monasteria degere ipsos contingat: sed non cogantur tamen de nostra congregatione fieri, & nihilominus æquali nobiscum iure quoad omnia fruantur in omnibus conuentibus nostris, possintque tam in illis, quam in Anglia subesse, & præesse, tanquam hospites, vel tanquam conuentuales, pro tempore quo ipsis beneplacitum fuerit, versari; ad monasteria professionis suæ, cum voluerint redire. Tanta est hæc aduersarij calumnia, vt cum monachi Hispani, nunc sint longe liberiori in conditione, quam ante congregationis nostræ confirmationem fuerint: ipse eos coactos, inuitos, repugnantes, gementes, fingat in seruitutem redactos, & rebus suis exutos, alienæ mancipatos esse potestati. Quin ille ipse aduersarius, quamquam sæpè à Vicario Missionis iam prætERITO, pro eo quo ipsũ complectebatur Vicarius amore, rogatus fuisset, & inuitatus, vt se congregationi Angliæ incorporaret: nunquam tamen vel specie tenus coactionem aliquam passus est; vixit inter nos, ad eandem mensam, ijsdem exceptus commodis, ijsdem, honoribus, nunquam propterea quod nostræ congregationis esse nollet, vllam passus est molestiam. Imo sæpissime illi à vicario dictum fuit, nos nec illum, nec vllum alium ad nostram sententiam conaturos vi perducere, etiamsi plenam ad hoc obtineremus auctoritatem. Denique ex instrumento ipso subscriptionis, quo ab vno quoque missionis monacho postulabatur: & ex rescripto Præsidis moderni ad fratres in Anglia positos manifestum est, nihil in hac obiectione veritatis contineri: transeamus igitur ad tertiam, quam nihilo veriorem inueniemus.

3. Obi. A contradictionibus & repugnantiis quas hæc vnio inuoluit.

Ea proponitur magno sonitu pag. 190. & 195. in hanc sententiam. Breue istud est omnino ex contradictorijs compactum: quomodo igitur potest non esse inualidum? In eius exordio habetur, scopum illius præcipuum esse, vt de nouo erigeretur antiqua Congregatio Anglicana; in calce eiusdem adijcitur hæc clausula; *Per hæc autem non intendimus alijs congregationibus vel Abbatibus exemptis dicti ordinis aliquod præiudicium inferre.* Cæterum hæc manifestam inuolunt contradictionem. Nulla est enim antiqua congregatio Angliæ præter Cluniacensem atqui non potest esse sine illius, Cluniacensis nempe ordinis, graui præiudicio atque iniuria tumultuariè, inhonestè, sordide; inconsultis, imo repugnantibus superioribus illius congregationis transire ab alia in ipsam. Non potest etiam (inquit pag. 201.) fieri sine ingenti præiudicio congregationis Hispanicæ, Cluniacensis, & Casinensis, vt impediantur iam à modo conseruandæ pacis & concordiæ, quem per Benedictinam vsurpare ipsis licuisset, per istud autem breue iam non amplius liceat, quippe quod eos à communi capitulo generali arceat, in quo isti nouelli soli suffragij ius sibi arrogant. Præterea (pag. 203.) quam graue iugum imponitur ex hoc breui monachis in Anglia nunc laborantibus: vt ad istorum mandatum cogantur cum maximis expensis, capitumque suorum certo periculo, ad capitulum extrà Angliam semper celebrandum venire? Imo hoc ipsum in breui prohibetur, in quo cauetur ne quid fiat contra canones. Et quam illud tandem iniquum est, vt à paucis tantum monachis, nimirum Præside, Prouincialibus, Prioribus, Definitoribus, Iudicibus causarum in Capitulo omnia causarum genera determinentur; cum potius intra ipsam prouinciã à maximo numero Monachorum causę discuti deberent & definiri. An non merito censeri debeat inualidum diploma, quod tam multis abundet contradictionibus & absurdis?

Nullam inesse in breui & Cõgregationis erectione contradictioné. Nihil nobis fuisse negotij cũ Cluniacensibus.

Quod flumen, quis torrens tam multis inundat sibi inuicem occursantibus vorticibus, quam hæc aduersarij oratio scaturiat calumniosis imposturis? Nam primo nullam in priore particula inesse contradictionem, ex eius declaratione legitimoque sensu in secundæ conclusionis probatione satis manifeste ostendimus. Quod autem dicit nullam fuisse antiquam Benedictinorum in Anglia congregationem præter Cluniacensem, febriculosi cerebri vanissimum somnium esse in priore disputatione tabulis publicis euicimus, quare quod interpretatur in illam antiquam congregationem non potuisse nos transire sine venia Cluniacẽsium, lanicia quædam est & consectarium ab illo somnio dependens, eiusdem cum illo *vanitatis, & ignorantiæ partus.* Et scit aduersarius, ante quam ipse à suis schisma fecisset superioribus, hoc est ante annum superiorem 1622. per tot annos quibus acta fuit causa Romæ, nullam vnquam mentionem habitam fuisse Cluniacensium in hac causa; nec vllum ex monachis nostræ missionis de Cluniacensi ordine cogitasse, præter ipsum aduersarium, & alium qui ipsi tamen non apertè, non constanter, sed timidè, tectè & apud paucos conscios se Cluniacensi congregationi incorporatos dixerunt; nunquam id ausi palam profiteri, cum inter nos nostrosque

que viuerent. Sed nimirum beneficiorum Cluniacensium amor, non Cluniacensis disciplinæ aut gloriæ zelus ipsos fecit, (vt vtamur ipsius aduersarij verbis) tumultuarie, sordide, inhoneste, clanculum, fraudulenter à sua congregatione, in qua fuere professi, ad Cluniacensem ordinem transire, non petita licentia, nec suorum superiorum, sub quibus erant professi, nec regularium prælatorum Cluniacensis ordinis, in quo inobedientiæ suæ perfugium se nacturos confidunt. Quod autem nos de alia congregatione ad Cluniacensem transiuisse ipsorum Cluniacensium venia non petita dicit; inhonesta est calumnia, & tam aperta falsitas, vt frontem prorsus amisisse videatur, cum eam protulit, aut æneam pro humana frontem induisse. Quis enim nostrum se Cluniacensis ordinis monachum facit, aut fieri vnquam cogitauit? Quid iuris in nos Reuerendissimus Cluniacẽsis vẽdicat, quocum iam aliquoties actum est à nobis humiliter, vt dictos patres à sua cõgregatione discedere volentes ad nos remittere dignaretur? Quam sero aduersarius hanc de Cluniacensium iure calumniam contra nos orditus est. Ab hinc triennium, cum vehementissime nobis in Curia Romana pro breui hoc nostro laborantibus, à nonnullis in Gallia commorantibus monachis repugnatum est; curarunt quidem illi per illustrissimum Legatum Galliarum Regis in curia commorantem Archiepiscopum Lugdunensem, remoram expeditioni breuis huius iniici, quod nonnulla in eo continerentur statui Francorum, monachorumque in Francia degentium vtilitatibus contraria, præsertim autem, ac præ alijs illud vrgebatur, quod congregationis Hispanicæ obedientiam in hac nouella nostra congregatione adhuc vigente, Hispani per nos in Francorum regis subditos supplicesque ius vendicaret. Sed edoctus à Procuratore nostro Illustrissimus Archiepiscopus, quænam esset illa obedientia, quam in nullo Francis, aut regnicolis Franciæ damnosa, quieuit ab oppositione, quam incœperat. At non quieuerunt illi, qui Archiepiscopum tantum aduersarium tubis excitauerant; sed ne breue hoc nostrum expediretur, per agentes suos Romæ diligenter & subdole induxerunt Ioannem Honorium, virum prouidum probumque, congregationis Abbatum in Belgio exemptorum Agentem in illa curia, vt is se huic breui opponeret, tanquam quod contineret graue præiudicium Abbatum Belgij, qui cum multas olim in Anglia possessiones habuissent, si hæc cõgregatio ab Apostolica sede confirmaretur, ius omne suum in possessionibus illis amitterent quas nimirum hæc Anglicana congregatio ex regno Angliæ penitus excluderet. Ioannes Honorius, nomine Abbatum Belgij sese opponit: ratus se ex illa diligentia gratum officium Abbatibus pręstiturũ; sed cum ab eorum Præside visitatore intellexisset, gratum quidem illis fuisse zelum suum, sed non secundum scientiam, etiam ipse ab oppositione, quam intentauerat, cessauit. Vt tamen in posterum scirent omnes Abbates exteri, qui quidlibet olim terrarum aut possessionum in Anglia habuerant, nos nihil in ipsorum præiudicium aut neglectum moliri, addita est in breui nostro postrema illum clausula, quam aduersarius contradictionis insimulat. Sed cur tunc temporis à monachis Franciæ regnicolis, qui præcipuè nostram causam Romæ impugnabant, cur ab illis tunc nulla Cluniacensium facta mentio, cum esset Abbas Cluniacensis potentissimus Cardinalis, qui vnum eorum duorum in Priorem prioratus in Anglia postea creauerat, cum tamen nesciret an vnqmam talis in Anglia Prioratus Cluniacensis extitisset: cur per illum non vendicarunt sibi hoc ius Anglicanæ congregationis? Nimirum quia hoc recens inuentum est nostri aduersarij, qui entibus obiectiuis cudendus per multos annos assuefactus, procuderat superiori anno in esse obiectiuo multa Cluniacẽsium in Angliæ regno cœnobia, quæ nunquam adhuc extiterant à parte rei in natura. At quando hic libellus aduersarij fuit sub prælo, aut proximus illi periculo (recte enim sic vocamus audacissimam eius euulgationem contra legem Dei, naturæ, gentium, regum, & Pontificum Ecclesiæ Catholicæ) tunc nobis Parisijs cum ipso Reuerẽdissimo Abbate Cluniacense contra P. Franciscum Walgratium agentibus eumque ab eodem Abbate, tanquam nostrũ monachũ repetentibus quamuis iam totũ hunc librum Franciscus ille legisset, & ad monachos nostros vt studiosè legeretur clam destinasset: non est tamen ausus eidem Præsidi nostro hunc clypeum in sui defensionem obijcere, cum tamen facillimum illi fuisset translatione causæ vti, & dicere eidem Præsidi, non licere illi à Cluniacensi prælato monachos repetere, qui ipse cum tota congregatione prætensa Anglicana per breue hoc nouum erecta ad ius pertineret Cluniacense. Sed enim videbant homines non omnino sine naso, etsi eos transuersos rapuit sua ambitio, nunquam se persuasuros prudentissimo Abbati Cluniacensi vt defensionem tam insani paradoxi pertraherent, & qui paucos dumtaxat in Anglia olim habuisset prioratus, nunc vniuersas Angliæ Abbatias ad se pertinere contenderet. Viderunt etiam non fore tutum sibi, si tali vterentur defensionis specie; quam non sine risu prudentium proponerent; & non sine periculo infamiæ eo ipso patefacerent, se auctores esse infamis huius libelli, qui post-

in lucem impudenter emissus, tam deformis apparuit, vt sui ipsum parentes agnoscere non auderent.

An Cõgregationis Anglicanæ erecto impediat cõcordiã cũ alijs.

Iam quod in eodem dicitur argumento, ablatum esse Hispanicis, Casinẽsibus, & Cluniacensibus monachis remedium vetus concordiam inter se mutuam conseruandi, ridiculum est commentum; primo enim non est verũ, quod hic supponit, omnium congregationum Benedictinarum monachos & prælatos ad capitulum prouinciale Angliæ, aut Galliæ per Benedictinum constitutum conuenisse. Hoc enim satis euidenter superius ostendimus nec debuisse fieri, nec vnquam factum fuisse. Nec fuit illorum capitulorum scopus, concordiam inter Cluniacenses, & aliarum congregationum monachos sartam tectam tueri. Concordiæ autem conseruandæ nullum fuisset ineptius remedium, quam quod aduersarius conqueritur ablatum: nam ex illa heterogeneorum Abbatum ad idem capitulum conuentione, potius litium germinassent syluæ, quam cessassent: dum Abbatibus vnius congregationis suos ritus legesque zelantibus, Prælatis autem aliarum congregationum reijcientibus, & repugnantibus, animorum proculdubio exulcerationes amaritudinesque perpetuæ pullularent. Deinde, ponamus illud medium fuisse non omnino ineptum ad pacem mutuam, inter illarum congregationum monachos fouendam: quomodo probat aduersarius hoc medium per istud breue nostrum esse sublatum, aut impeditum? Si in eius opinione, iuxta formulam P. Francisci de Dei-custodia tribus articulis comprehensam, (quam in appendice posuimus) potuit congregatio Cluniacensis, aut Anglicana aut Hispanica per suos monachos conuenire ad capitulũ illud prouinciale, concordiæ cõmunis conseruandę gratia celebratum; & intereà tamen suis legibus particularibus inuariatis suum cuiusque congregationis capitulum proprium pro disciplinæ constitutione & custodia celebrare; certe hoc ipsum adhuc possent harum congregationum monachi facere, si liberet illis tale capitulum concordiæ communi conseruandæ erigere; neque enim in nostro breui aliquid ponitur, quod huic rei obstaculum ponat; cum erectio vnius congregationis non impediat, quo minus per quædã compromissa conseruandæ pacis causa posset cum alijs quibuscumque congregationibus & quarumcumque regularum professoribus pacta quædam vtilia, conuentionesque inire. Sed non est nobis metuendum ne cum Abbate prælatisque Cluniacensis ordinis discordiam vllam suscipiamus: nec illis timendum ne à nobis aliquid patiantur molesti: vt propterea nos ad illorum capitulum, vel illi ad nostrum: aut vtrique ad tertium aliquod commistum migma capituli conueniamus, in quo leges de communi concordia statuantur, quæ ad particularem conuenientiũ in eodem capitulo disciplinam nihil faciant. Simplicior fuit maiorum nostrorum pietas, & syncerior est etiam præsentium religiosorum modestia, quam vt tam sumptuosis opus habeant remedijs, ad concordiam mutuam confirmandam. Alioquin, si tale quid fuisset necessarium, instituendum esset etiam concordiæ causa commune capitulum, in quo omnes regulæ Benedictinæ professores per Italiam conuenirent Casinenses, Cumaldulenses, Gualbertenses seu Vallumbrosani, Oliuetani, Syluestrani, Bernardini; per Galliam Cluniacenses, Grandimontenses, Gulielmitæ, Cistercienses, Fontisebraldenses, S. Mauri; per Hispaniam, congregationis Lusitanicæ, Vallisoletanæ, Bernardinæ, Claustrales Aragoniæ Valentiæ, Catalauniæ. Atque ita (quod iste tamen non sine causa pro maximo superius habet religiosæ puritatis impedimento) nihil aliud facerent omnium ordinum prælati, quam de capitulis obseruantiæ discurrere ad capitula concordiæ, & de illis ad suorum Prioratuum visitationem: vt non amplius monachi Claustrales, sed Peripatetici & ambulatorij, aut veredarij fierent. Nimium sapit politicus noster, qui talia excogitat peiora malis omnibus remedia.

An capitulũ generale, Cong. Aug. sit iugũ periculosum.

At graue iugum monachis in Anglia laborantibus imponitur, quod magnis cum impensis & periculis debeant ad capitulum venire. Non vidit aduersarius hoc potuisse obijci in sua sententia æquè fortiter: quid enim si nostra hæc congregatio, (prout ille contendit fieri debere) fieret iam Cluniacensis congregationis membrum: nonne deberent patres in Anglia positi, ad biennale capitulum Cluniacum, vel quo Abbas vellet illud celebrare, cum omni reuerentia venire? Si ergo hoc deberet fieri eo in casu, non obstantibus illis capitum suorum periculis: cur non & nunc in nostro casu fieri debeat, cum certum sit nos ad Cluniacensem ordinem nullatenus pertinere? Et ad nostrum capitulum debeant tantum semel in quadriennio venire, in alio casu semel quoque biennio, aut forte pro obedientia Cluniacensi ordini præstanda licitum erit tale iugum fratribus imponere: pro obedientia vero alijs ordinibus prestanda id non licebit? Miram sane & miseram Theologi nostri distinctionem.

At iniquum est à tam paucis monachis in capitulo comparentibus, causas omnium monachorum terminari: quæ non nisi à magno monachorum numero discuti ac definiri:

Quo teneam vultus mutantem Protea *nodo?*

Quid hoc aduersario magis Proteus, magis Æolus? aliquando negat congregationis nomen mereri cœtum illum, qui non ab vno generali, tanquam monarchico principe gubernetur, & tamen vehementissime tonat in eos qui monarchico suos fręnant imperio, genusque intollerabilis iugi, & seruitutis vocat. Plurimorum monachorum numerum postulat in capitulo, etiam eorum qui non sunt superiores, vt eorum calculis causæ in capitulo discussæ terminentur: nosque incusat intolerabilis iniquissimique imperij, quod omnes & soli superiores in capitulo eum in finem conueniant: vult itaque (vt videtur etiam in alijs libelli locis) aut δημοκρατειαν, aut potius ἀναρχίαν in regulares ordines introducere. Et tamen idem in præclara sua vltimi capitis parænesi, hortatur nos ad capitulum in quo soli conueniant congregationum Pręsides de summa rerum communium tractaturi tres nimirum aut ad summum quatuor monachi, vult igitur numerosissimorum capitulum, & vult rarissimum: nescit reuera quid velit, quamquam nescire non potest, quid debeat velle; nempe ipsius erat prudentiæ congregationum huius temporis morē in nobis non improbare, quibus omnibus consuetudo est, vt aut soli Pręlati in capitulis conueniant & pauci priuilegiati, vt in sua nostraque matre congregatione Hispanica hodie fieri nouit; aut præter superius nominatos deputati dūtaxat à prouincijs, & conuentibus: quod in Italia fit, & à nobis est in parte assumptū, qui præter eos quos aduersarius nominauit, etiam deputatos à prouincijs Angliæ ad capitulum euocamus. Conuentuales autem seu conuentuum procuratores nondum admisimus, quia paucissimi sunt conuentus nostri; & res spectaret magis ad fastum, quam ad profectum; nec conuentuum numerus & amplitudo illud etiam indicio prudentum exposcat. Patiatur ergo aduersarius nos cum sapientissimis religiosissimisque congregationibus potius errare, quam cum ipsius incomparabili & exorte sapientia nimium sapere.

An iniquum sit causas multorum à paucis capitularibus terminarij?

Membrum Secundum.

Soluitur quarta, quinta, sexta, septima obiectio.

Synopsis membri.

§. 1. *Obiectio An erectio Cōgregationis Angliæ, contrarietur canonibus, & iuri naturæ.* §. 2. *Ob. 5. de grauamine in dispensatione & limitatione facultatum mißionis Apostolicæ.* §. 3. *Ob. 6. De exemptionis priuilegio.* §. 4. *Obiect. 7. Eadem vnio quæ in definitorio fuerat conclusa, fuit etiam Romæ confirmata.*

Veniamus ad quartam calumniam, pag. 199. propositam, qua tragice conqueritur Breue hoc nostrum contra Canonem Benedictinę, & bullam declaratoriam Benedicti duodecimi, imo cōtra ipsum ius naturæ militare: quidni igitur nullum & inualidum in foro poli & fori pronuntietur? Etenim in Breui hoc statuitur, vt Præses congregationis erectæ extra Angliam resideat, vt in Anglia regatur congregatio à duobus sub vno Præside illo Prouincialibus, & vt locus vbi capitulum generale celebretur, sit extra Angliam: quę esse contra dispositionem Benedicti duodecimi constat, cum ille sanciuerit, vt locus capituli sit intrà prouinciam, & vt Cantuariensis atque Eboracensis prouinciæ pro vnica prouincia Benedictinorum reputentur. Esse autem contrà sensum, rationemque, contra ius diuinum & canones, contra non residentiam conditos, vt capitulum cogatur pro Anglia extrà Angliam, & Præses monarchicus congregationis Angliæ cogatur extra Angliam residere, quis non videt?

Erectio Congrega. Angliæ an cōtraria canonibus, & iuri naturæ.

Quia aduersarius furit, oportet nos versus fundere si forte sic lenire poterimus debacchantis animi impetum. *Dat veniam coruis, vexat censura columbas.* Quod hic clamat nobis contra ius diuinum & naturale fuisse indultum (ab eo enim crimine, quod sonat vehementius, incipiendum est) non videt necessario ex ipsius sententia quam præualere exoptat sequuturum. Hactenus enim audiuimus ipsum dicentem nullam, in Anglia fuisse Benedictinorum antiquam congregationem, nisi duntaxat Cluniacensem: at si congregatio Anglię Cluniacensis,

Obiectio militat cōtra Cluniacenses æquè ac contrà nos.

ſis, aut portio Cluniacenſis congregationis fuiſſe concedatur ipſi hoc tantopere flagitanti: nonne Præſes illius congregationis reſideret extrà Angliam Cluniaci? nonne præcipuum & primarium capitulum illius portionis celebrari deberet Cluniaci? cur ergo in nobis dicit eſſe contra ſenſum, contrà rationem, contra ius diuinum, & canones in non reſidentes promulgatos, quod Præſes noſter reſideat extra Angliam, capitulumque haberi debeat extrà Angliam, quorum vtrumque in Congregatione Cluniacenſi (ſi vera foret falſiſſima aduerſarij ſententia) fieri ſolebat? Forte dicet, Cluniacenſem Prælatum non in ſola Anglia ſuæ congregationis conuentus habuiſſe: ſed etiam in Hiſpania, in Italia, in Germania, in Gallia præſertim; ideoque in Gallia potius quam alibi ſuum capitulum celebrauiſſe. Scimus, & fatemur: ſed tamen etiam ſcit & diffiteri non poteſt aduerſarius, multo maximam partem Congregationis Anglicanæ extra Angliam ob difficultates temporum in varijs exulare reſidentijs, eamque partem, quæ maxime opus habeat aſſiduo paſtoris intuitu, cum in Anglia non niſi graues viri, & in religionis obſeruantia probati maneant; extrà Angliam vero ſint nouitij, iuniores, alijque qui ad miſſionis munia ſuſcipienda, quaſi in officinis Dei formantur & fabricantur. Ideoque rationabiliter ſtatutum vt Præſes & capitulum, hoc quidem rerum ſtatu durante extra Angliam ſint quam in ipſa Anglia; vbi maiori cum periculo maioribuſque ſumptibus iſta deberent fieri. Nam cuius priuati benefactoris domus poſſet tanto numero capitularium, agendiſque capitularibus ſufficere? aut quomodo non merito offenderetur rex ſereniſſimus, & ſtatus regni, ſi talis congregatio ſine ipſorum expreſſa licentia in regno haberetur? Vt non dicamus illa minora, maiorem eſſe numerum capitularium extra Angliam, quam eorum qui ex Anglia deberet proficiſci; facilius poſſe conuenire ad locum aliquem maritimum ex Anglia, minoreque cum ſumptu, quam ex multis reſidentijs congregationis: tutius denique & ſecurius vtriſque eſſe hoc extra Angliam fieri, cum ſolo capitularium ex Anglia venientium periculo: quam in ipſa Anglia cum longe maiori periculo, tam eorum qui in ipſa Anglia degerent, quam eorum qui ex tranſmarinis venirent reſidentis, quam etiam benefactorum & patronorum. In Anglia enim talis conuentus latere non poſſet: haberetque quandam ſpeciem contemptus publicæ poteſtatis, quia legibus regijs antiquiſsimis prohibentur coitiones numeroſæ fieri ſine permiſſione regia; nec in ipſa quidem Hiſpania, aut Gallia fieri ſolent legitime, niſi à Regibus aliquis deputetur vir magnus, qui nomine regio interſit capitulis, prouiſurus ne quid fieret contra ipſius Regis maieſtatem, aut regni tranquillitatem, quę omnia à nobis, his quidem temporibus ne quidem ſperari potuerunt. Ideoque nec contra rationem aut ſenſum, nec contra ius diuinum aut naturale ſunt ea quæ nobis per breue Apoſtolicum indulta ſunt, ſed omnia potius ſenſui, rationi, iuri diuino & canonibus Eccleſiæ maxime conſentanea. Neque enim contra canonem diſpoſitionemue Benedictinam fit, ſi capitulum extra prouinciam celebretur, prout inconſideratè pronunciat aduerſarius, parum curans an ita ſit, ſicut enuntiat; ſed tantum (vt clarè apparet) aliquid quod noſtræ obeſſe poſſit exiſtimationi conquirens: etenim in Benedictina extat hęc diſcretiſſima prouiſio, prorſus ex diametro repugnans aduerſarij aſſertioni in fine primi capitis, *vt ſi in eadem Prouincia non ſit locus conueniens, tunc celebretur in alio loco congruo & ſecuro.* Quid clarius? nullus in Anglia locus congruus & ſecurus capitulo celebrando poterit indicari; dat igitur licentiam Canon Benedictinus in loco ſecuro & congruo extra Angliam capitulum celebrandi. Et ſi non ſit contra canonem illum vt capitulum propter illam cauſam extra Angliam celebretur: cur non etiam propter eandem rationem extra Angliam Pręſes poſſit reſidere: præſertim cum illa monachorum pars extrà Angliam reſideat, quæ maxime Præſidis indigeat inſpectione? & longè maius ſit damnum quod incurrerent integrę reſidentiæ ſi per profectionem in Angliam aliquid illis accideret aduerſi, propter quod vel detinerentur diutius, vel tempeſtiue ad conuentus ſuos redire nequirent, quam ſit illud incommodum quod quiuis ex Anglia ad capitulum vltramarinum veniens incurreret. Denique ſi diuinæ miſericordiæ viſum fuerit ſchiſma diuturnum tollere, ceſſabit omnis hæc difficultas, & tam Pręſes quam capitulum intra ipſam Angliæ prouinciam continebuntur. Quod autem de vna prouincia per breue noſtrũ in duas prouincias diuiſa dicitur, nõ eſt magis cõtra Benedictinam conſtitutionem, quam vnio duarum prouinciarum quas ante Benedictinam habebat Anglia, fuerit contra Innocentianam. Si ergo licuit Benedicto. 12. aliquid in diſpoſitione capituli generalis & Innocentij prædeceſſoris ſui pro ratione temporum laudabiliter mutare: cur non idem licuit Paulo 5. in diſpoſitione Benedicti? Imo cur non licuit illi poſteriori nimirum Pontifici, ſi id ei placuiſſet, totam diſpoſitionem vtriuſque Põtificis præcedentis tollere, & longè diuerſum quid ſtatuere, quod huic ętati hiſque moribus videret conuenientius? Videtur aduerſarius velle, & inſinuare non eſſe licitum Pontifici hoc facere; ſed eſt ruinoſum funda-

Capitulũ generale tutius extrà Angliam quã in Anglia celebrari.

Cur vnã prouinciam in duas diuiſerimus.

fundamentum & temerarium, ne dicamus erroneum, aut etiam hæreticum, existimare quod Papa non potuerit aliquid constituere contra canonem Benedicti, aut alterius cuiusuis Pontificis antecessoris in his similibusque rebus; & consequenter ipsum, & ecclesiam in ipso errauisse tam in nostræ, quam aliarum congregationum ordinis nostri, erectione, quæ reguntur monarchicè. Nam clarè videtur aduersarius in hac opinione versari, vt patet ex inuectiuis vehementibus quas passim spargit.

Quinta obiectio eiusdem habetur pag. 204. Contineri etiam in hoc breui intolerandū grauamen Congregationis Hispanicæ, quando statuitur, ne vlli omnino liceat, nisi Præsidi, vel licentiam ad hoc ab ipso habenti, facultates aliquas missionis Apostolicę pro prædicto Angliæ regno alicui monacho Anglo ordinis & congregationis Hispanicæ & Anglicanę huiusmodi in posterum concedere vel delegare. Hoc enim modo cogentur monachi certi, fieri dubij & acij, nisi velint aut facultatum vsum amittere, aut apud catholicos Angliæ traduci, quorum vtrumque iam isti nouelli monachi alijs fratribus suis sunt minati.

5. Ob. De grauamine in facultatibus missionis Apostolicæ dispēsādis.

Sed euenire aduersario videmus sicut intuentibus radios solis per vitreum diaphanum transmissos, qui induunt vitri colorem, per quod transeunt, & si ipsum vitrum viride, rubrum, flauum, cæruleum sit, etiam radij lucis similes induunt apparentias: sic sane res lucidissimæ & nullis fictitijs indutæ in se coloribus, aduersario tales apparēt, quale iudiciū ipsius perturbatæ passionis coloribus infectum repræsentat. Itaque quod in congregatione Cluniacensi, erga quam saltem videri vult per quam filialiter affectus, esset factu non solum dignum verum etiam plane necessarium: hoc idem in nobis, erga quos turgida bile commotus est, vitiato rationis criterio, apparet ipsi facinus indignum & intolerabile. Quasi vero in congregatione Cluniacensi vsus quorumcumque priuilegiorum, etiam personalium, quæ ad administrationem pertinent sacramentorum, non subsint ipsius Abbatis imperio, vt si ipse sic disponat, ijs vtantur monachi sui; sin aliter ipsi visum fuerit, non vtantur. Quasi non esset hoc in ipsa gloriosissimi Patris nostri Benedicti regula expresse fundatum, qui capite 60. nominatim de sacerdotibus hanc sanciuit legem: *Concedatur ei post Abbatem stare, & benedicere, aut missas canere, si tamen Abbas ei iußerit: in aliis, nullatenus præsumat aliqua, sciens se disciplinæ regulari subditū, & magis humilitatis exempla omnibus det.* & in cap. 62. *Ordinatus autem caueat elationem, aut superbiam, nec quicquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multo magis disciplinæ regulari subditum. Nec occasione sacerdotij obliuiscatur regulæ obedientiam & disciplinam, sed magis ac magis in Deum proficiat.* Quid manifestius potuit legislator noster statuere, vt aduersarij iudicium conuinceret erroris? Nam si sine iussione Abbatis, multo minus contra eius voluntatem non liceret sacerdoti monacho missas facere, licebitne ei in animarum regimine se immiscere? Quare nulla prorsus iniuria, nullum grauamen fit monachis congregationis Hispanicæ in breui nostro: cum non auferatur ab eis potestas à Pontificibus concessa, sed pręscribatur vsus debitus ex licentia superioris, qui iuxta statuta etiam Hispanica potest nos ab altaris officio, & à confessionali ministerio suspendere, aut prohibere, quando ita viderit in domino expedire. Neque iniuria, si enim *spiritus prophetarum subditi sint prophetis, & omnis anima debeat potestatibus sublimioribus esse subdita*, omnesque Christiani *præpositis suis obedire* Apostolo iubente teneantur: quanto magis monachi, quorum pręcipuum & expressum votum est, maiori suo propter Deum obedire? Propterea cum potestas delegandi facultates missionis Apostolicę, aut illis gaudendi concessa sit per priuilegium, non possunt vsum illius sibi prætendere aut vendicare, nisi ex licentia superiorum suorum, quam omne priuilegium regulari datum supponit: vnde generales ordinum & capitula generalia ac prouincialia possunt tollere, limitare, vel restringere in suis subditis vsum quorumcumque priuilegiorum Apostolicorum, quemadmodum expresse concessit Leo decimus, vt habetur in supplemento ordinis minorū folio. 94. & refertur in compendio priuilegiorum eorundem fratrum verbo *Priuilegia fratrum. §. 76.* Similiter declarauit & concessit Eugenius secundus & Clemens. 4. vt refertur in eodem compendio. §. 6. & in compendio societatis, eodem verbo. Ratio ipsa hoc dictat ita debere intelligi, cum enim pro bono communi ordinis & animarum concessiones istæ factę sint, præsumendum est, non esse de mente Pontificum, vt particulares personæ ijsdem in pręiudicium & damnū boni communis aut dedecus ordinis abutantur, iuxta illud commune Theologorum axioma, quod introductum est pro charitate non debet militare contrà charitatem: esset autem omnino contra bonum ordinis & charitatis, si cuiuis personæ subditæ & inferiori liceret pro suo arbitrio absq; frœno vllo superioris res tāti momēti dispensare, & sine delectu prodigere: accidere autē posse vt aliquis eorum quibus hæc concessa est potestas, non ita discrete sciat sine directore & duce eam administrare, nemo potest disputare. Rectissime igitur & à summo Pontifice & à capitulo Generali congregatio-

Congregationis Hispanicæ statutum est atque ordinatum, vt hæc potestas, saltem quoad rectum eius vsum alijs eam habentibus præscribendum, in Præside missionis duntaxat resideret, aut in eis quibus ipse eandem suo loco committeret, vt omnia fiant ordinate & in Dei timore, sicut à religiosis viris fidelis populus expectat. Nec verò hoc ideo in Breui isto positū est, quasi nos illud postulauerimus, vt sic necessitate quadam compulsi fratres à nobis penderent (mittimus conuitium de monachis aëreis, dubijs, & incertis, cui in priore disputatione satisfactum est abunde) quia non hæc nostra paucorum fuit petitio; adeoque vt pateat fuisse illud iudicium maximæ partis monachorum totius missionis, videat lector articulos Romæ propositos, qui sunt in appendice, pag. 17. & eorumdem articulorum 5.16. Quod vero dicitur in fine obiectionis, nos facultatum priuationem fratribus fuisse comminatos aut eos inter Catholicos traducere, & παραδειγματίζειν statuisse, nisi nobis ad nutum parerent, falsissimum est; nec potest ab illo aut vllo probari; ostendat & nominet personam, locum, tempus, occasionem; alias contra Christiani candoris conscientiam contra fratres suos testimonium falsum locutum se fateatur.

6. Ob. De exemptionis priuilegio.

Sextum argumentum pag. 208. proponit, in ignorantia crassa & affectata fundatum: nos vel dolo malo, vel simplicitate, vel alio aliquo titulo & respectu Hispanos monachos suis exuisse priuilegijs: dum eos virtute huius Breuis subiecimus Congregationi, quæ per ipsum Breue subijcitur episcopis, quòd ex vi clausulæ exceptiuæ, *dummodo sacris Canonibus & Concilij Tridentini decretis non aduersentur*, omni careamus exemptionis prærogatiua.

Resp. Per Breue hoc Apostolicum, nō tollitur ab Hispanis monachis exemptionis beneficiū.

Ignoranter, & inconstanter hoc ab eo dictum est, & imperite. Ignoranter, quia (vt in primæ conclusionis probatione dictum est) longe alius est sensus illius clausulæ, ab eo quem aduersarius somniauit: si tamen somniauit, & non potius simulauit; vix enim credibile est illum ignorare quibus verbis Congregationi Hispanicæ, in qua professus fuit priuilegia sint concessa, quam nihilominus exemptione plenissima gaudere, ferreæ frontis est, si audeat negare. Inconstanter etiam hoc ab eo dicitur, quia si nullam agnoscit Congregationem Anglicanam præter Cluniacensem, putatque nos debere propterea subiectionem Cluniacensibus: cur dicit nobis ex vi huius Breuis non dari exemptionem, cum saltem ex vi eiusdem non tollatur à Cluniacensibus exemptio olim concessa, ideoque nec vlli membro Cluniacensis ordinis aufertur? Imperite etiam hoc ab illo asseritur: quia etsi nos per huius Breuis indulgentiam nullo frui possemus exemptionis beneficio, adhuc tamen non sequitur omnes nobis subiectos eo ipso quo subiecti nobis essent, suis exui priuilegijs, quæ ante subiectionem iunctam habuissent. Nam in Concilio prouinciali Innocentianæ formæ nulla dabatur exemptio Prælatis ex vi constitutionis illius: & nihilominus aliqui Abbates Capitulo illi subiecti, vt Augustiniensis, Euishamensis, Edmundiburgensis, Westmonasteriensis, Albanensis, qui etiam ab Abbatibus non exemptis ex decreto Capituli sæpe visitabantur; suam ab Episcoporum iurisdictione immunitatem antiquitus concessam retinebant. Simili igitur modo Monachi Hispani ex auctoritate, & ordinatione superiorum Capitulo nostro, & nobis, dum in missione manserunt subditi, non propterea priuantur suis priuilegijs, quæ (vt aduersarius non ignorat, & ex ipsis constat priuilegiorum tenoribus) eorum personas [illegible] bona consequuntur vbiuis gentium atque locorum. Imperite igitur prætimuit fratribus nostris, vbi nulla fuit causa timoris.

7. Ob. An confirmata fuerit hoc Breui, vnio per definitorium postulata.

Audiamus septimam calumniam, in affectata ignorantia fundatam, quam proponit pag. 210. & latè posteà sophisticis iyngibus & fucatis coloribus amplificat. Diploma Pontificis non aliam confirmat vnionem quam quę vnanimi omnium consensu facta est in definitorio Parisiensi: Atqui patres missionis nunquam consenserunt, vt definitores aliam vnionem cōcluderent, præter illam quæ fuit insinuata in decreto Congregationis vniuersalis inquisitionis, facto feria 5. die 19. Maij anno 1616. quę longissime distat ab illa, quam pretendunt isti nouelli; ergo illorum vnio, quam nunc promulgarunt, quam vbique iactitant, quam alijs inuitis obtrudunt, nullo fuit Breui Apostolico confirmata. Maiorem probat ipsis illis Breuis Apostolici verbis. *Nobis nuper expositum fuit, quod alias in eorum definitorio Parisiensi statutum & decretum fuit*, &c. Minorem ostendit ex verbis decreti supradicti: *fiat vnio, sicut inter duarum Congregationum monachos hactenus concordatum est, licet tertia Congregatio adhuc non concordet*: At vnio inter duarum Congregationum monachos concordata & celebrata Duaci, quam vocari voluerunt quatuor articulorum inter monachos trium Congregationum Hispanicæ, Casinensis, & Anglicanæ (si ipsi Casinenses acceptare voluerunt) habebat hoc tertio loco, *vocabuntur omnes Monachi missionis Anglicanæ, licet simpliciter erunt omnes monachi Congregationis Hispanicæ*; & quarto loco hoc. *Si volunt Casinenses hoc modo accedere, accedant*. Male ergo propositum est summo Pontifici, quod vnio

vnio in Breui contenta, fuerit omnium votis concordata, quandoquidem ex dictis constet aliam longe vnionem fuisse inter monachos conclusam.

Difficile profecto est vel patientissimum hominem continere se, in tanta aduersarij calumniandi & fingendi libidine: quæ tamen si in aliquo vero, saltem quod ipse verum putasset, imitaretur, patientius esset ferendum; sed cum id in quo superædificat istam calumniam sciat ipse in conscientia sua falsum esse, certe putamus lectorem nobis parciturum, si aduersarij φιλόλογον ne dicamus ἀναγχυντίαν seueroribus verbis castigaremus. Sed dabimus etiam hoc fragilitati, & ipso omisso, argumentũ eius dissoluemus. Cuius minor supponit sensum decreti à mente ipsius Pontificis, & à textu ipso totoque decreti filo alienissimum. Ponit enim illis decreti verbis Pontificem decernere vnionem faciendam secundum illum modum & formam, in quam partes consenserunt, cum ex tota rei historia, quam initio quæstionis huius deduximus, manifestum sit, idque aduersarius non ignorauerit, non potuisse partes in aliquã formam vnionis consentire, propterea quod Casinenses procuratores non admitterent quasdam Hispanicæ Congregationis prærogatiuas, quas alij duo procuratores, Hispanicę scilicet, & Anglicæ Congregationis parati fuerunt admittere. Pontifex ergo decreuit, non aliquam formam vnionis specialem, quia tres procuratores ad nullum adhuc in particulari descenderant: sed cernens omnes tres in hoc vno solo conuenire, quod aliqua vnio esset necessaria, decreuit vt fieret vnio aliqua; & modum quo de ea facienda deliberaretur, præscripsit; & deliberationem factam, priusquam executioni mandaretur, suo examini & approbationi reseruauit. Hoc ipse contextus sequentium immediatius verborum indicat, videlicet: *Et in hunc, qui subijcitur modum inchoetur; eligantur nouem definitores &c.* præscribitque modum, quo deberent definitores conuenire, ad tractandum de vnione; potestatemque illis impertitur, dicens: *Prædicti definitores habeant potestatem ordinandi quæ ad missionem pertinent; &c*, qua amplissima potestate concessa, patet satis, definitores electos & indictos fuisse, non vt vnionem iam factam ordinarent; sed vt de aliqua facienda & ordinanda deliberarent. Nam quod adfert aduersarius de vnione quatuor articulorum quorum deliberationi aduersarius ipse adfuit, nec vnquam potuit adduci vt approbaret; ipse contra suam ipsius conscientiam loquitur, cum eos dicit communi omnium consensu fuisse acceptatos. Nam cum in eis nihil prorsus ageretur, quod vllo modo potuisset adferre præiudicium Congregationi aut missioni Hispanicæ, Vicarius & Assistentes iudicarunt, minimè necessarium fore, vt ea deliberatio communicaretur reliquis in missione laborantibus, sed tantum Generali, Capituloque Hispaniæ, quibus cum placuisset, in Angliam missi sunt articuli, vt executioni mandarentur; sed dum ille, cui commissio facta est eos promulgandi, moras necteret, & in longum rem differret, Anglicani, quibuscum illa vnio facta fuerat, rati propter moras illas aliquid incommodi subesse, recesserunt ab illis articulis præsertim imperante hoc illis superiore Cassinẽsium, cui etiam ipsi tunc subijciebantur. Alius vero eiusdem Congregationis, qui Romæ tunc commoratus, cum istorum articulorum copiam recepisset, aliam longe vnionis formulam proposuit, quam in appendice pag. exhibemus, eamque obtinuit vt Pontifex confirmaret, & missionis monachis iniungeret. Vnde exorta noua controuersia, tandem Procurator Hispanicæ missionis iustis rationibus exhibitis obtinuit vt illa vnio cassaretur; egitque instantissime nomine totius Congregationis Hispanicæ, vt nulla alia vnio fieret, quam qua subijcerentur & essent omnes incorporati Congregationi suæ; quam cum instanter reijcerent Casinenses & Anglicani per procuratores suos Romæ existentes; iniunxit Pontifex, vt ex communi consensu superiorum tractatus de noua vnione à Procuratoribus susciperetur, vt patet in appendice per procuratoriam & instructionem nostro Procuratori ex mandato Nuntij Apostolici concessam; in appendice pag. 21. & per actum compromissionis post multam diuturnamque contentionem inter tres procuratores cõcordatum; in quibus omnibus nulla mentio facta est huius quadriarticularis vnionis; sed expresse proponitur alia longe distincta, quam nostri & Anglicani approbarunt, Casinenses vero nequaquam; Cum igitur coram Cardinalibus nequidquam ageretur, vt Casinenses ad cõcordiam cum alijs duobus procuratoribus adducerentur: tandem prætermissis Casinensibus, decretum pro duobus alijs Congregationibus vniendis factum est. Itaque verborum illorum hic est sensus: Quandoquidem iam duæ Congregationes consentiunt & cupiunt vnionem aliquam fieri, decernimus vt fiat; sed quia hactenus non est actum de modo huius vnionis, vt fiat cum maiore animorum coniunctione & libertate, tractatus de modo vnionis excogitando, legibus eius formandis, ceremonijs, officio, habitu, totaque disciplina constituenda fiat in hunc modum; Vnde illud *sicut hactenus concordatum est*, significat τὸ ὅτι non τὸ ὅπως significat, debere fieri aliquam vnionem, sicut hactenus duæ Congregationes consenserunt aliquam esse necessariam, non hãc vel illam vnionem

Resp. Quod in definitorio fuerat conclusũ, Romæ erat approbatum.

nem debere fieri quia eousque nondum peruenerunt consensus, imo ne tractatus quidem: cum propter difficultates circa prærogatiuam Casinensis & Hispanicæ Congregationis exortæ, ita distinuerint procuratores, vt de alijs rebus non potuerint agere; sed neutro procuratore cedente, visum est Pontifici, (vt ex literis C. Bellarmini in appendice pag. 21. patet) Casinensibus omissis, vnionem alijs iniungere, modumque de ea tractandi præscribere. Neque verò hæc omnia latebant aduersariū, quippe cui omnia cōmunicabantur à superioribus quibus erat à consilijs, hoc controuersiæ huius tempore. Quod tandem dicit, patres missionis non consensisse in aliam vnionem, quam quadriarticularem illam; aut saltem non in hāc; imperitè ab illo dictum est; nam (vt ex illorum supplicatione, quæ est in appendice pag. 15. constat) nouem definitorum indictio ab illis ortū habuit, ipsorum votis & petitionibus data est à Pontifice: ipsi ita suffragando, præsumantur in iure & ratione transtulisse omnem suam voluntatem in voluntatem horum definitorum, & ex consequenti stipulatione quadam satis clara promisisse, staturos se illis decretis ac definitionibus, quæ ab his suis electis arbitris emanarent. Ridiculum enim est asserere, in Capitulis Generalibus & definitorijs conuenire patres vt ea statuant, quæ prius à tota communitate, singulisque eius membris fuerint admissa: sic enim non definitores, sed notarij essent nuncupandi. Sed conuentus huiusmodi fiunt, vt quia singulorum voluntates difficillime, aut nunquam possent ad vnum consensum produci, si cum singulis agi deberet: propterea pauci antiquiores, de quorum probitate cæteri omnes confidunt, citius, securius, & quietius res istas conficerent. Dicere autem, quod patres ita ex communi consensu conuenientes expectationem eorum, qui ipsos elegerint, frustrati sint: conuitium est, & non legitima exceptio. Ipsi enim patres dicūt se quod optimum in Domino iudicauerant decreuisse: decretum placuit Pontifici, placuit superioribus, placuit maximæ parti inferiorum; qui ergo dicunt, intercessisse dolum malum, debent hanc suam criminationem probare argumentis, non conuitijs; debent eum manifestam facere prudentibus rationibus, idoneis testibus, inuictis indicijs, non audacibus assertionibus, inanibus coniecturis, fictis falsisque fabulamentis.

Membrum Tertium.

De octaua obiectione, & calumnia monopolij.

§. 1. AN in vnione erigenda commissum sit monopolium? §. 2. Nullum intercessisse. §. 3. De literis R.P.F. Rudisindi præscribentibus formulā suffragandi. §. 4. De promittentibus, cōformitatē cum superioribus in suffragijs. §. 5. De vocabulo conspirationis. §. 6. De epistola P.R.F. Leandri, & practicis licitis. §. 7. An definitores electi fuerint eo munere indigni? §. 8. Vnde profecta suffragantium vnanimitas tanta? §. 9. Vnio nostra non requirit separationem ab Hispanica.

An in facto nostro cōmissum fuerit monopolium.

ACcedamus igitur ad octauam obiectionem, quæ extat pag. 182 221. & sequentibus, in hanc fere sententiam. Concilium Tridentinum nullas, irritas, inualidas declarat & reddit omnes electiones factas per monopolia & ambitiosum concursum ac prensationem eorum qui dignitates in ecclesiasticis sibi aut alijs appetunt: Atqui electiones nouem definitorum, Parisiensis dietæ, (sine quorum informationibus & legitimo processu Pontifex nunquam hanc nouellam Congregationem approbauisset) factæ sunt per verissimū monopolium, & ambitiosam prensationem suffragiorum. Quare proculdubio fuerunt non solum illicitæ, verum etiam inualidæ, atque adeo Breue illis innixū nullum, inane, & nihil reputandum est. Monopolij probatio aduersarij iudicio est apodictica, & quidem apodixi mathematica, adeo certa, ac omnem triangulum constare tribus angulis. Primo ex epistola P. Rudisindi ipsius, modo Præsidis prætensæ Anglicanæ, scripta ad quendam Religiosissimum *virum ordinis* S. *Benedicti* (verba sunt aduersarij) *qui tamen Deo sortes vertente in æternam detestationem talium monopolistarum ex earum lectione magis magisque confirmatus est*, *earum autem tenor talis est: Quantum ad patrem Vincentium spectat, totus est pro vnione nostra, & ideo acceptauit decretum Papæ, statimque mandauit Fratribus suis in Anglia existentibus, vt sine mora vlteriori, mittant huc sua suffragia, addantque in fine syngraphæ suæ in qua nouem nominantur, quod eo in casu, quo Itali acceptant hanc vnionem, nominant N. & N. ex nouem, quos quilibet nominaturus est. Quam adinuentionem nos adinuenimus eo fine, vt res diutius nō hærerent in suspenso, donec Itali responderent. Et sic imperabitur omnibus nostris, vt conformiter faciant, tum in Anglia, tum hic, vt citius expediamus:*

alias

alias enim finem visuri non sumus per annum integrum. Datę erant hæ literæ die, 21. Augusti Anno. 1616. Item in alijs literis, paulo post eodem Anno scriptis ad eundem 13. Septembris. 1616. *Aliqui, & non pauci, offerunt se mihi, vt meum dictamen sequantur* (glossa aduersarij, in-dandis suffragijs:) Item in alijs eodem tempore datis: *Indubie omnia bene succedent:* (glossa: circa electionem. 9.) *quia Duaci omnes infallibiliter conformes erimus;* (glossa, in electione certarum personarum facienda,) & circa finem earundem literarum: *P. Benedictus bene intrauit in Angliamè qua statim scribet; quamprimum inde scripserit, mittemus ad vos nuntium, vt vestr. s præparetis ibi, ad dandum suffragium; in hac domo, & in Collegio N. concorditer in idem conspirabimus, & spero ad vestrum votum.* Secundo ex epistola P. Leandri (verba sunt aduersarij) *qui sacræ Theologiæ Doctor, & Præses postea prætensæ Anglicanæ, in suis datis 6. Octobris 1616. ad eundem, sic ait: Puto quod hic, quantum ad suffragia, omnes eadem via incedemus, & ideo optarem vt non dares suffragium, donec plura à me audires. Quamprimum enim ex Anglia rem intellexero, tibi significabo, quo maxima pars inclinetur, vt conformiter, procedamus, & paucißimorum suffragiorum dispendium faciamus.* Atqui istæ literæ indicant manifestum monopolium, quod annullet omnem electionem; & repugnat tenori supradicti decreti vniuersalis Inquisitionis, quo præcipitur, vt eligantur nouem definitores ex toto gremio missionis, nullo, huius aut illius dictarum trium Congregationũ, habito respectu, sed tantum hi eligantur, qui in eligentium *conscientia iudicabuntur sanctitate, virtute, & prudentia, & religionis vsu præstantiores, & magis idonei. Cæterum per has istorum practicas, prodierunt inter definitores, tres cacocœnobitæ* (nota charitatiuum aduersarij characterẽ) *Anglicanæ Congregationis prætensæ, quorum profeßio est dubia Vincentius, Mayhewus, & Sebertus alij tres, Leander, Rudisindus, Thomas, Duces apertæ factionis nouæ, pro nouella Congregatione erigenda; & tres alij, Haddoquius, solus constans pro sua Congregatione, Gabriel* (debuerat etiam nominare hunc aduersarius, quia nũc & cum hæc scripsit aduersarius, est illustrissimus ecclesiæ Præsul, & Anglorum lucidum decus, Archiepiscopus Rhemensis) *& Benedictus, qui duo erant aperte vacillantes; aut adeo inconstantes, vt non auderent contradicere, sed pollicitis facile cessérint; aut certe, nihil valuissent, contra alios sex, etiamsi voluissent recta via incedere.* Non est ergo dubium quin in ista definitorum, electione apertissimum interuenerit electorum monopolium.

Quæ ratio multo videbitur validior, si hæc addatur coniectura: Breue Pontificis manifeste supponit statutum Definitorij de nonnullis executioni mandandis, quæ per ipsum Breue confirmantur; & statutum illud non supponitur tale, nisi prout emanans à libero consensu patrum, quos illi nouem definitores repræsentarunt: Atqui vnio facta statuto definitorij, non potuit emanare à libero consensu Patrum eligentium, seu repræsentatorum, vt probat clausula literarum P. Leandri anno 1615 scriptarum, ad Nuntium Apostolicum; in qua *asserit, aliquam sane vnionem inter nos esse necessariam, aut certe maxime vtilem, atque ita omnes omnino Mißionis monachos iudicare, ita §. 1. & 14.* illarum literarum. Et post varias rationes hinc inde allatas pro varijs modis vnionis possibilibus, quarum aliquam pro arbitrio Pontificis designandam proponit, insinuationem hanc adducit: *Perpendendum, quod forsitan maxima pars eorum, qui in Hispania profeßi sunt, potius deserent mißionem, quam Congregationis suæ obedientiam, qui tamen potissima & præstantissima pars sunt missionis in Anglia & extra Angliam.* (Totas has literas P. Leandri inuenies lector, in appendice, pag. 17.) Ex quibus infert aduersarius fortissimã διαχελεύσιας *Qui ergo verisimile est; hos patres consensuros in separationem à sua Congregatione, quam Romæ statim obtinuerunt nouellæ synagogæ professi, migraturosque ad hanc aeream, Hispanica matre relicta?*

Quoniam hæc est præcipua aduersarij obiectio, qua etiam nonnullorum commouit animos, quibus persuaserat, ostenso hoc suo scripto, vera esse, quæ hic de monopolijs nostris criminatur; ostendemus (deo duce) ipsum hac in re nihil præter meras dicere calumnias, & ex legitimis actionibus, imo ex statutorum licitis formulis (sicut aranea venenum ex saluberrimis floribus,) falsissimas inferre consequentias; idque ita clare & euidenter ostendemus, vt detestetur lector religiosus tam manifestam aduersarij sycophantiam. Ergo negamus intercessisse in electione definitorum, aut monopolia, aut ambitum, aut illicitam suffragiorum prensationem: Ad probationes ex literis sumptas, respondemus primo generaliter & coniunctim pro vtroque epistolarum authore: Si liberet illis contra ius naturæ, Christianæque charitatis synceritatem mundo patefacere, quæ à viris religiosis, qui forsitan aduersario in vnione hac impugnanda fauerunt, ad vtrumque istorum, qui accusantur, scripta sunt, quæ adhuc penes se habent; quam directè illis suasum ab aliquibus fuerit, vt quia summa esset eorum in missione authoritas, & occasione huius decreti maxima offerretur, Hispanicam Congregationem promouendi opportunitas: facile appareret, quam non vererentur monopolia qui nunc nos eorum accusant. Sed quia alios criminare, non est sibi obiectum crimen

Resp.

Nullũ in suffragatione monopolium intercessisse.

diluere & purgare, ideo alios ſuis relinquentes conſcientijs, pro nobis reſpondeamus. Interim accipiat lector benignus hanc à nobis admonitionem, vt animo ſuo recondat, quam inhumaniter agat aduerſarius, qui ex ſecretis literis ad amicos quanto potuit & ſolitum eſt fieri arcane ſcriptis, clauſulas in publicum producit; quod exemplum peſſimum eſſe, & contra commune vinculum humanæ ſocietatis peccare, nemo temperati iudicij arbiter negabit. Rurſus, aut has literas aduerſarius doloſè ab eo, ad quem ſcriptæ fuerunt, ſurripuit, & plagiarius eſt; aut ipſe ad quem ſcriptæ fuerunt, eas aduerſario fiducialiter commiſit, nihil minus veritus, quam quod ijs contra earum authores abuteretur; & tunc præuaricator eſt; aut forte etiam ille, ad quem ſcriptæ fuere, etiam aduerſario ſe coniunxit, eique arma hæc contra nos ſubminiſtrauit, & infidelis ſecreti reuelator eſt. Quæ de modo arguendi ex literis priuatis dicta ſint: nam de rebus ipſis, quæ in literis illis comprehenduntur, prout à nobis ſcriptæ ſunt, adeo nos non pudet, pigetue, vt vltrò fateamur eas veriſſime ita ſe habere, & quæ narrantur in ijs facta, legitima forma geſta fuiſſe ſtatim demonſtrabimus; ſi prius etiam illud lectorem moneamus, ſcriptas à nobis Anglico idiomate fuiſſe: ab aduerſario autem traductas, prout ipſius propoſito maxime quadrarent. Iã ergo priori loco de literis R.P. Rudeſindi primo loco recitatis: dicimus, aduerſarium, ſi non fuiſſet authoris æmulatione animus eius in tranſuerſum raptus, omnino videre potuiſſe, nihil prorſus monopolij ex eis colligi, ſed omnino prudentem & neceſſarium modum præſcriptum, vt negotium ſuffragandi, quod alias in longum cauſando fuiſſet productum, breuiſſimo temporis interuallo abſolueretur.

De literis P. Rudiſiudi præſcribẽtibus formulam ſuffragãdi.

Res enim ita ſe habebat. Quia Patres Congregationis Caſinenſis nondum declarauerant, an vellent ad vnionem hanc, quam meditabamur ex præſcripto Pontificis tractandam ſeſe adiũgere, aut in Definitorio futuro conuenire; & ob hanc cauſam etiam Patres Congregationis Hiſpanicæ videbantur ſua dilaturi ſuffragia pro nouemuiris eligendis, donec ipſis de voluntate Caſinenſium conſtaret; idcirco literas illas, aliaſque illarum tenori conformes ſcripſimus, omnibus patribus Miſsionis communicandas, monentes eos, quod ſiquis eorum iudicaret aliquos Caſinenſium pro definitorio nominandos, ita ſuffragiorum ſuorum ſyngraphas diſponeret, vt primo loco vnuſquiſque nouem viros, quos dignos iudicaret, ex tota miſſione Hiſpanica, & Congreg. Anglicana duntaxat nominaret, quos moraliter certum erat officium acceptare poſſe & velle. Deinde poſt hos omnes, ſub conditione, ſi Caſinenſes acceptare vellent, quot ex illis arbitraretur nominandos, ſcriberet hoc modo: *Item caſu quo Caſinenſes ad hunc tractatum velint ſe adiungere, nomino N. & N. pro definitoribus, loco N. & N. ſuperius nominatorum, alias ipſos ſuperius nominatos, ratos habeo. Ego talis.* Vbi clarè patet nullum eſſe monopolium, aut ambitum, vt aduerſarius cum ingenti temeritate iudicauit: Sed meram formulam iniunctam patribus, qua deberent ſuffragia ſua deſcribere: non præſcribentem illis quoſnã ἐν ἀτόμῳ (vt loquitur aduerſarius) & indiuiduo deberent nominare; ſed relinquentem hoc ipſorum vniuſcuiuſque arbitrio, duntaxat vt quoſcũque vellent nominare, ſeruarent ſupradictam formam inter nominãdum. Sic enim illuſtriſſimus Nuntius informatus ab ipſis Caſinenſibus, aut à noſtris, an omnes vel aliqui, vel nulli Caſinenſes vnionem acceptare parati eſſent, potuiſſet eodem tempore, ſine longiori mora, aut aliquos, aut nullos ex eis, ſecundum ſuffragia recepta, in numerum Definitorum referre. Et hæc ipſa formula, poſtea in definitorio ſtatuta eſt, pro electionibus futuris in poſterum per ſuffragia ad Capitulum Generale in ſcriptis tranſmittenda. Atque hoc ſignificat illa clauſula, *imperabitur omnibus noſtris vt conformiter faciant*, non vt conformes ſint in eiſdem ἐν ἀτόμῳ perſonis nominandis, quas nos illis propoſuiſſemus, prout ineptiſſimè interpretatur aduerſarius; ſed vt eadem omnes ſuffragandi formula vteretur, prout in omnibus electionibus fieri ſolet. Nam illud prius; quomodo potuit omnibus noſtris imperari? quamtumuis leuem de prudentia & ſcientia noſtra habeat aduerſarius exiſtimationem, non tamen potuit ita imprudentes & ignaros iudicare, vt vel arbitraremur teneri omnes noſtros tam abſurdo & illegitimo præcepto obtemperare; aut tam imprudentes, imo impudentes, vt viris doctis, grauibus, religioſis, antiquitate & experientia præcipuis tale quid imperaremus, quod ſciremus à nobis non poſſe validè præcipi, ab illis licite non poſſe ſuſcipi; & apertum monopolium noſtrum literis publicis & diplomatis patentibus (qualis illæ erant literæ) omnibus miſſionis patribus, inſinuaremus. Qui monopolia paciſcuntur, clam hoc faciunt, & in ſecreto, non aduocatis illis in teſtimonium, quorum intereſſe ſcitur negotium. Deinde quid aliud indicat ratio huius præſcriptæ formulæ, in fine literarum additæ; *alias finem viſuri non ſumus per integrum annum*? quid aliud indicat, quam formulam illam ad compendium adinuentam eſſe, vt quam celeriter omnia expedirentur? nam ſi ambitus fuiſſet aut prenſatio, dixiſſet author literarum, *alias vincemur numero ſuffragiorum ab alijs, quibus cupimus præualere*, vel quid ſimile; quod tamen nec

per

per torcular vllum, potest apud prudentem lectorem ex illis literis exprimi, aut extorqueri.

Ad alia verba ex sequentibus literis decerpta, quod multi sese offerrent sponte sua, vt P. Rudesindi Prioris sui, dictamen in suffragijs pro electione dandis sequerentur: propter quod indicat infallibile fore, vt omnes ibidem in suffragationibus futuri sint conformes, & vnanimes: Quid ibi latet mali, quid iniusti, quid vetiti? quid vel speciem habet ambitus aut ex parte consultoris, aut ex parte consulentium? Plærique omnes, de quibus loquuntur illa verba, non nouerant Casinenses, non nouerant Anglicos, non nouerant antiquiores patres suæ Congregationis Hispanicæ: tenebantur igitur in conscientia, ab alijs quibus fidebant, qui eos nouerant, sciscitari, quinam essent in tanto numero ignotorum idonei? nec temerè, stultè, & cæco modo, tanquam inopes iudicij, eligerent eos, quorum virtutes aut vitia nullatenus agnouerunt. Quem autem melius & securius consulere potuerant in ea re, quam Priorem suum, qui eos omnes, de quibus erat quæstio, optime nouisset; cum in conuentu, præter ipsum Vicarium Generalem, nullus alius monachus esset, qui eos nouisset; & in collegio N. aduersarius viueret, cuius fastuosum, difficileque ingenium nouerant, & auersabantur; siqui alij ibidem viri graues fuerant, (vt sane fuerunt) quomodo scit aduersarius, multos non etiam ab illis sciscitatos fuisse, quod in re tam graui, à qua tranquillitas animorum suorum penderet, facere ipsis expediret? Putatne Priorem, P. Rudisindum, aut alios graues viros, quos ipsi in simplicitate cordis, & in timore Domini consulebant, non debuisse illos in conscientia rectè informare, dummodo id facerent sine vlla aliorum iniuria? Tenebantur absque vllo dubio, tenebantur in conscientia, ipsos de omnibus rectè & inculpate informare, ne peccarent grauiter temere & inconsiderate, & ignoranter suffragia sua proijcientes potius quam ferentes. Atqui (id enim videtur fundamentum aduersarij, si tamen vllum habeat fundamentum in re, & non potius sit vna ex chimæris illius, in esse obiectiuo somniatis) isti consulentes videntur id fecisse vt gratiam Prioris sui inirent, & rebus suis melius consulerent: & Prior callide ad hoc ipsos induxit, vt ita sub specie informationis, ipsorum suffragia lucraretur. Hoc iam in literis illis non dicitur, hoc iam ex illis ne quidem probabiliter sequitur apud bonos arbitros, quorum est, iuxta regulam Christianæ charitatis, actiones proximorum suorum etiam dubias, in meliorem partem interpretari; quanto magis actiones quæ possunt habere laudem virtutis, humilitatis, obedientiæ, & prudentiæ. Quin tu temerarie iudex intentionis quam alij fratres tui in secreto cordis sui celarunt, quam solus Deus *cardiognostis* nouit, desine diuinare: & siquid potes iuridice probare, illud profer; suspicionibus, & sinistris interpretationibus, quarum nullus est testis, nullus arbiter, nullum solidum fundamentum, apud homines rationis compotes abstine. Si suspicari si diuinare, si probabiliter aliquid ex hoc facto colligere voluisti: cur non potius colligebas magnam fratrum erga Priorem suum reuerentiam, plenam de eius synceritate & rectitudine æstimationem, vnanimem concordiam, qua omnes idem cum suis superioribus velle, idem sapere cupiebant, inde colligebas? Non est enim illud vitio dandum, sed potius laudi conuentus, quod ita honeste de superioris sui æquitate iudicarent, qualiscunque ille reipsa sit in se & coram inspectore cordium Deo suo, coram quo non diffitetur se seruum inutilem, & ingratum; sed tamen quod ad monopolia attinet, ita se coram Deo & Sanctis eius profitetur immunem, vt siquis omnino religiosus vel sæcularis voluerit & potuerit probare vel teste, vel iuramento in animam suam suscepto, ipsum pacto, precibus, minis, præmijs, promissis, aut suasionibus ad suffragium sum secundum ipsius arbitrium ferendum induxisse, vel inducere tentauisse: paratus sit sine vlla tergiuersatione, pœnas Monopolistis debitas, & quamcumque præterea grauissimam pænitentiam subire.

De offerentibus se ipsos in suffragijs conformes voluntati superiorum.

Sed cur tu, translator voluntarius, in literis istis conspirationem posuisti? omnes proculdubio *conspirabimus*; Non putat author literarum se dictionem aliquam posuisse, quæ valeat conspirationem; imo certus est se nullam talem posuisse, nec in illa futuri significatione quæ hic innuitur. Nam futuri illius apud Anglos duplex est enunciatio: alia, quando significant rem ita futuram; siue hoc à voluntate illius, qui loquitur, aut de quo sermo est, pendeat, siue non pendeat, cuius signum est *shall*, *we shall agree*, infallibiliter futurum est vt conueniamus, alia verò, cum indicare volunt, aliquem statuisse apud se quippiam facere, cuius signum est, will *we will agree*: volumus cõuenire, statuimus cõuenire. Deinde cõspirare apud Anglos sonat in malum, *to conspire*, est coniuratione seditiose facta aliquid perperam, & inique proponere; non est ergo vsus author literarum verbo *conspirandi*, sed *conueniendi*, concordandi, aut aliquo simili, quod vnionem diceret voluntatum, non conspirationem factionum; nec posteriori futuro vsus est, quasi dixerit, conueniemus *we will agree* id est, volumus conuenire, statuimus quasi compromisso quodam conuenire; sed futuro priore, conueniemus,

De vocabulis conspirationis.

we shall accord, futurũ est proculdubio vt conueniamus, ita videmus hominum voluntates inclinati, vt moraliter loquendo infallibile sit nos conuenturos. Si ita non est, vti dicimus (quanquam res etiam tum potest alio modo apud pie affectum animum bene exponi) tamen si ita non est, proferat aduersarius chirographum Anglicum, quod tam solicite in diem malum, in diem iræ, homo ingratus beneficiorum ipsi à fratribus, quos impugnat, præstitorum seruauit.

Ad epistolam quod attinet P. Leandri, pudere profecto debet aduersarium, & siqua frons illi est hominis modesti, siquam genam habet relictam verecundiæ, rubore toties suffundi oporteret, quod illum virum ita tractet inhumaniter; cui tantum debere ipsum amoris, tantum gratitudinis, tantum denique reuerentiæ sciunt omnes missionis fratres; vt si vel aliquid pro fragilitate humana P. Leander commisisset (quod fatetur non esse in se mirum aut nouum) tamen ab isto potius debuerit pallio amicabilis silentij contegi, quam loquaci accusatione publicari. Cæterum hac in re profitetur P. Leander, quamuis fuerit nonnihil contristatus, tam male sibi cessisse optimam, quam de te semper habuit existimationem, summamque tibi benefaciendi voluntatem; tamen profitetur se tibi non succensere, sed merito seipsũ pænas luere, qui te contra superiores tuos immerentem defenderit, qui te ad hunc locum existimationis, quem possidere videris, prouexit; qui, vt cum poeta dicamus, seruauit animã (minimũ est hoc laudis) ingratam. Melius enim iudicauimus parodiam quã ipsũ carmen ponere. Fatetur etiam se propter suam erga Deum ingratitudinem, meruisse hominis, quem amicissimum sperabat, & cupiebat, inimicam maledicentiam. Sed quamuis non neget, quin multa habuerit commiseritque, de quibus aduersarius potuisset eum merito, non accusare solum, sed etiam patenter arguere: tamen hac in causa gaudet conscientiam suam sibi nullam culpam attestari, sed omnem penitus immunitatem. Si locum dignitatis ambiuisset, in suo monasterio, in Congregatione Hispanica, in Lotharingica, in alijs magnis monasterijs non illi defuisset quod ambiret, multo melius, securius, tranquillius, gloriosius, sublimius. Sciunt patres missionis, quorum appellat hac in re conscientiam, ipsum inuitissimum fuisse è Lotharingia (in qua inter religiosissimos Patres S. Vitoni & Hidulphi, locum desideratissimum obtinuerat) pertractum ad Vicariatum missionis suscipiendum, nec illum vllatenus ambiuisse, sed partim Patrum Missionis desiderio, partim amplissimo superiorum suorum iudicio assumptum fuisse; nec nisi ægerrimè in eodem officio vt perseueraret, persuasum. Non quod præesse tantopere aut horreat, aut nolit, (rotundè enim & candidè suum fatetur ingenium) vbi prælatio habet, vnde sine cura & molestia temporalium abunde fratrum & suis necessitatibus succurratur: sed quod iudicet semperque iudicauerit miserrimum esse prælatum, qui magnum gregem habent pascendum, angusta autem pascua, exile pabulum nisi quod ingenti cura & solicitudine debeat continuo prouidere. Sed siue hoc genus pauperis prælaturæ, siue aliud abundantioris & pinguioris fortunæ particeps cuperet: (vt homo est, & à se nihil humani alienum putat,) tamen virtute id ambire vellet, non fauitoribus; prensaret id modis licitis, apertis, manifestis, non monopolicis, illegitimis, clancularijs. Et hæc de se præfatus (quia crudelis est, qui famam suam negligit, præsertim hoc sæculo, hoc rerũ statu, in quo licet sufficiat ipsi conscientia sua, necessarium tamen fratribus suis, atque Catholicis benefactoribus est bonum nomen ipsius) ad epistolam quam adfert aduersarius, non negat eam; fatetur se rogasse amicũ vt prius quã suffragiũ suum daret, audiret ipsius iudiciũ & consilium; nec ab isto solum hoc rogauit, nec hac tantum vice: sed omnino generaliterq; profitetur, sese ita comparatum esse, eamque induisse conscientiam vt quotiescumque de electionibus sit agendum, aperte sine aliorum iniuria suam dicturus sit sententiam, alijsque quibus videt ad bonum religionis opus esse consilio suo, in tam graui re, in qua disciplinæ regularis cardo vertitur, confidenter imperititurum, etiam non rogatum. Hoc tamen sine bonorum virorum denigratione, sine minis, aut importunis precibus, sine pactis aut promissionibus, aut muneribus: quorum aliquod si aduersarius probauerit ab illo in hac re fuisse vsurpatum, tunc demum, causam fæliciter perorauerit; sin autem non potuerit (vt audenter coram diuino iudice, & saluatore nostro Christo protestatur, non posse ab vllo hominum probari) tunc aduersarium infæliciter in caput suum proximo fratri, cui multum debuit honoris & amoris, detraxisse constanter affirmat. Adeoque, quia locus hic est, & aduersarius insipientem esse coegit (sed qualem insipientiam etiam similes calumniæ Apostolo Doctori gentium imposuerunt) inuocat Deum testem suæ in hac re innocentiæ, & tam aduersarium, quam alios quos ipsius aduersarij suspiciones transuersos egerunt, Deo nostro corripiendos in misericordia relinquit, qui hominem cupientem illis ex animo seruire, & in nulla re hactenus illis molestum, aut infestum, tam falso & temere de ambitione & monopolijs,

polij, quæ nunquam probare poterunt, incuſarunt.

Sed ad rem ipſam, ad accuſationem redeamus. Dicit idem Pater Leander, ſe non ita incurioſum conſcientiæ ſuę, nec ita ignarum iuris diuini & Eccleſiaſtici, vt non ſciat, & non abhorreat omne genus monopoliorum; Aut vt vereatur ne ſtultis & temerarijs Cenſoribus videatur monopoliſta, quando ea, quæ iudicat in timore Dei, è re religionis fore, alijs, qui ipſius auctoritatem æſtimant, conſulere. Adeoque de bonorum virorum, qui religioni præſunt meritis, & de indignitate eorum, quos non temerę præſumitur religioni multum obeſſe, aut obfuturos, certiores faciat ei, quorum ea cognitio intererit. Nec hoc eſt contra canones eccleſiæ, aut legem Dei: audiat aduerſarius vicarium Chriſti, Gregoriũ Papam decimum tertiũ, nationis noſtrę dulciſſimum, dumtaxat poſt Gregorium magnum, parentem, & ſeminariorum noſtrorum Erectorem (vt referunt Caſſinenſes Patres in prima parte conſtitutionum ſuarum, quæ cum declaratorio ſanctę regulæ circumferri ſolent) cap. 4. vbi poſtquã cenſuras contra monopolia à ſede Apoſtolica ſtatutas propoſuiſſent, iſta ſubinferunt; *Ad ſerenandas vero Abbatum & monachorum noſtrorum conſcientias, & omnem ab eis prorſus ambiguitatis ſcrupulum remouendum, declarauit ſanctiſsimus* Dominus *noſter* Gregorius Pontifex 13. *quod propter ſermones qui in ſimul, non ambitus, vel alterius improbæ, ſed bonæ intentionis cauſa de idoneitate vel inſufficientia ad* Definitoris *officium eligendorum habiti fuerint, ſeu quos in futurum haberi continget, ſupradictas, aliquaſue alias ſententias, cenſuras & pœnas non incurrerint, aut incurrant.* Et vero quæ ratio ęquitatis permittit vt incurrere debeant? Vt equum quis emat, vt procuratorem quis ſibi ſtatuat, vt in ſæcularem magiſtratũ quis cooptetur, non cœco iudicio procedunt homines, ſed cauſas, rationes, emolumenta, incommoda, vitia virtutes rerum & perſonarum ante examinant, quam certi quid conſtituant: & in præponendis animarum rectoribus non licebit, de qualitate, & aptitudine præponendorum, ſanctè & prudenter inter ſe conferre; priuſquam ad libera & ſecreta ſuffragia procedatur? Doceat nos aduerſarius id non licere; doceat nos, electores nullo modo dubia ſua occurrentia, in quibus ſæpe fit, vt niſi bene ſe mutuo informent, peſſundent communitatem & rempublicam Eccleſiaſticam, debere inter ſe diſcutere: ſed muto modo tantum fabas in vrnam conijcere, & inde concuſſa vrna exemptas computare. Aut licebit dyſcolis & petulcis hominibus, ſeipſos coniuratione valida concatenare, vt ſuis deſiderijs facientes præpoſitos nanciſcantur: non licebit autem timoratis conſcientijs inter ſe conſultare, & præcauere, ne ſimiles præfecti prurientes auribus ſubditorum ſuorum eligantur, qui eneruent diſciplinam regularem, & omnem pietatis obſeruantiam euertant? Hoc ſane qui pię ſcrupuloſæ mentis anguſtia ſibi perſuadent, rationem fortaſſis aliquam ſuæ conſcientiæ habent non contemnendam: at proculdubio longè ſecurius eſt viros bonos, non pactis & monopolijs quidem, ſed conſtanti libertate & fortitudine ſeſe armare, vt iunctis animis atque conſilijs ignauos fucos, ab aluearibus religionum ſanctarum arceant; & apros ab areolis floridis domus Dei conculcandis abſterreant; nec magnopere vereri debent, ſi ab aduerſarij ſimilibus habeantur monopoliſtæ, aut ambitioſi prenſatores: ſufficiat nobis quod apud viros probos eo ſaltem in loco ſimus, ij eſſe cognoſcamur, qui non contra votum paupertatis, contra ſuperiorum obedientiam, contra reformatæ diſciplinæ decus, contra ſancti habitus exiſtimationem ſequamur vadimonia, nec excitemus lites beneficiarias in ſæculari foro, nec pingues Cluniacenſium præpoſituras exambiamus, quas obtentas aut ſoli abliguriamus, aut in vſus noſtræ philautiæ conuertamus: Sed qui pro dilectis fratribus, noſtros qualeſcumque labores libenter collocemus, & quicquid ex illis emolumenti deuenerit, in communitatis noſtrę commodum transfundamus. Hęc agentes hiſque immorantes, pro minimo ducamus, ſi paucis dyſcolis aduerſarijs per anonymos infameſque libellos tanquam monopoliſtæ falſo ſimul, & improbabiliter traducamur.

Sed ad conuitium illud aduerſarij ſuperbum & intolerandum veniamus, quo audet dicere, per noſtras illas diligentias factum, vt nouemuiri emerſerint officio indigni, contra diſpoſitionem Pontificij decreti: quorum aliquos vocat *Cacocœnobitas*, alios duces factionis, alios tandem inconſtantes, volitantes vacillanteſque animas: vnum tantum ſuo calculo dignum, cum riſu & indignatione fratrum, qui omnes norunt pronunciat: Ad hoc ſic dicimus, vrere id ipſius maleuolentiam, quod longe aliter ac exiſtimauerat, miſſionis patres in re tanta, bona ſequuti fuerint conſilia; & non obſtantibus ipſius aliorumque ſodalium eius clancularijs & obſcuris practicis, eos viros elegiſſe, contra quos nihil habet quod obijciat, præter verborum conuitia, quæ nullis vnquam probare poſſit idoneis rationibus aut argumentis. At nos, etſi multa hac in re poſsimus dicere, quibus rationem huius electionis, perſonarumque electarũ dignitatẽ ab ore duro aduerſarij tutaremur: ſufficere tamẽ exiſtimamus, ſi breuiſſime, & nuda ἐξηγήσει oſtendamus, quid vero ſimiliter induxerit miſſionis monachos, vt

An definitores electi fuerint eo munere prorſus indigni.

contra stomachum aduersarij & similiũ Cacozelotarum, tanto consensu in hos nouem definitores conuenerint. Etenim imprimis ipse fatetur aduersarius, & res ipsa planè indicat P. Robertum Haddoquium, tunc temporis superiorem Missionis in Anglia iure merito fuisse, electum: Ratio etiam rectæ prudentię conuincit, duos procuratores P. Benedictum, & P. Sebertum, qui Romæ totam causam per aliquot annos partim contrarij, partim concordes egissent ac propterea mentem Pontificis & Cardinaliũ, rerũque omnium peculiares & singulares difficultates, exigentias, circumstantias haberent in numerato: huic conuentui interesse debuisse, vt cęteros in dubijs necessario occursuris luce suæ experientię praxisque rectitudine dirigerent. Quod vero duo præsides congregationum vniendarum, P. Leander, & P. Robertus Vincentius ad idem designarentur à subditis fratribus suis, nemini mirum debet videri: mirum potius videri debuit, si fuissent exclusi: quia illi soli in re tanta neglecti, potuissent auctoritate sua impedire, ne quis vnquam conuentus fieret. Patrem Gabrielem Giffordiũ de S. Maria, tunc Prior loci, vbi conuentus debuit iste celebrari, certum etiam fuisse, hunc pro insigni viri Gloria & pręstantia, nemo nisi inuidus dubitabit. Nam qui tantus tunc habitus fuerit inter fratres suos, vt Primus Præses congregationis in eo definitorio sit renunciatus, quatenus à tam illustri persona exilitas nostra dignitatem splendoremque sibi conciliaret: qui vix dum à suis factus *Præses*, à Christianissimo Principe Galliarum, Episcopus, suffraganeus tandem Illustrissimus Archiepiscopus Rhemensis Ecclesiæ Gallicanarum Ecclesiarum magistræ sit declaratus: mirum videri non debet: certe non fuit indignus qui in nouemuiratu nostro locum haberet. Imo inde conijceret quiuis bene affectus arbiter, non fuisse contemnendas personas, inter quas tantæ præstantiæ vir inuentus fuerit. Iam de P. Torquato, non potest aduersarius, imò nec audet indignum eo loco dicere; & quicquid ille audeat, certum est maximam partem fratrum in missione laborantium in ipsum sua concecisse suffragia; nec dubitamus, quin si aliqua talis pro communi causa facienda esset electio, idem essent ijdem fratres de eo iudicium facturi. Restant ergo duo, P. Rodesindus & P. Edoardus Mahew, ambo Priores tunc præcipuarum residentiarum, ambo à suis conuentibus in pretio & existimatione habiti; ambo prę alijs patribus missionis, in controuersia vnionis exercitati; vnus eorum sacræ Theologiæ magister & Professor, alter eorum ætate prouectior, & vitæ in Anglia anteactæ testimonio probatus, in literarũ laude non contemnendus, vtrumque aduersarius Satyricis sarcamis, potius quam solidis methodis impugnet; quid mirum igitur, si etiam illi præ multis alijs in hoc collegium fuerint assumpti? Hæc itaque satis ostendunt, personas ipsas electas eius fuisse meriti & existimationis, saltem apud omnes fratres nostros (nam diuinum iudicium nec nos nec aduersarius arrogare debemus) vt omnibus circumstantijs iusto pondere rationum libratis, vix potuerit tunc temporis aliarum personarum electio celebrari: Quandoquidem igitur ipsimet electi, non fuerint electione indigni, sed plerique ex illis, propter adiacentes rerum temporumque circumstantias omnium, qui tunc apprehendi poterant, dignissimi: cum deinde nec probetur ab aduersario, nec appareat vero similiter ex omnibus quæ ille vndique corrasit, vitium aliquod ambitus damnati, aut monopolij vetiti, ex pacto, vel illicita (vt vocant) practica contra ius & æquum, vel ex subornatione illicita, sponsionibus, minis, stipulationibus, conuentionibus, iuramentis, importunis precibus, alijsue contractuum aut quasi contractuum vinculis formata, auferente, minuente, vel restringente plenam & integram libertatem suffragiorum, (prodeat enim vel vnus, qui talis quid sibi à nobis contigisse suasionis affirmet;) temerariè, & insolenter, & contrà Christianæ ac religiosæ charitatis normam fecit aduersarius, qui tanto criminis infamiam fratribus suis aspersit, leuibus tantum coniecturis, ex Epistolarum non bene intellectarum serie, improbabiliter per torturã expressis innixus. Et multo magis culpanda est eius conscientia, qui non solum eas criminationes, quas probare non potest, spreto legitimi examinis ordine infami & anonymo libello impresso diuulgauit: verum etiam (quod omnem excedit temeritatem) religiosos viros subditos audet directis persuasionibus inducere, vt propter has ratiunculas suas, legitimis & iamdudum agnitis sine omni ambiguitatis scrupulo superioribus, facti rebelles & increduli, etiam de sua abrenuntiationis validitate dubitarè incipiant, & tantum non se ad secularia vota licite redire posse existimant. Quod si obiectiones, etiam probabilitatis speciem aliquam præ se ferentes, ab ignotis tamen hominibus, & clancularijs tenebrionibus factæ; imo à nobis etiam aut illustribus personis prolatæ, sine iuris tamen ordine, satis essent, vt subditi suis superioribus canonicam denegarent obedientiam: nullus ordo in republica Christiana perseueraret inconcussus, sed anarchicus horum, & ὀχλοκρατία quædam fœdissima omnes iuris ęquitatisque terminos peruerteret idcirco salubriter impomani cõmunitate seruatur, donec practicæ (vt vocant) in superiorum electionibus probentur

bentur iniquæ, & monopolia conuincantur fuisse vera, subornationesque prohibit~, declaranturque talia, per legitimi iudicij in foro competenti sententiam, vt qui in superioratus dignitate & officio sunt constituti, in eodem pro tempore ordinariè debito possint licite perseuerare, subditique eisdem secundum conscientiam, & canonicam obedientiam teneantur obtemperare; vt expresse habet Leon: Lessius lib. 2. de Iustit. cap. 19. dubit. 3. Et est sane miranda huius aduersarij nostri [illegible], in seipsum semper incurua, erga superiores regulares semper rigida: nam apud eum eiusque collegas (nouit quos innuimus) si exceptio legitima quantumcumque in iure valida, contra beneficiarium possessorio, etiam cõtra superiorum suorum licentiã, fruentem proferatur, nihil tamen operabitur contra beneficiarium, donec per idoneum iudicem declaretur exceptio valida, & iuxta eam beneficiarius sententia lata condemnetur. At si ab eo, contra superiores possessorio etiam gaudentes, friuola quæuis obiectio de monopolio, & ambitu proponatur, valebit contra superiores (quibus tamen cæteris paribus canones fauere præsumuntur) etiam antequam à iudice idoneo illa exceptione admissa, superior condemnetur. Quare hoc? quia nempe aduersarij theologia & iurisprudentia, non suum cuique tribuit, sed sibi tantum fauet, de aliorum autem causa & iustitia parum solet esse solicita.

Vnde profecta vnanimitas suffragantium:

Sed satisfaciamus aduersarij curiositati, sicut satisfecimus eiusdem calumniæ videtur enim saltem mirari, vnde nos potuerimus iudicium illud colligere, infallibiliter fore, vt omnes in suffragijs ferendis conformes & vnanimes essemus: quia putat hoc non potuisse à nobis sciri ex vllo alio fundamento, præterquam pacti aut monopolij. At quamuis non sit illi factorum nostrorum ratio reddenda, sed tantum iniquæ eius criminationes retundendæ: dabimus tamen hoc eius importunitati, dicemusque hanc ipsius incredulitatem ex propria sua philautia, ingenijque sui complacentia ortum habere; quia enim seipsum nimis admiratur, alijs, nihil aut parum adesse prudentiæ suspicatur. Cæterum alijs quiuis prudens rerum arbiter, sic apud se potuisset ratiocinari: Isti iam per multos annos hanc controuersiam tractarunt: vnus eorum per decennium fere missioni toti Hispanicæ præfuit; numerum conditiones, imo & complectiones omnium Patrum in missione norunt: sciunt quinam erga quos maxime sint affecti: animaduerterunt quantus sit numerus eorum qui ad quietem aliquam stabiliendam, post tam graues diuturnasque contentiones anhelant, quam pauci sint, qui ab vnione sint auersi; norunt, omnibus circumstantijs pensatis, quinam sint, & iudicentur ab omnibus prudentibus maximè idonei definitorio constituendo: quid ergo miramur, si moraliter infallibili coniectura præuiderint, quem euentum res esset habitura? Præsertim cum magnus fuerit sitque in missione Deum timentium monachorum numerus, quibus nihil prius aut potius fuit, quam tantæ rei administrationem, eorum conscientijs demandare, quos viderunt tranquillitatis, disciplinæ, communisque boni fuisse studiosissimos. Quod etsi de nobis, qui hæc scribimus, non præsumamus dicere: tamen de alijs id verum fuisse credimus, nec aduersarij conuitijs, contrarium apud vllum sapientem efficitur probabile. Quid si in duobus istis, quorum culpas aduersarius vrget tam acriter, aliquid humani contigisset, aliquid ambitionis, aliquid illicitæ practicę (quod nunquam probabitur) non tamen id vitiare potuit electionem, ab alijs omnibus factam; cum doceant doctores vnius aut alterius culpam non vitiare electionem à toto collegio factam, sed electionem ab alijs debite celebratam validam esse, & solum castigationi obnoxios esse illos, qui vitium commiserunt, vt expresse habet Nauarrus lib. 1. Consiliorum. Consil. 9. Probare autem ab alijs omnibus, aut magna parte aliorum omnium fuisse inique factum, aduersarius vtcumque audacissimus sit, impossibile factu existimauit, ideoque contra duos solos, quibus sine causa maxime est infestus, ancipitem ingenij sui rompheam vibrauit.

Vnio nostra non includit separationem ab Hispanica.

Ad coniecturam vero huic rationi suæ connexam, facile respondetur, ipsum non intellexisse, quid deberet in sua lite impugnare: neque enim vnio nostra includit necessario separationem, à congregatione Hispanica eorum, qui in ipsius monasterijs fuerant professi, nisi voluerint speciali modo sese in congregationem Anglicanã incorperare; imo tam his quam illis relinquit liberum ad eadem monasteria sua, eandemque Congregationem in Hispania regressum, obseruatis tantum paucis conditionibus æquissimis, quæ in ipsa vnionis formula poterant ab aduersario, si voluisset, animaduerti. Imo cum nonnulli graues missionis patres, hoc ipsum planius apertiusque, & gratum suis declarari à regimine Congregationis postulassent: ita abundanter satisfactum est ipsorum postulato, vt omnis de necessitate separationis quęstio penitus cessauerit, quemadmodum in extremo appendicis instrumento licet videre; ac proinde hæc coniectura, ab illa dumtaxat necessitate desumpta penitus in ventos euanescit.

Membrum quartum.

Soluitur nonum, decimum, vndecimum argumentum.

¶. 1. O*Biect. 9. calumnia noui monasterij in vrbe Romana erigendi.* ¶. 2. *Inciuile factum aduersarij in magni viri priuatis literis ipso inconsulto publicandis.* ¶. *Obiectio. 11. de promulgatione legitima priuilegiorum.*

PRodeat ergo nonus cauillus, iuramento etiam æquiuocatorio aduersarij confirmatus, quem proponit pag. 227. 229. subtili videlicet astutia, circumuentos Hispanicæ congregationis monachos, in electionem nouem definitorum consensisse: quoniam illis persuasum fuisset, forè vt Summus Pontifex, aliquid à re monachorum Hispanorum decerneret, modo ipsius sanctitati liberum relinquerent, quamcumque vellet ipse formam vnionis præscribere: imo in præmium quodammodo obedientiæ, in vnione suscipienda, præstitæ, nouum ipsis monasterium in ipsa vrbe Romana concedendum. vbi eorum superior (notetur reuerentialis aduersarij Stylus (sub ipsis naribus summi Pontificis resideret, & omnia vtilitati missionis necessaria, ex voto Pontificis (etiam hæc notanda reuerentiæ erga Pontificem lacinia) in vniuersa illius membra commodius deriuaret. Et quia vidit posse à se iure postulari, vnde hæc haberet, quæ tam confidenter asserit; quia audiuit, dictum ab antiquis, nefas esse iuraméto non credere, iuramento suo narrationem lepidam concludit. *Dispeream* (inquit) *si hæc oculis & auribus meis non audierim & acceperim, partim ex P. Leandri scriptis, partim ex P. Rudisindi viuæ vocis relatione.* Et tum attexit hanc conclusionem, *Quis hic liberum consensum ad acta Bullæ interuenisse vnquam sane cogitabit? cum nimis manifestum sit, ista omnia fraudulenter & falso narrata fuisse contra expressam S. Pontificis intentionem, qui nihil aliud pensi habuit, quam veram vnionem, quæ ex omnium, aut pene omnium votis esset statuenda.*

Huic obiectioni non inueniri potest aptior solutio, quam si lector sibi ante oculos ponat ridiculam picturam ab Horatio in arte poetica descriptam.

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere plumas,
Vndique collectis membris, vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne,
Spectatum admißi risum teneatis?

Credat enim lector (quia id demonstrabimus) huic ridiculæ tabulę prorsus similem esse hanc obiectionem in qua sicut pictor Horatianus chimæram suam, ita hic aduersarius vndique collectis membris, sed nullo modo cohærentibus, falsissimam delineauit narrationem.

Nos ea membra vnde collegerit primo declarabimus, deinde eo ipso apparebit quam ille eadem ridicule coniunxerit. Vnionem suam Casinenses Pontificis arbitrio reliquerunt: ex tribus vnionis formulis, quam vellet Pontifex, confirmandam eidem Hispanici obtulerunt, ea tamen cum expressione, vt satis indicauerint ipsi, quam formam maxime desiderarent. Ea habetur in appendice 19. in scripto procuratori dato, cui aduersarius subscripsit, quod approbauit, quod non potest negare tunc fuisse conceptum & missum, quando Hispanica missio feruentissime sese vnioni à Casinensibus obtentæ opposuerunt: quo tempore ipse aduersarius Vicarij collega & testis in causa Hispanorum contra Casinenses prosequenda apud illustrissimum Nuntium Archiepiscopum Rodiensem nunc Cardinalem Bentiuoglium fuit: adeoque ipsemet optimus patronus noster Cardinalis prædictus, eiusque auditores & secretarij testes sunt omni exceptione maiores, quam syncero animo Vicarius missionis, aliique eius auctoritatem sequuti monachi, omnem vnionem aliam quam quæ penitus esset sub iurisdictione Hispanica, auersarentur & impugnaréť. Debuerunt tamen filij obedientię, non quidem permittere Pontifici hanc libertatem præscribendi quam vellet vnionem; (nam Pontifex subditorum permissione opus non habet.) Sed ostendere tamen se paratos, ad imperata Pontificis facienda. Hæc insinuatio facta est, (vt diximus) cum de vnione ista, quæ nunc existit, ne per somnium quidem cogitabamus; vt per idoneos testes nominatos probamus. Quia tamen hic erat sermo, de permittendo modo vnionis Pontificis voluntati, voluit aduer-

ſarius vt hoc eſſet *humarum caput* ſuæ tabellę: cui ſubiungit ceruicem equinam, dum de ſuo aſſerit hanc permiſsionem per nos à fratribus noſtris ſubdole extortã; propoſita ſpe decreti in præmium huius obedientiæ pro Hiſpanicorum monachorum commodo à Pontifice obtinendi. Sed negamus talem ſpem à nobis vlli hominum factam; negamus nos vſos huius ſpei motiuo: ſed cum videramus eo iam rem rediјſſe, vt neceſſario de vnione aliqua Romæ confirmanda deberet tractari, prudenter nos facturos iudicauimus, ſi humili obedientia noſtra Pontifici manifeſtata, obtineremus ab illo modum vnionis nobis maximè commodum; Non itaque vſi ſumus pollicitatione aliqua Pontificis; aut certa perſuaſione ſpei vel præmij, vt fratres noſtros ad illam permiſsionem induceremus. Sed permiſsione illa reuerenter vſi ſumus apud Pontificem, vt fratrum noſtrorum expectationi de optimo vnionis modo à Pontifice obtinẽdo ſatisfaceremus. Quod vero aſſerit hoc per nos fratribus noſtris propoſitũ vt, ad nouem definitorum electionem inducerentur: eſt ab ipſo aduerſario ignoranter *equinæ ceruici*, tamquam *iuba* quædam appictum; cùm ex petitione fratrum pręcipuorum ex Anglia Romam tranſmiſſa, quæ habetur in appendicè pag 15. conſtet illud nouem definitorum inuentum fuiſſe non noſtrum, ſed patrum noſtrorum in Anglia laborantiũ; cui propterea, quia non videbatur irrationabile, nos libenter conſenſimus; & ipſum in Procuratoris noſtri inſtructione poſuimus. Iã videamus *variasplumas* inductas huic mõſtruoſæ obiectioni: Eæ ſunt fabulę de monaſterio quod Pontificẽ nobis Romæ conceſſurum diximus, & reſidentia ſuperioris in illo monaſterio, ſub ipſo aſpectu oculiſque Pontificis (corrigendus eſt enim irreuerẽter loquendi modus quo vtitur aduerſarius(. In prima vnione quã PP. Caſinẽſes Romę propoſuerũt, erat inter cætera illud ab eis cõclusũ, vt omnia cõgregationis negotia, à Procuratore ipſius, qui Romæ propterea reſidere debebat, pẽderẽt. Id præ omnibus, difficillimũ visũ fuit, quia ipſe, qui vnionẽ propoſuit, Procurator futurus videbatur, atq; ita Procurator eſſet ſuperior Cõgregationis; reipſa autem ſuperior eſſet vicarius duntaxat procuratoris. Id ſæpius à P. Leandro audiuerat relatum aduerſarius, viderat in ipſa vnionis idæa deſcriptum, quam idæam in appendice poſuimus. Deinde poſt aliquantum temporis accidit vt Reuerendus & doctiſsimus pater Conſtantinus Cateanus, Romæ meditaretur Collegium monaſticum Gregorianum, eiuſque ſui deſiderij notitiam pro ſua humanitate cum P. Leandro communicaret, eique offerret, ſi ad expenſas concurreret, partem non contemnẽdam pro monachorum Anglorum hoſpitio, in præfato collegio Gregoriano: (quod vtinam miſeria noſtri calamitoſi temporis non impediret: non deeſſe ſane nobis animum tam præclarũ conatũ promouẽdi profitemur.) Hanc Caietani nobilem conceptionẽ familiariter aduerſario propoſuit P. Leander, rem ipsã laudans, tanquã valde commodam congregationi futuram, ſi in illo collegio locum pro monachis nonnullis per benefactorum noſtrorum liberalitatem poſſemus præparare. Sed nihil vlterius ea de re factum, eſt, nec tentatum, cum ſatis conſtaret curtam ſupellectilem noſtram ad rem tantam ſe non poſſe extendere. Forſitan adhæſit etiam memoriæ ipſius id quod habetur in appendice, ſcripto 19. §. 15. vbi inſinuamus (vt oſtenderemus quam damnoſa res eſſet nobis Hiſpanicæ congregationis patrocinio, carere) opus eſſe vt ſua Sanctitas aut penſione, aut cœnobio, aliquoue ſimili beneficio damnum illud nobis compenſet. Quod factum à nobis eſt, non quia ſperaremus ſimile quid obtineri poſſe: ſed quia iudicabamus Pontificem facilius permiſſurũ vnionem in Hiſpanica congregatione, quam optabamus, quam dum à congregatione illa nos ſepararet quandam honeſtam neceſsitatem ſimilia ab ipſo poſtulandi nobis imponere. Hoc forſitan in memoriam aduerſarij confuſo modo redijt: quod confundere etiam in ſuam hanc chimærã voluit. Ecce tibi lector plumas ceruici equinæ ſubiunctas; ex procuratoris reſidentia perpetua Romæ futura, quam viderat in ſcriptis PP. Caſinenſium, quæ apud nos habemus, fecit reſidentiam Præſidis, ſeu Prælati totius Congregationis; Ex collegio Gregoriano D. Conſtantini Caietani fabricauit cœnobium nobis à Pontifice promiſſum: Et velut ægri ſomnia, res iſtas inter ſe longo interuallo temporis diſiunctas, & à Caſinenſibus, Anglis, ac R. D. Caetano conceptas, nobiſque propoſitas, hic fæcundus Chimærarum adinuentor coniunxit & ex eis vnum cœnobium monaſticum pro Præſide Congregationis à nobis promiſſum fratribus noſtris excogitauit. Et hæc eius tam febriculoſa, ſomnolenta, æquiuoca, falſaque narratio, *turpiter atrum in piſcem deſinit*, dum iſta omnia iurat ſe aut oculis; aut auribus hauſiſſe ex ſcriptis P. Leandri, & verbis P. Rudiſindi; quod aliquouſque verum eſt, quia ipſe quidem hæc ſingula legit, vidit, audiuit à nobis; ſed lecta, viſa, audita, male intellexit, non rectè memoriæ mandauit, & nunc peſsimè, falſiſsimeque coniunxit. Nam de alio monaſterio, aliaue Præſidis noſtri in Romana vrbe reſidentia nihil aut à P. Rudiſindo, aut à P. Leandro audiuit, auribus, aut oculis accepit. Quare ſunt quidem hæc vtraque fraudulenter, & falſo narrata,

rata, contraque intentionem Pontificis: sed ab aduersario narrata de nobis, nos autem ea, prout ille coniunxit, nemini vnquã nec vigilantes nec somniantes narrauimus. Vnde amice lector, postquam hanc tabulam aduersarij, Horatianæ similem spectaueris, aut ridebis eius ineptiam, aut indignaberis eius Sycophantiam. Sed castiganda est seuerius irreuerentia loquutionis illius *sub naribus ipsius Pontificis* &c. Etenim nullus obediens filius ecclesiæ catholicæ ita contemptibiliter loqueretur de vicario Christi in terris; Et prudens religiosus non improbaret hoc in nobis, quod vidit fieri, ab alijs fere omnibus ordinibus vt suum aut superiorem, aut procuratorem Romæ habeant commorantem vbi maiori ex parte regularium negotia tractantur, non ex voto Pontificis (vt aduersarius sensu hæreticorum loquitur, quasi religiosi ad Pontificis temporalia vota suas adulatorie formarent actiones) sed ex voto ipsorum ordinum, quorum spiritualia temporaliaque commoda Pontifex vt pius pater liberalissime promouet. Quod vero in fine huius chimæræ attexuit, Pontificis mentem fuisse vnionem illam confirmare, quæ omnium votis esset complacita: & verum est & suum etiam euentum habuit. Nam si computantur monachi, quorum suffragijs, definitoriũ est erectum, inueniuntur omnes, exceptis quinque vel sex, sua dedisse suffragia. Si computantur illi, qui vnionem à Definitoribus conceptam acceptarunt, inueniantur etiam omnes, aut pæne omnes fuisse; quare intentio Pontificis est seruata, & suum fæliciter sortita est effectum: quantumuis dubitet aduersarius, qui cum vno aut altero vnionem non acceptauit; quod non impedit quin omnes aut pęnè omnes eam acceptauerint,

In decima calumnia, pertrahit in scenam hanc inciuiliter, & irreuerenter maximum virum; *Non enim possint* (inquit pag. 235.) *nouelli isti recusare auctoritatem Illustrissimi Archiepiscopi Rhemensis* (qui fuit vnus ex nouem definitoribus, ad hanc vnionem concipiendam ordinandamque electis) *circa huius Breuis validitatem: ipse enim rogatus per literas, a quodam Prælato Cluniacensi* [illegible] *fuerit in vigore huius breuis, si nulla vnquam in Anglia fuerit congregatio antiqua præter Cluniacensem, sic respondit: si nulla alia fuit, redeundum est ad antiquam Cluniacensem,* [illegible] *super non ente non fundetur decretum.* Atqui putat aduersarius ex dictis in libello suo se demonstrasse, nullam aliam fuisse antiquam Benedictinorum in Anglia congregationem, præter Cluniacensem; Ac proinde ex tanti viri, *tam commodi* (inquit) *& tam fauorabilis iudicis & Theologi, breue vestrum nullum est, & nihil prorsus est pro vobis operatum.*

Quis non rideat in hac obiectione, qui nouerit aduersarium, & Socium eius, quomodo adimpleãt veteris verbi sensum, & sicut vili mutuo scabant? nam quis est iste prælatus Cluniacensis, ad quem illustrissimus scripserit? titularis prior prioratus in Anglia, aut si non est ille, certe ipse est aduersarius, qui etiam, titularis prior, audire cupit; & non alia de causa, ipse cum [illegible] tantopere videntur pugnare pro Cluniacensibus in Anglia, quàm quia se titulares priores fecerunt, nulla superiorum suorum ad hoc petita, multo minus obtenta licentia transeundi ad ordinem Cluniacensem, aut titulos illos acceptandi; nam beneficia ipsa, quorum iactant titulos, nec accepere, nec vnquam sunt accepturi; friuolum enim est, & mundanum sapit spiritum, expectare vt illa pręclara ordinis cœnobia, quæ olim in Anglia extitere, rursum omnia restituantur; nec congregatio nostra ad hoc institutum fuit, sed vt continuatio ordinis Benedictini, cui debet Anglia suam conuersionem, custodiretur; & si fides denuo Dei nutu restituatur; de nouo incipiant ex fidelium dumtaxat deuotione, non ex antiquis reditibus vitæ necessaria sibi prouidere. [illegible] ab istis titularibus Prælatis Cluniacensis ordinis (quos vtique Cluniacenses non libenter agnoscunt) rogandum quo iure à sua transierunt obedientia, prætextu beneficiorum? cum ad hoc non sufficiat simplex titulus, sed necessaria sit actualis possessio, sicut docent Theologi. Si enim solus titulus sufficeret cum plurimi idem petentes beneficium v. g. Cluniacẽse, sæpius acquirant titulos ad illud, non solum qui tulit pro Cluniacensi monacho reputabitur, sed & alij omnes qui quouismodo titulos obtinuerant ad illud, erunt Congreg. Cluniacensi incorporati, quod quam alienum à vero sit, quis est qui non videt.

Sed sit sane Prælatus; & vtinam reuera Prælatus S. Pancratij vel alterius loci in integrum restitui [illegible]: quid tandem dicunt illæ literæ? Qualis interrogatio fuit, talis est literarum responsio, nã quia in interrogatione ponebatur conditionalis falsa & impossibilis repugnans [illegible] intentioni ipsius Breuis Apostolici; prudenter respondit, illa hypotheti stante, Congregationem antiquam in Breui confirmatam, seu instauratam, esse Cluniacensem (pręter quam supponebat interrogans nullam aliam antiquam fuisse) aut si eam non confirmabat, nihil operatum fuisse. Non enim respexit ad alia verba Breuis, Archiepiscopus, sed ad interrogantis mentem, qui supposuit Breue nihil aliud facere quam confirmare & certum est confirmari non posse quod nondum extitit. At verum ex alio titulo per Breue illud alia

Congre-

Congregatio de nouo erigeretur, si forte antiqua aliqua non extitisset: nihil voluit Illustrissimus respondere, quia in quæstione Prælati Cluniacensis non ponebatur. Solum interrogauit de vi confirmatoria diplomatis, illamque dixit rectè, in hypothesi Domini Prælati, aut cadere super Cluniacensem (quia debet exponi sic vt aliquid operetur) aut nihil omnino operari, quia nihil aliud supponebatur confirmandum. At si Prælatus ille quæsiuisset etiam de vi erectiua, quæ in illo diplomate continetur, aliud responsum accepisset ab expectatione sua longe diuersum. Fundatur autem prior responsio Archiepiscopi, in placito Iurisperitorum Angliæ, quod meminimus vidisse (& aliquando cum Archiepiscopo contulimus) tempore, vt putamus, Edoardi tertij; cum domus quædam Carmelitarum, aut cuiuspiam alterius ordinis mendicantium vacasset, nec esset aliquis eius ordinis indigena Anglus, qui eam occuparet, adiudicatam fuisse domum alienigenis eiusdem ordinis, tanquam defectu naturalium merito in sui ordinis bona succedentibus. Ita ergo censuit Archiepiscopus quandoquidem ponebat Prælatus Pontificem, aliquam Congregationem Anglicanam confirmare, & nullam nisi Cluniacensem fuisse; omnia illius antiquæ Congregationis iura, virtute huius confirmationis, in Cluniacensi Gallica permanere. Sed nos superius satis ostendimus falsitatem, & τὸ παράδοξον huius conditionalis, quam D. Prælatus supponit; ideoque nunc solum restat castigare aduersarij, & simul Prælati sui inciuilem rusticitatem, qui familiares tanti viri literas ad se scriptas, ipso non consulto, ac proculdubio valde ægre ferente euulgare pessimo exemplo præsumpserunt. Quod autem ipse illustrissimus Archiepiscopus Congregationem hanc, aeream fuisse non censuerit, si liceret nobis aduersarij rusticitatem imitari, etiam prolatis authenticis instrumentis, quibus constaret, ipsum Illustrissimum, cum alijs antiquioribus Cõgregationis Hispanicę patribus (de quibus id forsitan miraretur aduersarius) tunc paratos fuisse vt in Congregationis Anglicanæ membra cooptarétur, quando eam tota industria Vicarius missionis P. Leander, vna cum aduersario impugnauerat. Sed vt sciat aduersarius, quàm nos non subterfugiamus illustrissimi iudicium (quem semper honorauimus vt patrem, & nunc colimus vt Dominum & decus nostrum, cuius etiam consilijs maxime fulti fuimus in Congregationis nostræ erectione) facimus illum iudicem litis nostræ, & nisi ille à nobis pronunciet, hancque causæ nostræ declarationem approbet, & ab aduersario litem abiudicet, eiusque infamem libellum igne purgandum asserat, dabimus aduersario licentiam cum suo Prælato aereo, Vtopico, pseudo-Cluniacensi Aesculapio gallum pro victoria immolandi.

Vndecimo loco proponit pagina 229. & 250. ratiocinationem, à leguleiorum, & litigantium consuetudine desumptam, quam ex lite beneficiaria didicit: Pro diplomate isto, quibus opus fuit, promulgando non sunt concessæ literæ executoriales: ergo quod illius vigore factum est, nihil prorsus valebit in vtrouis foro. Probatque assumptum suum ex Bonifacio octauo in 6. lib. 3. tit. 16. *de statu regularium. §. Et quoniam.* Et ex glossa in. 6. decret. lib. 1. tit. 3. *de rescriptis.* Cap. 12. Ex Rebuffo in praxi beneficiaria, tit. *De missione in possessionem* num. 1. §. 16. Et alijs multis iurisperitis, qui videlicet vnanimiter asserant rescripta Pontificia debere ab aliquo tabellione vel alio, cui hoc officium committitur, publicari.

At si aduersarius tam diligenter versasset regulariũ priuilegia, consuetudinesque ab immemorabili tempore apud eosdẽ vigorem habentes: quàm praxim litigiosam rei beneficiariæ; profecto non citasset ista Iurisperitorum testimonia, quæ nihil prorsus faciunt ad nostri diplomatis validitatem impugnandum; sed quia forte verebatur ne ea quæ vigilanter in causa beneficiaria laboriose que collegerat, vt suo suggereret Aduocato, aliquo casu ipsi exciderét, voluit ea hoc loco in perpetuam rei memoriam consignare; sed loco tam alieno, ac pictor ille cypressum in historiã naufragij apud Horatium simulauit; & vere vrceum pro amphora; testimonia quæ in solis valeant rescriptis beneficiarijs, & nullo modo spectant ad priuilegia, quorũ naturam, iam in secundo fundamento declarauimus, à rescriptis beneficiarijs esse diuersissima; ideoque longe aliud ius esse considerandum, in rescriptis Papalibus, quæ agunt de beneficiorum possessione, ab eo, quod considerati debet, in rescriptis quæ continent priuilegiorum concessionem: & quamuis rescripta prioris generis sint per certos tabelliones in loco vbi beneficium consistit publicanda, quod docent Rebuffus & alij ab aduersario citati; non tamen ea solemnis publicatio requiritur in rescriptis priuilegialibus, sed sufficit talem in illis publicationem fieri, quæ efficiat vt priuilegiati sine vlla ambiguitate certi sint de beneplacito Principis indultum concedentis; adeoque Notarij cuiuscumque, aut alterius personæ similem fidem facientis subscriptio ad hoc abunde sufficit etiam de lege communi. Resp.

Atq; vt aduersarius intelligat nõ ita inconsiderate & incuriose res nostras nos egisse, ac ille arbitratus est; sed bene perpendisse quid à nobis in re tanta fieri debuit: pro testimonijs in

materia

materia beneficiaria, quibus opus non habemus, quæ tam copiose nobis aduersarius propinauit; regeremus illi testimonia &, argumenta inuicta in re priuilegiaria, quibus ille opus non habet, nec putauit nos abundare tam vtili supellectile.

Animaduertat igitur aduersarius primo, omnes melioris notæ authores, vt constat ex P. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 36. & P. Vazquez in 1. 2. q. 95. art. 3. disp. 156. c. 4. in fine; & ex Syluestro in summa, verbo priuilegium q. 15. & ex Valerio Reginaldo in praxi fori Pœnitentialis lib. 13 q. 4. nu. 235. alijsque multis; admittere hanc diuersitatem inter ea priuilegia, quæ conceduntur ad petitionem alicuius, vel aliquorum, & ea, quæ conceduntur ex motu proprio suæ sanctitatis: quod primi generis priuilegia vim suam effectumque sortiantur, simul ac fuerint impetrata, non autem priuilegia generis posterioris; Nostrum autem Breue sub primo genere comprehendi non negat aduersarius, alias non ageret de surreptione, quę non interuenit nisi in similibus. Quamuis igitur ad Benedictinæ constitutionis promulgationem, quæ processit ex proprio motu summi Pontificis, expeditæ etiam fuerint executoriales literæ; nihil hoc probat contra Breue nostrum, quod ad multam instantiam nostram, contra multam instantiam cuiusdam Prælati Cluniacensis (vt loquitur de eo aduersarius) vix tandem post annalem moram est à Pontifice nobis indultum.

Animaduertat deinde aduersarius, Religiosos omnes, qui gaudent priuilegijs à sede Apostolica in hac materia concessis, non alijs vti solere Notarijs pro suorum promulgatione priuilegiorum, quæ ipsorum regimen attingunt, quam, quos ipsi de sui ordinis gremio creauerint, aut deputauerint; Atque hæc est praxis omnium ordinum in priuilegijs concessis mutuo vicissimque communicantium, fundata in amplissima bulla Pij Quinti Patribus Dominicanis concessa, quam in appendice habebit lector numero 27. Vlterius in supplemento priuilegiorum ordinis D. Francisci, fol. 58. Conc. 161. & in compendio. Verbo *viuæ vocis oracula. §. 1. 2. & 5.* referuntur duo Priuilegia Leonis X. concessa religiosis, quod possint nō solum vti priuilegijs quæ possunt probare, verum etiam & alijs, quibuscumque oraculis, de quibus ipsi sunt certi. Specialiter autem in libro Priuilegiorum Congregationis Hispanicæ matris nostræ indulgentissimæ, in priuilegio 103. conceditur nobis (nam ea omnia ad nos etiam summi Pontifices duo iam extenderunt) quod sufficiat etiam in re litigatoria coram prudentibus viris, audiente parte quam contingit, priuilegium nobis concessum legere, vel legi facere, aut totum, si totum concernat, partem, cum qua lis agitatur; aut portiunculam illam priuilegij, quę partem concernit.

Præterea, non ignorat aduersarius, quomodo pag. 280. suadeat Patribus Congregationis Casinensis Hispanicæ & Cluniacensis, vt virtute decreti Innocentiani & Benedictini sine vlteriori licētia Pōtificis, aut aliorū quorūuis superiorū vniātur: cur ergo nobis idem facientibus, ex licentia Pontificis, fauente etiam decreto Concilij Tridentini, non permittit, sed factum inualiditatis arguit? Quia, inquit, formam regiminis in decretis illis præscripti, non seruastis. Atqui propterea petiuimus, vt summus Pontifex dignaretur, nouum modum regiminis, à nobis iuxta ætatis huius exigentiam propositi, sua auctoritate approbare, non obstantibus quibuscumque alijs constitutionibus Apostolicis pro statu regularium editis antehac; quod & factum est; obtentaque hac approbatione ad eiusdem executionem processimus ea solemnitate publicationis, quam solent aliæ Congregationes in similibus habere, quam ipsam in appendicem retulimus numero. 28. 29. 30.

Et hic reducemus aduersario in memoriam, tum Prælati sui Cluniacensis interrogationem, tum Illustrissimi Rhemensis Archiepiscopi, Patris ac Patroni nostri responsionem; quā aduersarius in gratiam nostram posuit, contra seipsum præuaricando vt apparet; Nam postquam prima interrogatio quæsiuisset, quid operaretur confirmatio Breuis Apostolica, si nulla fuerit olim antiqua Congregatio Benedictinorum à Cluniacensi distincta; & respondisset Archiepiscopus quod suprà retulimus; subinfert aduersarius secundam interrogationē his verbis: *Quæritur, supposita tali antiqua Congregatione Anglica; an ista noua erecta, sit illa ex vi confirmationis; an Hispanica ratione subiectionis; an tertia aliqua ex vtrisque conflata, & ab vtraque distincta? Frustra enim disceptatur de obedientia subditorum, quamdiu dubitatur de fundamento, ipsius capite scilicet, vel corpore.* Responsio Archiepiscopi. *Est antiqua Anglicana, sed moderata adiunctionibus quibusdam; quod sæpius in alijs ordinibus vsu venit.* Optime, verissime, prudentissime, & vt tantum decebat virum, in canonicis, ecclesiasticisque dubijs versatissimum. Et inter illas adiunctiones illa, vna est, quod antiquum regimen aristocraticum, proprius accessit ad monarchicum.

Recolat etiam aduersarius doctrinam suam, quam pag. 246. scripsit cuius summa est, sufficere Cluniacensibus viuæ vocis oraculum à summo Pontifice ipsis datum; abundeque suf-

ficere

ficere, absque vllis literis executorialibus, vt in Anglia sine habitu extra monasteria possint degere, etiã reuertẽtes ad ecclesiã ab hæresi absoluere, aliasque facultates missionis Apostolicæ exercere. Docet etiam ibidem, posse Cluniacenses superiores, sine noua executione, ex antiqua duntaxat concessione ordini facta, sine formalibus executorijs, non minus pro Angliæ regnis, quam pro alijs quibuscumque, suos ad ea religiosos destinare, iuraque, & priuilegia, quibus ordo fruitur, monachis sic destinatis impertire. Quare ergo ad ea quæ nos fecimus non sufficiet priuilegium & oraculum Apostolicum expresse illa concedens, etsi nullas concesserit literas executoriales? Quare saltem non licuit Reuerendissimo Generali Congregationique Hispaniæ), ad quam tunc spectabamus cum Breue nostrum exequi cæpimus, ad quam etiam adhuc, honoris & gratitudinis ergo, spectare non dedignamur) quare illis saltem non licuit ex legitima quacumque concessione per Pontifices ipsis facta, vel ex comperto iure suo sine forma executoriarum, non secus in regnis Hispaniæ, quam in alijs quibuscumque, ius suum in nos residentiasque nostras, nobis ipsis ijsque qui ad nos accesserant resignare (sicut de facto resignauit, vt ex scripto 26. in appendice constat) & cuius nostrum ex directione vicarij sui, auctoritatem, quæcumque priuilegia nostra promulgandi, cõcedere? An solis Cluniacensibus licet iuris & æquitatis f. ni beneficio; alijs vero non licebit? Aut non potius aduersarius prætextu Cluniacensis nominis, quod merito debet omnibus Benedictinis esse venerabile, licentiam sibi assumit quodlibet audendi, eaque dicendi qui nullus verè Cluniacensis sibi permitteret?

Animaduertat vlterius aduersarius noster, in Decreto sanctissimi Domini pro Definitorij erectione expedito, satis aperte insinuari, quod summus Pontifex pro vnionis nostræ promulgatione siue executione nihil aliud requisiuerit, quam vt acta Definitorio, prius ab ipso examinata, approbarentur, quàm à nobis executioni mandarentur; quo ipso virtualiter concedit, ea approbatione nobis intimata, posse nos ad actorum nostrorum executionem procedere, absque vlteriori licentia; quod autem præter ipsam actorum approbationem, etiam diploma in forma Breuis desuper expediri supplicauimus, factum id à nobis est ad maiorem actorum securitatem, & perseuerantiam, ex quo nihil perdidimus iuris antea concessi & acquisiti: Si ergo alij patres iuxta formam ab aduersario præscriptam possint, ipso iudice, sine vlteriori executoriarum forma vniri; cur nos non potuimus habentes ad id licentiam Apostolici Patris nostri, absque executoriarum formalitatibus vnionem nostrum consummare?

Animaduertat denique aduersarius, executoriales literas requiri, vbi coactio inuitorum præsumitur futura. Quæ causa in Breui nostro, nullum habet fundamentum. Etenim neminem inuitum compellit ad vnionem amplexandam, nec potestatem concedit aliquem ad eam cogendi, sed potestatem facit volentibus, & superiorum suorum licentiam habentibus, ad vnionem accedendi. At in Benedictinæ promulgatione, merito præsumebatur aliquos Abbates, & prælatos illius dispositioni reluctaturos, adeoque fore vt coactionis via prædictæ constitutionis reformatio illis imponeretur. Et intercessisse hanc multorum prælatorum reluctantiam clarissime patet ex multis modificationibus, & limitationibus, & interpretationibus, quas idem Pontifex in literis eidem Benedictinæ adiungi solitis edidit: maxime autem in Gallia, in qua pauca (nisi fallimur) ostendi poterunt generalia capitula Benedictinæ formæ fuisse Congregata, post illud primum, in quo Benedictina ipsa fuit promulgata. Nullam autem coactionem fratribus nostris à Breui Pontificio imponi, aut per nos imponendas concedi, ex ipsius patet tenore; nullam vero ipso facto ijsdem fratribus nostris per nos intentatam fuisse, docet formula subiectionis, quam post Breue publicatum à fratribus nostris exegimus, quæ habetur in appendice num. 35. cui omnes fratres, altero duorum modorum in ea positorum, subscripserunt, & inter eos R. P. Ioannes Barnesius, aduersario bene notus, & non paruæ apud ipsum authoritatis. Illa vero subiectio, quæ in prædicta formula, superioribus Congregationis nostrę prestanda indicitur; non est à Breui Apostolico deriuata, sed à Capitulis Generalibus, ipsiusque Reuerendissimis Generalibus Congregationis Hispanicæ post maturam discussionem causarum & rationum, quę in deliberationem venire debuerãt, patribus suæ iurisdictionis iniuncta; & ab ijsdem patribus acceptata; Cuius iniunctionis executor per literas speciales factus est ipse missionis Hispanicæ Vicarius Generalis; qua in re non dicat aduersarius etiam executoriarum executorias debuisse interuenire, cum non ignorat tam priuilegia, quam statuta Congregationis Hispanicę expresse ordinare, vt omnes causę illius, intra ipsam per viam compendiariam sine iuris strepitu, aut sęcularium vel distinctarum à Congregationis monachis personarum interuentu. Sic igitur constat ex Breuis nostri publicatione, nullam inuiti cuiusquam sequi coactionem. Nullum autem alteri cuicum-

quæ fieri præiudicium, damnum, aut incommodum, patet tum ex clausula postrema ipsius diplomatis, tum ex dictis in solutione quinti argumenti, & ex multis antehac passim per nos authentice productis & probatis. Quando autem priuilegium in nullius iniustum aut irrationabile vergit præiudicium, sola notitia priuilegiati quam de suo habet indulto sufficit vt omnem suum statim operetur effectum, vt docet Syluester verbo *Priuilegium* q. 16. Quæ omnia licet nobis essent probe comperta, tamen eam adhibuimus solemnitatem in Breuis, vnionis, legumque nostrarum publicatione, quam in apppendice posuimus, quam cuique cordato arbitro, scienti religiosorum iura & consuetudines, scimus abundantissime satisfacturam.

Membrum Quintum.

Soluitur duodecimum & vltimum argumentum de vario modo explicandi vnionem.

§. 1. DE *literis aliquorum explicantibus vnionis modum.* §. 2. *Varij modi explicandi veritatem, non eam tollunt, sed illustrant.* §. 3. *Sophistica methodus aduersarij in literarum fragmentis perducendis.* §. 4. *De epistola P. Torquati, & vnione Walgrauiana.* §. 5. *De translatione bonorum ab Hispanica in Anglicanam Congregationem.* §. 6. *Non fieri contra canones, quod plus est in obseruantia licita quam canones præscribunt.* §. 7. *Breue Pontificium non solum confirmasse veterem Angliæ Congregationem, verum etiam si opus foret, nouam erexisse.* §. 8. *De epistola P. Rudisindi: & ficta charitate aduersarij.* §. 9. *Non contradicit P. Rudisindus P. Torquato.* §. 10. *Absurda inæqualitas ex articulis Walgrauianis.* §. 11. *Impossibilitas practica vnionis Walgrauianæ.* §. 12. *De Capitulo Belgico.*

De varia expositione vnionis.

FIniamus tandem hanc disputationem solutione duodecimi atque vltimi argumenti, in quo si valde argutus, & subtilis videtur aduersarius: Sed cum discussum fuerit, apparebit non ineptum quidem sophistam agere, sed ineptum valdè Demonstratorem. Sic igitur pag. 295. suam instituit argutiã. Necesse est imbecillũ valde esse, & inualidũ quod ab aliquibus ita defenditur, vt inter se in modo assertionum suarum nullatenus cohæreant: at promotores huius tam Congregationis quam diplomatis, inter se toto cœlo dissentiunt; signum est igitur eos malam causam fouere & aeream Congregationem frustra propugnare. Discordantes autem eorum sententias facile est ostendere. Sic enim P. Thomas Torquatus ad Prælatum quendam Cluniacensem Anglum 20. Iulij 1622: Admodum Reuerende Pater, recepi vestras per Capitulares, & attente inspexi articulos, qui licet quo ad rei substantiam non sint impracticabiles, tamen attentis omnibus circumstantijs, meo iudicio, incongrui sunt; partim quia non est necessitas amplius loquendi de noua vnione; & forsitan esset periculũ Romæ denuo attentare aliam; partim, quia non videtur rationabile vt nos, supposita Congregationis Angliæ, quę gratis receperunt ex donatione Capituli Cõgregationis Hispanicæ, omnes residentias & bona, quæ hactenus acquisiuimus, resignaremus Patribus Cluniacensis Congregationis, ijsque ex Congregatione Hispanica, qui ad nos recusant accedere. Præterea, quo plures erigentur Congregationes, eo minor vnitas & conformitas erit inter nos, prout manifestum & euidens est. Quamuis Dolowarti eå de re dubitauerim, nunc tamen authentice nuperam istam Anglicanam Congregationem fuisse erectam per Concilium Lateranense sub Innocentio tertio, quæ durauit vsque ad Henrici octaui tempora: ad eamque pertinebant omnes Abbates & Priores Angliæ, vt apparet ex authenticis monumentis, quæ producam, vbi vobis ad me venire placuerit; & hanc petiuimus instaurari nobis, & sua sanctitas id concessit. Itaque sumus antiqua Congregatio Anglicana reformata iuxta morem nostrũ viuendi, subordinata Congregationi Hispanicæ. Et hinc apparet, quod hæc Congregatio incœperit circa annum Domini 1200. Et quod eius institutor fuerit Innocentius tertius, & concilium Generale, quod postea confirmatum fuit per Benedictum 12. vt apparet ex Benedictina, quæ præcipit vt Concilium Lateranense vbique obseruetur, constituitque prouincias pro Generalibus Capitulis, inter quas tota Anglia assignata est pro vna prouincia, & consequenter facta est vna congregatio: Nam, vt apparet ex Concilio Tridentino sess. 25. Cap. 8. talia monasteria, quæ vnà congregantur in vnum Capitulum secundum Concilium Lateranense, faciunt Congregationem; quæ

in

„in Anglia iure merito, vocari posset Congregatio Anglicana. Hactenus P. Torquatus. Ac R. Præses modernus huius Congregationis Anglicanæ, mense Martio 1621, duas scripsit Epistolas ad quendam (hic omisit aduersarius titulum Prælati, ne seipsum aperte vocaret Prælatum) & tenor Prioris hic est: Dabo vobis plenam satisfactionem, circa soliditatem Con„gregationis quam Chimæricam reputatis: vno verbo; non tangitis verum fundamentum, „cui innitimur, & in ea re quam tangitis, toto cælo erratis; Has duas propositiones planas „& euidétes faciã vobis corã. Cum vero spes non esset coram agendi tunc, cum illo quodã, ad quem scripsit, aliam ad eundem direxit Epistolam in hæc verba. Timeo ne non videam „vos, ante discessum (qui cito fiet) & ideo decreui scripto significare vobis, propositiones „de vnione à vobis insinuatas non videri conuenientes, nec esse practicabiles, ob diuersas „rationes, sed potissimum ob sequentes. Primo, si illas tales admittimus conditiones, alij „etiam ex nostris, suas proponent conceptiones, & ita nunquam erit finis nouarum vnionũ „cudendarum, & propositionum: Secundo nec audiui nec legi vnquã de Capitulo consi„stente ex triennalibus, quadriennalibus, & perpetuis superioribus. Tertio, huiusmodi Ca„pitula, de quibus loquimini, solum fiunt ad ludificandas visitationes Episcoporum, sicut „accepi ab eis, qui in Belgio viuunt in simili Congregatione, & non ad stabiliendum vllum „bonum ordinem pro superioribus aut subditis. Quarto, talia Capitula nunc non practican„tur in ordine non in vlla orbis parte: imo neglectæ fuerunt iam à trecentis annis, eo quod „vnaquæque Abbatia suas particulares haberet leges, & nullas alias admitteret; vt potestis „videre in veteribus Angliæ constitutionibus Ioannis Acton. Editis Parisijs &c. hæc R. Præses modernus. Quomodo cohærent inter se istæ defensiones? alter dicit practicabile, quod alter affirmat impracticabile; alter dicit nullibi in toto orbe huiusmodi Capitula seruari; alter ab Innocentio erecta, à Benedicto confirmata, merito collaudat. &c. necesse habet ruere causa, quæ suffulta est discordantibus patrocinijs. Multa deinde in hac arguia infercit aduersarius consectaria, & corollaria; quæ omnia, quia in priore controuersia euidenter elisimus: Hic non sunt iterum impugnanda: ea tantum, inter soluendum referemus, quæ alibi non sunt refutata.

Quare vt ipsi obiectioni satisfaciamus: Sciendum est primo, aduersarium, tanquam rem nouam notare, quæ quotidie accidit; vt nimirum eiusdem veritatis propugnatores, sæpissimè diuersis incedant, in ea defendẽda, vijs & opinionibus, præsertim quoad historiæ difficultates quod tamen non efficit, vt ipsa principalis assertio, quam propugnant, falsa sit, aut improbabilis. An vero quia viri acutissimi, & veritatis amantissimi doctores Scholastici dissentiant in modo, quo distinctio inter personas, & essentiam in diuinis, concipi debeat, idcirco minus probabile redditur mysterium Trinitatis? aut quia duo maximi ordines nunc diuersissimis opinionibus inter se compugnent, de modo concursus liberi arbitrij, cum efficaci Gratia Dei propterea ruet arbitrij libertas, aut minor erit gratiæ cœlestis efficacitas? Vnicuique liberum relinquitur, salua pace & charitate Christiana, in Philosophicis argumentis diuersũ aut contrarium ab alijs sapere: modo id quod sapit, aliquid faciat ad mysteria fidei, aut veritates morales vtiliter illustrandas. Haud absimili modo, licuit nobis, ad congregationis nostræ antiquitatem, & subsistentiam declarandam & illustrandam, ea dicere, quæ vnusquisque secundum modulum ingenij à Deo sibi concessum iudicauit vera, aut verisimilia; quamuis dissentiret forsitan alter ab altero in opinionibus accessorijs, conuenirent tamẽ in assertione congregationis. Ideoque non ignorat aduersarius quantumcumque R. P. Edoardus Maihew antiquitatẽ congregationis Anglicanæ, ab ipsius ordinis in Anglia incunabulis arcesseret: nõ tamen in omni rigore acceptatam à nobis eius sententiam, sed tantum secũdum moderamen quod initio huius opusculi significauimus, ex ipsius autoris mente, in Trophæorum libro insinuatam. Multo minus voluimus illi tam annosæ Antiquitati sic inniti, vt eam pro fundamento supplicationis nostræ, summo Pontifici exhibito substrueremus, quod aduersarius fingit, nos autem superius satis impugnauimus. Nihil ergo incommodi, nihil contrarium veritati congregationis nostræ ex eo colligitur, quod eius defensores diuersis incedant sententijs: quandoquidem in vtrauis sententia euidenter satis respondetur aduersarij calumnijs, contra congregationis nostræ subsistentiam, excogitatis. Quanquam, vt statim apparebit, putauit aduersarius ea sibi inuicem non cohærere, quę optimè conspirare probabimus.

Resp. Varius modus explicãdi veritatem ipsam non tollit, sed illustrat.

Sciendum secundo pessimam & inhumanam aduersarij consuetudinem esse, literas priuatas fratrum suorum, familiariter, atque ideo sæpe securius, & incautius scriptas, in lucẽ euulgandi; quod si etiam de sanctorum & sapientissimorum familiaribus Epistolis fieret, quis dubitat quin aliqua reperientur, quæ illi corrigere, & pœnitus non à se dicta vel scripta fuisse cuperent? Hoc igitur inhumanitatis exẽplo saltem hoc nunciscetur aduersarius, vt in poste-

rum virorum prudentium literis legendis otium suum nō interrumpat: nemo enim vir prudens in posterum committet sua arcana familiariter scripta, tam infideli arcario, qui vbicumque suę postulant philautiæ aut Cœnodoxiæ rationes, statim ijs ad suum abutatur propositum. Duo tamen ex hoc facto eius colligamus ad nostrum institutum facientia: Primum est aduersarium suo se indicio, vt sorices solent, prodere; nam ille *quidam*, ad quem Pręses modernus scripsit, ipsemet est aduersarius; & bene recordatur Præses ad quem illas Epistolas scripserit. Sic etiam superius, dum refert sibi à P. Leandro relata quædam à se non bene intellecta, aut saltem male coniuncta, (iuxta morem sophistarum) aperte prodit seipsum, cum rectissime meminerit P. Leander, vbi, & cui, & quando de similibus rebus colloquium habuerit. Sed alia maiora habemus huius rei argumenta, etiam confessionem eorum, quibus non potest fidem sua audacia detrahere: quę cum opus fuerit ipsum, detracta larua, manifestare, producemus. Interim, si forte velit resipiscere, aut à maledictis quiescere, parcimus. Alterum est, cum non integras Epistolas, aut integras etiam periodos Epistolarum consequenter citare, sed interiecta orationum, & discursuum ligamenta, quæ omninò faciunt ad probabilitatem, aut consequentiam eorum, quæ dicuntur, vel scribuntur demonstrandam, fraudulenter omittere, sicut in posteriori Epistola P. Rudesindi præstitit. Et vlterius, aliorum quidem Epistolas propalat; suas, quarum occasione eæ scriptæ fuerint, supprimit: Et quis nescit, aliud longe sonare Epistolam aliquam per se sumptam, aliud cum ea, cui respondet, aut quam impugnat comparatam. Itaque si sermonis consequentiam in his Epistolarum nostrarum fragmentis fideliter lectori repræsentasset; si suarum etiam Epistolarum, vel sermonum sententias, quibus illę nostræ Epistolæ respondent, candide apposuisset: statim lector sine monitore vidisset, nihil absurdi, nihil inconsequentis, nihil contrarij in his apparere.

Cæterum quoniam longissimum esset allatura fastidium, nostra oratio, si ad singulas glossas & falsidicinas aduersarij, in his literis nostris, exagitandas peculiares attexeremus confutationes: breuiter & summatè respondebimus, ostendentes nec in his Epistolis separatim sumptis inueniri contradictiones quas aduersarius obijcit; nec ipsas inuicem collatas dissentire; sed ipsum duntaxat aduersarium quærere, quod impugnet, non inuenire, quod reuera reprehendat.

Primum de Epistola Patris Torquati, miratur illum audere, statutam à Benedictina vnionem, iudicare omnibus perpensis impracticabilem: Atqui hoc est perpetuo σκιομαχεῖν Neque enim P. Torqatus de vnione Benedictina loquutus est, neque articuli à Pręlato Cluniacensi propositi, vnionem Benedictinæ similem continebant: Videantur, legantur in appendice n. 33. Quid ibi non distinctum à Benedictinæ constitutione? Illa specialiter mandat, vt omnes Capitulares, eorumque subditi in præcipuis legibus, & ritibus concordent: Isti articuli relinquūt vnicuique Congregationi vniendæ separatam disciplinam, & ceremonias, in quibus ab alijs Congregationibus ita differunt, ac si diuersarum essent regularū. Benedictina indicit Capitulum Generale Prælatorum, vt de obseruantiæ regularis, morumque reformatione, in communi à Prælatis tractetur: Isti articuli nihil de speciali obseruantia volunt in Capitulo tractari, sed ea tantummodo quæ ad pacem & pacta inter vnitas Congregationes conseruanda, Generaliaque quędam Capita ad missionem vniuersaliter spectantia pertinent. Benedictina mandat, vt omnes Abbates & Priores Abbatem non habentes, hoc est vt omnes supremi conuentuum patres in Capitulo Generali conueniant: isti articuli volunt vt Capitulum ijs præscriptum constat solum ex Congregationum vniendarum Præsidibus, nempe Cluniacensi, Casinensi, Hispaniensi, Anglicano Præside; ex illis solis volunt suum conflari Capitulum, exclusis conuentuum particularium, omnibus Prælatis. Et cum hos articulos Prælatus ille quidam Cluniacensis, P. Torquato persuadere cuperet: Et P. Torquatus dicta Epistola, eos impracticabiles optimis inuictisque rationibus doceat; Iste aduersarius Benedictinam suscipit defendendam, contra quam ne per somnium quidem P. Torquatus aliquid meditatus fuerit. Quare omnia illa quæ in Benedictinæ laudem dicit, P. Torquatus nobiscum admittit: Sed ea omnia nihil ad rhombum; nihil ad articulos quos P. Torquatus dicit impracticabiles: qui nimirum articuli sunt ex diametro oppositi constitutioni Benedictinæ. Et hæc est prima aduersarij calumnia, quasi P. Torquatus Benedictinam diceret impracticabilem, in qua tamen nostram fundari Congregationem posteà merito dixerit.

Deinde repetit figmentum odiosum, de translatione residentiarum, per vim & rapinam, & surreptitiam bullam: cum iam constet ex superius disputatis, Congregationem Hispanicā (quæ sola habuit residentias, de quibus potest esse quæstio) suum ius in residentias transtulisse in monachos missionis suæ longè ante bullam, vel breuis expeditionem, aut supplicationem

tionem pro eo expediendo intentatam. Et satis superque ostensum sit nullam factam esse translationem residentiarum aut bonorum: Sed ea omnia manere in eorundem possessiono qui ea primitus acquisiuerant; nec inde excludi monachos missionis Hispanicæ, sed idem prorsus ius, quod ante hanc vnionem habuerunt, multoque maius, liquidius, & securius etiamnum retinere. Quod autem disputat aduersarius, & rogat, quis dederit Hispanico Capitulo auctoritatem suæ Congregationis domos & personas alijs resignare: tam absurdus est, vt non mereatur responsionem. Quare enim non erit licitum Congregationi Hispanicæ, quod Cluniacensi, quod Casinensi, quod alijs ordinibus, præsertim interueniente summi Pontificis permissione? Cluniacenses sæpè commutasse prioratus suos, imo Abbatiā S. Ioannis Angeli, pro prioratu eiusdem, abrenuntiasse legimus in bibliotheca Cluniacensi, quē locū in superiori disputatione posuimus: cur non suis filijs à se educatis, per breue Apostolicum in nouum Congregationis regimen, erectis, poterit Hispanica Congregatio concedere, quod non dederat? Hoc est, ea quæ ipsi filij suis laboribus sibi ipsis acquisiuerant, ijsdem dimittere per emancipationem, reseruata dependentia quam iudicauit necessariam, abdicato onere quod vidit fore intolerandum? Casinensis Congregatio, vt in scripto 7. Appendicis claret, filios Congregationis suæ professos, transtulit in Congregationem Anglicanā eique incorporari permisit: contra Casinensem tamen eà de causa nihil disputat aduersarius. Quinimo, si non licuit Congregationi Hispanicæ, in Capitulo Generali post maturam deliberationem, post mentem Pontificis per Romanum procuratorem suum intellectam, filios suos petentes, residentiasque ipsorum, sub honorificis tamen conditionibus emancipare: quomodo licuit aduersario, & sodali suo Prælato sc. Cluniacensi, seipsos inconsultis superioribus ab eorum auctoritate, vnà cum bonis acquisitis transferre ad Cluniacenses? Et quo iure non per auctoritatem ipsius Cluniacensis prælati, sed per bullam Apostolicam si quam tamen habuerint, facti sunt Cluniacenses, cum in supplicationibus suis, aut nullam, aut falsam, aut æquiuocam fecerint mentionem de licentia superiorum suorum Hispanicæ Congregationis? Hic iterum in seipsa, recurua est aduersarij Theologia; nemini licet, quod ipsi licet; & ipsi licet, quod alijs omnibus facere reuera non licet. Itaque quæ hic paratragediat de translatione bonorum, de surreptione, de errore Congregationis Hispanicæ, sunt febricitantis cerebri furiæ, ægrotantis somnia, in quibus nec pes, nec caput vni formæ redduntur.

Nota lector benigne.

Tertio loco infert quędam contra P. Torquatum, Primo ipsum dissentire ab auctore trophæorum; quod non erat illi probandum, cum nemo negaret, nemo dubitarret; imo tam P. Torquatus, quam nos fere omnes ipso aduersario sæpissime audiente, illam opinionem prędicti auctoris, sic rigide, vt illam tunc videbatur defendere acceptam, minus probabilem semper reputauimus. Deinde infert, P. Torquatum fateri, Benedictinam fuisse in praxi vsque ad tempora Henrici octaui: quasi nos illud negamus; & non ea in re præsertim fundati, ad vnionem promulgandam processerimus? Quamquam nec nos, nec P. Torquatus asserat, ita fuisse in praxi Benedictinam, vt illius solius decreta in congregatione Anglicana toto illo tempore viguerint: Nam & ante Benedictinam per centum fere annos viguerunt decreta Lateranensis consilij, & fuere duæ prouinciæ ordinis in sola Anglia; quæ per Benedictinam in vnam prouinciam sunt redactæ; & post Benedictinam multa sunt in congregatione statuta, per auctoritatem sedis Apostolicæ comprobata, diuersę longè à constitutione Benedictina. Vnde quod tertio loco infert, non valere nobis confirmationem in diplomate contentam, quia supponit nihil debere eius vigore fieri contra canones, nos autem contra canonem Benedictinū multa innouasse: ridiculum est; non solum, quia male exponit clausulam illam restrictiuam vt suprà docuimus; verum etiam quia absurdissimè reputat actum contra canones, quicquid meliorem in formam, quam canones præscripserint, erigitur. Quasi quis diceret religiosos S. Francisci agere contra canonem de quadragesimę obseruantia, quia superaddunt canoni duas alias quadragesimas per annum. Nam certum est Innocentium, & Benedictum, non condidisse illos canones suos, ea intentione, aut eo etiam tenore, vt nihil perfectius à religiosis ordinis nostri communi consilio fieret: Sed ea mente, vt si non aliquid perfectius, quale, vt Cistercienses & Carthusiani tunc assumpserant; saltem illud initium quoddam melioris reformationis admitterent & exercerent. Vnde, sicut non esset contra canonem Benedictinum; si Prælati non solum contenti essent sex aut octo vecturis, quando itinera conficiunt, sed etiam more antiquorum eremitarum pedites id facerent, vno aut altero tantum monacho comitante: sic regimē perfectius, & magis ad disciplinam continendam efficax assumere, nullo modo contra eundem canonem existit. Et quemadmodum Benedictus duodecimus non existimauit se contra canonem Lateranensem facere, quod duas

Nō fieri contra canones, quæ perfectiori modo fiunt, quàm Canones præscribāt.

Angliæ prouincias (idemque de alijs regnis intelligatur) in vnam redigent: ſic nec Paulus V. cenſendus eſt contra Benedictinam facere, quod vnam prouinciam rurſus in duas diuiſerit. Sed fruſtra tempus terimus in re manifeſtiſſima: nemo ſapiens, nemo intelligens vitæ humanæ rectum ordinem, nemo particeps venerationis iudicabit fieri contra canones, quod permittente, & approbante ſummo Eccleſiæ paſtore, & ſenatu, fit perfectiori modo, quã canones præſcripſerunt. Quę deinde infert de vi & iure Lateranenſis concilij in ſuperiori diſputatione ſunt diſcuſſa: detectaque egregia aduerſarij contradictio; cum in capitulis Innocentianæ formæ dicat ſolos exemptos comparuiſſe; & non ſolos; Cluniacenſes eiſdem ſubditos fuiſſe, & non ſubditos; variarum congregationum monaſteria ſeu prælatos, ibidem congregari ſolitos, & tamen varias congregationes nondum fuiſſe ordinis Benedictini, ſed vnã ſolam Cluniacenſem. Ad vltimum ergo quæ contra hanc Epiſtolam P. Torquati obijcit, veniamus.

Addiderat ſuperioribus verbis Pater Torquatus hæc ſequentia: Licet nunquam fuiſſet vlla congregatio Anglicana, Religioſi noſtri, vniti virtute Breuis Apoſtolici, fieret congregatio Anglicana: nam illius verba ſunt, *Ex illis fiat vnum corpus, quod ſit, & vocetur Congregatio Anglica.* Hic aduerſarius Pæana cantãs ante triumphum, regerit verba Archiepiſcopi Patris noſtri, quibus ſupra videbatur dicere, ſi nulla fuiſſet olim congregatio Anglicana, nihil operari bullam ſeu breue noſtrum. At non dixit hæc Archiepiſcopus: Sed ſi nulla fuiſſet congregatio Anglicana antiqua, præter Cluniacenſem, tunc aut illam Cluniacenſem confirmatam fuiſſe, aut nullam. Scit enim aduerſarius, exceptiuam propoſitionem duas alias in ſe virtute continere: itaque illa propoſitio, Nulla fuit antiqua congregatio in Anglia præter Cluniacenſem, his duabus ęquiualet, Fuit olim in Anglia congregatio Anglicana: Non fuit illa diuerſa à Cluniacenſi: quæ duæ ſi veræ ſint, vera fuit reſponſio Archiepiſcopi aut nullam aut illam ſolam congregationem confirmatam fuiſſe hoc diplomate, Ponitur enim aliquid confirmari; & ponebatur ab interrogãte, nihil aliud fuiſſe quod confirmari potuit. At longe alia hic eſt P. Torquati aſſertio, quia ſupponens non fuiſſe vllam omnino congregationẽ Anglicanam, dicit adhuc Bullam operari congregationem nouam: quia verba quidem ſupplicationis ſunt diuiſiua, vt continuaretur, inſtauraretur, aut ſi opus eſſet, de nouo erigeretur antiqua congregatio Anglicana: Pontificis autem verba, quæ pleniſſime ſatisfaciunt intentioni ſupplicantium, ſunt abſoluta, fiat vnum corpus vt petitur, ſit & vocetur Congregatio Anglicana, prout ſupplicatur. Contrà hoc nihil valet Ἀπολογία aduerſarij, de ſignificatione dicturus: in qua etiam ſuo modo ludit æquiuocationibus: nam quamuis, vt ille aſſerit, *Erigere* poſſit aliquis iacentem, qui prius ſtetit, tamen erigere de nouo in conſtitutionibus Pontificijs (vt ſuprà probauimus) idem eſt ac moraliter creare de nouo illud, quod prius non fuit; Debuit igitur aduerſarius non ex ſignificatione permiſſiua verbi, *erigendi*, arguere: ſed ex ſignificatione iuridica illius complexi, *de nouo erigere*, aliquid colligere; quod nec auſus eſt, nec potuit. Quod ſi daremus illi etiam illud complexum aliquando potuiſſe de re olim ſtante, poſtea iacente, iterumque reſtituta intelligi: adhuc nihil contra P. Torquatum, qui non illo complexo, aut ex verbis ſupplicantium in Breuis exordio relatis arguebat: ſed ex verbis efficacibus, & practicis Pontificis: *Fiat corpus, Fiat Congregatio*; quæ ita formidauit aduerſarius, vt ne attingere quidem præſumpſerit. Sed valebit tamen ea ſignificatio contra aduerſarium: nam ſi poteſt de nouo erigi res antiqua, diu iacens, & collapſa (vt vere poteſt, ſi ad vulgo loquentium vſum attendamus:) cum ſuperius demonſtrauerimus, fuiſſe olim in Anglia antiquam Cõgregationem, ſed à tempore Henrici octaui vel in toto, vel magna ex parte collapſam, potuit de nouo erigi ab habente poteſtatem, & voluntatẽ. Poteſtatem aduerſarius Pontifici adeſſe non audet negare, voluntatem ad fuiſſe non poteſt negare, quia exprimitur in diplomate; atque adeo effectum inde legitime ſecuutum non debet inficiari, niſi rationis naturalis dictamen penitus abdicauerit; quod vt illi non acciderit, certe paſſio & inuidentis animi perturbatio multum obſcurarunt. Sic ergo vindicatus manet ab eius impugnatione P. Torquatus.

Breui Pontificio, veterem Cõgr. confirmatam fuiſſe, & nouã ſi opus foret, erectã.

Accedamus iam ad epiſtolam P. Rudiſindi, in qua impugnanda, ſicut ſe oſtendit magis acerbum, ita ſe probat in re ipſa, quam ſuſcepit, minus intelligentem. Primum ergo animaduertat lector, ridiculam ſimulationem charitatis, de qua veriſſime pronuncies illud antiquum elogium, ſimulata ſanctitas duplex eſt iniquitas; *Præſes* inquit *modernus Congregationis prætenſæ Anglicanæ, cuius nomen, vt parcam famæ, non euulgo.* Magnam vero moderationem, ita nomen alicuius reticere, vt notam tamen nomine illuſtriorem apponas; ac ſiquis aliquid in præiudicium honoris Abbatis Cluniacenſis diceret, Abbas modernus Cluniacenſis, cuius nomen non euulgo vt parcam famæ; nonne clarius & illuſtrius illius iniuriam ſpargeret hac

notatione

notatione, quam si solum, verumque nomen eius apposuisset; nam F. Claudium A. si dixisset, nomen paucis notum, rem etiam de eo narratam pauci animaduerterent: At Abbatem Cluniacensem quicumque nominat, etsi nomen proprium non addat, eam tamen notam Illustrissimi Reuerendissimique Prælati effert, quæ neminem potest latere; atque adeo siquis quid reprehensione dignum, de eo vellet narrare, non posset apertius illi vituperium facere, quam si diceret, sic & sic fecit Abbas modernus Cluniacensis. Non est tantus vir Præses modernus Congregationis Anglicanæ, quantus Reuerendissimus Abbas Cluniacensis: sed tamen, quantum permittit humilis, & calamitosus status Catholicorum in Anglia, tantus vir est Præses modernus Congregationis Anglicanæ; vt siquis simpliciter diceret, indignum quid monastica professione commisit Pater Rudesindus, qui hoc audiret, simplicis alicuius & ignoti Monachi, aut certe paucissimis de hoc nomine noti, factum aut erratum reputaret, nec inde magnopere moueretur; At si idem audiret dici, patrauit quid loco suo indignum Præses Congregationis Anglicanæ, etsi nesciret eum, vocari proprio nomine Rudesindum; statim tamen ingenti scandalo concuteretur, quod in dignitate non omnino contemnenda positus vir, centum vt minimum presbyteris pijs & doctis pro tempore præfectus, aliquibus conuentibus non malæ notæ præpositus, indignum loco suo facinus patrauerit. Et hæc est aduersarij nostrij charitas, qui rem suo iudicio non bonam de P. Rudesindo narraturus quem sæpius antea vocauerat præsidem modernum Congregationis Angliæ: parcit eius nomini ne lædat famam, sed describit eum, propria nota Præsidis moderni Congregationis Anglicanæ, quo titulo pluribus notior est, quam nomine proprio Rudisindi; quod nomen videlicet multi ex ijs, qui familiarissime ipso vtuntur, non nouerunt.

Sed quantum ad ea omnia quæ hic aduersarius producit, aut producere veraciter potest, dat illi Pater Rudesindus plenam potestatem ipsius nomen, & cognomen, & titulos quoscunque propalandi, & absoluit eum ab omni culpa illicitæ infamationis, modo ea solum producat, quæ vera sunt, & Christiano modo, simpliciter narret non fucatis calumnijs deprauet. Nihil poterit aduersarius hac in parte ipsi obijcere, de quo, non confidat in Dei timore, se posse sine rubore honestam rationem reddere. Iam vero, videamus quid in epistola rodat aduersarius.

Ait eum ex diametro contradicere Patri Torquato: hic enim, vnionem secundum Benedictinam, suo iudicio æstimat non impracticabilem; at Pater Rudisindus non posse in praxim vllatenus deduci arbitratur. Adeo væcordes se nacturum lectores putauit aduersarius, vt nō sit veritus expresse falsum quid dicere, quod ex ipsis verbis epistolarum à se immediate antea recitatarum posset conuinci: Vbi enim in tota epistola P. Rudisindi fit vlla Benedictinæ mentio? vbi aut quibus verbis dicit ille, vnionem secundum formam Benedictinę esse impracticabilem? vbi aut quibus verbis P. Torquatus iudicauit eam esse practicabilem? Neuter de Benedictina loquutus est: sed vterque, de nouitijs quibusdam articulis secundū quos Prælatus quidā Cluniacēsis, & quidā Doctor Theologus Benedictinus, (magna nomina, sed non tanta vt rei improbabili faciant fidē apud eos qui ipsos nouerūt) voluerūt nobis in Capitulo nostro Generali Congregatis persuadere, aliam vnionem à quatuor Congregationibus, Hispanica, Casinensi, Cluniacensi, & Anglicana esse faciendam. Articulos vide lector in appendice 33. de quibus iam diximus quantopere differant à Benedictina; & tamen iste aduersarius noster eos articulos vult haberi & æstimari pro medulla quadam constitutionis Benedictinæ; & quicumque eos dicit impracticabiles, id eum iniuriose de Benedictina dicere clamat. Sed quantumuis clamitet, obturauimus illi os apud omnes prudentes. Nos Benedictinam prout iacet in bulla quæ circumfertur, dicimus, semperque diximus, potuisse in praxi seruari, fuisse in praxi seruatam, imo in longe meliorem formam, ipso vsu docente, Pontificibusque approbantibus & adiuuantibus, paulatim redactam; secundum eam floruisse, per trecentos annos, Congregationem Anglicanam à Cluniacensi distinctam iam demonstrauimus: sed vna etiā dicimus aduersarium falso, & temere, & fraudulenter articulos à se & collega suo Prelato quodam Cluniacensi excogitatos, pro Benedictina lectori obtrudere; falso, temere, imperite, & contra sua ipsius principia docere Benedictinam constitutionem comprehendere Prælatos Cluniacenses, aliosue vllos qui erant in Congregatione perfecta ante Lateranense Concilium constituti, quales erant Cluniacenses, & Cistercienses. Iam enim docuimus, ad Capitula formæ Innocentianæ & Benedictinæ, alligatos solos prelatos quos vulgus stricte loquendo, Nigri ordinis vocare solebat, & alios omnes exclusisse. Hac ergo in re non sibi contradicunt, P. Rudisindus & P. Torquatus, quia neuter de Benedictina, in vero sensu, & prout in bulla circumfertur, intellecta loquutus est; neuter illius mentionem fecit. Sed nec de articulis ipsis Prælati illius, intellectæ hæ epistolæ, sibi aduersantur: Nam P.

An contradicat P. Torquato?

Torquatus dixit quidem, articulos illos, secundum substantiam non videri sibi impracticabiles: at consideratis omnibus circumstantijs, non posse practicari: P. Rudisindus absolutè, id est omnibus consideratis circunstantijs dicit, eos esse impracticabiles: An hæ propositiones contradicant, aut adversentur sibi, iudicent dialectici: vna quidem distinctè loquitur, secundum quem sensum possent dici practicabiles, quasi diceret, speculatiuè loquendo; & abstrahendo à circunstantijs locorum, temporum, & personarum, posset quis concipere praxim illorum articulorum, at practicè iudicando, & comparando eos ad circumstantias prædictas, non possunt in praxim deduci. Altera propositio prætermissa speculatiua consideratione (de qua non erat quæstio, non enim in schola disputabatur; sed de eo quod esset à nobis faciendum ἐν ἀτόμῳ, & hic & nunc vt aiunt philosophi) absolute, & in concreto, ratione eorum qui in re ipsa, in personis, in locis, in his temporibus & moribus obstabant; absolute dicit & ostendit esse impracticabiles. Idem ergo dicunt hæ propositiones vtriusque auctoris: ac proinde imperite ab aduersario inter se committuntur tanquam contradicentes.

Absurda inæqualitas ex articulis VValgrauianis.

Ad primam rationem Patris Præsidis, respondet solito & perpetuo perfugio suo ad causam non causam. Ait enim non esse verendum, si Benedictinam recipiamus aut vnionem secundum illam, ne prætetea alij velint suas de alijs vnionibus conceptiones obtrudere, & figmenta ἄτοπα & ἀδυνάτα in infinitum multiplicare. Atqui disputator egregie, nec hoc dixit Pater Præses: non tu ei Benedictinam constitutionem, non vnionem secundum illam Presidi obieceras, sed articulos illos quatuor, quos sodalis tuus, forte ab obstetricante ingenio tuo adiutus parturiuit, quos tu magnifico Benedictinæ constitutionis pallio subornatos, cupis nobis obtrudere; cum non magis propterea Benedictinæ sint, quam asinus leonina pelle indutus, leo esse aut vocari debeat. Si illi tui articuli admitterentur, recte intulit Præses, nullam esse rationem, cur non & alij viri docti, meliorisque longe notæ in missione quam vos duo habemini, non etiam iure suo postularent audiri; & sua consilia nobis in scriptis exhibita procuidubio futura maioris profectus, à fratribus suis perpendi flagitarent. Cur enim potius tuos articulos admitteremus, quam quos Romæ proposuit vir grauissimus, & qui in causæ nostræ defensione constantissimè laborauit, D. Anselmus à Mancestria? Præsertim cū ad formam articulorum ipsius, omnes in Capitulo superiores, suffragium, vt Benedictina prescribit essent habituri; in tuo vero Capitulo, soli quatuor Presides, Congregationum, secundum illos articulos semi-vnitarum. Tam iniquus es aliorum censor, vt nos passim in toto libro conuitijs oneres, tanquam perpetui regiminis affectatores: qui tamen valde multos suffragatores nobiscum in Capitulo Generali æquali iure compatimur: cum tu ipse tanquam Apostolicum Benedicti 12. inuentum (quam audax & temerarium facinus) persuades nobis vnionem iuxta quatuor articulos, in qua soli quatuor viri sint habituri ius suffragij, & inter illos quatuor, vnus sit perpetuo futurus Capitularis, nempe Cluniacensis Prælatus; alter perpetuabilis, nempe Casinensis; duo alij quolibet triennio vel quadrennio mutandi, nempe Hispanicus & Anglicus Præses. Hæc est tua scilicet æquitas; hæc est tua φιλαδελφία hoc est tuū in rebus practicis iudicium.

Quare facile hinc apparet, quam nihil ad rem sit responsio quam secundæ obiectioni Patri Præsidis, misertime adaptare laboras. Dixerat ille se nunquam legisse aut audiuisse, vbi tale Capitulum, quale tu illi suadebas, obseruaretur, constabat tibi ex varijs colloquijs, eum legisse decretum Innocentianum, constitutionem Benedictinam, Monarchicarum & Aristocraticarum Congregationum ordinis nostri erectiones, illis ergo verbis voluit tibi significare vnionem tuam fuisse nouum inuentum, quale antea nunquam fuit visum. Hic tu dicis non esse quæstionem, an de aliquo tali Capitulo vnquam legerit, vel an tale extiterit; sed an ex lege possit & debeat esse, & expediat haberi. Atqui hucusque dicebas, tuum, quod suadere moliebaris tanto conamine, reuera esse Capitulum secundum Benedictinam. Ergo tibi ipsi nunc contradicis cum negas quæstionem esse, an tale vnquam Capitulum extiterit. Nonne hactenus id voluisti docere, Capitulum tuum, esse Capitulum secundum formam Benedicti 12. est ergo quæstio an vnquam tale Capitulum extitit, quale tu affirmas tuum esse: negauit Pater Præses, dixit sibi nec lectu nec auditu cognitum fuisse tale Capitulum, quale tu illi fingebas: atqui legerat, audierat de Capitulis secundum formam Benedictinam, vt nosti. Idem ergo erat, ac si dixisset, Capitulum tuum non esse Capitulum secundum formam Benedictinam; Quomodo tu illud probas? refers nos ad caput 1. Benedictinę. Sed ibi nihil tale inuenitur: iam hoc in tota priore disputatione probauimus euidenter; est tamen aliquid hic dicendum, quod P. Præses tribus verbis insinuauit. Benedictina constitutio data est & conscripta pro Abbatibus & Prioribus, qui erant perpetui Prælati ordinis S. Benedicti, nec mutabantur statis temporibus; & hoc adeo clarum est, vt non opus habeat alia probatione, quādoquidem

doquidem tempore Concilij Lateranenſis, & Benedicti 12. nondum cœperant Itali & Hiſpani (qui primi omnium hoc genus humilitatis triennalium Prælatorum excogitarunt) conſuetudinem iſtam, Prælaturæ adminiſtrationem, ad ſtatum & aſſignatum diem deponendi. Et quis non videt longe alias regulas, alias leges poni & neceſſario ferri debere pro iſtis mutabilibus, quam pro perpetuis? quis nō animaduertit lōge alio modo gubernari cōuentus ab his, quam ab illis? longe alium eſſe ſpiritum, longe aliam obſeruantiam in his quam in illis. Quomodo ergo fieri potuit, vt prudentiſſimorum Pontificum conſtitutionem, pro perpetuis latam, vllus peritus rerum arbiter extendat ad prælatos mutabiles? Nam vt vnum ſolum dicamus, inter millia quæ occurrunt in praxi difficillima: cum in omnibus Capitulis regularium, etiam antiquis, omnia per pluralitatem ſuffragiorum determinentur: ſi in Capitulo Generali, ad quod conueniunt Prælati quadriennales & perpetui, oriatur quæſtio de caſtigandis perpetuis, per depoſitionem, ſeu priuationem, aut ſuſpenſionem ab officio; quanta hinc orirетur contentio, præferentibus quadriennalibus ſuum inſtitutum, in quo facillimè id præſtant, quando opus eſſe viderint; & perpetuis ſuam dignitatem tuentibus, qui vix aut ne vix quidem, propter exempli conſequentiam, paterentur aliquem ita per ſuffragia deponi? Quid ſi oriretur quęſtio longe facilior & rationabilior, de moderandis Prælatorum ſumptibus, de limitanda ipſorum poteſtate, in adminiſtratione temporalium ac ſpiritualium, conuentuum ſuorum, de aſſiduitate per eos exhibenda in actibus conuentualibus, de ſimilibus multis ad quæ quadriennales alligantur ſub præciſis pœnis depoſitionis atque ſuſpenſionis ab officio: quanta hic rurſus foret inimicitiarum occaſio? Itaque Capitulum tale non eſſet, vt aduerſarius verbo tenus contendit (non enim poſſibile eſt quod interius & in animo id ſibi perſuadeat) medium ad pacem conſeruandam, ſed perpetuum ſeminarium litium & contentionum; vt merito dixerint P. Rudiſindus, & P. Torquatus tale Capitulum, perpenſis bene circunſtantijs temporum perſonarum, & negotiorum, non poſſe prudenter aut vtiliter in praxim redigi. Docet hoc experientia aliorū ordinū, exēpli cauſa, Carmelitarū excalceatorum, cum Patribus eiuſdem ordinis, vt vocant Calceatis: Auguſtinianorum recollectorum cum mitigatis: quorum crebræ contentiones, & veri nominis difficultates tantæ erant in Capitulis ad quæ ſimul conueniebant, & tam aſſiduæ; vt propterea ſummi Pontifices, ipſique ordines iudicauerint neceſſarium, vt quamuis eſſent eiuſdem regulæ, in diſtinctas tamen & à ſe inuicem prorſus independentes Congregationes diuiderentur. Eſt ergo reuera aereum, chimęricum, vtopicū, & impoſſibile hoc genus Capituli, pro quo inſulſum hoc [illegible] tanto boatu aduerſarius noſter præconizat.

At tertiam rationem P. Præſidis, eodem æquiuocationis transfugio vtitur aduerſarius: & quæ Præſes, de ipſius Capitulo paradoxico veriſſimè aſſeruit, iſte ita accipit, ac ſi de Capitulo per Innocentium, & Benedictum inſtituto, loquutus fuiſſet. Non eſt, ita, bone Doctor; de tuis illis Chimæris, & Capitulis ſimilibus loquebatur in quibus eſt (vt ex tuis articulis apparet euidenter ad oculum) quatuor aut quinque tantum Præſidum, totidem Congregationum conuentus; non ad tractandas morum & obſeruantiæ quæſtiones; ſed ad ſeruanda ſolū quædam voluntaria pacis & vnionis chimęricæ pacta & concordata. Hæc talia ad ludificandum potius Epiſcopos, quam ad reformandos mores inſtituerentur. Quod ſi audiuerit ab aliquibus Præſes, fere id accidiſſe in Capitulo Belgico, fatetur ſe eo in auditu deceptum, & valde incaute, apud talem ſecretarium depoſuiſſe id quod audiuerat; Factaque meliori inquiſitione, perſpectiſque Capituli Belgici inſignibus, & religioſis valde conſtitutionibus, videt apertè ſe fuiſſe in illa relatione deceptum, & non pauca, per eius Capituli frequentationem animaduertit, in meliorem erigi obſeruantiam, quę ſine illo aut nunquam fuiſſet introducta, aut cito fuiſſent diſſipata.

Quare quæ ibidem exaggerat aduerſarius, de iniuria facta Abbatibus Belgij, quos tunc quidem P. Rudiſindus non intellexerat, Capitulum omnino ſecundum formam Benedictinæ celebrare, ſed aliud aliquo modo ſimile, ſicut nunc viſis eorū ſtatutis aduimaduertit; iniuria eſt ab aduerſario facta, qui incautè à fratre ſuo, & ipſi familiariter, ex lege charitatis dictū, obiter tantum, & inſtantiæ cauſa, nec affirmatiue & certò, ſed ſolum ex auditu acceptū; pręſumpſit contra ius diuinum & humanum, impreſſo libro euulgare, tantum vt ſi quid poſſet, noceret ijs, quorum ſumptibus & indulgentia, ille ipſe aduerſarius factus eſt alicuius nominis, qui niſi per eos fuiſſet ſubleuatus, manſiſſet pro meritis ſuis vilis, & inglorius.

Ad vltimam rationem P. Pręſidis reſpondet aduerſarius, inferendo contradictoria ex fundamento ſuo voluntario: vult enim omnino vt detur ipſi, rationes & verba P. Rudiſindi intelligi de Capitulis formæ Innocentianæ, & Benedictinæ; & eo poſito, probat euidenter, P. Rudiſindum contradicere P. Torquato; ſed proba ſuppoſitum, diſputator acerrime, non eſt

est enim petitio mathematica, quæ postulanti debet, & ex ipso sensu concedi: sed est omnino falsa positio: cũ P. Rudisindus de suis articulis, & de decretis Innocentij & Benedicti secundũ illos expositis, loquutus fuerit: quomodo non solum non contradicit P. Torquato, verum etiam prorsus idem dicit, & nunc adhuc reputat, nunquam temporum, nusquam gentium, nullibi locorum, celebrari, aut celebratum fuisse, aut celebrari prudenter & commode posse, tale omnino Capitulum quale tu desiderasti, & te aduersariũ absurde, calumniose & ridicule imponere Pontificibus sanctis, quasi ipsi legibus & constitutis suis tam impossibilem & deformem Chimæram fouerint; & more muliercularum te facere, non Doctoris Theologi, quum fingis à proximo dici, quæ ipse solus concepisti ridicula, absurdissima paradoxa; & & ex illis figmentis, tanquam veris fundamentis postea educis ædificium magnificarum excursionum, & coloras figuris Rhetoricis, hyperbolicis catachresibus, & amarissimis sarcasmis, vt clare pateat modesto cuiuis, ex cuius spiritus instructu talia sentias & loquaris.

Quod vero vlterius disputat aduersarius male assertumà R. Præside, quod etiam Benedictinæ obseruatio iamdudum cessauerit: & opponit P. Torquatum qui asseruit, eam vsque ad tempora Henrici octaui viguisse: si hoc de Benedictina dixerit Præses (quod non meminit, quis enim omnium quæ familiariter ad amicos scripserit, potest meminisse?) nõ sic dixit, quasi omnino illa capitula celebrari desinant: sed quod paulatim multi prælati se à Capituli iurisdictione subduxerint; atque ita ordinis obseruantiam neglexerunt: quod constat ex scripto in appendice num. 59. Vbi indicitur contributio, ad sumptus qui necessarij forent, vt tales ad obedientiam compelli possent. Et satis probauerat Præses ex cõstitutione Ioannis Pekam: cuius constitutionis testem adduxit Ioannem Aton, & non neglectus Benedictinæ, vt aduersarius perperam exponit.

Membrum Sextum.

De Protreptico aduersarij, quod ad simplicium illuminationem hypocriticè adornauit.

§. 1. Autores huius aduersarij, quantum in eo fuerunt decepti. §. 2. Quam inepte causam hanc aduersarius euocet ad Senatum Parisiensem. §. 3. Aduersarij insolens arrogantia Doctores Sorbonæ de officio admonentis: quidamque erga sedem Apostolicam liuor & malignitas. §. 4. Sententia Generalis Hispanici de tota aduersarij doctrina iam discussa. §. 5. Protrepticon ad aduersarium; & peroratio ad lectorem.

TAndem confisus audaciæ suæ, quasi causam suam probauerit magna eloquentiâ, quã prodidit potius infantiâ, & detexit esse pessimâ, innumerabilibus calumnijs & lædorijs: conuertit se ad simplicium instructionem: simplices vocans Congregationis nostræ monachos, naribus (vt contemptibiliter & inciuiliter scribit) per nos circunductos: quorum nullus est ita indocti nasi, vt non subodoratus olim fuerit, quam perniciosum ouum in castu suo fouerint, quando hunc aduersariũ educarunt; & nunc P. Leandro, non sine causa, in faciem obijciunt, quam ille fecerit imprudenter, qui suas sequutus rationes, & affectui vano indulgens, non paruerit tum Prędecessoris sui, tum etiam aliorum fratrum bene monentium consilijs; nec in inferioribus ordinis subsellijs, prout debuerat, huic aduersarium continuerit; ne petulanter & insolenter in ipsum ordinem suum insurgeret. Propterea rogat idem P. Leander omnes fratres suos vt ipsius ignoscant imprudentiæ, fateturque iusto Dei iudicio factum, vt ille hic aduersarius ipsi excitatus fuerit, qui eũ merito colaphizet, quẽ ipse olim contra prædecessorẽ suum immerito apud Reuerendissimos Hispaniæ Generales) quarum adhuc aliqui in viuis, cum ista legerint, agnoscent hoc esse verissimum) propugnauerit. Nec defuerunt viri grauissimi de Clero nostro Anglicano, qui simul ac istum infamem libellum (ipso iditore ad eosdem eum destinante) conspexisset: hoc ipsum P. Leandro dicerent, merito ipsum ista pati, qui tam immerito istum aduersarium semper protexerit.

Sed pergit aduersarius ex praxi beneficiaria simplices nostros (quibus Deus donec vt in sancta simplicitate perseuerent, nec vnquam ad beneficiaria lotigia prudentes, aut astuti potius esse velint & callidi) instruere, docetque eos ex suo Rebuffo differentiã inter Breue & bullã, (quasi hoc interesset simplicium, qui soli Deo seruire cupiunt, ista scire, aut quasi quãplurimi

plurimi inter illos simplices, absque Rebuffo, & beneficiarijs Practicarum principibus, ista non melius scirent quam aduersarius;) eo solo fine, vt intelligatur, parui momenti habitum fuisse negotium nostrum, quia in forma Breuis tanquam pro pauperibus fuerit expeditum. Et non animaduertit, si tam exigui momenti negotium sit, ipsum valde ridicule tantum librum, tam operosè de eo scripsisse; tantis exclamationibus Deûm hominumque fidem inuocasse, & quia Pontifex Sũmus facile patitur se à pauperibus filijs suis decipi, illustrem senatum Parisiensem importunius obsecrat, vt huius rei causa, cognitionem ad suum tribunal euocet; quasi sicut olim Amphictyonum totius Græciæ prætorium fuerit, in quo prouinciarum controuersiæ vltimate deciderentur; ita senatus Parisiensis esset, totius Europæ Concilium; & causa quæ ad Anglos solos pertineat, de rebus Anglicanis; in quibus nullus Francus periclitatur, aut periclitari posset, nullus Christianissimi regis natiuus subitus, aut legitime naturalizatus, teruncij seu vitiosæ nucis damnum subeat, ad Parisiensis senatus cognitionem pertineat. φεῦ τῆς φλυαρίας, φεῦ τῆς ἀναισχυντίας. Tu Doctor Theologe, probas ex Rebuffo practicarum Principe, negotium nostrum esse nullius momenti, negotiũ pauperum, tam contemptibile, vt non forma bullata, sed sub forma breuiculi debuerit expediri: & nihilominus adeo magnũ, adeo necessarium; adeo reipublicæ Christianæ damnosum facis, vt quia Romanus Pontifex non sufficienter cauet sibi ab abusibus, quos quidam tuo iudicio mendiculi per surreptionem ab eo extorserunt, ideo à grauissimo totius orbis senatu Parisiensi, vis remedium, vis hanc minimam maximam causam discuti atque determinari. Multum tibi debet senatus Parisiensis, qui ad eius tribunal, tãquam rẽ tantis viris dignissimam euocari suades causam tam contemptibilem, vt secundum Rebuffum, non meruerit Bulla, sed Breui transigi: non à Pontifice, sed secretario eius subscribi. Nam quod Generales ordinum appellas insigni tuo epiphonemate, flebilis & miserabilis perorator: quid alij de tuo protreptico statuant, ipsi viderint, sapientissimi sunt, norunt quid ipsos deceat: noster proculdubio Reuerendissimus Generalis, omnesque patres Hispanicæ Congregationis pudore simul & dolore non modico afficiẽtur, quod tale aliquando in gremio suo fouerint vipereũ ingenium quod materna corrodere sustineat viscera; & si qua in re, si quam ob causam, nobis succensebunt, ideo sane succensebunt, quod te cum intra parietes claustri haberemus, non etiam ibidem continuissemus, donec ad meliorem frugem rediens, didicisses Deo vota tua reddere, & superioribus tuis debitam reuerentiam, & fratribus tuis humilem ædificatoriamque conuersationem.

Aduersarij ineptia, causam hanc ad senatũ Parisiẽsem euocãtis.

Quod si liceret, si deceret, quos tu causæ tuæ casus, Episcopis Reuerendissimis, & eorum officialibus, quos celebribus Parisiensis Academię Doctoribus porrexeris: quam cærussatos fuco calumniarum & amphibologiæ, quam incrustatos calumnijs & versutiis: quam infectos falsitatibus & effugiis: profecto cauerent omnes Doctores, (quos tu insulse, & insolenter officij sui mones, quasi solus officium τὸ πρέπον sciret, qui maxime omnium, etiam τὸ πρέπον neglexisti;) canerent proculdubio nequid tuis petitionibus responsi darent, quod nunquam possent tam cautè, tam sanctè dare, quin tu inde venenum sicut aranea ex saluberrimis floribus, exugeres. Merito cum solicite & instanter pro te frater tuus Doctorum fauorem rogaret, vt gradu theologico donareris, à grauissimo viro (quem tamen ingrate tuo famoso libello conuitijs onerare non re es veritus) responsum est: Pater mi, vide ne in posterum, & te, & nos pæniteat, quod hunc, pro quo rogas, promouerimus. Magno pondere cadant verba ab ore seruorum Dei: non fefellit illos præsagium, & fratrem illum satis dure propterea cruciat, dea, improuidorũ crudelissima vindex, Metanæa.

Atqui expedit videre, paucissimis verbis, quod de te iudicium doctores facere debeant, qui doctores audes publice, de officio ipsorum melius præstando monere: Considerent doctores catholici solum illa temeraria & male sonantia, quæ in hoc vltimo capitulo effutire, non eis verecundatus: Primum illam parenthesim. 324. P. Præses, (*qui auctor præcipuus fuit, vt lege iuberentur omnes suæ congregationis alumni ituri in Angliam sub iuramento promittere abrenunciationẽ doctrinæ Widringtonianæ, quæ negat hæreticum esse dicere* nota malitiam, *veros Reges* nota falsitatem, *non posse per sententiam Papalem fieri exreges, deponi & occidi, contra doctrinam Bellarmini, Suares, & aliorum, qui aiunt potestatem deponendi Reges in Papa, absque hæresi negari non posse*) *certe tenetur rigide stare pro Papæ potestate spirituali.* Quis hic non videt fel & aconitum aduersarij? quare posuit illud, *veros Reges*; vt sententiam maximæ partis catholicorum, per se apud Reges ingratam, faceret illo assumpto ingratiorem. Nam quis vnquam catholicorum docuit veros Reges posse fieri exreges? Deinde quis catholicorum docuit, hæreticam esse sententiam, quæ negat veros reges Papa iubente posse deponi & occidi? Satis ostendunt ista exaggeratoria additamenta, quæ tu catholicorum affingis sententiæ, quo tu sis animo, aduersarie homo, in Pontificis auctoritatem temporalem; & quam parum etiam faueas eius auctoritati

ctoritati spirituali, indicant multæ aliæ per hunc libellum tuum sperſæ eiuſdem furfuris parentheſes: quale illud pręclarum εἰρωνείας schema, pag. 328. *Nouit enim P. Præses, cum sit Doctor Theologus, & iuratus defensor auctoritatis sedis dictæ,* (Apostolicæ) *Atro carbone notandum hæreseos Romæ, qui de decretis morum in concilijs Generalibus contradicit illi assertioni, quam διδασκαλικῶς docet Bellarminus.* Et illud quod habetur pag. 335. postquam bonum argumentum illi obiectum præuaricatorie retulisset, elumbasset, & abortiuum, atque tendebat, dentuaſſet (non enim aliud volebat Capitularis ille, quam aduerſarij contemptibilem modū loquendi de confirmationibus Apostolicis, ſapere hæreticum ſpiritum) ſubijcit: *At horum omnium ora occludo doctrina Cardinalis Bellarmini, quæ scio, Romæ male audire nequit &c.* Dicat enim nobis aduerſarius; quid aliud ſignificat illa ironia, *Doctor Theologus, & iuratus defēsor auctoritatis sedis Apostolicæ,* quam ridiculum eſſe, auctoritatem illam ſacroſanctam conſtanter defendere? quid aliud illud falſum & impium ſcomma, *Atro carbone notandum hæreseos Romæ*, quàm Romæ tantum eſſe hæreticum, in alijs orbis partibus, hæreticum non haberi? quid aliud idem illum reſtrictiuum de Cardinali Bellarmino quod *Sciat Romæ non male audituram eius doctrinam*; quam quod alibi, & apud ipſum male audiat? Ita ne vero, Romæ tantum illud hæreticum? Romæ tantum bene audiat Bellarminus, communis & venerabilis hac ætate Theologorum contra hęreticos præceptor & Doctor? Et Romæ, & vbicumque viget prout oportet Romanæ Eccleſiæ fides. Tandem (nam ſi omnia reſecaremus, ſingulæ fere retro paginæ libelli tui eſſent examinandæ) tu Cluniacenſis monachus cum ſis, aut ſaltem haberi velis, audes in cauſa, quam Cluniacenſis R. Prælatus non probat, ſuadere, idque libro impreſſo, teſte publico cauteriatæ conſcientię tuæ, in cauſa obedientiæ, & regularis diſciplinæ hortari vt à tribunali ſpirituali ad ſæculare prętorium religioſi confugiant? Neſcis hoc ſanctiſſimis Cluniacenſium inſtitutis prohiberi ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda? I nunc aduerſarie ſanctiſſime, & mone Doctores Theologos officij ſui, verbis illis nihil aliud quam faſtum & arrogantiam intolerabilem ſapientibus, pag. 341. *Rogat dixit etiam quidam viri docti & celebris famæ, qui in his rebus minus versati sunt* (quam pudenda ſuperbia?) *Et ideo de eis pronunciando facile labi possint* (quam arrogans cenſura) *Vt non dent occasionem dicta & consilia sua surreptitie impetrata* (tua facinora alijs imponis) *Ex falsa narratione in dubium vocandi.* Audiant hoc Doctores Sorbonæ illuſtriſſimi: nam hos notat aduerſarius; neque enim aliorum doctorum, de cauſis huius hominis, conſultæ ſunt opiniones; Sed pergis. *Neque existiment, vt pauli quidam scioli facere solent* (reformati notantur) *eos qui improbant facta patrum prætensæ Anglicanæ, contemni merito & opprimi posse impune, typho fictæ quorumdam sanctimoniæ* (quam tibi dolet odiosa fratrum tuorum obſeruantia, præ ea, quam tibi arrogaſti in damnum animæ tuæ, perniciosiſſima licentia?) *Vanæ auctoritatis, soloque nomine Doctoralis scientiæ, absque naturæ rei, quam aperte, vel tacite impugnant intelligentia* (condonant tibi doctoralis ſcientiæ nomen ſolum habentes, hanc contumeliam, *Velim enim vt sciant, eos esse & grauissimos, & doctissimos Benedicti sectatores Monachos* (produc vel vnum talem, pręter teipſum & ſodalem tuum) qui velit ſe in eorum numero profiteri) *Qui ex corde improbant prætensæ Anglicanæ pretensiones.* Sed ceſſamus cameriuam tuam amplius mouere, nimium obit pijs auribus ritæ tui ipſius ſine riuali amor & φιλαυτία Quam vt paululum refrigeremus ſuffuſa frigida: conſidera cum ſodali tuo quid tibi poſt omnes libros tuos, (iſtum, quem confutauimus, & in eo grammatopæam tuam, aliosque libellulos gallicos & latinos, huius infamis libelli Epitomas propudiosas) inmiſerit, omnibus maturè perpenſis, tuus noſterque Pater, Reuerendiſſimus generalis Hiſpanicus.

„ NOs M. F. Aluarus de Soto maior, Congregationū, Hiſpanicæ, & Anglicæ, Ordinis
„ Sanctiſſimi Patris Noſtri Benedicti Generalis Vniuerſis & ſingulis, quorū auditui, vel
„ conſpectui hoc noſtrum inſtrumentū ad veritatis elucidationem præſentabitur, libera-
„ tioné à labijs iniquis, & à lingua doloſa, cum æterna ſalute, in ſalutis vnico authore, exo-
„ ptantes: Notum facimus, & teſtatū, quod (vti cum ſummo dolore & ingenti ſtupore acce-
„ perimus) duo Religioſi Congregationis noſtræ Hiſpanicæ in partibus Galliæ dęgentes,
„ nempe. P. F. N. N. & P. F. N. N. alias N. inuenti ſunt, quorum os loquutum eſt vanita-
„ tem, aſſumentes ſibi titulos & dignitates, videlicet, ille titulū diffinitoris primarij Ciſmon-
„ tanæ Congregationis noſtræ Hiſpanicæ, & hic ex ſocij ſui declaratione titulū Superioris
„ Religioſorum noſtrorū in reſidentijs Caleſi & Pariſienſi commorantium, & dextera eo-
„ rum dextera iniquitatis: quippe qui auſi ſunt anathematis gladio ſub cuiuſmodi titulorum
„ vano prætextu confratres ſuos, imo (quod maximæ audaciæ & temeritatis eſt) ſuos le-
„ gitimos ſuperiores, noſtra in illis authoritate fungentes, ferire. Qua propter, vt obſtruan-
„ tur ora loquentiū iniqua, & confratrum noſtrorum fama, quos temerario, & impio cona-

mine

„mine isti diffamare tentauerũt, illibata apud bonos omnes permaneat, per pręsens hoc no-
„strũ instrumentum declaramus, & certò testatum reddimus: Primo, dictum Patrem F.N.N.
„neque esse, neque vnquã fuisse, congregationis nostrę Hispanicæ diffinitorem. Et si ipse ex
„aliquibus constitutionibus nostris ad suum libitũ intellectis colligere videatur, hunc sibi
„titulum vel authoritatem competere; Nos, quorum munus est, omnia emergentia dubia in
„constitutionibus explicare, declaramus illam explicationem dictarum constitutionum, sic
„a dicto Patre F.N.N. factã vanã, falsã, & audacia, temeritate, & ambitione plenã esse; & di-
„rectè pugnare cum constitutione quadam â fœlicis recordationis Paulo Papa Quinto con-
„firmata, in qua numerus nonarius diffinitorum nostrorum statuitur, ita vt sine noua sedis
„Apostolicæ licentia, ne quidem Capitulum nostrum generale poterit dictum numerum vel
„augere, vel minuere. Secũdo declaramus ex stilo & sine vllà contradictione recepta consue-
„tudine congregationis nostræ omnes prælaturas, dignitates diffinitoriales, aliaque munera
„regiminis in nostra congregatione vacare singulis capitulis generalibus: indeque etiam
„quicquid huiusmodi muneris dictus Pater F. N. olim habuerit in nostra congrega-
„tione, illud nunc cum in capitulo generali vltimo non fuerit illi continuatum vel renoua-
„tum, vacare: ipsumque Patrem F. N. illo munere sufficienter exutum esse, etiamsi ni-
„hil illi in particulari, de tali vacantia, vel de alterius in locum illum suffectione fuerit inti-
„matum. Tertio declaramus omnes confirmationes & declarationes, perquas dictus Pater
„F. N. socij sui Patris F. N. N. alias N. authoritatem stabilire tentauerit, nullas, va-
„nas, & temerarias esse, nulloque modo dicto Patri F. N. suffragari. Quarto similiter
„declaramus omnes monitiones, interminationes, censuras, excommunicationum fulmina-
„tiones, & denuntiationes, & pręcepta quæcumque dictorum PP. FF. N. & N.
„contra aliquos confratres nostros Congregationum nostrarum Hispanicæ, & Anglicæ
„prætextu titulorum prædictorum facta, intimata, vel publicata; nulla, irrita, vana, & inania;
„imo impia, temeraria, & contra canones esse, nulloque modo dictos confratres nostros af-
„fecisse, vel afficere posse. Quinto declaramus dictos PP. FF. N. & N. subdi-
„tos esse, & obedientiam debere Reuerendo Patri nostro F. Rudesindo Barlo nostro in par-
„tibus illis Vicario: quem pro ampliori cautela, nunc de nouo Vicarium nostrum generalem
„super omnes Congregationis nostræ Hispanicæ Monachos Anglos extra Hispaniam de-
„gentes, constituimus & declaramus, pręcipientes dictis omnibus Monàchis nostris sub for-
„mali præcepto in virtute sanctæ obedientiæ, quatenus illi quoad omnia, tamquam nobis
„ipsis obediant. In quorum omnium testimonium, & plenam indubitatamque fidem hoc
„præsens instrumentum nostrum fieri iussimus, illudque manus nostræ propriæ subscri-
„ptione, sigilloque nostro Sancti Benedicti muniuimus, Secretarijque nostri, & subsigna-
„torum Notariorũ publicorum cõsignatione cõmuniri fecimus. Datũ apud monasterium
„nostrum Diuo Martino sacrum Matriti decima sexta die mensis Februarij Anni millesimi
„sexcentesimi vigesimi quarti. *Et erat subscriptum.* Frater Aluarus de Soto Mayor Generalis
„Congregationum Hispaniæ, & Angliæ sancti Patris nostri Benedicti *Locus †. sigilli S. Bene-
„dicti. Et ex alto latere sigilli:* De mandato Reuerendissimi P.N. Generalis Fr. Maurus de Lartea
Secretarius. Hæc superiorum nostrorum mandata, vbi bene perpenderis, nisi frontem fer-
ream, & conscientiam æneam gestes; pudebit te libellorum tuorum, & dolebis de criminosis
scriptiunculis tuis; multoque magis pudore confundi, & dolore conteri deberes, quod tan-
tis stratagematis vsus ad hæc Patrum tuorum monita sæpius iterata eludenda vsus fueris.
Hic ridiculum Exdefinitoris titulum à te assumptum, duntaxat vt superioris vmbratili ti-
tulo quasi larua libris tuis inducto non videreris contra superiores tuos scriptitasse, detra-
ctum vides; Hic omnia quæ tu audaci & temerario calamo in Congregationis nostræ ere-
ctione suscepisti impugnanda, tanquam in ea Hispanis obreptum fuisset, cernis repetitis
ipsorum iudicijs, vt legitime, & secundum sanctas obedientiæ leges facta, approbari: & te
[illegible] potissimæ obijcis ideo tantum, quia hanc Congregationem Anglię,
à summo Pontifice iussi & pene coacti erexere impingis, legere potes iustissime & verissime
de transitu inualido, & illicito ad alium ordinem, & de obedientia indebite negata ab æquis-
simis iudicibus, Patribus tuis, non ex cupiditate vindictæ, sed ex desiderio salutis tuæ po-
stulari. Quare in hac quasi speculo teipsum moresque tuos intuere, & aut ab intolerabili
morbo philautiæ resipiscens teipsum effice bonis viris verè amabilem; aut teipsum, perge
[illegible] hac sine riuali diligere.

Nos certe consideratis istis, alijsque multis Generalium nostrorum mandatis, & literis; &
longanimi patientia, tuam expectantes resipiscentiam, non eo vsque processimus, quo tua
merebatur procrastinatio; ne tamen omninò videremur etiam ipsi te negligere, tibique ad-

iunctum Prelatum illum Cluniacensem, quos superiores nostri lucrari tanta cura satagebant, tandem in vltimo capitulo generali nostro de te, & illo, religiosis medijs, vt in viam tandem rediretis reuocando, decretum subsequens communi consensu tulimus: Deinde quo-
„niam actiones PP. FF N. N. & N. N. & modus procedendi eorum contra congre-
„gationem nostram Anglicam per hos annos proxime preteritos in ore omnium, non so-
„lum Religiosorum nostrorum, sed etiam secularium versantur: &, quia communiter estima-
„tur librum cui titulus *Examen trophæorum Congregationis prætensæ Anglicanæ*, cuius au-
„ctor post Epistolam inscribitur *Ioannes S. Andreæ*, a S. sede Apostolica damnatum & pro-
„hibitũ, eorum industria & compositum & impressum fuisse: Denique quia nuper alium li-
„brum cui titulus *Disceptationes contra æquiuocationes authore P. N.* dolentes impressum
„vidimus & publicatum; nec tamẽ facile appareat quid remedij adhiberi possit tam cito his
„tantis malis: saltem ne religiosi nostri aut benefactores æstiment nos predictorum fratrum
„salutem negligere, neue successores nostri silentium nostrum in re tanti momenti condem-
„nent, voluit S. Congregatio in hoc Capitulo Generali collecta per hunc actum suũ notum
„fieri, quod nos nec doctrinã prædictorum librorum, nec actiones dictorum Patrum appro-
„bemus, imo plane improbamus, & reijcimus quantũ iudicio aut beneplacito S. sedis Apo-
„stolicæ & Romanæ quouis modo displicere noscuntur; & insuper ordinamus & iniũgimus
„R. Adm. Præsidi Congregationis nostræ præsẽti, & futuro, quatenus efficaciter, & fraternè
„agat cum eisdem Patribus, vti declarent rationes, cur non obediuerint hactenus præceptis
„Reuerendissimi Generalis nostri, & mandatis, quorũ vera, & indubitata originalia inspexi-
„mus, ac tractauimus; nam hactenus nullam vnquam vidimus sufficientẽ licentiam, qua ful-
„tus potuerit P. N. N. à Congregatione Hispanica, in qua professus est, ad Cluniacensẽ ordi-
„nem transire, nec sufficientem rationẽ intelligere potuimus, quare P. N. N. nupero manda-
„to Reuerendissimi Generalis nostri F. Aluari de Soto Mayor dato die 16. mensis Februarij
„Anno 1624. non paruerit.

Vides inquam hic, totam Congregationem Capitulo Generali repræsentatam, in quo erant aliqui patres Congregationis Hispanicæ nobis vniti, sed non incorporati, quorum tu literas ex Anglia ad te scriptas iniuriosè ostentas, profiteri non ab his tribus, quos tu impugnas in Antitrophæario tuo, patribus duntaxat, sed à toto Capitulo Generali, id est à tota Congregatione agnosci & approbari, quęcumque pro Congregatione Anglicana erigenda & stabilienda, fuerunt hactenus facta; procul igitur ab illis tribus sunt monopolij, & prensationum illicitarũ crimina; procul violentæ tyrannidis, & fraudum technarumque erga Hispanos patres stratagemata, quæ tu illis per totum librum tuum passim audaci calamo affingis. Vides deinde te, qui aliquando Cluniacensem te esse etiam coram notarijs protestabas, sociumque tuum, Prælatum illum Cluniacensem, qui te ad Cluniacensem admiserat, antequam ipse in eadem fuerat professus, cum nullam debite transeundi licentiam accepetitis vnquam aut petieritis, reuera nunquam Cluniacenses fuisse; & id quidem tu, conspecto mandato generalis, quod iam positum est, satis vidisti, ideoque ex pseudo-Cluniacensi iterũ factus es Hispanicæ ditionis monachus, & quidem sine vlla electione Definitor; ille proinde alius, Prælatus nempe Cluniacensis, qui in eadem tecum naue vehebatur, in eandem portum debuit reuerti quod quamdiu nõ facit, periculose & perniciose extra limites obedientiæ nauigat. Vides tertio, omnes illos, quos ille Prælatus socius tuus habitu monachali in hospitio monialium viuens, ad nomen Cluniacensis Congregationis vestiuit, reuera nec Cluniacenses, nec omnino monachos esse, quia ipse non-Cluniacensis, non potuit eos illi ordini incorporarè; Vnde miseri illi, reuera (non vt tu de nobis sine fundamento conuiciabaris) pseudo-monachi, qui hoc modo nulliter vestiti, nulliter professi ad sacos ordines conuolarunt, in perpetua eos exercent irregularitate. Nam ecce, quantumuis tu tibi aduleris, hic tamen Capituli nostri patres, & inter eos aliqui quorum tu authoritatem pro te state venditatibas, fatentur, se hactenus nihil vidisse, quo te & socium illum tuum excusent, aut liberent ab obedientia quam à vobis Generalis Hispanicus superiori mandato flagitauit. Vides quarto, ex hac professione eorũdem patrum, qua se agnoscunt indubitata vidisse originalia instrumẽta mandatorum à Reuerendissimis Generalibus nostris Hispanicæ Congregationis hactenus expeditorum; ruere omnes illas ratiunculas, quibus in grammatopæa tua latina, & in ridiculo assumento gallico ad Chronica venerabilis Patris Antonij Yepes temere adiecto eadẽ instrumenta impugnasti, tanquam conficta, aut surreptitia. Vides tandem non solos Rudisindum, Leandrum, & Torquatum, sed omnes Capituli Patres, etiam eorum Hispanicorum patrum (quos tu per librum tuum toties dicis à nobis deceptos, deiectos, depressos, ad Capitulum nostrum missos procuratores, qui inter definitores adlecti sunt, totam hanc doctri-

nam

nam tuam antitrophæariam & grammato pœticam, & æquiuocatoriam, improbare, reijcere, planeque sibi displicere fateri. Et ne tibi nihilominus de anomala tua ad summum Pontificem appellatione aduleris (vt cauteriatæ conscientiæ tuæ callum obduces) scito in nupertima bulla Pontificis summi Vrbani VIII. Congregationi Hispanicæ, nostræque proinde Anglicanę concessa, non solum confirmari de nouo omnia vetera priuilegia, verum etiam grauissimis verbis statui, quod religiosi dictarum Congregationum non possint extra eas appellare, sed à superioribus ordinarijs ad Generalem, à Generali ad Capitulum intermedium, ab illo ad Capitulum Generale, à Capitulo Generali autem pro denegata iustitia ad sedem Apostolicam tantum; quod Capitulum Generale possit mutare sua statuta prout velit etiam ea quæ à sancta sede fuerint confirmata; itemque inhiberi quibuscumque magistratibus, vel dignitate quacumque laica fulgentibus, ne acceptent appellationes dictorum religiosorum; præterea, ne religiosi pro grauaminibus recurrere possint nisi à superioribus ordinarijs ad Generalem, à Generali ad Capitulum intermedium, ab illo ad Capitulum Generale, à Capitulo Generali; pro notoria & manifesta iniuria, & in euentu denegatæ iustitiæ ad sanctam sedem duntaxat, & non ad alios quoscũque, etiam sanctæ sedis Nuntios in prædictis regnis commorantes; Inhibitumque singulis tam ecclesiasticis quam laicis, ne dictos religiosos ad se appellantes acceptent, sed superioribus puniendos remittant. Quid ergo tibi de tuis ad Illustrissimum Senatum Parisiensem, ad sanctam sedem Apostolicam indebitis & frustratorijs appellationibus statuere debeas, etiam atque etiam perpende, quid de conscientia tua, qui extra chorum religiosæ obedientiæ tanquam singularis ferus in syluis saltas, iudicare debeas considera: his certe visis, quæ tibi ob oculos ponimus, si oculos tantum aperire volueris, videbis & illas nihil valituras, & istam miserabili morbo laborantem pharmoco pœnitentiæ esse purgandam; & nos nihil præcipitanter, nihil crudeliter, nihil insolenter contrà te sociumque tuum prælatum illum Cluniacensem egisse; qui non nisi expectatis, & transmissis ad nos Generalium nostrorum mandatis, contra vos agere voluimus. Etiam in his instrumentis publicandis, vide quam inculpatæ tutelæ moderamine vsi simus, qui tuum tuique socij nomen reticuerimus: vt quãuis à nobis nostrisque etiam sic qui sitis agnoscamini; tamen ab alijs, quibus non est hæc nostra controuersia intellecta, non pereat vobis authoritas & fama. Resipiscere tibi melius est, quam perire: noli vsque adeo miserum reputare, vinci in bono à coęqualibus tuis, vt potius velis inter caco-cœnobitas, imo Sarabaitas aut gyrouagos reputari, quam redire ad obedientiam & amicitiam fratrum tuorum quam tibi offerunt cum omni indemnitate, modo velis id legitimo modo facere. Acquiesce huic protreptico nostro: non laborat eo temeritatis & absurditatis vitio, quo tuum illud ad nostros protrepticum apertè laborat.

Considera etiam, an non proficere possis ex hac disceptatione, mutuoque conflictu nostro, in veritatis cognitione, si enim syncerè eam tua impugnatione inquisiuisti, eam tibi satis manifeste ostendimus: sin autem, alio affectu perturbati animi, aut vindictæ studio in hãc arenam descendisti (& sanè nihil aliud spirant insigniores totius scriptionis tuæ flosculi,) etiã ex responsis nostris disces, quàm inconsultè, & infæliciter imperuoso ingenio tuo fueris obsequutus. Perpende quam portentosas consequentias, quã refertas opprobrijs, cõtumelijs, & calũnijs ex falsissimis principijs deduxeris: quorum principiorũ vanitaté, atque adeo consequentiarum inde expressarum ineptiam nos ita deteximus, vt si qua tibi frontis ingenuæ restet particula, eam implere debeat, aut verecundia virtutis tinctura, aut ignominiæ comes rubor. Ponebas tu tanquam adamantinum principium, nullam fuisse olim in Anglia Congregationem Benedictinorum distinctam à Cluniacensi; nos illud principium docuimus esse merè stramineum; & Congregationem, seu (vt ipsi de se Cluniacenses potius loqui amant) ordinem Cluniacensem, nec tunc ętatis, nec nunc temporis, aut ab Anglis, aut à Gallis; à Theologis aut iurisperitis; à Regibus aut à principibus; à seipsis, aut ab alijs vnquã habitum fuisse, aut etiam haberi pro ordine S. Benedicti, siue monachorum nigrorum S. Benedicti; sed pro ordine prorsus diuerso & contradistincto, æque ac distinguitur ordo Cisterciensium, Cœlestinorum, Camaldulensium, imo Augustinorum, seu Canonicorum regularium; ac proinde nec debuisse ex vi Innocentianæ aut Benedictinæ constitutionis, nec potuisse ex rectæ rationis dictamine sine maximis incommodis; nec consueuisse, ex ipsa temporum circũstantia, capitularium actuum registris, tua etiam ipsius confessione, ad Capitula Generalia Benedictinorũ Angliæ conuenire. Conatus es imbelle hoc principiũ tuum inani conjectura stabilire, à Cluniacismo Sanctorum Patrum nostrorum, Dunstani, Ethelwoldi, Oswaldi, Lanfranci, Anselmi, Pauli Cadomensis & aliorum monastici ordinis per Angliam lucidissimorum syderum: nos euidenter demonstrauimus nec eos, nec eorum discipulos, monachos

ab illis formatos, aut subiectione, aut disciplina vnquam fuisse Cluniacenses. Conatus es illud alio absurdiori paradoxo stabilire, ex eo quod iudicaueris (si tamen quod iudicasti scribebas, aut cum iudicio proferebas) præcipuas imo omnes Abbatias Angliæ, quæ erant numero 60. quarum multæ erant Ecclesiæ Cathedrales, multæ Baronatus & Satrapiæ dignitate illustres, Cluniacensis Abbatis iurisdictioni subditas fuisse: nos authenticis instrumentis, probatissimis historicorum testimonijs, ipsorum Cluniacensium apertissimis confessionibus euicimus Cluniacensium disciplinam atque ordinem nunquam ante Gulielmi Normanni tempora Angliam conspexisse, aut in ea aliquid prorsus iuris, vel nominis obtinuisse; Post Gulielmi tempora, possedisse triginta duntaxat domos in Anglia, earumque nullam fuisse Abbatiam, paucissimos in eis fuisse Anglos, siue indigenas, plærosque omnes superiores Francos, alienigenasque fuisse; nullam earum domum fuisse de numero insignium illorũ cœnobiorũ, quæ fuere numero pæne sexaginta; quorũ prælatos ad Capitula Generalia Benedictinorum in Angliæ prouincia conuenire consueuisse, clarissimè docuimus; Denique hos ipsos conuentus triginta octo, sic ostendimus fuisse à Cluniacensibus possessos, vt tamen ijsdem omnibus priuati fuerint Regum Episcoporumque nostrorum auctoritate, per centum amplius annos ante Schisma Henrici octaui inchoatum. Aliud principium tuum priori huic principio persimile, ficulneum scilicet, & fragillimum, ponebas: cœtum illum Abbatum & Prælatorum in Capitulo Generali Angliæ ex decreto Innocentij & Benedicti conuenientiũ, non constituisse veri nominis Congregationem, ex membris homogeneis, hoc est vnius corporis & reipublicæ; sed ex membris heterogeneis variorum ordinum ac Congregationum conflatam: Nos contrà inuicta veritatis luce monstrauimus, ex ipsis actibus Capitularibus, nominibusque & numero eorum Prælatorum qui in Capitulis illis comparebant; ex ipsis concilijs & canonibus, ex Bullis Pontificum, responsisque prudentium iurisconsultorum, cœtum illum fuisse verè & propriè dictam Congregationem, ex solis monachis nigris ordinis S. Benedicti indigenis, atque adeo membris duntaxat homogeneis consistentem, nec ad eam vllatenus pertinuisse alterius ordinis monachos, vt Cluniacenses, Cistercienses, Fontis-Ebraldenses, imo nec eiusdem ordinis nigrorum monachos, qui vel alienigenæ, vel ad ecclesias ordinis eiusdem transmarinas pertinuissent. Vnde cadit miserum illud & flebile protrepticum tuum, quod in finem libri tanto conatu protrudis, vt persuadeas simplicibus fratribus, ad veterem Benedictinam redire, quàm tu Chimæram Homericam illius loco triformem substitueris quæ reuera est.

Πρόσθε λέων, μετόπισθε δράκων, μέσσηδε χίμαιρα·
Ante Leo, post terga Draco, medioque Capella.

Vnionem scilicet Walgrauianam trium articulorum, in qua duo magni Prælati Cluniacenses perpetui, & ab eisdem conuentibus indeponibiles (liceat in re absurda vti vocabulis etiam absurdis) vnus aut alter Prælatus Cassinensis ordinis perpetui quidem, sed ab vno cõuentu ad alium amouibiles, reliqui vero superiores Hispanici & Anglici quadriennales, & statis temporibus, tam ab officio, quam à conuentu amouendi conuenirent tractaturi, non de legibus disciplinaque regulari communi, quæ enim posset esse in tanta heterogeneitate (iam rogaui veniam vocabulis chimæricis) rectæ disciplinæ cõuenientisque ordinis communio? Sed de pace scilicet, & concordia capitũ congregationis sarcienda resarciendaque; quæ longè melius conseruari potest & solet, si hæc capita res suas prouiderent, & non sese immiscerent alienis negotijs. Vt omittamus, hoc iam non esse Præsidum regularium sed Episcoporum Diœcesanorum ius & imperium, vt dissidia regularium congregationum exorta ob prærogatiuas & priuilegia in eleemosynis petendis, gradibus, locisue inter cœtus publicos retinendis, sacramentis administrandis (neque enim alia possũt esse dissidiorum capita) compescant & componant, vt expresse illis Tridentinum concilium in aliquibus horum cõmittit. Canones iubent vnumquemque ordinem ita in congregationem conuenire, vt infra suæ communitatis ambitum disciplinam, concordiam, administrationemque spiritualium & temporalium rectè disponant: de alijs communitatibus aut corporationibus distinctis curandis nihil illis iniungit, imò (si ita liceat dicere) omnẽ curam illis abiungit & abiudicat. Nec tu, quantumcumque flebiliter peroraueris de huiusmodi congregatione instauranda, eamque Benedictinæ appellatione *ψευδωνύμως* baptizaueris: poteris vnquam temporum, vspiam locorum, vsquam gentium ostendere, aut canonem, aut praxim pro tali congregatione, nisi forte in latissima regione Aœcumenica Vtopiæ tuæ, in qua longe familiarius versatus videris, quam in prouincijs orbis catholici. Vltimum principium doctrinæ tuę de surreptitij Breuis Apostolici obtentione per falsas narratiuas, & alijs tricis tuis Rebufficis, ita confutauimus manifesta luce veritatis, & simplici ipsa narratione rerũ gestarum, vt inde quiuis corda-

tus

tus lector perſpicere poſſit,& tuam in omni ſcripto tuo amphibologiam & æquiuocationem (quam tamen videri vis vnicè abominari) & inuerecundum calumniandi genus, quo perpetuo vſus es, fictis falſiſque criminationibus fratres tuos onerans, ſine dubio velit deteſtari. Oſtendimus authorem trophæorum nec opinionem ſuam, nec narrationem vllam trophæis innixam propoſuiſſe Pontifici; nihil ipſe nec auſus, nec potuit in tota hac cauſa; Totum definitorium noſtrum longe aliam porrexit narratiuam, quam quia non vidiſti (inuitatus enim vt particeps fieres conſiliorum, nunquam voluiſti) fingis ex tuo cerebro fœcundo fonte chimærarum, id quod nunquam fuit in rerū natura. Oſtendimus nos nihil diuertiſſe bonorum, poſſeſſionum, domnum quæ aut ad Cluniacenſes, aut ad Italicos pertinuiſſent: nihil enim tale vnquam vidimus, audiuimus, poſſedimus; imò nihil tale vnquam poſſederūt Cluniacenſes aut Itali nationis noſtræ, quod potuit per nos intercipi, aut ab eorum iure auerti: Ea tantum, quæ in congregatione Hiſpanica conſtituti, honeſtis laboribus acquiſiuimus, eadem conſentientibus benefactoribus, approbantibus ſuperioribus Hiſpanicis retinemus. Nam quod hic toties vrges, excludi à nobis Italos & Hiſpanos à participatione; primum falſum eſt, ipſi ſe excludunt ſua ſponte, quotquot ſunt excluſi: deinde ſi de participatione bonorum loqueris, quibus frui ſumus ante vnionis erectionem, abſurdiſſima eſt accuſatio: quæ enim epieikiæ ratio poſtulat, vt ea quæ victui noſtro præciſè ſunt neceſſaria, debeamus à nobis ipſis abdicere, vt alij inde paſcantur. An vero monaſterij Caſſinenſis, aut. S. Iuſtinæ monachi dicentur excludere reliquos ſuę congregationis monachos, eo quod monaſteria illa ſua ipſi non deſerant, & omnes alios monachos ad ea admittant? aut non ſufficit, quòd pro modo redituum ſuorum, primo conuentibus ſuis prouidentes, de reliquo excipiant quos poſſunt, & ad communes ſūptus regiminis concurrant quantum poſſunt? Hoc nos facimus, ſępeque fecimus; illud ſi non faciamus, nemo ſani cerebri nos vituperabit.

Et quam ridiculè ſugillas noſtram ineruditam imperitiam, moneſque nos, vt cogitemus, non fore negotium nobis, cum doctorculis, qui ſolum inter moniales doctrinæ ſpecimen depromant: nam cum tu hæc ſcribebas, nos certe nullarum monialium negotia curabamus, nihil prorſus de vllis monialibus cogitabamus: & tu, Doctor egregie, & ſocius tuus Prælatus ille quidam Cluniacenſis, dum hæc ſcribebatis & in lucem edebatis, non alibi quam in monialium monaſterio hæc faciebatis, non alia potentia quam monialium, nos impugnabatis. Sed hoc tuum eſt perpetuum in toto libello vitium, vt tua crimina, tua facinora alijs imponas.

Quod autem minitaris calamos acutos, & ſtylum adamantinum, & græciſſans paſsim (quod aliquando tui imitatione facere vel inuiti voluimus, ne ſolus tibi ſapere videaris, quamuis etiam libenter tibi largiamur vt ſis ſolus hirudinum in more bilinguis, & tam græcè quam latinè ſanguinem fratrum tuorum ſugas) perterrefacias nos futuris vindicijs: ſi ſapis noli ſeuire doctor maxime; parcitum eſt hactenus nomini tuo; ex iſtis quæ contra te ſcripſimus, ſoli interni norunt te; ſi pergas debacchare, non ita euades incognitus, ſed tuis effigiabere coloribus, vt ſciant Cluniacenſes optimi viri, quam vtiliter eos monuerimus, vt te à ſuis ablegatum ouilibus, ad monaſterij tui clauſtra remittere dignarentur, ne ſicut nos, qui te aluimus, ita illos agnoſque eorum conuerſus aliquando etiam contra illos in rabiem, infandis conuitijs & vituperijs dilanies

Abſit tamen à te hoc augurium noſtrum, ex animo precamur: & redeat tibi mens ſana in corpore ſano; vt ingenium, quod dedit tibi Deus, non hebes neque plumbeum, contra perduelles Dei hæreticos potius acuas, quàm contra fratres & conſeruos tuos; & eruditionem quam religionis indulgentia tibi peperit non contemnendam, ad eius decus colloces, & non ad habitus ſancti quem portas, ignominiam. Hunc tibi animum, hanc reſipiſcentiam optamus, hanc pro te gratiam à Deo optimo maximo quotidie precamur. Faxit vt exaudiamur.

Peroratio ad Lectorem.

AD te nunc sermo noster conuertatur (Lector beneuole) quem longissima disputatione fatigauimus: & humiliter rogamus, vt si quam ex aduersarij virulentia, & nostra etiam vehementia concepisti indignationem, velis eam vtrique parti condonare; illi, quia nescit quid fecerit; & quia satis (vt opinamur) castigata manet eius imprudentia, cum tam euidentibus argumentis ostenderimus, ipsum tam longo & prolixo libro, nihil attulisse præter errores, calumnias, conuitia, falsiloquentias, & ipsi nimium familiares (etsi earum odium iuratum profiteatur) æquiuocationes. Nobis autem, quia necessitas imposita fuit inuitis, vt innocentiam nostram publico libello tentatam, defenderemus; & tam superioribus nostris ac fratribus, quam omnibus bonis, præsertim benefactoribus & beneuolis nostris clarissime probaremus, quam syncere, fideliter, & pro modulo etiam nostro intelligenter omnia in hac causa nostra gesserimus. Restat exorandus Deus optimus maximus, vt inter cætera Ecclesiæ Anglicanæ decora, ordinem S. Benedicti, à quo primum gens Anglorum tota fidei Christianæ lumen opitulante Domino accepit, ita conseruare dignetur, & illuminare, vt etiam hac ætate inter fortissimos sanctissimosque eiusdem fidei prædicatores, suo in loco & gradu, castè, integre, mansuete, inculpateque ad multarum animarum salutem æternam laboret.

FINIS.



APPEN-

APPENDIX.

Continens

AVTHENTICA INSTRVMENTA, ET SCRIPTVRAS ORIGINALES QVÆ IN PRÆCEDENTE OPERE PASSIM CITANTVR:

INTER QVÆ EMINENT.

Concordia Regularis S. Dunſtani Cantuarienſis Archiepiſcopi:

Capitula nonnulla generalia Monachorum Nigrorum, ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Angliæ, poſt Concilium Lateranenſe erectæ:

D. Lanfranci, etiam Archiepiſcopi Cantuarienſis, Statuta pro Ordine D. Benedicti per Angliam.

Omnia ex Archiuis, & Mſs. Codicibus veterrimis, ſumma fide repræſentata: eorum catalogum ſequens habet pagella.



DVACI,
Ex officinâ LAVRENTII KELLAMI Typographi iurati, ſub ſigno Agni Paſchalis, 1626.

Index eorum quæ in tribus partibus huius Appendicis continentur.

Prima pars.

Secunda pars.

Tertia pars.

APPEN-



APPENDIX.

CONTINENS AVTHENTICA ILLA INSTRVMENTA, ET SCRIPTVRAS ORIGINALES, QVÆ IN PRÆCEDENTE OPERE PASSIM CITANTVR.

LECTORI BENEVOLO S.



IN hanc appendicem coniecimus (*Lector beneuole*) omnia illa ſcripta, & inſtrumenta authentica, quorum autoritate paſſim in hac opellâ noſtrâ nitimur: quæ partim à ſummis Pontificibus, eorumque Apociſarijs, partim à ſuperioribus, fratribuſque noſtris ſcripta fuere in ipſâ Congregationis noſtræ inſtauratione; partim vero ex Archiuis Anglię, beneficio quorundam amicorum, & humaniſsimâ benignitate aliquot nobiliſsimorum hominum, venerandę antiquitatis cuſtodum, atque vindicum, fuere nobis conceſſa. Ea autem hic in vnum locum ad calcem totius libri reponenda duximus, ne, ſi ea tota, & integra in ipſo diſcurſu interſereremus, cum magno lectorum faſtidio, filum diſputationis, feruoremque nimis crebro, languidèque interrumperemus; ſi verò paucula duntaxat eorum verba, aut quaſdam tantummodo ſententias produceremus; nec tam liquidò appareret lectoribus, illa nobis fauere, cum poſſet quis arbitrari in præcedentibus, aut ſubſequentibus verbis quidpiam latere in contrarium; nec tam plenè etiam ſatisfactum foret deſiderijs eorum, qui antiquitatis etiam rudera, dirutaſque macerias libentius intuentur. Sunt enim multa hic à nobis allata, quæ non dubitamus fore doctis lectoribus gratiſsima. In tres autem

partes

partes appendicem hanc diſpeſcuimus: quarum prima continet ſcripta ad ipſam Congregationis noſtrę inſtaurationem ſpectantia; altera verò illa, quæ ſtatum Regularium in Angliâ, numerumque, rudi quodam modo poterunt lectoris oculis exhibere. Tertia verò illa comprehendit ſcripta, quibus Clariſsimè conſtat, Abbatias, & Cœnobia Monachorum nigrorum in Angliâ conſtituiſſe veram Congretionem, à Cluniacenſibus omninò diſtinctam, & independentem. Horum omnium indicem habes in principio operis.



PRIMA PARS APPENDICIS.

IN QVA SVNT SCRIPTVRÆ AD INSTAVRATIONEM CONGREGATIONIS ANGLIÆ MONACHORVM NIGRORVM PERTINENTES

SCRIPTVRA. I.

Instrumentum aggregationis aliquot Monachorum Cassinensium, ad Congregationem Anglicanam.



IN Dei nomine, Amen. Per præsens publicum instrumentum, cunctis appareat euidenter, & fit notum, quod anno Domini 1609. Pontificatus Sanctissimi D. N. Pauli Papæ 5. anno quinto, regnorumque Serenissimi in Christo principis, & D. nostri Iacobi Dei gratiâ Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ anno septimo, & Scotiæ 42. mensis vero Nouembris die 8. in ędibus Thomæ Louedeni, coram me D. Mauro Anglo diocæsis Eliensis sacerdote, & Monacho professo Monasterij S. Georgrij Maioris venetiarum Congregationis Cassinensis, alias S. Iustinæ de Padua, ordinis S. Benedicti, authoritate Apostolicâ publico notario subscripto, & testibus inferius nominatis: constitutus personaliter Dominus Sebertus alias Sigebertus subscriptus, infrascriptam scripturam fecit, subscripsit, & sigillauit, cuius quidem scripturæ tenor sequitur, & est talis. viz. In Dei nomine, Amen. Ego D. Sebertus, alias Sigebertus, Sacerdos, & Monachus professus Monasterij S. Petri West monasteriensis Congregationis Angliæ, ordinis S. Benedicti; iura & priuilegia insignia olim Principum & Pontificum liberalitate concessa, quæ ab aliquot annis, Deo ita permittente, in me solo ex omnibus Monachis Anglis superstite conseruantur ne breui perirent; D. Robertum Sadlerum Petroburgensem, & D. Edwardum Mahewum Salisburiensem, Anglos Sacerdotes & Monachos professos Congregationis Cassinensis alias S. Iustinæ de Padua, de consensu suorum, superiorum in fratres & Monachos prædicti Monasterij recepi & admisi: illisque omnia iura, priuilegia gradus, honores, libertates, & gratias, quibus retroactis temporibus Monachi in eodem Monasterio professi, & habitantes gauisi sunt, concessi, impartiui, & attribui, Londini millesimo sexcentesimoseptimo, die 21. Nouembris. Idemque per præsentes denuo gratum, ratum, & firmum habeo: omnesque alios in Monachos, fratres, conuersos, oblatos prędicti Monasterij recipio & admitto: illisque omnia iura, priuilegia cætera vt supra concedo impetior & attribuo; quos in Monachos fratres conuersos, oblatos prędicti Monasterij admiserant, vel receperant illisque iura, &c. vt supra concesserunt D. Thomas Prestonus Salopiensis, D. Augustinus, & D. Anselmus Lancastienses, & D. Maurus Eliensis, quibus authoritatem & potestatem huiusmodi admittendi, &c. (vt latius patet in literis meis, Anno Domini. 1607. die 21. Nouembris) concessi, easque virtute præsentium, quoad omnes & singulas earum partes, ratas, gratas & firmas habeo, & in perpetuum habebo. Datum apud Punisholt, alias Ponshelt, Anno Domini 1609. die 8. Nouembris, in præsentia subscriptorum, notarij & testium. In cuius rei testimonium ego pręfatus D. Sebertus subscripsi & sigillum apposui. Ego D. Maurus notarius publicus, qui supra, interfui, Ego Antonius Nortonus præsens fui Ego Henricus Nortonus præsens fui. Super quibus pręmissis omnibus & singulis præfatus D. Sebertus alias Sigebertus, requisiuit me notarium publicum subscriptum, sibi vnum vel plura, publicum seu publica, instrumentum vel instrumenta conficere, & testes tunc præsentes testimonium perhibere; acta fuerunt hęc omnia & singula prout scribuntur & recitantur, sub Annis Domini, Pontificatus sanctissimi D. N. Pauli Papæ, 5. & regnorum principis, &c. mense, & die, & loco prædictis; præsentibus tunc & ibidem probis, & discretis viris, Antonio Nortono, & Henrico Nortono testibus ad pręmissa vocatis, & specialiter requisitis, & ego D. Maurus notarius publicus prædictus, quia supradictis omnibus & singulis, quę prout superius recitantur, sub annis Domini, & Pontificatus sanctissimi D. N. Pauli Papę, 5. regnorumque regiæ maiestatis, mense, die, & loco prædictis, vnâ cum testibus prę-

dictis agebantur & fiebant, præsens personaliter interfui, eaque omnia sic fieri vidi, sciui & audiui, & in notam protocollarem sumpsi: ideo hoc præsens publicum instrumentum, manu meâ propriâ conscriptum, exinde confeci, subscripsi, & publicaui, & in hanc publicam & authenticam formam redegi, signoque notariatus mei, nomine, & cognomine meis solitis, & consuetis signaui, & hic inscripsi in fidem & testimonium præmissorum specialiter rogatus & requisitus, Locus † signi. Subscriptum: Ego D. Maurus Tailerus, Notarius publicus, qui supra.

SCRIPTVRA. II.

Ratificatio à Capitulo generali Congregationis Cassinensis, aggregationis nonnullorum Monachorum, Cassinensium in partibus Angliæ receptorum & professorum, veteri Congregationi Anglicæ ordinis S. Benedicti, facta per multum R. D. Sebertum Anglum.

In Christi nomine Amen.

ANno ab eiusdem natiuitate 1608. Indictione sextâ. Pontificatus sanctissimi in Christo patris, D. N D. Pauli, diuinâ prouidentiâ Papæ 5. anno tertio, temporeque serenissimi principis & D. D Rodolphi diuinâ sibi fauente clementiâ Rom. Regis electi Imperatoris, & semper Augusti, die verò lunæ, quinto mensis Maij, in Ven. Monasterio S. Benedicti de Padolirone Diocęsis Mantuæ, & in solitâ Diffinitorij aulâ, præsente Magnifico D. Archangelo filio. Q. D. Christophori de Raggerijs ciue Mantuano, nunc verò habitatore in villâ S. Benedicti super Est, D. Io. Dominico F. Q. D. Iacopini de Pinis, & D. Angelo, F. Q. D. Francisci de Ferrarolis, ambobus habitatoribus in villâ Burgi Comitatus eiusdem S. Benedicti, omnibus Mantuanis, testibus notis, & idoneis ad infrascripta omnia, & singula vocatis, specialiterque rogatis.

Ibique Reuerendissimus in Christo Pater D. Gregorius à Castro Aretino Abbas & dignissimus Pręses, R. P. D. Hilarius à Vincentia, R. P. D. Marcus à Papia, R. P. D. Alexander à Castro villari, R. P. D. Iulianus ab Aula, R. P. D. Honoratus à Panormo, R. P. D. Paulus à Ferraria. R. P. D. Angelus à Ianua, & R. P. D. Gratianus à Mediolano, omnes Abbates, & Diffinitores Congregationis Cassinensis alias S. Iustinæ de Padua, ordinis, S. Benedicti, regularis obseruantiæ, Congregati & Capitulariter coadunati, sono campanæ, vt eorum moris est prius emissę, totum Capitulum generale repræsentates, & ad quos omnimoda administratio, & totum regimen totius prædictæ Congregationis, & singulorum illius Monasteriorum spectat, & pertinet: certiorati vt dixerunt, literis R. P. Anselmi Angli Monachi Cassinensis datis Romæ, die 18. Aprilis proximè fluxi; Quod multum R. P. D. Sebertus Monachus professus Monasterij S. Petri de West prope Londinum, veteris Congregationis Angliæ Ordinis S. Benedicti, qui solus vsque in hodiernum diem remanet superstes ex antiquis illis Monachis, qui in ipsâ regione floruerunt, antequam illic hæreses pullularent, & abundarent; ad conseruandam & manutenendam prædictam eius Congregationem illi aggregauit nonnullos Monachos ipsorum Congregationis Cassinensis aliâs S. Iustinæ &c. vigore facultatis eisdem concessæ, à Capitulo generali anno 1604. & quod pariter elegit prædictos D. Thomam. D. Augustinum. D. Anselmum, & D. Maurum Anglos, quibus delegauit & concessit, omnimodam eius authoritatem prouidendi, & moderandi, ad eum finem, vt prædicta eius antiqua Congregatio Angliæ præseruetur, augeatur, & optimè dirigatur: Quæ omnia ab ipso multum R. P. D. Seberto acta esse dictum fuit, sub ratihabitione & concessu dicti eorum Capituli generalis, &c. † Quibus attentis & diligenter consideratis, agnoscentes singularem animi deuotionem R. P. D. Seberti erga hanc Cassinensem Congregationem, qui ad augendam & perpetuandam dictam eius Congregationem multis alijs Congregationibus relictis, Monachos eorundem sæpe dictæ Congregationis Cassinensis professos elegit, ad commodum quidem, honorem & existimationem prędictæ Congregationis; prædictis omnibus

† Sequuntur aliqua quæ pertinent ad facultatem creandi Notarios Apostolicos pro regnis Angliæ: & tunc immediate sequitur.

omnibus benignè annuendum esse duxerunt. Idcircò Reuerendissimus D. Pręses, & multum RR. DD. Diffinitores omnes vnanimes, & concordes, nemineque ipsorum discrepante, sponte, & ex certâ eorum scientiâ, ac animo ipsorum, vt dixerunt, benè deliberato, omnique, quo potuerunt, meliore ac validiore modo imprimis ratificarunt, approbauerunt, & confirmauerunt, ratificant, approbant & confirmant prædictas aggregationem, & vnionem Monachorum & oblatorum, qui, vt supra habitum est, acceptati, & respectiuè professi sunt in partibus Angliæ sub nomine Congregationis Cassinensis, factam per supradictum multum R. P. D. Sebertum ad perpetuandam eius antiquam Congregationem Ordinis S. Benedicti; Nec non etiam delegationem seu electionem per eundem factam, de personis DD. D. Thomæ, D. Augustini, D. Anselmi, & D. Mauri, Monachorum huius Congregationis Cassinensis nationis Angliæ cum eâdem authoritate, & potestate eisdem concessâ in omnibus & per omnia, iuxta seriem & tenorem earundem aggregationis & delegationis. Et ad abundantiorem cautelam, vbi opus sit, dicti Reuerendi D. Præses, & multum R.R. D.D. diffinitores similem aggregationem & respectiue delegationem, de nouo faciunt & constituunt, sub illis modis formisque, expressione, & authoritate, quibus per supradictum multum R. P. D. Sebertum, dicta aggregatio, & delegatio facta est.* Quam aggregationis & delegationis ratificationem, nec non & assensum prædictum, cæteraque alia in præsenti instrumento contenta, apposita, & inserta, Idem reuerendissimus D. Præses, & multum RR. D.D.. Diffinitores per sese, & eorum RR. Dominos successores, promiserunt, & promittunt mihi Notario infrascripto, vti publicæ, & authenticæ personæ pręsenti, stipulanti nominibus, & vice omnium, & singulorum, quorum interest, intererit, aut in futurum quomodolibet interesse poterit, perpetuò, & omni tempore, firmam, ratam, firmaque, rata, & grata habere, tenere, attendere, & obseruare: & in aliquo non contrafacere, dicere, vel venire, per sese, vel alium, seu alios, eorum nominibus, aliquâ ratione, vel causâ, modo, vel ingenio, de iure, vel de facto, sub pænâ dupli illius, de quo ageretur, solemni stipulatione præmissâ, toties petendâ, committendâ, & cum effectu exigendâ quoties prædictis, vel alicui prædictorum fuit aliqualiter contra factum non attenditum, vel non obseruatum: & eâ pænâ solutâ, vel non, semel aut pluries, nihilominus præsens instrumentum, omniaque & singula in eâ contenta perpetuò firma maneant, & perdurent cum refectione & restitutione omnium & singulorum damnorum, interesse, & expensarum litis, & extra, & sub obligatione omnium & singulorum dictæ eorum Congregationis Cassinensis bonorum præsentium, & futurorum, In super afferentes prædicta omnia, & singula fuisse, & esse vera, illa sincerè, fideliter, & prorsus inuiolabiliter attendere, & obseruare promiserunt, sub iam dictis pœnâ, & obligatione; & maximè sub vinculo, & virtute dictæ clausulæ sincerè, &c. quam clausulam, certificati prius à me Notario infrascripto illam habere vires iuramenti vigore Marchionalis Mantuæ Edicti de anno 1528. editi, in præsenti instrumento apponi, & inseri voluerunt, & expressè mandauerunt, volentes suum vndequaque sortiri effectum, iuxta edicti pędicti dispositionem: Rogantes me Notarium infrascriptum vt de prædictis omnibus, & singulis publicum conficiam instrumentum.

* Sequuntur alia quæ pertinēt ad creãdos Notarios: & tunc immediatè sequitur.

Ego Ludouicus f. q. Sebastiani Guidoni ciuis Mantuæ publicus Apostolicâ Imperialique auctoritatibus Notarius, supradictis omnibus & singulis pręsens fui eaque rogatus scribere publicè scripsi, meque solitâ cum attestatione subscripsi.

SCRIPTVRA. III.

Oraculum viuæ vocis quo supradicta aggregatio, & ratificatio confirmantur.

ALexander S. Laurentij in Damaso, Diaconus Cardinalis Montaltus, S.R.E. vicecancellarius, Congregationis Cassinensis Protector. Cum in Consistorio, die 16. Septembris habito, à sanctissimo D.N. petijssem, vt aggregationem à Monachis Benedictinis in Angliâ existentibus, nuper factam, & à Capitulo generali Congregationis Cassinensis anno 1608. approbatam: quâ D. Sigebertus, vulgò Sebert, Monachus professus S. Petri Westmonasteriensis, Congregationis Angliæ, Ordinis S. Benedicti, dictorum Monasterij & Congregationis solus superstes, Monachos Anglos Congregationis Cassinensis in Angliâ professos, & oblatos, ad restauranda in ipsis dicta Monasterium, & Congregationem Anglicam ab Hęreticis penè deleta,

nè deleta, sibi aggregauit: Sanctitas sua confirmare, & omnes tam iuris, quam facti defectus, si qui ob defectum Notariorum Catholicorum in Regno Angliæ, vel aliquâ aliâ de causâ fortasse interuenissent, supplere dignaretur; Sanctitas sua benigniter annuit, confirmauit, & suppleuit dictam aggregationem, vt petebamus. In quorum fidem. Datum Romæ die 18. Septembris 1609. A. Cardinalis Montaltus, protector. Loco † Sigilli.

SCRIPTVRA. IV.

Exemplar litterarum, quibus venerabilis Dominus Sigebertus vices suas in Congregatione Anglicanâ regendâ R. P. Thomæ Præstono committit.

ADmodum R. Pater & Frater optime, quoniam diuina bonitas, ita mihi vitam diuturnam produxit, vt iam cum magno solatio meo viderim instaurationem Congregationis Anglicanæ, nuperrimamque eius confirmationem à summo Pontifice factam; Cumque hactenus diuina prouidentia videatur me superstitem conseruasse, quasi in eum duntaxat finem, vt Congregationis illius quasi possessio, & ex consequenti omnia eius iura in me & Monachis mihi aggregatis perseuerent; quia etiam probè perspicio, totum hoc negotium per prudentes conatus & labores vestros potenter fuisse promotum, idque ita fæliciter, vt non parua spes suppetat fore vt suo tempore ad antiquum vigorem & splendorem, eadem Congregatio resurgat: Ego autem propter longæuam senectutem, corporisque debilitatem non possum eius negotia personaliter gubernare; propterea rogo, & obsecro paternitaté tuam, vt sicut Italicæ Congregationis superior existis, eiusque regimen tenes, ita etiam digneris in te suscipere curam & sollicitudinem huius Anglicæ Congregationis, meoque nomine prosequaris, & peragas, quæcunque sapientiæ tuæ videbuntur necessaria, & conuenientia ad promouendam, exaltandam, & propagandam veterem hanc nostram rediuiuam Congregationem Angliæ. Quicquid autem hac in re facies, ego per præsentes ratifico & confirmo, & in eius signum nomen meum subscribo (quantum ab homine cæco fieri potest,) coram testibus infrascriptis. Rogans te vt certiorem me facias, debitis opportunitatibus, de negotiorum istorum successu; atque ita gratias tibi ex animo agens pro charitatiuo solatio, & fraternâ solicitudine erga me, in hac decrepitâ senectute meâ, humiliter me tibi commendans, committo te Domino Deo 15. Decembris, anno 1609. D. Sebertus Monachus Congregationis Angliæ, in præsentiâ Thomæ Loueden, & Anthonij Norton.

SCRIPTVRA. V.

Ratificatio supradicti Instrumenti per Monachos Congregationis Angliæ.

QVoniam supra nominatus, R. Pater D. Sebertus vel Sigebertus præfato chirographo suo in præsentiâ testium suprascriptorum authoritatem concessit D. Thomæ Monacho Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Cassini, vt curam habeat & solicitudinem gerat vice ipsius de negotijs Congregationis Anglię, eandemque gubernet; Nos infrascripti Monachi eiusdem Congregationis Angliæ per nostra chirographa subiecta testificamur, factum hoc fuisse de nostro consensu; & approbamus, ac ratum habemus quicquid præfatus R. P. Sigebertus hac in re fecit. Datum 19. Decembris, anno 1609. D. Robertus, Edwardus. Et infra: D. Augustinus 27. Dec.

SCRIPTVRA. VI.

Articuli vnionis inter Monachos Anglos Benedictinos in Missione laborantes, cuiuscunque tandem fuerint Congregationis, per infra subscriptos aliorum fratrum suorum nomine, concordati Anno Domini 1610. Die Februarij. 13.

PRimò, consentiunt omnes, vnionem cordium, & affectuum in omni charitate fraternâ debere inter ipsos fieri: omnemque laborem & industriam ab eis collocandam, vt stabiliatur & promoueatur Anglicana Missio Ordinis Benedictini, cuiuscunque fuerit Congregationis.

2. Omnes religiosi, quibuscuuque datis occasionibus, reuerenter de se inuicem sentient, & loquentur: si quæ hactenus fuerint animorum commotiones, obliuioni tradantur, ac si nunquam fuissent. Nullus suam Congregationem alterius Congregationi præferat, sed potius in omni sermone à diuersarum Congregationum nominibus abstinebunt, quantum fieri potest; vocabuntque se communiter Monachos Anglicanę Missionis. Superiores autem statim imperabunt religiosis suis articuli huius obseruantiam.

3. Omnes necessarium existimant, vnum debere Superiorem institui super omnes Benedictinos in Angliâ commorantes: ideòque spondent fideliter vtriusque partis superiores procurare, vt per superiorum suorum licentiam possit hoc sine morâ effectum sortiri. Consentiunt præterea, talem superiorem eligi debere per duas partes è sex electoribus in Angliâ residentibus, quorum tres erunt ex antiquioribus habitu Congregationis Hispanicæ, tres alij ex antiquioribus habitu Congregationis Italicæ, vel etiam Anglicanæ.

4. Sed priusquàm deligatur prædictus superior: consentiunt, fieri debere omnes constitutiones, quæ ad Missionem benè ordinandam fuerint necessariæ; ita tamen vt nulla valeat, nisi in quam duæ partes consenserint. Hoc simul prouiso, vt si quisque istorum sex, in hoc, & præcedente articulo nominatorum, à conuentu seu concilio isto legitimo impedimento absens esse cogatur: tunc locum eius debeat supplere proximus illi in habitu, eiusdemque cum illo Congregationis.

5. Monachi Congregationis Hispanicæ, obligant se ad procurandum à superioribus suis actum authenticum, per quem dicti superiores, renuntiabunt omnibus titulis, & iuribus quarumcunque domuum, terrarum, pecuniarum, aut quorumcunque bonorum mobilium, vel immobilium, quæ vel nunc sunt, vel in posterum erunt in Monachorum dictorum possessione, aut illis aliter debita: dictosque titulos & iura appropriabunt Monachis Missionis Anglicanæ cuiuscunque fuerint Congregationis. *Cong. Hisp. abrenūciauit, sed filijs tantum Missionis suæ appropriauit.*

6. Omnes eleemosynæ, quæcunque in emolumentum alicuius Conuentus nunc erecti, aut in posterum erigendi, aut in erectionem cuiusuis Monasterij donatę, applicabuntur secundum particularem intentionem donatoris; Quæcunque autem eleemosynæ alio titulo donatæ cuiuis è missione, & è quâuis Congregatione, (nisi donatæ fuerint ad particularem sustentationem alicuius, vel aliquarum personarum in particulari,) quamuis alicui particulari Congregationi assignentur, tamen applicabuntur communibus Missionis in Angliâ necessitatibus subleuandis, & eorum qui fuerint in Missione in ipsâ Angliâ, cuiuscunque fuerint Congregationis: pro arbitrio tamen & discretione superioris.

7. Vt autem prædictæ secundi generis eleemosynæ securè custodiantur, consentiunt, vnum debere depositarium à superiore constitui: qui tamen non poterit de vllâ re disponere, nisi secundum ordinationem à prædicto superiore acceptam; & tenebitur, quandocunque superiori placuerit, exactam strictamque rationem reddere omnium receptarum & expensarum.

8. Donec vnus superior fuerit electus, licebit superiori Italicæ, & Anglicanæ Congregationis, æquè benè ac superiori Congregationis Hispanicæ, destinare viros idoneos ad Conuentus, qui sunt, vel erunt vltra maria: tam ad habitum, quam ad professionem. Præterea licebit eidem superiori Congregationis Italicæ, atque Anglicanæ destinare ad prædictos Conuentus quoscunque religiosos dictarum Congregationum. Quodque hi tales religiosi ibidem degant secundum regulas, ordinationes, consuetudines, & obseruantias dictorum Conuentuum.

9. In omnibus Monasterijs seu Conuentibus in posterum obtentis vel obtinendis, religiosi profitebuntur de Congregatione Anglicanâ, & non de aliâ quâcunque.

10. P. Augustinus præsens superior Monachorum Anglorum Congregationis Hispanicæ fideliter promittit, sese, quantum in ipso fuerit, diligentissimè curaturum, vt citò procuretur authentica licentia superiorum Hispanicorum, quâ permittatur, vt omnes vestiti habitu sancto Duaci, & Dolowarti post dictam licentiam obtentam, & concessam profiteantur de Congregatione Anglicanâ. Denique consentiunt, donec perfectior vnio concludatur, nullum à quauis parte impedimentum ponendum; sed vtramque partem laboraturam, ad promouendum incrementum Anglicanæ Congregationis. Subscriptum per infrascriptos, die, & anno supradictis.

F. Augustinus de de S. Ioanne.
D. Robertus Sadlerus.
D. Edio. Maih.
F. N. F.

Tho. P. Casinensis.

SCRIPTVRA. VII.

Formula vnionis, Romæ concepta à R. P. Anselmo de Mancestria Cassinensi.

Congregatio Cassinensis misit Thomam cum Socijs.	Congregatio Hispanica misit Augustinum cum Socijs.

Thomas, & Augustinus cum Socijs,

MAnentes in suis Congregationibus respectiuè, ita vt possint reuocari à Missione ad arbitrium suorum respectiuè Superiorum, in Italiam vel Hispaniam; dum in Missione existunt, debent viuere sub vno superiore triennali, alternatim de vtrâque Congregatione Italicâ, vel Hispanicâ eligendo.

Thomas extra Italiam in Congregationem Cassinensem admittit Anglos Sadlerum, &c.	Augustinus extra Hispaniã in Cõgregationem Hispanicam admisit Anglos Hillum, &c.

Congregatio Anglica.

SE continuare potest, aggregando sibi Sadlerum Cassinensem, & Hillum Hispaniensem, cum socijs suis sub D. Seberto: sic conseruabuntur iura antiqua Benedictinorum.

Thomas vero Cassinensis cum socijs in Italiâ professis, vel profitendis: & Augustinus Hispaniensis cum socijs in Hispaniâ professis, vel profitendis, manentes in suis Congregationibus respectiuè, communi curâ promouebunt hanc vnitam Congregationem Angliæ renouatam; & huic subijcientur, omnes Monachi-Angli admissi, vel admittendi extra Hispaniam, vel Italiam, etiam sub nomine Congregationis Hispanicæ, vel Italicæ. Huic etiam pari iure cum reliquis Benedictinis pertinentibus ad Missionem Anglicam, acquiritur quicquid stabile vel mobile acquisitum sit, vel acquiretur deinceps à Monachis Anglis quibuscunque extra Italiam, vel Hispaniam. Interim tamen, dum hęc Congregatio Angliæ tenella est, dum adoleuerit, & robur consequuta fuerit, gubernabitur à Missionis Superiore biennali, eligendo alternatim ex Congregatione Italicâ & Hispanicâ, cui omnes de Missione erunt subiecti.

Congregatio Cassinensis in hæc iam consensit.

Rationes

Rationes pro ineundâ vnione inter Benedictinos Anglos ex varijs Congregationibus, in Missione positis.

PRimò, omnes Benedictini Angli & eorum amici, hanc vnionem expetunt.

Secundò, reliqui sacerdotes in Angliâ, sunt vniti singuli sub vnico sui ordinis superiore: quo magis diuisio Monachorum scandalizaret Catholicos.

Tertiò, Benedictinorum in Angliâ, vna olim erat Congregatio, quę vsque ad hunc diem durat, atque Italia, & Hispania suam quoque habet Monachorum nigrorum Congregationem: Nec Catholicis Anglicis ratio vlla reddi potest, quo minus omnes Angli Monachi, quamuis in diuersis regionibus fuerint educati, in patriam tamen denuò missi, in vnam Congregationem coalescant.

Quartò, Benedictinis vniuersis in Angliâ benefactores omnes sunt communes; qui ipsis nunc diuisis, vt vellent, ęqualiter benefacere nequeunt: vnde donec vnio fiat à benefaciendo illis abstinent.

Quintò, aliqui pro Angliâ fundaturi Seminarium Missionis Benedictinæ: vt, hoc, quod capiunt, omnibus prosit, quomodo fieri possit ob Congregationis diuisionem, non reperiunt; nec magis norunt, quos absque reliquorum iniuriâ, & contentionis occasione, excludant vel admittant ad suam beneficentiam.

Sextò, soli Congregationi Anglię veteri restaurandæ, & Missioni contra Hæreticos promouendæ petere & applicare fidelium elemosynas, prodest & decet: Nam Congregationes exterę Anglorum eleemosynis nec indigent, nec expetunt.

Septimò, ius antiquę Congregationis S. Benedicti in Angliâ, non potest in filios diuisos exterarum Congregationum simul, & communiter transferri.

Octauò, hæc diuisio parit confusionem, & multiplicitatem superiorum, in Missione vnius Ordinis, inuicem independentium, tres enim iam sunt in Angliâ, ex distinctis Congregationibus superiores, Anglicâ, Cassinensi, Hispanicâ, & mox plures futuri sunt, simul ac Angli, ex Lotharingicâ, & alijs Congregationibus in patriam redierint.

Nonò, multi Benedictinis deuoti, & vtiles ab habitu nostro deterrentur, metuentes ne Missio Benedictina, in se diuisa citò desoletur.

Decimò, durante diuisione, Monachi diuersarum Congregationum, suum quęrent; pro meo, & tuo orientur intestinæ contentiones in Missione, & Ordine, atque studia partium inter sæculares Ordini deuotos, cum Missionis ruinâ, Ordinis dedecore, Ecclesię perturbatione, fidei iacturâ, & cachinno Hęreticorum.

Vndecimò, multis eximenda est suspitio, religiosos vnioni renitentes, aliquid aliud obtegere pallio religionis. Ex prædictorum consideratione, Congregatio Cassinensis, in hanc vnionem consensit.

SCRIPTVRA. VIII.

Breue confirmatorium Congregationis Anglicanæ per Casinenses instauratæ.

PAVLVS PAPA QVINTVS

AD futuram rei memoriam. Cum, sicut accepimus aliàs de anno 1607. die 21. mensis Nouembris, seu alio veriore tempore: quondam Sebertus, alias Sigebertus, Monachus professus Monasterij S. Petri Westmonasteriensis iuxta Londinum, ordinis S. Benedicti, Congregationis Angliæ, qui in sæculo Robertus Buckleius vocabatur, &, vt asserebat,

ſolus ex omnibus Monachis dictæ Congregationis Angliæ ſuperſtes erat : proinde prouidere volens, ne iura & priuilegia prędictę Congregationi conceſſa, quæ in eo vti ſolo ſuperſtite conſeruabantur, poſt eius obitum deperirent, dilectos filios Robertum Sadlerum Petroburgenſem, & Edouardum Maiheuum Saliſburienſem: Monachos Anglos, expreſsè profeſſos, dicti ordinis, Congregationis Caſſinenſis alias S. Iuſtinæ de Padua, ſupradictorum ſuperiorum beneplacito, in Monachos dicti Monaſterij S. Petri receperit & admiſerit, illiſque omnia iura, priuilegia gradus, honores libertates & gratias, quibus Monachi in eodem Monaſterio S. Petri profeſſi & habitantes gauiſi fuerunt, & ordini S. Benedicti in Anglia competerebant, quantum in ſe fuerit, concesſerit : Nec non dilectis ſimiliter filijs, Thomæ Preſtono Salopienſi, Auguſtino & Anſelmo Lancaſtrienſibus, & Mauro Elienſi, Monachis ſimiliter Anglis eorundem, ordinis & Congregationis Caſſinenſis, profeſſis : alios in Monachos fratros conuerſos nec non oblatos, eiuſdem Monaſterij S. Petri, admittendi & recipiendi, eiſque iura, priuiligia, gradus honores, libertates & gratias huiuſmodi reſpectiuè communicandi facultatem & poteſtatem impertitus fuerit, & attribuerit; & ſubinde receptio & admiſſio, & conceſſio, & impartitio, nec non attributio huiuſmodi in Capitulo generali dictę Congregationis Caſſinenſis de ſubſequenti anno 1608. ac die menſis Maij rata & grata habita fuiſſent. Item Sebertus alias Sigebertus, habitâ notitiâ Confirmationis, à dicto Capitulo generali emanatæ, illa omnia de nouo die 8. Nouembris 1609. ratificauerit, & approbauerit, omneſque in Monachos fratres, conuerſos & oblatos, per dictos Thomam, Auguſtinum, Anſelmum, & Maurum, vt præfertur, admiſſos & receptos, ſimiliter in prædicti Monaſterij S. Petri, Monachos, fratres conuerſos, & oblatos recepit & admiſit, eiſdem iura, priuilegia, gradus, honores, libertates & gratias huiuſmodi & reſpectiuè concedendo, impertiendo, & attribuendo, prout in diuerſis ſcripturis deſuper confectis, plenius dicitur contineri: Nos dictos, Robertum & Edouardum, omneſque alios & ſingulos in miſſione Anglicana exiſtentes, Monachos Anglos Congregationis Caſſinenſis alias S. Iuſtinæ huiuſmodi receptos & admiſſos, tanquam ſtrenuos in vineâ Domini operarios, ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pęnis, à iure vel ab homine, quâuis occaſione vel cauſâ latis ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad affectũ prȩſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes : nec non ſingularum litterarum prædictarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, Motv proprio, non ad ipſorum, aut alicuius eorum, aut alterius pro eis ſuper hoc nobis oblatę petitionis inſtantiam : ſed ex certâ ſcientiâ, ac maturâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, de Conſilio Ven: fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, hęreticæ prauitatis generalium inquiſitorum, quibus negotium huiuſmodi diſcutiendum remiſeramus, receptionem & admiſſionem dictorum Roberti & Edowardi, & aliorum patrum in miſſione Anglicana exiſtentium Monachorum Anglorum dictæ Congregationis Caſſinenſis alias S. Iuſtinæ de Padua, in Monachos prædicti S. Petri, conceſſionemque, impertitionem, ac attributionem omnium iurium, priuilegiorum, graduum, honorum, libertatum, & gratiarum eidem Roberto & Edwardo, & alijs in Miſſione prædictâ, exiſtentibus Monachis Anglis, tunc Congregationis Caſſinenſis, alias S. Iuſtinæ de Padua huiuſmodi per ipſum Sebertum alias Sigebertum factas tenore præſentium, approbamus & confirmamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes & ſingulos tam iuris quam facti, etiam ſubſtantiales defectus, ſi qui in illis quomodolibet interuenerint, ſupplemus: decernentes, præſentes literas validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere debere, dictamque Congregationem Angliæ, eiuſque priuilegia, gradus, bona, libertates, & gratias, in dictis Monachis Anglis vt præfertur aggregatis, & tunc Congregationis Caſſinenſis, alias S. Iuſtinæ de Padua, verè & realiter ſubſiſtere, prout in dictâ Congregatione Angliæ, tempore receptionis, admiſſionis, conceſſionis, impertitionis, & attributionis huiuſmodi ſubſiſtebant, & non alias, ſicque & non aliter in præmiſſis omnibus & ſingulis, per quoſcunque Iudices ordinarios & delegatos etiam cauſarum palatij Apoſtolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos vbique iudicari ac definiri debere, nec non irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quouis, modo ſcienter vel ignoranter contigerit, attentari; non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ordinis & Congregationis prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quâuis firmitate aliâ, roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem ordini & Congregationibus ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis nec non derogatoriarum derogatorijs, in contrarium forſan, quomodolibet conceſſis;

cessis; quibus omnibus, etiamsi de illis specialis, specifica, & expressa mentio habenda foret, eorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ, apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 24. Decembris. M. DC. XII. Pontificatus nostri anno VIII. Locus † Sigilli. Subscriptum: S. Cobellutius. Et infra: Adamus

SCRIPTVRA. IX.

Procuratoria amplissima, concessa D. Roberto Sadlero de S. Vincentio.

In Dei nomine, Amen.

Pateat vniuersis per præsentes, nos D. Thomam Prestonum Anglum Sacerdotem, & Monachum professum Monasterij Montis Cassini Monachorum nigrorum ordinis S. Benedicti de obseruantiâ, Congregationis Cassinensis; atque Congregationis Anglicanæ nuper restauratæ, & à sanctissimo D. N. Paulo quinto confirmatæ superiorem constitutum, nonnullis occupationibus alijsque obstaculis impeditum, quo minus infrascripta per me ipsum exequi possem: confisum tamen de integritate, fidelitate, & diligentiâ dilectissimorum fratrum nostrorum, Domini Mauri Tayleri Angli Sacerdotis, & Monachi professi Monasterij S. Georgij maioris venetiarum, Congregationis Cassinensis, ac sedis Apostolicæ Notarij: atque D. Roberti Sadleri Angli Sacerdotis & Monachi professi prædictæ Congregationis Angliæ; præhabito etiam consensu D. Edwardi, D. Augustini, D. Bartholomæi, & D. Placidi, Monachorum professorum eiusdem Congregationis Anglicanæ, nominasse, ordinasse, fecisse, constituisse, & loco nostro posuisse, prout per præsentes nominamus, ordinamus, facimus, constituimus, & loco nostro ponimus prædictos D. Maurum, & D. Robertum, coniunctim, & diuisim, nostros veros certos indubitatos, & legitimos, generales, ac speciales procuratores, actores, factores, & nostrorum negotiorum omnium, & singulorum quorumcunque gestores, prout dictis D. Mauro, & D. Roberto coniunctim, & diuisim opportunum videbitur, ita in omnibus, vt nec generalitas specialitati, nec specialitas generalitati aliquid deroget: dantes & per præsentes concedentes dictis nostris, & præfatæ Congregationis Anglicanæ Procuratoribus, coniunctim, & diuisim, totam, & integram protestatem, & authoritatem nostram in præmissis omnibus, & singulis rebus, nos, vel negotia nostra, ac prædictam Congregationem Anglicanam aliquo modo tangentibus, siue concernentibus, agendi, dicendi, procurandi, negotiandi componendi atque terminandi quiquid sibi, vel eorum alteri, in eisdem, vel eorum aliquo videbitur necessarium & vtile; alium insuper, & alios procuratorem, & procuratores, loco, & vice nostrâ substituendi, ac eum, seu eos denuò reuocandi, procuratoriumque officium in se reassumendi, quoties & quando id eis, vel eorum alteri, expedire videbitur. Et generaliter omnia alia & singula faciendi, exercendi, expediendi, & impetrandi, pro nobis & nomine nostro, dictæque Congregationis Anglicanæ, quæ illis, aut eorum alteri, in præmissis, aut circa præmissa, necessaria, aut expedientia, aut aliâs quomodolibet ad bonum dictæ Congregationis promouendum, oppòrtuna videbuntur, adeò plenè, & sufficienter, ac nosmet ipsi facere poteramus, si ibidem præsentes personaliter essemus, licet mandatum de se magis exigant speciale, quam superius vllo modo est expressum. Rata, grata, & firma habentes, & habituri, quicquid dicti procuratores nostri, vel eorum alter, fecerint, seu fieri procurauerint, in prædictis negotijs nostris, vel eorum aliquo, seu in aliquibus circunstantijs, aut ceremonijs, eadem, vel eorum aliqua tangentibus siue concernentibus. In cuius rei testimonium ego præfatus D. Thomas huic præsenti scripto me subscripsi, & vt plenior illi fides adhibeatur, sigillum Congregationis Cassinensis apposui. Datum Londini die 22. mensis Iulij. Anno à natiuitate Domini millesimo sexcentesimo vndecimo. Ego D. Thomas, qui supra. Sigillatum, signatum, & traditum in manus, in præsentiâ subscriptorum. Ego Franciscus Forster interfui. Ego Henricus Cleark interfui.

SCRIP-

SCRIPTVRA. X.

Propositio D. Anselmi à Mancestriâ, exhibita D. Cardinali Protectori.

Illustrissime Reuerendissimeque Domine,

CVm Reuerendissimi Patres, superiores Congregationum Cassinensis in Italiâ, & Vallisoletanæ in Hispaniâ, Ordinis S. Benedicti, sub protectione Illustrissimæ D.V. positarum, moti zelo, & desiderio reducendi regnum Angliæ ad obedientiam sanctæ sedis Apostolicæ, (ad quam conuersi sunt iam ante mille annos, per eiusdem Ordinis nostri Monachos, à gloriosissimo Pontifice Gregorio magno in Angliam destinatos:) erexerint, & instituerint per septem iam annos Missionem Monachorum suorum Anglorum: cumque ipsi Monachi Anglidesi derent, vt missio illa perpetuetur, eosque fructus faciat, propter quos fuit instituta; exponunt Illustrissimę D.V. dictisque Reuerendissimis Patribus superioribus suis vtriusque Congregationis, id, quod tot annorum experientiâ didicerunt, & cognoscunt esse ad eum finem necessarium: quod quidem in duabus præcipuè rebus consistit.

Vna est, vt vnum caput, vnusque superior dictæ Missionis ordinetur, suprà omnes Monachos, quamdiu in ipsâ Missione manere voluerint.

Altera, vt omnia iura & priuilegia antiquæ Congregationis Anglicanæ communicentur Monachis Missionis indifferenter vtriusque Congregationis: quod apparet aliter fieri nequaquam posse, quam per viam aggregationis, vt ostendetur sequentibus rationibus.

Quantum ad primum istorum, vt sit vnus Missionis superior, iam pridem omnes Missionis Monachi in vtrâque Congregatione professi, multoties inter se rem tractantes in conuentibus eam ob causam habitis, vnanimiter concludunt esse maximè necessarium.

1. Vt sic auferatur scandalum, quod accipiunt Catholici Angli, cum vident vnum corpus Monachorum nigrorum reformatæ disciplinæ, vnius eiusdemque rationis, duo capita distincta habere à quibus regatur.

2. Quia aliqui erga ordinem non benè affecti, spargunt in vulgus, hunc gubernandi modum nasci ex discordiâ, & animositate ipsorum Monachorum, qui ne in vno quidem puncto, vel titulo velint sibi inuicem cedere.

3. Quoniam, licet alijs in regionibus propter temporum, morumque diuersitatem, forsitan etiam propter monasticæ disciplinę relaxationem, variæ nouæ reformationes sint introductæ, & ex consequenti etiam variæ diuersæque Congregationes: videtur tamen Catholicis Anglis hoc non debere fieri vno eodemque tempore, inter Monachos eiusdem nationis, instituti, habitus, reformationis, & Missionis; quinimò potius iudicant expediens, atque necessarium, vt vniantur, & viuant sub vno solo capite, ideo saltem, quia cum viuant, & sustententur nunc omnes Missionis Monachi ex eleemosynis, quæ ipsis à deuotis amicis ordinis, atque habitus S. Benedicti in generali, & indistinctè ministrantur, quippe qui non magis ad vnam, quam ad alteram Congregationem afficiantur; si incipiat apparere distinctio, & diuisio Congregationum inter ipsos monachos, & vnusquisque eorum ob interesse proprium conetur alium præuenire, aut excludere, aut eleemosynas ad se diuertere; erunt in causâ vt benefactores ab vtrâque Congregatione alienentur.

4. Multi viri nobiles, & ad religionis munia aptissimi, interim dum hæc distinctio, & diuisio manet, ab habitu suscipiendo absterrentur.

5. Sunt alij, qui nihil aliud expectant & sperant, quam vt ex hac diuisione, diuersitateque Congregationum, & capitum, totius Missionis Benedictinæ dissolutio oriatur.

6. Ex eâdem diuisione, & diuersitate fit, vt vis virtusque Missionis, quæ vnita longè fortior esset atque fructuosior, & efficacior, vtpote valdè necessaria inter hæreticos aliosque fidei hostes, fiat imbecillior, & inefficax, dum alij alios non adiuuent eo cum feruore, quo deberent, & vellent, si vniti essent, & vnum corpus efficerent.

7. Quamuis etiam zelus charitatis, asperitas persequutionis, nonnulla etiam spes futuræ vnionis hucusque Monachos continuerit, qui hactenus in minore numero fuere: Nunc tamen, cum

cum eorum numerus magnopere creuerit, & vix vnquam inter eos sic distinctos desit aliqua occasio simultatis, aut dissensionis; certè nisi vniò aliqua fiat, non potest aliud expectari, quam infælix aliquis exitus.

8. Quæ omnia considerantes benefactores ordinis extra Angliam, sicut declarant, se omnia quæ donauerint, in bonum beneficiumque commune omnium Benedictinorum nationis Anglicanæ donauisse: ita in eorum finem particularem commissionem expediuerunt, vt eorundem Monachorum vnio procuretur.

9. Tandem ex Angliâ nuper expresse scripserunt ad Patrem illum qui aliorum negotia in Belgio procurat, nisi vnio prius fiat, frustrà illum expectare pro conuentu suo vllum ex Anglicanis eleemosinis adiutorium.

Ex istis rationibus apparet necessitas vnionis, quæ sub beneplacito Illustrissimæ Dominationis vestræ sine vtriusque Congregationis prejudicio, posset ita institui.

1. Vt in his exordijs, per modum prouisionis interim deputetur vnum caput, siue superior triennalis & alternatiuus totius Missionis vtriusque Congregationis, qui extrâ Angliam resideat: talis nempe, quem Illustriss. D. V. iudicauerit aptum, & idoneum; & aliquis etiam alius deputetur ipsius Vicarius aut vices gerés alterius Congregationis, qui in Angliâ remaneat.

2. Ad meliorem magisque beneuolam correspondentiam inter ipsos, & ad rectiorem administrationem in superioribus, promptioremque obedientiam in subditis, vtrique concedantur aliquot assistentes, non de suâ, sed de alterâ Congregatione, absque quorum consilijs & consensu neuter possit aliquid in negotijs ordinare aut innouare.

3. Quod si intra spatium illud triennale, Præses, vel Generalis alterutrius Congregationis, Italicæ, vel Hispanicæ, voluerit vllum istorũ superiorum ex Missione ad se reuocare, teneantur sine replicâ statim obedire: & loco illius eligatur ex numero eorum qui sunt in Missione, alter eiusdem cum illo Congregationis, qui pro reliquo triennij, officium suppleat.

4. Quoniam verò inter eos, qui in Missione versantur, nulla est contentio de superioritate vel præcedentiâ, cum omnes illud solum intueantur habeantque ante oculos, vt talis persona, eligatur cuius dignitas vtrique Congregationi satisfaciat: videtur necessarium, vt hæc res ab Illustriss. D. V. declaretur, vtque in primâ hac communis superioris electione, Vestra Illustrissima, D. nominet Congregationem & personam; non quidem quasi vnã Congregationem alteri præferendo; sed illis ipsis vtriusuis Congregationis Monachis sibi inuicem præ humilitatis amore cedentibus, & V. Illustriss. Dominationi electionem, prout occasioni, temporique melius iudicauerit competere, relinquentibus.

Quantum vero ad secundum eorum, quæ initio posuimus, nempe de modo, quo fieri debeat aggregatio.

ORdo S. Benedicti floruit in Angliâ ab anno 596. vsque ad annum, 1535. quo in anno Monasteria fuere destructa, & Monachi inde expulsi: nihilominus vsque ad hunc diem conseruatus & continuatus est dictus ordo in vno aut paucis Monachis, cum vsque ad hunc diem viuat Monachus vnus nonagenarius professus Cœnobij Westmonasteriensis.

Hinc ex parte motus Pontifex Clemens 8. anno 1602. destinauit in Angliam nouam Missionem Cassinensium, & Vallisoletanorum Monachorum nationis Angliæ, ex quibus prædictus Monachus veteranus, vocatus P. Sebertus, aggregauit & suæ Congregationi vniuit aliquos Cassinenses: Expectatur igitur vt, & Vallisoletani idem amplectantur propositum, vt sic per filios, vtriusque Congregationis tam benè de Angliâ meritæ, conseruentur iura antiquorum monachorum Angliæ.

Commoda, quæ hinc, ex istâ scilicet aggregatione, deriuabuntur in Missionem, multa sunt, & maximè necessaria.

1. Quia virtute talis aggregationis omnes Missionis Monachi in vnum solum corpus coalescent.

2. Continuabitur antiqua Congregatio Angliæ, per quam succedant in omnia iura, & priuilegia dictæ Congregationis: quod maximi momenti esse nemo negauerit.

3. Tolletur oppositio, quam nonnulli erga ordinem Benedictinum malè animati spargunt inter Catholicos, dicentes, quod licet Monachi Missionis sint eiusdem ordinis, cum tamen non sint Congregationis Angliæ, sed aliarum externarum, iura antiquorum Monachorum non magis ad eos spectent, quam ad religiosos alterius cuiusp iam ordinis.

4. Quicquid ab omnibus acquiretur, commune fiet sine vllâ distinctione ita vt Monachi vtriusque Congregationis, qui in Missione versantur, habituri sint, quò se recipiant in exilio suo, vel morbo, vel senio, & non cogantur in Italiam, & Hispaniam cum onere suarum Con-

gregationum redire.

5. Neque verò erit hæc aggregatio in præiudicium vel iniuriam Congregationum supradictarum Italiæ, & Hispaniæ: quia hæc aggregatio particularius amplexabitur seu compræhendet solos illos Monachos, qui sunt admissi ad dictas Congregationes sine vllis impensis aut curis ipsarum, sunt etiam pauci, non cogniti extra regnum, ne quidem ab ipsis vtriusque Congregationis Prælatis; qui ipsi etiam nec linguam nec mores vtriusuis Congregationis nouerunt, suntque præsbyteri tantum ad Missionem Angliæ accommodati.

Quod si non fiat talis aggregatio, euenient absque dubio multa maiora incommoda, quàm expediat literis mandare.

Hæc omnia exponit Illustriss. D. V. Dominus Anselmus Anglus, tam vt Procurator R. Patris Domini Seberti, autoris vnionis Congregationis antiquę Anglicanæ, cum Casinensibus illis qui in ipso Angliæ regno fuere vestiti: quam ex parte Monachorum vtriusque Congregationis Italicæ & Hispanicæ, qui versantur in Angliâ in Missione; quam etiam ex mandato principalium benefactorum, & ex desiderio, & opinione totius nationis: quatenus placeat Illustrissimę D. V. in bonum & conseruationem Ordinis Benedictini, qui est sub vmbrâ & protectione vestrâ, & ad propagationem fidei Catholicæ, interponere autoritatem suam, vt dicta vnio & aggregatio suum sortiatur effectũ, modo quo dictum est, vel alio, qui Illustriss. D. V. & Reuerendis patribus procuratoribus ambarum Congregationum placebit, sicut RR. Patres Capituli Generalis Casinensis proximè habiti suum in hac re præstitere consensum.

SCRIPTVRA. XI.

Decretum summi Pontificis de suspensione articulorum superius Romæ propositorum, & regressu Monachorum Missionis ad suas respectiuè Congregationes

Feriâ 5. Die 15. Ianuarij 1615.

IN Generali Congregatione Sanctæ, Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, habitâ in palatio Apostolico apud S. Petrũ, coram sanctiss. D. nostro D. Paulo diuinâ prouidentiâ Papa V. ac Illustriss. & Reuerendissimis Dominis Cardinalibus, aduersus hęreticã prauitatẽ, in totâ republicâ Christianâ, Generalibus inquisitoribus, à S. Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

Relatis, ac maturè discussis, & consideratis iuribus, & rationibus hinc inde deductis, circa vnionem pro beneficio Missionis Apostolicæ factam, à procuratoribus Monachorũ Ordinis S. Benedicti Congregationum Cassinensis, Hisp. & Anglicanę, sub die 3. Feb. 1614. in vrbe: S D. N. Papa prædictus censuit, præfatam vnionem esse suspendendam, prout suspendit. Et die 19. Feb. proximè præteriti, in Congregatione eiusdem S. Vniuersalis Inquisitionis, habitâ coram eodem Sanctiss. D. nostro ac eisdẽ Illust. ac Reuer. D. Cardinalibus Generalibus inquisitoribus, præfatus Sanctiss. D. Papa mandauit, Monachos Anglos Congregationis Hisp. qui vigore supradictę vnionis fecerunt transitum ad aliam Congregationem, redire ad Congregationem, in quâ emiserunt professionem, & benignè tractari à suis superioribus. Signatum. Andreas de Pettinis, Sanctæ Romanæ, & vniuersalis inquisitionis notarius, & sigillatum.

SCRIPTVRA. XII.

De Epistolâ R. Patris Francisci VValgranij ad R. Patrem Benedictum 7. Aprilis, 1615.

REuerende Pater, si cogitatis ita deprimere Cõgregationem Anglicanam, vt vocem actiuã non debeat habere: certò crede, quod à vobis dicatur Pax, & nõ est Pax quod honorabilis aliqua dependentia, vtrique Congregationi Hispanicæ & Italicæ reseruetur, mihi sanè rationi consentaneum videtur, gratitudinis ergò; & necessarium etiam Congregationi

gationi Anglicanæ: iat verò quod dependentia illa sit talis, vt regimen debeat pendere, sicut hactenus, à superioribus, tanto interuallo disiunctis; aut vt per illam Congregatio Anglicana non adęquetur aliis duabus, crede quod numquam fiet. Et præterea; si tu coneris delere nomen Congregationis Anglicanæ: conabimur & nos delere nomina superiorum Wallicorum. Scis enim teipsum, & patrem Vicarium, eam ob causam, iustè haberi pro suspectis, in his totius Missionis nostræ negotijs: quamuis adhuc non vtamur obiectione hac, sed nec vsuri sumus, nisi vos ipsi occasionem præbeatis. Si quæris Deum, & patriam, & Angliæ ordinisque nostri bonum, honora (obsecro) & promoue quantum potes, illam Congregationem, Anglicanam intelligo, per quam bonum illud efficaciter potest procurari: nec coneris vnionē iam factam suspendere, donec aliam meliorem erexeris. Inuenies nos rationi consentientes, & pacis desiderantissimos, quam tamen putamus nunc semper fore suspectam, post tam multas contentiones, nisi alternatiua concedatur secundum articulos. Quę tamen Alternatiua meo iudicio nouem annos duntaxat perseueraret, vt vnaquæque Congregatio suas haberet vices: & ita tolleretur omnis zelotypia, atque animositas, quæ sine dubio, adhuc parumper in multorum animis hærebit, propter quam etiam vnaquæque valde grauatim permanebit diutius subiecta alteri parti aduersæ: post illud nouennium eligi possent superiores indiscriminatim ex toto corpore, suppressis nominibus particularium congregationum, expresso tantum nomine Anglicanæ Congregationis. Quę tamen ita posset dependere ab Hispanicâ & Cassinensi, vt illæ per vices approbarent electionē, sine quâ approbatio aut electio erit inualida (durante Scismate.) sed electio ipsa debet fieri à nobis, independenter ab illis. Hic meus est de rebus istis conceptus, quem submitto, sed sine istâ formâ non placebitis nobis, quantumuis forte placeretis Cassinensibus & Hispanicis: & nondum vsi sumus fauore sæcularum principum ad causam nostram promouendam, ne illi visis contentionibus nostris auxiliares manus subtrahant: potius tamen, quam causâ cademus, ea mouebimus à quibus hactenus abstinuimus.

SCRIPTVRA. XIII.

Pars quædam epistolæ R. P. Ioannis Barnesij contra dictum P. Franciscum.

ILlustrissimus Dominus Nuncius Romam scripsit, se promulgasse pro Chellensibus mandatum de reditu ad Hispanicam obedientiam: & illum tantum responsum ab eis habuisse, quod nihil cuperent respondere, donec fecissent certiorem superiorem Congregationis Anglicanæ, (qui ipsorum fuisse & esse prætenditur de mandato Apostolico) quia putant indecorum planè, transmigrare ad obedientiam Hispanicam, relictâ Anglicanâ, non consulto & valedicto superiore suo: sed institimus, planè æquum esse, vt illi, qui transuolarunt, ad Anglicanam obedientiam, virtute literarum Apostolicarum, insalutato naturali suo superiore, à quo professionem monasticam susceperunt, sci. R. P. N. Vicario Generali; quod idem planè reducerentur ad pristinam obedientiam virtute mandati Apostolici, etiam insalutato superiore Anglicano, maximè cum sit maxima disparitas inter vtrumque superiorem. Nam qui est Anglicanus superior, est etiam eorum procurator Romæ, vt patet ex literis PP. Chellensium, & ex eorum subscriptionibus, præsertim in articulis vnionis: vnde vt procurator, & pars audita, & condemnata in iudicio contradictorio supremi tribunalis, post omnes rationes examinatas, amplius consuli non deberet, pro executione sententiæ adeo iustæ, & post tam longam disputationem pronunciatæ. Illustrissimus Dominus Nuncius eorum responsis planè non acquiescit, ac propterea iam iterato feria 2. Pentecostes præcepit, vt obediant decreto Apostolico, sub interminatione recursus ad grauiora remedia & efficaciora, nisi pariant. Cras vel perendiè exspectamus responsum: verisimile est, (vt iactitant alij) non parebunt, quod si ita fiat, habebo literas Illustrissimi Nuncij ad Dominam Abbatissam Chellensem, quod non deberet permittere, vt homines sibi subditi, impunè transgrediantur Apostolica mandata.

SCRIPTVRA. XIV.

Epistola Illustrissimi Nuncij Apostolici Galliarum, ad R P. Leandrum Vicarium Generalem Missionis Hispanicæ Benedictorum Anglorum.

ADmodum Reuerende Pater, quo studio, quâue efficaciâ fratres Chellensis Monasterij ad redeundum sub obedientiâ vestrâ, iuxta decretum summi Pontificis Sanctissimi Domini nostri interpellauerimus, accipies à Patre Ioanne Barnesio, ob hanc causam huc à te misso simulque ab eodem cognosces, fratres prędictos existimare, eos nullam inobedientiæ notam incursuros, si priusquam in re tanti momenti aliquid innouent, superiori Congregationis Anglicanæ, cui ab ipso die vnionis per nos illis intimatæ obedientiam suam se commendasse contendunt, totum negotium significent, & si interim ad Sanctitatem suam recurrant suppliciter petentes, ne vnionem prædictam ex ipsius mandato acceptatam, tanto, vt ipsi asserunt, eorundem & aliorum incõmodo, ac totius vnionis imminente ruinâ deserere cogantur. Cumque nihil vltra præstare nos possimus, vt strictius vrgeantur fratres prædicti ad dictam obedientiam reipsâ nunc vobis exhibendam, maximè cũ Domina Chellensis Abbatissa illis summopere faueat, ac pro suo hac in re prætenso iure, ad Sanctissimum Dominum nostrum Papam recurrere ac adire intendat: nos subiecti suę Sanctitati per literas supradicta omnia humillimè significamus, vt quod vlterius agendum sit, nobis mandare dignetur. Paternitatem vestram quam benè valere optamus. Datum Parisijs 1. die Julij 1615. Subscriptũ: Admodum Reuerendæ paternitatis vestræ studiosus, vti frater, R. Episcopus Politianus Nuncius Apostolicus.

SCRIPTVRA. XV.

Formula obedientiæ datæ Vicario generali à patribus Chellensibus.

Admodum Reuerende Pater,

COmmunicauit nobis R. P. Augustinus literas Paternitatis Vestræ ad ipsum scriptas, & per D. I. primò, deinde verò per amplissimum Dominum Prępositum transmissas, quibuscum etiam coniunctum fuit exemplar literarum Illustrissimi Nuncij insinuantium nouum aliquod decretum; quo admisso, fideliter spopondit Vestra Paternitas ipsi & nobis in verbo sacerdotis, omnẽ pacem, donec vnio, cõcludatur. Nuncius nostrarũ partium longè alio modo promulgauit nobis Sanctitatis suæ beneplacitum, quam videmini ibi accepisse. Monuitque vt significaremus omnibus, Sanctitatis suæ voluntatem esse, vt omnes suis procuratoribus destinarent ampliorem potestatem, quam hactenus habuerunt aliquam vnionem concludendi, quia aliquam inter nos vnionem vult absolutè concludi: quod verò Illustrissimi Cardinales in priore decreto regressus persistant, cupimus vt cognoscatis, plures nunc nobis suppetere rationes ampliandi, & replicandi, quam antea: tum quia certi sumus procuratorem nostrum auditum non fuisse, quando hoc de regressu decretum fuit expeditum; tum etiam propter exorbitantem modum procedendi quo vsu sunt commissarij vestri in hac ciuitate Parisiensi, pro quo benefactoribus nostris aliqua esset adhibenda satisfactio. Nihilominus vt planè satisfaciamus sedi Apostolicæ Vestræque Paternitati, ac toti mundo, monstremusque synceram intentionem nostram, quâ pacem quærimus & vnionem, sine quâ Missio nostra non potest subsistere, simul ac securi facti essemus, Nuncij Apostolici, Episcopi Parisiensis, & Paternitatis Vestræ promisso, quod nulla fiant scandala, vel innouationes in personis, aut negotijs nostris, donec aliqua vnio inter nos cõcludatur: certiorẽ per has præsentes facimus Paternitatem Vestrã, nos paruisse, & parere decreto de regressu, & in eo plenè satisfecisse Nuncio Parisiensi, quin & scripsisse ad Cardinales sancti officij de obedientiâ nostrâ decreto ipsorum officiosè præstitâ. Quoniam igitur nunc omnia impedimenta vnionis sunt ablata: rogamus vos, propter amorem Dei, vt quam seriò & citò, fieri possit, in illam statuendam incumbatis: & in hac re, aut quâcunque aliâ inuenietis nos in omni fraternâ charitate paratissimos. Callis 24. Augusti 1615. Subscriptum: Paternitatis vestræ fratres immeriti, F. Franciscus de Dei Custodia, F. Augustinus de S. Ioanne, F. Georgius, F. Ioseph de S. Maria.

SCRIP-

SCRIPTVRA. XVI.

Exemplar Supplicationis, quam ex Angliâ Patres Missionis ad Sanctissimum Dominum miserunt 11. Junij, 1615.

NOs infrascripti Sanctitatis vestræ filij humillimi, perspicientes maximum Sanctitatis Vestræ erga patriam nostram, & salutem animarum zelum, ac paternam de nostrâ Missione curã, quibus Sanctitas vestra tanquam Vniuersalis, sed nobis specialis parens, satis abundat, & intelligentes Sanctitatis Vestræ mentem in eo firmiter positam esse, vt pro bono Missionis, aliquam velit inter nos stabilire vnionem: & maturè ponderantes quid emolumenti, vel incommodi euenire poterit, si modus illius sit conueniens, & ab omnibus geraliter approbatus: aut inconueniens, & inter paucos determinatus, qualis erat modus nuper Sanctitati Vestræ exhibitus; (omnes enim quoad substantiam vnionem exoptant, de modo solummodo est differentia) Submissè petimus (quia quo vniuersalior fuerit consensus, eo stabilior, & sine reluctantiâ erit vnio) vt Sanctitas Vestra pro præsenti nihil statuat, sed sub censurâ præcipiat, vt ex omnibus professis omnium trium Congregationum extra Hispaniam, aut Italiam degentibus, per pluralitatem votorum omnium professorum dictarum Congregationum eligantur nouem Definitores, qui simul conuenientes, etiam per pluralitatem votorum determinent primò de modo talis vnionis quem sic per pluralitem votorum ordinatum exhibebunt Sanctitati Vestræ approbandum, & post approbationem eodem modo, & eâdem Apostolicâ authoritate, formam & regimen gubernandi statuant. Si enim propter inæqualitatem numeri dictarum Congregationum Religiosorum eligerentur ex vnaquâque tres, tunc reliqui omnes Hispanicæ Congregationes exclusi à tali electione (qui ad minus sunt centum) non sine iustâ causâ poterunt reluctari. Religiosi autem aliarum Congregationum sunt perpauci, & sic pauci forent excludendi.*

Hæc modo Sanctitati Vestræ humiliter suggerenda putauimus, interim Generalem nostrum Hispanicum consulemus, & eius consensum, sine quo nihil commodè possumus, postulabimus, & expectabimus paternam Sanctitatis Vestræ resolutionem quem Deus Opt. Max. pro regimine suę Ecclesię, ac bono patriæ, & Missionis nostræ diu, ac fœliciter sanum, & incolumem custodiat. Datum Londini Iun. 11. 1615. Subscriptum. Frater Iosephus de S. Martino assistens, F. Guiliel. Iansenius assistens, F. Nicolaus Fitz-Iames, F. Georgius de S. Millan. F. Nicolaus de Orna. F. Gregorius Graunge, F. Ioannes de S. Æmiliano, F. Iustus. F. August. de Monteserrat.

* Clausula aliquo modo Confratres aliquos attingẽs ob mutui amoris & honoris causam prætermissa est.

SCRIPTVRA. XVII.

Exemplar mandati pro nouo vnionis tractatu ineundo, missi ad R. P. Leandrum tunc Vicarium Missionis Hispanicæ.

DIlecte in Christo admodum Reuerende. Scripsi ad P. T. fuisse à Sanctissimo Domino Nostro decretum, vt trium Congregationum Monachorum Ordinis S. Benedicti Anglorum vnio, quâ formâ superiore anno inita fuit, in suspenso manere debeat. Nunc itaque, cum ad huiusmodi vnionem de pleno trium Congregationum consensu stabiliendam, noua sit instituenda tractatio, mandat sua Sanctitas, vt earundem Congregationum superiores certos suos atque legitimos Procuratores mittant ad Vrbem; vel eos, qui ibi de negotio hactenus egerunt, sufficiente facultate, & procuratorio instruant in eum finem. Mandat prӕterea sua Sanctitas, vt ijdem Superiores priuato quocunque affectu deposito, ac vnicum attendentes suæ Missionis bonum, scripto compræhendant, & ad me mittant ea omnia, quę ad rationem & formam nouæ paciscendæ concordiæ pertinere, & proficua esse arbitrabuntur: vtque interea à mittendis subinde in Angliam operarijs, vti antea consueuerant non desistant. His de rebus certiorem te volui factum, vt iuxta suæ Sanctitatis mandatum, quæ tuarum sunt partium valeas adimplere, quod quidem te sedulò præstiturum planè habeo persuasum, & P. T. diuinę custodię commendo. Bruxellis, 23. Martij, 1615. Subscriptum. Paternitatis tuæ amantissimus G. Archiepiscopus Rhodien.

SCRIPTVRA. XVIII.

Procuratoria data R. P. Benedicto de S. Facundo.

DEcretum est in Concilio, per eos qui subscribunt, procuratorium Patris Benedicti, debere confirmari, & reualidari cum potestate prosequendi nuper propositum vnionis tractatum, aut si occasio postulauerit, vt melius concludatur, articulos eius emolliendi aut mutandi, prout in conscientiâ expedire iudicauerit, aut prout putauerit plerosque in Missione velle condescendere seruatis conditionibus & limitationibus in ipsâ commissione procuratoriâ expressis. Subscriptũ: P. Leander de S. Martino, P. Ioannes Barnesius, P. Franciscus Antrobus. Forma autem commissionis, maturo tractatu, inter eosdem concepta sequitur in hũc tenorẽ. Nos P. Leander de S. Martino Vicarius Generalis Benedictinorum Anglorum Congregationis Hispanicæ extra Hispaniam degentium, Sacræ Theologiæ Doctor, & in Academiâ Duacenâ linguæ sacræ Regius Professor &c. Quoniam Illustrissimus Dominus Archiepiscopus Rhodiensis, cum esset Legatus suæ Sanctitatis in Belgio, nobis significauit, & ex mandato suæ Sanctitatis nobis iniunxit, vt facultatem auctoritatemque procuratoriam R. P. Benedicto Ionesio ad vnionem aliquam Romæ concludendam, reualidaremus: ideò prædictis suæ sanctitatis & Illustrissimi Nuntij ipsius mandatis obedientes, de consilio & consensu Venerabilium Fratrum nostrorum assistentium, tibi Patri Benedicto Ionesio de S. Facundo, omnem authoritatem procuratoriam, facultatem, potestatemque necessariam concedimus, vt nostro nomine possis prosequi articulos vnionis à nobis Romam missos, & vnionem secundum ipsos, & potestatem etiam eosdem articulos emolliendi, mutandi, in melius vertendi, addendo aut detrahendo, aut interpretando, quantum tibi in conscientiâ videbitur expedire, aut iudicaueris optimos in Missione velle admittere. Hoc solum Prouiso, vt nemo cogatur ad vnionem suscipiendam, sed si qui nunc in Missione existentes noluerint illam admittere prohibeantur aliam Missionem erigere, aut habitum vlli imponere, vel professionem tradere. Item vt qui in posterum futuris temporibus ex nostro ordine mittentur in Angliam, non gaudeant facultatibus necessarijs nisi velint vnitæ Missioni, & legibus eius per omnia, dum in Missione fuerint, subijci. In huius nostræ concessionis, & commissionis authoritatem & robur, vt valeat tibi Patri Benedicto, ad omnia quæcunque in causis nostris à te proponerentur peragenda, sigillum S. Benedicti his nostris literis impressimus, easque nostrâ subscriptione, & Secretarij muniuimus 27. April. 1616. Actum Duaci in Collegio S. Gregorij. Subscriptum: F. Leander de S. Martino Vicarius Generalis manu propriâ. Locus † Sigilli. Et infra: De mandato Ri admodum P. P. Vicarij Generalis F. Maurus de S. Maria Secretarius.

SCRIPTVRA. XIX.

Instructio data R. P. Benedicto de S. Facundo procuratorem Romæ pro vnione ex parte Missionis Hispanicæ agenti.

IN CHRISTI NOMINE AMEN.

Illustrissime & Reuerendissime Domine Patrone Optime.

Nolle se à superiorũ suorũ proscripto

QVanquam in toto hoc vnionis negocio maximè cupiamus sequi Congregationis nostræ authoritatem, quæ nobis formulam Vnionis quatuor articulis compræhensam in superiori Capitulo generali præscripsit, & aliam quamcunque prohibuit: Quia tamen Illustrissima Dominatio vestra ex authoritate Sanctissimi Domini nostri Papæ mihi iniunxit,

iunxit, vt ſincerè, & fideliter, ſcripto conſignarem ea omnia, quæ mihi viderentur, aut ſuggerenda, aut præcauenda, ſi fortè ſua Sanctitas Vnionem aliam velit ſtatuere diuerſam ab eâ, quàm Capitulum Generale noſtrum permiſit; iuſſibus veſtris obtemperare ſatagens, rem totam in ſequentes articulos conieci, adhibito ſeniorum fratrum concilio, & conſenſu: qui omnes hoc primùm mecum præfantur, ſi res optioni ſuæ relinquatur, nolle ſe vllo modo à ſuperiorum noſtrorum præſcripto recedere; ſin autem aliter ſuæ Sanctitati viſum fuerit, velle ſe in omnibus ipſius mandato, prout humiles Eccleſiæ filios addecet, non tantum libenter, ſed etiam lætanter acquieſcere.

recedere, ſi ſunt optioni relinquatur.

Primò, igitur aliquam vnionem inter nos eſſe neceſſariam, aut ſaltem maximè vtilem, omnes omninò Miſſionis Monachi his ſaltem in partibus, conſentiunt; alioquin enim inuicem commordentes, ab inuicem conſumemur; & dum ſingulæ factiones ſuam partem augere conantur, magis in illâ philautiâ enutriendâ laborabunt, quam in animarum conuerſione procurandâ; benefactores etiam, & amici communes iſtâ noſtrorum inter ſe diuiſione lædentur, & ipſa (quod caput eſt) regularis obſeruantia tepidè ſatis poterit cuſtodiri, dum ſuperiores inſtare non audeant ſeuerius, etiam tum cum ſeueritate opus fuerit, ne paulò ægrius repræhenſi Monachi, diſceſſum ab ipſis ad aliam Miſſionum Congregationem meditentur.

Eſſe vnionem aliquam neceſſariam.

2. Cæterum in hac vnione conſtituendâ imprimis cauendum eſt ne &c. *

* Omiſſa eſt clauſula alioscõtingens: ob bonũ Pacis conſeruandæ.

3. Arbitror etiam neminem poſſe negare quin multò maioris concordiæ cauſa futura ſit in illâ quæ omnem excludat alternationem, & aggregationem quam quę illas includat, quoniam remanentibus nominibus, titulis, & prærogatiuis diuerſarum Congregationum, manebunt ex conſequenti & ipſi Monachi diuerſimodè affecti erga ſuas ſinguli Congregationes, adeoque non erit iſta vnio, ſed diſcordiarum, & pugnantium inter ſe corporum chaos, cuius lites nulla vnquam prouidentia poſſit dirimere: maxima proindè pars Miſſionis ſine vllo dubio auerſatur alternationes & aggregationes iſtas, talemque poſtulat vnionem quę faciat Congregationem vnitam ſimpliciter vnam, vnius naturæ, conditionis, & nominis, quod poſſet eſſe Miſſionis Benedictinæ Anglorum, aut ſi quod aliud nomen ſuperioribus noſtris, aut Sanctitati ſuæ magis placeret.

Reijciẽdas alternationes.

4. Ad hanc autem Congregationem omnes accedent ſeruato antiquitatis ſeu profeſſionis gradu, quo in ſuis gaudent nunc ſinguli Congregationibus, vt ita inæqualitas illa vocationum ad conuerſionis habitum, nutriat, & conſeruet reuerentiam, & ſeniorum erga iuniores authoritatem, ſine quâ regularis diſciplina rigidè ſeruari non poteſt: quod ſi forſan viſum fuerit Sanctitati ſuæ ſtatuere vt hæc Congregatio ſit, & vocetur Congregatio Anglicana, gaudeatque priuilegijs illis prærogatiuiſque, quibus olim in Anglię Regnis, Benedictinæ Abbatiæ fuerunt ornatæ, eo in caſu qui nunc dicuntur Anglicanæ Congregationis Monachi non debent potiores habere partes aut prærogatiuas, quaſi qui prius fuerint in eam coaptati, ſed ſicut habitu, & diſciplinâ regulari ab alijs qui prius in Miſſione fuere, induti ſunt, & imbuti, ita poſt eos ſecundum gradus profeſſioniſque ſuæ antiquitatem in hac Congregatione ſtent & reputentur.

Accedere debẽt omnes ad vnionem ſeruato profeſſionis gradu.

5. Omnes etiam conſentire proculdubio velint, vt ſuperior huius Congregationis ſic erectæ & vnitæ eligatur indiſcriminatim ex toto gremio Miſſionis nullo ſcilicet habito reſpectu Congregationum in quibus fuerunt Monachi originaliter profeſſi (cum iam ſupra Congregationum diuerſitatem amouerimus) ſed tantummodo idoneitatis, (vt ſic loquar) perſonarum: Reliqui autem ſuperiores eligantur vt inferius articulo XI. & pro primâ vice in electione Præſidis Generalis adhibeantur ſuffragia omnium eorum qui ſacerdotio ſũnt inſigniti, actualiterque profeſſi, aut etiam omnium profeſſorum qui ſaltem habeant triennium in habitu quamuis non ſint præsbyteri, aut (ſi videbitur ad maiorem pacem expedire) etiam omnium profeſſorum in Miſſione. Cæterum qui debeant aſſumi, tam ad Officium Præſidis, ſiue Generalis Miſſionis totius, quam ad alia Officia ſuperiorum, habeant ad minimum quinquennium aut ſeptennium in habitu, & ſi debeant regere conuentum aliquem extra Angliam, præterea debent vixiſſe ſaltem triennium in regulari obſeruantiâ in aliquo Conuentu, vt ita ipſe in ſe didicerit quod alios docere debeat. In primâ autem electione ille cenſeatur legitimè electus qui plura habeat ſuffragia, & in æqualitate ſuffragiorum, qui antiquior eſt in ordine, præferatur.

Superiorem quinquẽnem ſaltẽ in habitu, ex toto gremio indiſcriminatim eligi debere.

6. Habitus, & Cœremoniæ Congregationis Hiſpanicę ſeruentur, quia multò maxima pars etiam illi Anglicanæ Congregationis Monachi, qui in Conuentu vixerunt, habitu & cæremonijs illis ſunt educati: Imo Miſſio tota per 12. iam annos non fuit alteri habitui aut alijs cæremonijs vſu facta, nec per alios ritus in omnibus Miſſionis reſidentijs agnita, ideòque non ſine iniuriâ Congregationis, & obſeruantiæ ſuæ noſtri ab eis ſe auelli, aut alio habitu veſtiri patientur; nemo enim ignorat omnes omnium ordinum religioſos eſſe tenaciſſimos rituum ſuorum,

Cœremonias congregationis Hiſpanicę retinendas.

& cum tres partes Missionis sic vnitę ex Monachis Hispanicis debeant constitui, omnesque eius Residentiæ extra Hispaniam, & Italiam fuerint Monachorum Hispanicorum diligentiâ acquisitæ, & possessæ, nec arroganter nec iniqué postulant vt ipsorum potius habitus cœremoniæ, & disciplinæ retineantur, quorum & numerus, est triplo maior, & Residentiæ plures, nempe omnes, quas adhuc habet Missio, vt omittam alias comparationés.

7. Omnes item concedunt vnionem ita debere fieri, vt tamen Congregationi Hispanicæ, & Italicæ debitus honor seruetur. Id aliqui fieri existimant si superior Missionis, & Vicarius eius in Angliâ Capitulo Generali vtriusque Cõgregatioinis præsententur alternatim confirmãdi, cõtra tamen existimo omnem alternationem suspectam fote, & odiosam: neque dubito quin talis præsentatio Congregationi nostræ ingrata, & vmbratilis videbitur. Quare tribus modis posset cogitari aut iniri ratio, Cõgregationi Hispanicæ satisfaciendi, nam de Cassinensi, quamuis eam multum veneremur, non tantum laboramus, cum multò minus Missioni præstiterit quam Hispanica, & Cassinenses ipsi fratres nostri quod ipsis videbitur æquum proponent.

8. Primus modus est si Congregatio tota Missionis vniatur iuxta illos 4 articulos quos in vltimo Generali Capitulo Congregatio nobis præscripsit, & permisit, in quo etiam maior pars Congregationis Anglicanæ, nempe 5. de 7. professis, (tunc enim plures non erant) per subscriptiones suas consensit, licet auctoritate postea Cassinentium Monachorum ab hoc consensu suo resiliuerint: ponimus autem hunc modum primo loco, tum quia superioribus nostris magis placet, tum quia nihil videtur incommodi continere, quod non possit sine vllâ difficultate tolli, aut compensari, si modo aliarum Congregationum Monachi vellent eum modum amplecti.

9. Alter modus est vt pendeat quidem hæc Congregatio quocunque vocetur nomine à Congregatione Hispanicâ propter rationes inferius articulo 14. dicendas. Cæterum quoniam Monachi Caff. & Angl. Cong. objiciunt ita fieri posse vt ipsi plerumque in officijs alijsque omnibus Missionis prærogatiuis negligantur dum Patres Hispanici in suo capitulo Generali illos tantum verisimiliter velint præferre, qui de suâ essent originaliter Congregatione, aut à suis originaliter Monachis commendati; propterea ad hunc secundũ modum stabiliendum duo debent à Congregatione Hisp. obtineri: Primum est, vt liceat nobis, eo quo infra articulo 11. dicetur modo, conuenientibus, superiores Missionis omnes eligere quos Capitulo Generali Hisp. confirmandos deinceps præsentemus, sic vt electiones à nobis factas propter nullius priuatas informationes inuertat aut immutet, cum enim tam multi Hisp. Patribus penitus ignoti ad hanc vnionem sint accessuri tam multa etiam his in partibus occurrant præsertim in Angliâ à communi more Cong. Hisp. longe diuersa, de quibus non nisi per nos ipsos possint (vt sic dicam) informari, necessarium omninò est (si quidem Missionem velint benè pacificèque gubernari) vt prædicta nobis ordinanda relinquãt, nostramque in superioribus nostris electionem sequantur, non quam cuiuscunque, aut quorũcunque priuatorũ Monachorum relationes exprimant, sed quas totius Missionis publicus consensus exponat ipsis, & testificetur. Secundũ est, vt in decursu quadriennij communis appellatio à superioribus immediatis Missionis ad Hispaniam amputetur, iam enim satis longâ didicimus experientiâ, quod appellationes à Pręside Missionis ad R. Generalem Hisp. ob maximam locorum intercapedinem, & distantiam eneruet penitus omnem auctoritatem eorum qui Missionem gubernant, & facilè per eas erit cuiuis discolo, & contentioso fratri negotium superioribus suis facessere, & impunitatem licentiamque, saltem dum causæ cognitio diutius trahitur, obtinere. Hoc modo pendebit Congregatio Missionis à Congregatione Hispaniæ tamquam filia dilecta a piâ matre, quę eam quam peperit adhuc minorem dirigit, & sustentat.

10. Tertius Modus vt Congregatio sic erecta, & vnita à nullâ aliâ pendeat Congregatione sed more aliarũ Congregationum independẽtium Sanctitati suæ immediatè subijciatur ab omnibus alijs locorum Ordinarijs exempta sit, à proprio Superiore seu Generali regatur cum amplissimâ potestate gubernandi Missionem totam tam in Angliâ, quam extra Angliam, addaturque Congregationi sic à Sanctitate suâ immediatè pendenti votum Missionis in Angliam suscipiendę, quod includat ingressum in Angliam, & egressum inde, quotiescunque Superior Missionis iuxta eius statuta mandauerit: in hoc etiam modo Congregationi Hispanicæ non paruus honor defertur, dum eius habitus, & disciplina in Missione retinetur, eamque Missio colet honorabitque tanquã filia emancipata genetricem, à quâ fuit in dilectione procreata, & educata. Cæterum in hoc modo prouidendum est vt, qui maluerint Missioni renunciare quam Congregationi suę, possint ad ipsam redire si voluerint, aut vocentur.

Modum disciplinę relinquendũ Primo Capitulo Generali discutiẽdum.

11. Quicunque horum modorum admittatur seruari cupimus omnia, quæ sex primis articulis proposita sunt, alia autem omnia, quæ pertinent ad formam regiminis, numerum, & aucto-

ritatem & electionem Superiorum, obseruantiam Religionis, conuictumque conuentualem, & Collegialem in Angliâ, & extra Angliam relinquantur discutienda primò Capitulo Generali Missionis hoc pacto quo sequitur. Orandus est primò Sũmus Pontifex vt breui Apostolico quo essentiales vnionis conditiones, (à quibus nullatenus liceat recedere, & de quibus hucusque agimus) confirmabuntur & stabilientur, mandet etiã Superioribus Missionis pro tempore existentibus, vt primo statim tempore indicant conuentum nouem Definitorum, qui habeant à sua Sãctitate auctoritatẽ & à totâ Missione plenarium consensum prędicta omnia (initio huius art.) determinandi, & Superioris Missionis iam vnitæ eligendi: hi autem nouem Definitores ex toto gremio Missionis per pluralitatem suffragiorum omnium eorum, qui sunt in Missione professi, eligantur, statim enim vt superiores Missionis pro tempore existentes acceperint mandatum pontificium prędictum in quâuis Residentiâ, computatâ totâ Angliâ hac vice pro vnâ tantum Residentiâ, superior Residentiæ conuocato in Capitulum Conuentu, præmissisque solitis exhortationibus & iuramentis requisitis, procedat primò ad electionem duorum scrutatorum, qui sint ex illâ Residentiâ, per pluralitatem suffragiorum ita vt in quos plura suffragia conueniant ij censeantur legitimè electi, & in æqualitate suffragiorum antiquior habitu præferatur, (quod semel dictum de omni aliâ electione intelligatur) Scrutatores sic electi per vota secreta, præstent iuramentum in manibus maioris in conuentu de fidelitate, & secreto: deinde secundò procedatur per vota itidem secreta ad electionem nouem Definitorum ex gremio totius Missionis (vt dicimus) faciendam, quę suffragia computabunt scrutatores, & notantes qui plura habuerunt, non manifestabunt sed in chartâ clausâ scribent, & diligenter obsignabunt, & sic inscribent suffragia talis Residentiæ pro electione nouem Definitorum, &c.†

† Omissa sunt alia huius articuli; quia pertinebant solum ad modum scrutinij.

12. Quicunque autem, &c.*

* Omissa est hæc clausula, ne quem exasperaremus.

13. Cæterum quęcunque fiat vnio statuendum primò vt in Collegio Sancti Gregorij Duaceno seruentur inuiolabiliter pacta, & promissa à Congregatione Hisp. R. D. Philippo Abbati Vedastino pręstantissimo Patrono nostro facta; cuius vnius magnificentiâ, authoritate, & consilijs hucusque Missio nostra stetit: ea autem pacta continent imprimis fidelitatem erga ipsum, & ipsius Monasterium nempe vt nullo vnquam tempore, aut modo Missio nostra in ipsius aut Monasterij aut dependentiarum illius bona vlla aliquid prætendat directè, aut indirectè præterquam quæ ipse aut eius successores sponte concesserint, & eo prorsus modo quo concesserint, agnitionem item synceram quod proprietas domus Sancti Gregorij ad ipsum R. Abbatem & Monasterium ipsius tantum pertineat; Officium tandem, & prorogatiuam visitatoris Monachorum in dicto Collegio ex Missione nostrâ degentium, & conseruatoris totius Missionis per Belgium quodque nullus in dicto Collegio superior nisi ipso consentiente, & approbante sit introducendus.

Seruandas Abbati Vedastino pactas conditiones.

14. Quod si suæ Sanctitati videbitur expedire vt iuxta modum 3. Missio Hispanica à Congregationis Hisp. obedientiâ separetur considerandum prius est diligenter quanta perdamus eo in casu: 1. ius ad ea Monasteria, in quibus professi sumus, redeũdi, si viribus aut senio fracti aut quâuis aliâ de causâ cupiunt aliqui nostrûm ad ea se recipere, quadraginta sunt, qui in ipsâ Hispaniâ professi sunt, & educati quibus profectò durissimũ erit ab amantissimis Patribus & à Religiosissimis Monasterijs abscindi, in quibus incredibili cũ pietate, & amore fuerũt in regularibus disciplinis, & sacrarum literarum studijs enutriti. 2. Subsidium magnum pro Monachis deinceps in spem Missionis educandis, nam quamuis non sit nobis alibi vnde nouitios aleremus Congregatio hæc quamdiu quidem ab illâ pendemus sustentabit pro Monasterijs, & Collegijs suis 8. aut 12. Monachos perpetuò quibus ad maturitatem productis totidem alij succedant. 3. Spes quasi certa pensionis ex Hispaniâ futuræ, quam hucusque impeditam existimamus ex hac controuersiâ quæ videtur in odium Hispanicæ authoritatis à nonnullis excitata. 4. Probabile valdè obtenturos nos in ipsâ Hispaniâ Cœnobium pro solâ Missione seorsim dotatum, etiam non obscura promissio illius intercessit. 5. Patrocinium maximè necessarium quo in difficultatibus insurgentibus indigere possimus, (& fæliciter vsi fuimus hactenus) in quibus Regis Catholici, & Principum Austriacorum auctoritate opus fuerit: & perpendendum quod forsitan maxima pars eorum, qui in Hispaniâ professi fuere, potius desererent Missionem quam Congregationis suæ obedientiam, qui etiam (absit odiosa omnis comparatio) præstantissima, & potissima pars sunt Missionis in Angliâ, & extra Angliam.

Quam damnosum videatur penitus separari à Congregatione Hispanicâ.

15. Quod si sua Sanctitas possit hoc à Congregatione Hispanicâ impetrare, vt omnia hęc nobis impendere nobis vellent beneficia etiamsi ab illâ separati & suæ Sanctitati tantummodo subiecti immediatè essemus minus esset præiudiciale, sed vix videtur credibile posse hoc à Congregatione obtineri. Quare, si ius ad tantam talemque Congregationem auferatur à nobis, optandum

In casu omnimodæ separationis.

tandum

illa incōmoda alijs cōmodis esse pēsanda.

tandum est vt æquale remedium compensatioque similis excogitetur, vt si, V.G. suę Sanctitatis auctoritate, Romæ conuentus aliquis pro Missione sic vnitâ institueretur, in quo superior Missionis degens sub ipsius Pontificis aspectu maiori cum auctoritate, & fructu Missionem alijs omnibus in locis regeret: nam ita posset facilius impetrari, vt etiam in alijs Congregationibus & Monasterijs Ordinis nostri, fætus nouus Missionis educaretur.

Nolle se ab Hispanicâ separari, nisi Pōtifex iubeat.

16. Hæc sunt Illustrissime Domine quæ habui proponenda conformia his quæ hactenus Illustriss. Dominationi vestrę significaui, quibus iterum addo quod initio dixi, quod ego, fratresque mei, qui meam hactenus secuti sunt authoritatem in hac controuersiâ nullatenus vellemus (si nobis electio daretur) à Congregatione Hispanicâ, separari idque non sine maximis rationibus; tamen quia filij sumus obedientiæ parati sumus, & erimus sine vllâ tergiuersatione, aut morâ illud omne suscipere quod in hac totâ causâ videbitur Sanctissimo Domino diffiniendum, & determinandū; tantum obnixius supplicamus Illustrissimam Dominationē vestram vt dignetur instare apud Illustrissimos DD. Cardinales quatenus citò finis imponatur huic nostrę controuersiæ, ne sub tanto litium, & sumptuum pondere deficiant, & succumbant illi qui maximè omnium parati sunt Sanctissimi Domini auctoritatem pro exiguitate virium suarum fideliter propugnare. Subscriptū: Illustrissimę Dominationi vestræ indignus in Christo seruus & cliens F. Leand. de Sancto Martino præsbyter, Vicarius Missionis Hisp. S. Theologiæ Doctor, & in hac academiâ Duacenâ linguæ sacræ professor Regius. F. Rudesindus Barlo, presbyter Prior Sancti Gregorij, dicti R. P. Vicarij assistens, S. Theologiæ Doctor & professor in Collegio S. Greg. Duaceno. F Ioannes Barnesius Doctor in artibus, pro tempore Missionis nostræ assistens, Superior Benedictinorum Cong. Hisp. in Collegio Marchianensi degentium, & in eodem Primarius professor publicus. F. Thomas Grinæus præsbyter Collegij Gregoriani Regens, S. Theol. Licentiatus & professor eiusdem in dicto Collegio. F. Thomas Torquatus presbyter, & professor Primarius in Collegio Marchianensi. F. Anselmus Crouderus præsbyter, & Subregens in Collegio Marchianensi. F. Guilielmus de S. Martino præsbyter, & Collegij S. Gregorij Oeconomus. F. Franciscus de Onna præsbyter Concionator. F. Gregorius Hungatus præsbyter Theologus. F. Bonifacius Wilford, præsbyter Theologus, F. Thom. Moningtonus præsbyter Theologus. F. Robertus de S. Mariâ presbyter Theologus. F. Cælestinus Trembius præsbyter Theologus. F. Ildefonsus de S. Gregorio præsbyter, & professor publicus Philosophiæ in Collegio Marchianensi, F. Antonius de S. Guilielmo Philosophus, F. Iacobus de S. Gregorio Theologus. F. Deodatus de S. Mariâ Theologus. F. Maurus de S. Ioanne Theologus. F. Maurus de S. Mariâ Theologus. F. Dunstanus de S. Ioanne Theologus. F. Ambrosius de S. Eduardo Theologus.

Similiter & aliarum Residentiarum per Galliam Monachi scripserunt.

SCRIPTVRA. XX.

Copia protestationis à tribus Procuratoribus factæ pro sincerâ vnionis intentione.

NOs infrascripti, tractaturi de vnione omnium Monachorum Anglorum Congregationis Cassinensis, Hispanicæ, & Anglicanæ in vnum corpus: protestamur in verbo Religiosorum, & Sacerdotum, nos velle sincerè, & quantum possumus efficaciter conari, vt procuremus vnionem; quibus in conatibus primum, & principaliter agemus, & proponemus ante oculos nostros conuersionem Angliæ per Missionem Apostolicam: deinde, & proximo loco promotionem Congregationis Anglicanæ Benedictinorum Monachorum, antiquamque successionē Anglicanæ, quodque nec quæremus, nec prosequemur, aut priuatum interesse, vel lucrum, vel commodum nostrum: nec interesse, decus aut commodum amicorum, aut Congregationum nostrarum (saluo semper pietatis, & gratitudinis officio, quod eisdem Congregationibus debemus) in vllâ re alicuius momenti; quæ possit esse coniuncta cum præiudicio Congregationis Anglicanæ prædictæ. Ego D. Anselmus de Mancestria Monachus Congrega-

Congregationis Cassinensis ita affirmo, vt supra. Ego F. Benedictus Ionesius Monachus professus Congregationis Hispanicæ assero, & affirmo idem. Ego D. Sigebertus Bagshaw Monachus Congregationis Angliæ idem affirmo. Testes veritatis huius actus R.I. R.I.

Copia actus circa idem ab ijsdem facti.

COncordatum est inter Procuratores infrascriptos, D. Doctorem T. Et D. I. pro, & in nomine, ac potestate nationis Angl. ita cōstitui debere iudices arbitros opinionū vtriusque partis vt auditis vniuscuiusque partis rationibus in particulari, in quâuis difficultate, vel controuersiâ interdictos Procuratores exrtâ, possint difficultatem seu controuersiam, cum dictorum Procuratorum opinionibus, & argumentis proponere Illust. DD. Cardin & ipsorum Illust. DD. vrgere sollicitè ad difficultatum dictarum decisionem, præhabitâ prius notitiâ vnitarum seu consentientium opinionum dictorum nobilium Arbitrorum, aut aliorum, quorum iudicio dicti Procuratores se submiserint, eo in casu, quo prædicti nobiles viri suas proponent opiniones tanquam resolutiones in occurrentibus illis difficultatibus necessarias pro bono Ecclesiæ Anglicanæ, vnà cum firmamentis talium resolutionum suarum. Vlterius etiam promittunt sese cum prædictis nobilibus Arbitris, concursuros ad prædictas resolutiones, ad debitum effectum perducendas, reseruato semper in omnibus, & singulis officio, quod suis quisque eorum debet Congregationibus, & hoc à se dicunt ideo fieri, vt facilior habeatur, controuersiarum determinatio. Ego D. Anselmus à Mancestria, consentiens subscribo, & promitto. Ego. F. Benedictus Ionesius pariter. Ego D. Sigebertus, similiter. Testes promissionis R.I. R.I.

SCRIPTVRA. XXI.

Exemplar literarum Illustrissimi Cardinalis Bellarmini ad R. P. Leandrum Vicarium Missionis Generalem.

ADmodum Reuerende Pater: distuli responsum dare literis Paternitatis Vestrę, datis die 30. Iulij, anni superioris, quia sperabam breui, negotium posse finiri, & aliquid recti à me posse scribi: sed quoniam negotia Romana, cum sint plurima, non tàm breuiter finiuntur, nolui diutius differre responsum. Accepi igitur à R. P. V. per D. Sigebertum literas, & breuiculum vnionis, & alias scripturas idem negotium concernentes. Sed iam non semel de hac re in Congregatione Sancti Officij colloquuti sumus: & probauimus diligentiam, & ingenium, ac iudicium D. Sigeberti. Et quamuis nondum sit res tota ad exitum perducta, tamen speramus breui omnia finienda, & D. Sigebertum, re confectâ, cum gaudio ad vos reuersurum, Domnus Anselmus, qui pro Cassinensibus agit, nonnihil resistet: sed cum Cassinenses tam procul absint ab Angliâ, fortasse non erit inutile, vt non adiungantur Congregationi Anglicanę, & satis erit, si Angli ex Hispaniâ, Galliâ, & Belgio in vnum conueniant, & coniunctis viribus in eodem spiritu adoriantur portas inferorum, quæ cum sanctis in Angliâ bellum gerunt. Valeat R. P. Vestra mei memor in sanctis præcibus suis. Romæ 22. Martij, 1616. Subscriptum. Admodum R. P. V. vti frater in Christo Robertus Cardinalis Bellarminus.

SCRIPTVRA. XXII.

Decretum Sanctissimi D. N. Pauli diuinâ prouidentiâ Papæ quinti de nouem Definitoribus eligendis pro vnione constituendâ, eiusdemque decreti promulgatio.

NOs Robertus miseratione diuinâ S. Romanæ Ecclesiæ præsbyter, Cardinalis Vbaldinus apud Christianissimum Dominum D. Ludouicum Tertiumdecimum Gallię, & Nauarræ Regem, pro Sanctissimo Domino N. D. Paulo diuinâ prouidentiâ Papâ Quinto degens, &c. Vniuersis ac singulis, ad quos præsentes peruenerint, pateat, ac notum

notum ſit, Nos acceptis literis Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini mei, Domini Cardinalis Millini ſub datum Romæ, die decimâ octauâ Iunij proximè præteriti vnâ cum decreto Congregationis S. Romæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis tenoris infraſcripti, videlicet. Feriâ quintâ, 19. die Maij, 1616. in Generali Congregatione S. Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habitâ in Palatio Apoſtolico, Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo Domino N. D. Paulo Diuinâ prouidentiâ Papâ Quintò, ac Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Dominis Cardinalibus contra hęreticam prauitatem in tota Republicâ Chriſtianâ Generalibus Inquiſitoribus à Sanctâ Sede Apoſtolicâ ſpecialiter deputatis. Factâ relatione tractatus habiti inter Procuratores Monachorum Anglorum Ordinis S. Benedicti, Miſſionis Anglicanæ Congregationum Hiſpanicæ, Caſſinenſis, & Anglicæ, de Vnione inter eos faciendâ, & relatis difficultatibus hinc inde à Procuratoribus prædictis latè propoſitis: Sanctiſſimus decreuit vt fiat vnio, ſicut inter duarũ Congregationũ Monachos hactenus concordatum eſt, atque conuentum, licet tertia Congregatio adhuc non cõcordet, & in hunc, qui ſubijcitur, modum inchoetur, videlicet. Eligantur Nouem Definitores ex toto Miſſionis gremio, nullo huius, aut illius dictarum Congregationum habito reſpectu; ſed ij tantum eligantur, qui in eligentium conſcientiâ iudicabuntur ſanctitate, virtute, prudentiâ, & religionis vſu præſtantiores, & magis idonei. In electione faciendâ dent ſuffragia omnes profeſſi, & ille intelligatur electus, qui habuerit plura ſuffragia, iuxta modum, & formam præſcribendam à Nuncio Franciæ. Prædicti Definitores facultatem habeant ordinandi ea, quæ ad Miſſionem pertinent, ad electionem aliorum Officialium, ad gubernationem Conuentuum, & Reſidentiarum ad ſtudia, ad habitum, officium, cæremonias, & alia, quæ ad Miſſionem promouendam, & perficiendam iudicabuntur idonea. Ordinationes ſeu leges, quas ſuper eis confecerint, mittant quam primum ad Vrbem, ad hanc Sacram Congregationem cum explicatione difficultatum, ſi quæ occurrant, vt plenè tandem ſuper toto negotio deliberetur: Quę quidem ordinationes executioni non mandentur antequam ſint approbatæ à S. Sede Apoſtolicâ. Sic ſignatum. Andræas de Pettinis S. Romanæ, Vniuerſalis Inquiſitionis Notarius, ac ſigillatum in cęrâ rubrâ. Volentes mandatum dicti S. D. Papæ per dictas literas circa præmiſſa nobis iniunctum debitâ cum reuerentiâ ac diligentiâ exequi: decreuiſſe copiam eiuſdem Decreti ad vos tranſmittere, prout per præſentes tranſmittimus vobis expreſsè mandantes, vt cum primùm hę noſtræ, & vnicuique veſtrum redditæ fuerint, ad executionem contentorum in prædicto Decreto omninò procedatis, & per Monachos vobis ſubditos procedi curetis, & reipſâ faciatis, ipſis diſtrictè iniungentes, & mandantes, vt poſtquam prædicti Decreti per vos eiuſdem notificandi plenam notitiam habuerint, ſinguli eos ſtatim nominent, & eligant nouem Definitores ex toto Miſſionis gremio, nullo trium Congregationum habito reſpectu, quos in conſcienciâ iudicabunt ſanctitate, virtute, prudentiâ, & Religionis vſu præſtantiores, & magis idoneos: quam nominationem, & electionem liberè, & per ſecreta ſuffragia faciant, ita vt vnuſquiſque ſuum ſuffragium, & votum à propriâ conſcientiâ dictatum, non autem ad inſtantiam, & præces, ſeu in gratiam alicuius datum, manu propriâ ſubſcriptum, & obſignatum ad R. D. Nuncium Apoſtolicum in hoc Gallię Regno commorantem, omni morâ poſtpoſitâ mittere teneamini, alijque veſtri Monachi vobis ſubditi remittere teneantur intra ſpatium trium menſium ſequentium; vt mox idem D. Nuncius editis nominibus nouem Monachorum, qui inter alios plura habuerint ſuffragia, illos ipſos declaret Definitores, ac ijſdem tempus, & locum indicet, intra quod, & in quo inuicem conueniant acturi de ijs, quæ in præſenti Decreto continentur: vt aliquando tandem ordinentur, & firmentur ea, quæ ad Miſſionem perficiendam, & ad veram, ac ſtabilem vnionem inter Congregationum Monachos firmandam neceſſaria iudicabuntur. In quorum præmiſſorum fidem, & teſtimonium præſentes ſubſcripſimus, & ſubſignauimus, eaſque per dilectos noſtros D. Alexandrum Scappium Iuris Vtriuſque Doctorem, Auditorem noſtrum in noſtrâ Nunciaturâ, & Magiſtrum Thomam Gallot Clericum Pariſienſem, in Pontificio, & Cæſareo Iuribus Licentiatum Publicum, autoritate Apoſtolicâ, Venerabiliſque Curiæ Epiſcopalis Pariſienſis Notarium Iuratum in Regiſtris Epiſcopatus, & Præfecturæ Pariſienſis ſequendo edictum Regium, deſcriptum, & immatriculatum Pariſijs, in Vico Nouo B. Mariæ Virginis commorantem, noſtrum hac in parte Notarium fieri, ſubſcribi, & ſubſignari, ſigillique noſtri iuſſimus, & fecimus appoſitione communiri. Datum Pariſijs anno Domini 1616. Die 4. menſis Auguſti. Sic ſignatum. Rubertus Card. Vbaldinus. Et inferius. Alexander Scappius Auditor. Thomas Gallot Notarius Publicus qui ſupra. Et ſigillo dicti Illuſtriſſimi Cardinalis ſignatum.

SCRIPTVRA. XXIII.

Euocatio nouem definitorum iam electorum, facta per Illustrissimum Archiepiscopum Rhodiensem, nunc Cardinalem.

GVido Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Rhodiensis, Sanctissimi Domini N. Pauli diuinâ prouidentiâ Papæ Quinti, eiusdemque Sanctæ Sedis ad Christianissimum Ludouicum 13. Galliæ, & Nauarræ Regem Nuntius Apostolicus, Dilectis nobis in Christo, admodum Reuerendis Hispanicæ, & Anglicæ Congregationum Monachis sub regulâ D. Benedicti militantibus, & in Anglicanâ Missione laborantibus salutem. Cum ex mandato præfati Sanctissimi Domini N. Illustriss. & Reuerendissimus Dominus Rubertus Cardinalis Vbaldinus ad vos omnes Decreti cuiusdam facti in Generali Congregatione S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habitâ in Monte Quirinali 19. mensis Maij superioris anni 1616. copiam tranmiserit; in quo Decreto continebatur vt ad stabiliendam Vnionem, & concordiam inter dictarum Congregationũ Monachos ex toto Missionis gremio per libera, & secreta singulorum Monachorum suffragia nouem Definitores eligerentur, qui post factum dictorum suffragiorum scrutinium per Nuntium Apostolicum in Gallia commorantem ab ipso declarati de vniuersæ Missionis negotio, & vnione Congregationum faciendâ tractaturi conuenirent ad tempus, & locum, quæ futuro Conuentui idem Nuntius opportuna iudicaret, prout in dicto Sanctæ Inquisitionis Decreto, & in literis prædicti Illustriss. Domini Cardinalis Vbaldini desuper expeditis sub datum Parisijs Die 24. mensis Augusti supradicti anni latius continetur. Nos quoque volentes eiusdem Decreti tenorem, quatenus nos concernit, cum debitâ reuerentiâ, & diligentiâ exequi, acceptis hoc præsente mense Martio huius anni decurrentis vestris suffragijs penè omnibus, paucis admodum desideratis, quæ per locorum, & temporum difficultates haberi non potuerunt, eadem suffragia sollicitè admodum, & cum summâ curâ per nosipsos, & Ludouicum Sauanuccium in vtroque Iure, & Ioannem Roche in S. Theologiâ, Doctores, familiares nostros, discussimus, & examinauimus; & inuento demum quem volebamus certo, & indubitato nouem Definitorum numero, eorum nomina hac præsenti declaratione nostra vobis omnibus nota facimus, & manifestamus, quæ sunt videlicet, F. Leander de S. Martino Congregationis Hispanicæ Vicarius Generalis, D. Robertus Vincentius Sadleirus Anglicanæ Congregationis Pręses. F. Gabriel de S. Mariâ Prior Maclouiensis. F. Robertus Haddochius Hispanicæ Congregationis in Angliâ Superior. F. Rudesindus Barlo Prior Collegij S. Gregorij Duaci. D. Edouardus Maiheuus Dolouuarthensis Monasterij Prior. F. Benedictus Ionesius Assistens Vicarij in Angliâ. F. Thomas Torquatus Lathom Professor Philosophiæ Duaci. D. Sigebertus Bagshauus Anglicæ Congregationis Monachus. Quod etiam à nobis exigit officij nostri ratio, Definitoribus istis, sic vt præfertur, nominatis, & declaratis, in virtute Commissionis Apostolicę nobis factæ, maximè serio quo possumus modo præcipimus, & mandamus, vt omni dilatione remotâ ad diem primam Mensis Iunij proximè subsequentis Parisios huc ad domum seu Residentiam Ordinis sui simul omnes accelerent, & conueniant: vbi seruato inter se eodem dignitatis gradu, qui vnicuique competit vel ratione officij, quod modo gerit in Missione, vel antiquitatis in Religione agant ea omnia, & tractent, quæ ad vniuersam Missionem Ordinis sui quouis modo spectare possunt, ad electionem videlicet aliorum Officialium, ad gubernationem Conuentuum, & Residentiarum, ad studia, habitum, officium, cæremonias, cæteraque, quę in supradicto S. Officij Decreto plenius continentur. In quorum omnium fidem, & testimonium præsentes subsignauimus, & sigilli, quo in talibus vtimur, iussimus appositione muniri. Datum Parisijs Die 16. prædicti Mensis Martij anni 1617. Subsignatum G. Archiepiscopus Rhodiensis Nuntius Apostolicus. Et inferius. Ludouicus Sauanuccius Auditor. Ioannes Roche S. Theol. Doctor. Et sigillo dicti Illustriss. D. Nuntij munitum.

SCRIPTVRA. XXIV.

Confirmatio vnionis à Reuerendißimo Generali Congregationis Hiſpanicæ.

MAgiſter Frater Antonius de Caſtro Generalis Congregationis ſancti Benedicti in Hiſpaniâ, nec non etiam Anglicanæ, & Abbas Regalis Monaſterij Onienſis, &c. Cum ex literis ad nos tranſmiſſis, per Reuerendos Patres M. F. Leandrum de ſancto Martino in Miſſione Anglicanâ Vicarium noſtrum, M. F. Gabrielem de S. Mariâ, F. Robertum Haddoccium noſtrum Vicarium in Angliâ, M. F. Rudeſindum Barlo ſancti Gregorij Priorem, Fratrem Benedictum de S. Facundo, & F. Thomam à ſancto Torquato, qui omnes in vrbe Pariſiorum ſimul cum alijs iuſſu ſanctiſſimi Domini N. Papæ Pauli quinti Definitorum titulo decorati, ad ea decernenda, quæ magis vnioni congrua ipſis inter ſe viderentur, nouerimus eos poſt exactam rerum tractationem, vt magis ſtabilitati, & firmitati ſui ſtatus, vocationis, & Miſſionis conſulerent, ne regiminis diuiſio, ſuperiorum multiplicitas, legum, & cæremoniarum contrarietas, eos ſuãque Miſſionem in caſum pręcipitem darent, quandam vnionem (quam Anglicanam nuncupant) ſtatuiſſe, cui communi conſenſu ſubſcripſerunt; nec non etiam quaſdam conſtitutiones, ijs, quæ in Hiſpaniâ obſeruantur, addiderint quæ præſenti ſtatui in quo degunt neceſſariæ admodum ſunt viſæ: inſuper etiam duos ex eiſdem, Patribus, qui ſunt ex Miſſione, elegerint vt ex ijs quem maluerimus in Præſidem ſuæ vnionis, & Miſſionis Angliæ eligeremus, qui per quatuor continuos annos hoc titulo, & munere fungatur, hac tamen ſancitâ lege, ne munus ſuum obire poſſet, aut gubernationis, regiminiſque habenas tenere, niſi prius à nobis noſtriſque ſucceſſoribus tituli confirmationem obtineret: qua propter eorum præcibus ſupplicationique annuens, ne tam ſanctæ vnioni fideique catholicæ propagationi Monaſticoque Benedictino inſtituto obſtaculum ſimus, hac de re maturâ conſultatione pręmiſſâ, authoritate noſtrâ, quâ in hac parte fungimur, nobiſque à Patribus Congregatis in Capitulo Generali menſe Aprilis, anni 1617. ad id conceſſâ, omnia, & ſingula quæ à ſupradictis Patribus in Congregatione habita Pariſijs in ſupra dicto anno geſta ſunt de quorum tenore copia apud nos manet, eorum nominibus ſubſcripta, approbamus, confirmamus, ac tenore præſentium, quatenus opus eſt in ſuum vigorem, & valorem erigimus, ſtatuimus, vt firma, & valida apud omnes Patres eiuſdem Congregationis Anglicanę habeantur. In cuius fidem hoc proprio nomine ſubſcripſimus, ſigilloque noſtræ Congregationis, quo in ſimilibus rebus vtimur, communiuimus, & eiuſdem Congregationis à ſecretis nomine, & teſtimonio roboramus. Datum in noſtro Monaſterio Regali Onienſi Die 27. menſis Octobris anni 1617. Subſignatum: M. F. Antonius de Caſtro Generalis Congregationum Hiſpanicæ, & Anglicanę. Et infra: ex mandato Reuerendiſſimi Patris noſtri Generalis F. Emanuel Angles. Et ſigillo Congregationis Hiſpanicæ munitum.

SCRIPTVRA. XXV.

Breue Sanctiſsimi D. N. Pauli Papæ V. pro continuatione, reſtauratione, (ac de nouo ſi opus eſſet erectione) antiquæ Congregationis Anglicanæ.

PAVLVS PAPA V.

AD futuram rei memoriã. Ex incumbenti nobis deſuper Paſtoralis Officij debito, Religioſorum omnium proſperum, fælicemque ſtatum ſincero deſiderantes affectu, his quæ propterea prouide facta fuiſſe dicuntur, vt firma, & illibata perpetuo ſubſiſtant, libenter, cum à nobis petitur, Apoſtolicæ confirmationis robur adijcimus, ac alias deſuper eiuſdem officij partes fauorabiliter interponimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire,

expedire, ſanè pro parte dilectorum filiorum Monachorum Anglicorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Hiſpanicæ, & Anglicanæ, nobis nuper expoſitum fuit, quod aliàs in eorum Definitorio ſtatum, & decretum fuit, quod omnes Monachi Anglici dicti Ordinis, Congregationis Hiſpanicæ, & Anglicanæ, coaleſcerent in vnum Corpus, quod eſſet, & vocaretur Congregatio Anglicana, ita, vt per hanc coalitionem, & Corpus ſic vnitum continuaretur, & reſtauraretur, ac ſi opus eſſet, de nouo erigeretur, antiqua Congregatio Anglicana Ordinis S. Benedicti; quæ Congregatio Anglicana ſic ſtabilita regeretur ab vno ſuperiore vocato Præſide, qui extra Angliam reſideret, durante ſchiſmate; & à duobus Prouincialibus immediate ſub dicto Preſide in Anglia; parique modo à Prioribus Reſidentiarum ſeu Conuentuum extra Angliam, ac demum à certo etiam Definitorum numero; ac nulli omnino liceret, niſi dicto Præſidi vel licentiam ad hoc ab illo habenti facultates aliquas Miſſionis Apoſtolicæ, pro prædicto regno Angliæ, alicui Monacho Anglo Ordinis, & Congregationis Hiſpanicæ, & Anglicanæ huiuſmodi in poſterum concedere vel delegare: quodque Definitorium prædictum, in quo facta fuit hæc vnio, per omnia habeat vim Capituli Generalis; ac demum, quod Monachi Miſſionis iuramentum præſtarent coram Præſide, ſe acceſſuros ad Miſſionem, & vt ad hoc à dicto Præſide aſtringerentur, prout in ſcripturis deſuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, Monachi prædicti pro ſtatutorum, ac decretorum ceu Capitulorum huiuſmodi firmiori validitate, & ſubſiſtentiâ, illa Apoſtolicæ noſtræ confirmationis patrocinio communiri plurimum deſiderarent; nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, vt eis in præmiſſis opportune prouidere, ac aliàs, vt infra, indulgere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur; Nos igitur Monachos prædictos ſpecialibus fauoribus, ac gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, ac interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure vel ab homine quâuis occaſione, vel cauſâ latis, (ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant) ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatuta, & decreta ſeu capitula huiuſmodi authoritate Apoſtolicâ, & tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, ac ſingulos tam iuris quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus: ac inſuper Congregationi prædictæ ſic vt præfertur vnitæ, quod omnibus, & ſingulis Priuilegijs, gratijs, indultis, facultatibus, ac alijs prærogatiuis, tam Congregationi Hiſpanicæ, quam veteri Congregationi Anglicanæ dicti Ordinis, ſeu eidem Ordini in Angliâ à ſede Apoſtolicâ hactenus conceſſis (dummodo tamen ſint in vſu, nec reuocata, aut ſub aliquibus reuocationibus comprehenſa, ſacriſque Canonibus, & Concilij Tridentini decretis non aduerſentur) vt frui, & gaudere libere, & licite poſſit, & valeat, ijſdem authoritate, & tenore concedimus, & indulgemus, ac Priuilegia, gratias, indulta, facultates aliaſque prærogatiuas prædicta, ad Congregationem vnitam huiuſmodi extendimus, eaque illi de nouo quatenus opus ſit, concedimus. Decernentes omnes, & ſingulas facultates Miſſionis Apoſtolicæ prædictæ, eiſdem Monachis contra ſtatutorum, & decretorum huiuſmodi tenorem, quomodolibet conceſſas, vel delegatas, nullas, & inualidas nulliuſque roboris vel momenti fore, & eſſe præſentes vero literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, dictæque Congregationi ſic vt præfertur vnitæ in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quâuis authoritate) ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinis, & Congregationis huiuſmodi, etiam iuramento confirmatis, vel quâuis firmitate aliâ ſtatutis, & conſuetudinibus, Priuilegijs, quoque indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordini, & Congregationi, illorumque ſuperioribus, & perſonis, ſub quibuſcunque tenore, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, in contrarium præmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & Iuratis, quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium tenore præſentium pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus ceteriſque contrarijs quibuſcunque. Per præſentes autem non intendimus alijs Congregationibus vel Abbatibus exemptis dicti Ordinis aliquod præiudicium inferre. Datum Romae apud S. Mariam maiorem ſub annulo piſcatoris Die 23. Auguſti 1619. Pontificatus noſtri anno 15.

SCRIPTVRA. XXVI.

Licentia Reuerendissimi Generalis Hispaniæ pro acceptandâ vnione, & Breui Apostolico.

NOs Magister F. Antonius de Castro S. Theologiæ Magister, ac totius Benedictinæ Congregationis Hispanicæ de obseruantiâ, nec non & Congregationis, & Missionis Anglicanæ ab eâdem Hispanicâ depēdentis Generalis, &c. Venerabilibus nobisque dilectissimis filijs eiusdem Congregationis atque etiam Missionis nostræ Anglicanæ Patribus omnibus, & singulis per præsentes literas nostras notum fieri volumus, & manifestum, quia dilectis filijs nostris R.P. M. Leandro de S. Martino Congregationis Anglicanæ Præsidi electo, & à nobis confirmato, & Missionis etiam nostræ Vicario Generali, atque etiā electis, ac confirmatis Diffinitoribus eiusdem Congregationis Anglicanæ fecimus aliâs, & per præsentes literas nostras facimus, factamque esse declaramus plenissimam licentiam acceptandi Breue Apostolicum, quo statuta, ac leges vnionis Parisijs per nouem Definitores factæ confirmantur; nec non & se omnesque alios nostræ Missionis Monachos ijsdem legibus ac statutis subijciendi, sub nomine, & re Congregationis Anglicanæ ab Hispanicâ dependentis: in quam tam isti, quam omnes, Monachi Missionis nostræ vnâ cum alijs Monachis Anglis aliarum Congregationum, qui voluerint, & ab ipsis admissi fuerint, coalescere possint, ac debeant; saluâ nobis semper dependentiâ obedientiaque, & subiectione, quam per statuta dicta Parisiensia acceptatur, & per sua Chyrographa regimen eiusdem Congregationis Anglicanæ præstitit, ac promisit, & in posterum ex omni Capitulo suo Generali, sub Chyrographis, ac sigillo suo præstare tenebitur; omni facultate nostrâ illis concessâ aliâs nihil valiturâ. Et ne quod impedimentum tam S. vnioni objiciatur, cum nos omnes eius leges sciamus esse nostris statutis de verbo ad verbum pleneque conformes; & ea in quibus differant esse regulæ conformia, & talia, vt quamuis arctiora, tamen possint à nobis, & Capitulo nostro Generali Monachis nostris imponi: idcirco, cum Capitulum Generale elapsum nobis in hac parte disponendi res Monachorum Anglorum Congregationis nostræ plenam potestatem delegauerit, mandamus omnibus, & singulis Missionis nostræ Anglicanæ Monachis, siue in Congregationem Anglicanam à nobis dependentem coaptari voluerint, siue noluerint; & in virtute sanctæ obedientiæ iniungimus, ac sub formali præcepto præcipimus, quatenus R.P. Leandro de S. Martino Congregationis Anglicanæ Præsidi electo, & à nobis confirmato, atque vna Missionis nostræ Anglicanæ Vicario Generali secundum nostra, & Congregationis Anglicanæ statuta respectiuè sint per omnia obedientes siue in Angliâ, siue extra Angliam, & Diffinitoribus ac Prouincialibus, & Prioribus eiusdem Congregationis Anglicanæ etiam respectiuè nunc, & pro tempore futuro, tanquam nostram etiam in totâ Congregatione, & Missione Anglicanâ authoritatem respectiuè habentibus; & quidquid à nobis, & hac Congregatione Hispanicâ expectant, id omne ab ijsdem dictis Congregationis Anglicanæ superioribus expectent, secundum ordinationem nostram illis factam; qui autem noluerint illis secundum leges ipsorum obedire, careant omni iure in Congregatione nostrâ, neque enim tenemur illis, qui nostris noluerint obtemperare mandatis, plenâ, & legitimâ authoritate factis, qualiter hoc nostrum esse declaramus, tam à Capitulo Generali, quam à Priuilegijs Apostolicis potestate in nos ad illud deriuatâ. Sub eodem præcepto mandamus omnibus, & singulis vestrûm in virtute Sanctæ obedientiæ, ne quis vestrum audeat in Hispaniam venire, sine nostra expressâ in scriptis licentiâ concessâ. Itemque ne vllus vestrûm audeat in posterum vllum omnino ad habitum professionemque monachalem pro Missione Anglicana aut Congregatione nostrâ vestire, aut admittere, nisi tantum per expressam Præsidis, & superiorum Congregationis Anglicanæ licentiam: omnem enim aliter vestitum, ac professum nihil ad nostram Congregationem aut Missionem pertinere declaramus, in quorum fidem, & robur præsentem hanc nostram commissionem, declarationem, ac præceptionem, sub nostrâ, secretarijque nostri subscriptione, & sigillo Generalatus nostri dari, & expediri iussimus datum in nostro Monasterio sancti Martini Madriti, Die quarto mensis Aprilis, anni Domini 1619. Subsignatum: Magister F. Antonius à Castro vtriusque Congregationis Generalis. Et inferius: de mandato R. P. N. Generalis F. Emanuel Angles. Et sigillo R. Generalis munitum.

SCRIP-

SCRIPTVRA. XXVII.

Bulla S. D. N. D. Pij Papæ V.

Facultas, Quòd superiores ordinis Fratrum Prædicatorum in vnaquâque Prouinciâ possint Constituere etiam plures sui ordinis Fratres ab eis approbatos, in Notarios publicos, pro intimandis mandatis, & rescriptis Apostolicis publicam vel priuatam dicti ordinis vtilitatem concernentibus.

PIVS PAPA QVINTVS.

AD perpetuam rei memoriam, Debitum pastoralis officij nobis (meritis licet imparibus) ex alto comissi nos admonet, & inducit, vt circa Religionum quarumlibet, præsertim ordinis fratrum Prædicatorum sancti Dominici, (ad quem patrio quodam iure peculiarem gerimus paternæ charitatis affectum) statum prosperè dirigendumque, & rescripta Apostolica quæcunque publicam, ac aliàs priuatam dicti ordinis, & Fratrum siue monialium eiusdem vtilitatem concernentia per probos, & idoneos eiusdem ordinis Religiosos, personis, quibus opus fuerit, intimanda ac insinuanda, ac debitè exequenda, studijs inuigilemus assiduis, ac aliis omnibus illorum incommodis, & necessitatibus consulamus, pro vt in Domino conspicimus salubriter expedire. Cum itaque, sicut nobis dum in minoribus constituti essemus, satis comprobatum sit, quod Fratres Religiosi, & moniales dicti ordinis prædicatorum Fratrum, S. Dominici, siue ordinem ipsum, vel illius regulam profitentes, (quem quidem ordinem expresse professi sumus tam vniuersaliter, quam particulariter) quamplura damna, incomoda, & detrimenta patiuntur, & impensas sustinent, ex eo quod Notarij tam Clerici, quam laici seculares, etiam Apostolicâ, Imperiali, Regali, aut aliâ authoritate creati, & constituti in plerisque mundi partibus, Regionibus, Regnis, Prouincijs Dominijs, & locis existentes ex ijs oriundi siue aliàs inibi cõmorantes mandata, concessiones, gratias, Priuilegia, & indulta, aliaque rescripta Apostolica, tam in publicam, quam in priuatam vtilitatem emanata, siue concessa, & bonum, siue comodum publicum siue priuatum concernentia, Dominis temporalibus, siue potestatibus Regibusque, Ducibus, Principibus, Marchionibus, ac alijs Dominis, & personis quibus intimanda, siue insinuanda veniunt, ac intimare ac insinuare oportet, intimare, notificare, siue insinuare varijs cõfictis respectibus, recusant, siue non audent, contra eorundem officium liberum, & publicum exercitium, debitamque sedi Apostolicæ obedientiam, ac in non modicum publicæ, & priuatæ vtilitatis, & commodi præiudicium, & detrimentum. Nos igitur cupientes, quantum cum Deo possumus in præmissis ordini, & fratribus prȩfatis, ac etiam monialibus, ipsis de opportuno remedio prouidere, & dictis incomodis, detrimentis, expensis, & damnis eorum obuiare, neque mandata, priuilegia, gratias, concessiones, indulta, rescripta Apostolica, in genere vel in specie dicto ordini seu ipsius ordinis Magistro Generali, Prouincialibus, alijsque superioribus, Prioribus, & fratribus, & eorum singulis dictisque monialibus, siue earundem Abbatissis, & Priorissis, earumdem etiam singulis eiusdem ordinis, siue dictum ordinem, & illius regulam profitentibus quomodolibet in genere, vel in specie concessa, aliaque mandata, & rescripta Apostolica publicam vel priuatam ipsius ordinis vtilitatem, quomodolibet concernentia, & emanata ob id debito careant effectu, & vacua remaneant prouidere volentes, ipsosque ordinem vel illius Magistrum Generalem, Vicarium, Procuratorem, & Fratres ac Abbatissas, Priorissas, & Moniales, eorumque singulos, specialibus fauoribus, & gratijs prosequentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesia-

Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quâuis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon nomina, cognomina Magistri Generalis, Prouincialium, Vicariorum, ac dictarum Abbatissarum Priorissarum, & Monialium inuocationesque, denominationes, & dependentias Monasteriorum, Domorum, Conuentuum, & aliorum regularium locorum tam virorum, quam mulierum dicti ordinis, ac etiam mandatorum, concessionum indultorum, rescriptorum, aliarumque gratiarum tenores, præsentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis, super hoc oblatę petitionis instantiam, sed ex certâ nostrâ, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, modernis, & pro tempore existentibus dicti ordinis Magistro Generali, Vicarijs, & Prouincialibus, tam citra, quam vltra, ac aliâs vbilibet constitutis, quod in vnaquâque eorum Prouinciâ, vnum, duos, tres, quatuor vel quinque, aut plures, eis benè visos dicti ordinis Religiosos, seu Fratres, probos tamen, ac fide, & doctrinâ idoneos, & ab ipsis approbatos in Notarios creare, constituere, & deputare. Qui sic creati, constituti, & deputati, sine aliquo respectu, & omni cessante recusatione, liberè, quoties requisiti fuerint, omnia, & singula mandata, Priuilegia, concessiones gratias, & indulta Apostolicâ, aliaque tam Vniuersalia, quam particularia dicto ordini, ac quibusuis quæ de obseruantia sunt, tantum locis, domibus, conuentibus, Monasterijs, & ecclesijs tam virorum, quam mulierum, & seu eiusdem ordinis Magistro Generali, Prouincialibus Vicarijs, Prioribus, & alijs superioribus, fratribus, & Abbatissis, Priorissis, Monialibus, & alijs personis sub regulâ dictorum Fratrum degentibus, & quæ sunt obseruantiæ tantum in genere, vel in specie, & ad vniuersam, siue priuatam vtilitatem concessa, & emanata rescripta Apostolica, eisdē Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Dominis, alijsque personis Ecclesiasticis, & secularibus, quibuscunque vbi, & quoties opus fuerit, ac ad id requisiti fuerint, notificare, insinuare, & intimare; ac eosdem iuxta mandatorum, concessionum, indultorum, Priuilegiorum, & rescriptorum huiusmodi formam, continentiam, & tenorem monere, & requirere, aliaque omnia, & singula circa ea requisita, & opportuna facere, genere, exercere, & exequi, ac de ijsdem omnibus, & singulis, publicos, & publica actus, & instrumenta eorum testibus ad hoc requisitis, conficere, & stipularè, ac in notam redigere, & exinde semel, vel pluries, pro vt ad id requisiti fuerint vnum, vel plures, ac plura, publicos, & publica, actus, & instrumenta, quibus eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra, vbique, ac si per alios quoscunque publicos, & authenticos rogatos Notarios, stipulata, confecta, & publicata, & authentica, fuissent, conficere, & debitis signis, & characteribus, subscribere, publicare, & authenticare liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica authoritate, tenore præsentium licentiam, & facultatem impartimur, concedimus, & indulgemus, eisdemque actis, notis, instrumentis, & scripturis per prædictos Religiosos, vt præfertur, authenticatis plenam, & indubitatam fidem vbique, tam in iudicio, quam extra adhibere, ac eosdem sic intimatos, monitos, & requisitos eis afficere, & arctari debere, volumus, statuimus, & ordinamus. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientię, & indignationis nostræ, ac suspensionis à Diuinis, quo ad Archiepiscopos, Episcopos, quo ad alios verò inferiores, sub maioris excommunicationis, Latæ sententiæ pœnis, locorum ordinarijs, & alijs quibusuis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, & quâcumque etiam dictæ sedis authoritate, facultate, seu potestate etiam Legati de latere, ac Cardinalibus, Cardinalatus honore fulgentibus, ne ipsos Notarios vt præfertur deputatos, & electos siue eorum, aliquem in executione supradictorum omnium quouis modo impediant, vel impedire, aut perturbare audeant, vel præsumant, ac decernentes præsentes litteras, nullo vmquam tempore, de subreptionis, vel oppressionis, aut nullitatis, seu intentionis nostræ vitio, seu defectu notari, seu impugnari, ac sub quibusuis reuocationibus, derogationibus, & alijs contrarijs dispositionibus à nobis, vel successoribus nostris emanendis compræhensas, sed semper ab illis exceptas existere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum, & validissimum etiam sub data per eosdem Magistrum Generalem, Prouinciales, & alios supra nominatos eligenda, concessas, restitutas, & plenariè reintegratas existere. Et sic per quoscumque iudices, & commissarios, quâuis authoritate fungentes, etiam causarum palatij Apostolici auditores S. R. E. Cardinales sublatâ eis, & eorum cuilibet, quâuis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum & inane quidquid secus super his à quoquam quâuis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa dilectis filijs Iacobo, tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin præsbytero Cardinali, de sabellis nuncupato, nostro in alma vrbe Vicario, & curiæ causarum cameræ Apostolicæ Generali auditori, ac cancellariæ Apostolicæ regenti

regenti, nunc & pro tempore existentibus per præsentes, motu simili, mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magistri Generalis, procuratoris, Prouincialium, & aliorum prædictorum, seu alicuius eorum requisiti fuerint, solemniter publicantes eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistẽtes, faciant authoritate nostra illos, & eorum singulos indulto concessione, volũtate, statuto, ordinatione: mãdato, & decreto nostris huiusmodi iuxta eorũdẽ præsentiũ tenorẽ pacifice frui, & gaudere nõ permittentes eos desuper per quoscũque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias censuras, & pœnas Ecclesiasticas ac aliã Iuris remedia, apellatione, postposita cõpescendo, ac legitimis super his habendis, seruatis processibus, sententias, censuras & pœnas prędictas, etiam iteratis vicibus agrauando inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis non obstantibus felicis recordationis Bonifacij Papę octaui prædecessaris nostri de vna & concilij Generalis deduabus dietis dummodo quis authoritate præsentium vltra tres dietas ad iudicium non trahatur alijsque quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis nec non in Propincialibus, & sinodalibus Concilijs edictis Generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac etiam iuramento Confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roborantis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis etiam dictæ sedis de latere delegatis nuncijs locorum ordinarijs, & alijs quibusuis personis, in præiudicium pręmissorum per quoscumque Romanos Pontifices etiam prædecesso res nostros, ac nos, & sedem præfatam, tam sub plumbo, quam in forma breuis, & etiam motu, & scientia similibus concessis approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas Generales idem importantes, mentio, seu quæuis aliã expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil pęnitus omisso, & forma in ills tradita obseruata, inserta forent, pręsentibus, pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus ceterisque contrarijs quibuscunque aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod transumptis præsentium, manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra vbique locorum adhibeatur, & adhiberi debeat, quæ literis ipsis originalibus adhiberetur, si exhibitæ forent, vel ostense. Datum Romę apud S. Petrum sub annulo piscatoris die vigesimo primo Martij millesimo quingentesimo septuagesimo, pontificatus nostri anno sexto.

SCRIPTVRA. XXVIII.

Promulgatio Breuis Pontificij pro vnione, & Congregatione Angliæ erigendâ.

In Christi nomine Amen.

FRater Leander de S. Martino præsbyter, & Monachus S. Benedicti, Sacræ Theologiæ Doctor, Vicarius Generalis Benedictinorum Anglorum Congregationis Hispanicæ, omnibus ac singulis præsbyteris, ac Monachis expresse professis eiusdem Congregationis, tam in Anglia, quam extra eam degentibus, salutem in totius salutis autore. Cum Reuerendissimus in Christo Pater noster M. Antonius de Castro sanctæ Congregationis nostræ Generalis, cui tota Congregatio in Capitulo suo Generali proximè elapso plenariam delegauit de rebus, ac personis Missionis suę Anglicanę disponendi autoritatem (prout constat ex varijs eiusdem Reuerendissimi Patris nostri rescriptis ab ipso, & Secretario ipsius subscriptis, cuius subscriptio per totam Congregationem nostram fidem facit irrefragibilem) consenserit, ac permiserit, consentiatque ac permittat, diuersis instrumentis autenticis de hoc suo consensu, ac permissione

Missione ad nos transmissis, vti breue Apostolicum Sanctissimi Domini Pauli Papæ V. confirmatorium vnionis inter Monachos Benedictinos Anglos factæ Parisijs, (ab ipso etiam Generali Definitoribusque Congregationis Hispanicę, approbatæ) acceptetur, promulgetur, & publicetur, legesque prædictæ vnionis exequutioni mandentur per totam Missionem; cumque propter Priuilegia Apostolica diuersaque Congregationis statuta non liceat nobis ab autoritate Capituli Generalis (quæ ipsi Generali nostro, vt pręfertur, in hoc casu fuit delegata) ad alia tribunalia quęcunque extra Congregationis gremium appellare; Habito etiam consilio, & consensu Reuerendissimi Domini Philippi Abbatis Vedastini Patroni nostri (ad quem in grauioribus causis recurrere nos voluit sancta Congregatio;) Nec non & de speciali instantiâ D. Patris Placidi Roias Procuratoris Generalis in Curiâ Romanâ pro Congregatione Hispanicâ, hoc ipsum penitus expedire, vt quamprimum fiat, asserentis: idcircò præmissâ maturâ deliberatione cum Reuerendis Patribus P. Torquato Latham, P. Edoardo Maheu, P. Bernardo Beringtono, P. Rudesindo Barlo quibus rem hanc specialius examinandam Reuerendissimus Pater noster Generalis, & leges conuentus nostri seu Capituli Parisiensis commiserunt (neque enim per statuta nostra licet negotia grauia Congregationis per externos officiales insinuare, sed omnia sine iuris strepitu inter nos ipsos transigere tenemur;) idcircò (inquam) per præsentes literas nostras mandamus in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis Residentiarum seu Conuentuum Missionis nostræ Benedictinæ superioribus quatenus infra vigintiquatuor horas postquam has literas nostras receperint vna cum authentica copia Breuis Apostolici, & mandati Reuerendissimi Generalis nostri desuper illo Breui, & vnione acceptandis expediti, statim coram subditis sibi Monachis in vnum conuocatis, prædictum Breue Apostolicum, & Reuerendissimi Generalis nostri mandatum promulgari, legique, clarâ, ac intelligibili voce faciant, & procurent: incipiendo in conuentu S. Gregorij Duaceni, deinde in Collegio Marchianensi, exin in Residentiâ Parisiensi, ac inde mittantur ad Callensem. à qua ad Conuētum progrediantur Maclouiensem; nam ad Angliā, & Lotharingiā alijs vijs, alijs, quæ modis scribimus. Teneantur autē omnes dicti superiores dorso huius nostri mandati vel alijs literis inscribere diem promulgationis, & eorum nomina, qui vnionem præfatam acceptare iuxta ipsum Reuerendissimi Generalis mandatum voluerint, eique se subijcere; quatenus ita possimus per eorum suffragia ad superiorum conuentualium electionem procedere, Quoniam licet omnibus illis, qui etiā nolint pro causis sibi cognitis vnionem acceptare, exhibituri simus in nostris residētijs omnem charitatem, & commoditatem, sicut hactenus habuerint, & meliori, si potuerimus, modo, quamdiu ipsi (de quo minime dubitamus) pacificè, & Religiosè iuxta leges, & mores Residentijs nostris peculiares viuere voluerint: superiores tamen dictarum Residentiarum, non nisi de numero eorum, qui dictæ vnionis se subiecerint, eligi possunt ac debent; saluis nihilominus vnicuique aliorum alijs omnibus iuribus, ac Priuilegijs, quibus hactenus vti ac frui licitè soliti sunt, & potuerunt. Datum Duaci in Collegio S. Gregorij. 3. Septembris, 1619. subsignatum, F. Leander de S. Martino Vicarius Generalis Benedictinorum Anglorum Congregationis Hispanicæ.

SCRIPTVRA. XXIX.

Acceptatio Breuis Apostolici.

NOs infrascripti: Notarij Apostolici testamur hoc nostro Chirographo R. P. Leandrū de S. Martino Vicarium Generalem Congregationis Hispanicæ Conuocatis omnibus Patribus, & fratribus Professis vtriusque Congregationis Hispanicę, & Anglicæ in hoc Conuentu S. Gregorij residentibus, quorum nomina sunt R. P. Rudesindus Barlo eiusdem Conuentus Prior, R. P. Petrus Wilcoxe, R. P. Columbanus Malonus, R. P. Nicolaus Stephani, R. P. Iosephus Lathom, F. Deodatus L. Angeuin, F. Franciscus Constable, F. Placidus de S. Ioanne consentiente R. P. Claudio de S. Benedicto qui propter infirmitatem interesse personaliter non potuit; & consentiente etiam R. P. Paulino Greenwood, qui vrgentibus de causis peregrè profectus fuerat: promulgasse Breue Apostolicum Congregationis Anglicanę erectorium, & confirmatorium, hoc ordine, primo curando legi scriptū Generalis nostri Reuerendissimi Hispanici quo forma vnionis, legesque Parisijs à nouem Definitoribus factæ approbantur

probantur & confirmantur: Deinde mandatum suum de promulgatione Breuis Apostolici, & decreti Præfati Generalis nostri Reuerendissimi de eo acceptando: tum ipsum Generalis Decretum, ac deinde Definitorum, seu Deputatorum, pro eiusdem vnionis acceptatione consensum: deinde ipsum Breue apostolicum: postea quatuor Definitorum electionem, & aliquot eorum iuramentum in ipso conuentu publicè factum: tum electionem R. P. Leandri de S. Martino in Presidē Congregationis Anglicanæ, ac deinde eiusdem electionis ac nominationis à Reuerendissimo Generali Hispanico factam confirmationem: Quibus factis, idem R. P. Preses iuramentum legibus statutum in manu primi Definitoris ibidem præsentis præstitit, Fideique Professionem secundum Concilij Tridentini ordinationem emisit: totusque Conuentus, & omnes Patres Predicti, & prenominati ei obedientiam prestiterunt, & Breue Apostolicum acceptarunt, Congregationi Anglicanæ & legibus ipsius sese subiecerunt, Hymno gratiarum de more dicto: in quorum omnium fidem, nomina nostra subscripsimus. Datum in Collegio S. Gregorij. Die 5. Mensis Octobris, Anno Millesimo Sexcentesimo decimo nono, subscriptum D. Rudesindus Barlo Notarius Apostolicus D. Colunbanus Malonus Notarius Apostolicus.

Similiter fecerunt aliæ residentiæ.

SCRIPTVRA. XXX.

Actus Capituli Generalis Congregationis Angliæ supradicta omnia corroborans.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen.

NOs Magister F. Leander de S. Martino Præses S. Congregationis Anglicanæ Benedictinorum, eiusdemque diffinitores, Prouinciales, & Priores, in Capitulo nostro Generali huius anni millesimi sexcentesimi vigesimi primi, secundo die mensis Iulij, legitime ex authoritate Apostolicâ nobis cōcessâ congregati: postquam maturè examinassemus instrumenta authentica, tam à Congregatione Cassinensi, Anglicana, & Hispanica, quam etiam à Nuncijs Apostolicis, ipsâque adeo à sede Apostolicâ nobis ad Cōgregationem Anglicam instaurandam, erigendam, stabiliendamque concessâ; insuper & acta Deffinitorij Parisiensis, nec non & gesta Regiminis in eodem Deffinitorio electi, Prēsidis nempe, & Deffinitorum; Prouincialium quoque, & Priorum, ac Monachorum etiam particularium omnium ferè nationis nostræ, & Gallicanæ, qui extra Angliam resident, plurimorúmque etiam in ipsâ Angliâ habitantium, pro acceptandâ vnione seu Congregatione Anglicanâ, eiusque legibus, constitutionibus, cæremonijs, & iurisdictione; omnibusque maturè perpensis, considerantes dictam vnionem, & Congregationem Anglicanam cum legibus, cæremonijs, & iurisdictione ipsius, acceptatam à præmentionatis fuisse, ex Apostolici Breuis, (auditis omnibus partibus quorum intererat,) obtenti authoritate, ac superiorum etiam (dequorum iure poterat esse quæstio,) consensu expresso in scriptis, authenticis, cum expressâ clausulâ de non præiudicando iuribus aliarum Congregationum, aut Abbatiarum si quæ in Angliâ quiduis olim possederant; factamque fuisse proinde nostrum omnium supra specificatorum incorporationem in dictam Congregationem, subiectionemque eius legibus, & iurisdictioni legitimè, maturè, omnibus requisitis sufficienter adhibitis, & obseruatis: ad maiorem dictorum, gestorum, actorumque nostrorum validitatem, & robur, nos supra in principio mentionati, de nouo facimus, & acceptamus, atque confirmamus prēdicta, gesta, actaque nostra; & incorporamus nos, subditosque nostros, & incorporatos esse declaramus, meliori modo, & conditione, ac via, requisitis, Congregationi nostræ Anglicanæ authoritate Apostolicâ erectæ, aut instauratæ, aut confirmatæ, & authoritate Apostolicâ Capitulo nostro Generali concessâ: in cuius rei fidem, & robur præsens instrumentum nominibus nostris subscriptum, & sigillo S. Benedicti, quo in similibus vtimur munitum fieri iussimus, & expediri; mandauimusque vt singulæ residentiæ, & Prouinciæ copiam huius acti habeant, & conseruent ad futurorum temporum pleniorem informationem. Actum Duaci in Capitulo nostro Generali habito in conuentu S. Gregorij anno 1621. Die 27. Iulij, & subsignatum erat; Frater Leander de S. Martino præses immeritus Congregationis Anglicanæ.

Anglicanæ. Frater Edouardus Maiheu diffinitor. Frater Thomas Torquatus Diffinitor. Frater Bernardus de sancto Petro Diffinitor Frater Rudesindus Barlo Diffinitor. Frater Beda de Monteserrato Diffinitor. Et, Paulò inferius. Frater Clemens Reyner Capituli Secretarius. Et Sigillo sancti Benedicti munitum.

SCRIPTVRA. XXXI.

Actus Capituli Generalis Hispanici ad idem.

NOs Magister F. Placidus Pacheco sacræ Theologiæ Magister, & Generalis Congregationis Hispanicæ, atque Anglicanę, Ordinis S. Benedicti, eiusdemque Congregationis Hispanicæ Diffinitores, & Abbates in Capitulo Generali hoc anno 1621. Congregati, Considerantes, post maturam deliberationem, & examinationem inter nos de super habitam, quam necessaria fuerit erectio Congregationis Anglicanæ Ordinis nostri; (cuius multo maxima pars à nobis fuit in gremio Congregationis nostrę multos per annos magnisque sumptibus, & vigiljs diligentissimè educata;) & perpendentes, quam vtilis fuerit talis Congregationis erectio ad cauendas multas occasiones dissidiorum, multaque Missionis Apostolicæ impedimenta; denique clarè videntes, quam sit nobis non solum honorifica, propter dependentiam, & obedientiam, quam ex piâ gratitudine nobis dicta Congregatio deferre statuit; verum etiam secura conscientijs nostris, cum sic multo melius regantur animæ ab eiusdem Congregationis superioribus oculatis inspectoribus, aut valde è propinquo inuigilantibus, quam posset à nobis tam procul distantibus fieri ad plenam omnium ante hac in dicta Cógregationis erectione factorum & concessorum confirmationem, authoritate præsentis Capituli Generalis declaramus, quod erectio dictæ Congregationis Anglicanæ sub obedientiâ nostrâ, prout in formula Vnionis describitur manentis, fuerit & sit nobis, & toti Congregationi nostræ gratissima: quodque eam propterea, & Congregationem ipsam, omnesque eius leges, quantum ad nos spectat, aut spectare poterit, præsentis Capitulo authoritate approbamus, conseruamus & corroboramus, eisque firmitudinem, ac vigorem omnem nobis possibilem impertimur. Preterea, quia aliqui filij nostri hactenus dubitarunt an nobis ista omnia sic placerent: declaramus omnibus & singulis Monachis Anglis de nostrâ Congregatione hactenus vbilibet professis, quod nobis prorsus displiceant, quicumque Congrægationis dictę Anglicanæ erectionem, & progressum, aut culpant aut impedire conantur, quodque multò gratiorem rem nobis fecissent, si essent ipsi cæterorum fratrum suorum exemplum sequuti, seipsos eidem Congregationi incorporassent. quod licet vt faciant, non illis imperemus: ad hoc tamen eos hortamur, & interea dum id non fecerint, ordinamus tamen, & iniungimus omnibus, & singulis monachis Anglis Congregationis nostre, vbicumque extra Hispaniam ipsos degere contigerit, si nondú fuerint incorporati Congregationi Anglicanæ, aut incorporare voluerint, vt nihilominus eiusdem Congregationis Anglicanæ legibus viuant, eisque per omnia obediant, eiusque Præsidi tanquam nostro in nostros Monachos Anglos, vbiuis extra Hispaniam degentes Vicario Generali; & prouincialibus, ac Prioribus eiusdem Congregationis Anglicanæ, tanquam nostram in eosdem pariter, & respectiuè Authoritatem & Iuridictionem habentibus, obediant in omnibus, & id ipsis talibus Monachis nostris, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus; & contrauenientibus posse ac debere infligi pænas omnes, quas ipsa statuta Anglicanæ Congregationis pro qualitate culparum offendentibus assignant. Sub eodem præcepto formali S. obedientia districtè ac rigorosè præcipimus omnibus, & singulis Monachis Anglis, cuiuscumque officij dignitatis, authoritatis, aut conditionis fuerint, aut vbiuis locorum extra Hispaniam degerint, qui in nostrâ Congregatione professi fuerint, ne audeant vllum prorsus ad nostræ Congregationis Hispanicæ habitum vestire, aut ad eius nomen profiteri vel ad professionem admittere: & omnem taliter vestitum, aut professum declaramus per præsentes nullatenus ad nostram Congregationem spectare, nec vllo modo iurium aut gratiarum nostre Congregationis participem esse. Insuper sub eodem præcepto formali in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus cuicumque Monacho Anglo Congregationis nostræ Hispanicæ Missionis Anglicanæ facultates apostolicas seu pontificias habenti, ne illas facultates omnes aut aliquam illarum vllatenus

vlli

vlli Monacho Ordinis nostri delegare præsumat: nisi accedente expressâ licentiâ & consensû Præsidis Congregationis Anglicanæ, aut Prouincialium alicuius eiusdem Congregationis; & monemus ac præcipimus omnibus, & singulis nostris Monachis, qui de Congregatione Anglicanâ non fuerint, ne manifestent, multò minus iactent, differentiam seu diuersitatem Congregationum. Et tandem, vt nullum præiudicium fiat dictę Congregationi, nec Missionis negotijs, mandamus in veritute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis Monachis Anglis Congregationis nostræ, ne quis ipsorum vllo prætextu in Hispaniam venire pręsumat, sine nostrâ aut Generalis qui pro tempore fuerit licentiâ expresâ in scriptis habitâ, & seruatis insuper statutis Congregationis Anglicanæ, quæ de regressu quorumcumque in Hispaniam sint ordinata. Gratias autem agit S. Congregatio omnibus Missionis Monachis pro operâ sanctâ & vtiliter, & gloriosè impensâ in animarum salute procurandâ: & promittit sese omni authoritate, consilio, & diligentiâ, quibus potuerit, semper toti Missioni, & Congregationi suæ Anglicanæ affuturam. In quorum omnium Fidem, & testimonium pręsentes subsignauimus, & sigilli Congregationis nostræ, quo in talibus vtimur, iussimus appositione muniri, & subscriptione Secretarij Sanctæ Congregationis roborari. Datum in nostro regali Monasterio Sancti Benedicti Vallissoleti die, Vigesimo quarto mensis Maij, anno sexcentesimo vigesimo primo. Subsignatum: Magister F. Placidus Pacheco Generalis S. Benedicti. Et inferius: De mandato Reuerendissimi nostri Generalis F. Ioannes de Salacar. Et Sigillo Congregationis Sanctæ munitum.

SCRIPTVRA. XXXII.

Præceptum Generalis, Congregationis Hispanicæ ad idem

NOs Magister frater Placidus Pacheco totius Congregationis Hispanicæ nec non & totius Congregationis Anglicanæ ab Hispanicâ dependentis, ordinis S. Benedicti Generalis. Visâ præsentatione Reuerendorum Patrum Patris Magistri Fratris Rudesindi Barlo, & Patris Licentiati Fratris Thomæ Torquati ad officium Præsidentis Congregationis Anglicanæ à Capitulo Generali eiusdem nobis factæ: attendentes quod licet vteruis eorum nobis probè notus sit, & videatur idoneus ad talē dignitatē, tamen quia primo loco propter plura suffragia ab ipso Capitulo electus fuerit Pater Magister F. Rudesindus Barlo, Nos etiam conformantes nostrum iudicium eiusdem Capituli expresso desiderio: habitâ etiam in scriptis expresâ obedientiâ Regiminis eiusdem Capituli, & Congregationis nobis per eosdem transmissâ: eligimus, & acceptamus de illis duobus prædictum Patrem Magistrum F. Rudesindum Barlo, & eius electionem approbamus, eumque in officio Præsidis Congregationis Anglicanæ pro tempore quadriennij immediatè subsequentis vsque ad Capitulum Generale proximè ab eâdem Congregatione celebrandum confirmamus, Vtque omnia in pędictâ Congregatione, & totâ Missione melius gubernentur, eidem Patri Magistro F. Rudesindo Barlo Præsidi à nobis electo, & confirmato etiam officium Vicarij Generalis nostri super omnibus Monachis Anglis Congregationis Hispanicę, qui Congregationi Anglicanæ nondum sunt incorporati, damus, tribuimus, & imponimus, iuxta quod Capitulum Generale proximè elapsum, & prædecessores nostri etiam fecerunt. Et mandamus omnibus & singulis Monachis nostræ Congregationis Anglis, qui nondum Congregationi Anglicanę sunt incorporati, siue in Angliâ degant, siue extra Angliam, in virtutę sanctæ obedientiæ, & sub pœnâ excomunicationis maioris Canonicæ latæ sententiæ ipso facto alias incurrendæ, quatenus eidem Patri Magistro F. Rudesindo Barlo tanquam Vicario nostro Generali per omnia secundum constitutiones Congregationis Anglicanæ, & Missionis sine appellatione vllâ obediant; Prouincialibus etiam Anglis vt nostram super ijs sub Vicario dicto authoritatem habentibus. Quod si quis ipsorum talium Monachorum nostrorum huic nostro mandato noluerit obtemperare, postquam ter à dicto Præside Vicario nostro admonitus non resipuerit, declaramus ex nunc pro tunc talem Monachum omnis iuris in Congregatione Hispanicâ exortem esse; nec ad nos vllò modo amplius pertinere, quia nullo modo tenemur his, qui nostris mandatis noluerint obedire. Ipsi autem Patri Magistro F. Rudesindo Præsidi Congregationis Anglicanę, &

næ,& Vicario noſtro Generali vt præfertur, mandamus, vt omni cum manſuetudine & reuerentiâ, ac charitate Monachos noſtros nondum incorporatos Anglicanæ Congregationi tractet & ſoletur; modo illorum (quod abſit) demerita ſeueriorem diſcuſſionem non expoſtulet. Datum apud Monaſterium noſtrum Montiſſerrati Virgini Mariæ ſacrum. In quo præſens inſtrumentum confirmationis manu propriâ ſubſcripſimus, & ſigillo noſtro muniri fecimus, & pręſentis Secretarij noſtri ſubſcriptione firmari mandauimus. Vigeſimâ quartâ Die Octobris, anni Domini milleſimi ſexcenteſimi primi ſupra vigeſimum. Erat ſubſcriptum Magiſter F. Placidus Pacheco Generalis Congregationis Hiſpanicæ, & Anglicanę. Et inferius. De mandato Reuerendiſſimi Patris noſtri Generalis F. Ioannes de Salacar Secreta: Et erat munitum ſigillo Reuerendiſſimi Generalis. Et adhuc inferius erat ſcripta hęc clauſula. Reuerendus Pater Magiſter F. Rudeſindus Barlo Præſes Congregationis Anglicanæ noſtræ, & Vicarius Generalis Monachorum qui nondum Congregationi Anglicanæ ſunt incorporati.

SCRIPTVRA. XXXIII.

Articuli vnionis propoſiti à P. Franciſco VValgrauio RR. Patribus Congregationis Anglicanæ Congregatis in ſuo Capitulo Generali Duaci anno 1621.

Primus articulus vnionis Monachorum Anglorum reſpectiuè ad ſuas Congregationis particulares iuxta tenorem profeſſionis.

MAneant omnes Monachi Angli iuxta ſuas profeſſiones in ſuis Congregationibus, & ſub ſuperioribus earundem, non modo in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus ab inuicem diſtinctis; cuilibet verò Congregationi aſſignetur ſua Prouinciâ hoc modo; Hiſpanis cedant Prouincię Hiſpanicę ditionis, cum Britanniâ Armoricâ; Anglis Lotharingiâ; Gallia Cluniacenſibus, Italis verò Italia, vel quamcumque aliam primò occupauerint. Sint verò Superiores harum Congregationum, in ſuis Prouincijs, ſicut tot olim Abbates in Angliâ, vel hodie exempti in Belgio: ita vt nullus excedat limites ſuæ iuriſdictionis, vel Prouinciæ: quæuis Congregatio particularis viuat ſuo more, & inſtitutis.

Secundus articulus vnionis diuerſarum Congregationum in vno corpore ſeu Congregatione ſub vno Capite extra Angliam

OMnes iſtæ Congregationes, tanquam tot menbra inter ſe diſtincta ſtatutis quibuſdam Generalibus veluti neruis indiſſolubilibus connectantur inter ſe, & coaleſcant in vnum corpus, quod ſit, & vocetur, non Congregatio Anglicanâ, (quę Appellatio competit tantum vni ex menbris) ſed Congregatio Monachorum Anglorum Ordinis S. Benedicti: Coaleſcant inquam in vnum Corpus, ſeu Congregationem ſub vno Capite, qui vocetur ſuperior, Præſes, Generalis ſeu viſitator Generalis Monachorum Anglorum Ordinis S. Benedicti: hic eligatur à Capitulo Generali vnus à quatuor ſuperioribus Congregationum particularium, ex quibus ſolum conſiſtat Capitulum Generale, pęnes quos etiam ſit condere leges, & ſtatuta, quę pertinebunt ad regimen Congregationum, & Monachorum in ordine ad conſeruationem totius corporis, & Congregationis Generalis, ad mutuam Monachorum concordiam, & communicationem ac Miſſionem in Angliam. Porro omnes, & ſinguli Monachi cuiuſuis Congregationis particularis participent in Priuilegijs, quæ ſunt in vſu apud reliquas.

Tertius Articulus vnionis earundem in ordine ad Miſsionem Anglicanam.

SIngulæ Congregationes mittant ſuos Monachos in Angliam, iuxta ſtatuta in Capitulo Generali decernenda: de his tamen, (ſaluo meliori iudicio,) haud ineptè forſan poſſet diſponi in hunc

in húnc modum: vt prius videlicet in Capitulo Generali cum consensu, & consilio seniorum in Angliâ, vel à senioribus in Angliâ capitulariter cum consensu Generalis Capituli extra Angliam fiant statuta, tam pro Missione, quam pro regimine Monachorum in Angliâ existentium: in Angliâ forsan eodem modo, sicut extra, fuerit necesse eligi Præsidem, seu visitatorem Generalem, singulis triennijs, qui vigilet super Monachos in messe laborantes, iuxta statuta Missionis: omnes verò Monachi in Angliâ respectiuè dependeant à suis superioribus extra Angliam degentibus, à quibus pro libito reuocari possint ac debeant in suas Prouincias: licet, quamdiu fuerint in Angliâ, tenerentur obedire superiori ibidem existenti iuxta statuta Missionis.

SCRIPTVRA. XXXIV.

Formula obedientiæ, quæ oblata est Monachis Anglicanæ Missionis, post vnionis, seu Congregationis Anglicanæ, erectionem.

NOs infrascripti Monachi expressè professi in Congregatione Hispanicâ, visis, & consideratis instrumentis duobus, vno Capituli Generalis Hispanici de datâ vigesimi quarti mensis Maij anni 1621. in quo inter alia continetur confirmatio omnium anteactorum, & concessorum pro erectione Congregationis Anglicanæ, itemque subiectio Monachorum Anglorum Congregationis Hispanicæ Præsidi Congregationis Anglicanæ tamquam Vicario Generali Hispanicæ, idque secundum statuta Congregationis Anglicanæ. Altero item instrumento Reuerendissimi Patris Magistri Placidi Pacheco Generalis vtriusque Congregationis tam Hispanicæ, quam Anglicanæ de datâ 24. Octobris anni 1621. in quo continetur confirmatio admodum Reuerendi Patris Magistri Rudesindi Barlo in officio Præsidis Congregationis Anglicanæ, & in officio etiam Vicarij Generalis Congregationis Hispanicæ super omnes eiusdem Hispanicæ Congregationis Monachos Anglos, cum mandato, & præcepto sanctæ obedientiæ vt omnes dicti Monachi Angli Congregationis Hispanicę eidem Pręsidi Congregationis Anglicanæ, Superioribusque alijs respectiuè, & legibus, ac statutis Congregationis Anglicanæ obediant: Moniti ab Admodum R. P. Magistro Rudesindo Barlo Præside Congregationis Anglicanæ, & Vicario Generali Congregationis Hispanicæ vt præfertur, vt declararemus vtrum velimus incorporari Congregationi Anglicanæ, an verò manentes in Congregatione Hispanicâ obedire Præsidi, & Superioribus respectiuè, atque legibus Congregationis Anglicanæ quamdiu in Angliâ, aut extra Hispaniam degere nos contigerit. Per hoc nostrum chirographum huic scripto subiectum, dicimus, & affirmamus, ac fatemur simpliciter, & religiosè nos ex nunc sine vllâ tergiuersatione obedire, & deinceps obedientes fore prædictis Capituli Generalis, & Reuerendissimi P. N. Generalis Hispanici instrumentis, & mandatis, ac consequenter nosipsos quãtum ad obedientiam subijcere, & deinceps subiectos fore prędicto Præsidi, ac Superioribus respectiuè, & legibus statutis, ac ceremonijs Congregationis Anglicanæ † eidem Cõgregationi nosipsos realiter incorporando, saluo tamen iure regressus ad Monasteria professionis nostrę in Hispaniâ, prout idem ius conceditur, & declaratur in statutis dictæ Congregationis Anglicanæ, & approbatur in instrumento prædicto Capituli Generalis Congregationis Hispanicæ.

ANNOTATIO.

Hæc eadem forma vsque ad hoc signum † oblata est & alijs eiusdem Missionis, qui pro libertate ipsis à Reuerendissimo Generali Hispanico datâ, noluerunt se realiter incorporare Congregationi Anglicanæ; sed loco eorum, quæ hic ponuntur post prædictum signum, ponebantur hæc alia.

NOn tamen nos eidem Congregationi incorporando, sed manendo in iuribus, & prærogatiuis Congregationis nostræ Hispanicæ, prout conceditur per statuta etiam Congregationis Anglicanæ, omnibus hactenus in Congregatione Hispanicâ professis.

SCRIPTVRA. XXXV.

Copia commissionis, datæ à R. P. Præside Congregationis Anglicanæ, pro instituendis Prouincialibus in regno Angliæ.

NOs Magister F. Rudesindus Barlo, præsbyter, & Monachus S. Benedicti Sacræ Theologię Doctor, Congregationis Anglicanæ Benedictinorum Præses, & Missionis Hispanicæ eorundem Vicarius Generalis, Reuerendis in Christo Patribus P. Iosepho de S. Martino, P. Francisco de Onna, P. Ioanni de S. Aemiliano, omnibusque alijs patribus eiusdem Congregationis, & Missionis in Angliâ laborantibus, salutem in totius salutis autore. Cum in Capitulo Generali Congregationis nostræ auctoritate Apostolicâ habito Duaci in conuentu S. Gregorij, anno 2621. mense Iulio, tu Reuerende Pater Iosephe de S. Martino, electus fueris in Prouincialem Cantuariensis Prouinciæ, super patres Congregationis ac Missionis nostræ; & tibi in assistentes seu Consiliarios electi fuerint Reuerendi patres, P. Franciscus de Onna, & P. Ioannes de S. Aemiliano; quæ tamen officia, aliqui ex vobis nominati acceptare renuistis, propterea quod separationem à Congregatione Hispanicâ matre nostrâ requirere videbantur: idcirco ne electio à Capitulo nostro facta irrita videretur, re inter nos maturè deliberatâ, ex consensu, & voluntate Diffinitorum omnium, (quibus mecũ consentientibus in rebus arduis Congregatio in Capitulo Generali suam delegauit auctoritatem) declaramus, posse vos, & quemlibet vestrum dicta Prouincialis, & Assistentium officiâ suscipere, & exequi in omnibus, & per omnia, absque eo quod à Congregatione Hispanicâ matre nostrâ separemini; modo legibus, & statutis Capituli nostri Generalis, & Congregationis Hispanicæ fideliter obediatis, & subordinationem vestram ad Præsidem, & regimen eiusdem Congregationis sine dolo, & fraude custodiatis, & bonum eiusdem Congregationis progressum pro viribus vestris promouere satagatis. Quoniam igitur eâ in re vobis satisfactum est, vt quia nos etiam ab Hispanicâ Congregatione pendemus, & vos nostris legibus parere tenemini: non amplius requiramus à vobis, aut vnoquoque vestrum (qui nondum Congregationi nostræ fueritis incorporati) nec amplius vrgeamus separationem à Congregatione Hispanicâ, ad hoc vt inter nos iure suffragij actiui, & passiui, participationisque rerum nostrarum fruamini, sed hoc vobis ius declaramus vt supra competere, manentibus nihilominus intra Congregationem Hispanicam vt prius, sub legibus tamen nostris vt prætactum est: Idcirco ad laudem, & gloriam Dei, & Domini nostri Iesu Christi, & bonum Missionis ac ordinis nostri in Angliâ, Mandamus per obedientiam tibi Reuerende Pater Iosephe de S. Martino, vt officium, & prælaturam Prouincialis pro Prouinciâ Cantuariensi acceptes, & exequaris; & vobis, Reuerendi Patres Francisce de Onna, & Ioannes de S. Aemiliano, vt officia, & Prælationes Assistentium seu Consiliariorum eiusdem Prouincialis, & prouinciæ acceptetis, & exequemini; ad quę officia, & prælaturas electi fuistis canonicè in Capitulo nostro Generali supradicto. Mandamus etiam vobis omnibus tribus, & singulis vestrum sic nominatis, vt prædicta officia Prouincialatus, & Assistentiæ sine vlteriore morâ aut replicâ acceptetis, & exequamini à tempore ipso, & die quo hæc nostra commissio declaratoria ad vestram notitiam peruenerit. Pariter vobis omnibus, alijs Missionis, & Congregationis nostræ Patribus, siue de Congregatione Hispanicâ, siue de Congregatione Anglicanâ, in virtute, & auctoritate Capituli Generalis Hispanici, & Reuerendissimi Generalis Hispaniæ, & in virtute auctoritatis nostræ, & Capituli Generalis nostri, qui sumus (licet indigni) Vicarius Reuerendissimi Generalis Hispanici, & Præses Congregationis Anglicanę mandamus & præcipimus sub formali præcepto sanctæ obedientiæ, & sub pænis ac censuris per statuta nostra taxatis, quatenus præmemorato Patri Reuerendo P. Iosepho de S. Martino tanquã legitimo Prouinciali, ac Prælato vestro, & Reue. patribus P. Franc. de Onna & P. Ioanni de S. Aemiliano, vt legitimis Assistentibus, & Consiliarius ipsius pro totâ Prouinciâ Cantuariensi, in omnibus, & per omnia secundum sanctam regulam, & constitutiones Congregationis nostræ obedientiam, reuerentiam, & honorem deferatis, & impedatis; & tam ipsis

tam ipsis immediatè, quam etiam nobis, & Definitoribus Regimen Congregationis ac Missionis constituentibus, iuxta eadem statuta nostra obtemperetis. In cuius nostræ Declarationis ex auctoritate Capituli Generalis nostri, & Regiminis Congregationis nostræ factæ robur, & fidem his literis nomen nostrum, & sigillum Præsidatus nostri, & Secretarij nostri subscriptionem apponi iussimus. Duaci, in Conuentu nostro sancti Gregorij 1621. Die 24. Augusti, Subscriptum : Frater Rudesindus Barlo Præses Benedictinorum Congregationis Anglicanæ, & Missionis Hispanicæ eorundem extra Hispaniam Vicarius Generalis. Et infra : De mandato Reuerendi admodum Præsidis nostri. F. Clemens Reyner Secretarius. Et sigillo S. Benedicti munitum.

SCRIPTVRA. XXXVII.

Articuli vnionis, inter Monachos Anglos Congregationum, Cassinensis, Hispanicæ, & Anglicanæ, à R. P. D. Anselmo de Mancestria propositi, & à summo Pontifice Paulo V. confirmati qui loco X. scripturæ pag. 10. poni debuissent.

In nomine Domini Nostri Iesu Christi Amen.

ARticuli vnionis inter Monachos Anglos Congregationum Cassinensis, Hispaniæ, Angliæ Ordinis S. Benedicti Missioni Apostolicæ ad conuersionem patriæ destinatos, concordati pro bono regimine, & progressu pacifico dictæ Missionis, Romæ Die 3. Mensis Februarij anno 1614.

1. Benedictini Angli vniuersi Congregationum Cassinensis, Hispaniæ, Angliæ quantum in se est restaurabunt Congregationem Anglicam, & in ipsâ obseruantiam regularem, atque cum disciplinâ antiquâ illius Congregationis Patrum Angliæ Apostolorum, zelum etiam priscum animarum satagendo per fidei Catholicæ prædicationem, & Sacramentorum administrationem Angliæ salutem iuxta doctrinam, & ritum Sanctæ Catholicę, & Apostolicæ Ecclesiæ Romanę, euitando in sermonibus, & praxi opiniones singulares atque non tutas de casibus in dies occurrentibus.

2. Benedictini Angli vniuersi, qui ad nomina Congregationum Hispanicę, aut Italicę extra Italiam, aut Hispaniam hactenus professi sunt, professionis suæ ordine, & loco retentis, Congregationi Anglicæ statim actu incorporabuntur, neque in posterum extra Prouincias dictas ad ipsarum nomina vllus Anglus profitebitur; atque dictæ Congregationes, Cassinensis, & Hispanica ad bonū Missionis & Congregationis Anglicę ex charitate merâ, & benignitate spontaneâ ipsi Congregationi Anglicæ liberè cedunt quidquid habent, vel habere prætendunt, vel quoquo modo prętendere possint, aut poterint tituli, propinquitatis, iuris cuiuscunque in Conuentus, Monasteria, Ecclesias, Residentias, Bona mobilia, & immobilia extra dictas Prouincias suas ab Anglis suis acquisita, vel acquirenda.

3. Reliqui Benedictini Angli in Hispaniâ, vel Italiâ professi, vel professuri, dum Missioni deputati in ipsâ Angliâ, vel eius dominijs, aut extra illam Missionis causâ permanserint de licentiâ superiorum suorum (à quibus respectiuè reuocari possunt in Monasteria suarum Prouinciarum) censebuntur, quoad omnes, & singulos effectus esse de Congregatione Anglicâ, & sic in regionibus Transalpinis vocabuntur in appellationibus, colloquijs, literis inter se, & cum alijs, atque possidendo inhærebunt, vtentur, gaudebunt, fruentur omnibus, & singulis iuribus, & titulis, prærogatiuis, gratijs, fauoribus, conditionibus, habilitatibus, capacitatibus quibuscunque, & quomodocumque habitis, vel extensis, aut habendis, vel extendendis cum oneribus, atque obedientijs omnibus subeundis per omnia, & singula maxima, mediocria, minima,

absque vllâ diuersitate cogitabili æqualiter atque eodem penitus modo, ac si ipsi omnes, & singuli in ipsâ Congregatione Anglicâ professionem emisissent. Atque vt partium occasio omnis amputetur, periculosis diuersarũ Congregationũ nominibus, studijsque depositis, vnica Congregatio Anglica in Missione nominetur, & quantum tractatio, ac dispositio regiminis alternatiui permittit vocabula distinctionem Congregationum significantia studiosè deuitentur, saluâ semper reuerentiâ in dictis, & factis, quanta esse potest maxima sanctis Congregationibus Cassinensi, & Hispaniæ, quas omnes Angli meritissimè summâ animi gratitudine semper colere debent.

4. Congregatio Anglica ad habitum, & professionem non admittat nisi quos ex reditibus certis, opere manuum, vel eleemosinis consuetis alere poterit, ne videatur ob inopiam victus filios suos in Missionem Anglicam ad panem sibi lucrandum extrudere, potius quam mittere ad fidem propagandam. Delectusque habeatur accuratissimus in Nouitijs idoneis ad habitum accipiendis, atque cura admissos per orationis, crucisque exercitia ad sanctam regulam, & virtutes Apostolicas probandi, sacrisque literarum studijs pererudiendi : Et in Congregationem Anglicam, qui recipientur præter alia per regulam sanctam nostram, sacros Canones, constitutionesque Apostolicas requisita, saltem bis, idest semel ante receptionem, iterumque ante professionem, publicè fidem Catholicam profitebuntur, iuxta formam fidei professionis à Pio 4. præscriptam.

5. Obseruantia Regularis in cœnobis Missionis, & Congregationis Anglicæ intimè inhæreat regulæ nostræ sanctæ, quam, cum sit discretione præcipua, sermone luculenta, constitutionibus varijs asperius, vel mollius interpretari non expedit; adijci tamen quędam si expedierit, ob peculiares Missionis Apostolicæ necessitates, petantur quoad fieri potest ex constitutionibus Cassinensibus, & Hispanicis.

6. Forma habitus Monastici sit Anglis Monachis antiquitus vsitata, atque etiam Anglis consueta appellatio Monachorum; videlicet ipsi Domni prænominentur verbo, & scripto. At conuersi, vel oblati laici appellentur Fratres. Habitusque formâ, & colore à Monachis distinguantur. Extra Angliam tamen, vbi residentiam habuerit Missio, & Congregatio Anglica, ne Angli, pauperes peregrini, ciues, quorum benignitate fouentur, nouitate suâ, & diuersitate in externis offendant, Reformatorum seu magis obseruantium Benedictinorum Prouincialium (qui tamen caput non pileo Clericali, sed caputio Monastico tegunt) vsui in habitu, & externis omnibus, quantum per Regulam fieri potest se conforment, atque Breuiario Monastico communi iam recognito, nisi quid ob sanctos Angliæ in officio de sanctis mutari conueniat, in horis Canonicis persoluendis vbique vtantur.

7. Cum non liceat à votis Deo sanctè nuncupatis temerè desilire, sed meliora charismata æmulari; cumque ad humilitatis, pacis, atque animarum zeli custodiam Monachi sancti Laurentij de Dei-custodia in Lotharingiâ Congregationis Anglicę post orationem ad Deum, & maturam deliberationem factas in Capitulo suo die 28. Februarij anno 1613. duo vota leuia, & vtilia hic subscripta emiserint, ac postea vt à sanctitate suâ confirmarentur petentes Romam miserint, æquissimum videtur vt reliqui de Missione Monachi Angli in his se partibus conforment eadem vota suscipiendo, ea autem sunt huiusmodi.

Ego, N. Anglus Monachus professus promitto, spondeo, & voueo coram Deo, Beatissimâ semper Virgine Deiparâ, & Beato Patre nostro Benedicto me nunquam dignitatem aliquam suscipiendam, aut in susceptâ permansionem in Congregatione, & Missione Anglicâ, verbo, vel facto, directè, vel indirectè, per me ipsum, vel per personam interpositam ambiturum, vel prætensurum, neque extra ordinem nostrum accepturum, nisi mihi imponatur ab illo, qui poterit mihi præcipere: simulque promitto me semper paratum fore in Angliam fidei Catholicæ propagationis causâ redire atque ibi permanere, indeque reuerti ad locum mihi destinatum quando, & quoties mihi præceptum fuerit à Reuerendissimo Patre Præside Missionis, & Congregationis Anglicæ.

8. Missio, & Cõgregatio Anglica vni suberit Præsidi triennali ex Anglis Congregationũ Cassinẽsis, Hispaniæ, & Angliæ alternatim desumendo, qui habebit iurisdictionem ordinariã supra omnes, & singulos Benedictinos Missionis, & Congregationis Anglicæ. Ipse extra Angliam residebit, habebitque in Angliâ suum Vicarium in Prouinciâ Cantuariensi: atque Subuicarium seu Vicesgerentem in Prouinciâ Eboracensi; (in has enim Prouincias Congregationẽ Anglicam Benedictinam antiquitus distributam constat,) singulisque hisce tribus seniores bini Angli, absque quorum consilio, & cõsensu expresso nihil graue de personis, rebus, vel negotijs Missionis statuere possint, adiũgãtur. Hi omnes, & alij officiales seu Magistratus in regimine Missionis, & Congre-

Congregationis Anglicę erunt triennales,& per alternas vices ex tribus iam sæpè dictis Cōgregationibus Cassinensi, Hispanicâ, & Anglicâ desumentur, ita vt trium harum Congregationum professi omnium munerum publicorum sint semper participes: verbi gratia, Pręses Missionis si fuerit de Congregatione Hispanicâ, Vicarius de alterâ, Subuicarius de reliquâ, per vices reciprocas, atque assistentes Præsidi seniores erunt ex duabus Congregationibus alijs à Congregatione, de quâ est Præses, quod idem seruabitur in assistentibus Vicarij, & Subuicarij, seu Vicesgerentis. Siquis autem horum idest Præses, Vicarius, Vicesgerens, seniores ipsis assistentes in Magistratu mortuus, vel in carcere detentus fuerit in Angliâ, cæterisque regijs Angliæ dominijs, ipsi de eàdem Congregatione alius maximè idoneus à Missionis officialibus reliquis quamprimum substituatur.

9. In Præsidem Missionis, ipsius Assistentes, Vicarium, & Subuicarium in Angliâ eligi non poterit, qui triennium saltem in Angliâ sacerdos laudabiliter non expleuerit, exceptis Reuerendissimo Patre Domino Giffordo à S. Maria, & PP. Vicarijs, qui hactenus fuerint Congregationis Hispanicæ, atque alijs in casu euidentis necessitatis, aut vtilitatis.

10. Vicarius, atque Subuicarius cum senioribus sibi assistentibus eligantur à Pręside Missionis, atque assistentibus suis. Præses verò Missionis eligatur suffragijs Præsidis, eiusque assistentium, Vicarij etiam atque Subuicarij, nec non ipsis assistentium triennij finientis, qui in hac electione suffragia hoc modo ferent. Præses pro numero eorum, qui suffragia ferre debent in electione futurâ tres pro singulis catalogos eâdem manu scribi faciet continentes nomina eligibilium in Præsidem, quos catalogos partim distribuet electoribus ijs, qui electioni interesse poterunt, partim mittet in Angliam ad Vicarium & alios electores, qui ibi aut alibi electioni futuræ interesse non poterunt: in catalogis autem, qui singulis electoribus distribuentur, non scribatur nomen ipsius, cui huiusmodi catalogus datur, ne ipse se eligat. Electores è catalogis huiusmodi acceptis, nomen ipsius, cui suffragari volunt, exscindent, & plicis duabus implicitum ne dignosci possit vllus scripturarum character chartâ grandi ad similitudinem epistolæ missiuæ sigillatâ inclusum Præsidi maturè, & cautè remittent. Quam chartam sic clausam, & obsignatam sub excommunicatione latæ sententiæ tenere atque in vrnam suffragijs recipiendis paratam ponere debent scrutatores, neque ipsam aperire nisi postquam electorum præsentium suffragia in vrnam posita fuerint, quibus in vrnam receptis, charta ab electore absente missa aperiatur, ex quâ cautè excutiatur absentis suffragium, & ita occultè dimittatur in eandem vrnam, vt character nullus scripturæ dignoscatur; sed simul vnâ cum alijs suffragijs in vrnâ cōmisceatur, vt vnum ab alijs discerni non possit. Quibus peractis scrutatores suffragia numerent scrutando, quis maiori ipsorum parte electus sit, ipsumque Præsidem electum pronuncient. Ideo autem catalogi tres dantur singulis electoribus, quia contingere potest vt in primâ scrutatione electio canonica, idest ex maiori suffragiorum parte non fiat, sed vnus suffragijs duobus, vel tribus, alius etiam quatuor eligatur. Quapropter electores singuli debent suffragia sua Præsidi mittere, designantes hoc esse pro primâ, illud pro secundâ, tertium pro tertiâ scrutatione, si tot scrutationibus opus fuerer, vt si ex scrutatione primâ electio canonica non proueniat, ad secundam, & tertiam scrutationem procedatur, in quarum nullâ si electio canonica fuerit, tunc ille, qui in primâ scrutatione pluribus, quam alij, suffragijs electus fuerit, Præses sit: si verò in scrutatione primâ nullus sit electus pluribus suffragijs, in tali suffragiorum æqualitate is Præses erit, qui ex sic electis in primâ scrutatione in ordine antiquior est, in electionibus verò aliorum idest Vicarij, vel gerentis vices, aut Præsidis assistentium electio canonica non expectetur, sed vnicâ scrutatione in pluralitate suffragiorum terminetur, atque si singuli suffragijs æqualibus electi fuerint, antiquior in ordine præferetur.

11. Iustissimas ob causas Congregationes reliquæ concedunt hanc prærogatiuam Congregationi Hispanicæ vt ipsa designare possit in Capitulo suo generali vnum Monachum suæ nationis Hispanicæ ad animas lucrandas idoneum, & tantâ Congregatione dignum, qui sit præpositus seu Præfectus Anglorum Conuentus S. Gregorij, atque Collegij Marchianensis Duaci, qui in ingressu superioritatis suæ sacro sanctis Euangelijs tactis publicè iurabit, & nomine, & iure, & bono Congregationis Anglicæ gubernaturum iam dictos Anglos iuxta sanctam Regulam nostram, & ordinationes Congregationis, & Missionis Anglicanę quibus pro tempore superioritatis suæ se per omnia subdet.

12. Licet Præses Congregationis Missionis Anglicæ debeat in ipsâ habere iurisdictionem ordinariam ipsaque illi immediate subesse, nihilominus ipse Præses dependentiam habebit à Congregationibus Cassinensi, & Hispanicâ, idest, ab ipsarum admodum RR. PP. procuratoribus in

bus in curiâ Romanâ reſidentibus, qui quia vtraque Congregatio repræſentatiuè ſunt, de rebus Miſſionis ſimul vnis litteris informari, ſimul deliberare, ſimul ad ſummum Pontificem referre, reſponſaque recipere, & Miſſionis Præſidi ſignificare poſſunt. Vnde abſque amborum ipſorum conſilio, & conſenſu ſolicitator Miſſionis in hac curiâ nihil ad Miſſionem pertinens tractabit: Præſeſque ad ipſos communiter ac ſimul ſaltem ſexies quotannis poſt quoſuis binos menſes ſtatum Miſſionis & progreſſum ſanctiſſimo D. N. deferendum plenè ſcribet.

13. Scoti, vel Hiberni, qui iam ſunt, aut in poſterum erunt profeſſi de quâuis dictarum Congregationum Caſſinenſis, Hiſpanicæ, Anglicæ, quoad omnia iura, priuilegia, onera erunt Anglis pares.

14. De loco in quo reſidebit Præſes cum aſſiſtentibus ſuis; de loco, & die Capituli triennalis, de viſitatione Congregationis, & Miſſionis, de electione ad alia officia ipſe Præſes cum aſiſtentibus ſuis quid magis expedire videbitur, ſtatuat; item de electionibus intermedijs morte, vel aliâ cauſâ neceſſarijs.

Hæc Ordinatio, & diſpoſitio ſupra ſcripta inuiolabilis permanebit ſchiſmate Anglico durante.

FINIS.



SECVNDA PARS.

APPENDICIS.

IN QVA SVNT SCRIPTVRÆ QVÆDAM EX ARCHIVIS ANGLIAE DEPROMPTAE QVÆ VTCVNQVE PONVNT ANTE OCVLOS LECTORIS FLORENTem olim in Angliâ Monachorum nigrorum S. Benedicti, itemque Cluniacensium, & aliorum Regularium statum.

SCRIPTVRA. XXXVII.

De fundatione plerorumque Monasteriorum Ordinis Nigrorum S. Benedicti in Angliâ, ex veteri manuscripto Abbatiæ de Euesham, quod est in bibliothecâ Nobilissimi viri D. Roberti Cotton.



Ex Eadgarus, in Regem eleuatus, Dunstanum de exilio reuocauit, quem de Abbate Glaston, Wigorniensem fecit præsulem: deuisa regna redintegrauit, improbos oppressit, rebelles repressit, modestos dilexit, ecclesias reparauit, ac multis in locis abiectis clericis (insolentes inuentis) Monachos instituit: plusquam quadraginta Monasteria Monachorum, & monialium construxit, & reparauit. Inter quæ, Glaston, Abendon, Burgh, Thorney, Ramsey, Wilton, Winton, Monasteria locupletauit. Apud Winton, in nouo Monasterio, quod ab euentu nunc Hyda dicitur, Monachos loco clericorum prius instituit. Nam clerici laborem chori fugientes, & bona Ecclesiæ pro libito suo consumentes alibi, vicarios parum ad victum habentes loco sui constituerunt. Sed cum ipsi sæpius admoniti non corrigerentur, Rex præbendas clericorum Vicarijs præfatis contulit: sed & illi in personâ tum promoti, Vicarios sibi facientes, facti sunt peiores prioribus: vnde Rex turbatus, annuente Papa, Monachos ibidem introduxit. Hoc Ioannes in historiâ aureâ, sub anno gratię, 960.

Post obitum verò Eadgari, status regni turbabatur: nam plures magnates eiectis Monachis de magnis Monasterijs, quos Rex Eadgarus, & Dunstanus dudum instituerant, clericos cum vxoribus reduxerunt, coacto super hoc apud Wintoniam Concilio: ibi imago crucifixi, in capite Refectorij Monachorum posita, humanas exprimens voces, dixit, *Absit hoc vt fiat, absit hoc vt fiat; iudicastis benè, mutaretis non benè.* Ex hoc enim, aduersarijs obstupefactis, cessatum est à contentionibus, donec per successionem, prior discordia renouata est. Et cùm contradiceret Dunstanus, mox domus concussa est, cænaculum sub pedibus solutum, hostes solo præcipitati, ac ruentium trabium pondere oppressi: vbi vero cum suis sanctus accubitabat, ibi nulla ruinæ suffusio fiebat. Hoc Ioannes in historiâ aureâ, sub anno gratiæ 967.

In ciuitate regiâ Dorobernensi, Beatus Augustinus sedem episcopalem accepit, circa annum Dominicæ incarnationis 582. & Ecclesiam, quam inibi antiquo Romanorum fidelium opere factam fuisse didicerat, eam in nomine Sancti Saluatoris, Dei, & Domini nostri Iesu Christi sacrauit, atque ibidem sibi, & successoribus suis habitationem statuit.

S. Augustins. Fecit idem Augustinus Monasterium, non longè ab ipsâ ciuitate Dorobernensi, ad orientem, in quo eius hortatu Ethelbertus Ecclesiam beatorum Apostolorum Petri, & Pauli à fundamentis construxit, ac diuersis donis ditauit, in quâ ipsius Augustini, & omnium Episcoporum Dorobernensium simul, & Regum Cantiæ, poni corpora possent: quam tamen Ecclesiam non ipse Augustinus, sed successor eius Laurentius consecrauit, anno gratiæ 596. Primus autem eiusdem Monasterij Abbas Petrus præsbyter fuit. Hoc Beda de gestis, libro primo.

Dunelm. Sedem episcopalem, simul & Monachorum ordinem, in Ecclesiâ Lindisfarnensi Sanctus Rex Oswaldus, & Aydanus Episcopus, & Monachus secundum Bedam lib. 3. de gestis Anglorum primò statuerunt, circa annum Dominicæ incarnationis 635. ab aduentu S. Augustini 39. qui sedes, & ordo in simul ibidem durabant, annis 241. quo tempore, loco illo Lindisfarnensi per Danos paganissimos totaliter destructo, translata sunt dicti Sedes, & ordo, vsque Conk Chester: vbi Monachis deficientibus, qui pauci post Lindisfarnensis Ecclesiæ destructionem remanserunt, Clerici seculares inter ipsos Monachos nutriti, ac ritum Monachorum in horis canendis seruantes, monachorum loco successerunt, primò apud Conk Chester, post in Dunelm anno gratiæ, 995. iunctis semper secum aliquibus Monachis, ad custodiam corporis S. Cuthberti deputatis, ex quibus Episcopi eiusdem sedis, & Ecclesiæ sumebantur. Nam exemplo primi Antistitis eiusdem sedis Aydani, qui & Monachus erat, & monasticam cum suis omnibus vitam agere solebat, ad ipsius Ecclesiæ præsulatum Monachi solebant eligi, quod ab anno incarnationis Dominicæ, 635. obseruatum est vsque ad annum incarnationis eiusdem 1082. qui Clerici seculares, in re nec seculares Canonici, nec Monachi, dictam Ecclesiam Dunelmensem, adhibitis secum, vt dictum est, paucis Monachis, occupabant annis 88. scilicet vsque ad annum gratiæ 1083. Quo anno Papa Gregorius VII. Rex Angliæ Willielmus Conquestor, & Willielmus Episcopus Dunelmię, dictos Clericos sæculares, propter incorrigibilem eorum vitam, & Episcopi sui Waltheri interfectionem, de sæpedictâ Ecclesiâ amouit, & antiquum nigrorum Monachorum ordinem restituit, & renouauit.

VVestminster. Tempore, quo rex Ethelbertus, qui regnauit in Cantiâ, prædicante Beato Augustino, fidem suscepit: nepos eius Sebertus, qui orientalibus Anglis præfuit, fidem eodem Episcopo Euangelizante, suscepit. Hic London, quæ regni sui caput habebatur, intra muros Ecclesiam Beati Pauli, & Episcopali honore Mellitum Episcopum instituens, honorauit. Extra muros verò, in occidentali parte, in honore Beati Petri, Monasterium insigne fundauit, & multis possessionibus ditauit. Hoc Ioannes in historiâ aureâ sub anno gratiæ 1045. quem locum per barbaros, longo tempore destructum, Sanctus Rex, & confessor Edwardus, in Monachorum habitaculum reparauit, ædificijs sublimauit, possessionibus ampliauit. Hoc Ioannes in historiâ aureâ, vbi supra.

Glastebury. Ina rex construxit Monasterium Glaston, quod splendidè vsque ad aduentum Danorum durauit, & tandem sub Dunstano reparatum est. Ossa Hildæ Abbatissæ, Ceolfridi Abbatis Geruensis, & aliqua ossa Aydani Episcopi illuc aduexit Edmundus rex dum esset in expeditione Aquilonari. Ibi etiam requiescit sanctus Patricius Abbas, & confessor. Ioannes in historiâ aureâ parte 3. anno gratiæ 723. Dunstanus regiam mansionem, quæ Glastonium vocabatur, ab Edmundo rege fratre Athelstani recepit, ibique magnum Monachorum gregem congregauit, quibus ipse primus Abbas præfuit. Ioan. in histor. aur. anno gratiæ 947.

S Albās. Offa rex Merciorum, fundauit Monasterium S. Albani, impetrauitque à Pontifice Romano, vt Ecclesia Beati Albani * Romescot, ab omni Hertfordensi Prouinciâ, in quâ sita est Ecclesia Collegiata, & collectum in vsus proprios retineret, vnde sicut à rege iura regalia, ita Abbas loci iura habet Pontificalia. Ioannes in Histor. aur. anno gratiæ 755. Quod Offa construxit Monasterium S. Albani, testatur Henricus Huntington lib. 4. fol. 6.

* Denarios S. Petri tributū, quod deuoti reges nostri Romanæ Ecclesiæ p endebant sua sponte.

S. Swith- in VVinton. Sanctus autem Ethelwaldus, iubente rege Eadgaro, anno Domini 963. à S. Dunstano Dorobernensi Episcopus Winton, consecratus est, erant autem tunc in vetere Monasterio Canonici, nefandis moribus implicati, elatione, insolentiâ, atque luxuriâ præuenti, adeo vt nonnulli eorum dedignarentur missas suo ordine celebrare, repudiantes vxores, quas illicitè duxerunt, & alias accipientes: gulæ, & ebrietati iugiter vacabant, quod minimè ferens Episcopus, acceptâ à rege Edgaro licentiâ, expulit eos, & Monachos de Abindoniâ introduxit, quibus ipse Abbas, & Episcopus fuit: misit autem rex ministros suos clericis, præcipiens vt confestim loco renunciarent, aut habitum monasticum susciperent, qui minimè pauore conterriti, & vitam execrantes monasticam, intrantibus Monachis ilico exierunt. Sed tamen postmodum, tres non erant Monachi, nisi in Glastoniâ, & Abindon. Ioannes in historiâ aureâ, sub anno gratiæ supradicto.

Sanctus

Sanctus Erkinwoldus, tertius London Episcopus construxit Monasterium de Chertesey, circa annum gratiæ 672. Ioannes in historiâ aureâ anno gratiæ supradicto: Concordat Radulphus. Chartesey.

Monasterium de Malmesbury, fundauerunt Leutherius Episcopus Winton, & Adelinus, anno incarnationis Dominicæ 675. vt scribit Willielmus Malmesbury, l. 1. Malmesbury.

Locum Crowlandiæ primo inhabitauit Sanctus Guthlacus confessor, & Monachus circa annum gratiæ 694. ad S. Guthlaci corpus, ædificatum Monasterium apud Crowland, inter tot bellorum turbines, tot temporum volubilitates nunquam deletum. Ioannes in historiâ aureâ anno Domini supradicto. Crowland.

Cissa Regulus, pater Inæ, construxit Monasterium Abindon, circa annum gratiæ 670. Ioan. in hist. aur. Abindō.

Rex Eadgarus audiens sanctitatem Ethelwoldi, instinctu matris Edginæ tradidit ei quendam locum, Abendoniam nominatum, quo modicum antiquitus habebatur Monasterium: sed tunc neglectum ac destitutum: contulitque ei Rex ad reparationem domorum, de thesauro suo: ac mater eius; largius solatia munerum eis direxit factus autem Abbas loci illius Monachos congregauit, & in magnâ vitæ sanctitate illos rexit. Ioannes in histor. aur. sub anno gratiæ 960.

Sanctus Etheldredus construxit Monasterium de Bardeneis, vbi sepultus est, circa annum gratiæ 712. In Chronico Castrensi, lib. 5. Bardenay.

Annuente regè Edgaro, Ethelwoldus Canonicus de nouo Monasterio, ab euentu modo Hida dicto, expellens, Monachos cum Abbate introduxit, ordinauit autem illis Abbatē Ethelgarum, qui postea Australium Saxonum Episcopus factus, demum post Sanctum Dunstanum Archiepiscopus Cantuariensis effectus est. Apud Winton quoque Monasterium monialium in honorem Beatæ Virginis construxit, locum quoque quendam in Heli dictum, fisco regio redactum, dato non modico prætio emit, Monachos ibidem ordinauit, Brithnotum præpositum suum Abbatem instituit, & locum ædificijs reparauit. Hyda.

Emitque à rege locum Nodehamstede, nunc Burgh nominatum, basilicamque congruis ædificijs ornatam, in honorem Beati Petri consecrauit, Monachos ordinauit, Eadulphum eis Abbatem instituit, qui post Sanctum Oswaldum, Archiepiscopus Eborum factus est. Burgh.

Tertium nihilominus pretio locum acquisiuit, qui propter spineta circumquaque succrescentia Thorneia nuncupatur, & Monachos ibidem statuit, & Godmanum eis Abbatem præfecit, circa annum gratiæ 960. vt refert Ioannes in histor. aur. Thorney.

Kenulphus Rex Merciorum construxit Monasterium apud Winchcomb, trecentorum Monachorum, circa annum 742. vt refert Ioan. in hist. aur. VVinchcomb.

Alwinus quidam de primoribus Angliæ, locum Ramesele, cum magnis possessionibus Deo concessit, & Sanctus Oswaldus Monasterium ibidem construxit, Monachos introduxit, Ednothum Monachum suum eis præfecit, qui postea Lincolniensis episcopus factus fuit. Ioannes in historiâ aureâ sub anno gratiæ 960. Oswaldus, Odonis Archiepiscopi, qui ante Dunstanum fuerat, nepos, ex Monacho Floriacensi, Wigorniæ episcopus, & Eborum Archiepiscopus, Monachorum regulam iure suo ampliauit, & Monasterium Ramesey, in quodam palustri loco ædificauit, sedem episcopalem Wigorniæ, clericis non vi expulsis, sed factâ arte circumuentis, repleuit Monachis regularibus, circa annum gratiæ 959. Willielmus Malmesbury libro 2. de regibus. Ramesey.

Defuncto Offoro Vicciorum Episcopo, Sanctus Egwinus successit, qui citò post, annuente Rege Etheldredo Monasterium de Euesham construxit. Cestr. libr. 4. circa annum gratiæ 691. Euesh̄a.

Comes Salopiæ Warinus duo construxit Monasteria, vnum in vrbe Salopiæ in honorem Petri, & Pauli: alterum in villâ de Wenelock in honorem Sanctæ Milburgæ. Ioannes in historiâ aureâ sub anno gratiæ 1018 Salop. & VVenlock.

Anselmus rogatu Hugonis Comitis fundauit Monasterium Cestriæ, in honorem S. Werburgę. Monachos de Canonicis ibidem inuentis tonsurauit. Richardum Capellanum suum Abbatem fecit, & in redeundo Archiepiscopus Cantuariensis consecratus est circa annum gratiæ 1093. Ioannes in historiâ aureâ. Cestriæ.

Herebertus dictus Losinga, Abbas quondam Rameseiæ, qui sedem Thetford à rege Willielmo emerat, in Angliâ magnus fuit Simoniæ fomes, hic postquam erroneum iuuentutis impetum defleuisset, Romam iuit, ac rediens sedem suam vsque Norwicum transtulit, vbi & celebre fundauit monasterium, de rebus quidem proprijs non episcopalibus: sed & apud Thet- Norwich.

ford

ford Monachos Cluniacenses instituit: hic sępius dicere consueuit, Errauimus iuuenes, emendemus senes. Ioannes in hist. aur. sub anno gratiæ 1099. Item Henricus lib. 1.

Burton. Burton super Trentam, fundatur à quodam Sponde, Rege annuente. Ioan. in histor. aureâ sub anno gratiæ 1005.

Rading. Monasterium Radingiæ, Rex Henricus primus à fundamentis construxit, vt refert Henricus Huntington lib. 9. Ioannes in hist. aur. sub anno gratiæ 1155.

Fauersham. Monasterium de Fauersham in Cantio iuxta Cantuariam, Rex Angliæ Stephanus à fundamentis construxit, vbi sepultus est, vt refert Ioan. in hist. aur. ad annum 1154.

VVhitby. Monasterium de Strenechalch, quod nunc Whitteby vocatur, primò de sanctimonialibus fundauit Rex Oswinus, frater Sancti Regis, & Martyris Oswaldi circa annum gratiæ 658. vt refert Beda de gestis Anglorum l. 3. cap. 24. quem locum per Danos paganos in solitudinem redactum, quidam Monachus de Eynesham nomine Reynfridus circa annum gratiæ, ... reparauit: & Monachorum habitationem instruere cępit: qui post eius obitum migrantes Eborum Monasterium in honorem S. Mariæ Virginis constituerunt, circa annum gratię.......

S. Maria Ebor. Secundum Radulphum de Diseto in Chronicâ suâ, anno gratiæ 1094. fundata est Abbatia sanctæ Mariæ apud Eborum, ab Alano comite Richmondiæ, Abbatem Stephanum ibidem pręficiente.

Couentre. Godwina vxor Lefrici consulis Cestrię Abbatiam apud Couentre construxit, & auro ac argento incomparabiliter ditauit, construxit etiam ecclesiam Stowe, sub promontorio Lincen; & multas alias, vt refert Henricus Huntingdon libro 6. fol. 5. Sancti regis Edowardi anno 13.

Battle. Willielmus Rex conquestor, Abbatiam de Bello fundauit: vt refert Henricus Huntington lib. 6. fol. 6.

Clugny. Circa annum Domini 907. fundatum est Monasterium Cluniacense in Burgundiâ, à principe dictæ terræ.

Cerues. Monasterium Ceruelïense, ab Egilwardo prædiuite quodam, fundatum est, anno gratiæ 869. vt refert Rudolphus in Chronicâ suâ.

Tauestoke. Monasterium de Tauestoke Monachorum in Deuoniâ, per Ordgarum comitem Deuoniæ, patrem Elfredæ vxoris regis Edgari, fundatum est, anno gratię 961. vt refert Rudolphus.

Pershore. Monasterium Pershorense, tempore regis Edgari, per Egelracum Ducem Dorsatens. est fundatum, quod postea per reges Edowardum Confessorem, & Willielmum conquestorem, Westmonasterio collatum fuit, vt refert Rudolphus.

De Hulmo. Rex Kanut Abbatiam S. Benedicti de Hulmo fundauit, Monachosque ibidem sub regulâ S. Benedicti collocauit, anno gratiæ 1031. vt Radolphus.

Gloucest. Monasterium S. Petri Gloucestriæ, ab Aldredo Wigorniense Episcopo fundatum est, anno gratiæ 1060. vt refert Radolphus.

Tewksbury. Monasterium de Tewksburie fundatum est, per Robertum filium Hammonis, circa annum gratiæ 1102. Radulphus.

S. Edmond. Monasterium S. Edmundi, ab Alfwino, orientalium Episcopo Anglorum, fundatum est: sed Rex Canutus posuit ibi Monachos, anno gratię 1020. Radulphus de Diseto, & Willielmus Malmesbury, lib. 2. de Pontific.

Midltō. or. Milton. Roffa. Midleton ecclesiam fecit, Rex Athelstanus pro animâ fratris sui Edwini, quem prauo correptus consilio Angliâ eiecit. Lanfrancus Archiepiscopus, ecclesiæ Roffens. Gundulphum Monachum præsulem fecit, sub eo res auctæ ecclesiasticæ magnificè, & Monachi plusquam 50. facti sunt. Willielmus de pontificibus lib. 3.

Shirburn. Beatus Dunstanus, cum esset London episcopus, Abbatem apud Westmonasterium fecit instructo ad 12. Monachos cœnobiolo, in loco vbi quondam Mellitus, ecclesiam S. Petro fecerat. Apud Sherburnam Monachos clericis eiectis constituit. Willielmus Malmesb, libro 2 de Pontificib.

Bathon. Monasterium Bathoniense, Rex offa construxit: quod post Rex Edgarus, sicut & alia Monasteria, reparauit, vt refert Wil. Malmesb. l. 2. de Pontificib.

SCRIP-

SCRIPTVRA. XXXVIII.

Fundatio Monasterij Croylandiæ; ex historiâ Ingulphi Abbatis Croylandiæ.

REx autem Ethelbaldus, vt beatum consolatorem suum (Guthlacum) miraculis coruscare compererat, locum sepulturæ eius gaudens, & deuotus expetijt, & ea, quę dicto viro Dei adhuc viuenti, iam regnum adeptus, ante promiserat, plenè persoluit. Accersito namque quantocius quodam famosæ religionis Monacho Eueshamensi nomine Kenulpho, vt ibi cœnobium aggregaret, sibi & Deo seruientibus perenniter concessit, dedit, & confirmauit, & ab omni redituum, & consuetudine sęculari totam insulam Croylandiæ omninò absoluit, & inde chartam suam in pręsentiâ Episcoporum procerũque regni sui securam statuit, quæ sequitur in hæc verba. Ethelbaldus diuinâ dispensatione Rex Merciorum omnibus Catholicę fidei cultoribus salutem perpetuam. Regi regum omnium, & vniuersorum creatorum magnâ cum exultatione gratias ago, qui me vsque ad præsens cunctis inuolutum sceleribus patienter sustinuit, misericorditer attraxit, & ad sui nominis agnitionem parumper erexit. Vnde Deo adhærere mihi bonum est, & in ipso ponere spem meam. Sed quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? vt placeam coram eo in lumine viuentium, cum sine ipso nihil habemus, nihil sumus, nihilque valemus. Magnâ enim auiditate nostræ salutis autor, & vniuersorum largitor acceptat nostra minima, vt causam habeat retribuendi maxima, & infinita gaudia. Sectantes eius doctrinam per opera misericordiæ sic consolatur, dicens, quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Hinc est, quod cum dilecti confessoris mei Guthlaci Anachoretę deuoti instructus fuissem consilio, præcibus pulsatus gratanter in hunc modum acquieui. Ad perpetuam securitatis memoriam hoc chirographo patenti dono trado, & concedo omnipotenti Deo, Beatæ Mariæ, & Sancto Bartholomæo de Dominicis meis ad fundationem Monasterij nigrorum Monachorum sub normâ S. Benedicti Deo famulantium totam insulam Croylandiæ ad sedem Abbatiæ separatam, & separaliter obtinendam, cum quatuor aquis interclusam, &c. *

Vnde quendam cœnobitam Eueshamensem probatæ religionis virum nomine Kenulphum, vt secum eiusdem ordinis Monachos probatos ibidem congregaret Abbatem cõstitui, præbens eis dethesauro meo ad ædificationem Monasterij eiusdem primo anno trecentas libras, legalis monetæ, & per decem annos proximè sequentes quolibet anno centum libras concedendo eisdem licentiã ad villam ædificandam ibidem, siue includendam, quantum ex ijs duobus mariscis versus occidentem dictis Monachis pro se, & suis placuerit. Quare volo quod prædicti Monachi habeant ista dona mea cum omnibus appendicijs libera, & soluta ab omni onere sæculari in perpetuam eleemosinam meam, cum omni commodo, quod euenire aut extorqueri poterit infra dictos limites tam subter terram, quam supra, cum communâ pasturæ pro omni genere animalium omnibus seisonis sibi, & hominibus suis, siue tenentibus suis secum ibidem moram facientibus ex vtrâque parte aquæ de Weland; videlicet ex vnâ parte vsque ad agrum de Medishamstead, & ex alterâ parte vsque ad ædificia Spaldeling, cum omnibus libertatibus, & liberis consuetudinibus, quas regia potestas liberius alicui ecclesiæ in regno meo contulerit temporibus retroactis. Et districtè præcipio, quod si quis contra hoc meę auctoritatis testamentum aliquod machinari impedimentum pręsumpserit, quo minus pacificè possideant aliqua per me data, & concessa, centum libras legalis monetæ thesauro meo persoluet, nec non dictis Monachis pro damnis & expẽsis dignè satisfaciet. Deprecor omnes posteros meos mihi ad regnum succedentes, vt hanc pœnam, & censuram meam ita obseruent inuiolatam, sicut voluerint recipere debitæ iustitiæ præmium, & euadere rapacitatis supplicium. Qui verò istam eleemosinam meam prouexerit, & defensauerit, in sorte electorum Dei remuneretur æternaliter. Firmatum est hoc chirographum meum in anno ab incarnatione Christi septingentesimo decimo sexto, quod & his probabilibus testibus sanctæ crucis indicio subnotatur. † Ethelbaldus Rex Merciorum gratuito consensu confirmaui † Ego Brithwaldus Dorobernienfis Archiepiscopus ratificaui. † Ego Winfridus Merciorum Episcopus approbaui. † Ego Ingualdus Londoniensis Episcopus merè consensi. † Ego Adwinus Lichfildensis Episcopus adoptaui. † Ego Tobias Roffensis

* Recĝitis terminis, & limitibus possessionũ Monasterio concessarum, prosequitur.

Roffensis Episcopus collaudaui. †Ego Ethelredus Abbas de Bardeney multum affectaui. † Ego Egbaldus Abbas de Medeshamstead illud fieri deuotè rogaui. †, Ego Egga comes Lincolniensis consilium dedi. † Ego Leucitus comes Leycestriæ assensum præbui. † Ego Saxulphus filius Saxulphi comitis corroboraui. † Ego Ingulphus præsbyter, & humilis minister vocatus audiui. † Ego Ethelbaldus, licet indignus, patientiâ tamen diuinâ regni Merciorum gero gubernacula, summâ cum fiduciâ autori meo Christo redeo humiliter, de quo propheticè scribitur in psalmo, miserationes eius super omnia opera eius; eiusdem pietati me totum submitto, & sanctæ matris ecclesiæ precibus, beneficijs spiritualibus, commendo.

SCRIPTVRA. XXXIX.

Reparatio eiusdem Monasterij, ex eodem Ingulpho.

IN festo natiuitatis Beatæ Mariæ, cum vniuersi magnates regni per regium edictum summoniti, tam Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates, quam cæteri totius regni proceres, & optimates Londonijs conuenissent ad tractandum de negotijs publicis totius regni: consummatis omnibus, coram vniuersis Domino Turketulo Abbati Monachisque suis accersitis Rex Edredus dedit Monasterium Croyland per chartam suam dictatam ab eodẽ Turketulo Abbate iamdudũ Regis Cancellario Consiliarioque familiarissimo, & conscriptam his verbis. Pax in summæ Trinitatis nomine, Patris, & Filij, & spiritus Sancti Amen. Ego Edredus Rex terrenus sub imperiali potentiâ Regis sæculorum æternique principis, magnæ Britanniæ temporale gerens imperium, vniuersis Christianis tam præsentibus, quam posteris salutis beneficium in autore salutis. Vobis liqueat omnibus, quod per deuotam suggestionem, & frequentem prouocationem dilecti clerici, & cognati mei Turketuli mihi factam super reparatione, restauratione, ac libertate sacrosanctæ ecclesiæ, & Monasterij Croylandensis, in quo reconditæ sunt reliquiæ sancti Guthlaci confessoris, & Anachoritę, non modicum condolui, & compassus sum; tam pro depopulatione sanctæ matris ecclesiæ, quam pro minoratione beneficiorum spiritualium pro animabus progenitorum meorum per opera misericordiæ multipliciter, & frequenter impensorum; recolens ibi cœnobium nigrorum Monachorum ordinis S. Benedicti à nobili rege Merciorum Ethelbald nomine, quondam Alwionis filio esse fundatum, affluenter ditatum, & regalibus priuilegijs sufficienter munitum, vt per inspectionem chartarum eiusdem Ethelbaldi ad securitatem dictorum Monachorum compositarum, satis erat consilio meo declaratum, sed post multorum temporum curricula per paganorum exercitum erat deuastatum, & cum omnibus ornamentis, & monumentis compluribus igne crematum, & consumptum. Vbi prædictus Turketulus, qui, iuxta Psalmistæ vocem Propheticam, odit ecclesiam malignantiam, & dilexit decorem domus Domini, pio stimulatus desiderio dictum cœnobium reparare, & reædificare summopere molitur. Hic homo diuinæ charitatis zelo in tantum accensus est, vt corde, & corpore se ouili Dominico ibidem mancipare indesinenter adoptet. Vnde quinque Monachi senes in eâdem insulâ latitantes, de quibus duo à dispersione regressi, de eiusdem Turketuli, & aliorum iurisperitorum consilio informati, quasi grauiter formidantes, iacturas, & dispendia varia futuris temporibus inopinatè emergentia, totam Abbatiam cum omnibus possessionibus obtentis, & eiusdem Turketuli solicitudine recuperatis, meo etiam fauore acquisitis, cum sex manerijs de prædijs suis hæreditarijs in manum meam funditus, & sponte resignarunt, vt per meam redonationem de firmiori, & liberiori ex tunc, & in posterum gratulentur possessione. Sed cum fœdus verbo solummodo initum, dum à memoriâ fuerit deuolutum, in materiam contrahitur litigiosam, nisi rei gestæ perennis scripti patrocinium suffragetur: Hinc est, quod sæpe dictum Turketulum cum præfatis Monachis iam in habitu adunatum grato meo consensu, & assensu Abbatem eiusdem Monasterij constituo; & tam Abbatiam, quam omnes possessiones sic recuperatas, & mihi resignatas, ex dono meo regali de cętero in perpetuam, & puram eleemosinam illis Monachis, & omnibus successoribus eorũm, sub eâdem regulâ, & eodem habitu S. Benedicti ibidem Deo seruientibus trado, dono, & confirmo, & in hunc modum per singula declarare dispono, &c. †

† Sequitur specialis enumera-

Ista do-

Ista donaria, licet minima, ad laudem summæ Trinitatis, & in pretium redemptionis animæ meæ prædictis Monachis deuotus perpetuaui, & stabiliui, in anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi nongentesimo quadragesimo octauo, in præsentiâ Archiepiscoporũ, Episcoporum, & procerũ regni mei subscriptorum. † Ego Wulstanus Archiep. Eboracens. deuotus subnotaui. † Ego Odo Dorobernens. Archiep. consilium, & consensum meum ad istud dedi. † Ego Alfredus Schirburnensis Episcop. affectaui. † Ego Kinsius Lichfeld. Episcop. consensi. † Ego Kinwaldus Wigorniens. Episcop. istud factum corroboraui. † Ego Ceolwulphus Dorcacist. Episc. desideraui. † Ego Athelwoldus Abbas Abbendonensis approbaui. † Ego Dunstanus Abbas Glasconiæ multum adoptaui. † Ego Oslake Dux ad instantiam Domini mei regis collaudaui. † Ego Brithnodus Dux commendaui. Ego Alcimus Comes faui. † Ego Aigulphus Comes consignaui. † Ego Radbodus Comes consensum dedi. † Ego Bingulph Vicedominus consului. † Ego Alfer Vicecomes audiui. † Ego Harcæus minister interfui. † Ego Sigæus minister auscultaui. † Ego Athelwardus minister aspexi. † Ego Turketulus (licet minister inutilis) finem cernens mei propositi, ob huius rei gratiam æternum Deum laudo per omnia, & licet serò veniens sub habitu monachali, & animo contrito iugo regulari meipsum submisi, vt saltem sic senectutis meæ fæces creatori meo cogar immolare. Magnificat ergò anima mea Dominum, & vos fratres magnificate Dominum mecum, vt in sanctitate, & iustitiâ coram ipso seruientes, semperque mundi principe triumphato, sic curramus in præsentis vitæ stadio, vt in futuro ad diuinæ speculationis brauium pertingere mereamur. Amen.

SCRIPTVRA. XL.

Fundatio Monasterij S. Albani, & Reformatio per Paulum Cadomensem. Ex veteri manuscripto, quod est in Bibliothecâ perillustris Domini D. Roberti Cottoni.

ANno 33. Regni Offæ Regis, inuentus est S. Albanus, & ipsius domus fundata, Willegodus primus Abbas ecclesiæ, S. Albani, ecclesiæ curam sibi commissæ adiutorio regis fultus, regit. Huic gloriosus Rex Offa Merciorum gerens gubernacula, corpore Beati Albani patroni nostri de terrâ leuato, hanc ecclesiam multarum possessionum libertatumque prærogatiuâ dotatam tradidit gubernandam, atque Monachis, è multis regionibus sanctitate præelectos in eâdem ecclesiâ fæliciter aptatis iuxta institutionem, & tenorem regulæ, S. Benedicti sub ipso viuere regulariter, ac reuerenter ordinauit.

Ex eodem libro.

PAulus Cadomensis Monachus, nepos Lanfranci reformauit S. Albanum anno 1077. & facta est ecclesia S. Albani quasi schola Religionis, & disciplinaris obseruantiæ per totum regnum Angliæ, Attulerat namque secum consuetudines Lanfranci, & statuta monastica à Domino Papa meritò approbata, conscripta; vnde odor bonæ famæ huius ecclesiæ Romanam curiam, & remota regna illustrando peruolauit: & multorum tam Prælatorum quam magnatum corda fęliciter ei inclinauit.

Et postea.

PAulus Cadomensis ecclesiæ Monachus fuit: ad cumulum autem laudis eius adijciendum est, quod consuetudines approbatas, & approbandas auctoritate Lanfranci quondam Becensis ecclesiæ Monachi in ecclesiâ sancti Albani eliminatis antiquis reprobandis, constituit obseruari.

Ex Mathæo Paris, Monacho S. Albani: in historiâ Henrici 3. pag 720.

Libertates, & priuilegia ecclesiæ S. Albani.

ECclesiæ S. Albani, & cellæ eius, & omnia ad eas pertinentia, libera sint ab omni tributo siue Regis, siue Episcopi, siue Comitis, Ducis, vel iudicis, aut exactoris, ab omnibus operibus, quę indici solent. Nolumus etiam vt alicui, nisi tantum Romano Pontifici, debeant in aliquo respõdere. Item prohibemus ne aliquis Archiepiscopus, siue Episcopus, in cellis vestris exactiones aliquas audeat facere, siue aliquod ius, siue Episcopale officium exercere præsumat, &c.

SCRIPTVRA. XLI.

Fundatio Monaſterij de Ramſey in comitatu Huntington. Ex Bibliothecâ Nobiliſſimi Domini D. Roberti Cottoni.

REge Regum, & Domino dominantium, in æternum, & vltra omnipotente vbique regnante, & ineffabili ſuâ clementiâ vniuerſa cæleſtium, & terreſtrium ac infernorum agmina gubernante; Ego Edgarus per magnam ipſius Dei miſericordiam, totius Anglorum Regni ſolio ſublimatus, omnibus poſt me futuris Regibus, Archiepiſcopis Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Vicecomitibus, Centenarijs, cæteriſque ſanctæ eccleſiæ filijs innoteſco: quod quidam vir dilectiſſimus mihi, necnon & propinquitatis conſanguinitate connexus, Alwynus Aldreman nomine, inſtigante diuinâ clementiâ, cum beneuolo meo aſſenſu ac licentiâ, in inſulâ, quæ nuncupatiuo vſu ab incolentibus Rameſeya promulgatur, in honorem Beatæ Dei genitricis ac perpetuæ Virginis Mariæ, Sanctique Benedicti, omniumque ſanctarum Virginum, Arciſterium conſtruxit, Præuidens itaque incertum futurorum temporum ſtatum, omnibus poſteris meis ſcire pro futuro decreui, quale omnipotentis gratiâ operante, ibidem miraculum emicuit: ſicut non incertâ relatione quorumdam Epiſcoporum meorum, imò & ipſius Aylwini, didici. Igitur diuturno ac laborioſo cruciatu podagræ pedum ſuorum prædictus illuſtris vir Aylwynus multis laborans annis, vſquequo vox affuit ſalutifera, in quâ piſcator quidam ipſius, qui Wlfget vocabatur, cum carinulâ, & aſſeclis ſuis, & limo aquam, quæ Anglico nomine Rammeſmere dicitur; ingreſſus eſt, piſcem videlicet gratiâ ad vſum Domini ſui prædicti vſu conſueto adquirẽdi: ſicut itaque nouerat velle Dominũ ſuũ, rete ſuũ ſedulò huc, & illuc proijciendo, aliquid capere nitebatur: ſed ex prædeſtinatione Dei omnipotentis fruſtra laborans, & tandem piſcario labore nimium fatigatus, in carinulâ ſuâ ſoporatus obdormiuit, cui ſanctus in ſomnis apparuit ſic fando Benedictus: aurorâ ſpargente polum, tuum eijciens Tragum multitudini copioſæ voti compos obuiabis piſcium; captorum itaque piſcium maiorem, quem vos Haked nuncupatis, Aylwino Domino tuo ex meâ parte offerens, dices ei, vt meam donationem benignè aſſumens, piæ matri miſericordiæ, & mihi, omnibuſque ſacris virginibus in hac inſulâ Monaſteriũ, Monachorũ habitationi, cum officinis neceſſarijs cõgruũ ſine dilatione ſtudeat fabricare: vt ei igitur hęc omnia per ordinem innoteſcas exhortor, ſermonem addens ſermoni, quatenus ſcrutetur diligentius, in loco prædicto, quomodo noctu feſſa terræ ſua incumbant animalia: ac vbi taurum ſurgentem pede dextro viderit percutere terram, ibidem proculdubiò xenodochij ſciat ſe aram erigere debere. Et vt mente perſpicatiori, & fide conſtantiori, meis his credat mandatis: hunc tuum tibi exteriorem incuruo digitum, quem & ipſe, mox à nexu podagræ ſolutus, & ſigni certioris indicio roboratus, tibi erigat reperandum. Prædictus igitur piſcatorum didaſculus hijs auditis euigilans, luciſque diei ſpiculum in oriente conſpiciens, in aquam, ſicut ſibi iuſſum fuerat, tragum ſuum laxare cœpit: & ſicut ſanctus pater prædixerat, copioſam multitudinem piſcium concluſit, quorum maiorem eligens, ex parte ſancti Benedicti eum Domino ſuo obtulit, eique omnia, quæ in ſomnis didicerat, reuelauit; digitumque ſuum à ſancto incuruatum, vt erigat, obnixè rogauit, quæ omnia mente ſagaci concipiens Aylwinus, digitum viri hærentem erexit, piſcemque ſuſcipiens, matri Domini Ieſu Chriſti, & ſancto Benedicto grates innumeras benedicendo exſoluit, ſurgenſque vir inſignis feſtinus iubet manuum præparari, & in inſulam ipſam vadens, quomodo iacent ſua animalia, vt præceptum erat explorat, Mira res, & miranda vbi vir prædictus inſulam eſt ingreſſus, ab intractabili ſtatim, & gemino morbo, nutu Dei, funditus liberatus eſt; animaliaque ſua in modum crucis, taurum verò in medio eorum iacere proſpexit. Et ſicut quondam ſancto Clementi agnus pede dextro locum fontis; ſic viro iſti taurus terrã pede percutiendo locum menſę futuri Arciſterij ſignificauit diuinitus, vnde vir præfatus Deum laudans, confeſtim truncatis lignis actuari capellam ibi pulchro opere præcepit: ac deinde ſcemate condecenti, ſicut mandatum ſibi fuerat, regulare futuræ Congregationi Monachorum conſtruxit cęnobium: deinde reuoluto quinquennio, diebuſque duodeviginti, precibus venerabiliũ amicorũ meorum Dunſtani Doroberneñſis, & Oſwoldi Eboracenſis Archiepiſcoporum; eandem eccleſiam in honorẽ Beatæ Virginis Mariæ, ſanctorumque prædictorum, ſexto idus Nouembris, anno ab incarnatione Domini nongenteſimo ſeptuageſimo quarto, indictione ſecundâ ſolemniter, vt decebat, dedicari conceſſi. Eodem verò anno, cum in natali Dominico omnes maiores totius Regni mei, tam eccleſiaſticæ perſonæ, quam ſæculares, ad curiam meam celebrandæ mecum feſtiuitatis gratia cõueniſſent: à prædictis amiciſſimis meis Archiepiſcopis itidem rogatus, omnes donationes terrarum

rum,vel poſſeſſionum, quas vel idem Aylwynus,vel quæcunque aliȩ perſonȩ,in dotalitiũ eiuſ-
dem eccleſiæ, & ius hæreditatis perſeuerabile, ad victuale ſubſidium Monachorum Chriſto iu-
giter ibi famulantium, indulſerant, dando,& concedẽdo hoc regiȩ maieſtatis meæ priuilegio,
corã totâ curiâ meâ corroboraui,& tam ipſas donationes,quam nomina donatorũ, literis meis
ad futuræ poſteritatis notitiam exprimere curaui,hoc eſt,primitus dona ipſius Aldremanni,ſci-
licet inſulam, in quâ ſedet xenodochium prædictum , cum omnibus ſibi pertinentibus pratis,
paſcuis, campis,paludibus,ſiluarumque denſitatibus: deinde rus illud,quod Vpwode nomina-
tur, cum Raueleya Berewico ſuo, Hemmingford, Saltrecam, Stinecleiam , Brininton,Weſton,
Hebugeh, Walſocnam,cum omnibus ad eaſdem villas pertinentibus,in Welles, quoque viginti
homines piſcatores ſexaginta millia Anguillarum ſingulis annis debentes ad vſum fratrum prȩ-
dictorum;Wulfina vxor eiuſdem Aldremanni, Branceſter, cum omnibus ad eam pertinentibus,
Dunſtanus Archiepiſcopus Dorobornenſis Wardebulc cum omnibus ſibi pertinentibus,Oſwal-
dus Archiepiſcopus Eboracenſis Kingeſton , ideſt, Wiſtowe,cum Rauell,& Biri Berewicis ſuis
omnibus ſibi pertinentibus,Athelſtan Manneſſane, Slepam, & Chateriz, & de Eleſworth par-
tem Orientalem cum omnibus ſibi pertinentibus,Brithnot Aldremanus,Wychenton,& Ysham
cum omnibus ſibi pertinentibus, Aylſwoldus Frater Aylwyni præſcripti Honaon,Witton,Rip-
tonam,Clinton,& Withernam, cum omnibus ſibi pertinentibus,Hinith vidua , Grauel , Be-
lington, Stocton, & Gillinger, cum omnibus ſibi pertinentibus, hæc itaque rura vt ſupradixi,
pro adipiſcendâ dulcedinis diuinæ miſericordiâ,& pro ſtabilitate Regni mei , libenti animo in
dote perſeuerabili annui,cum eccleſijs, cum terris cultis,& incultis, exitibus,reditibus,vijs in-
vijs,ſegetibus, ſiluis, bruerijs, ſecundum antiquos diu ſeruatos confinium terminos, in pratis,
paſcuis,aquis,aquarumque decurſibus,paludibus,piſcarijs,mariſcis, molendinis, & theloneis
ad ſe pertinentibus,& cum omni vtilitate, quæ inde poterit omni tempore euenire, & cum
omnibus per circuitum terminis,& metis ſuis,ab regiâ actione, & angariâ vel à quâlibet huma-
næ ſeruitutis ſubactione,liberrima, lege, libertate,conſuetudine, tam benè , & tam plenè, ſicut
ea ſub mei iuris Dominio,ſuffragatore Deo,melius, & liberius prænominati nobiliſſimi poſſi-
derunt viri,fauore,& conſenſu primatum,& optimatum meorum,prænominatæ eccleſiæ firmi-
ter perpetuo habenda conceſſi,& confirmaui. Vt igitur hoc donationis meæ decretum fixiori
firmitate,& ſtabilitate perduret,præſentis paginæ priuilegio decerno, & ſtatuo,vt ſint libera, &
expedita, tam prædicta territoria ibidem iam data, quam ea quæ à fidelibus deinceps ſunt dan-
da,ab omni angariâ constructionis pontis,arciſue reſtaurationis,& ab omnibus ſæcularibus ſer-
uitijs, & operibus: ita quod nullus vnquam Regum, vel Epiſcoporum, ſeu principum, procu-
ratorum, ſiue exactorum, ab illis paſtum,nec opera,vel tributa exigat;ſed omnia ſint libera om-
ninò,& quieta,quæcunque ſuperius prænotantur: præterea ex conſulto, & admonitione vene-
rabilium amicorũ meorum,Dunſtani Dorobornenſis,& Oſwoldi,Eboracenſis Archiepiſcopo-
rum, decreta vtilia ſtatui,vt quicunque maieſtatis Regiæ reus,vel cuiuſlibet alterius offenſæ,ad
locum illum confugerit,eius rei,& membrorum,ac vitæ impunitatem conſequatur;ſemperque
ſit habitatio Monachorum,ac ſecundum Beati Benedicti traditionem, poſt obitum Abbatis ex
eâdem Congregatione alter,qui dignus ſit,eligatur:aliunde verò nullus ibi præficiatur,niſi nul-
lum,quod abſit,ibi contigerit, qui dignus tali officio ſit, inueneri,quod ſi contigerit,poteſtatem
habeant de alio noto Monaſterio Abbatem eligendi,cuius vita ſapientiâ,& Religione clareſcat,
laicorum autem,aut clericorum nemo loci illius dominium vſurpare præſumat , poſſeſſiones
verò,quæ ibi à quibuſcunque donatæ ſunt , non Abbas , non alia quælibet perſona licentiam
habeat vendendi extraneis, vel dandi, ſed Regum munimine locus ille ſemper tueatur, ipſeque
Abbas Regi Deo ſoli ſeruiens,ſpirituali , & temporali commiſſum ſibi gregem paſtu diligenter
foueat: liceatque ipſi Congregationi, quod ſibi per rectam delegationem collatum eſt, perpe-
tuo poſſidere, & pro me, & pro ſtabilitate Regni mei Deum iugiter exorare. Poſt huius itaque
priuilegij mei donationem, excommunicauerunt omnes Epiſcopi,Abbates,præsbyteri, qui in
plurimâ numeroſitate eodem die affuerunt, eos qui hoc conſtitutum infringerent , vel infringi
permitterent, quantum in ipſis eſſent. Et vt hęc auctoritas meis, & futurorum poſt me Regum
temporibus,circa ipſum ſanctum locum firma perenniter permaneat, & inuiolata,& vt ab om-
nibus optimatibus meis, & iudicibus priuatis, & publicis melius, & certius credatur ; manus
meæ ſubſcriptione,hanc chartulam quinto kalend. Ianuarij decreui roborare, & ſigilli mei im-
preſſione communire. Signum Edgari,& Serẽiſſimi Anglorum imperatoris. Signum Edowardi
eiuſdem Regis filij. Signum Aethelredi fratris eius. Ego Dunſtanus Dorobernenſis Archiepiſ-
copus confirmaui. Ego Oſwaldus Eboracenſis Archiprȩſul corroboraui. Ego Alfſtanus Lõdini
Epiſcopus conſolidaui. Ego Aethelwoldus Wintoniæ Epiſcopus comodum duxi. Ego Aelfno-
thus

thus Dorcensis Episcopus conclusi. Ego Ailstanus Roffensis Episcopus consigillaui. Ego Alfgarus Wintoniensis Episcopus Amen dixi, Ego Elsinus Abbas cum coabbatibus meis, & præsbyteris, infractores huius firmitatis excommunicaui. Ego Elwynus Alderman hoc meum desiderium ad perfectum, Deo suffragatore, vsque perduxi.

SCRIPTVRA. XLII.

Confirmatio fundationis facta per S. Regem Edouardum Confessorem.

IN onomate summi Kyrios omnia iura Regnorum gubernantis, & ab alto cœli fastigio cuncta cernentis, Ego Edowardus totius Albionis Dei moderamine, gubernatione Basileus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Centenarijs, cunctisque sanctæ fidelibus ecclesiæ Clericis, & laicis, insuper & omnibus post me futuris Regibus salutem, perpetuamque pacis fælicitatem. Summum Regibus, ac principibus bonum est, iustitiam Dei colere, sanctam ecclesiam eius exaltare, & honorare, quia qui eam exaltant, & honorant, cum eâ, & in eâ, & per eam exaltantur, & honorantur. Præuenit cor meum gratia Dei, vt quod ab Antecessoribus meis Regibus collatum est eius ecclesiæ, meâ firmetur authoritate, ecclesiæ namque Beatæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, sanctique Benedicti; omniumque sanctarum virginum, quæ Ramesey nuncupatur, quæ olim in tempore pręcellentissimi Regis Edgari, à quodam insigni viro Alwyno onomate, vtpote in eiusdem Regis gloriosi munificenciæ cartula, quam ibidem donauerat, data ac sigillo Regio confirmata, legitur, Almipotentis Christi mirabilis cooperante gratiâ, est constructa, ac terrarum copiosis, ditata muneribus. Inprimus eam ita liberam, & quietam, tam ab omni exactione Episcopali, quam à sæculari esse volo, vt neque nos, neque successores nostri, neque quilibet Episcopus, nec quicunque de indiciariâ potestate, in ipsam sanctam Basilicam, vel immanentes in ipsâ; vel in homines, qui cum suis terris, vel quibuslibetcumque substantijs ad ipsam tradere vel deuouere se voluerint, nisi per voluntatem Abbatis, & omnium suorum Monachorum, vllam vnquam habeant potestatem, sed sit hęc sancta mater ecclesia specialis Dominæ nostræ perpetuæ Virginis Mariæ, at patroni nostri sancti Benedicti, & omnium sanctarum virginum libera, & absoluta ab omni inuasione, vel inquietudine omnium hominum, cuiuscunque ordinis, vel potestatis esse videantur. Præterea in perpetuum confirmo, vt Monachi eiusdem ecclesię per successiones secundum Regulam sancti Benedicti eligere sibi idoneos Abbates habeant potestatem; & quisque fugitiuorum, de quocunque loco, pro quâcunque causâ, cuiuscunque conditionis sit, ipsum sanctum locum, vel procinctum eius intrauerit, fugiens; membrorum suorum, ac vitæ impunitatem consequatur. Possessiones verò, quę ibi à quibuscunque donatæ sunt, non Abbas, non alia quælibet persona licentiam habeat vendendi, vel extraneis dandi: sed Regum munimine deinceps locus ipse tueatur: ipseque Abbas Regi soli seruiens, atque ei soli os ad os respondens, commissum sibi gregem spirituali, & temporali pastu abundanter foueat. Concedo, & confirmo omnes donationes terrarum, vel libertatum, aut aliarum rerum, quæ à Regibus, Edgaro videlicet, & Hardecnut, seu alijs fidelibus ante me donatæ sunt: hoc est Vpwode, cum Raueleya, Berewico suo, & cum insulâ, in quâ prędictum stat Arcisterium, cum omnibus sibi pertinentibus, Hemingeford cum omnibus ad se pertinentibus, Walsoke, cum omnibus ad se pertinentibus, Sautrey, cũ omnibus ad se pertinentibus, Hellingh cum omnibus ad se pertinentibus, in Welles viginti piscatores ibidem singulis annis ad vsum fratrum lx. M. Anguillarum reddentes, Brancestrei cum omnibus ad se pertinentibus, & cum omni maris proiectu, quod nos Anglicè, Shipwheck appellamus, Ripton cum omnibus ad se pertinentibus, Tinell cum omnibus ad se pertinentibus, Kingston cum Rasfleya, & Byri....... Berewicis suis, omnibusque sibi pertinentibus, Wardebult cum omnibus ad se pertinentibus, Stepton, cum omnibus pertinentijs suis, Chaterih cum omnibus ad se pertinentibus, & vnam mansionem orientalẽ, de Elesworth cum omnibus ad se pertinentibus, Houcton cum omnibus ad se pertinentibus, Witton cum omnibus ad se pertinentibus, Elinton cum omnibus ad se pertinentibus, Bitherum cum omnibus ad se pertinentibus, Briumton cum omnibus ad se pertinentibus, Wychinton cum omnibus ad se pertinentibus, Ysham cum omnibus ad se pertinentibus, Weston cum omnibus ad se pertinentibus, Grauell cum omnibus ad se pertinentibus, Bilinchon cũ omnibus ad se pertinentibus, Scocton cum omnibus ad se pertinentibus, Gillinger cum omnibus ad se pertinentibus, necnon & illas, quas optimates mei meo tempore addiderunt, scilicet Ethericus Dorcensis ecclesię Episcopus

pus Clinton, & Bernewell, & Hemingeton, & vnam mansionem in Elesworth occidentalem, & Gretton, & Therefeld, & Sucklingdon, & Westmulne orientalem, & Offerton in Hoylandia, & tres hidas in Broucton, & tres hidas in Bodekesham, & cum omnibus ad se pertinentibus. Ethnothus successor eius Episcopus, Ouer, & Barton, & Suapwell cum omnibus ad se pertinentibus. Ethnothus filius Godrici, Accleyam cum omnibus ad se pertinentibus. Eylwynus Swerte, Cranfeld, & Kemeston, & Cloppam cum omnibus ad se pertinentibus. Leoffius diaconus Wipsinton, & Langetehill, & Watlinworth cum omnibus sibi pertinentibus. Leoffius nepos eius Meringe cum omnibus ad se pertinentibus. Alfsius de Lamwathe Burcwell cum omnibus ad se pertinentibus. Iohol de Lincoln Querinton cum omnibus ad se pertinentibus. Hardecnut verò frater meus Hemingeford, & Gilling cum omnibus sibi pertinentibus. Postremò ego ipse propter spem retributionis æternæ, & pro remissione delictorum meorum, & pro animabus patris, & matris meæ, & omnium parentum meorum, ad laudem omnipotentis Dei, ad vsus fratrum ibidem Deo seruientium, de meo iure, quod mihi soli competebat, absque vllius reclamatione, vel cõtradictione ista addidi: Inprimis Kingested cũ omnibus ad se pertinẽtibus, & cũ omni maris eiectu quod shipwreck appellamus, & Wynebodesham cum hundred, & dimid, infra Bichamdich, & cum 64. socmannis ad hundred pertinentibus, & cum foro de Bunhã, ad Wynebodesham pertinẽte. Relaxamus igitur istis, & omnibus supranominatis terris, consuetudines omnes, & exactiones Regalium, & Episcopalium ministrorum, sicut Antecessores mei Reges primò fecerunt: vt nullis grauentur oneribus expeditionum, nec pontium, nec Castrorum restructione, nec furis apprehensione, & emissione, nec sanguinis effusione, & omnia quæ ad locum ipsum pertinent sint omnia libera, Cellę, Ecclesiæ, cœmiteria, terræ, pascua, siluæ, venationes, aquæ, piscationes, cum redditibus, seruitijs, debitis, oblationibus, luminaribus, decimis, donarijs, censu, morthidis, legibus, consuetudinibus, causarum discussionibus, emendationibus, siue ecclesiasticis, siue sęcularibus, & cum omnibus, quæcunque maris procellosis tempestatibus in aquam, vel in terram eorum eiecta fuerint, quod Anglicè Shipwrech promulgatum est onomate, & omnibus, quæcunque scriptis, & testimonio bonorum hominum rememorari potuerint, quæ à Regibus concessa, vel concedenda sunt; vt nullus ex ijs subtrahere, vel diminuere, aut dispergere quâlibet occasione, iudicio, vel potestate præsumat. Renouamus etiam, & confirmamus priuilegia antiquorum Regum, atque ob reuerentiam Dominæ nostræ perpetuæ Virginis Mariæ, sanctique Benedicti, sanctarumque virginum, omnibusque futuris ibidem Abbatibus in totâ possessione Monasterij, sacham & socham, theloneumque suum in terrâ, & in aquâ concedo, & consuetudines, vt ab omnibus apertius, & plenius intelligantur, Anglicè scriptis, scilicet mundbriche, Feardwite, Fitwite, blodewite, milkemuge, Frithsoke, Hamsocne, Forstall, Forphange, Yihpheang, Hangwite, Grithbriche, Vtlep, Infongenthef, Sypbriche, tol, & tem, aliasque omnes leges, & consuetudines, quæ ad me pertinent, tam plenè, & tam liberè, sicut eas in manu meâ habebam; Et, vt omnia concludam, nullus succedentium Regum, Episcoporum, Principum, Comitum, Vicecomitum, procuratorum, seu aliorum Regum clientium, vel alia quælibet magna, vel parua persona, per vim, aut per consuetudinem, pastum, censum, vel impensionem, non opera, non tributa, xenia, seu munuscula, vel aliud quidlibet ab eorum possessionibus exigat: sed omnimodam libertatem perpetualiter in terrâ, & in aquâ, in vrbe, & extra, in domo, & extra, in villâ, & extra, in viâ, & extra, in placito, in soca, & saca, in theloneo, & in omnibus suis appendicijs habeant. Quisquis igitur fidelium hanc nostram munificenciam amplificare proprijs donis sategerit, augmentet illi omnipotens Deus gaudium perenne vbi perpetuitas viget. Si quis verò, quod absit, eam destruere voluerit, vel huius nostri decreti contradictor, conuulsor, & temerator extiterit, perpetuo Anathemati subiaceat, nisi Deo, & eius gloriosæ matri dignâ pænitentiâ satis fecerit. Scripta est namque hæc scheda me iubente, & sigillata, his testibus, quorum onomata, infra habentur consentientibus, secundo kalend. Decemb. Ego Edwardus Rex, Deo largiente, Anglorum, signum venerandæ crucis impressi. Ego Stigandus Archiepiscopus concessi, & confirmando signo sanctæ crucis consignaui. Ego Æthelredus Archiepiscopus gratanter corroboraui. Ego Wulfstanus Episcopus vexillo sanctæ crucis prenotaui. Ego Gyso Episcopus consentaneus fui. Ego Walter Episcopus consensum præbui. Ego Reinbaldus Cancellarius consigillando commodum duxi. Ego Switgarius Notarius scripsi. Ego Aelsius Abbas. Ego Edwinus Abbas. Ego Egelwinus Abbas. Ego Baldewinna Abbas. Ego Alwinus Abbas hoc meum desiderium ad perfectum adduxi, & à Rege hilariter suscepi. Ego Leofricus Dux. Ego Haroldus Dux. Ego Leofwinus Dux. Ego Edwinus Dux. Ego Hugelinus Cubicularius. Ego Edgarus stallere. Ego Robertus filius Wittman. Ego Wigodus de Lincolne.

SCRIPTVRA. XLIII.

Exemptio Abbatiæ Augustiniensis Cantuariæ; Ex libro manuscripto membranaceo, registro Sancti Augustini Cantuariæ; in Bibliothecâ Nobilissimi Domini D. Roberti Cottoni.

CElestinus Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Abbati, & Conuentui sancti Augustini Cantuariæ salutem, & Apostolicam benedictionem. Quantò Monasterium vestrum ad dispositionem Beati Petri, & nobis specialius pertinet, tantò ipsum studiosius manutenere debemus, & vt illis, qui paci vestræ inuident, & quieti malignandi aditus adimantur speciali libertate donare, præsertim cum multas persecutiones, & iniurias dicamini sustinere, à quibus ob reuerentiam Romanę Ecclesiæ debetis congruâ protectione defendi. Quapropter paci, & tranquillitati vestrę paternâ solicitudine prouidere volentes authoritate Apostolicâ prohibemus ne Cantuariensis Archiepiscopus, aut Archidiaconus, siue officiales eius, vel aliquis legatus obtentu legationis Monasterium vestrum ingredi, vel Abbatem, & Monachos eius aliquâ grauare sententiâ vel sumptibus molestare, Ecclesias, Clericos, aut homines vestros interdicere, vel excommunicare attentet, nisi fuerit à Romani Pontificis latere destinatus, vel mandatum ab eo susceperit speciale ad vos nominatim directum. Præterea Chrisma, oleum sanctũ, consecrationes altarium, Ordinationes Monachorum, & Clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promouendi à Cantuariensi suscipiatis Archiepiscopo si gratiam, & communionem Apostolicæ sedis habuerit, & ea gratis, & absque vllâ prauitate vobis voluerit impertiri. Alioquin quemcunque malueritis adeatis Antistitem catholicum, qui nostrâ fretus authoritate, quod postulatur indulgeat nec id vobis audeat aliquatenus denegare. Decernimus ergo vt nulli omninò hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hęc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Latera: sexto idus Iulij Pontificatus nostri anno sexto.

Exemptio Monasterij.

INnocentius Episcopus seruus seruorũ Dei, dilectis filijs Rogero Abbati Monasterij Beatorum Petri, & Pauli, sanctique Aug. quod iuxta Metropolim Dorobernię situ est, eiusque fratrib' tã pręsentibus, quã futuris regularẽ vitã professis, in P. & Pauli Monast. Licet omnes ecclesias, ex iniuncto nobis diuinitus apostolatus officio diligere, atque honorare generaliter debeamus, & suam eis iustitiam conseruare, illis tamen propensiori curâ nos conuenit imminere, quæ ad ius, & proprietatem Ecclesiæ Romanæ specialiter pertinere noscuntur, cui authore Domino deseruimus, hoc nimirum intuitu, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium in honore Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, à gloriosæ memoriæ Æthelberto Anglorum rege, ad orientem Doroberniæ ciuitatis in suam sibique succedentium Regum eiusdemque vrbis Præsulum sepulturam à fundamento constructum, & sub iurisdictione sedis Apostolicæ sine medio constitutum ad exemplar prędecessorum nostrorum fælicis memoriæ Bonifacij, Adeodati, Agathonis, Ioannis, Calixti, Innocentij, Lucij, Eugenij Alexandri, & Cælestini, Romanorum Pontificum præsentis scripti paginâ communimus. Statuentes vt quascunque possessiones quæcunque bona Monasterium ipsum in præsentiarum iustè, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata consistant. Libertatem quoque ab eisdem prædecessoribus nostris per autentica priuilegia eidem venerabili loco concessam nos authore Deo ratam, & inconcussam in posterum volumus conseruari, & sicut Monasterium ipsum in initijs nascentis Christianæ religionis apud regnum Anglorum in Monasticæ religionis obseruantiâ extitit primum: ita nihilominus cum omnibus ad ipsum pertinentibus perpetuis futuris temporibus ab omni seruitio liberum, ab omni mundiali strepitu maneat inconcussum scilicet nec ecclesiasticis conditionibus siue angarijs quibuslibet obsequijs sæcularibus aliquo modo subiaceat, neque vllus omninò in eiusdem Monasterij Dominium quolibet modo se ingerat vel quamlibet imperandi

Confirmatio amplissima exemptionis, & libertatũ Monasterij.

perandi sibi vindicet potestatem, vel aliquas molestias inferat, consuetudinem imponat, aut etiã in eo missarum solẽnia nisi ab Abbate, & fratribus inuitatus celebrare præsumat. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum nullus ad eiusdem loci regimen extraneus assumatur, nisi fortè (quod absit) in loco ipso idonea persona ad huiusmodi officiũ non poterit reperiri, sed de Congregatione ipsâ, & quem communis consensus fratrum pars concilij sanioris propriâ sibi elegerit voluntate, sine aliquâ professionis exactione in Monasterio benedicatur eodem. Hęc igitur omnia sicut à iam dictis prædecessoribus nostris constituta, & priuilegiorum sunt munimine roborata, ita & nos vobis vestrisque successoribus, & per nos eidem Monasterio in proprium præsentis scripti paginâ confirmamus. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit, secundò, tertioue commonita nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine Dei ac Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternę pacis inueniant. Amen. Amen. Amen. Datum Lateran: per manum Blasij sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, & Notarij, secundò Nonas Nouembris, indictione sextâ, Incarnationis Dominicæ anno 1202. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno 5.

SCRIPTVRA. XLIV.

De loco Abbatis Sancti Augustini Cantuariæ in Concilijs, vel Synodis celebrandis.

Ex eodem libro fol. 44.

ANno Domini, 1055. Edoardus Rex (sanctus confessor) dedit huic Monasterio totam terram quam habuit in Frodwico. Anno sequenti Leo Papa (nonus) Symoniacam hæresim in Francia debellabat: mittitur ad eum consensu regis, & regni Vlfrius Abbas pro negocijs regni, & ecclesiæ Anglicanæ († pontifici) responsurus: cuius responso Papa intelligens, Anglos cæteris innocentiores, & ecclesię Anglicanæ profectui congratulans, inter alia multa confirmabat, vt Archiepiscopus Cantuariæ in Concilijs vel Synodis celebrandis assidere debeat S. Romano Pontifici, Abbas verò Augustinensis Abbati Montis Cassini.

†Deerat vox aliqua similis.

Vide Malmesbur. in Anselmo.

SCRIPTVRA. XLV.

Fundatio Collegij Oxoniensis pro Monachis nigris Prouinciæ Cantuariensis: Ex antiquo manuscripto exemplari in Bibliothecâ Nobilissimi D. Roberti Cottoni.

Qualiter, & per quos Prioratus S. Benedicti de Oxonia (qui vulgo adhuc collegium, seu aula Glocestrensis vocatur) fuerit pro Monachis nigris Prouinciæ Cantuariensis fundatus.

SVb anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, in festo translationis Sancti Benedicti, Generali Capitulo Abbatum & Priorum omnium eiusdem ordinis, apud Abendonam solemniter celebrato, cui Abbas de Certeseya personaliter, & Abbas de Westmonasterio, per Abbatem Glastoniæ suo nomine deputatum, intererant Præsidentes; quibusdam

1. Conuentus inſignis circiter 30. Abbatum, & Priorum in Eccleſiâ Collegiatâ Sarum, pro decretis ſuæ congregationis, & fundatione prioratus Oxonienſis.

dam per procuratores comparentibus, & quibuſdam ſuam exhibentibus præſentiam perſonalem; de Barcidem, Eysham, & de Winchcomb Abbates, ac Prior Eccleſiæ Vigorniæ, cæterorum Abbatum præſentium tunc ibidem, procuratorumque abſentium nomine; conſenſu quoad hoc concorditer concurrente, ſuper omnibus, & ſingulis Capitulum contingentibus memoratum, diffinitores, ſeu prouiſores vnanimiter fuerunt electi: quorũ diffinitiones ordinationeſue, ſeu prouiſiones, vnà cum Conſilio prouido dictorum Præſidentium faciendas, alijco-abbates procuratores abſentium nomine, ſe per omnia ſeruaturos expreſsè, & ſpecialiter promiſerunt; authoritati eiſdẽ diffinitoribus quoad hoc traditæ, vt præmittitur, ſubſcribentes; & demum tam ſuper ijs, quæ prioratum Oxonij per Religioſos prędictos cauſâ ſtudij creatum de nouo, quoad ædificationem inibi continuandam, & contributiones in poſterum ędifficandi prætextu communiter faciendas, quam alijs, quæ Capitulum huiuſmodi contingere videbantur; per diffinitores & Præſidentes ipſos habitâ deliberatione decenti, eorumque diffinitionibus in ſcripturam redactis, quę ſuis & eorundem Præſidentium ſigillis ad rei geſtę memoriam exſtitit communita, ac Abbatibus de Certeſeya, & de Sancto Edmundo, de Sancto Auguſtino Cantuariæ, de Rameſeya, de Glaſcon, de Malmesbury, de Eueshã, de Abbedesbyry, de Perſora, de Bello, de Radinge, de Tewksbiry, de Aldydes, de Cernes, de Middleton, de Tawſtoke, de Abindon, S. Benedicti de Vlno, de Coleceſtria, de Scyrbourn, de Winchcomb, de Sancto Albano, de Barden, de Eynesham, de Croyland; & Prioribus de Norwich, de Wigornia, de Batton, de Bradwell, in craſtino ſepulturæ celebratæ apud Ambresbery claræ memoriæ Dominæ Ælienoræ quondam Reginæ Angliæ, apud Sarum in Eccleſiâ Collegiatâ perſonaliter Congregatis, alijſque Abbatibus, Prioribus, omnibus & ſingulis per procuratores comparentibus; authoritas ipſa dictis diffinitoribus & Præſidentibus permiſſa primitus, ibidem extitit publicè recitata, prout cœtus Prælatorum huiuſmodi id fieri poſtulauit inſtanter: Quâ quidem authoritate approbatâ, ſeu confirmatâ concorditer per eoſdem, ſubſequenter legebantur diffinitiones, & illa omnia munimenta, quæ Prioratum ipſum qualitercunque tangebant, vnâ cum ſecuritate illâ, quam Prior, & Conuentus Prioratus eiuſdem, ipſis prędidentibus, & alijs ordinis antedicti fecerunt, cuius ſecuritatis forma, munimentorumque, continet hunc tenorem.

2. Inſtrumentum. D. Ioannis Abbatis Glouceſtrenſis: quomodo Monachi de Glouceſt. primò morabantur, & reuocantur

Nouerint vniuerſi Sanctæ matris Eccleſię filij, ad quorum notitiam peruenerit hæc pręſens ſcriptura, quod cum Vir Nobilis Dominus Ioannes Giffard, Dominus de Brimefield, domum quandam de nouo in quâ Monachorum ordinis Sancti Benedicti Conuentus ad diuini cultus augmentum & memoriam, veluti præcipuæ deuotionis donario, ex ſui fundatione perenniter haberetur, proponeret ordinare: & ſecundum ſui pium propoſitum, quoad id diuinitus inſpiratum, locum quendam in Suburbio Oxonij in vico qui Stockwellſtreete vulgariter nuncupatur, propter ſtudij aptitudinem, quod Religioſis, & ſæcularibus præſertim congruit; quẽ a Fratribus Hoſpitalis S. Ioannis Ieruſalem (ſub quorum nomine idẽ locus exiſtens ab omni iuriſdictione Epiſcopali, & Archidiaconali a tempore cuius memoria non exiſtit habebatur exemptus) non parcendo labori, vel ſumptibus habere dignoſcitur ad id fauẽte Domino, ſpecialiter duceret deputandum: Nos Ioannes permiſſione diuinâ Abbas Monaſterij Sancti Petri de Glouceſtria, & eiuſdem loci Conuentus, humiliter per dictum Nobilem, & noſtro Generali Capitulo præſidentes, ſuo & Communitatis noſtri ordinis nomine inſtantius requiſiti, quoſdam Monachos noſtrę domus ad inhabitandum locum prędictum primordialiter, vice Communitatis præmiſſæ fecimus deſtinari; demumque, prout ipſorum Præſidentium, dicti nobilis, & Communitatis noſtri ordinis, quoad hoc concorditer concurrente conſenſu, prouida diſpoſitio vniformiter ordinauerat, reuocantes eoſdem; & factum huiuſmodi tam laudabile multipliciter ponderando communitatem noſtri ordinis, tanquam vtilitatem publicam, diſpoſitioni propriæ, ac cuicunque vtilitati priuatæ non immeritò cupientes præferri, gratanter duximus annuendum, quod noſter confrater dilectus frater Henricus dictus de Helin (quem ex morâ diutinâ quoad nos deuotum in ſpiritualibus, prouidum in temporalibus, & diſcretum, ac in vtriſque nouimus circumſpectum) a noſtro Monaſterio liberè transferatur, ad recipiendum & tenendum vice Communitatis noſtri ordinis locum eundem in Suburbio Oxonienſi memorato, ac fundationem ipſius, necnon ad conuentum inibi ſtatuendum. Ita tamen, quod ex hoc facto noſtro, ſeu aliquo præcedenti, nobis vel noſtris ſucceſſoribus quibuſcumque, colore quouis, vel nomine ſpeciali, in perſonis ipſis, ſeu loco nihil iuris in poſterum accreſcat omninò, niſi quatenus cæteris de ordine noſtro ius communiter competit in eiſdem. Vt autem idem Frater Henricus zelo deuotionis, & abſque remorſu conſcientiæ valeat, ſicut decet, vacare præmiſſis; & alia, quæ incumbunt, officia vberius adimplere; à ſubiectione qualibet, quâ nobis, & noſtro Monaſterio tenebatur aſtrictus, præſentium tenore reddimus totaliter abſolutum

lutum; & in testimonium præmissorum omnium sigillum nostrum, nos Abbas prædictus, vnà cum sigillo nostro communi, de nostri, & totius Conuentus conscientiâ, super omnibus præmissis, & singulis primitus habito inter nos diligenti tractatu, fecimus his appendi.

EDwardus, Dei gratiâ Rex Angliæ Dominus Hiberniæ, & Dux Aquitaniæ, omnibus, ad quos præsentes literæ peruenerint, salutem. Licet de communi consilio Regni nostri prouiderimus, quod non liceat viris Religiosis, seu alijs, ingredi feoda alicuius, ita quod ad mortuam manum deueniant, sine licentiâ nostrâ, & Capitalis Domini, de quo res illa immediatè tenetur: volentes tamen dilecto, & fideli nostro Ioanni Giffard, gratiam facere specialem: dedimus ei licentiam, quantum in nobis est, quod ipse quatuor mesuagia, & vnum toftum cum pertinentijs in Oxonio dare possit, & assignare dilectis nobis in Christo Priori, & Conuentui Ordinis Sancti Benedicti Oxonij, habendum, & tenendum eisdem Priori, & Conuentui, & successoribus suis in perpetuum, & eisdem Priori, & Conuentui, quod messuagia, & tofta prædicta ab eodē Ioanne recipere possint similiter licentiam concessimus specialem. Nolentes quod idem Ioannes vel hæredes sui, aut prædicti Prior, & Conuentus vel successores sui, ratione statuti prędicti, per nos vel hęredes nostros inde occasionentur, vel grauentur in aliquo: Saluis tamen Capitalibus Dominis Feodi illius seruitijs inde debitis, & consuetis. In cuius rei testimonium has literas nostras fieri fecimus patentes, teste meipso apud longam Iethenton 12. Die Martij anno Regni nostri decimo nono.

3. Instrumētum concessionis Regiæ, de terris, & possessionibus Prioratui fundando amortizandis.

SCiant præsentes, & futuri, quod ego Ioannes Giffard Dominus de Brimesfield, pro salute animæ meę, & animarum Matildæ Longespee quondam consortis meæ, & antecessorum, & hæredum meorum, dedi, concessi, & hac præsenti chartâ meâ confirmaui, Deo, & Beatæ Mariæ, & ecclesiæ beatorum Ioannis Apostoli, & Euangelistæ, & Benedicti Abbatis & Confessoris Oxonij, & Priori, & Conuentui eiusdem loci ordinis Sancti Benedicti, & Communitati Monachorum eiusdem ordinis, prouinciæ Cantuariæ, ibidem causâ studij transmissorum seu transmittendorum sub formâ debito modo prouisâ, & statutâ per generale Capitulum ordinis, & prouinciæ prædictę, omnes terras, & tenementa cum singulis suis pertinentijs, quæ habui in vico de Stockwellstreete in suburbio Oxonij; videlicet omnes terras, & tenementa, quæ habui de dono, & feoffamento fratris Willielmi de Hawuill tunc Prioris sanctæ domus Hospitalis S. Ioannis Ierusalem in Angliâ, & assensu, & voluntate omnium fratrum totius capituli sui, & omnes terras, & tenementa, quæ habui ex dono, & Feoffamento Ioannis de Hangenport burgesij Oxoniensis, & totum illud tenementum, quod habui ex dono, & feoffamēto Eue Loteris, & totum illud tenementum, quod habui ex dono, & Feoffamento Ioannis Watson & Ydoneæ vxoris suæ, & totum illud tenementū, quod habui ex dono, & Feoffamento Stephani de Coue, & Alicię vxoris suæ: ad fundationem, & intentionem perpetuę sustentationis Prioratus, & communitatis ordinis prædicti ibidem, in liberam, puram, & perpetuam eleemosinam, & quietam, habenda, & tenenda prædictis Priori, & Conuentui, & successoribus suis, & communitati prędictæ, de me, & hæredibus meis liberè, quietè, ab omni seruitio, exactione, & sæculari demaundâ in perpetuum: & ego prædictus Ioannes, & hæredes mei prædictis Priori, & Conuentui, & successoribus suis, & communitati prædictæ, omnes prædictas terras, & tenementa cum singulis suis pertinentijs contra omnes gentes warrantizabimus, acquietabimus, & defendemus in perpetuum, ita quod prædicto Priore cedente, vel decedente, quilibet prior succedens electus per Conuentum dicti loci, mihi, & hæredibus meis tanquam patrono loci illius præsentetur, quem sine difficultate, dilatione, seu calumniâ aliquâ recipiemus. Et volo, & concedo pro me, & hæredibus meis, quod Subprior, & Conuentus eiusdem Prioratus habeat, & percipiat liberè, à tempore vacationis, omnes reditus, & prouentus ad Prioratum, & Communitatem prædictam pertinentes, sine aliquo impedimento vel calumniâ mei, vel hæredum meorum, in perpetuum. In cuius rei testimonium huic præsenti chartæ, sigillum meum est appensum, his testibus, Domino Ioanne Giffard consanguineo meo, Domino Roberto filio Pagani, Domino Radulpho de Georges, Domino Roberto de Stapilton militibus, & Ioanne Lebritt, Iacobo de Ley, Ioanne de aquâ, & alijs.

Charta Ioannis Gifford de Brimesfild, fūdatoris Collegij, siue aulæ Gloecestrensis.

VNiuersis sanctæ matris filijs, ad quorum notitiam peruenerit hæc scriptura, Ioannes permissione diuinâ Abbas Monasterij sancti Petri Gloucestrensis, & eiusdem loci conuentus humiliter salutem in eo quem peperit vterus virginalis. Cum sanctæ Religionis statum tranquilitate pacis charitatisque suauio, ac humilitatis spiritu deceat recreari, in quibus ipsa deuotæ professionis

Scriptū aliud Ioannis Abbatis

Gloceſtrenſis: Quomodo illi de Glõceſtriâ renunciãt cuilibet iuri, quod poſſit eis cõpetere prætextu Monachorũ ibidem primò morantiũ modo qui præmittitur.

profeſſionis veritas ſecundum ſanctorum patrum ſalubres regulas approbatur, vt per viam veritatis huiuſmodi, quæ nobis vice peculij congruit, incedamus, debitæ conuerſationis honeſtas meritò nos inducit: auditis itaque oblocutionibus varijs, ex quarum tumultu perpendimus forſitan per æmulos nobis imponi, quod nos noſtro, & noſtri Monaſterij nomine vendicemus omnia illa tenementa, cum terris, & alijs ſuis appendicijs, quæ vir nobilis, & peritus Dominus Ioannes Giffard, Dominus de Bremeſfeld in Suburbio Oxonieñſi in vico ſcilicet, qui Stockwelſtreete vulgariter appellatur, Communitati Monachorum noſtri ordinis contulit, ſecundum ſuæ chartæ tenorem, & quod nos terras, & tenementa huiuſmodi cum omnibus, & ſingulis ſuis pertinentijs noſtro, & noſtri Monaſterij nomine quaſi iure proprio contendendo proponimus obtinere: quocirca volentes mendacium fallacias certis aſſertionibus extirpare, palam tenore præſentium profitemur, quod nos in tenementis præfatis, ſeu aliquo in eiſdem terris ſeu pertinentijs quibuſcunque nihil omninò noſtro, vel noſtri Monaſterij nomine ſine iure exigimus, aut aliqualiter vendicamus, extra id quod ex ſerie feoffaméti memorati nobilis, ratione dictæ communitatis, nobis noſcitur fuiſſe permiſſum. Si verò aliquod Feoffamétum, literam ſiue chartam pro tempore bonæ memoriæ Reginaldi quondam Monaſterij noſtri Abbatis in ipſo noſtro Monaſterio, ſeu alibi penes quaſcunque perſonas, ipſius Reginaldi, & Monaſterij nomine à Feoffatione factâ per eundem nobilem communitati Monachorum prædictæ diſcrepans, vel diſcrepantem à caſu reperiri contingat, volumus, & concedimus pro nobis, & ſucceſſoribus noſtris expreſsè, quod illud Feoffamentum, litera, ſiue charta ipſius Reginaldi, & Monaſterij nomine conceptum ſpecialiter, ſeu concepta, omni effectu careat, & nullum, ſeu nulla penitus in poſterum cenſeatur. Et ſi qua poſſeſſio, vel ſeiſina ipſius Reginaldi, & Monaſterij nomine hactenus ſpecialiter de tenementis, & terris huiuſmodi ſit obtenta; nolumus quod ipſi feoffaméto prædicti nobilis facto communitati vt præmittitur Monachorum præiudicialis exiſtat, ſed quoad nos, & noſtrum Monaſterium pro futuris temporibus reputetur infecta. In teſtimonium autem, & memoriam præmiſſorum habito ſuper his inter nos primitus diligenti tractatu, ſigillum noſtrum commune fecimus concorditer his appendi. Datum in pleno Capitulo noſtro, &c.

Declaratio, & conceſſio facta Cõmunitati per Priorem, & Cõuentum, extra id quod in cartâ fũdatoris cõtinetur, & hoc ex cauſâ.

VNiuerſis ſanctę matris eccleſiæ filijs, ad quorum notitiam peruenerit hæc præſens ſcriptura, Frater Henricus de Helm Prior domus ſancti Benedicti in Suburbio Oxonienſi in vico de Stockwellſtreete, & eiuſdem loci Conuentus humiliter, ſalutem in eo, quem peperit vterus virginalis. Iuris doctrina, Iuriſperitorum exemplo prudenter prouidit, quod geſta ſub aſſertione, & præſentiâ præceſſorum, cauſâ perpetuitatis habendæ, originaliter introducta per ſcripturæ ſeriem veluti per ſpeculum infallibile poſteris relinquantur: alioquin hominum memoriâ continuis curriculis ſolitò prolabente, cum cautelæ ſtudio primitus agitata, nouitate quâdam (cui natura indies eſt applaudens) quaſi ad non eſſe, ſuis forſitan occultatis remedijs, de facili ducerentur, ſicque bona deliberatione quadrifariâ quæſita variè per diuerſos, tanquam proiectę merces in amnem, naue ictu fluminis laborante prorſus perirent à caſu, & ſtatus primæui reſtitutio difficile admodum ſequeretur. Nos ſiquidem Rege pacifico diſponente Domino Ieſu Chriſto pacis filio, per nobilem virum Dominum Ioannem Giffard Dominũ de Brimeſfeld loci huiuſmodi fundatorem, ſancti patris Domini Edouardi Dei gratiâ Epiſcopi Lincolnienſis loci diocœſani, & Religioſorum virorum Abbatum in Cantuarienſi Prouinciâ Prę́ſidentûm Capitulo Generali, ac totius Communitatis Ordinis ſancti Benedicti eiuſdem Prouinciæ concorditer concurrente conſenſu, collocati in loco præmiſſo, ad diuini cultus augmentum, & ad celebrandum diuina pro dicti nobilis, & bonę memoriæ Dominæ Matildæ de Longeſpeye quondam conſortis eiuſdem, necnon vtriuſque anteceſſorum, & ſucceſſorum, ac liberorum ſuorum, omniumque defunctorum fidelium animabus ſpecialiter conſtituti, volentes pro viribus in tranquilitatis dulcedine ſub pacis geſtorio tam noſtris, quam ſucceſſorum temporibus ſolidari: pro nobis, & noſtris ſucceſſoribus quibuſcunque tenore præſentium concedimus, & conſentimus expreſſè, quod dictus Prioratus, cum perſonis in pręſentiarum morantibus, & in poſterum moraturis ibidem, præmiſſis præſidentibus (ſaluo diocœſani ſicut decet honore) immediate ſit ſubiectus, & quod monachi à quibuſcunque domibus noſtri ordinis, infra Prouinciæ Cantuariæ ambitum conſtitutis, ad prioratum præfatum cauſâ ſtudij pro ſuperiorum ſuorum arbitrio deſtinati, & deſtinandi, ſimiliter in futurum per nos ſeu ſucceſſores noſtros abſque difficultate quâlibet admittantur, & liberè morentur ibidem, ac abſque contradictionis obſtaculo fructus, ſeu obuentiones quaſcunque de piſcarijs, pratis, paſcuis, & gardinis, locisue, ſeu rebus alijs, nobis, vel loco prædicto collatis hactenus, ſeu futuris temporibus conferendis proficiſcentes

ficiſcentes (quocunque titulo vel nomine cenſeantur) omni quo ad hoc materiâ diſſentionis ceſſante, prout prioris prouida diſpoſitio duxerit ordinandum, nobiſcum percipiant communiter, & vtantur eiſdem. Saluâ prouiſione illâ, de quâ nobilis antedictus ad vſus noſtros pro celebratione diuinorum modo expreſſo ſuperius perpetuitatis congaudendâ ſpecialiter prouidebat. Saluis etiam ijs, ſi quæ forſan ad certum vſum ipſorum Prioris, & Conuentus, lociue intuitu erogari contigerit: quo caſu ipſius donatoris voluntas libera in omnibus obſeruetur. Ad hæc volumus, & pro nobis, ac noſtris ſucceſſoribus cōſentimus, quod dicto prioratu per ceſſionē, vel deceſſum prioris quandocunque, & quomodocūq; vacante, Monachi ad prioratū eundē cauſâ ſtudij vt præmittitur aliundè tranſmiſſi, vnà cum cæteris de Conuentu electioni faciendæ de Priore futuro liberè interſint, & ius, ac vocem habeant in eâdē, de Conuentu ipſo, vel de Monachis tranſmiſſis ad locum cauſâ ſtudij vt præmittitur, in perſonam idoneam quæ ſciat velit, & poſſit gregi ſibi tradito curam impendere diligentem, inuocatâ primitus Spiritus ſancti gratiâ in Priorem vnà cum alijs concorditer eligendi, & quod nouitij per nos in poſterū admittendi in loco prædicto, coram præſidentibus memoratis, eorumue aliquo, ſeu alio Abbate ipſorum preſidentium omnium, vniuſue ex eis authoritatē, quoad hoc ſpecialiter obtinente, ſuam profeſſionem faciāt ſolemniter, prout noſtrę Religionis ſtatus requirit. In teſtimonium autem, & memoriam præmiſſorum, ſancti patris, & nobilis prædicti ſigilla ad noſtri inſtantiam, vnà cum ſigillo noſtro communi his literis ſunt appenſa. Datum, &c.

Quæ quidem omnia, & ſingula Abbates ipſi exempti pariter, & non exempti ſinguli ſingillatim requiſiti vniformiter approbarunt, contributiones ædificationi Prioratus ipſius ſe facturos, & diffinitorum ſeu prouiſorum huiuſmodi, cum conſilio præſidentium, ordinationes, ſeu diffinitiones, quæ, vt præmittur, continebantur in ſcriptis, ſe recepturos, ac vndique ſeruaturos, quoad ea, quę Prioratum eundem, & ſtatuta præmiſſi Capituli, ac alia, quæ ipſum Capitulum generale qualitercunque contingere dignoſcuntur, abſque contradictionis obſtaculo promittentes. Saluis tamen ipſis perſonis Religioſis exemptis, ſuis per omnia priuilegijs, ne per conſenſus huiuſmodi, ſeu diffinitorum ordinationes præmiſſas in aliquo detraharur ſeu derogetur eiſdem; Saluis etiam illis, & perſonis cæteris in genere, præſertimque futuris preſidentibus, & diffinitoribus, auctoritatem conſimilem in poſterum habituris, remedijs quibuſcunque, per quę, ſi neceſſitas immineat, quandocunque liceat eiſdem pro tempore congruenti ſtatuta, & alia geſta ſimiliter per diffinitores ac præſidentes præfatos in competentiorem formam, quoad vtilitatem communem, & aptiorem ordinem redigere ſeu transferre: diſcuſſione tamen quoad hæc premiſſâ diligentius in communi. Vt autem diffinitiones huiuſmodi, & alia quęcunque, de quibus mentio ſuperius eſt expreſſa, ſecundum formam moderationis præmiſſæ, inuiolabiliter obſeruentur, Abbates, & Priores prædicti ſua preſenti ſcripturæ ſigilla fecerunt apponi. Datum, & actum apud Sarum in eccleſiâ collegiatâ die martis proximo poſt diē Natiuitatis Beatæ Mariæ, in craſtino videlicet ſepulturę reginæ ſupradictæ, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo.

ANNOTATIO.

Ioannes Gifford, Baro de Brimfeld, huius Collegij fundator egregius, antiquiſſimæ nobilitatis: ex cuius familia per lineam fœmininam ſereniſſimus Rex noſter ex parte trahit originem; ex altera familia, quæ fuit hæres in ſolidum fundatoris, deſcendunt Nobiliſſimi Comites de Salopia, ſeu Shrewſbery: quam ob cauſam, Comes illuſtris, qui nunc viuit, inter reliqua familiæ ſuæ ſtemmata, atque titulos, etiam ſe Baronem de Brimfeld, ſcribit; quem nimirum Baronatum ab hoc fundatore per filiam ipſius hæredem ad ipſum deriuatum agnoſcit. Ex fratre verò fundatoris deſcendit rectâ lineâ, qui nunc eſt eiuſdem familiæ non vltima gloria, Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Dominus, Gabriel Gifford, de S. Maria Archiepiſcopus, & Dux Rhemenſis, inſigni Chriſtianiſſimi Regis Galliarum beneficio, & magnanima Gallorum principum ἀπροσωπληψία *confirmatus.*

SCRIP-

SCRIPTVRA. XLVI.

Contributio indicta pro Collegio Oxoniensi. Ex manuscriptâ Historiâ Abbatum S. Augustini propè Cantuariam, in Bibliothecâ Nobilissimi Domini D. Roberti Cottoni.

ANno Domini 1279. Idem Nicolaus (Abbas Monasterij, S. Augustini Cantuariæ) cum Abbate Glasconiæ Capitulo Generali iam secundum præsidentes apud Abendoniam celebrato, ordinauerunt quasdam mitigationes, & declarationes superiorum statutorum per eosdem Abbates apud Rading superius editorum, in quo multa ardua, & rigida (vt in veteri martyrologio seriatim poterit videri) obseruari præcipiuntur; in quo statutum est, vt Oxonij, vbi Ordinis nostri fratres de diuersis Monasterijs causâ studij transmittendi decenter habitare valeant, & honestè, vnanimiterque concessum est, quod omnis domus religionis nostræ prouinciæ Cantuariæ de omnibus, & singulis marcis omnium spiritualium, & temporalium suorum secundum taxationem conferat ad emendationem, & sustentationem habitationis supradictæ, vnde communiter inoleuit, vt in omni Capitulo Prouinciali pro supradicto negotio sit collecta, & in opus huiusmodi leuata.

SCRIPTVRA. XLVII.

Qualiter B. Hugo Regem Anglorum VVillelmum quædam ab eo postulantem exaudire noluit, pro eo quod petitio eius venalis, & quasi simoniaca esse videbatur. Ex Bibliothecâ Cluniacensi.

REx Anglorum Willelmus vir magnificus, & in armis strenuus, & infinitis opibus ac viribus potentissimus, cum præfatæ regionis potiri cœpisset, eiusque coronam regni bello obtinuisset, volens dignè Episcopatus, & Abbatias terræ illius ordinare, misit literas Illustrissimo Abbati sancto Hugoni, & mandauit ei supplicando, vt sex ei personas dirigeret ex fratribus nostris, quorum consilio agere posset, quidquid illi de ecclesijs ordinandis foret agendum, eisque rectoribus constitutis securus esset de ouibus custodiendis atque regendis. Adiecit quoque se daturum pro singulis argenti libras centum quotannis Cluniaco sub titulo amicitiæ, & gratiæ, ne fortè esset graue sacro loco carere personis suis, & earum fructum perdere, sed qui emptor fieri voluit, non potuit, quia Monachorum non inuenit venditorem. Respondit enim Philosophus Christi, qui animabus fratrum nihil censebat comparandum; Petitio, inquit, vestra, Domine Rex, descendit ex bonâ voluntate, qui vultis gentem vobis à Deo traditam ad salutem suam ordinare, verum sicut dignum est Vestræ Maiestati, quod poscitis, ita quod iungitis, incongruum est nostræ saluti, vt animas, quas in periculo animæ meę, & capitis mei suscepi, vendam terreni mercimonij cupiditate, & mittam in perditionem, aut generalem aut specialem, videlicet vbi aut omnes, aut aliqui eorum pereant, & ego pro illis rationem reddam, apud quem nihil valet aurum, nihilque prodest argentum, aut argumentum vanæ excusationis: quomodo ergo faciam pro vllo munere, quod si facerem pro toto mundo, mihi parum esset, cum pro vno ex eis perdito perirem? quid enim proficit homini si vniuersum mundum lucretur, seipsum autem perdat, & detrimentum sui faciat? igitur carissime, Domine, hoc nolite à me quærere, quod facere nisi cum perditione meâ non possum, quia nullo pretio volo animam meam venundare, quam profectò venalem darem si vnum ex fratribus mihi commissis mitterem

ſis mitterem vbi illum perderem, lubentius ego pecuniam darem pro comparandis Monachis quibus valde indigeo per diuerſa loca à me ordinanda, quam pro eorum venditione acciperem; quod enim Capitulum noſtrum in partibus illis timerent vbi nullum viderent Monaſterium ad cuius portum applicare valerent, vel conſtringi poſſint: aliud itaque iubete, & ſuſtinete hoc patienter, ſi non poteſt fieri cum ſalute amici veſtri quod petiſtis. Valete.

SCRIPTVRA. XLVIII.

Fundatio S. Pancratij de Levves: ex libro prioratus de Levves in comitatu Suſſex penes D. Ricardum Sackeuille Comitem Dorſet reſeruato.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus, Sancti, Amen.

EGo Willielmus de Warenna, & Guntreda vxor mea, volentes peregrinationem facere ad S. Petrum in Româ, perreximus per plura Monaſteria quæ ſunt in Franciâ, & Burgundiâ cautâ orationis, & cum veniſſemus in Burgundiam, didicimus quod non potuimus ſecurè tranſire propter guerram, quę tunc fuit inter Papam & Imperatorem: & tunc diuertimus ad Cluniacum monaſterium, magnam, & ſanctam Abbatiam in honore S. Petri, & ibi adorauimus, & requiſiuimus S. Petrum. Et quia inuenimus ſanctitatem, & religionem, & charitatem tam magnam ibi, & honorem erga nos, à bono Priore, & à toto S. Conuentu, qui receperunt nos in ſocietatem, & fraternitatem ſuam: Incœpimus habere amorem, & deuotionem erga illum ordinem, & illam domum ſuper alias domos, quas videramus. Sed Dominus Hugo S. Abbas eorum tunc domi non fuit, & quia longè antea, & tunc magis, habuimus in propoſito & voluntate per [a] cõſilium Domini Lanfranci Archiepiſcopi, ego & vxor mea quod faceremus aliquam domum Religionis, pro peccatis noſtris, & ſalute animarum noſtrarum: tunc viſum fuit nobis, quod de nullo [b] alio ordine, tam libenter quam de Cluniaco eam facere vellemus, & ideo miſimus, & requiſiuimus à D. Hugone Abbate, & à totâ ſacrâ Congregatione, quod concederent nobis duos, vel tres, vel quatuor, Monachos de ſancto grege ſuo, quibus daremus Eccleſiam vnam, quam de ligneâ lapideam fecimus ſub caſtro noſtro Lewiarum, quę fuit ab antiquo tempore in honore S. Pancratij, & illam daremus eis, & tantum in principio terrarum, & animalium & rerum, vnde duodecim Monachi poſſent ibi ſuſtentari. Sed ſanctus Abbas prius valdè nobis fuit durus ad audiendum petitionem noſtram propter longinquitatem alienæ terræ, & maximè propter mare. Sed poſtquam nos perquiſiuimus licenciam à domino noſtro Rege Guillielmo adducendi Monachos Cluniacenſes in Anglicam terram, & Abbas ex ſuâ parte requiſiuit voluntatem Regis, tunc tandem donauit & miſit nobis quatuor de Monachis ſuis, Dominum Lanzonem, & tres ſocios ſuos, quibus donauimus in principio omnia quæ eis promiſimus, & confirmauimus per ſcriptum noſtrum, quod miſimus Abbati Cluniacenſi & Conuentui, quia noluerũt [c] nobis antea Monachos mittere, quam haberent confirmationem noſtram & Regis, quia eis perquiſiuimus de omnibus rebus quas eis donauimus. Et ſic dati ſunt mihi & vxori meæ monachi Cluniacenſes & Conuentus in Anglicam terram. Poſt mortem verò domini mei Willielmi Regis, cum filius ſuus veniſſet Willielmus in Anglicam terram propter Regnum, & multa fuiſſet diſcordia de Regno & dubitatio de fine; & ego in multis periculis quotidiè, monſtrauerunt mihi Dominus Lanzo Prior & Monachi mei, quod [d] apud Cluniacenſes eſſet confirmatio mea, quam feceram de rebus, quas illis dederam in principio, ſed quod ipſi inde nullum munimentum haberent, & quod propter dubia & futura tempora deberem eis omnem ſecuritatem de meis donis, & conceſſis facere; quod feci libenter conſilio fidelium meorum, per hanc alteram chartam meam. Volo ergo quod ſciant, qui ſunt, & qui futuri ſunt, quod ego Willielmus de Warrena Surreiæ Comes, donaui & confirmaui, Deo & S. Petro, & Abbati & Conuentu Cluniacenſi, Eccleſiam S. Pancratij, quæ ſita eſt ſub caſtro meo Lewiarum, & eidem S. Pancratio, & Monachis Cluniacenſibus, quicunque in ipſâ eccleſiâ S. Pancratij deo ſeruient, in perpetuum donaui pro ſalute animæ meæ, & animæ Gundredę vxoris meæ, & pro animâ domini mei Willielmi Regis, qui me in Anglicam terram adduxit, & per cuius licentiam Monachos venire feci, & qui meam priorem donationem confirmauit. & pro ſalute Dominæ meæ Matildę Reginæ matris vxoris meæ, & pro ſalute Domini mei Willielmi Regis filij ſui, poſt cuius aduentum in Anglicam terram, hanc chartam feci, & qui me Comitem Surregiæ fecit; & pro ſalute omnium hæredum meorum, & om-

a. Lãfrãcus non conſuluit Gulielmo vt Cluniacenſibus fundaret domum, ſed tantum Monachis indefinitè.

b. Diſtinguit Cluniacenſem Ordinẽ a nigris Monachis & Canonicis nigris non dũ enim fuere alij ordines.

c Non ergo fuerunt antea Cluniacẽſes in Anglia.

d. Scripturæ præcipuæ Ordinis ſeruabantur Cluniaci.

nium fidelium Christi, viuorum & mortuorum in sustentationem prædictorum Monachorum S. Pancratij, &c.

PRæterea volo, quod sciant monachi mei, & hæredes mei, quando ego & Gundreda perquisiuimus à Domino Hugone Abbate, qui venerat ad loquendum cum Domino meo Rege, in Normanniam, quod redderet nobis Dominum Lanzonem Priorem nostrum, quem toto anno apud Cluniacum retinuerat, vnde tam inquieti fuimus, quod penè proposuimus dimittere incœptum nostrum, vel auferre eis, & dare Ecclesiam nostram * maiori Monasterio: tunc etiam concessit nobis, & promisit Abbas, ad multam deprecationẽ, quod si Deus cresceret domum nostram, faceret eam sicuti vnam ex magnis, & post mortem Domini Lanzonis, vel promotionem in aliquam maiorem dignitatem, quando Monachi S. Pancratij mitterent ad Cluniacum propter Priorem, mitterent eis in Priorem, vnum ex melioribus Monachis suis de totâ Congregatione, quem scirent sanctiorem ad ordinem, & ad animas regendas secundum Deum, & sapientiorem ad domum regendam secundum sæculum, præter maiorem Priorem de Cluniaco, & Priorem de Charitate: & quod ipse foret ad remanendum, & nunquam remoueretur, nisi tam iusta, & manifesta esset causa, quod nemo rationabiliter debet contradicere. Et inde fecit nobis scriptum suum, cum sigillo suo, quod habeo: & hæc perquisiuimus, quia timuimus, ne cum Dominus Lanzo redijsset, citò auferretur nobis, quia Rex quos meliores inuenire potuit, in dignitatès Ecclesiæ exaltauit: & nobis audientibus requisiuit ab Abbate, quod mitteret ei duodecim de Sanctis Monachis suis, & eos omnes faceret Episcopos & Abbates, in terrâ hæreditatis suæ, quam ei dederat Deus. Et etiam prȩcogitauimus, quod si noua adhuc domus, & tenera sæpè nouum Priorem haberet, & in nouas manus veniret, nunquam ad magnum profectum perueniret. Et quia noluimus, quod eleemosina nostra, in posterum in sæcularem seruitutem verteretur: tunc constitutum est inter nos & Abbatem, quod Cluniacum habeat omni anno 50. solidos monetæ Anglicæ, de domo Sancti Pancratij, & sic libera sit ab omni aliâ seruitute, & exactione, & Geldo. Et Abbas de nullâ ordinatione domus, se intromittat super Priorem, nisi de obseruantiâ vel emendatione ordinis, vbi Prior emendare non potuerit per se, neque de domibus suis, si aliquas vnquam per gratiam dei sub se habuerit. Sed Prior Sancti Pancratij & conuentus, semper eas liberas habeant, in suâ ordinatione, sicut eis fuerant donatæ. Et hoc voluimus, & fecimus, quia in desiderio semper, & spe fuimus, facere domum, & ponere Monachos apud Acram castellum nostrum, quia noluimus alibi, nisi S. Pancratio esse subiectum. Hanc donationem & chartam meam, feci Dominum meum Regem Willielmum apud Wincestriam in concilio concedere, & testimoniari per signum S. Crucis, de manu suâ, & per signa, & testimonia Episcoporum, & Comitum, & Baronum, qui ibi tunc fuerant fæliciter, Amen. Venientibus contra hæc & destruentibus ea, occurrat Deus in gladio iræ, & furoris, & vindictæ, & maledictionis æternæ: seruantibus autem hæc, & defendentibus ea, occurrat Deus in pace, gratiâ, & misericordia, & salute æternâ Amen, Amen, Amen.

* S. Martini Turonẽsis, se quod propterea vel hinc patet, non fuisse Cluniacensis ordinis.

Signum est fuisse hanc præcipuam in Angliâ domum Cluniacẽsium, & secundam ordinis filiam.

Non vt reformaret monasteria, sed vt in Episcopos sublimaret Cluniacenses postulauit Rex Gulielmus.

SCRIPTVRA. XLIX.

Nomina Comitum & Comitissarum Surreg. vulgariter VVarenn. Et fundatio Prioratus de Castelacra, siue de VVestacre. Ex eodem libro.

VVillielmus Primus de Warenna, primus Comes Surregiæ, & Fundator Ecclesiæ Lewensis, diem suum clausit extremum 8. kal. Iulij, anno gratiȩ 1088. & Fundationis Ecclesiȩ prædictȩ xj. à Conquestu 23. Iste primò non vocabatur, nisi solummodò Willielmus de Warenna. Postea verò processu temporis, à Willielmo filio Regis, & Conquestoris Angliæ, filiam cuius desponsauerat, plurimum honoratus est, atque Comes Surregiæ factus, & appellatus est. Iste iacet in capitulo Lewensi iuxta Dominam Gundredam Comitissam suam, & filiam prædicti Regis conquestoris. Durauit iste Comes toto tempore Regis Willielmi primi Conquestoris per 20. annos: & tempore Willielmi Rufi secundi Regis per vnum annum.

VVillielmus de Warenna, secundus Comes Surregiæ, filius dicti Fundatoris, & prædictæ fundationis executor, atq; operis consummator, nec non ecclesiȩ Beatæ Mariæ de Cast-

de Castelacre Fundator, obijt 5. Idus Maij, anno gratiæ 1138. Comitatus sui anno 50. non completo, & iacet in Capitulo ad pedes patris sui. Iste dotauit Prioratum Lewensem de omnibus bonis suis mobilibus, & immobilibus, nec non Prioratum de Castelacre sufficienter instaurauit, & dotauit, ac Prioratui de Lewes subiecit. Durauit prædictus Comes, tempore Willielmi Regis secundi per 13. annos, & tempore Regis Henrici per 36. annos, & tempore Regis Stephani per 3. annos.

SCRIPTVRA. L.

Fundatio Prioratus S. Andreæ de Northamptona. Ex registro Prioratus S. Andreæ de Northampton. in custodiâ Richardi Neile Episcopi Dunelmensis. Inter alia habetur sic.

SYmon de Santlyz Comes, Northampt. Anno regni Guillielmi Conquestoris 18. fundauit domum S. Andreæ Northampton, & eam submisit in perpetuum domui B. Mariæ, de Charitate. Postea tempore Henrici primi regis, iste Simon Comes Huntington adijt terram sanctam, & in redeundo obijt apud Charitatem, & ibidem sepultus est, eius hæres Simon de Santlyz Iunior, post mortem patris eius, fundauit Abbatiam B. Mariæ de Pratis iuxta Northampton.

SCRIPTVRA. LI.

Fundatio S. Trinitatis de Lentona. Ex Pat. anno 6. R. 2. p. 1. in 8.

RIchardus Dei gratiâ, Rex Angliæ, & Franciæ, & Dominus Hiberniæ, omnibus, ad quos præsentes literæ peruenerint, salutem. Inspeximus chartam Confirmationis Domini Edwardi nuper Regis Angliæ, Aui nostri, in hæc verba. EdWardus Dei gratiâ Rex Angliæ, & Franciæ, & Dominus Hiberniæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Iusticiarijs, Vicecomitibus, Præpositis, Ministris, & omnibus Balliuis, & fidelibus suis salutem. Inspeximus chartam Domini Henrici, quondam Regis Angliæ, progenitoris nostri in hæc verba. Henricus Rex Angliæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus Comitibus, Baronibus, Iusticiarijs, Vicecomitibus, Ministris, & omnibus fidelibus suis Francis, & Anglis salutem. Sciatis me regiâ largitione concessisse Pontio Abbati Cluniacensi, eiusque successoribus, Abbatibus, & Monachis suis Cluniacensibus, Monasterium S. Trinitatis de Lentona, quod Willielmus Peuerel ei donauit, iure perpetuo instituendum, & possidendum, cum vniuersis, quæ eidem Monasterio ipse contulit: pro animâ patris mei Willielmi Regis, & matris meæ Matildæ Reginę, & pro nobismetipsis, & nominatim has villulas Lenton, Morton, Radef, Newthorp, &c. Inspeximus Chartam quam Willielmus Peuerel dudum fecit in hæc verba. Notum sit omnibus fidelibus, S. ecclesiæ Dei, Clericis, & laicis, Francis, & Anglis, qui modò sunt, & qui venturi sunt, quod ego Willielmus Peuerellus, pro diuini cultus amore, & communi remedio animarum dominorum meorum Willielmi Regis, & vxoris eius Matildæ Reginæ, & filij eorum Willielmi Regis, & omnium parentum suorum, & meorum, nec non & pro salute Domini mei Henrici Regis, & vxoris eius Matildæ Reginæ, & filij eorum Willielmi Regis, & filiæ eorum Matildæ, pro statu quoque regni sui, nec non & pro salute animæ meæ, & vxoris meæ Adelinæ, & filij mei Willielmi, & omnium liberorum meorum, piâ deuotione, & deuotâ largitione, offero Deo, & ecclesiæ Cluniacensi, & Pontio Abbati, eiusque successoribus in perpetuum substituendis, Monasterium, quod in honorem S. Trinitatis in Lenton constitui, iure perpetuo sub Prioratu, ac dispositione ipsius Cluniacæ institutionis iustè, liberèque instituendum, & possidendum, cum vniuersis, quæ in hac chartâ subscribuntur, ita tamen vt ipsum Monasterium erga Cluniacum sit liberum, & quietum pro vnâ marcâ argenti de recognitione per annum. Beneficia igitur, & possessiones, quas ego ipsi Monasterio S. Trinitatis, & Monachis Cluniacensibus ibidem Deo seruientibus dono, &

præſenti chartâ confirmo ita ſunt. Nominatim, Villam Lentonæ cum omnibus ſuis pertinentijs, exceptis quatuor molendinis, &c.

ANNOTATIO.

Nota modum illum loquutionis, Francis,& Anglis, *vſitatum tunc temporis, & diu poſtea, Regibus noſtris, qui ipſi Franci cum eſſent, partim Normanicæ, partim Andegauenſis familiæ, Francos Anglis in inſtrumentis publicis præponebant, & in officijs, ac beneficijs præhonorabant: adeo vt in curia Regis non Anglicè, ſed Gallicè omnia tranſigerentur: vnde vſque ad hunc ferè diem pleræque leges, & conſuetudines municipales, Gallico idiomate originaliter conſcriptæ ſunt. Gulielmus Peuerellus hic nominatus, fuit nothus Gulielmi primi Conqueſtoris.*

SCRIPTVRA. LII.

Factum Roberti VVinchelſey Archiepiſcopi Cantuarienſis, cuius occaſione omnium ordinum cœnobia coacta ſunt literas protectionis à Rege accipere; vnde conſtabit varietas, diſtinctio, multitudo Regularium, tam indigenarum, quam alienigenarum in Angliâ; deſcriptum ex manuſcriptâ hiſtoriâ Abbatum S. Auguſtini Cantuarienſis fol. 141. authore Gulielmo de Spina, ſeu Thorne; ex Bibliotheca Clariſſimi viri D. Roberti Cottoni.

ANno 1296. recepit Robertus Archiepiſcopus mandatum Papale, publicandi conſtitutionem Bonifacij Papæ 8. de non dando aliquid laicis, & eodem anno tenuit Dominus Rex Parliamentum apud S. Edmundum, conuocato illuc toto clero, & indictâ laicis decimâ omnium bonorum, & à clero ſubſidium ſibi poſtulans abundanter elargiri, vnde Archiepiſcopus cum clero ſuper ijs conſilium habuit, & deliberatione habitâ propter nouam conſtitutionem ſuper hoc editam viam neſcierunt inuenire, per quam ſanâ conſcientiâ, Romanâ curiâ inconſultâ, hoc facere poſſent. Negotio incompleto de ſubſidio præſtando, ſinguli ad propria redierunt, & ecce mox edictum exijt, per totum regnum, vt omnia temporalia, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, & Religioſorum, vel quorumcunque Clericorum vbique per regnum Angliæ exiſtentium, in manus Regis caperent: & habito Rex Parliamento, cum ſuis Baronibus Clero excluſo, ſtatutum eſt, vt bona Clericorum ſententialiter abiudicarentur tanquam forisfacta. Vnde multi propter timorem ſtatuti redemptionem fecerunt, & literas de protectione Regis receperunt, & Monaſterium iſtud redemptionem fecit pro ducentis libris, & 200 ſummis bladi, diuerſi generis. Archiepiſcopus verò nec aliquid dare, nec protectionem regiam vellet acquirere: vnde omnia temporalia eius confiſcata ſunt, & quod horrendum eſt, quicquid habebant Monachi ibidem infra portas ſuæ eccleſiæ, ſeiſita ſunt, ita quod non haberent, ad quod manus apponerent, pro vitæ neceſſarijs, niſi quod vicini eorum Religioſi, & alij mittebant eis intuitu charitatis, & hoc tam diu durauit, donec Prior, & Capitulum, neceſſitate compulſi redemptionem fecerunt. Archiepiſcopus verò, nec Regis protectionem, nec ſua voluerat redimere quoquo modo, ſed amotâ maiore parte familię ſuæ, cum vno clerico, vel duobus, & ſimpliciſſimâ familiâ apud Cherthiam morabatur, & ferè ſingulis diebus Dominicis, & feſtiuis circuibat per loca, verbum Dei prædicando.

Libra continet 20 Francos Turonēſes ſumma continet octo razerias.

Sequitur forma literarum protectionis, & Catalogus eorum qui ipſas à rege ſuſceperunt

Patent. anno 22. E. 1. in. 8.

EDwardus Dei gratiâ, Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, & Dux Aquitanię, Capitaneis Marinariorum, & eiſdem Marinarijs, Vicecomitibus, & omnibus Balliuis, & fidelibus ſuis, ad quos præſentes literæ peruenerint ſalutem. Cum Prælati, & totus clerus de regno noſtro medietatem beneficiorum, & bonorum ſuorum, de quibus decima vltimo in ſubſidium terræ ſanctę conceſſa fuit, data nobis in ſubſidium noſtrum, de anno præſenti iuxta taxationem vltimò inde factam, liberaliter conceſſerint, & gratanter. Nos eorundem Pręlatorum, & cleri quieti, & tranquillitati ex hâc cauſâ libentius prouidere volentes, ſuſcepimus in

mus in protectionem, & defensionem nostram specialem præfatos Prelatos, & singulos de Clero prędicto, homines, terras, res, reditus, & omnes possessiones ipsorum. Et ideo vobis mandamus, quod ipsos Prælatos, & singulos de Clero prædicto, homines, terras res reditus, & omnes possessiones ipsorum in balliuis vestris, manuteneatis, protegatis, & defendatis, non inferentes eis, vel inferri permittentes, iniuriam, molestiam, damnum, aut grauamen, & si quid eis forisfactum fuerit, id eis sine dilatione faciatis emendari. In cuius, &c. per prædictum annum duraturum.

Nolumus autem, sed firmiter inhibemus, ne de bladis seu alijs bonis, & catallis prædictorum prælatorum, & cleri, vel alicuius ex ipsis vbicunque consistant, ad opus nostrum vel aliorum quorumcunque, sine licentiâ, & voluntate eorundem prælatorum, & cleri, vel alicuius ex ipsis, cuius bona fuerint, aliquid interim capiatis, seu capi faciatis, quominus de eisdem bladis, bonis, & catallis suis liberè disponere, & ordinare, ac commodum suum facere poterint, prout sibi melius viderint expedire. Teste meipso apud Westmonasterium 17. die Septemb.

Sub eâdem formâ, de verbo ad verbum fiebant diuersa paria literarum, quæ inter prælatos, qui eas habere voluerunt, partita fuerunt, & postmodum factę fuerunt literæ consimiles, in omnibus, hoc excepto, quod nomina prælatorum, in eisdem fuerunt specificata, & huiusmodi literas habuerunt subscripti,

I. Eborum Archiepiscopus, Angliæ Primas.
R. Couentriæ, & Lichefeld Episcopus.
G. Wigorniensis Episcopus.
I. Karliolensis Episcopus.
I. Wintoniensis Episcopus.
R. Herefordensis Episcopus.
O. Lincolniensis Episcopus.
R. Norwicensis Episcopus.
R. London. Episcopus.
T. Episcopus Roffensis.

Forma protectionis pro Religiosis.

Edwardus Dei gratia, Rex Angliæ &c. Capitaneis Marinariorum, & eisdem Marinarijs, Vicecomitibus, &c. *vt supra*. Cum dilectus nobis in Christo, Abbas S. Augustini Cantuariensis, sicut cæteri Abbates exempti, de regno nostro, medietatem beneficiorum, & bonorum suorum, de quibus decima, &c. *vsque ibi*. Nos eiusdem Abbatis quieti, &c. Et ideò vobis mandamus, quod ipsum Abbatem, homines, terras, &c. *vt supra*. Non inferentes eis, &c. In cuius rei, &c. per annum prædictum duraturum. Nolumus autem, &c. ne de bladis seu alijs bonis, & catallis, prædicti Abbatis vbicumque consistant, &c. *vt supra mutatis mutandis, vsque in finem*. Teste meipso apud westm. 28. Septembris.

Exemptis.

Consimiles literas habent subscripti de verbo ad verbum.
Abbas de sancto Albano, pro se, & prioribus cellarum domus suę de Tynemouth, Bynham, Wymondham, de Beluero, Hatfield, Wallingford, & de Belloloco, & de Hereford.
Abbas de S. Edmondo.
Abbas Westmonasterij.
Abbas de Waltham.

Sempringham.

Consimiles literas de Protectione, habet Magister Ordinis de Sempringham, pro se, & prioribus suis eiusdem ordinis. Teste Rege apud Westmonasterium 28. die Septembris. Et triplicantur.

Pro Cisterciẽsibus.

Rex Capitaneis Marinariorum, &c. *vt supra*. Cum dilectus nobis in Christo, Abbas de Miraual ordinis Cisterciensis, sicut cęteri Abbates eiusdem ordinis, de regno nostro, medietatem beneficiorum, &c. *vt supra, de verbo ad verbum vsque in finem*. Teste, *vt supra*.

Abbas de Miraual.

Consimiles literas, de verbo ad verbum, habent subscripti, qui sunt de eodem ordine.

*Vulgo Ruly.

Pro Cisterciensibus.

Abbas de *Regali loco, iuxta Oxonium.
Abbas de Stratteford.
Abbas de Sibeton.
Abbas de Boxle.
Abbas loci Sancti Edwardi de Letteley.
Abbas de Holm Coltram, & Caldre in Coupland.
Abbas de Bello loco Regis.
Abbas de Buldwas.
Abbas de Valle Dei.
Abbas de Basingstoek.
Abbas de Bellalanda, de strata florida.
Abbas de Dore.
Abbas de Reuesby.
Abbas de Stanlow.
Abbas de Rughford.
Abbas de Fontibus.
Abbas de Cumba.
Abbas de Gerudon.
Abbas de Flexle.
Abbas de Bella landa.
Abbas de Cogheshall.
Abbas de Kickestal.
Abbas de parco ludi.
Abbas de Salleye.
Abbas de Riual.
Abbas de Wouburn.
Abbas de Ioreual.
Abbas de Wauerley.
Abbas de Stonly.
Abbas de Forde.
Abbas de Donkeswel.
Abbas de Hayles.
Abbas de Valle regali.
Abbas de Melsa.
Abbas de Cumbermere.
Abbas de Tame.
Abbas de Tyleteye.
Abbas de King Swood.
Abbas de Stanley.
Abbas de Hayles.
Abbas de Saltrie.
Abbas de Rupe.
Priorissa de Apleton.
Abbas de Bitlesden.
Abbas de Biuedone.
Abbas de Newenham.
Priorissa de Cotum, Monialium.
Abbas de Wardon.
Abbas de Bordesley.
Priorissa de Swyne.
Abbas de Ponte Roberti.
Abbas de la Quarrere.
Abbas de Bello loco.
Abbas de Swynesheued.
Abbas de Regali loco.
Abbas de Myraual.
Abbas de Rickwal.

Pro Cisterciensibus.
- Abbas de Rockland.
- Abbas de Buckfast.
- Priorissa de Lekeburn.
- Abbas de Medide Newhan.
- Abbatissa de Merham.
- Abbas de Saltrya.
- Abbas de Crokesden.
- Abbas de Gerwedon.

REx Capitaneis Marinariorum, & eisdem Marinarijs Vicecomitibus, &c. *vt supra*. Cum dilectus nobis in Christo, Abbas de Neuhus, Ordinis Præmonstratensis, sicut cæteri Religiosi eiusdem Ordinis, de regno nostro medietatem beneficiorum, & bonorum suorum, &c. *vt supra vsque in finem*. Teste, *vt supra*. Abbas de Neuhus Ordinis Premõstratensis.

Consimiles literas, de verbo ad verbum, habent Abbates subscripti, qui sunt de eodem ordine.

Pro Præmonstratentibus.
- Abbas de Barlinges.
- Abbas de Lauendene.
- Abbas de Torre.
- Abbas de Croxton, & Newbo.
- Abbas de Alnewick.
- Abbas de Begeham.
- Abbas de Bello Capite.
- Abbas de Dureford.
- Abbas de Tichefeld.
- Abbas de Wellebeck.
- Abbas S. Radegundis iuxta Douer.
- Abbas de Langdone.
- Abbas de Tupholne.
- Abbas de Haghenby.
- Abbas de Westdereham.
- Abbas de Wenlinge.
- Abbas de Langeley.
- Abbas de Leyston.
- Abbas de Langdon.
- Prior de Tonebrigg.
- Prior de Kenilleworth.
- Prior de Nouo loco, iuxta Gildeford.
- Prior Christi ecclesiæ de Tuyneham.
- Abbas de S. Agatha.
- Abbas de Ceuerham.
- Frater Nicholaus Sottes Abbatis de Bella Porta Ordinis Præmonstratensis, Procurator in Angliâ Generalis.
- Frater Willielmus Sampson, Abbatis de Blanca landa, Ordinis eiusdem procurator in Angliâ Generalis.
- Abbas de Cokerford.

REx Capitaneis Marinariorum, & eisdem Marinarijs, &c. Cum dilectus nobis in Christo, Prior de Wartre, Ordinis S. Augustini, sicut, & cæteri Religiosi eiusdem Ordinis, &c. *vt supra, vsque in finem*. Teste, &c. *vt supra*. Pro Canonicis, Ordinis S. Augustini.

Consimiles literas de verbo ad verbum, habent subscripti, qui sunt de eodem ordine.

Pro Canonicis Ordinis S. Augustini.
- Prior de Wartre.
- Prior de Cokesford.
- Prior de Muchelham.
- Abbas de Lesenes.
- Prior de Bridlington.
- Prior de Merton.
- Prior de Belleford.

Pro Canonicis ordinis S. Augustini.

Prior S. Trinitatis London.
Prior de Wabrun.
Prior de Giseburn.
Abbas de Hertilant.
Magister domus S. Marcij de Billeswick, iuxta Bristol.
Prior de Taunton.
Prior de Blakemore.
Prior de Burnecester.
Prior ecclesiæ S. Gregorij Cantuariensis.
Prior de Flitham.
Priorissa de Garinges.
Abbas de Cirencester.
Abbas de Sancta Ositha.
Abbas de Leycester.
Prior ecclesiæ S. Mariæ de Suthwerk.
Prior de Werksop.
Prior de Stodlie.
Prior de Wurmeslie.
Abbas de Haghemon.
Prior de Wormeghey.
Abbas de Roucestre.
Prior S. Michaelis de Brummore.
Prior S. Thomæ Martyris, iuxta Stafford.
Abbas de Creke.
Abbas de Greseley.
Prior ecclesiæ Christi de Thwynham.
Prior de Caldewell.
Prior de S. Oswalda.
Prior S. Petri de Gipwyte.
Prior de Nouo Burgo.
Frater Walterus Briket, Prioris de Belloloco, in Normanniâ, ordinis S. Augustini, Procurator in Angliâ Generalis.
Magister Richardus de Werplesdon, custos domus scholarium in Merton.

Pro Canonicis ordinis S. Augustini.

Prior S. Frideswidæ, Oxon.
Prior de Bernewelle.
Prior de Buttele.
Prior S. Leonardi de Brisele.
Prior de Haghe.
Abbas de Keynesham.
Prior de la Laund.
Prior de Repingdon.
Prior de Wroxton.
Prior de Dunstaple.
Prior de Keckham.
Prior de Dunmowe.
Abbas de Nutteley.
Prior de Newenham.
Prior S. Bartholomæi, de Smithfield, London.

Pro Monachis de ordine, S. Benedicti.

REx Capitaneis Marinariorum, & eisdem Marinarijs, &c. Cum dilectus nobis in Christo, Abbas de Hida, extra Winton, Ordinis S. Benedicti, sicut cæteri, &c. eiusdem ordinis, &c. *vt supra de verbo ad verbum, vsque ad finem.* Teste, *vt supra.*

Consimiles literas habent subscripti, de verbo ad verbum, qui sunt de eodem ordine.

Abbas de Thorney.
Abbas de Burgo S. Petri.
Abbatissa Shaftoniæ.

Prior

Prior ecclesiæ Christi Cantuar.
Abbas de Malmesbury.
Prior S. Swithini Winton.
Abbas de Certesey.
Prior S. Trinitatis Eborum.
Prior de Tikeford iuxta Neuport Paignel.
Prior Dunolmensis.
Prior de Kirkbie Monachorum.
Abbas de Waledon.
Abbas de Haghemon.
Abbas de Salop.
Prior de Ely.
Abbas B. Mariæ Eborum.
Prior de Neuwente.
Abbas de Midleton.
Prior S. Nicolai de Exon.
Prior de Spalding.
Abbas de Bello.
Prior de Ware.
Prior de Wyleweton.
Abbas de Pershore, Duplex.
Prior de la Sele.
Prior de Andeuere.
Prior de Appeldercomb.
Prior de Hinkelie.
Prior de Caresbrooke.
Frater, Ioannes de Apris, Ordinis S. Benedicti, Procurator Abbatis de Lyra, in Angliâ, Generalis.
Prior de Waueneswutton.
Pro Monachis S. Benedicti. Prior de Sporlie.
Prior de Ely.
Prior de Warham.
Prior de Folkestan.
Prior de Wellis.
Abbas de Pershore.
Abbas S. Benedicti de Hulmo.
Prior de Loges.
Prior de Warmington.
Prior S. Mariæ, Wigorniæ.
Prior de Spectesbury.
Prior de Emedwel.
Prior de Toft.
Prior de Frompton.
Prior de Eston.
Abbas de Middelton.
Prior S. Crucis de Insula Vecta.
Prior de Cretingey.
Prior de Hermodesworth.
Prior S. Mariæ Lancastr.
Prior de Ecclesfield.
Prior de Wedon Pinkney.
Prior de Noione, & nouo Mercato.
Prior S. Fidis de Horsham.
Prior de Otriton.
Prior de Wenge.
Prior de Wylmington.
Prior de Lodres.

Prior

Pro Monachis S. Benedicti.

Prior de Modbury.
Prior de Iplepenny.
Abbas de Muchelney.
Prior de Trulegh.
Prior S. Iacobi de Exon.
Prior de Estley.
Prior de Tatton.
Abbatissa de Berking.
Abbas S. Augustini de Bristol.
Prior de Cowyke.
Prior de monte S. Michaelis in Cornubia.
Prior de Wylminton, Triplex.
Prior de Tywerdraeth.
Prior de Leuesham.
Prior de Lynton.
Prior de Berdon.
Abbas de Whytebie.
Abbas de Fiscamp.
Prior de Stokes.
Prior de Okeburne, Duplex.
Prior de Styuenton.
Prior de S. Valerico.
Prior de Routon.
Prior de Swanesie.
Prior de Hatfield Reg.
Prior de Hamele.
Prior de Tittebury.
Prior de Neoto.
Prior de Roff.
Prior de Sherburne.
Prior de S. Walerico.
Prior de Steuenton.
Abbas de Croyland.
Prior de Auebury.
Prior S. Swithini Winton.
Prior de Arondel.
Prior de Weston Edith.
Prior de Sancto Germano.
Abbas B. Mariæ Eborum.
Prior ecclesiæ S. Trinitatis in Norwico.

Pro Monachis Cluniacensibus.

REx Capitaneis Marinariorum,& ipsis Marinarijs, Vicecomitibus,& omnibus Balliuis,ac fidelibus suis, ad quos,&c. Salutem. Cum dilectus nobis in Christo, Prior de Horklie, Ordinis Cluniacensis, sicut cæteri Religiosi eiusdem Ordinis,&c. Nos eiusdem Prioris quieti,&c. *vt supra.* per annum prædictum duraturas, &c. *vt supra, vsque in finem, cum clausis prædictis,* Teste Rege apud Westm. 28. die Septembris.

Consimiles literas de verbo ad verbum, habent subscripti, qui sunt de eodem ordine, per idem tempus duraturas.

De ordine Cluniacensium.

Prior de Pritwell, Dup.
Prior de Horton.
Prior de Newton Longueuille.
Prior de Wongeford.
Prior de Clifford.
Prior de Lenton.
Prior de Mendham.
Prior de Bermondesey.

Prior

De ordine Cluniacensium.

Prior de Brumholm, Duplex.
Prior de Castleacre, Dupl.
Prior de Lewes, Dupl.
Prior de Farley.
Prior de Monteacuto.
Prior de Northampton, Dupl.
Prior de Wenlock, Dupl.
Prior de Carswell.
Prior de Normannesbergh.
Prior S. Helenæ de Insula Vecta.
Prior de Theford.
Prior de Pontefracto.
Prior de Monteacuto.
Prior de Aldermaneshaue.
Prior de Stanesgate.
Prior de Hagham.

In eodem rotulo, Membro 5.

REx Capitaneis Marinariorum, &c. Cum dilectus nobis in Christo, Prior de Luffeld, Ordinis S. Benedicti, sicut cæteri Religiosi eiusdem Ordinis, de regno nostro, &c. *vt supra, de verbo ad verbum, vsque ad finem.* Teste, *vt supra.*

Pro Religiosis de ordine S. Benedicti.

Abbas de Athelingney, Ordinis S. Benedicti, habet consimilem protectionem.
Prior S. Martini de Douer.
Abbas de Ramesie.
Prior de Meresey.
Agatha de la Pesute, custos domus S. Mariæ, monialium de Lemenstre.
Abbas de Fauresham.
Prior de Wymondham.
Abbas de Teukesbury.
Prior de Couentry.
Prior de Minstre Luuel.
Prior de Slyueshirlo.
Prior de Wilesford,
Prior de Winwally.
Prior de Dauentrie.
Prior de Vpanone.
Prior de Goldeline.
Priorissa de Heigham.
Abbas de Abingdon.
Abbatissa B. Mariæ de Pratis, extra Northampton.
Frater Galfridus de Castriduno, procurator Abbatis de Tironio.
Prior de Apelderecumbe.
Prior de Lappeley.
Abbas de Ramseye, Dupl.
Prior de Berkehened.
Prior de Alesborn.
Prior de Magna Maluern.
Abbas de Glaston, Dupl. Item triplex.
Abbas de Euesham.
Prior de Breghenogh.
Prior de Blythe.
Abbas de Leicestre.
Prior de Ware.

De ordine S. Benedicti.

Prior Dunolm.
Prior de Aluerton, Mauleuerer.
Prior de Noyone, & Nouo Mercato.
Abbas Glouceſtr. Duplex.
Prior S. Leonardi extra Stanford.
Abbatiſſa de Romeſeyt.
Prior de Aluerton Mauleuerer.
Prior de Bromfield.
Prioriſſa de Weſtwood.
Abbas de Selebie.
Prioriſſa de Wallandeswelles.
Prioriſſa de Carhowe.
Abbas de Redinges.
Abbas de Bardeney.
Prior S. Guthlaci Hereford.
Prior de Burewell.

De Protectione.

Conſimiles literas habent ſubſcripti, qui ſunt de Ordine S. Auguſtini, &c. duraturi, *vt ſupra*. Teſte, *vt ſupra*.

De Ordine S. Auguſtini.

Prior de Chaucombe.
Prior de nouo loco, in Shynewood.
Prior de Paunteney.
Prior Karliolenſis.
Prior de Hickling.
Prior de Bromehill.
Abbas S. Iacobi, extra Northampton. Dup.
Abbas Beatæ Mariæ de Meſſendons.
Prior de Chaucoumbe.
Abbas de Hales.
Prior de Blıburgh.
Prior S. Butolphi Colcheſter.
Abbas de Thornton.
Abbas de Shyreburn.
Prior de Drax, Duplex.
Prior de Thurgarton, Duplex.
Prior de Lanthorn.
Prior de Caldnorton.
Prior de Trentam.
Prior de Weſtacre.
Abbas de Darlie.
Abbas de Grymeſby.
Prior de Burſton.
Prior de Burskogh.
Abbas de Etilleshul.
Prior de Conyngeshened.
Prior de Marton.
Prior de Elkesham.
Prior de Hentildesham.
Prior de parco de Helagh.

SCRIP-

SCRIPTVRA. LIII.

Elocatio possessionum ad Alienigenas spectantium ad firmam. Ex Bundello Prioratuum Alienigenarum, anno 11. Edoar. 3. quando, occasione belli Francici, Rex Edoardus 3. Alienigenarum bona fisco applicauit.

EDwardus, Dei gratiâ Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, & Dux Aquitaniæ, dilecto sibi Philippo Bonvallet, Personæ ecclesiæ de Aueninge, salutem. Cum nuper in fauorem ecclesiæ sanctæ, & ad supplicationem vestram, commiserimus vobis, administrationem fructuum, & prouentuum ecclesiæ prædictæ, & aliarum rerum quarumcunque ad eam spectantium, quas nuper ob certas, & .... causas, seisiri fecimus in manum nostram quamdiu nostræ placuerit voluntati: ita quod de eisdem fructibus, & prouentibus, & alijs rebus, disponere, ... facere, prout melius, & ad maiorem vtilitatem vestram videritis expedire: reddendo inde nobis per annum ad Scaccarium nostrum, vel alibi ad mandatum nostrũ, duodecim marcas, tres solidos, quatuor denarios; videlicet sex marcas, in festo S. Laurentij proximè futuro, & residuum inde ad festum Paschæ proximè sequens, & elapso anno præsenti, huiusmodi duodecem marcas, & sex solidos, & quatuor denarios, ad festa sancti Michaelis, & Paschæ per æquales portiones, prout in literis nostris patentibus, vobis confectis plenius continetur, vobis firmiter iniungendo mandamus, quod dictas sex marcas, tres solidos, & quatuor denarios habeatis apud London, in eodem festo S. Laurentij, dilecto clerico nostro Magistro Willielmo la Zouche, Decano ecclesiæ Beati Petri Eborum Thesaurario nostro, vel Joanni Charnel ipsius Thesaurarij locum tenenti, tunc ibidem ad opus nostrum liberandum. Et hoc sub periculo, quod incumbit, nullatenus omittatis: recipientes ab eodem Thesaurario, vel dictæ locum suum tenente, literas suas acquietantiæ receptionem earundem sex marcarum, trium solidorum, & quatuor denariorum, testificantes, & nos inde vobis debitam allocationem habere faciemus, Teste meipso apud Clarindon, tertio die Augusti, anno regni nostri vndecimo.

De terris alienigenarum de Dominio, & potestate Regis Franciæ: & eorum Beneficijs dimissis ad firmam, mense Julij, anno regni Domini Regis Edvvardi tertij, post Conquestum, 11.

Prior de Stangate.
Prior de Lewes.
Prior de Newetón Longeuille.
Priorissa de Claro Ryuolo.
Priorissa de Leomenster.
Prior de Grenwich, & Leuesham.
Prior de Winghal.
Prior de Hamel.
Prior de Cogges.
Prior de Boxgraue.
Prior de Andewell.
Prior de Holne.
Prior de Wacham.
Prior de Derby.
Prior de Luke, Præbendarius præbendæ de Netherburie, in ecclesiâ Beatæ Mariæ de Sarum.

NVllus Prior vel rector supra scriptus, finem fecit cum Domino rege, pro terris, tenementis, bonis, &c. Sed quilibet eorum dat .... antiquam firmam.

Prior de Wilmyngton.
Prior S. Andreæ Northampton.
Prior de Bermondsey.
Prior de Wenlock.
Prior de Derhurst.
Prior de Steueton.
Prior de Monte acuto.
Prior de Kyrby Monachorum.
Prior de Okeburn.
Prior de Toft.
Prior de Fronton.
Prior de Lodres.
Prior de Ottrington.
Prior de Creting, & Euerdon.
Prior de S. Neoto.
Ioannes le Panner, procurator Abbatis de Fiscamp.
Abbatissa de Cadamo.
Prior de Clatford Lanington.
Procurator Abbatissæ fontis Ebraldi.
Prior Monachorum Tesford.
Prior de Pontefracto.
Prior de Wotton.
Prior de Mersey.
Prior de Weston.
Prior de Hinkley.
Prior de Anebury.
Prior de Haghe.
Procurator S. Nicholai Andegau.
Prior de Caueringham.
Prior de Barnestaple.
Prior de Bluda.
Prior de Tickford.
Prior S. Trinitatis Eborum.
Prior de Willford.
Procurator Prioris de Ponfeld, & Welles.
Prior de Ware.
Procurator Abbatis de Sagio, & pro Prioratu de Lancast.
Prior de Sele.
Prior de Noyon, & nouo mercato.
Prior de Sporle, Rector de Sporle.
Prior de Ecclesfield.
Ioannes de Wymbourn, firmarius de Romene.
Robertus de Kychin, & Robertus Bryon, executores testamenti Ioannis de Stuteuil Rectoris de Ekynton.
Abbas de Langdon.
Prior de Trewelegh.
Robertus de Totton, firmarius ecclesiæ de Chimpaign, & Palings.
Prior de Pritwell.
Prior de Farte.
Prior de Wangeford.
Magister Edwardus Euerard, procurator Abbatis de Ybrey.
Prior de Arondell.
Prior de Folkestan.

Prior

Prior de Hermodesworth.
Prior de Horton.
Prior de Minting.
Prior de Shyrburn.
Procurator Abbatis de Alneto.
Frater Petrus Hagon. Rector de Vpcherch.
Prior de Lenton.
Prior de Stoke iuxta Clare.
Prior de Walfricheston.
Prior de Hayling.
Prior de Craswel.
Prior de Tutbery.
Prior de Cowick.
Procurator Prioris de Moretaign.
Custos ecclesiæ de Skarbrough.
Prior de Modbury.
De Ordine S. Augustini. Prior de Tacklie.
Prior de Catesbrook: Procurator Abbatis de Lyra in insulâ Vecta.
Dominus Amaricus de Pontelaico, Rector ecclesiæ de Chesthunt.
Philippus de Almain, procurator Prioris Beatæ Mariæ, de Rocherio Mortonij in Angliâ.
Martinus de Gastina, Persona ecclesiæ S. Michaelis de Guffich.
Philippus Bon Vallet Persona ecclesiæ de Auening, Wigorniensis diocæsios.
Dominus Ioannes Gomage, Rector Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Suthkeslesly.
Prior de Stoke iuxta Clare.
Magister Ioannes de Vfford, procurator Abbatis Cluniacensis.
Henricus de Lyons, Persona ecclesiæ de parua Thrillow.
Ioannes de Wastro, Generalis Atturnatus Prioris de Lenton.
Prior Sanctæ Fedis de Horsham,
Prior de Newent.
Prior de Astley.
Prior de Bekeford.
Frater Ioannes de Picheruill, Procurator Prioris de Bello loco in Normanniâ.
Prior de Bremesfield.
Richardus le Prouost, procurator Abbatis S. Wandregesily in Angliâ.
Abbatissa de Gynes.
Prior de Elyngham.
Rolandus Targe, Persona ecclesię de Estbradentram.

SCRIPTVRA. LIV.

Admonitio de Catalogis præcedentibus.

Nota primò, duos esse Catalogos distinctos: Prior est Monasteriorum, & Prioratuum quibus literæ protectionis concessæ sunt, pro causâ, & occasione mandati Pontificij, per Robertum de Winchelsey, Archiepiscopum Cantuariæ promulgati: in quo Catalogo enumerantur separatim, primo loco aliquot Episcopi, secundo Abbates indigenæ exempti, è quibus quatuor priores sunt Benedictini, quintus verò de Waltham, erat Augu-

ſtinianus Canonicus niger:tertio loco, ordo de Sempringhā Gilbertinorū: quarto loco Ciſtercićſes:quinto loco Præmonſtratenſes:ſexto loco Canonici nigri de regula S. Auguſtini:ſeptimo loco Monachi nigri de ordine S Benedicti, tam indigenę, quam alienigenæ: octauo loco Cluniacenſes: nono loco iterum Monachi nigri: vltimo loco Canonici nigri Ordinis S. Auguſtini iterum. Alter Catalogus eſt in cauſâ ſuppreſſionis alienigenarum factæ occaſione belli inter regem Angliæ, & Franciæ erumpentis, ratione cuius ſuppreſſionis omnes Prioratus, & domus alienigenarum ſupprimebantur, & fiſco regio adiudicabantur, vnde cogebantur domus prædictæ eccleſias, & terras ſuas à Rege ad firmam elocatas annuo cenſu ſoluto accipere. Habebantur autem domus alienigenæ, quæ vel ab eccleſiâ vltramarinâ pendebant, vt Ciſtercienſes, etiamſi eſſent aliâs indigenæ; vel habebant alienigenam præfectum, ſiue Abbatem, ſiue Priorem.

In vtroque Catalogo aduertendum, factum aliquando, licet rarius, vt qui ſit vnius Ordinis reponatur in cenſu, ſeu ordine aliorum: ſic inter Monachos nigros nominat Abbatem ſancti Auguſtini Briſtolliæ, & Abbatem S. Mariæ de pratis, & Abbatem de Haghemon, qui tamen ſunt Canonici nigri Ordinis S. Auguſtini: quod non eſt mirum, cum in tanto numero facile potuerit Actuarius, ſiue ſcriba regius in paucis errare: at quod in pleriſque erraret, & pleroſque Cluniacenſes poneret inter nigros Monachos S. Benedicti aut vice verſa, eſt incredibile. Sic aduertes, quod in eiſdem Catalogis aliquando eadem domus bis iteratò recenſeatur, quod facile occupatiſſimus Graphiarius, immemor ſe antea deſcripſiſſe, maluerit bis eundem ponere, quam omninò omittere.

Secundò nota, non poſitos eſſe in Catalogis omnes omninò ſuperiores, aut domos ordinum, ſiue indigenarum, ſiue alienigenarum, quæ in Angliâ extiterunt: ſed eorum tantum nomina, qui vel literas protectionis acceperunt, vel terras ſuas à rege ad firmam, ſeu ad cenſum annuum durante ſuppreſſionis tempore ſecuritatis causâ receperunt. Nec rurſus putes omnes Priores ibi nominatos, fuiſſe Conuentuales: ſed quidam Prioratus omittuntur, quia Abbates, aut Priores à quibus illi dependebant, pro ipſis regijs officijs ſatisfecerunt: quidam rurſus Prioratus, etiamſi ab Abbatibus, qui ibidem recenſentur, pendebant, tamen maioris ſecuritatis gratiâ, vel quia fortè erant maiorum redituum, ſibi per literas protectionis, vel cenſum annuum cautum voluerunt. Quod vt melius intelligi poſſit, ex alijs inſtrumentis authenticis, quę in archiuis publicis regum noſtrorum inueniuntur, quoſdam Prioratus hic recenſitos ſuis Monaſterijs alienigenis à quibus dependebant, aſſignabimus, idque ordine alphabetico.

Cellæ alienigenarum.

Appledercomb, cella S. Michaelis in periculo, ſeu portu maris in Normanniâ. In aliquibus tamen inſtrumentis attribuitur Abbatiæ Beatæ Mariæ de monte Burgi in Normanniâ.
Blitha, vel Bluda, cella S. Catharinæ de monte Rotomagi, Norman.
Brimesfield, cella Abbatiæ S. Stephani de Fontenaco, Norman.
Cogges, cella Fiſcanenſis Abbatiæ, Norman.
Caresbrok, cella Abbatiæ de Lyra, Norman.
Clatford Lauington, cella Abbatiæ S. Victoris in Norm.
S. Clementis in Inſulâ Iernſay, cella S. Michaelis in periculo maris.
Cretinghey, cella Abbatiæ de Bernace, ſeu Bernay Norman.
Derhinſt, cella Abbatiæ S. Dionyſij prope Lutetiam.
Eſtley, vel Aſtley: cella S. Taurini Ebroicenſis.
Euerdon, cella Abbatiæ de Bernay.
Eboraci S. Trinitatis, cella maioris Monaſterij Turonenſis.
Ecclesfield, cella Abbatiæ S. Catharinæ de monte Rotomagi: aliquandò tamen tribuitur Abbatiæ S. Wandrageſili in Norman.
Eya, cella Abbatiæ de Bernaco.
Fromton, cella S. Stephani de Cadomo.
Goldiliue, cella Beccenſis Abbatiæ Norman.
Hermodſworth, cella S. Catharinæ de monte Rotomag.
Horsham S. Fidei, cella Abbatiæ de Couches.
Lapley, cella Abbatiæ S. Remigij Rhemenſis, Champaniæ.

Langdon, cella Abbatiæ de Sagio, Normanniæ.
Linton, cella Abbatiæ, S. Iacuti in Britanniâ.
Leik in Iarnſey, cella S. Michaelis in periculo maris.
Lodres, cella Abbatiæ de monte Burgi Norm.
Merſey, cella Abbatię S. Audoeni Rotomag. Norm.
Modbey, vel Modbery, cella Abbatię S. Petri ſuper Diuam, Norm.
Newport paignel, cella maioris Monaſterij Turonenſis.
S. Neotus, Anglicè, S. Needs, cella Abbatiæ Beccenſis in Norm.
Noyon, & Nouomercato, cella Abbatiæ S. Ebrulphi in Norm.
Okeburne, cella Abbatiæ Beccenſis.
Otrington, cella S. Michaelis in periculo maris.
Penbroke, cella Abbatiæ S. Martini de Sagio, Norm.
Sele, aut Seke, cella S. Florentij prope Saulmur.
Shirburna, S. Benedicti de Cariſijs.
Steueton, cella Abbatiæ Beccenſis.
Tackley, cella S. Valarici in Picardiâ.
Toftes, cella S. Petri de Pratellis in Norman.
Vallia in inſulâ Iernſey, cella S. Michaelis in p. Maris.
S. Valery, cella S. Valerici in Picardiâ.
Vphauen, cella S. Wandrageſili in Norman.
Ware cella S. Ebrulphi.
Wolfrecheſton, cella S. Petri ſuper Diuam.
Wenghi, vel Wenghul, cella S. Martini Sagienſis.
Nota tertiò, ex Catalogo Cluniacenſium, qui hic habetur, emendari, & illuſtrari poſſe Catalogum, qui eſt in Bibliothecâ Cluniacenſi. Sic ergo debet legi Catalogus ille.
Prioratus S. Pancratij de Lewes, vel Lewenſis, ſiue de Caſtro Lewiarum; non Leluenſis aut de Leſues, vt ibi paſſim ſcribitur.
Prioratus Montis acuti.
Prioratus de Lentona.
Prioratus de Bermondſey: non Bermondeſte, vt ibi; vocatur etiam eccleſia Chriſti ſaluatoris, de London, vel in Southwark.
Prioratus S. Milburgis de Wennelok, non de Vanneloch.
Prioratus de Caſtelacra: ſeu de Acra caſtello; non de Cathelacra.
Prioratus de Pontefracto; vulgo Pomfret.
Prioratus de Pitorella: eſt Anglis de Pritwell.
Prioratus de Farley.
Prioratus de Cliffort, ſeu de Clifford.
Prioratus de Mendham; non de Mendhray.
Prioratus S. Iacobi iuxta, Exoniam; non iuxta Oxoniam.
Prioratus S. Mariæ Magdalenès, aut S. Clari, quis ſit in Wallia, non reperimus; ſed extat Prioratus talis prope Barnſtaple Cluniacenſis, vt Spedus putat.
Prioratus de Horton, ſeu Hortona; non Hortanna.
Prioratus de Wongefort; non Vangefortis.
Prioratus de Brumoulh, eſt idem, qui poſtea dicitur de Broholme.
Prioratus de Northamtona, S. Andrææ dicatus; non de Arenthena.
Prioratus de Horkley, non Herkele, nec Herkſelle.
Prioratus de Staneſgate, vel Stangat; non Stangathe.
Prioratus S. Mariæ de Thetford.
Prioratus de Broholme vel Brumholme; non Bremel, nec Brumoulh, prius ſubditus Caſtelacræ; deinde immediatè Cluniaco: dicabatur ſancto Sepulchro.
Prioratus de Malopaſſu, de quo nihil comperimus, eſt tamen burgus grandis eius nominis, qui Baronatus habet dignitatem.
Prioratus de Allodio: credimus eſſe tantum villulam, ſiue grangiam.
Memurchin, Onchholme, Diomholim, vbi ſint non comperimus, niſi fortè in Scotiâ; aut hi poſteriores duo ponantur pro Broholme.

Prioratus S.

Prioratus S. Woldi Nonhimpten, quid ſit ignoramus; apparet tamen ex poſterioris vocabuli veſtigijs eſſe eundem cum Northamptona.
Prioratus de Regnam, vel Reychin, videtur eſſe Prioratus de Hagham.
Prioratum de Slenchin ignoramus.
Prioratus de Rupe, eſt grangia.
Prioratus de Cerbeye, videtur eſſe idem, qui poſtea vocatur S. Iacobi de Derby, vel qui in Catalogo alienigenarum vocatur Kirbey Monachorum.
Prioratus de Dudelege.
Prioratus de Carſwelle, non Carſuelle.
Prioratus S. Marię de Alna, quid ſit neſcimus.
Prioratus de Derbi, vel Derbey.
Prioratus de Treffort, videtur eſſe idem cum Prioratu de Thetford, neque enim alium ſimilis appellationis inuenimus.
Ledecomb, Offord, Clugny, Tilreſſonem, Maulon, ſunt Maneriæ, vel Grangiæ: non Prioratus.

Superſunt in Catalogo noſtro, Prioratus de Neuton, de Normannesbergh, de Aldermanneshaue, & S. Helenæ de Inſulâ Vectâ, vt apertè pateat, omnes omninò Prioratus, præſertim Conuentuales Ordinis Cluniacenſis in Angliâ fuiſſe in Bibliothecâ Cluniacenſi enumeratos, exceptis his quatuor.

Nota quartò, ex hoc ipſo Catalogo apparere, Dominum Ioannem Spedum, etiam in ſuo Abbatiarum Catalogo vehementer, & ſæpe errauiſſe, dum coniecturas ſuas ſequutus, magna cœnobia annumerat Cluniacenſibus, quæ eorum iuriſdictionis nunquam fuerunt, vt Abbatiam Fauresham, & Prioratum Dauentriæ, quæ membra fuerunt Capituli Prouincialis ſeu Generalis Anglici, non Cluniacenſis. Multa etiam Cluniacenſium propria illis non attribuit, vt Cliffort, & inſignem prioratum de Wenlock. Sic Roffæ Cathedralem eccleſiam vocat Nigros Canonicos (quo nomine intelligere videtur Canonicos S. Auguſtini, qui ſic appellabantur per excellentiam, vt diſtinguerentur à Canonicis Albis, Præmonſtratenſibus, qui etiam S. Auguſtini regulam ſequebantur) cum clarum ſit fuiſſe Monachorum Nigrorum S. Benedicti, vt apertè declarat Malmesburienſis; niſi fortè etiam Spedus Monachos Nigros Cathedralium eccleſiarum, vocare voluerit, Canonicos Nigros, quia ſecundum S. Dunſtani legem in Abbatijs Cathedralibus non fuere diu alij Canonici, quam ipſius Abbatiæ Monachi Nigri. Pariter idem Spedus notiſſimam Ordinis Monachorum Nigrorum Abbatiam de Taueſtoke vocat Canonicorum Nigrorum.

Quemadmodum Bildwas aſcribit Ciſtercienſibus, Monachis Nigris; fortè, quia dubitauit, vtris fuerit proprius locus; aut fortè putauit fuiſſe Ciſtercienſes Nigros, & Albos. Pariter Bellevale attribuit Charthuſianis Ciſtercienſibus; vel quia dubius quorum fuerit; vel quia putauit fuiſſe etiam quoſdam Carthuſianos Ciſtercienſes.

Quæ non idcircò notauimus, vt aliquid detraheremus laboribus diligentiſſimi viri quem non miramur in his multiſque ſimilibus lapſum fuiſſe, cum noſtræ profeſſionis ac Religionis exortis, facilè potuerit ignorare, imò non potuerit rectè diſcernere iſta Religioſorum ordinum eiuſdē regulæ diſcrimina; præſertim cū dicatur latinæ linguæ ignarus: ſed idcircò tantum hæc notauimus, ne eius autoritas contra nos allata præiudiciū aliquod faceret veritati, quando Cluniacenſibus addicit, quæ nos Cluniacenſium non fuiſſe demonſtrauimus, ſed nec aduerſarius eius auctoritatem voluit pro ſe in totâ hac causâ adferre: quia vidit pariter poſſe contra ſe eandem adduci, cum multa Cluniacenſium haud dubiè propria, eis videatur auferre, & præſertim, quia non ignorauit eum in multis huiuſmodi iudicijs ſuis deceptum fuiſſe, non odio veritatis, ſed ignoratione rerum monaſticarum, quæ in homine tali non debuit expectari. Hæc de Catalogis iſtis breuiter placuit notare, Lector, da veniam, & fruere.

FINIS.

TERTIA PARS

APPENDICIS, IN QVA HABENTVR SCRIPTVRÆ EX QVIBVS CONSTAT, NON SOLVM ABBATES, ET MONACHOS S. BENEDICTI IN ANGLIA FVISSE A CLVNIACENSIBVS INDEPENDENTES, verum etiam propriè dictam Congregationem constituisse.

SCRIPTVRA. LV.

Regularis concordia Anglicæ nationis Monachorum, Sanctimonialiumque orditur.

Proœmium.



GLoriosus etenim Eadgar Christi opitulante gratiâ Anglorum cæterarumque gentium intra ambitum Britanniæ insulæ degentium Rex egregius, ab ineunte suę pueritię ætate, licet, vti ipsa solet ætas, diuersis vteretur moribus, attamen respectu diuino attactus, Abbate quodam assiduò monente, ac regiam Catholicæ fidei viam demonstrante, cœpit magnoperè Deum timere, diligere, ac venerari. Radiante paulatim fidei scintillâ, ne otiositatis torpore explosa delitesceret, quibus sanctorũ operũ meritis in feruidum perfectionis ardorem accendi valeret studiosè percunctari solicitus cœpit. Comperto etenim, quod sacra cœnobia diuersis sui regiminis locis diruta, ac penè Domini nostri Iesu Christi seruitio destituta negligenter tabescerent, Domini compunctus gratiâ cum magnâ animi alacritate festinando, vbicunque locorum decentissimè restaurauit: eiectisque negligentium clericorum spurcitijs, non solum Monachos, verum sanctimoniales etiam, Patribus Matribusque constitutis ad Dei famulatum vbique per tantam sui regni amplitudinẽ deuotissimè cõstituit, bonisque omnibus locupletans gratulabundus ditauit. Regali itaque functus officio veluti pastorum pastor solicitus, à rabidis perfidorum retibus, vti hiantibus luporum faucibus oues, quas Domini largiente gratiâ studiosus collegerat, muniendo eripuit, coniugique suæ Alphridæ sanctimonialium mandras, vt impauidi more custodis defenderet cautissimè præcepit; vt videlicet mas maribus, fęmina fæminis, sine vllo suspicionis scrupulo subueniret.

Regulari itaque sancti patris Benedicti normâ honestissimè susceptâ, tam Abbates quamplurimi, quã Abbatissę cum sibi subiectis fratrum, sororũque Collegijs sanctorũ sequi vestigia vnâ fide, non tamen vno consuetudinis vsu, certatim cum magnâ studuerunt hilaritate. Tali igitur, ac tanto studio pręfatus Rex magnoperè delectatus, arcana quæque diligenti curâ examinans, Synodale Concilium Wintoniæ fieri decreuit: illucque verba exhortatoria, ac pacifica pitacio luculentissimè caraxata humillimus destinauit, cunctosque Christi compunctus gratiâ monuit, vt concordes æquali consuetudinis vsu, sanctos probatosque imitando patres regularia præcepta tenaci mentis anchorâ seruantes, nullo modo dissentiendo discordarent: ne impar, ac varius vnius regulæ, ac vnius patriæ vsus probrosè vituperium sanctæ conuersationi irrogaret. Huius præcellentissimi Regis sagaci monitu spiritaliter compũcti, non tantum Episcopi, verum etiam Abbates, ac Abbatissæ, quod talem, ac tantum habere meruerunt doctorem, erectis ad æthera palmis immensas celsi throno grates, voti compotes referre non distulerunt.

Nam ilicò eius imperijs toto mentis conamine alacriter obtemperantes, ſanctique patroni noſtri Gregorij documenta, quibus B. Auguſtinum monere ſtuduit, vt non ſolum Romanæ, verum etiam Galliarum honeſtos eccleſiarum vſus rudi Anglorum eccleſiæ decorando conſtituerent recolentes: Accitis Florenſis Beati Benedicti, nec non præcipui cœnobij, quod celebri † Ghent nuncupatur vocabulo Monachis, quęque ex dignis eorum moribus honeſta colligentes, vti apes fauum nectaris è diuerſis pratorum floribus in vno alueario; ita has morũ conſuetudines ad vitę honeſtatem, & regularis obſeruantię dulcedinem, vt ab his, qui viam regiam mandatorum Domini abſque iactantię vitio lactei adhuc humiliter incedunt, depulſo nauſeæ tædio ſine querelâ legitimè hauſtu deguſtari libentiſſimo, ac auidè amabili poſſent impleri deuotione, temperatâ cum magna atque ſubtili rationis diſcretione, Chriſti mundi Saluatoris opitulante gratiâ, hoc exiguo appoſuerunt * Catlicello.

† Gandauum.

* Codicillo.

Ne igitur ſinguli ſi ſuam, quod abſit, adinuentionem ſuâpte præſumptuoſi eligerent excellentiſſimum ſanctæ obedientiæ fructum alicuius arrogantiæ faſtu inopinatè seducti miſerabiliter amitterent, ac Sarabaitæ vel feræ potius, quam Monachi aut homines viderentur: legitimum votum Domino noſtro Ieſu Chriſto vnanimes vouerunt, pactoque ſpirituali confirmauerunt, ſe vitâ comite iugo regulæ deditos, has adnotatas morum conſuetudines communi palam cuſtodire conuerſatione. Cęterum vnuſquiſque ſecretis oratorij locis, in quantum ſancti ſpiritus gratia clementer inſtigauerit peculiaribus teſte Deo, cum bonorum operum vigilantiâ conſultè vtatur orationibus. Hoc enim Dunſtanus egregius huius patriæ Archiepiſcopus præſago afflatus ſpiritu ad corroborandum præfati Synodalis Conuentus conciliabulum, prouidè, ac ſapienter addidit: vt videlicet nullus Monachorum, vel alicuius altioris gradus vir, vel inferioris ſecreta Sanctimonialium audax ingredi luſtrando præſumeret: & hi, qui ſpiritualis imperij prioratum, ad diſciplinę vtilitatem non ad ſæcularis tyrannidem potentatus, ſuper eas exercent, ita ſuum, vt beatus hortatur Iſidorus ſecretorum temperatè præuideant acceſſum, vt earum regulari obſeruantiæ minimè contradicant.

Id ſolummodo Catholicis regulari iugo deditis attendendum cenſuimus, ne ea, quæ vſu patrum, pro Rege, ac benefactoribus, quorum beneficijs Chriſto largiente paſcimur, interceſſionis oramina conſuetè canimus, nimià velocitate pſallendo, Deum potius ad iracundiam inconſideratè, quod abſit, prouocent, quam prouidè ad peccaminum veniam inuitent. Ita igitur hortante Patre noſtro Benedicto omnia diſtinctè pſallendo modificentur, vt mens noſtra concordet voci noſtræ, & impleatur illud Apoſtolicum, *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Si autem pro quâlibet neceſſitate, quid extra communem regularis conſuetudinis vſum addendum fuerit: tamdiu agatur, quoad vſque negotium, pro quo agitur, Chriſti opitulante gratiâ melioretur, & vt contempto arrogantię faſtu gratiſſimus obedientię acquiratur fructus, & gradus ille regularis, in quo præcipitur, vt nihil agat Monachus, niſi quod communis Monaſterij regula, vel maiorum cohortantur exempla, diligentiſſimè cuſtodiatur: nequaquam vlterius prę-ſumptuoſè vſu teneatur temerario, niſi Concilio Synodali electum, traditumque cum diſcretione virtutum omnium matre ab vniuerſis fuerit Catholicis.

Præfato equidem Synodali Conciliabulo hoc attendendum magnoperè cuncti decreuerunt, vt Abbatum, & Abbatiſſarum electio cum Regis conſenſu, & conſilio ſanctæ regulę ageretur documento, Epiſcoporum quoque electio, vti Abbatum, vbicunque in ſede Epiſcopali Monachi regulares conuerſantur, ſi Domini largiente gratiâ tanti profectus inibi Monachus reperiri potuerit eodem modo agatur, nec alio quolibet modo dum eiuſdem ſunt conuerſationis, à quoquam præſumatur. Si autem imperitiâ impediente, vel peccatis promerentibus, talis, qui tanti gradus honore dignus ſit, in eâdem Congregatione reperiri non potuerit, ex alio noto Monachorum Monaſterio concordi Regis, & fratrum, quibus dedicari debet, conſilio eligatur. Qui ordinatus videlicet Epiſcopus in omnibus eundem morem regularem cum Monachis ſuis, quem Abbas tenet regularis, diligenti curâ, & magnoperè excellenti iugiter ſine intermiſſione cuſtodiat, nec Epiſcopatus occaſione regulæ præcepta tumidus, vel obliuioſus temerè intermittat, ſed quantum excellit honore, tantum & opere. Sæcularium verò Prioratum, ne ad magni ruinam detrimenti, vti olim acciderat, miſerabiliter deueniret, magnâ animaduerſione, atque anathemate ſuſcipi cęnobijs ſacris ſapiẽter prohibentes, Regis tantũmodò, & Reginæ Dominium ad ſacri loci munimen, & ad eccleſiaſticæ poſſeſſionis augmentum voto ſemper eſſlagitate optabili prudentiſſimè iuſſerunt.

Ad Regis verò obſequium, & Reginæ, Patres Monaſteriorum Matreſque, quotiens expedierit ad ſacri cœnobij, cui præſunt, vtilitatem cum Dei timore, & regulæ obſeruantia humiliter accedant: Potentibus verò, non causà conuiuandi, ſed pro Monaſterij vtilitate atque etiam defenſione

defensione quotiens expedierit obuiandi, intra infraue Monasterium licentiam habeant.

Equitando autem, vel pedites iter agendo non otiosis fabulis vacent, sed vel psalmodijs inseruiant, vel de re necessariâ opportuno tempore loquantur. Hoc considerantes vt horas regulares non equitando, sed de equis desiliendo genu flectentes, nisi dies festiua fuerit, conuenienter vt potuerint cum diuinâ compunctione compleāt. Itinerantes verò non iuuenculos, sed adultos, quorum admonitione meliorentur, secum in comitatu ducant; domi verò degentes, nōn solum fratres, sed etiam Abbates, adolescentes, vel puerulos non brachiis amplexando, vel labris leuiter deosculando, sed charitatiuo animi affectu sine verbis adulatorijs reuerenter cum magnâ cautelâ diligant. Nec ad obsequium priuatum quempiam illorum, nec saltem sub spiritualis rei obtentu solum deducere præsumant: sed vti regula præcipit, sub sui custodis vigilantiâ iugiter maneat, nec ipse custos cum singulo aliquo puerulo sine tertio, qui testis assistat, migrandi licentiam habeat, sed pro more solito cum tota scholâ, si res rationabilis ita exegerit, quo necesse est, sub silentio, vel psalmodijs inseruiendo cum benedictione eat.

Villarum autem circuitus, nisi necessitatis causa magna compulerit, & necessariæ rationis discretio hoc dictauerit, vagando nequaquam frequentent. Sæcularíũ verò conuiuia, nisi fortè itineris hospitalitas inopinatè superuenerit nullo modo ausu temerario nec Prælati, nec subiecti adire præsumant. Victum cum pondere, mensurâ, & numero, vestitum, ieiunium, abstinentiam, vigiliam, taciturnitatem, obedientiæ bonum, & cætera quæque, quæ Patroni nostri Benedicti traditione voluntariè suscepimus Domini nostri Iesu Christi annuente gratiâ totis viribus custodientes, de consuetis sanctę regulæ moribus tam à prædicto patre Benedicto, quam à sanctis sequacibus, & imitatoribus suis, palam cum magnâ examinis discussione iugi custoditis vsu, prædicti Regis monitu freti, ac patrum imperijs confisi, solicitè, vti polliciti sumus, in quantum vires suppetent, & spiritus sancti gratia instruxerit ad charitatem fraternæ vnitatis custodiam scribendo dulucidemus, vt ab ipso æternæ vitæ remunerationem, cuncta concorditer, & gratulabundè conseruantes, recipiamus, qui facit vnanimes, id est, vnius moris habitare in domo, vbi est Rex Christus Dominus virginis filius, qui cum patre, & spiritu sancto viuit, & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Incipiunt Capitula.

1. *Qualiter diurnis, siue nocturnis horis regularis mos à Monachis per anni circulum obseruari conueniat.*
2. *Qualiter ordo hymnorum tempore hyemali custodiatur, & cætera, quæ regulariter agenda sunt, qualiter agantur.*
3. *Qualiter vigilia natalis Domini, & ab eâdem solemnitate vsque in septuagesimam agi conueniat.*
4. *Qui regularis ordo à septuagesimâ, totâ quadragesimâ custodiatur.*
5. *Qualiter diurna, siue nocturna laus Paschali festiuitate agatur.*
6. *Qualiter sabbato octauarum Paschæ, totoque æstatis tempore agatur.*
7. *Qualiter frater qui* Circa *vocatur suum officium impleat.*
8. *Qualiter diurnale, siue nocturnale officium hebdomadâ Pentecostes agatur.*

9. Qua-

9. *Qualiter quatuor temporibus agatur.*
10. *Qualiter mandatum quotidianis diebus à fratribus exhibeatur pauperibus, & quo ordine Abbas erga peregrinos agat.*
11. *Quo ordine ſabbato fratres munditias exerceant: quæque officia ob animæ ſalutem perſoluant.*
12. *Quo modo circa ægrotum fratrem agatur, qualiterque defunctum humo conueniat reddi.*

Incipit ordo, qualiter diurnis, ſiue nocturnis horis regularis mos, à Monachis per anni circulum obſeruari conueniat.

A Calendis enim Octobris, religioſorum morum Domini opitulante gratiâ, exordium ſumendo; omnia, quæ vſu regulari, & ſanctorum patrum imitatione, ſpiritualia ſiue corporalia, humili ac neceſſario agenda ſunt officio, cum benedictione inchoentur.

Hic igitur maximi muniminis mos perneceſſarius, tam in modicis rebus, quam magnis, legitimè à cunctis, iugo regulæ deditis, iugi teneatur cuſtodiâ, etiamſi ſinguli quippiam inchoauerint minimè intermittatur: nihil proculdubiò firmum validumuè permanebit, quod cuncti creantis, ac iuſto moderamine creata gubernantis, Chriſti benedictione carebit, ideoque omni tempore nocturnis horis, cum ad opus diuinum de lectulo ſurrexerit frater, primum ſibi ſignum crucis imprimat, per ſanctæ Trinitatis inuocationem. Deinde dicat verſum, *Domine labia mea aperies*: de hinc pſalmum, *Deus in adiutorium meum intende*, totum cum, *Gloria*. Tunc prouideat ſibi corpoream naturæ neceſſiatem, ſi ipſâ horâ indiguerit, & ſic ad oratorium feſtinando pſallat pſalmum, *Ad te Domine leuaui animam meam*, cū ſummâ reuerentiâ, & cautelâ intrans, vt alios orantes non impediat, ac tunc, flexis genibus in loco congruo, & conſueto, in Domini conſpectu effundat preces, magis corde, quam ore, ita vt illius vox per magnam animi compunctionem, & peccaminum ſuorum recordationem aures miſericordis Domini, efficaciter penetret, ac ſcelerum omnium Chriſti annuente gratia, veniam obtineat,

In primâ itaque oratione, decantet tres primos pœnitentiæ pſalmos, cum oratione Dominicâ, vti in ſequentibus, pro ſeipſo primum intercedendo; Poſt hos orationem iſtam; *Gratias tibi ago omnipotens pater, qui me dignatus es in hac nocte cuſtodire: deprecor clementiam tuam, miſericors Domine; vt concedas michi, diem venturum, ſic in tuo ſancto ſeruitio peragere, cum humilitate, & diſcretione, vt tibi complaceat ſeruitus noſtra. Per Dominum, &c.*

Inde veniat, ad ſecundam orationem, vbi ſequentes duos dicat pſalmos pro Rege & Reginâ, atque familiaribus, cum oratione, *Deus qui charitatis dona per gratiam ſancti ſpiritus, tuorum cordibus fidelium infundiſti; da famulis, & famulabus tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, ſalutem mentis, & corporis, Vt te tota virtute diligant, & quæ tibi placita ſunt, tota dilectione perficiant, Per Dominum noſtrum,* &c.

Inde ad tertiam orationem veniens, duos poſteriores pſalmos pro fidelibus defunctis decantet, cum oratione. *Inueniant quæſumus Domine animæ famulorum famulorumque tuarum lucis æternæ conſortium, qui in hac luce poſiti tuum conſecuti ſunt ſacramentum, Per Dominū*, &c. Et donec quidem pueri introeant eccleſiam vnum continuatim pulſetur tintinnabulum, ipſi quoque pueri ingreſſi, vt Trinitatis reuerentia ab omnibus legitimè teneatur, trinâ vtantur oratione.

Finitis verò tribus orationibus à pueris, ſonetur ſecundum ſignum, reſidentibus cunctis in ſedibus ſuis ordinatim, atque canentibus quindecim pſalmos graduum, ſingillatim, trinâ partitione, vti ſuperiores ſeptem flectentes genua poſt quinque pſalmos facto ſigno à priore Iterum autem pulſatis reliquis ſignis, atque finitis eiſdem pſalmis incipiant nocturnam. Peractis nocturnis, dicant duos pſalmos; *Domine ne in furore tuo*: Et, *Exaudiat te Deus*, vnum videlicet pro rege ſpecialiter, alterum verò pro rege & reginâ, ac familiaribus cum his collectis. *Quæſumus omnipotens Deus, vt famulus tuus Rex noſter. N, qui tua miſeratione ſuſcepit regni gubernacula, virtutum*

etiam

etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra deuitare, & hostem superare, & ad te, quia via, veritas, & vita es, gratiosus valeat peruenire, Per Dominum nostrum, &c.

Rege quæsumus Domine famulam tuam, N. & gratiæ tuæ in ea dona multiplica, vt ab omnibus libera offensis, & temporalibus non destituatur auxilijs, & sempiternis gaudeat institutis, Per Dominum nostrum, &c.

Pro Rege, & Reginâ, ac benefactoribus. *Deus qui charitatis,* &c. vt antea; & sic, finitis omnibus regularibus horis, semper agatur. Post hos psalmos, paruissimum, vti regula præcipit, & totâ æstate conuenit, fiat intervallum. Egressâ scholâ cum Magistro ad necessitudinis vsum; cæteri, nisi qui indigent, in ecclesiâ, orationibus dediti resideant.

Post hoc, sequantur diei laudes: Post *Miserere mei Deus,* &c. addant duos psalmos pro Rege, Reginâque, & familiaribus, *Beati quorum,* &c. *Inclina Domine,* &c. Quibus finitis, cantent antiphonam de cruce, Inde, antiphonam de sanctâ Mariâ, & de sancto, cuius veneratio in præsenti colitur ecclesiâ, aut si minus fuerit, de ipsius loci consecratione. Post quos, eundum est ad matutinales laudes de omnibus sanctis; decantando antiphonam, ad venerationem sancti, cui porticus, ad quam itur, dedicata est. Post quos, laudes pro defunctis. Quod si luce diei vt oportet finitum fuerit officium, incipiant *Primam,* absque tintinnabuli signo: sin autem, expectent lucem, & pulsato signo congregentur ad *Primam.* Deinde finitâ *Prima* duos psalmos, *Domine ne in furore tuo,* &c. II. Et, *Miserere mei Deus,* &c. I. canant, primum pro carnis tentatione, cum precibus, *Proba nos Domine,* & *Non inueniat nos pes superbiæ,* &c Et collectâ. *Vre igne:* Sequentem verò, pro defunctis fratribus, cum collectâ, *Inueniant quæsumus Domine,* &c. Et prece *Animæ fratrum nostrorum,* &c. Et sic more solito, pœnitentiæ psalmos percurrant deuotè interposito psalmo, *Inclina Domine.* His verò finitis subsequatur litania, quam vniuersi, more solito, prostrati humiliter, nullo excepto, signo pulsato, compleant. Quâ expletâ, post orationem Dominicam intercanitur psalmus, *In te Domine speraui,* II. Consequentibus precibus, & orationibus. Quibus finitis vacent fratres lectioni, vsque ad horam secundam, secundum regulę præceptum: tunc facto signo, eant, & se diurnalibus induant calceamentis, nullus enim hoc debet præsumere, antequam illud audiatur signum, exceptis ministris, neque tunc, ab aliquo intermittatur sine licentiâ, ne præsumptione temerariâ obedientiæ meritum lugubriter obnubilent: dehinc psalmodijs dediti, facies suas, vti mos est, lauet schola vniuersa cum Magistro, & Abbate: seniores vero, prout Deus vnicuique in corda eorum diuino immiserit instinctu, silenter, ac totâ mentis intentione, opus suum in his obsequijs, sicut in omnibus conuenit orationibus, decorando celebrent, horas Canonicas, vel septem pœnitentiæ psalmos, vel aliud quippiam spirituale, ad tentationem diabolicam deuincendam psallendo: sicque loti veniant ad ecclesiam. Infantibus autem ad ecclesiam intrantibus, edituus primum sonet signum: peractis tribus à pueris orationibus, vti prius à senioribus gestum fuerat, dispositi singuli in locis suis, campanâ pulsatâ, incipiant horam *Tertiam,* post cuius terminum dicant pro Rege atque Reginâ, & benefactoribus suis, psalmos: *Vsquequo Domine.* & *Miserere mei Deus*, *miserere mei*, subsequentibus prę scriptis collectis: deinde missam matutinalem celebrent, ad quam secundâ feriâ, dexter offerat chorus, sinister ad principalem missam. Tertiâ rursum feriâ, sinister offerat ad matutinalem, dexter ad principalem, sicque alternati, in eo hebdomadam percurrent; Eadem verò matutinalis missa, pro Rege, vel quâcunque imminente necessitate celebretur: hoc expleto, facto signo à priore, conuenientes ad Capitulum, ipso præcedente, versâ facie ad orientem salutent crucem, & cæteris vndique fratribus se vultu inclinato humilient; cuius humiliationis ratio, & in omni Conuentu custodienda est: Tunc residentibus cunctis, legatur martyrologium. Quo dicto surgentes omnes, dicant versum, *Preciosa in conspectu Domini,* &c. Cum oratione ac versu. *Deus in adiutorium meum intende,* Qui versus tertiò repetatur ab omnibus, Priore incipiente, subiungentes, *Gloria,* & flectentes genua, si tempus ita dictauerit: dicente verò Priore, *Et ne nos inducas,* surgant omnes, erectoque vultu dicant, *Respice in seruos,* subiungentes, *Gloria*, humiliato capite. Sequitur oratio, *Dirigere, & sanctificare:* & *Adiutorium nostrum in nomine Domini: Qui fecit cælum, & terram.* Iterum autem residentibus legatur regula, vel si dies festus fuerit Euangelium ipsius diei, de quâ lectione à Priore prout Dominus dederit, dicatur. Post hoc quicunque se reum alicuius culpæ agnoscit, veniam humiliter postulans, petat indulgentiam. Omnis autem frater, pro quâcunque causâ increpatus ab Abbate, vel à quolibet Priore, antequam verbum aliquod proferat, veniam petat. Et dum à Priore interrogatus fuerit, quæ sit causa pro quâ veniam poscit, respondeat atque suam profiteatur culpam dicens, mea culpa, Domine: de hinc iussus, erigat se: nam si aliter egerit culpabilis iudicabitur. Quicunque enim increpatus, à quolibet Priore fuerit pro

aliquo

aliquo reatu, vel si quippiam in officijs excesserit, & non statim veniam vti regula pręcipit postulauerit, maiori subiaceat vindictæ. Quantò enim quis se humiliauerit, seseque culpabilem reddiderit, tantò misericordius, ac leuius à Priore debet iudicari, necesse est enim, vt in omnibus negligentijs nostris, id est, cogitationum, linguæ, vel operum, in præsenti vitâ, per veram confessioné, & humilem pęnitudinē iudicemur, ne post istius vitę decursum, reos nos ante tribunal Christi statuant. Finito hoc, spiritualis purgaminis negotio quinque psalmos qui post notantur pro defunctis fratribus decantent. Ista verò omnia quæ diximus, post *Tertiam* his temporibus agenda; Dominicis diebus omni tempore ante *Tertiam* agantur; ita tamen, vt fratrum vnusquisque, suæ conscientiæ reatum, patri spirituali, vel eius, si absens fuerit, vicario, per humilem reuelet confessionem. Si autem tanta fuerit multitudo, vt ea die omnes ad confessionem venire nequeant, sequenti die, secundâ, videlicet feriâ hoc idem impleant. Schola verò nullo modo, hoc quāquam puerilis intermittat, sed vt senes, licet nondum tentationibus impugnata, consuetè peragat. Qui autem alijs indiguerit diebus, tentatione aliquâ animi vel corporis stimulatus, ad confessionis salubre remedium, deuotus non eo minus venire differat.

In diebus autem Festis, ob taciturnitatis studijque obseruantiam, ita protendatur *Prima*, vt Capitulo facto, matutinalique missa celebratâ, quæ die Dominicâ, de Trinitate celebranda est nisi alia festiua dies fuerit, si dies Dominica fuerit, mox accedant ad consecrationem conspersionis, si alia quælibet solemnitas, mox ad *Tertiam*, Interim enim cum ea missa agitur, sequentis missæ ministri, se induant, & *Tertia* peractâ, mox signorum motu fidelem aduocantes plebem, missam inchoent. Post pacem, fratres quotidie (nisi qui crimine se aliquo, vel carnis fragilitate, reos cognouerunt) regulari studio prorsus intenti, eucharistiam accipere non renuant, attendentes illud, quod ait Beatus Augustinus, in libro de verbis Domini; *Quod*, videlicet, *In oratione* Dominica *non annuum, sed quotidianum deposcimus panem.* Et vt ipse inibi testatur, tam facile Christianū posse carere, ne vmquam vitę pabulū corpus videlicet, ac sanguiné Christi accipiant, quam non crebrius, quam semel in anno degustet. *Sic* (inquiens) *viue, vt quotidiè merearis accipere: Qui quotidiè, non meretur accipere non meretur post annum accipere.* Videant tamen ad cœnam inuitati Dominicam, ne crimine aliquo turpiter infecti sine confessione, & pœnitétiâ præsumant accedere, & vitæ alimenta sibi in damnationem, conuertant: vt ait Beatus Apostolus, *Non diiudicantes corpus* Domini. Finitâ missâ detur spacium, quo ministri fratres, propter communionem sanctam accipiant mixtum, cæteris omnibus interim in ecclesiâ residentibus, & facto signo, agant orationem, deinde *Sextam*: Post *Sextam*, eant ad mensam, hoc semper attendendum vt sextâ feriâ de cruce, Sabbato de sanctâ Mariâ, nisi festiua aliqua dies euenerit, missa celebretur principalis.

Omnibus namque diebus festiuis, siue quotidianis, missâ finitâ dicatur pro rege psalmus, *Exaudiat te Dominus*, Et pro reginâ, *Ad te leuaui*, &c. consequentibus precibus, & oratione cōgruâ videlicet vt post missam, eorum agatur memoria vti in missa, & in omnibus alijs agitur horis: Tota autem die, solemne silentium teneatur in claustro.

Surgentes a Capitulo, canant quinque psalmos pro defunctis: *Verba mea*, D*omine ne in furore*. 1. *Dilexi quoniam. Credidi. De profundis*: Post quos pulsetur tabula, & si opus non habuerint ad agendum, dicatur tantum à Priore, *Benedicite*, cæteris respondentibus, *Dominus*: Si verò opus habuerint, pulsatâ tabulâ, Prior auxilium prius inuocet diuinum, dicens tertio, *Deus in adiutorium meum intende*, Fratribus hoc idem respondentibus, &, *Gloria, Pater noster*, & *Adiutorium nostrum.* Tunc cum decantatione canonici cursus, & psalterij, operentur, quod eis iniungitur, vsque dum audiant signum ad induendum, Quod cum audierint, disiungant se singuli ab operibus suis, festinantes ad opus Domini, deuenientesque ante oratorium, benedicant Dominum, qui eis adiutorium præstitit, dicentes: *Benedictus es Domine quoniā adiuuisti me, & consolatus es me* ter, & *Gloria, Pater noster*, & *Adiutorium*, & *Propitius sit nobis omnipotens* Dominus: Ingredientes autem ecclesiam agant orationem: dehinc eant ad induendum se ministri; induti verò introeant chorum, & pulsatis signis, celebrent *Sextam*; Finitâ *Sextâ*, canant psalmum, *Deus misereatur nostri*, & *Domine exaudi*, 1. pro Rege reginâque, & famililiaribus, cum præscriptis collectis: Sequitur litania: Quâ finitâ, cantor ad hoc, more solito, indutus, missæ officium inchoet: finitâ missâ pulsetur primum signum *Nonæ*, & agatur oratio: Post orationem, eant fratres hebdomadarij accipere mixtum, sedentibus interim cæteris fratribus, in ecclesiâ psalmodiæ deditis, donec iterum dato signo, *Nonam* agant: Peractâ *Nonâ*, dicant pro Rege reginâque, & familiaribus, psalmos, *Qui regis Israel*, & *De profundis*: & cum prænotatis collectis: dehinc, pergant ad mensam. Surgentes à mensâ, vacent lectioni, aut psalmis, iuxta præceptum regulæ: aut si aliquid fuerit agendum, pulsetur tabula, & cum benedictione, quod agendum est, incipiatur.

Temperius

Temperius agatur Vespera, cuius signa dum sonant fratres post orationem in choro, iuniores quidem spiritualis lectionis studio singuli seriò occupati, seniores verò, orationibus diuinis intenti, cum Domini gratiâ nusquam vagantes sedeant: Vesperam verò canentes, duos, post *Miserere mei Deus*, pro rege reginâque, & familiaribus addant psalmos, id est, *Benedixisti Domine*, Et, *Domine exaudi*: 11. Vesperis dictis sicut diximus superius agendum de Antiphonis, post matutinas, ita agatur post vesperas, & vesperæ de omnibus sanctis, & mortuorum, & vigilia, vsque ad Calendas Nouembris.

Quibus peractis eant fratres ad exuendos diurnales calceos, induentes nocturnales: Si sabbatum fuerit, singuli pedes suos lauent, sintque vasa huic operi congrua singulis designata: post pedum lauationem, lauent etiam calceos, quibus expedierit: post hæc, tintinnabulo à Priore percusso, accedant cum gratiarum actione, ad haurienda pocula. Surgentes verò, Prior hunc versum dicat, *Adiutorium nostrum*, cæteri respondeant; *Qui fecit cœlum & terram*: Inde pulsata tabula, eant ad mandatum secundum regulæ edictum, quo peracto facto signo in ecclesiam initietur collatio, rursumque dato tintinnabuli signo refectorium introeant charitatis gratiâ, quotiescunque fratribus charitas interim dum collatio legitur, præbetur, lectione finitâ, omnibusque surgentibus, dicat Prior: *Sit nomen Domini benedictum*; & *Benedicamus Domino*; cæteris vt mos est respondentibus; reliquis verò diebus, post mutationem calceamentorum, cum signo refectorium petant. Exhinc similiter cum signo collationem adeant, quę prout tempus permiserit vtque Priori visum legatur, & sic accedant ad completorium.

Signo namque completorij pulsato, agatur oratio, quâ finitâ, facto signo à Priore inuicem sibi dent confessionis salubre remedium; finito completorio, & ad vltimum, more solito, *Miserere mei Deus* decantato, addantur duo psalmi, *Deus in adiutorium meum*; &, *Leuaui*; pro rege ac regina, & benefactoribus. Finito completorio, vt in vltimâ horâ canonicâ, vti in exordio sanctę Trinitatis ac indiuiduæ vnitatis reuerentia legitimè à seruulis exhibeatur Catholicis, agant primum pueri tres orationes, post pueros agant fratres.

In primâ oratione, canant psalmos, *Vsquequo Domine*; &, *Iudica me Deus*; *Kyrie eleyson*, *Pater noster*, & preces, *Auerte faciem tuam*; *Cor mundum*; *Ne proijcias*; *Redde mihi letitiam*: *Gratias tibi ago Domine sancte pater omnipotens æterne Deus, qui me dignatus es in hac die custodire per tuam sanctam clementiam, concede mihi, hanc noctem mundo corde, & casto corpore, sic peragere, qualiter mane surgens gratum tibi seruitium persoluere possim. Per Dominum nostrum*, &c.

In secundâ oratione: *Deus misereatur nostri*: & *Nisi Dominus*: *Kyrie eleyson*, *Pater noster*, easdem preces quas supra, collectam *Deus cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum purifica per infusionem sancti spiritus, cogitationes cordis nostri, vt perfectè, te diligere, & dignè laudare mereamur. Per Dominum nostrum*, &c.

In tertiâ oratione. *De profundis*, *Kyrie eleyson*, *Pater noster*, easdem preces collect. *Omnipotens mitissime Deus qui sitienti populo, fontem viuentis aquæ de petrâ produxisti, educ de cordis nostri duritiâ, cōpunctionis lachrimas, vt peccata nostra plangere valeamus, remissionemque te miserante mereamur accipere. Per* Dominum *nostrum*, &c.

Omnipotens mitissime Deus respice propitius, ad preces nostras, & libera cor nostrum, de malarum temptatione cogitationum, vt spiritus sancti dignum fieri habitaculum mereamur inueniri. Per Dominum *nostrum*, &c.

Quibus peractis, conspergantur à sacerdote hebdomadario, benedictâ aquâ, & sic pergant ad requiem suam, cum summę tranquillitatis voce, & reuerentiâ: si quis verò, post hæc, deuotionis suæ forte feruore, his diutius incumbere voluerit, agat quidem hæc sed audito signo editui, quo resides ad egrediendum vocat, nil moretur: Omni etiam nocte, post completorium, aspergatur domus requietionis eorum recumbentibus eis, propter illusiones diabolicas.

Qualiter ordo hymnorum tempore hyemali custodiatur, & cætera, quæ regulariter agenda sunt, qualiter agantur.

A Calendis Nouembris, vsque in caput quadragesimæ, vnus teneatur ordo hymnorum, scilicet, vt in diebus breuioribus breuiores dicantur hymni, & in longioribus productio-

res etiam hymni psallantur; id est, vt Dominicâ, vesperâ, *O lux beata*: ad completorium, *Christe qui lux es*; ad nocturnas verò; *Primo dierum*; & ad matutinas dicatur *Æterne rerum conditor*: Omni verò tempore ad nocturnam, ad matutinam, ad vesperam, exceptis Dominicis & festiuitatibus sanctorum, feriales more solito teneantur: Præclaris verò & festiuis solemnitatibus, hymni competentes, vsu celebrentur consueto: Aduentus autem Domini, quadragesimæ, ac Passionis tempore hymni eiusdem cultus legitimè decantentur, ita tamen vt non hymni de ieiunio, sed hi qui per totum annum currunt, Dominicis diebus siue noctibus, tempore quadragesimali celebrentur.

Ab eisdem Calendis concedatur fratribus accessus ignis, dum necessitas compulerit, & frigoris nimietas incubuerit. Quod tamen sub silentio fiat, in refectorio verò hoc minimè agatur. In huius quoque hiemis tempore, propter nimiam imbrium asperitatem, locus aptus fratribus designetur, cuius .... refugio, hybernalis algoris, & intemperei aduersitas, leuigetur, si autem temperies tranquilla fuerit, claustro vti libuerit cum Christi benedictione vtantur, quod si pro necessitate, claustro egredientes domum vti diximus designatam ingressi fuerint, idem ibi mos in omibus teneatur, qui in claustro solito tenetur: nec quispiam vllo vmquam tempore claustrum deserens domum prædictam ad cômorandum præsumptuosus adeat vel domum derelinquês claustrû, sine Prioris licentiâ: secundum verò regulæ edictum, temperius ad vigiliam surgatur, vt nocturnali peracto officio, & psalmis supradictis, ac vigiliâ pro defunctis cum laudibus suis, atque matutinis de omnibus sanctis expletis, fratribus psalmodiæ deditis, vel lectioni, secundum regulę præceptum si qui indiguerint inseruientibus, interuallum vsquequo lucescat, cum magnâ vigilantiâ custodiatur à lucis crepusculo, dum edituus signum pulsauerit ad ecclesiam vniuersi conueniant, factâque oratione *Laudes* psallant matutinales, quibus finitis, dicant Antiphonas supradictas vsque ad aduentum Domini, quas sequatur *Prima*, & speciales psalmi, & litania, post hæc egrediantur ecclesiam, atque in lectionem, sacræ animæ profectum meditentur, vsque ad tempus supradictum.

A festiuitate sancti Martini, refectis fratribus, ecclesiam intrantibus, agatur signum *Nona*, quod sequatur ipsa laus, quam *Nonam* non sequitur potus vsque ad Purificationem sanctæ Mariæ, sic agitur omnibus solemnibus diebus; Alijs verò diebus iuxta supradictum ordinem faciant, vt videlicet facto signo calcient se, & reliqua omnia, sicut dictum est impleant, in aduentu Domini, pinguedo interdicitur, scilicet lardi, nisi festiuis diebus. Vespera quotidiè more solito agatur, vt scilicet, suo tempore post mensam celebretur.

Qualiter vigiliâ natalis Domini, & ab eâdem solemnitate vsque in septuagesimam agi conueniat.

IN vigiliâ Natalis Domini, dum eiusdem natalis mentio à lectore recitatur in Capitulo, omnes pariter surgentes genua flectent, gratias agentes propter eius ineffabilem pietatem, quâ mundum à laqueis diaboli redempturus descendit. Sabbato quoque sancto Paschæ, dum à puero Resurrectio Domini nostri Iesu Christi legitur, quanquam in martyrologio id non habetur, propter eius gloriosissimi victoriam triumphi, quam destructis Erebi claustris, secum fideles quosque in cœlos aduexit, nobis etiam rediuiuis, spem ascendendi concessit vniformiter agatur, vespere canantur Antiphonæ congruæ de ipsâ completione temporis, ad psalmos, in cuius noctis vigiliâ, in quarto responsorio, vt honorificentius agatur, duo simul cantant illud, & Euangelium, post *Te Deum laudamus* ab Abbate more solito legatur, dictâ oratione, sub silentio egrediantur ministri, vt calcient se, lauent, & induant sub festinatione, omnibusque signis motis, agatur missa: post hæc, laudes matutinales, his finitis, incipiant laudes de omnibus sanctis more solito, si autem eluxerit missam celebrent matutinalem, quæ in lucis crepusculo celebranda est. Dehinc tempore opportuno, signo pulsato canant *Primam*, finitâ *Prima*, venientes ad Capitulum, post cætera spiritualis ædificationis colloquia petunt humili deuotione omnes fratres ab Abbate, qui vices Christi agit postulantes multiplicium indulgentiam excessuum dicentes *Confiteor*, & Abbas respondeat *Misereatur*: demum ipse Abbas solo tenus se prosternens eadem à fratribus petat, idem modus confessionis primâ Paschalis solemnitatis die ita agatur. Capitulo facto, & psalmis dictis induant se omnes vt sint ornati omnes ad *Tertiam*.

Ad vesperam

Ad vesperam ipsius diei dicantur Antiphonæ, *Tecum principium*, & reliquæ; reliquis verò tribus diebus dicantur Antiphonæ de ipsis sanctis cum psalmis ipsi solemnitati competentibus. His peractis rursum repetatur *Tecum principium*, vsque octauas Domini, his autem diebus inter Innocentium festiuitatem, & octauas Domini, quia *Gloria in excelsis Deo* ob tantæ festiuitatis honorificentiam ad missam celebratur, ad nocturnam, & ad vesperam, vti ad missam, sicut in vsum huius patriæ indigenæ tenent, omnia signa pulsentur, nam honestos huius patriæ mores ad Dominum pertinentes, quos veterum vsu didicimus nullo modo abijcere sed vndique vti diximus corroborare decreuimus, ad matutinas verò ob rem prædictam licet *Te Deum laudamus* non canatur, & Euangelium minimè festiuo more legatur, cereus tamen accendatur, & signa pulsentur omnia, & thuribulum turificando deportetur, hinc vsque Epiphaniam Domini psalmi ad vesperas ad feriam pertinentes cũ Antiphonâ dicantur. In vigiliâ Epiphanię Domini ieiuniũ minimè exsequitur. Ad psalmos ipsius vesperæ Antiphonæ dicantur de eâdem solemnitate. Cæteris diebus post octauas Domini, & Epiphaniatũ primum diem, & post *Primam* agatur missa matutinalis, & tabula post Capitulum pulsatur, & obedientia agitur, & signa simul non pulsentur nec *Gloria in excelsis Deo* canitur, nisi alia festiuitas interuenerit, vsque octauum diem, qui solemniter cum xij. lectionibus celebratur. Ab eâ die vsque caput quadragesimæ suprascriptus ordo teneatur.

In purificatione sanctæ Mariæ, sint cerei ordinati in ecclesiâ, ad quam fratres ire debent, vt inde petant luminaria. Euntes autem silenter incedant psalmodiæ diditi, & omnes albis induti si fieri potest vel aeris permiserit temperies, & intrantes ecclesiam agant orationem cum Antiphonâ, & collectâ ad venerationem ipsius sancti cui ecclesia ipsa ad quam itur dedicata est. Deinde Abbas stolâ, & cappâ indutus benedicat candelas, & conspergat aquâ benedictâ, & thurificet, & sic accepto cereo ab edituo psallentibus cunctis, accipiant singuli singulos, acceptosque accendant. Inde reuertentes canant Antiphonas, quæ adsunt vsquequo veniant ante portam, vbi decantatâ Antiphonâ *Responsum accepit Simeon*, dicatur oratio *Exaudi quæsumus Domine*, post quam ingrediantur ecclesiam canentes Responsorium *Cum inducerent puerum*. Hoc decantato dicant orationem Dominicam, dehinc sequatur *Tertia*, quâ finitâ si processionem induti non egerunt induant se, & missam celebrantes teneant luminaria in manibus donec post oblationem ea sacerdoti offerant, qui regularis ordo à septuagesimâ, totâ quadragesimâ custodiatur.

In septuagesimâ verò pinguedo intermittatur, vsque in quinquagesimam, à quinquagesimâ verò quadragesimalem teneant, abstinentiam more solito. A septuagesimâ autem finitis tribus lectionibus sex nocturnæ posterioris psalmi vti priores cum tribus Antiphonis ex ipsorum psalmorum concentu editis vsque ad cœnam Domini cum summâ diligentiâ decantentur. A capite ieiunij, quartâ, & sextâ feriâ processionem custodiant vsque in cœna Domini, & ab octauis Pentecostes vsque ad Calendas Octobris: Cuius ordo processionis ita agatur: Quartâ feriâ capitis ieiunij *Nona* decantatâ Abbas stolâ ornatus benedicat cineres: Quibus benedictis eat ipse Abbas, & imponat capitibus singulorum, quia eius est pęnitentiam illis imponere, canentes interim Antiphonam: *Exaudi nos Domine*: *Saluum me fac Deus*, st. *Et gloria*: *Kyrie eleyson*: *Pater noster*: *Deus misereatur nostri*, & preces, & Collectas: tunc vadant, quo ire habent canentes Antiphonas, quæ in Antiphonario continentur: venientes ad ecclesiam, quo eunt, iterum agant orationem, & post Antiphonam de sancto, & psalmum, *Ad te leuaui oculos*, & preces, & orationem ibi incipientes litaniam reuertantur ad matrem ecclesiam, ac dehinc more solito agatur missa. Iste ordo processionis semper teneatur quotiens processio agitur. Sed alijs temporibus semper Antiphona *Exurge Domine* dicatur prima cum psalmo, & *Gloria*.

His peractis induant se ministri altaris, postquam ingressi fuerint ecclesiam cum processione, prolongatâ litaniâ, quantum ad hoc sufficiat. Tunc induti casulis Sacerdos, Diaconus, ac Subdiaconus peragant ministeria sua. Hic autem mos *Casularij*, tantummodo quadragesimali, & quatuor temporibus vsu præcedentium patrum obseruetur: Subdiaconus quoties casulâ induitur exuat eam dum legit epistolam, quâ lectâ rursus eâ induatur. Diaconus verò antequam ad Euangelium legendum accedat exuat casulam, & duplicans eam circumponat sibi in sinistrâ scapulâ annectens alteram summitatem eius cingulo albæ. Peracto communionis sacramento induat eam antequam collecta finiatur. In supradictis diebus quadragesimæ completâ missâ pulsetur signum ad Vesperum, & agatur oratio: dehinc in interuallo, quo signa pulsantur eant ministri accipere mixtum, qui voluerint, qui verò noluerint licentiam habeant dimit-

 tendi

tendi, & quia regulæ tenemus ornamentum in his sanctis diebus quadragesimæ aliquid nobis augendi diuinæ seruituti ad solitum pensum nostræ seruitutis, censuimus vt à capite quadragesimæ vsque ad cœnam Domini festiuis exceptis diebus quotidie post expletionem vniuscuiusque horæ duos psalmos prostrati solo oratorij peroremus deuoti, eo scilicet ordine vt matutinis finitis mox dicantur duo psalmi *Domine ne in furore*. 1. & *Ad Dominum*, *Kyrie eleyson*, *Pater noster*, & preces pro peccatis, & oratio. Ad *Primam Beati quorum*, & *Leuaui*, & reliqua vt supra. Ad *Tertiam Domine ne in furore*. 2. & *Letatus sum*. Ad *Sextam Miserere mei Deus*, & *Ad te leuaui*. Ad nonam, *Domine exaudi*, & *Nisi quia Dominus*. Ad vesperam *De profundis*, & *Qui confidunt*. Ad completorium *Domine exaudi* 2. & *In conuertendo*, vt videlicet per singulas horas vnus dicatur psalmus pœnitentiæ, & alter graduum, quo & nos peccatorum nexibus expiati virtutum gradibus superna scandamus, in quibus diebus quadragesimę per tres priores hebdomadas sint inrasi, mediante verò quadragesimali tempore, rasuræ officio pilorum euellant superfluitatem.

Dominicâ die palmarum, quia maior restat processio agenda, illa quæ solet in claustro agi interim dum matutinalis missa canitur agatur à sacerdote tantum conspersionem, & benedictionem agente. Finitâ illâ missâ agatur illa maior processio, in quâ, sicut in priori diximus agendum, ita agatur, id est, vt ad illam ecclesiam vbi palmæ sunt sub silentio ordinatim eant dediti psalmodię omnes, si fieri potest, & aura permiserit, albis induti, quo cum peruenerint agant orationem ipsius sancti implorantes auxilij intercessionem, cui ecclesia dedicata est, Finitâ oratione à Diacono legatur Euangelium *Turba multa* vsque *Mundus totus post ipsum abijt*, quod sequatur benedictio palmarum, post benedictionem aspergantur benedictâ aquâ, & thus cremetur, dehinc pueris inchoantibus Antiphonas *Pueri Hæbreorum*, distribuantur ipsæ palmæ, & sic maioribus Antiphonis initiatis egrediantur, venientes ante ecclesiam subsistant; donec pueri qui præcesserunt decantent, *Gloria laus*, cum versibus omnibus, sicut mos est, *Laus*, & *Gloria* respondentibus: quibus finitis incipiente cantore Responsorium *Ingrediente Domino*, aperiantur portæ, ingressi, finito responsorio, agant sicut supradictum est, & teneant palmas in manibus vsque dum offertorium canetur, & eas post oblationem offerant sacerdoti. Eâ die ad passionem dicitur, *Dominus vobiscum* sed *Gloria tibi Domine*, non respondetur: similiter & in reliquis passionibus exceptâ parasceuæ passione vbi neutrum dicatur nec *Dominus vobiscum* nec *Gloria tibi Domine*. Quintâ feriâ quæ, & cœna Domini dicitur nocturnale officium agatur secundum quod in Antiphonario habetur, comperimus etiam in quorundam religiosorum ecclesijs quiddam fieri, quod ad animarum compunctionem spiritualis rei indicium exorsum est, videlicet vt peracto quicquid ad cantilenã illius noctis pertinet, Euãgelijque Antiphonâ finitâ, nihilque iam cereorum luminis remanente, sint duo ad hoc idem destinati pueri in dexterâ parte chori, qui sonorâ psallant voce *Kyrie eleyson*, duoque in sinistrâ parte similiter, qui respondeant *Christe eleyson*, nec non & in occidentali parte duo, qui dicant *Domine miserere nobis*, quibus peractis respondeat simul omnis chorus, *Christus Dominus factus est obediens vsque ad mortem*. Demum pueri dexterioris chori repetant, quæ supra, eodem modo quo supra vsquequo chorus finiat, quæ supra: Idemque tertiò repetant eodem ordine. Quibus tertiò finitis, agant tacitas genu flexo more solito preces, qui ordo trium noctium vniformiter teneatur ab illis: qui vt reor ecclesiasticæ compunctionis vsus à Catholicis ideo repertus est, vt tenebrarum terror (qui tripartitum mundum Dominicâ passione timore perculit insolito) ac Apostolicæ prædicationis consolatio (quæ vniuerso mundo Christum patri vsque ad mortem pro generis humani salute obedientem reuelauerat) manifestissimè designetur. Hæc ergò inserenda censuimus, vt si quibus deuotionis gratiâ complacuerint, habeant in his vnde huius rei ignaros instruant, qui autem noluerint ad hoc agendum minimè compellantur.

In quarum noctium sequentibus diebus ad nullam dicitur horam *Deus in adiutorium meum*, sed in directum capitula canonici cursus dicantur: dehinc versus, & sequentia. In quintâ verò feriâ eadem capitula altius dicuntur vt ab omnibus audiantur, & vesperæ, & completorium, cæteris diebus minimè. In supradictis noctibus si matutinæ ante lucem fuerint finitæ, fratres, qui voluerint ad suam redeant requiem, qui autem spiritualia exercitia maluerint cum summo vigilantes silentio (quod eorum animabus expedit) mane facto in cœnâ Domini conueniant ad *Primam*, quâ sonorè dictâ, & canonico more scilicet *Deus in nomine tuo*, *Beati immaculati*, vsque *Legẽ pone*. Tunc dicto versu, genuflexo peragant cętera silenter, post *Pater noster*, dicitur silenter, *Viuet anima mea*, & *laudabit te*, vsque in finem psalmi, sed Priore perueniente ad confessionis locum facto signo agant confessionem. In cæteris horis similiter residua Capitula, ad *Tertiam* à *Legem pone*, vsque *Defecit* altâ voce, & versus, & cætera silenter

filenter. Ad *Sextam* à *Defecit*, vſque ad *Mirabilia*: Ad *Nonam* à *Mirabilia*, vſque in finem; Veſperæ ſimiliter ſonorâ voce, vnuſquiſque pſalmus cum Antiphonâ, & verſus, & Euangelium, & cætera ſilenter. Completorium æquè ſonorè, & poſt primum pſalmum canonico more, *In te Domine ſperaui*, 1. & Euangelium, *Nunc dimittis*, Poſt, *Pater noſter*; *In pace in idipſum*. His tribus diebus primâ peractâ, pſallant pſalteriũ ex integro vnanimiter in choro. Poſt quod litaniam agant proſtrati, deinde lectioni vacent, vſque facto ſigno eant ad calciandum, & reliqua more regulari compleant, facto namque Capitulo diſcalcient ſe fratres, & intrantes eccleſiam more obedientiæ lauent pauimenta eccleſiæ, ſacerdotibus interim cum miniſtris altaris benedictâ aquâ ſacra altaria lauantibus. Eâ enim die non fit celebratio miſſæ in aliquo altari, donec lauetur: quibus peractis lotis pedibus recalcient ſe. *Sexta* peractâ celebretur miſſa, pauperibus ante ad hoc collectis ſecundum numerum quem Abbas præuiderit: dehinc collectis in locum congruum, eant fratres ad agendum mandatum, vbi canentes Antiphonas eidem operi congruentes lauent, & extergant pedes pauperum, atque oſculentur, & datâ aquâ manibus eorum, dentur eis etiam cibaria, fiatque ſecundum Abbatis arbitrium in eis diſtributio nummorum.

Dehinc horâ congruâ agatur *Nona*. Quâ cantatâ ob arcanum cuiuſdam myſterij indicium; ſi ita placuerit, induant ſe fratres, & pergant ad oſtium eccleſiæ ferentes haſtam cum imagine ſerpentis, ibique ignis de ſilice excutiatur, illo benedicto ab Abbate, candela, quæ more ſerpentis infixa eſt, ab illo accendatur. Sicque edituo haſtam deportante cuncti fratres chorum ingrediantur, vnuſque dehinc cereus ex illo illuminetur igne. Sextâ feriâ eodem ordine agatur ac à Decano portetur. Sabbato ſimiliter, à Præpoſitoque deferatur. Et poſt hæc celebratio miſſæ. Ad quam, *Dominus vobiſcum* minimè dicatur, niſi ab Epiſcopo tantummodò vbi chriſma conficitur. A quo etiam in euchariſtiæ acceptatione pacis oſculum præſbyteris, ter *Agnus Dei* decantato, ſolummodo detur, ab alijs verò minimè pręſumatur: in quâ miſſâ, ficut & inſequentium dierum cõmunicatio præbetur tam fratribus, quam cunctis fidelibus, reſeruatâ nihilominus eâ die euchariſtiâ quæ ſufficit ad communicandum cunctis alterâ die: peractâ miſſæ celebratione omnes ad mixtum pergant: poſt mixtum quos voluerit Abbas ex fratribus ſecum adſumens ſuum peragat mandatum, quo peracto veſperas celebrent, dehinc refectionem fratrum agant: poſt quam tempore congruo eorundem agatur mandatum, qui tamen fratres prius pedes ſuos diligenter emundent, venienteſque ad mandatum hebdomadarij miniſtri, ſecundum morem ſuum Abbatem antecedentes, mandatum agant, quos ſequitur in choncâ ſuâ ſingulorum pedes lauans, miniſtrantibus ſibi quos voluerit ad hoc obſequium, quos extergat, & oſculetur. Quo peracto reſideat Abbas in ſede ſuâ, veniantque Priores, & ei eadem exhibeant, deinde ſurgens det aquam in manibus ſingulorum, rurſumque ei eadem ſeruitus exhibeatur. Inde verò dum manus lauant, diaconus hebdomadarius, & reliqui miniſtri eant, & induant ſe, ſignoque collationis moto ingrediantur, diacono dalmaticâ induto cum textu Euangelij, præcedentibus cereis, & turibulo, legaturque Euangelium ſecundum Ioãnem *Ante diem feſtum*, donec tintinnabulum pulſetur: tunc pręcedente proceſſione ſubſequatur omnis Congregatio, cunctiſque in refectorio reſidentibus idem diaconus ſtans proſequatur Euangelij ſequentia impoſito ſuper ambone Euangelio. Interim Abbas propinando circueat fratres cum ſingulis potibus ſingulorum oſculans manus, quâ peractâ miniſtratione reſidente Abbate dicatur, *Tu autem Domine*. Tunc à Priore propinetur Abbati, & reliquis miniſtris, qui aſſiſtebant. Euangelioque finito potibuſque hauſtis procedat proceſſio, & exuant ſe fratres, ſintque cum reliquis ad complendum.

Inde paraſceuæ agatur nocturna laus ſicut ſupradictum eſt: poſt hæc venientes ad *Primam*, diſcalciati omnes incedant quouſque crux adoretur. Eâdem enim die horâ nonâ Abbas cum fratribus accedat ad eccleſiam, qui dum peractâ oratione cum miniſtris altaris more ſolito indutus fuerit veniens de ſacrario ante altaria orationis gratiâ inde cum ſilentio ad ſedem accedat propriam, tunc ſubdiaconus, aſcendat ad legendum lectionem Oſeæ Prophetę *In tribulatione ſua*, Sequitur Reſponſorium, *Domine audiui* cum 4. verſibus: poſtea dicitur oratio ab Abbate cum genuflexione, *Deus à quo & Iudas*. Deinde legitur alia lectio, *Dixit Dominus ad Moyſen*, Sequitur tractus, *Eripe me Domine*, Poſtea legitur, *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum Ioannem*. Ad illam Paſſionem diaconus non dicat, *Dominus vobiſcum*, ſed *Paſſio Domini*, & reliqua, nullo reſpondente, *Gloria tibi Domine*; & quando legitur in Euangelio *Partiti ſunt veſtimenta mea*, & reliqua, ſtatim duo diaconi nudent altare ſindone, quę prius fuerat ſub Euangelio poſita in modũ furantiũ: poſt hoc celebrentur orationes, & veniens Abbas ante altare incipiat orationes ſolemnes, quæ ſequuntur, & dicat primam ſine genuflexione, quaſi legendo, *Oremus dilectiſſimi nobis*, & reliqua.

Quibus expletis per ordinem, ſtatim præparetur crux ante altare, interpoſito ſpatio inter ip-

 ſam

ſam & altare, ſuſtentata hinc & inde à duobus diaconibus. Tunc cantent *Popule meus*, Reſpondentes autem duo ſubdiaconi ſtantes ante crucem canant græcè, *Agios o theos, Agios yschiros, Agios athanatos eleyſon emas.* Itemque ſchola id ipſum latinè, *Sanctus Deus.* Deferatur tunc ab ipſis diaconibus ante altare, & eos accolitus cum puluillo ſequatur, ſuper quem ſancta crux ponatur. Antiphonâque finitâ quã ſchola reſpondet latinè canant ibidem ſicut prius *Quia eduxi vos per deſertum.* Idem verò reſpondeant ſubdiaconi græcè ſicut prius *Agios*, vt ſupra; itemque ſchola latinè vt prius, *Sanctus Deus*: Itemque diaconi leuantes crucem canant ſicut prius, *Quid vltra.* Item ſubdiaconi ſicut prius, *Agios*, vt ſupra; Itemque ſchola latinè, *Sanctus Deus*, vt ſupra. Poſt hæc vertentes ſe ad clerum nudatâ cruce dicant Antiphonam, *Ecce lignum crucis*: Antiphonã, *Crucem tuam adoramus*: Antiphonam, *Dum fabricator mundi*: *Pange lingua.* Ilicò eâ nudatâ veniat Abbas ante crucem ſanctam ac tribus vicibus ſe proſternat cum omnibus fratribus dexterioris chori, ſcilicet ſenioribus, ac iunioribus, & cum magno cordis ſuſpirio ſeptem pœnitentiæ pſalmos cum orationibus ſanctæ cruci competentibus decantando peroret.

In primâ quidem oratione tres pſalmos primos cum oratione, *Domine Ieſu Chriſte, adoro te in crucem aſcendentem, deprecor te, vt ipſa crux liberet me de diabolo percutiente*: *Domine Ieſu Chriſte adoro te in ipſa vulneratum, deprecor te vt ipſa vulnera remedium ſint animæ meæ*: *Domine Ieſu Chriſte adoro te deſcendentem ad inferos liberare captiuos, deprecor te vt non ibi me dimittas introire*: *Domine Ieſu Chriſte adoro te reſurgentem ab inferis aſcendentem ad cælos deprecor te miſerere mei*: *Domine Ieſu Chriſte adoro te venturum iudicaturum, deprecor te vt in tuo aduentu non intres in iudicio cum me peccante, ſed deprecor te, vt ante dimittas, quam iudices, qui viuis, & regnas.*

In ſecundâ duos medios cum ſequente oratione, *Domine Ieſu Chriſte glorioſiſſime conditor mundi, qui cum ſis ſplendor gloriæ coæternus Patri, ſanctoque ſpiritui, ideo dignatus es carnẽ ex immaculata virgine ſumere, & glorioſas palmas tuas in crucis patibulo permiſiſti configere vt claustra diſſipares inferni, & humanum genus liberares de morte; reſpice, & miſerere mihi miſero oppreſſo facinorum pondere multarumque nequitiarum labe polluto, non me digneris derelinquere piiſſime Pater ſed indulge, quod impiè geſſi. Exaudi me proſtratum coram adoranda glorioſiſſima cruce tua vt merear tibi mundus adſiſtere, & placere conſpectui tuo, Qui cum patre.*

A tertiâ vltimos duos cum oratione, *Domine omnipotens Ieſu Chriſte, qui tuas manus mundas propter nos in cruce poſuiſti, & de tuo ſancto ſanguine nos redemiſti, mitte in me ſenſum, & intelligẽ tiam quomodo habeam veram pœnitentiam, & habeam bonam perſeuerantiam omnibus diebus vitæ meæ, Amen.* Et eam humiliter deoſculans ſurgat. Dehinc ſiniſterioris chori omnes fratres eadem mente deuotâ peragant, nam ſalutatâ ab Abbate vel omnibus cruce redeat ipſe Abbas ad ſedem ſuam vſque dum omnis clerus ac populus hoc idem faciat, nam quia eâ die depoſitionem corporis ſaluatoris noſtri celebramus vſum quorundam religioſorum imitabilem ad fidem indocti vulgi, ac neophitorum corroborandam æquiparando, ſequi ſi ita cui viſum fuerit vel ſibi taliter placuerit hoc modo decreuimus, ſit autem in vnâ parte altaris, quâ vacuum fuerit, quædam aſſimulatio ſepulchri velamenque quoddam in giro tenſum, in quod dum ſancta crux adorata fuerit deponatur hoc ordine. Veniant diaconi, qui prius portauerunt eam, & inuoluant eam ſindone in locó vbi adorata eſt, tunc reportent eam canentes Antiphonas: *In pace in idipſum*: *Habitabit.* Item, *Caro mea requieſcet in ſpe*: donec veniant ad locum monumenti, depoſitâque cruce ac ſi Domini noſtri Ieſu Chriſti corpore ſepulto dicant Antiphonam, *Sepulto Domino ſignatum eſt monumentum ponentes milites, qui cuſtodirent eum.* In eodem loco ſancta crux cum omni reuerentiâ cuſtodiatur, vſque Dominicam noctem reſurrectionis: nocte verò ordinentur duo fratres aut tres aut plures ſi tanta fuerit Congregatio, qui ibidem pſalmos decantando excubias fideles exerceant, quibus peractis egrediantur diaconus ac ſubdiaconus de ſacrario cum corpore Domini, quod pridiè remanſit, & calice cum vino non conſecrato, & ponant ſuper altare, tunc ſacerdos veniat ante altare, & dicat voce ſonorâ: *Oremus*; *Præceptis ſalutaribus moniti*, & *Pater noſter*, inde *Libera nos quæſumus Domine*, vſque, *Per omnia ſæcula ſæculorum*: Et ſumat Abbas de ſancto ſacrificio, & ponat in calicem nihil dicens, & communicent omnes cum ſilentio: hoc expleto veſpertinum officium canat vnuſquiſque priuatim in loco ſuo, quo peracto refectorium petant. Surgentes autem à menſâ cætera more ſolito peragant, crucis verò veneratione peractâ, quibus vacuum fuerit miniſtri vel pueri ſe radant, ac balneent, ſi tanta fuerit cohors ſocietatis, vt ſabbati craſtini ad hoc non ſufficiat dies, completorium verò poſt collationem vnuſquiſque in loco ſuo ſtans ſemotim, ac ſilenter more canonicorum, vt ſupra diximus, decantet, & conſueto more cætera compleat, his verò tribus diebus in refectorio omnia cum benedictione, & in Capitulo more agantur ſolito.

Qualiter

Qualiter diurna, ſiue nocturna laus Paſchali feſtiuitate agatur.

SAbbato ſancto horâ nonâ veniente Abbate in eccleſiam cum fratribus, nouus, vt ſupra dictum eſt, afferatur ignis. Poſito verò cereo ante altare ex illo accendatur igne. Quem diaconus more ſolito benedicens, hanc orationem quaſi voce legentis proferens dicat: *Exultet iam Angelica turba cælorum.* Tunc voce ſublimiore dicat, *Surſum corda*, & reliqua: Finitâ benedictione accendatur alter cereus, & tunc illuminantur duo cerei tenentibus duobus acolitis, vnus in dextro cornu altaris, & alter in ſiniſtro. Benedictione peractâ aſcendat ſubdiaconus ambonem, legat lectionem primam, *In principio creauit*, Sequitur oratio à Priore, *Oremus: Deus qui mirabiliter*. ſecunda lectio, *Factum eſt in vigilia*: Tractus, *Cantemus Domino*: Sequitur oratio, *Oremus: Deus cuius antiqua miracula*: iij. lect: *Hæc eſt hæreditas*, Collecta *Deus qui eccleſiam tuam*, Tractus, *Sicut ceruus*: ſequitur oratio, *Concede quæſumus omnipotens Deus.* Finitâ oratione inchoëtur litaniæ ſeptenę ad introitum ante altare. Poſtea deſcendat Abbas cum ſcholâ canentes litanias quinas ad fontes benedicendos. Sequitur, *Omnipotens ſempiterne Deus*, & præfatio: his expletis redeunt ad altare cum litaniâ ternâ, & antequam cantatur, *Gloria in excelſis Deo*, Magiſter ſcholæ dicat altâ vôce, *Accendite.* Et tunc illuminentur omnia luminaria eccleſiæ, & Abbate incipiente *Gloria in excelſis Deo*, pulſentur omnia ſigna: Sequitur Collecta, *Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem*, Deinde legitur epiſtola, *Si conſurrexiſtis*, & cantatur Alleluia, *Confitemini Domino*, & *Tractus, Laudate Dominum*: Ante Euangelium non portantur luminaria in ipsâ nocte ſed incenſum tantum. Finito Euangelio dicat Abbas, *Dominus vobiſcum, Oremus*: in ipſo die non cantatur *Offertorium* nec *Agnus Dei* nec *communio*, & pacem non debēt dare niſi ijs, qui communicant, ſed interim dum cōmunicantur *Alleluia, & Laudate Dominum omnes gentes* cantatur, dehinc Antiphona, *Veſperæ autem ſabbati*: & *Magnificat.* Sic ſacerdos miſſam ac veſpertinalem ſinaxim vnâ compleat oratione; Eâdem verò die tempore mandati aquâ manibus tantum datâ à miniſtro fratribus charitatis officio præbeatur. Completorum ſonoriter celebretur more canonicorum.

In die ſancto Paſchæ ſeptem Canonicæ horæ à Monachis in eccleſiâ Dei more Canonicorum propter auctoritatē Beati Gregorij Papæ ſedis Apoſtolicæ, quam ipſe Antiphonario dictauit celebrandæ ſunt. Eiuſdem tempore noctis antequam matutinorum ſigna moueantur ſumant editui crucem, & ponant in loco ſibi congruo: In primis ad nocturnam ab Abbate, ſeu quolibet ſacerdote, dum initur laus Dei in eccleſiâ, dicatur; *Domine labia mea aperies* ſemel tantum: Poſtea: *Deus in adiutorium meum intende* cum *Gloria.* Pſalmo autem, *Domine, quid multiplicati ſunt* dimiſſo, Cantor incipiat Inuitatorium: tunc tres Antiphonę cum tribus pſalmis, quibus finitis verſus conueniens dicatur: deinde tot lectiones cum reſponſorijs ad hoc ritè pertinentibus, dum tertia recitatur lectio, quatuor fratres induant ſe, quorum vnus albâ indutus ac ſi ad aliud agendum ingrediatur, atque latenter ſepulchri locum adeat, ibique manu tenens palmam quietus ſedeat, dumque tertium percelebratur Reſponſorium reſidui tres ſuccedant, omnes quidem cappis induti turibula cum incenſu manibus geſtantes, ac pedetentim ad ſimilitudinem quærentium quid, veniant ad locum ſepulchri: Aguntur enim hæc ad imitationem Angeli ſedentis in monumento, atque mulierum cum aromatibus venientium vt vngerent corpus Ieſu. Cum ergò ille reſidens tres velut erroneos, ac aliquid quærentes viderit ſibi adproximare, incipiat mediocri voce dulciſonè cantare, *Quem quæritis.* quo decantato fine tenus, reſpondeant hi tres vno ore; *Ieſu Nazarenum*: quibus ille, *Non eſt hic, ſurrexit ſicut prædixerat. Ite nunciate, quia ſurrexit à mortuis.* Cuius miſſionis voce vertant ſe illi tres ad chorum dicentes, *Alleluia, reſurrexit Dominus.* Dicto hoc rurſus ille reſidens veluti reuocans illos dicat Antiphonā, *Venite, & videte locum.* Hæc verò dicens ſurgat, & erigat velum, oſtendatque eis locum cruce nudatum, ſed tantum lintheamina poſita, quibus crux inuoluta erat, quo viſo deponant thuribula, quæ geſtauerunt in eodem ſepulchro, ſumantque linteum, & extendant contra clerum, ac veluti oſtendentes, quod ſurrexerit Dominus & iam non ſit illo inuolutus, hanc canant Antiphon. *Surrexit Dominus de ſepulchro*, ſuperponantque linteum altari, finitâ Antiphonâ Prior congaudens pro triumpho regis noſtri, quod deuictâ morte ſurrexit incipiat hymnum, *Te Deum laudamus*, quo incepto vnà pulſantur omnia ſigna, poſt cuius finem dicat ſacerdos verſum: *In reſurrectione tua Chriſte*, verbo tenus, & initiat matutinas, dicens, *Deus in adiutorium meum intende*, & à Cantore ilicò inchoetur Antiphona cum pſalmo *Dominus regnauit*, quia *Deus miſereatur noſtri*, hoc non canitur in loco, ſed cum, *Deus Deus meus ad te de luce*, coniunctim Canonicorum more. Quinque pſalmis

iure peractis cum Antiphonis sibi ritè pertinentibus Capitulo etiam à præsbytero, versuque *Surrexit Dominus de sepulchro*, vt mos est à puero dicto, initietur Antiphona in Euangelia, quâ peractâ dicatur collecta de omnibus sanctis more solito. His septem diebus non canimus.

Ad *Primam* iiij. psalmi, *Deus in nomine tuo*, & *Confitemini Domino*, primâ tantum feriâ: *Beati*, *Retribue* cum *Alleluia*, & Capitulo, & versu, *Hæc dies* directo à puero prolato, deinde, *Kyrie eleyson*, & oratio Dominica cum simbolo, nec non & preces solito ritu, subsequente collectâ. Ad *tertiam* psalmum, *Legem pone*, *Memor esto*, *Bonitatem* cum *Alleluia*, & gra. *Hæc dies* sine Capitulo, & versu. Similiter ad *Sextam*, Ad *Nonam*. Ad *Vesperam*, *Dixit Dominus*; *Confitebor*; *Beatus vir* cum Antiphonâ sine Capitulo, Gra. *Hæc dies* sine versu, *Alleluia*, cum versu, & sequentia. Postea inchoetur antiphona in Euangelio, & collecta: dehinc eatur ad fontes, psalmum *Laudate pueri*, cum Antiphonâ canentes, quem sequatur collecta. Inde verò reuertentes chorum vel oratorium, quod eis competens videbitur adeant, psalmum *In exitu Israel* decantantes, quem propria sequatur collecta. Completorium more peragatur Canonicorum per omnia. Finitis enim psalmis subsequatur Capitulum, & versus: exhinc *Nunc dimittis* cum Antiphonâ concinitur consequentibus horæ precibus cum collectâ, & benedictione. Hic in reliquis sex diebus teneatur ordo.

Qualiter octauarum sabbato Pascha totoque æstatis tempore agatur.

VEsperâ verò octauarum Paschæ ordo iam regularis pleniter inchoetur, & vna tantum lectio memoriter ac breue Responsorium festiuis diebus ad nocturnam vti regula præcipit totâ æstate dicantur. In natalitijs tamen sanctorum, in quibus ab operis labore non cessatur tria responsoria, & tres lectiones ad ipsius sancti venerationem cuius memoriam recolimus pertinentes prolixè si ita tempus permiserit leguntur. In alijs verò festiuitatibus vbi ab operis labore cessatur, xij. lectiones cum totidem responsorijs, & psalmis competentibus vti diebus Dominicis decentissimè æstiuo sicut hiemali tempore legantur, quotidianis verò noctibus, in quibus xij. responsoria minimè canuntur, nocturnis finitis paruissimum vti regula præcipit fiat interuallum: dehinc facto signo canantur matutinę, quod si luce diei vt oportet matutinæ fuerint finitæ egredientes ecclesiam fratres calciët se, lauent, peractisque in ecclesiâ tribus orationibus, sedentes in claustro vacent lectioni, vsque dum signum primę auditum fuerit. Si verò necdum dies fuerit, sicque Priori visum fuerit, facto signo, qui voluerint lectulis suis pausent vsque dum manè facto agant vt supra dictum est, totâ enim æstate exceptis Dominicis, & festiuis diebus *Prima* decantatâ, matutinalique missâ celebratâ, Capitulo etiam peracto pulsetur tabula vt supra dictum est, & quicquid agendum est agatur, vsque dum primum signum *Tertiæ* sonuerit, *Tertia* verò peractâ, & missâ subsequente celebratâ vti regula præcipit, sedentes in claustro fratres vacent lectioni, vsque dum mediante horâ quintâ primum signum *Sextæ* fuerit auditum; Quo peracto canatur *Sexta*, dehinc manibus lotis adeant mensam: Sicque refecti lectulis suis pausent vsque dum mediante octauâ horâ, primum *Nonæ* auditum fuerit signum, quo audito surgant, & se lauent: Sicque ecclesiam ingressi *Nonam* cantent: *Nona* verò celebratâ, poculisque haustis, dicatur versus *Deus in adiutorium*, more solito, & quicquid necesse fuerit etiam tunc operentur, cæteris enim horis, secundum regulæ præceptum, quia tempus lectionis est, lectioni tantummodò vacantes, silentium diligenti curâ in claustro custodiant, nam & omni tempore à primo pulsu vespertinalis sinaxis silentium teneatur in claustro vsquequo Capitulum finiatur alterius diei, excepto auditorij loco: Qui & ab hoc maximè eo censetur nomine, quod ibi audiendum sit, quid à præceptore iubeatur, non verò fabulis, aut ociosis ibi, aut alicubi vacari loquelis oportet: nam cum regulæ auctoritas omni tempore silentio studendum dicat, opportuno tamen tempore de rebus necessarijs pro taciturnitatis grauitate vti patronus noster beatus Benedictus non altâ, sed submissâ voce loquendum permisimus: Aliâs autem de Deo, & animę suæ salute cum silentio meditandum, vti ipse censuit, hortamur, tempus etiam lectionis tempus est taciturnitatis. Vesperæ verò, & matutinæ de omnibus sanctis, ab octauis paschæ vnâ canantur Antiphonâ, vsque octauam Pentecostes: vigiliaque pro defunctis, & psalmi pro benefactoribus nõ solent cani; & litaniæ ante missam, quoniam à genuflectione ordo ecclesiasticus declinari ammonet, omni modo intermittantur.

Qualiter frater, qui Circa *vocatur, officium suum impleat.*

IAm & secundum regulæ præceptum constitui debet aliquis frater, qui totius claustri sub Decano curam gerat, qui ab officio circuitus sui Circa vocatur: Est enim eius officium sæpius circuire claustrum ne fortè inueniatur frater accediosus aut alicui vanitati deditus. Quod si inuenerit nullatenus illud debet reticere in Capitulo venturi diei, nisi si pro leui quâlibet culpâ frater ille satisfactione humiliatus hoc impetrauerit ab illo: qui etiam Circa post completorium circueat claustum, & si qua inuenerit ibi codicum aut vestimẽtorum asportet ea ad Capitulum sequentis diei, nullus enim ea vllatenus tollere debet ab eo loco in quo eâ posuerit absque eius licentiâ: habeatque ille frater laternam quâ nocturnis horis quibus oportet hæc agere videndo consideret, quique, dum lectiones leguntur ad nocturnos, in tertiâ, vel quartâ lectione prout viderit expedire circumeat chorum, & si fratrem inuenerit somno oppressum anteponat ille laternam, & reuertatur, qui mox excusso somno petat veniam genu flexo, & arreptâ eâdem laternâ pergyret & ipse chorum, & si quem huiusmodi morbo somni affectum inuenerit agat illi sicut & ipsi factum est, reuertaturque in locum suum.

Qualiter diurnale siue nocturnale officium hebdomadâ Pentecostes agatur.

INcipiunt orationes cum lectionibus, atque canticis, quæ dicuntur in vigilijs Pentecostes, ante descensum fontis: Prima lectio, *Tentauit Deus*; Sequitur oratio, *Deus qui in Abraha*. 2. lectio, *Apprehendent*; Canticum, *Attende cœlum*; Sequitur oratio, *Deus qui nobis per Prophetarum*. 3. lectio, *Apprehendent*; Canticum *Vinea facta*; Sequitur oratio, *Deus qui nos ad celebrandum*. 4. lectio, *Audi Israel*: Sequitur oratio, *Deus qui incommutabilis*: Canticum, *sicut ceruus*. Sequitur oratio: *Concede quæsumus*; Finitâ oratione inchoantur litaniæ septenæ ad introitum antè altare: Postea descendat Abbas cum scholâ canente litanias quinas ad fontes benedicendos: Sequitur oratio, & præfatio. His expletis redeunt ad altare cum litaniâ ternâ: Quo finito dicat sacerdos, *Gloria in excelsis Deo*: Sequitur oratio, *Præsta quæsumus*: Postea legitur epistola, *Cum Apollo*; & cantatur, *Alleluia, Confitemini Domino*; & tractus, *Laudate*: Deinde missa secundum ordinem. Post refectionem verò tempore congruo vesperæ cæteraque celebrantur more solito. Illâ Dominicâ nocte tribus psalmis totidemque lectionibus cum responsorio agitur nocturna laus, vti in Antiphonario titulatur: Cæteris verò horis diei, & hebdomadæ sequentis regularis ordo teneatur. Sed & vesperæ sabbati, & ipsius diei sãcti normaliter psallantur. Illa hebdomada Pentecostes solemniter celebratur sicut paschalis, excepto quod ieiuniorum diebus, *Gloria in excelsis Deo*, non canitur, & *Alleluia*, pro gradualibus canitur, & vesperæ de omnibus sanctis dicuntur. Rursus in octauis Dominicâ non repetitur *Spiritus Domini*, eo quod septem tantum colimus dona spiritus sancti, sed agitur illâ hebdomadâ de sanctâ Trinitate.

Sabbato Dominicalis vesperæ canatur hymnus, *Deus creator omnium*: Ad completorium, *Te lucis ante terminum*: Ad nocturnas, *Nocte surgentes*: Ad matutinas, *Ecce iam noctis*: Iste ordo totâ æstate teneatur vsque Calend. Nouembris, ad ipsas verò Calend. longiores vt supra dictum est hymni dicantur, & finitis duobus psalmis, qui post nocturnas dicuntur, agatur vigilia, quæ pro breuitate dierum vespere non poterat agi nisi his tantum diebus festis, quibus cœnaturi sunt fratres: Tunc enim cœnâ factâ agant vigiliam ministris interim cœnantibus vt postmodum iuxta regulæ dictum omnes ocurrant ad collationem. Hic ordo vigiliæ, vsque ad caput quadragesimę ita teneatur. In quadragesimâ verò post cœnam, & sic demum in totius longitudine æstatis vespere custodiatur post cœnam aut post vespertinalem laudem si cœna defuerit.

Quatuor temporibus, quæ ecclesiasticè custodiuntur ad missæ celebrationem dicitur a Diacono, *Flectamus genua*, quadragesimali more, & eorundem, quorum in quadragesimâ fit abstinentia ciborum cum magnâ custodiatur diligentiâ, excepto dum in Pentecostes hebdomadâ euenerit, tum enim aliquantulum remissius pro tantæ solemnitatis reuerentiâ agi opportunum duximus.

Qualiter

Qualiter mandatum quotidianis diebus à fratribus exhibeatur pauperibus, & quo ordine Abbas erga peregrinos agat.

MAndatum, quod ex Dominico tenemus exemplo, sacræ etiam regulæ monitu, eo excepto, quod sibi inuicem exhibent fratres, pauperibus summâ cum diligentiâ præbeatur, in quibus Christus adoretur, qui & suscipitur. Sint igitur in vnoquoque Monasterio singula loca ad hoc constituta vbi pauperum fiat susceptio: Omnique die sine intermissione tres ex his, qui continuò in Monasterio pascuntur eligantur pauperes, quibus eiusdem mandati exhibeatur obsequium, quique eisdem pascantur victualibus, quibus fratres vtuntur: hoc ergò modo illuc eundi ordinem prosequantur; scilicet sabbato pueri dextri chori cum vno custode illud peragant: Sequenti die Dominicâ residui pueri sinistri cum altero custode: deinde singulis diebus hebdomadæ ad vnamquamque feriam tot constituantur fratres ad hoc agendum, vt extra Abbatem nullus ab hoc debito seruitutis excusetur, qui tamen Abbas non vnâ tantum feriâ sed sæpius dum ei vacuum fuerit, vtque opportunitas dictauerit, sese ad hoc agēdum impendat: de cętero superuenientibus peregrinis pauperibus, Abbas cum fratribus, quos elegerit secundum regulæ pręceptum mandati exhibeat obsequium: omnia igitur humanitatis officia in hospicio Pater ipse si quomodò potuerit, vel fratrum quilibet deuotissimè præbeat, ne aliquid in eorum obsequio quod regula præcipit, tumore seductus vel obliuione nemo deceptus insipienter prætermittat, hoc solummodò, quod sancti patres ob animæ salutem virtutumquę potius custodiā quam ad regulę contemptum synodali statuerant Concilio, magnopere custodito vt videlicet in Monasterio degens extra refectorium nec ipse Abbas, nec fratrum quispiam nisi causâ infirmitatis manducet, vel bibat; Cætera omnia vti diximus cum magnâ animi alacritate deuotissimus impleat: nec pauperibus æterni Christi Vicarius in hospitio competenti tardus ac tepidus ministrare differendo desistat, qui celer ac feruidus diuitibus caducis ministrando occurrere desiderat. Proficiscentibus verò peregrinis secundum quod loci suppetit facultas eis impendatur victualium solatium.

Quo ordine sabbato fratres munditias exerceant, & quæque officia ob animæ salutem persoluant.

SAbbato, secundum regulæ præceptum, mandatum, & munditias diligenti curâ exerceant, & qualiter fieri debeant, qui adhuc nesciunt soliciti discant, solito more studiosi compleant: nullus quippiam quamuis parum suâ ac quasi propriâ adinuentione agere præsumat, nec in ecclesiâ horas celebrando constitutas, nec claustro vti regula præcipit egredi, nec parum quid sine Prioris licentiâ superbiæ tumore inflatus audeat. Calceamentorum vnctio, vestimentorumque ablutio, & aquæ administratio, non aspernatur, sed ab vniuersis, si Domini gratia vires concesserit, tempore opportuno consuetè peragatur. Coquinæ, ac pistrinæ, cæterarumque rerum officia, vti sancta regula pręcipit, vnusquisque prout vires suppetunt gratulabundus exhibeat, ne regulæ præceptorum minima paruipendendo prętereat, ac sic dicente Apostolo omnium mandatorum, quod absit, reus existat.

Quomodo circa ægrotum fratrem agatur, qualiterque defunctum humo conueniat reddi.

CVm ad debitum communis fragilitatis exsoluendum, quis vocatus fuerit dum senserit se nimiâ inualitudine pergrauari ita vt iam non possit portari, veniat frater ille ante Abbatem vel cunctam Congregationem, & infirmitatis suæ causas exponat, & sic omnium acceptâ benedictione ingrediatur domum infirmorum omnibus pro eo sollicitis in suis interuentionibus, in eâ itaque domo seruitores sint Dei timore fraternoque amore feruentes, qui ei in quibuscumque indiguerit suppeditent, aut si necesse fuerit cum sollicito fratre famulorum adhibeatur

beatur obsequium: Frater autem ille infirmus si senserit suam creuisse imbecillitatem, indicetur hoc conuentui à fratre illius custode, ex eo ergò quotidiè post matutinalem missam sacerdos casulâ exutus cum reliquis illius ministris missę eucharistiam ferentes præcedentibus cereis, & turibulo cum omni Congregatione eant ad visitandum infirmum canentes psalmos pœnitentiales consequente litaniâ, & orationibus ac vnctione olei primâ tantum die: demum communicetur: quod si infirmitas lenigata fuerit, intermittatur & hoc; Sin aliâs, prosequatur visitatio vsque ad exitum: eo igitur in extremis agente pulsetur tabula conueniantque omnes ad tuendum exitum eius, & initient commendationem animę, *Subuenite sancti Domini*, & reliqua iuxta ordinem commendationis, exempto autem homine lauetur corpus à quibus iussum fuerit: lotum induatur mundis vestimentis id est interulâ, cucullâ, caligis, calceis, cuiuscumque sit ordinis nisi si verò sacerdos fuerit circumdetur ei stola super cucullam si ita ratio dictauerit, inde defertur in ecclesiam, psallentibus cunctis, motisque omnibus signis, quod si ante lucem nocte, aut finitis tenebris in matutino obierit si sepulturæ impendenda præparari possunt ante refectionem fratrum sepeliatur peractis missarum celebrationibus; Sin minus ordinentur fratres, qui sine intermissione psalmodiæ vacent, residentes circa corpus die noctuque sequenti, donec mane tacto corpus terræ commendetur: consummatis omnibus, quæ sepulturæ officio debentur ibidem incipientes septem pœnitentiæ psalmos reuertantur ad ecclesiam, & prostrati coram sancto altari finiant eosdem psalmos pro fratre defuncto: dehinc per septem continuos dies plenariè agatur vigilia offerentibus cunctis ad matutinalem missam, & omnibus horis regularibus finitis vnum ex præscriptis prostrati canant psalmum, sequente oratione: exinde vsque ad trigesimum diem more solito cum tribus lectionibus agatur vigilia offerente vno choro ad missam, trigesimo verò die iterum plenariè, his tamen xxx. diebus quotidie sacerdotum vnusquisque secretis oratorij locis specialiter pro eo missas celebret: diaconi verò psalterium ex integro, subdiaconi quoque quinquagenarium deuotissimè psallant, si autem occupati vnâ die nequiuerint aliâ persoluant: mittatur etiam epistola ad vicina quæque Monasteria eiusdem depositionis denuntiatura diem, vt iste sit sensus.

Dominus N. Abbas Monasterij N. cunctis sanctæ ecclesiæ fidelibus tam prælatis, quam & subditis. Cum cunctos maneat sors irreuocabilis horæ, notum vobis esse cupimus de quodam fratre nostro N. quem Dominus de ergastulo huius sæculi vocare dignatus est die N. pro quo obsecramus obnixè vt sitis strenui interuentores ad Dominum sentiatque in interuentione, quibus fuerat vnitus in ordinis communione.

Quod si ex alio Monasterio noto ac familiari frater quis nuntiatus fuerit defunctus conueniant pulsatâ tabulâ vndique fratres, motis vti prædiximus omnibus signis, vij. pœnitentiæ prostrati in oratorio modulentur psalmos hac subsequente oratione. *Satisfaciat tibi Domine* Deus *noster pro anima fratris nostri N. beatæ* Domini *genitricis semperque Virginis Mariæ, & sancti Petri Apostoli tui atque sancti Benedicti confessoris tui omniumque sanctorum tuorum oratio, & præsentis familiæ tuæ deuota supplicatio vt peccatorum omnium veniam, quam precamur obtineat, nec eum patiaris cruciari gehennalibus flammis, quem eiusdem filij tui* Domini *nostri Iesu Christi glorioso sanguine redemisti. Qui tecum, & cum Spiritu sancto viuit, & regnat, in sæcula sæculorum.*

Et agatur pro eo prima, tertia, septima, trigesima dies plenariè, reliquis sub breuitate, & nomen eius notetur in anniuersarijs, at ex ignoto tantum commendatio animæ, & vna dies.

Si autem hi, qui valdè necessarij sunt siue in spiritualibus siue in corporalibus nimiâ prægrauantur infirmitate dum id à gerulo nuntiatum fuerit illicò pulsatâ tantūmodo tabulâ omnes ad ecclesiam conueniant ac vij. pœnitentiæ psalmos cum litanijs, & orationibus congruis pro eis cum magnâ diligentiâ perorent: de alijs verò infirmis vt supra dictum est agatur.

Præfatus equidem Rex vt huius libelluli epilogum, vti prohemium fideli ac rationabili exortationis monitu cœpit, orthodoxè concluderet, prudenti discutiens examine cum magno suæ Regiæ potestatis imperio interdicens magnoperè iussit, vt nemo Abbatum, vel Abbatissarum sibi locellum ad hoc thesaurizaret terrenum, vt solitus census, quem indigenę *Heriatua* vsualiter vocitant, qui pro huius Patriæ potentibus post obitū Regibus dari solet, vnde pro eis sæcularium imitatione dari posset haberent, & sic Ananię, & Saphyræ anathemate corruentes ad magnum suę animæ detrimentum sanctæ regulæ præcepta pecularia omnia prohibentia adnullarent, sed hoc tam sibi, quam cunctis successoribus suis pro Abbate vel Abbatissâ dari, in Christi, cuius Vicarij sunt, eiusque genitricis Mariæ, ac omnium sanctorum nomine æterno prohibuit imperio, hoc autem beneuolâ intentione hortando suasit, vt Monasteriorum Patres, Matresque, quæcunque super vsus necessarios restauerint, per manus pauperum in cœlestes cum magnâ, & iugi compunctione recondant thesauros, quo corpore in terrâ degente, animus

animus ibi conuersando subsequens maneat, vbi thesauros ordine præmisit iustissimo. Si quæ verò Priore obeunte superfuerint, subsequens Abbas vt sancti spiritus gratia instruxerit, non propinquis carnalibus vel Tyrannis sæcularibus secundum anterioris dictatum diuidendo, sed necessitatibus fratrum ac pauperum subueniendo, ordinans cum fratrum consilio, sapienter disponat.

SCRIPTVRA. LVI.

Constitutiones Capituli Generalis, celebrati à Monachis ordinis Sancti Benedicti Prouinciæ Cantuariensis in Monasterio Sancti Andreæ Apostoli apud Northampton, Anno Incarnationis Dominicæ 1225; Ex peruetusto Codice manuscripto, qui inscribitur, Matricula de camerâ Abbatis Sancti Augustini Canturiaensis, fideliter exscriptæ.

Scriptus fuit hic codex, vt in eodem patet, anno Domini 1300.

DE Euesham, & de Abindon Dei gratiâ Abbates vniuersis Prælatis, & subditis communis Capituli Monachorum in prouinciâ Cantuariensi constitutis salutem. Anno Incarnationis Dominicæ 1225. in die Sancti Mathæi Apostoli, in Monasterio Sancti Andreæ Apostoli apud Northampton, celebratum fuit Capitulum, præsidentibus nobis in eodem Capitulo, de Abbatibus, & Prioribus ibidem præsentibus, communi consensu ad hoc propositis. Quia igitur statuta Capituli iampridem apud Sanctum Albanum celebrati, propter decessum bonę memoriæ Abbatis Sancti Augustini Cantuariensis, qui eidem Capitulo cum me Abbate de Euesham præsidebat, debitum non fuerunt sortita effectum: A nobis, & à præscriptis patribus in hoc Capitulo apud Northampton congregatis, fuit prouisum, vt statuta prædicti Capituli Sancti Albani plenissimè tradantur executioni, quibusdam tamen additis, quibusdam autem declaratis, nullo verò subtracto. Fuit forma Capituli eiusdem taliter.

Capitulum S. Albani. De Euesham, & de Sancto Augustino Dei gratiâ Abbates, vniuersis Collegis nigri ordinis per Cantuariensem prouinciam constitutis, pacem, prosperitatem, salutem perpetuam. Ad hoc ex suscepti regiminis officio obligatos nos esse reputamus, vt superiorum mandata deuotè suscipere, suscepta humiliter adimplere, quantum nobis datum est desuper, affectuosissimè teneamur: cum igitur, vt ferè omnibus innotuit, apud Oxonium conuenissent venerabiles patres ordinis nostri, ad prouidentiam, & reformationem eorum, quæ ad salutem omnium nostrorum obseruanda forent, ex magnâ deliberatione actum est, vt iteratò apud Sanctum Albanum reuerendi patres præscripti conuenirent in proximè sequenti exaltatione Sanctæ Crucis, statuta, quæ ibidem essent, obseruaturi, sub hac formâ, vt si quid offensionis, vel perturbationis ex præmissis apud aliquos emersisset, communicato concilio mutaretur in melius, si quid minus actum in bonum, augmentum reciperet, si quid superfluum, resecaretur, ea propter præfato termino, apud Sanctum Albanum, in Generali Capitulo, ad honorem Dei, & Sanctæ Romanæ ecclesiæ, iuxta statuta Concilij Lateranensis secundi Anno Domini Honorij Papæ quarto nobis præsidentibus, inuocatâ Spiritus Sancti gratiâ, diligenti, & diutino tractatu habito, ad pacis, & vnitatis obseruantiam firmissimè roborandam statuta primi capituli nostri, quæ quibusdam infirmioribus videbantur onerosa, & importabilia, communi, & consonâ voluntate Abbatum, & Priorum nobis assidentium, cum moderatione declarata sunt.

Capitulũ Oxoniense: quod fuit primũ immediatè post cõcilium Lateranense.

De

De Abbatibus.

IMprimis dictante Spiritu Sancto, vnamini consensu statuerunt, vt ipsi Abbates habitu, & gestu regulariter se habentes, in Capitulo, in Claustro, pro audiendis Confessionibus, & Fratribus exemplariter instruendis, in choro etiam, & pro diuinis officijs, studeant opportunè interesse, quoties nec corporalis infirmitas, seu debilitas, nec ecclesiæ necessitas, siue vtilitas, vel alia rationabilis causa fuerit impedimento.

De non alienandis.

DEinde placuit vniuersis, ne Prælati de terris, vel reditibus Monasterij, ad manifestam læsionem, perpetuam alienationem facere præsumant: vel terras consuetudinarias in libertatem alicuius concedere, vel donare, vel nouas consuetudines facere, sine assensu Capituli; nec alicui hæreditarie † . . . . vel liberationes aliquo titulo concedere.

† *Firmas:* aut quid simile.

De familiâ.

SEd quia Prælati ipsi per quasdam superfluitates notari dicuntur, & Monasteria grauari: communi deliberatione prouiderunt, ne aliquis Prelatorum seruientes habeat numero, vel apparatu honestum modum excedentes, vnde ordo Monachalis in aliquo possit argui leuitatis.

De stipendijs.

ET ne post decessum Prælatorum per seruientium exactionem pro impensis obsequijs contingat Monasteria, vel conuentus vexari: à Prælatis, quibus seruiunt, annua, & certa stipendia percipiant seruientes.

De Vecturis.

SImiliter etiam prouisum est de vecturis, vt nullus numerum excedat * . . . . nisi rationabilis causa aliud inducat: sed studeat quilibet pro Deo, & sanctæ Religionis reuerentiâ dictum numerum, quantum poterit, coarctare.

* *Vicenarium:* aut simile quid.

De proprietate.

INhærentes etiam vestigijs Concilij Lateranensis primi, decreuerunt ne Monachi pretio recipiantur, nec peculium habere permittantur, nisi pro iniunctâ sibi administratione, sub pœnâ dicti Concilij contra venientibus infligendâ: In quo de proprietarijs ita cautum est; viuentes à communione altaris remoueantur, & qui in extremo cum peculio inuenti fuerint, nec oblatio pro eis fiat, nec inter fratres recipiant sepulturam. Prioratus autem, vel obedientiæ pretij donatione nulli tradantur. Monachi singuli in locis suis morentur. Infra vigesimum annum Monachi non recipiantur nisi commendabilis vtilitas aliud induxerit.

De silentio.

ADhuc salubriter prouisum est, vt silentium debitis locis, horis, & temporibus ab omnibus firmiter obseruetur: & in permissis colloquijs, in Claustro, & alibi à turpiloquijs, & vaniloquijs, & scurrilitatibus abstineatur, contra facientes regulari subiaceant disciplinæ. Lecti etiam Monachorum ita sint ordinati vt videri possint dormientes.

De Hospitalitate.

HOspitalitas omnibus modis, iuxta facultates loci, obseruetur, signa veró non necessaria, in choro, in refectorio, & alijs locis indebitis non fiant, & quia sacrâ attestante scripturâ, tam animæ, quam corpori salutifera est abstinentia; de ieiunio Monachorum nihil aliud volumus esse statutum, nisi quod in Regulâ Beati Benedicti continetur: saluâ pro loco, & pro tempore piâ consideratione circa iuniores, debiles, & infirmos, secundum diuersorum Monasteriorum regularem consuetudinem. Vt pauperes debitis eleemosinis non fraudentur, firmiter præceperunt, vt omnia apponenda sine diminutione apponantur in Conuentu, & alibi, vbi Monachi reficiuntur, & de omnibus appositis totum residuum sine diminutione in eleemosynam cedat per eleemosynarium indigentibus fideliter erogandum: qui contra fecerit in Capitulo grauiori disciplinę subiaceat; Præsidentem verò ab hac necessitate exceperunt.

De vestimentis.

DE vestimentis, & calciamentis Monachorum statuerunt, vt ordinata sint omninò; Coopertoria sint de albo vel nigro panno, vel de russeto, cum pellibus agninis albis vel nigris, vel pellibus murileginis, vel lupinis, cappæ Monachorum nigræ sint, & hæc prædicta congruis temporibus sine difficultate dentur, & accipiantur. Camerarius, qui aliter fecerit, vel Monachus contra faciens grauiori disciplinæ subiaceat. Camerarius verò denarios, vel quidlibet aliud pro prædictis, vel alijs ad vsus Monachorum pertinentibus, dare non audeat; sed nec Monachus, aliquam permutationem recipere præsumat. Imò secundum institutionem Regulę, recipiens noua det vetera, fideliter pauperibus eroganda. Cellas, & omnia ad cubiculum pertinentia habeant ordinata.

De euagationibus.

EVagationes Monachorum penitus inhibeantur, & si pro necessitate ecclesiæ, vel pro aliquâ iustâ causâ ex permissione Prælati proficiscantur; prouideatur vt cum maturis seruientibus, & vecturis sufficientibus, & apparatu honesto secundum facultatem ecclesiæ procedant, & die præfixo à Prælato reuertantur, nisi de iustâ causâ vlterioris moræ Prælatos suos certificent. Omnes superfluitates tam in cibis, quam in potibus, & alijs secundum, quod decet, Prælatus amputet: saluis bonis, & approbatis consuetudinibus in singulis Monasterijs.

De cibis.

OMnes etiam singularitates in cibis, & potibus, in refectorijs prohibeantur, & vt competentius fratres, qui pondus diei, & æstus portant, ex permissione Prælati recreationem accipiant, prouideatur locus honestus, iuxta refectorium, si fieri potest, vel alius competens, à quo Monachi, cum recreati fuerint, ad claustrum, ad horas canonicas cum maturitate festinent: ita quòd ipsi, qui post completorium moram faciunt, reprehensione dignam notabili, grauiori per Prælatos suos in crastino subiaciant disciplinæ, & etiam ipsi simul compleant, illi autem, qui recreationem recipiunt, nullis omninò admisceâtur Monachis, vel laicis ante prandium, vel post, (nisi custodes ordinis seruientes ad hoc deputati) nisi de permissione Prælati. Hoc etiam circa infirmos volunt, vt nullus Monachus, laicus, nullus omninò extraneus, cum eis comedat, nisi de permissione Prælati, & hoc pro necessitate, sed quilibet seruientibus ad hoc deputatis contentus sit.

De rationibus reddendis.

NVllus Monachus det, vel accipiat aliquid absque superioris sui licentiâ, & licet hoc claustrales necesse habeant obseruare: omnes obedientiarij hoc maximè obseruent, sub pœnâ excommunicationis; præcauentes ne bona sibi commissa distrahant aut consumant: sed ea in

vtilitati-

vtilitatibus ecclesiæ, fideliter expendant, & secundum exceptas, & expensas, eo modo, & ordine, quo factæ fuerint, fideles prælato reddant Rationes, adhibitis ei de discretioribus secundum* . . . . factum, quod vt melius, & firmius obseruent, omnes, qui impias fraudes fecerint, & omnes conspiratores, & omnes proprietarij, omnes fures, omnes qui alijs crimen falsò imponunt, ab omnibus Prælatis in Generali Capitulo constitutis denunciati sunt excommunicati. * Statutum vel quid simile.

De excommunicatione.

ET statutum est ab eisdem, vt quolibet anno, in secundâ feriâ primæ hebdomadæ quadragesimæ, à singulis Prælatis in suis Capitulis publicè denuncientur excommunicati.

Qui sunt conspiratores.

COnspiratores autem vocantur, qui inter se confœderantur ad subuersionem ordinis, vel statutorum salubriter à maioribus, vel ad persecutionem alicuius Prælati, vel fratris ex odio, vel ambitione, vel qui alios malitiosè defendunt.

Qui sunt proprietarij.

PRoprietarios autem omnes vocant illos, qui præter conscientiam Abbatis, vel Prioris Abbatem proprium non habentis, aliquid sibi possident, quod Abbas aut non dedit, aut permiserit.

De Deposito recipiendo.

NVllius depositum in Monasterio ab aliquo, nisi de conscientiâ Prælati recipiatur, nec Prælatus hoc faciat nisi cum trium fratrum laudabilium testimonio.

De reuersione fugitiuorum.

AD reprimendam etiam temeritatem exeuntium prouidè statuerunt, vt post exitum redeuntes in loco vltimo recipiantur, & in gradu, & ordine, quo tunc recipientur, perpetuò permaneant, & omni voce in Capitulo careant: donec Prælatus suus, visâ eorum condignâ satisfactione, cum eis duxerit dispensandum.

Quod statuta Concilij Lateranensis secundi obseruentur.

AD hæc, omnia statuta Lateranensis Concilij secundi ordinem nostrum contingentia, volumus, & præcipimus ab omnibus firmiter, & inuiolabiliter obseruari.

De inobedientibus.

SI qui verò scienter inobedientes deprehēsi fuerint mandatis Concilij pœnæ grauissimę subiaceant de prudentiâ Prælati infligendæ: & secundum quantitatem satisfactionis mitigandæ.

Quoniam etiam Capitulum medio tempore inter Capitulum de sancto Albano, & Capitulum Northamptonum apud Bermondseyā conuocatum, propter absentiam pię recordationis Abbatis Gloucest. qui eidem Capitulo, cum Abbate de sancto Albano debuit præsidere, prout debuit, non processit, ideo prouisum fuit ab Abbatibus tunc ibidem Pręsidentibus, quod in Capitulo Northamptono de Westmon. & Radingia Abbates debent præsidere, vel Priores Monasteriorum suorum, qui vices illorum supplerent illuc pro se mitterent, si in proprijs personis venire nō possent: & verò si nec ipsi nec Priores sui ad idem Capitulum occurrerēt, cum summâ deliberatione fuit prouisum, quod amodò propter absentiam illorum, qui prouisi sunt vt in Capitulo præsint, nequaquam celebratio Capituli commutetur, sed loco absentium de ibidem præsentibus alij subrogentur, à patribus ibidem congregatis, sicut in hoc Capitulo prouisum est, de nobis de Euesham, & de Abindon Abbatibus. Capitulum Generale Bermondseiæ. Capitulum ipsum de Northamptō hinc prosequitur ad finē vsque.

Prouisum insuper fuit in eodem Capitulo apud Northampton, quod si aliquis Visitatorum ante completum officium visitationis rationabiliter fuerit præpeditus, quo minus idem officium possit complere: ab Abbatibus, qui prædicto Capitulo pręfuerint, alius loco eius subrogetur, ne pro alicuius defectu visitatio impediatur.

Ad hoc statuerunt vt, si quid quęstionis, quod per Capitulum corrigi non posset, vel inter Prælatos Monasteriorum aliqua controuersia orta fuerit: ad illos, qui vltimo Capitulo præfuerunt, deferatur, vt per illorum industriam, & cautelam corrigatur. Et si aliquod negotium in regno ortum fuerit, quod omnes Monasteriorum Pręlatos contingat; cum hoc ad notitiam

prædictorum Abbatum, qui Capitulo vltimo præfuerunt, perueneritsicut in Concilio Generali legitur, quod ipsi compescant illos per censuram ecclesiasticam, qui Monasteria præsumunt offendere : ita ne Monasteria offendantur, conuocent omnes Prælatos Capituli si fieri potest, sin autem illos,quos pro negotij qualitate viderint conuocandos, & pro temporis breuitate possunt conuocare, vt quod omnes tangit, per omnes, vel per eorum partem saniorem, agatur.Quod si aliquid, quod absit, tam difficile emerserit in casibus prædictis,quod per ipsos terminari non possit, vsque ad Generale Capitulum eiusdem difficultatis definitio differatur. Et hoc idem circa Visitatores decreuerunt.

Piâ insuper consideratione fuit prouisum,quod si aliquod Monasterium,quod absit, vel incendio, vel alio quocumque casu, ad tantam peruenerit paupertatem, quod nec ex se, vel per se poterit reformari : vt omnes prælati, vel fratres Capituli, sic studeant eius defectui succurrere, vt per eorum consilium, & auxilium in statum debitum restituatur.

Salubri etiam prouidentiâ fuit constitutum, vt in quolibet Capitulo celebrando ita tempestiuè primo die Capituli conueniant Prælati, quod absque impedimento celebrationis Capituli, missa de spiritu sancto solemniter in communi ad inuocandum auxilium, & gratiam eiusdem, & pro fratribus Capituli possit celebrari: & in eodem Capitulo deuotè petentes fraternitatem Capituli in societatem beneficiorum, Monasteriorum per participationem admittantur, ad quod defuncti,amicis eorum pro ipsis humiliter interuenientibus,recipiantur.In fine verò Capituli simul omnibus in vnum congregatis fiat communis confessio, & tam præsentium, quam absentium viuorum ac defunctorum fiat fratrum Capituli absolutio, & datâ, & acceptâ benedictione cum pace corporaliter ab inuicem discedant, per charitatem semper in Christo manentes coniuncti.

Constituti sunt ibi etiam Visitatores mittendi, ita quod iter arripiant circiter octo dies post Pascha primùm post Capitulum de Northampton, ita quod nulli eorum excedant in equitaturis duodenarium numerum:vt Monasteria tam Monachorum,quam Monialium secundum formam scriptã in Concilio Lateranensi secundo visitent: prouideant etiam attentissimè,quod statuta Capituli integerrimè in Monasterijs obseruentur: & vt nullus per ignorantiam in aduentu Visitatorum se possit excusare, constitutum est, quod nos, qui tunc præsidebamus, mitteremus prædicta statuta sub sigillis nostris viris discretis per diuersos Episcopatus,qui ea vicinis Prælatis, & subditis sigillis suis signata infra festum sancti Andreæ promulganda transmittant.

Et quia multi Prælati rationabiliter se excusarunt, quidam minus sufficienter, alij verò non venerunt, nec se excusarunt, firmiter iniunctum est Visitatoribus vt de causis quare ad Capitulum non venerunt diligentem faciant inquisitionem,& minus sufficienter excusatis firmiter iniungant,vt ad Capitulum proximũ veniant,vel canonicâ pręeditione impediti nũcios mittant, vt super his quę Capitulum dictauerit recipiant. Et vt Visitatores melius instruantur in quales debeant facere inquisitionem,nomina Pręlatorum ad Capitulum venientium ijs transmisimus.

Ibidem insuper prouisum fuit quod à die illo scilicet ac die sancti Mathæi, quo celebratum fuit hoc Capitulum apud Northampton infra tres annos, in Monasterio de Radingia iterum celebretur Capitulum, & præsidebunt tunc de Westmonasterio, & de Burgo Abbates, qui inuocatâ spiritus sancti gratiâ, tam in his statutis, quam in alijs ordinem nostrum contingentibus, corrigenda corrigant, & statuenda statuant. Hæc ergo fratres charissimi, quę ad salutem animarum, & reformationem ordinis, & regularem obseruantiam secundum Dominum prouisa sunt, & constituta, exhortamur in Domino vt humiliter, & deuotè suscipiantur,affectuose,& fideliter adimpleantur :Visitatores insuper, cum aduenerint, authoritate Concilij cum omni benignitate recipiatis, prouidentes (vt verbis vtamur Concilij) quod cum ad vos accesserint, plus apud vos inueniant,quod commendatione, quam correctione sit dignum. Valeat vniuersitas vestra semper in Domino.

Nomina Abbatum, & Priorum, qui venerunt ad Capitulum.

ABbas de Euesham, & Abbas de Abindon, qui præsidebant, Abbas de Ramseia, Abbas de Burgo, Abbas de Glouceſt. Abbas de Eynshã, Abbas de Cestria, Abbas de Barden, Abbas de Winch. Abbas de Midleton, Prior de Winton, Prior de Couentrey, Prior de Bath, Prior Birchened.In recessu de Capituli venit Abbas de sancto Edmundo.

SCRIP-

SCRIPTVRA. LVII.

Visitatio exempti Monasterij S. Augustini Cantuariæ, & decretum Visitatorum anno 1270. Ex manuscriptâ historiâ, Abbatum S. Augustini Cantuariensis: authore Gulielmo spina aliâs Thorne illius loci Monacho.

ANno Domini 1270. Abbas Rogerus instituit, ne Monasterium istud alicuius obligetur debitis, isto tenore. Omnibus Christi fidelibus Rogerus Dei gratiâ, &c. Nuper ad reformationem ordinis, & status domus nostræ Visitatoribus à Capitulo Generali deputatis ad nos accedentibus, diligenti inquisitione habitâ supra præscripta, perpendentes dicti Visitatores, tam propter negligentiam Prælati, quam subditorum in pluribus statum Monasterij posse periclitari, inter cætera maximè, quod nonnunquam proniores erant, quam Monasterio expediret, contra interdictum Apostolicum, nec non & Generalis Capituli statutum, ad obligandum se, & suum Monasterium in contractibus mutuò faciendis, tam pro religiosis, quam pro secularibus personis: ordinauerunt, & firmiter statuerunt, vt super obseruatione ipsius statuti Apostolici, nec non & Generalis Capituli statuti, tam à Prælatis, quam à subditis vniuersis corporale præstaretur sacramentum. Nos igitur Abbas, & Conuentus, vniuersi, & singuli, inspectis sacro sanctis Euangelijs, in verbo veritatis sacerdotij, & religionis iuramus, & presenti paginâ profitemur, nos contra tenorem dicti statuti super hoc editi de cetero non contraventuros, & vt omnibus dictum statutum clarius illucescat, ipsius tenorem duximus præsentibus inserendum, qui talis est. Alexander Episcopus. Firmiter inhibemus, ne quis præsumat ecclesiam sibi commissam pro alienis grauare debitis, aut literas alicui, seu sigilla eorundem, quibus possent ecclesiæ obligari, concedere: decernentes, si secus fuerit attentatum, ad solutionem talium debitorum ecclesias non teneri. Si quis autem contra præmissa de cætero venire præsumpserit, ab administratione temporalium nouerit se suspensum. Nos etiam prædicti Abbas, & Conuentus statuentes, quod licet Generalis Capituli authoritate interueniente, Abbas quicunque successu temporis ad regimen huius Congregationis electus, in primâ sui creatione sacramentum prædictum de obseruando statuto predicto præstet, & renouet: nihilominus etiam vt cæteri processu temporis in isto Monasterio Monachalem ordinem suscepturi, statim post professionem suam, idem sacramentum faciant, & obseruent.

Authoritas Visitatorum à Capitulo generali deputatorum.

Authoritas Capituli Generalis.

SCRIPTVRA. LVIII.

Primum Capitulum Generale celebratum post Benedictinam apud Northampton anno 1338. Ex veteri manuscripto Martyrologio Eueshamensis Monasterij in Bibliothecâ Clarissimi viri D. Roberti Cottoni.

CVm venerabilis, & Deo deuotissimus Dominus Benedictus Papa duodecimus, inter ceteros ordines, & Religiones sacras, ad statum Monachorum Nigrorum specialiter dirigens suæ intentionis intuitum, ob zelum amplioris salutis, & maioris prosperitatis quædam statuta ediderit, & ordinationes fecerit, quæ perpetuis futuris temporibus censuit obseruari: Vt ipsa Religio, (quæ à suo primordio totius ecclesiæ militantis, duntaxat post Apostolos, extitit fundamentum, fidei firmamentum, Catholiceque doctrinæ caput, & principium) ex nunc saltem, in diuini cultus obsequio floreat, honestatis candore fulgeat, disciplinâ regulari præemineat, sapientie, ac scientiæ diuine pariter, & humane, (sine quibus mortalium vita non regitur,) fulgoribus rutilet, nec decrescat in profectu substantiæ temporali,

Promulgatio Benedictinæ.

rali, sed potius augeatur, vigeatque inter Cœnobitas suos charitatis soliditas, & persistat san-ctimoniæ fortitudo; editionum, & ordinationum suarum in Cantuariensi, & Eboracensi prouincijs (quæ de cætero pro vnâ prouinciâ computantur) Venerabiles in Christo Patres Dominum Abbatem Monasterij B. Mariæ Eboracensis, & Dominum Abbatem S. Albani Lincolniensis Diocæsis ad instituendum primum prouinciale Capitulum, & ad conuocandum vniuersos, & singulos Abbates, & Priores Abbates proprios non habentes Ordinis seu Religionis eiusdem, vt legitimè non impediti personaliter comparerent, in eodem, statura quoque Papalia publicandum, & alia faciendum, quæ in mandatis Apostolicis plenius continentur, per literas suas bullatas Executores instituit, & specialiter deputauit.

Primi Capituli indictio.

Qui quidem Executores Apostolicas sanctiones, & mandata reuerentiâ, & honore, quibus decuit, assumentes, & ea, quantum humana fragilitas permittebat, fideliter adimplentes vniuersos, & singulos, Abbates, & Priores, proprios (vt prædicitur) Abbates non habentes, dicti Ordinis seu Religionis, infra prouinciam antedictam, ad comparendum certis die, & loco pro huiusmodi primo prouinciali Capitulo deputatis, videlicet decimo die mensis Iulij, anno Domini 1338. Indictione sextâ, in Prioratu S. Andreæ infra Northampton, Ordinis Cluniacensis legittimè citauerunt. Conuenientibus igitur ipsis Executoribus ad diem, & locum supradictos, coram Prælatis ibidem personaliter comparentibus, nec non Prælatorum absentium procuratoribus, multisque alijs consedentibus, & congregatis, bullam commissionis suæ in publico perlegi, & auscultari fecerunt: quâ perlectâ Domino Abbate Monasterij B. Mariæ Eboracensis missam de spiritu sancto, vt mos est, solemniter celebrante, & post missam Domino Abbate S. Albani, consedentibus omnibus, in linguâ latinâ, prout decuit, sermonem, faciente; cùm sæculares, & alios de gremio Capituli non existentes, excludere, & in concernentibus Capitulum vlterius procedere, mandataque Papalia plenius adimplere, curassent; accedens quidam Clericus, quem Magistrum Philippum de London nominabant, literas prohibitorias Domini nostri Regis detulit, & eas dictorum Executorum ad manus porrexit, quibus cum debitâ reuerentiâ susceptis, fracto ceræ munimine eas per quendam Notarium publicum legi statuerunt, & earum tenore comperto, coram dicto Clerico literas deferente, & omnibus ad Capitulum vt prædicitur congregregatis, Notarijs tunc præsentibus, & super protestatione suâ instrumenta conficientibus, publicè protestabantur se nullo modo quicquam velle facere, constituere, decernere, vel ordinare, quod dignitati regiæ vel regni sui iuribus posset aliquatenus derogare, vel ipsis mandatis regijs quomodolibet obuiare. Ad reuerentiam igitur Domini nostri Regis ex consensu mutuo continuauerunt diem illum, vsque diem Veneris proximè sequentem, videlicet duodecimum diem mensis eiusdem, vt interim cautius consulerent, & consulendo pertractarent, si quouis modo in tantâ perplexitate positi, mandatis regijs satisfacere, & indignationem summi Pontificis poterant præcauere. Continuato siquidem tempore prænotato, conuenerunt ipsi Executores dicto die Veneris in loco supradicto cum Prælatis præsentibus, & absentium procuratoribus pro huiusmodi Capitulo celebrando congregatis, coram Notarijs publicis protestationem suam aliâs repetentes, quod nihil omninò de expresè prohibitis vel contentis in literis Domini Regis violare, vel attentare siue scriptis Regis quouis modo contrarie voluerunt: sed quia quædam alia per Dominum Apostolicum ad reparationem, & reformationem Ordinis habuerunt in mandatis, super huiusmodi articulis non prohibitis, & maximè in concernentibus statum, & reformationem ipsius Religionis, tamquam filij obedientes se velle procedere non negauerunt.

Prohibitæ regalis insinuata patribus in Capitulo cōgregatis.

Protestatio Capituli de obedientiâ in omnibus regi seruandâ.

Protestatione igitur huiusmodi prolatâ, in concernentibus Capitulum vlterius procedentes, præconizabantur in publico nomina citatorum, & quibusdam, vt prædicitur, personaliter, alijs verò per procuratores comparentibus, nonnullis etiam per literas regias excusatis, de ipsis procuratoribus procuratoria recipientes, ad electionem Præsidentium pro eodem instante Capitulo continuò descenderunt. Et quia inter cætera sæpe dicti Executores habuerunt in mandatis, prout in scriptis Apostolicis fit mentio specialis, quod aliquas personas idoneas per ipsum prouinciale Capitulum eligi facerent, & ordinarent, qui in eodem Capitulo primitus præsiderent: iussis Apostolicis parere volentes septem probos viros de gremio ipsius Capituli, quos sapientes, & discretos fore nouerant, videlicet Dominum Abbatem Westmonasteriensem, Dominum Abbatem de Euesham, Dominum Abbatem Salopiæ, Dominum Priorem de Dauentreæ, Dominum Priorem de Bello, Dominum Suppriorem de Abindon, & Dominum Ioannem de Mari Monachū Norwicensem, ad eligendum huiusmodi Præsidentes, per viam compromissi, authoritate Apostolicâ statuerunt, qui timorem Domini, & zelum Ordinis habentes præ oculis, venerabiles in Christo Patres Dominum Abbatem Westmonasteriensem, Dominum

Nominatio 7. electoris: & electio Præsidū Capituli.

Dominum Abbatem Glouerniæ, Dominum Abbatem de Bardenay Lincolnienſis Diocæſis in Præſidentes elegerunt, quorum conſenſu requiſito pariter, & obtento, hymnoque *Te Deum laudamus* celebriter decantato, in locis ſuis iterum cum cuncti conſederent perlectâ quâdam bullâ Papali, vniuerſis Prælatis pro huiuſmodi Capitulo celebrando congregatis per Dominum Apoſtolicum generaliter directâ, eò quod in literis Papalibus eſt expreſſum, quod cōſtitutiones, & ſtatuta, quæ Dominus Papa ad vtilitatem, & profectum dictæ Religionis ſpecialiter edidit, & cenſuit obſeruari, tractim, & diſtinctè in eodem Capitulo publicata legerentur, & cum diligentiâ audirentur, & auſcultarentur, ea ſecundum mandati tenorem in bullâ originali legi decreuerunt. Quibus vt ſtatuitur cum diligentiâ perlectis, & auditis, aſſignantes locum aptum, ſecurum, videlicet Weſtmonaſterium, vbi liber huiuſmodi ſtatutorum bullâ Papali munitus perpetuis futuris temporibus fideliter conſeruetur, vniuerſis Abbatibus, & alijs Prælatis præſentibus, & abſentium procuratoribus authoritate Apoſtolicâ firmiter iniunxerunt, quod eorum ſinguli ibidem ſub manu authenticâ, dictas editiones, & ſtatuta inuiolatè reciperent, eaque ad eccleſias, & Monaſteria ſua ſecum deferentes, vt perſtringitur, in ijſdem legi facerent, & cuſtodiri, ac diligenter obſeruari.

Leguntur in Capitulo ſtatuta Benedictinę.

Et ab omnibus acceptātur.

His igitur omnibus ſeriatim, & cum maturitate digeſtis, expletoque pro tempore ipſorum Executorum officio, prædicti Præſidentes pericula imminentia, & prouinciæ perturbationem reſpicientes, qui Abbates, quæ, & quot eccleſias, Monaſteria, Prioratus, & loca eiuſdem Ordinis ſeu Religionis, vſque ad proximum Capitulum prouinciale, debeant viſitare, aliaque facere, quæ in antedictis conſtitutionibus explicantur, ex eorum conſenſu vnanimi ſtatuerunt, & ſpecialiter deputarunt, videlicet Dominum Abbatem Radinge in Diocæſi Cantuarienſi, Roffenſi, Ciceſtrenſi, & London: D. Abbatem de Bello in Diocæſi Salisbury, & Wintonienſi: Dominum Abbatem de Shirburne in Diocæſi Bathonienſi, & Wellenſi, & Oxonienſi: Dominum Abbatem de Crouland, in Diocæſi Norwicenſi, & Elienſi; Dominum Abbatem Sancti Edmundi, in Diocæſi Lincolnienſi: Dominum Abbatem Ceſtriæ, in Diocæſi Herfordenſi, & Wigornienſi: Dominum Abbatem de Tewkesbury, in Diocæſi Lichfeldenſi, & Couentriæ. Dominum Abbatem de Rameſey, in Diocæſi Eboracenſi, Dunelmenſi, & Carleolenſi.

Electio Viſitatorum.

Cæterum, quia duo Generalia, ſiue Prouincialia Capitula videlicet vnum in Cantuarienſi, & aliud in Eboracenſi prouincijs, hactenus * vtebantur, quæ nunc in vnam prouinciam, & ſic in vnum prouinciale Capitulum rediguntur: Præſidentes prædicti iuxta formam mandati Apoſtolici conſtitutiones, & ſtatuta in dictis Capitulis Generalibus olim editis, & ordinatis, petentes, & recipientes, ſeptem Diffinitores de gremio eiuſdem Capituli, quos in iudicijs diſcretos, ratione præditos, & in zelo ſinceros eſſe nouerant, videlicet Dominum Priorem de Bello tunc Inceptorē in iure Canonico, Dominum Priorem Glouerniæ, Dominum Priorem Salopiæ, Dominum Priorem Herfordiæ, Dominum Suppriorem Abindon, Dominum Ioannem de Mary Monaſterij Norwicenſis, & Dominum Ioannem de Beuerlaco Monachum Dunelmenſem ſacræ paginæ profeſſorem, pro vtilitate, honeſtate, & reformatione Ordinis ac Religionis eiuſdem inſtanter ordinarunt, & ſpecialiter ſtatuerunt. Qui quidem Diffinitores in aliquo certo loco, quem ex conſenſu elegerunt, vſque ad primum prouinciale Capitulum, prout eiſdem viſum fuerit, occurrentes, tam de ipſis conſtitutionibus Generalibus editis ab antiquo, quam de ſtatutis Papalibus nouiter ordinatis, & maximè de quibuſdam ordinationibus contentis in eiſdem, ſecundum ſuæ circumſpectionis induſtriam haberent diffinire.

* Paſſiuè, pro vſurpabantur.

Electio definitorum pro ſtatutis examinandis.

Et quia ſæpe eſt ibi ſanitas vbi multa conſilia ſunt, ad maiorem ſecuritatem habendam, & ſcrupulum penitus amouendum, prædicti Præſidentes ad petitionem ipſorum diffinitorum, Prælatis tunc præſentibus, & Prælatorum abſentium procuratoribus, firmiter iniunxerunt, quod quilibet Prælatus in Monaſterio vel in eccleſiâ ſuâ aliquos idoneos eligeret de Conuentu, qui Conſtitutiones, & ſtatuta antiquitus edita, & hactenus vſitata, digeſta examinatione pertractent, videantque, pro eorum ſcientiâ, & diſcretione, ſi articuli aliqui contenti in eiſdem dictis ſtatutis Papalibus aliquatenus obuiant, aut ipſius Ordinis ſeu Religionis vtilitati, vel honeſtati repugnant, conſiderentque diligenter inſpectione ſincerâ tam de dictis conſtitutionibus Generalibus olim editis, quam de traditionibus, & ordinationibus Papalibus nouiter conſtitutis, ſuper quibus articulis pro infirmis intellectibus eſt habenda declaratio ipſorum Diffinitorum, ſuper quibus articulis eſt dictorum Præſidentium petenda diſpenſatio; ac etiam ſi qui ſint articuli ſuper quibus propter regni vel Patrię conſuetudinem, vel ipſius ordinis honeſtatem eſt Dominus Apoſtolicus meritò conſulendus, huiuſmodique articuli in ſcriptis compilati, & quid examinatores huiuſmodi ſentiunt, in præmiſſis, eiuſdem loci Capitulo primitus oſtenſis definitorum iudicio ocyus demandentur.

Examen priuatū ſtatutorum in ſingulis Conuētibus faciendum.

Moderatio, & interpretatio aliquorum statutorũ.

Verum, quia inter editiones, & statuta Papalia nonnulli sunt articuli inserti, & expressi, qui quorundam conscientijs, tam propter ipsius Religionis honorem, quam propter communem vtilitatem, graues, & difficiles fore iudicantur; videlicet, quod nullus Monachus per se, vel per alium de refectorio, infirmitorio, vel alio loco, quo monachi comedunt, aliquid de eleemosynâ extrahere, deferre, vel alienare quouis modo præsumat: item, quod diebus recreationis Monachorum, medietas Conuentus in refectorio remaneat: item, quod in recreatione eorundem, vbi saltem plures Monachi reficiunt, continuè legatur aliquid, quod audientes ædificet, ibidemque silentium continuum obseruetur: item, quod nec pro victualibus, siue vestiarijs quibuslibet, aut necessarijs huius generis Monachis pecunia ministretur; idem Diffinitores prædicti ex consensu Præsidentium, & Capituli ibidem tractatu, & deliberatione præhabitis ad saniorem, & meliorem intelligentiam dictos articulos declarantes vt omnes vniformiter eos intelligerent sic eos intelligi sanè decreuerunt; videlicet, quod nullus Monachus per se vel per alium de refectorio, infirmitorio, vel alio loco, vbi Monachi comedunt, aliquid de eleemosynâ extrahere, deferre, vel alienare præsumat: nisi in pios vsus hoc faciat, & tunc ex Præsidentis, vel eleemosynarij licentiâ speciali: item, quod in diebus recreationis, Monachorum medietas actualiter existentium in Conuentu in refectorio remaneat, vbi pro eorum iudicio, & decreto excipiuntur qui in infirmitorio languoribus vexantur, Officiati, dum in officijs suis duntaxat occupantur, & etiam Monachi, qui in Prelati comitatu ex causâ commorantur, qui omnes, quia à Conuentu ex causâ distrahuntur, cum illis de Conuentu non dinumerantur: item, quod in recreatione Monachorum continuè legatur, id quod ædificet audientes à principio mensę, quoad vsque Præsidenti cessandum videatur: temporeque lectionis continuum silentium ab omnibus obseruetur, postea verò, non clamosâ, sed submissâ voce loqui permittantur: item, quod nulli Monachorum pro victualibus, vestiarijs, quibuslibetue alijs necessarijs victum, & vestitum, concernentibus, vt in statutis exprimitur, pecunia ministretur: ex * curialitate tamen, & pro specialibus, alijsque minutis necessarijs, sine quibus ipsos Monachos esse non conuenit, & pecuniam recipi, & dari est permissum.

* Humanitate, vrbanitate, courtoysie.

Statutũ de Monachis concionatoribus exponẽdis in ecclesijs ordinis.

Et vt ipsa Religio quæ per incrementa temporum à mari vsque ad mare suos palmites dilatauit virtutum radijs luminosis iugiter illustretur: per sæpe dictos Præsidentes authoritate Apostolicâ firmiter est iniunctum, quod quilibet Prælatus de Conuentu suo illos, quos habiles, & idoneos ad officium prædicationis esse nouerit, ad prędicandum verbum Dei priuatim, & in populo sapienter, & discretè ordinet, & instituat; vt lucerna accensa non sub modio, sed super candelabrum posita, sic luceat omnibus, qui in domo Dei sunt, vt in bonis operibus pariter, & exemplis glorificetur pater, qui in cælis est.

Designatio Capituli futuri.

Pręsides Capituli proximè futuri.

His itaque ritè gestis, & cum maturitate peractis, assignantes certos diem, & locum videlicet diem Lunæ proximum post festum Natiuitatis B. Mariæ, anno Domini 1340. in dicto Prioratu sancti Andreæ infra Northampton, tanquam in regni medio, proximo Prouinciali Capitulo celebrando, ad electionem Præsidentium in eodem continuò descenderunt: nominantes verò septem viros nobiles, scientes, & discretos, videlicet Dominum Abbatem sancti Albani, Dominum Abbatem Cestriæ, Dominum Abbatem de Walden, Dominum Abbatem de Crouland, Dominum Priorem de Bello, Dominum Suppriorem de Abendon, & Dominum Ioannem de Mari, ipsis ad eligendos eos, qui proximo, vt prædicitur, Capitulo prędidebunt, modo superius annotato potestatem authoritate Apostolicâ commiserunt: qui sic nominati, & ad electionem instituti, zelo Religionis succensi, & discretionis virtute firmati, Venerabiles in Christo Patres Dominum Abbatem Sancti Augustini Cantuariæ, Dominum Abbatem Westmonasterij, & Dominum Abbatem Eboracensem in Præsidentes eligerunt, statuentes insuper vnum de Præsidentibus pro missâ in dicto proximo Prouinciali Capitulo celebriter celebrandâ, & Dominum Ioannem de Longenay Priorem Herfordiæ pro sermone dicendo, dictisque pro defunctis orationibus consuetis, proceribus, regni, & patriæ pace commendatis finitum, est illud primum Prouinciale Capitulum prædictis die, & loco, cum continuatione dierum subsequentium, ad laudem, & honorem Domini Dei exercituum: Cui est honor, & imperium per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SCRIP-

SCRIPTVRA. LIX.

Secundum Capitulum Prouinciale seu Generale celebratum apud Northampton die lunæ proximo post festum Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis; anno 1340. Vnde supra.

ANno Domini 1340. conuenientibus in vnum in Monasterio sancti Andreæ Northampton singulis Abbatibus, & Prioribus Abbates proprios non habentibus, Ordinis seu Religionis Nigrorum Monachorum totius prouinciæ Anglicanæ, quibusdam personaliter, quibusdam per procuratores, præter Abbatem de Hyda, Abbatem de Certesey, Priorem ecclesiæ Cantuariensis, Priorem sancti Swithuni Wintoniensis, Priorem de Spalding, procuratores Capituli ecclesiæ Bathoniensis tunc vacantis, Priorem de Luffield, Priorem de Swellshall, Priorem de Hatfield Broddocks, Abbatem de Tauyestoke, qui nullo modo comparuerunt: missâ de spiritu sancto celebratâ, martyrologio lecto, cum hymno de sancto spiritu *Veni Creator*, solemniter decantato, ac collectâ pro fratrum recommendatione; propositoque sermone Dei publicè per Dominum Ioannem de Lungeuay Monachum Gloucestrensem, sacræ paginæ professorem, quo finito incœpit Capitulum in hunc modum. Initium Capituli.

Dicto *Benedicite*, Præsidentes dicti Capituli scilicet Domini Abbates Westmonasteriensis, & Monasterij Beatæ Mariæ Eboracensis, volentes prouidè certiorari, an singuli Abbates, & Priores Abbates proprios non habentes, qui huiusmodi Capitulo de iure interesse debuerāt, ibidem suam exhibuissent præsentiam, in eodem omnes Abbates, & Priores prædictos sigillatim præconizare fecerunt, quibus omnibus præconizatis, quidam Abbates, & Priores personaliter comparuerunt, Abbates videlicet de sancto Albano, de Selby, Gloucestria, Cestria, Croylandia, Thorney, Bardenay, Burton, Walden, Eynsham; necnon Priores Wigorniensis, Dauentrensis, & Monckbritton; quidam verò per procuratores, qui dictis præsidentibus ad ipsorum petitionem sua procuratoria tradiderunt, quibus sic traditis, examinationi iurisperitorum per ipsos Presidentes fuerunt commissa, ad superuidendum de sufficientiâ vel insufficientiâ causarum absentium. Postea, quidam Clericus ex parte Curiæ Cantuariensis, quandam inhibitionem dictis Præsidentibus exhibuit, prohibens ne quicquam in præiudicium status Domini Prioris de Spalding, propter quam absentiam attentarent, &c. vt patet penes eosdem Præsidentes. Die Martis proximè sequentis, quæsitum fuit per Presidentes à visitatoribus, vtrum officia in vltimo Capitulo eis iniuncta ritè, ac debitè in Abbatijs, & Prioratibus sibi ad visitandum deputatis, exercuissent, reformando, & corrigendo, quæ reformatione, & correctione digna fuissent, inter quos Abbas Cestriæ, vnus de visitatoribus in eodem Capitulo deputatis, comperta in visitatione suâ in scriptis Præsidentibus exhibebat, necnon deponens querelam contra Abbatem de Teukesburye Wigorniensis Diocæsis, quia officium suum visitando in ipsum exercere non permisit: assignans tamen causam resistentiæ dicti Abbatis in hac parte, eo quod ipse videlicet ad visitandum ipsum Abbatem Cestriæ per dictum Capitulum negligenter extiterat deputatus; cum cautum sit in constitutionibus Papalibus, quod nullus Visitatoris sibi deputati valeat esse eodem anno Visitator. Regulatio Capitularium. Abbates & Priores qui interfuerunt. Visitatorum examē. Vnus Visitatorū nō debet alium Visitare.

Postea verò Prior de Bello vnus ex diffinitoribus quasdam petitiones legit in scriptis, quę ad reformationem ordinis tendere videbantur, vt Præsidentes super his plenius deliberarent, quarum Copiam idem Prior die Mercurij subsequenti eisdem Præsidentibus porrexit, & continuatus est dies vsque in crastinum. Die Mercurij ordinatum fuit per Præsidētes cum consilio Capituli, quod fieret quædam contributio per singula Monasteria, & Prioratus eiusdem Ordinis seu Religionis, pro nuncijs ad Curiam Romanam mittendis, alijsque negotijs communibus dictum ordinem concernentibus faciendis, & etiam expediendis; ad quā quidem contributionē leuandam placuit omnibus, & singulis, vt quælibet domus iuxta taxationem possessionum suarum obolum de libra ad duos anni terminos soluere teneantur: medietatem scilicet in festo sancti Martini, & aliam medietatem in Annunciatione Virginis gloriosæ. Ad quam quidem contributionem colligendam, & recipiendam electi fuerunt pro recompromissarijs dicti Capituli, Contributio pro negotijs communibus expediēdis.

Capituli, Abbates videlicet, Westmonasteriensis in Episcopatibus Cantuariensi, Roffensi, Londoniensi, Cestriæ in Diocæsi Lincolniensi, Eliensi, Wintoniensi, & Norwicensi; & Monasterij B. Mariæ Eboracensis, in Diocæsi Eboracensi, Dunelmensi, & Carleolensi; Glocestriæ in Diocæsi Wigorniensi, Hertfordensi, Couentree, & Liechfield in Bathoniensi, Sarisburiensi, Exoniensi, Meneuensi, Assaphensi, Landauensi, & Bangorensi.

Cōcionator Capituli futuri.

Ordinati sunt etiam ad prædicandum in Capitulo futuro proximè celebrando in ecclesiâ Sancti Andreæ apud Northampton, primo die, videlicet in crastino Natiuitatis Virginis gloriosæ, anno Domini 1343. Dominus Prior de Wigornia in latinis: die vero processionis, quæ contigerit, Prior de Salopia vel Dominus Ioannes de Mary Monachus Norwicensis in linguâ maternâ, si ipsum Priorem contigerit præpediri. Item eodem die electi fuerunt Præsidentes pro dicto futuro Capitulo celebrando Domini Abbates de sancto Albano, sanctæ Mariæ, Eboracensis, & Cestriæ. Item electi fuerunt nuncij ad curiam Romanam dirigendi pro reformatione ordinis, & nouellarum constitutionū interpretatione, siue mitigatione, seu declaratione, quoad particulares articulos contētos in eisdem: videlicet Prior de Salopia Magister in Theologiâ, Prior de Bello, vnà cum aliquâ instructione eligendâ, & ordinandâ, tam de die, & horâ transitus eorundem, per discretionem, & arbitrium Abbatum Westmonasterij, sancti Albani, Abindoniæ, Prioris Wigorniæ quibus commissa est potestas per Capitulum specialis, dictos nuncios coram ipsis ante diem sui transitus conuocare, & de articulis, de quibus consulendus est Dominus Papa, plenius informare, ac de omnibus negotijs dictum Capitulum tangentibus, per eosdem nuncios in præfatâ curiâ expediendis, quam de ipsorum expensis disponere prout melius viderint expedire. Item quæsitum fuit per Præsidentes à definitoribus in vltimo Capitulo deputatis, an examinationis officium quoad prouincialia statuta olim edita, & alia, prout tunc eis fuerat iniunctum, plenariè compleretur: quibus per quosdam definitores fuit sic responsum, quod non, & hoc propter defectum expensarum, & absentiam quorundam confratrum, qui huiusmodi tractatui debuerant interesse: & ideo Præsidentes ex abundanti eisdem definitoribus iniungebant, vt examinationi prædictorum statutorum, & cæterorum vtilitatem Capituli concernentium, ipso durante insisterent diligenter: & continuatus est dies vsque in crastinum.

Præsidentes.

Nuntij ad curiā Romanam.

Moderatio statutorum.

Electio Visitatorum.

Die Iouis prouidè ordinabant Religiosas, & circumspectas personas, quæ singula Monasteria, & Prioratus eiusdem ordinis seu Religionis in eâdem prouinciâ debeant visitare. Primò Dominum Abbatem de Fauersham, qui in Diocæsi Cantuariensi, Roffensi, & Cicestrensi, & ipsum Abbatem Colcestriæ visitaret; & eundem, Abbatem Colcestriæ in Diocæsi Londoniensi, & illum Abbas sancti Edmundi; Abbatem de Crouland in Diocæsi Lincolniensi, & eum Abbas de Thorney; Abbatem de Walden in Diocæsi Norwicensi, & illum Abbas Colcestriæ; prædictum Abbatem de Thorney in Diocæsi Eliensi, & eum Abbas de Burgo; Abbatem Abindoniæ in Diocæsi Wintoniensi, & Sarisburiensi, & eum Abbas de Euesham; Abbatem Gloucestrię in Diocæsi Wigorniensi, & Hertfordensi, & eum Abbas Salopiæ; Abbatem de Schirburne in Diocæsi Bathoniensi, & Exoniensi, & eum Abbas de Milton; Abbatem Cestriæ in Diocæsi Couentrensi, & Liechfeldensi, & eum Abbas de Winchcombe; Abbatem de Selby in Diocæsibus Eboracensi, Dunelmensi, & Carleolensi, & eum Abbas de Burgo; & fuit subrogatio istorum Visitatorum in arbitrium Præsidentium, si aliqua causa legitima impedimenti alicuius, vel aliquorum emerserit in futurum.

De Monachis ad studia destinandis.

Item ordinatum est in Capitulo, quod Præsidentes scribant Priori Roffensi pro Domino Ioanne de Whitefield Abbati Abindoniæ pro Domino Thoma de Mersham, & Priori Norwicensi pro D. Alexandro de Ikkelinge, quod ad studium Oxonium mittantur ad incipendum in Theologiâ. Et quod scribatur etiam prædicto Priori Norwicensi pro D. Ioanne de Whitelye, ac Abbati de Reading pro Domino Gullielmo de Stiuerington Canonistis, vt similiter ad prædictum studium Oxonium mittantur.

Expēsæ definitoribus afsignatæ.

Item concessæ sunt definitoribus tractantibus negotia Capituli Prouincialis pro expensis suis à Præsidentibus, & cæteris Prælatis septem libræ, pro ipsorum morâ per octo dies dissolutionem dicti Capituli sequentes apud Northampton, & receperunt in parte solutionem soluendam per eosdem iuxta cōtributionē à Capitulo superius ordinatam videlicet de Abbate Westmonasterij, xx. sol. de Abbate Eboracensi, xx. sol. de Abbate sancti Albani, xx. sol. de Priore Wigorniensi, xiij. sol. iiij. d. de Abbate Gloucestriæ xx. sol. de Abbate Cestriæ xx. sol. de Abbate de Selbye xiij. sol. iiij. d. de Abbate de Croyland xiij. sol. iiij. d.

Definitorium per ali-

Item cum ad animarum tendit salutem quod celerius, quo commodè fieri poterit, super dubijs emergentibus ex nouellis statutis decidendis, & dispensandis, & modificationibus super qui-

per quibusdam articulis in eis contentis obtinendis, Cluria Romana consulatur: videtur expediens, quod deputati ad examinandum statuta sint per aliquot dies post Capitulum, & moram faciant, & extrahant articulos super quibus expedit, quod dicta curia consulatur. Et quod idem faciant Prelati per aliquos de suis commonachis, cum ad eorum Monasteria declinauerint, & articulos per dictos deputatos extractos super quibus eis videbitur, quod Romana cufia sit consulenda, per eorum scholares Oxoniam mittendos, ibidemque Diffinitoribus tradendos: & transmittant saltem citra festum Natiuitatis Domini, & ordinetur, quod nuncij curię dirigendi in resumptionem Magistrorum Oxoniæ post dictum festum concurrant, recepturi à scholaribus articulos supradictos. Item, quod ordinetur, quod si vnus, vel ambo dictorum nunciorum fuerint morte præuenti, vel legitimo impedimento detenti, quod Præsidentes habeant potestatem loco ipsorum alios idoneos subrogare.

quot dies post Capitulum.

Item vt cauetur in quodam statuto Capituli Generalis olim edito, quod qui vltimo Oxoniæ incœperit, legitimo impedimento cessante, quousque alius incœperit, suas lectiones continuare teneatur.

De lectionibus collegij Oxoniensis.

Die Veneris proximè sequenti Præsidentes Capitulo supradicto procuratoria absentium eis directa resumentes, & à viris peritis examinata, & discussa, causas sufficienter in eisdem contentas, procuratoribus iuratis causas esse veras, vt decuit approbarunt, & quorum causæ insufficientes sunt inuentæ, ipsos singillatim pronunciarunt contumaces, iuxta formam statutorum, reseruando sibi modificationem pœnarum in euentu. Et nullo modo comparentes similiter contumaces pronunciarunt, quorum nomina secundum modum comparendi inferius patebant sub hac formâ. In Dei nomine Amen. Nos Abbates Westmonasterij, & S. Marię Eboracensis huic Capitulo Prouinciali Præsidentes talem Abbatem nullo modo comparentem pronunciamus contumacem.

Procuratoriæ absentiũ examinantur.

Item in fine fuit iniunctum per Præsidentes, quod quilibet Prælatus faceret in Conuentu singulum Monachum sacerdotem vnam missam pro viuis, & defunctis, & pro recommendatis in Capitulo celebrare.

Supplicationes institutæ pro cõmuni bono.

Item iniunctum fuit per eosdem Præsidentes, quod quilibet Prælatus in proprio Conuentu moneret suos subditos sub pœnâ excõmunicationis ne aliquis impediret, vel impediri procuraret, & quo minus Capitulum Prouinciale possit celebrari, & ordinata in eodem obseruari.

De non impediendis Capituli actis.

Nomina Prælatorum secundum ipsorum modum comparendi in Capitulo sunt hæc, & quorum procuratoria mandata sufficientia, & similiter, qui nullatenus habuerunt: Abbas de Hulmo, Prior de Norwicq, Abbas Sancti Augustini, Prior de Couentre, Abbas de Abbindon, Abbas de Almestre, Abbas de Mounkesbury, Prior Eliensis, Prior Deuoniæ, Abbas de Rading, Abbas de Hathelney, Abbas de Pershore, Abbas de Whittebye, Abbas de Bello, Abbas de sancto Edmundo, Abbas Glastoniensis, Prior Dunelmensis, Abbas de Ramesey, Abbas Salopiæ. Omnes isti per sufficientes, & iuratos Procutores comparuerunt, Abbas de Hida, Abbas de Cettesey, Abbas de Tauyestoke, Prior Ecclesiæ Christi Cantuariensis, Prior sancti Swithuni, Capitulum Bathoniense, Prior de Luffield, Prior de Swelleshale, Prior de Hattefield Broddok: Isti nullo modo comparuerunt, neque personaliter neque per procuratores, ideo pronunciantur contumaces, Prior de Spalding habuit diem ad probandum, & non probauit, & ideò contumax, Prior de Holand, Prior de Birkeshened, Abbas de Muchilney, Abbas de Fauerham, Abbas de Winchcombe, Abbas de Shirburn, Abbas de Midleton, Abbas de Cereneley, Abbas de Abbotesbury, Abbas de Eynsham, Prior de Colne, Prior Roffensis, Abbas Colecestr. Abbas de Malmesbury, Abbas de Burgo. Omnes isti pronunciantur contumaces, qui non habuerunt procuratoria sufficientia.

Nomina Capitulariũ cõparẽtiũ per procuratores.

SCRIPTVRA. LX.

Memoriale actuum Capituli tertij habiti anno 1343. ex eodem loco.

Anno Domini M. CCC. XLIII. die Martis proximo post festum Beatæ Marię Virginis Gloriosæ, Capitulum Prouinciale Ordinis seu Religionis Nigrorum Monachorum totius prouinciæ Anglicanæ, in ecclesiâ S. Andreæ apud Northampton assignatur: ad quod quidem Capitulum secundum Apostolicas constitutiones de triennio in

Regulatio Capitularium.

nio in triennium celebrandum, quamuis vniuersi, & singuli Abbates, necnon Priores Abbates proprios non habentes, eiusdem ordinis seu Religionis dictæ prouinciæ conuenire impedimento cessante legitimo debuissent, particulares tamen Abbates, & Priores iustis de causis impediti fuerunt, quo minus ad dictum Capitulum accedere potuerint, ita quod Abbates, & Priores subscripti suam corporalem dũtaxat ibidem præsentiam exhibebant, videlicet Abbates S. Albani, Cestriæ, tunc Præsidentes, Westmonasteriensis, Glasconiensis, Ramesey, de Burgo S. Petri, Euesham, Burton, Shirburne, Midleton, Gloucestriæ, Priores præsentes in eodem, Prior Wigorniensis, Dauentriensis, cæteri Prælati absentes procuratores absentiam eorundem excusantes secundum modum, & formam in statutis Papalibus traditos destinarunt, Prioribus Ecclesiæ Christi Cantuariensis, & Spalding, Abbate de Bardenay exceptis, qui nullo modo curarunt ad dictum Capitulũ conuenire; & ideo pronunciantur pro eorum inobedientiâ contumaces. Præfatis igitur Abbatibus, & Prioribus necnon absentium procuratoribus die, & loco vnanimiter congregatis, ad gloriam, & honorem Domini nostri Iesu Christi, & suæ gloriosissimæ matris Mariȩ, necnon ad reformationem, & conseruationem ordinis sui Confessoris sanctissimi Benedicti incœpit Capitulum modo, quo sequitur.

Exordiũ actorũ Capituli. In principio pulsatâ campanâ, & demum cessante, ad missam de spiritu sancto celebrandam, quam Dominus Abbas de sancto Albano, vnus de Præsidentibus celebrauit, celeriter processerunt, quâ finitâ Præsidentes reliquique Abbates, & Priores, necnon procuratores absentium, secundum gradum, & dignitatem eorundem, ordinatè ad locum Capituli accesserunt, quibus sedentibus, Præsidentibus verò in eminentiori loco, alijs Prælatis iuxta eos in locis eisdem congruentibus, secundum status eorum, Prior Wigorniensis ad prædicandum in vltimo præcedente Capitulo assignatus, proposuit verbum Dei, & hoc erat thema. *Consilium quid agere debeamus.* Quo facto vnus Monachus de Cestria ordinatione sui Abbatis tunc temporis præsidentis legit Martyrologium, & Capitulum *In singulis*, & *Ea quæ extra* de statu Monachorum, & illud *Statuimus* de Capitulis Prouincialibus, quibus perlectis hymnum *Veni Creator spiritus*, initia versuum Prȩsidentibus incipientibus solemniter decantarunt. Finito hymno, & adiunctis, & dictis collectis subscriptis ab vno Prȩsidente scilicet à Domino Abbate de S. Albano, præmisso versiculo, *Emitte spiritum tuum*, &c. orationes, *Deus qui corda fidelium* *Actiones nostras quæsumus Domine*, quibus sic expletis, & omnibus iterum sedentibus, & pausantibus, ab vno Prȩsidente dicebatur *Benedicite*, alijs respondentibus *Dominus*; subiunxit *Loquamur de ordine.* Tunc statim Præsidentes tunc præsentes scilicet D. Abbas de sancto Albano, & de Cestria, vnum de Capellanis eorum omnes, & singulos Abbates, & Priores præconizare secundum ordinem mandarunt, procuratores verò absentes vocati sua procuratoria Præsidentibus porrexerunt, quæ quidem recepta ab eisdem, examinatoribus per Præsidentes in Capitulo deputatis examinanda discretius tradiderunt, examinatores autem deputati fuerunt venerabiles personæ subscriptæ videlicet Archidiaconus sancti Albani Dominus Henricus de Burgo Doctor in decretis D. W. procurator Abbatis de Thorney, adiunctis eisdem alijs Clericis sæcularibus iuris peritis de consilio Præsidentium.

Concio.

Preces

Procuratoriæ absentiũ examinantur.

Electio definitorum. Deinde constituerunt Diffinitores ad tractandum negotia concernentia Capitulum, & quibus cæteri de ordine nostro volentes petitiones tangentes Religionem nostram porrigere deberent, iuxta mandatum Præsidentium. Diffinitores verò sunt illi Venerabiles Patres, & Domini, videlicet Abbates Westmonasteriensis, Glasconiensis, Ramesey, Prior Wigorniensis, Supprior Dunelmensis. Consequenter ordinati sunt auditores computuum collectores denariorum contributionis impositæ in Capitulo Prouinciali vltimo celebrato scilicet anno Domini 1540. & fuerunt isti auditores, Domini Abbates de Burgo, Sancti Petri, de Burton, Prior Salopiensis, Prior de Bello. Hæc sunt acta Capituli primo die anno supradicto.

Auditores cõputuũ.

Secundo, scilicet die Mercurij. In principio Præsidentibus, ac alijs Prȩlatis, omnibusque procuratoribus absentium secundum eorum statum, & gradum sedentibus, dictoque, *Benedicite*, Responsoque accepto *Dominus*, vocabantur per ordinem procuratores singillatim absentium Prælatorum, & illos procuratores, quorum causæ in procuratorijs contentæ sufficientes fuerunt secundum iudicium examinatorum, fecerunt iurare in animas Dominorum suorum, causas in eisdem contentas secundum constitutiones Apostolicas fore veras. Prælatos verò procuratorum, quorum causæ in procuratorijs contentæ insufficientes fuerunt repertæ, pronunciarunt contumaces, reseruando arbitrio Præsidentium eorundem mulctas inde rationabiliter soluendas, & istud idem in nullo comparentibus obseruarunt.

Iuramẽtum procuratorũ.

Relatio Visitatorum. Postea vocabantur Visitatores assignati in Capitulo Prouinciali vltimò celebrato, à quibus singillatim fuit quæsitum an officium Visitationis eis iniunctum interim post Capitulum

pitulum vltimum compleuissent: & inuentum est per confessionem quorundam tunc præsentiũ & absentiũ procuratores in Capitulo, Abbates Visitatores subscriptos minimè visitasse, videlicet Dominum Abbatem de Fauersham Visitatorem assignatum nullatenus visitasse: Ab. Colcestriæ: Ab. Sancti Edmundi non: Ab. Croulandiæ incepisse visitare, & non perfecisse propter impunitatem; Ab. de Thorney non visitasse: Ab. de Walden nõ visitasse: Ab. de Abindon nõ visitasse: Ab. de Euesham non visitasse: Abbatẽ de Burgo sancti Petri non visitasse, Ab. de Shirburne nõ visitasse, quia mortuus; Abbas de Midletõ nõ visitasse: Ab. de Cestria visitauit, & exhibuit computa: Ab. Winchcombe visitauit: Ab. de Selby non visitauit, quia mortuus: Ab. de Burgo non visitauit Selby. Multæ istorum non visitantium reseruantur arbitrio Præsidentium.

Ista Monasteria non habuerunt scholares in studio Generali secundum relationem Prioris studentium: videlicet, Ab. de Bello: ad quod respondebatur, quod fuit defectus scholaris electi, & non Abbatis: Ab. de Burton super Trent: Ab. de Serua: Ab. de Radinge: Ab. de Abboresbury: Prior Wintoniẽsis sancti Swithuni: Ab. Winchcombe, Ab. de Tauyestoke: Ab. de Eueshã: Ab. de Bardenay: Ab. de Midletõ: Ab. de Achelneyb: Prior de Bathon: Prior de Dauentre: Ab. de Whitteby non habuit per primum terminum ex defectu scholaris electi propter infirmitatem superuenientem. Multæ istorum secundum quantitatem delicti ponuntur in arbitrio Præsidentium discutiendæ. De Monachis ad Academiam missis, aut non missis.

Electores Præsidentium ordinati pro futuro Capitulo celebrando sunt D. Reuerendi subscripti, scilicet, Abbates Westmonasteriẽsis, Glasconiæ, de Burgo S. Petri, Priores de Wigornia, de Salopia, de Bello, Supprior Dunelmiæ. Præsidentes electi per eosdem pro futuro Capitulo celebrando sunt Abbates Sancti Albani, Cestriæ, Westmon. Ordinati sunt in Capitulo Visitatores Abbates subscripti, videlicet in Episcopatu Cantuariensi, & Roffensi Abbas S. Albani ex magnâ instantiâ Capituli ad huiusmodi opus perficiendum: in Diœcesi Sarum, Bathoniensi, Exoniensi Abbas Glasconiæ, & ipsum, Ab. Glouceстriæ: in Diœcesi, Wintoniẽsi, & Cestrẽsi: Ab. Abindõ: in Diœcesi Wigorniensi, & Couentriensi, Ab. Salopiẽsis, & ipsum, Ab. de Euesbam: in Episcopatu Lincolniensi: Ab. de Thorney, & ipsum, Ab. de Walden: in Episcopatu Londoniensi, Ab. Westmonasteriensis, & ipsum, Ab. sancti Augustini Cantuariensis: in Episcopatu Eliensi, & Norwicensi, Ab. de Burgo S. Petri, excepto Thorney: in prouinciâ Eboracensi, Ab. S. Mariæ Eboracensis, Ab. de Bardney conuentum suum, sed non ipsum, quia Præsidens. Electores Præsidẽtiũ. Præsides futuri Capituli. Visitatores.

Remanet de contributione factâ in Capitulo proximè præcedenti penes computuum auditores x. li. secundum contributionem ob. de lib. totius ordinis vtriusque prouinciæ, secundum relationem audientium computum iiiij. lib. xvj. so. vj. d. ob. qua. Summæ collectæ mulctarum contumacium non venientium ad Capitulum xxij. li. iij. so. iiij d. Item ex ordinatione Capituli imposita est noua contributio per Capitulum, videlicet ob. de librâ pro nuntijs destinandis ad curiam Romanam, ad appropriandas ecclesias si fieri possit, principaliter pro scholarium pensione, ex consequenti pro alijs negotijs concernentibus Capitulum expediendis, vt scilicet, pro litibus sustinendis contra Priorem Christi Cantuariensem, & alios nullo modo dignantes ad Capitulum conuenire. Et si prędicta contributio non sufficiat subaddatur ob. vel qua d. secundum arbitrium Præsidentium, & tunc si fiat præmunientur collectores per Præsidentes, & quod dicta contributio debeat mitti collectoribus pro solutione eiusdem terminis assignatis videlicet, Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ anno Domini 1344. Et completus est dies secundus. Cõputus, & contributiones.

Tertio die, scilicet die Iouis, ordinatum est quod incœptor in Theologiâ habeat ex curialitate de pecuniâ communi Capituli xx. li. Item quod vnus Magister in Theologiâ sit in Vniuersitate continuò quousque alius iam scholariũ incœptorum sit legens, & quod ille percipiat quolibet anno vsque ad incœptianam alterius de communi Capitulo x. li. Item quod incœptor in iure canonico, ex magnâ instantiâ Capituli, vt fiat æquitas, percipiat in incœptu suo xx. marcas, & si duo, vel tres, vel plures siue in Theologiâ siue in iure canonico simul concurrant, prædicta curialitas secundum summam assignatam ibidem, inter eos ęqualiter diuidatur. Item ordinatum est per dictum Capitulum, quod Magister Thomas de Calton Prior Salopiensis occupet Cathedram apud Oxoniam vsque ad incœptum alterius Doctoris dicti ordinis nostri. Præmia Doctorum, & Professorum ordinis.

Item Capitulum prouinciale proximè celebrandum assignatum est apud Northampton die lunæ proximo post festum sancti Mathæi Apostoli anno Domini 1346. & primo die Capituli prædicabit vnus Præsidentium, scilicet Dominus Ab. de sancto Albano, vel Cestria, vel Dominus Ioannes de Stokesley, prout concordatum fuerit inter Conuentum, & Præsidentes interea. Item ostensa fuit vna Bulla plumbata, quæ fuit missa à Domino Clemente Indictio Capituli proximè futuri.

 tunc

tunc summo Pontifice Præsidentibus Capituli, continens modificationem statutorum per se, vel Papam Benedictum xij. editorum. Item ostensa fuerunt alia statuta approbata in Capitulo per Præsidentes, edita per Diffinitores à Præsidentibus cum consensu Capituli, in Capitulo præcedenti vltimò celebrato, quorũ copiam habẽt vniuscuiusque domus nostri ordinis scholares apud Oxoniam à Priore studentium sumptibus suis recipere, & transcribere ex iniunctione Præsidentium in dicto Capitulo citra Natalem suis matricibus domibus destinandas, vt à Monachis in eisdem ex tunc fideliter obseruentur, nisi citra dictum tempus consultis Præsidentibus super aliquo articulo, vel articulis in eisdem cõtentis, consuetudini, vel consuetudinibus in Monasterijs approbatis, vel aliter causâ rationabili aduersantibus. Si qui post huiusmodi rimationem dictorum statutorum reperiantur Abbates, & Conuentus cuiusque loci iudicio, vt sic pro arbitrio, & discretione Præsidentium huiusmodi articuli vel omninò omittantur, vel aliàs moderentur prout eis videbitur salubrius expedire. Item ostensa fuerunt alia statuta edita per Diffinitores in proximè præcedenti Capitulo constitutos, quę quidem Præsidentes Capituli approbarunt, non obstantibus contradictionibus ex parte Domini Abbatis de Glasconia, & Domini Ioannis de Beuerlaco Monachi Dunelmensis.

Expensę pro curiæ Romanæ laboribus.

Item monstratæ sunt literæ à Cardinalibus missæ pro expensis eorum, qui statuta Papalia ediderunt, in quibus petunt sub magnis censuris contentos in eisdem authoritate Apostolicâ 300. florenos sibi à Capitulo prouideri per contributionem inter Monasteria faciendam iuxta ordinationem Præsidentis dicti Capituli Prouincialis: quibus visis Præsidentes in eodem Capitulo fecerunt protestationem, se velle in omnibus mandatis Apostolicis obedire, quatenus possint, & eis permittitur à regiâ potestate, & super hoc Magistrum Ioannem Barret Notarium publicum instrumentum facere requirebant, sed superuenit regia prohibitio, prohibens ne fieret aliqua contributio pro censu soluendo extra regnum, & Dominium Regis Angliæ; sub nomine impositionis vel tallagij seu quo quomodo aliter transmittenda sub graui forisfacturâ omnium, quæ sibi forisfacere poterunt in futurum. Copia breuis patet alibi retrò.

Moderatio, fraternitatũ spiritualiũ.

Item quia verisimiliter timetur, & creditur, quod ex confœderationibus inter diuersa Monasteria antiquitus initis periculum animabus in multis locis ex pacti non obseruatione immineret, quia æstimatur non erroniè, vt videtur, quod aliqua, vel aliquæ domus ad impossibilia per prædictas confęderationes obligantur, propter quod expediret de salubri remedio prouideri; ideo consulitur, quod in singulis domibus visis confœderationibus, & obligationibus mutuis, inquiratur à fratribus, quæ sunt obseruabiles, & quæ non; super obseruabilibus scribant Præsidentibus aut Capitulo Prouinciali, vt consensu Capituli opportunum remedium super ijs valeant ordinare.

Aliorum statutorum antiquorũ cassatio.

Item statuta olim edita in Capitulis Prouincialibus sunt penitus irritata, & reuocata, cassata, annullata: nisi quatenus in nouis editis continentur, vel ijs minimè aduersantur.

Item iniunctum est per Præsidentes in Capitulo quod vna missa de *Requiem* pro Abbatibus Prioribus alijsque fratribus ab vltimò Capitulo celebrato defunctis, necnon pro alijs benefactoribus ordinis nostri, & etiam confęderatis, in Conuentu solemniter celebretur collectis assumptis secundum consuetudinem loci, & quod vna alia missa priuata de *Requiem* à quolibet sacerdote pro eisdem in singulis Monasterijs nostri ordinis celebretur, & à singulis non sacerdotibus psalterium deuotè dicatur.

Supplicationes iniunctę pro bono ordinis.

Istis peractis fuit Capituli dissolutio pronunciata, & sic dicto, *De profundis*, cum collectis pro fratribus defunctis, alijsque benefactoribus ordinis nostri, postmodum factâ generali confessione ab omnibus coram Pręsidentibus ab altero illorum scilicet, Abbate sancti Albani Absolutionis beneficium est impensum, & sic discessit vnusquisque dicto Capitulo Prouinciali sine peracto, &c.

Nomina Abbatum citatorum ad Prouinciale Capitulum secundum librum Abbatis de Selbye.

Abbas B. Mariæ Diœcesf. Eborac.
Abbas S. Albani Lincoln. Diœcesf. exemptus.
Abbas S. Augustini Cantuar. exemptus.
Abbas Westmonast. exemptus Diœcesis London.
Abbas S. Edmundi exemptus Norwicen.
Abbas de Malmesburye Wigorn.

Abba

Abbas de Euesham exemptus Wigorn.
Abbas Glastoniensis exemptus Bathon.
Abbas de Ramesey Lincolniensis.
Abbas de Burgo S. Petri Lincoln.
Abbas de Selby Eboracensis.
Abbas Glocestrię Wigorn.
Abbas de Abindon Sarisburi.
Abbas de Reding Sarisburien.
Abbas de Whitby Eboracensis.
Abbas de Bello Cicestrensis.
Abbas S. Benedicti de vlmo Norwicens.
Abbas de Teukesbury Wigorn.
Abbas de Salopia Cicestrensis.
Abbas de Burton super Trent Cicestrensis.
Abbas de Colcester Londoniensis.
Abbas de Walden Londoniensis.
Abbas Cestriæ, Cestrensis Diœ.
Abbas de Winchecombe Wigorn. Diœc.
Abbas de Tauestoke in Cornubia Exoniensis Diœc.
Abbas de Hyda Wintoniensis Diœc.
Abbas de Euesham Lincoln. Diœc.
Abbas de Bardeneya Lincoln. Diœc.
Abbas Croylandia Lincoln. Diœc.
Abbas de Thorney Eliensis Diœc.
Abbas de Certeseya Wintonien. Diœc.
Abbas de Fauesham Cantuarien. Diœc.
Abbas de Pershore Wigorn. Diœc.
Abbas de Shirburn. Sarisburien. Diœc.
Abbas de Abbotesbury Sarisbur. Diœc.
Abbas de Serna Saburisbuensis Diœc.
Abbas de Milton Sarisburi.
Abbas de Michelney Bathonien Diœc.
Abbas de Athelney Bathonien. Diœc.
Abbas de Alcester Wigorn. Diœc.

Nomina Priorum citatorum ad Capitulum Prouinciale.

Prior Ecclesiæ Christi Cantuar.
Prior Dunelm. eiusdem Diœcesis.
Prior Wintoniensis eiusdem Diœcesis.
Prior Eliensis eiusdem Diœcesis.
Prior Norwicensis eiusdem Diœcesis.
Prior Wigorn. eiusdem Diœcesis.
Prior Bathoniensis eiusdem Diœcesis.
Prior Couentrensis eiusdem Diœcesis.
Prior Roffensis eiusdem Diœcesis.
Prior de Spalding Lincolnien. Diœcesis.
Prior de Dauentriæ Lincolniensis Diœcesis.
Prior Douer. Cantuariensis Diœcesis.
Prior de Colne Londoniensis Diœcesis.
Prior de Luffield Lincolniensis Diœcesis.
Prior de Bradwel Lincolniensis Diœcesis.
Prior de Swelshale Lincolniensis Diœcesis.
Prior de Monkbretton Eboracen. Diœcesis.

Prior de Berthed Cestrensis Diœc.
Prior de Holand Cestrensis Diœc.
Prior de Hatfield Broddock London. Diœc.
Prior Maluerniæ maioris Wigorniensis Diœc.

Registrum taxationis denariorum de librâ, & quadrantis de marcâ, de Abbatibus infrascriptis per Abbatem de Selby.

De Abbatibus.	*Denar. de lib.*					*Quadr. de Marcâ.*			
	lib.	sol.	d.			lib.	sol.	d.	
S. Albani.	3.	13.	8.				28.	3.	
S. August. de Cantuar.							38.	10.	dd. qua.
S. Edmundi.	8.	13.	2.	ob.		3.	4.	11.	ob.
Westmonast.	5.	11.	1.			2.	1.	7.	ob. qua. dd. qua.
Cestriæ.	2.						25.		
De Eueshame.		25.	1.				9.	4.	ob. qua. dd. qua.
De Malmesbury.		30.					11.	3.	
De Glascon.	6.	11.	8.			2.	9.	4.	ob.
Ramesey.	3.	10.	4.			2.	1.	4.	ob.
De Burgo S. Petri.	4.						30.		
B. Mariæ Eborac.	4.	12.	1.	ob.			34.	6.	ob. dd. qua.
Abindoniæ.	3.	16.	11.				28.	10.	dd. qua.
Glouerniæ.	2.	6.	9.				16.		qua. dd. qua.
De Reding.	3.	19.	3.			1.	9.	8.	ob. dd. qu.
Hide.	2.	8.	10.				18.	3.	ob. qu.
De Bello.	2.	6.	8.			1.	3.		
S. Benedicti de Hulmo.		37.					13.	10.	ob.
De Tewkesburie.		40.	6.				13.	2.	ob.
De Selby.		41.	2.				15.	5.	ob.
De Whitbye.		12.	4.				4.	7.	ob.
Salop.		20.	5.				7.	7.	ob. qua. dd. qu.
Colcester.		23.	4.				8	9.	
De Walden.		26.	8.				10.		
De Bardenay.		33.					12.	4.	ob.
De Crouland.		50.	4.				18.	10.	ob.
De Thorney.		37.	7.				14.	1.	dd. qu.
De Chertefeya.		18.		ob.			6.	9.	qu.
De Winchcombe.		14.	7.				5.	5.	ob. dd. qu.
De Tauestoke.		17.	4.				6.	6.	
De Burton.		12.	10.				4.	9.	ob. qua.
De Euesham.		40.					15.		
De Fauersham.		25.					9.	4.	ob.
De Abbotesbury.		11.	4.				4.	3.	
De Serne.		16.	8.				6.	8.	
De Pershore.		15.	1.				5.	7.	ob. qu. dd. qu.
De Shirburne.		17.		ob.			6.	4.	ob. qua.
De Muchulney.		8.	4.	ob.			3.	1.	ob. qu.
De Middleton.		14.	10.		*(Scaccario.*		5.	6.	ob. qua.
De Attulney.		8.	11.		*ita copertum, est in*		5.		
De Alcester.		3.	10.	qu.	*quæritur vt sup.)*		17.	3.	qua. dd. qua.

De

De Prioratibus.

De Priorat.	Denar. de lib.				Quadr. de Marca.			
	lib.	sol.	d.		lib.	sol.	d.	
Eccl. Christi de Cātuariâ.	nihil.							
Dunelmensis.		36.	3.			13.	7.	dd. qua.
S.Swithuni Wintonienſ.	4.	2.	7.			30.	11.	ob. dd. qua.
Norwicensis.	3.	18.	7.			29.	5.	ob. dd.qua.
Wigorniensis.		32.				12.		
Eliensis.	5.	7.	6.			40.	3.	ob.qu.
Couentrensis.		27.	6.			10.	3.	ob. qu.
Bathoniensis.		12.				4.	6.	
Roffensis.		24.	3.			9.	3.	
De Spaldinge.		40.				15.		
Dauentreæ.		8.				3.		
Douer.		22.				8.	3.	
De Colne.		11.	4.			4.	3.	
De Bradwelle.		2.	10.	ob. qua.	34.	2.	9.	
						13.	2.	quod ita cōpertū est in
De Luffield, *de nouo tax.*		3.	4.				15.	Scaccario D. Reg.
De Holand.		6.	8.			2.	6.	
De Hatfield Broddok.		10.				3.	9.	
De Berkhenede.		36.	1.	ob.		16.	6.	ob.dd. q.
Minoris Maluernię.		4.	1.	ob.			18.	ob. dd.q.
De Monkbretton.		4.					18	
De Swelleshale.			9.				3.	qu.dd.qu.
De Sandwell.								
De Canewel. *de nouo tax.*			20.				7.	ob.
De Pullia in Wallia.								
Maioris Maluernię.		4.	1.	ob.	27.	19.	5.	ob.qua.

Summa Taxa Prioris Dunel. ad Capitulum Prouinciale 414. lib. 13. sol. 2. d.
Taxa eiusdem Scaccario regio pro temporalibus, & spiritualibus infra aquas 522. lib. 9. sol. 7. d.

SCRIPTVRA. LXI.

Litera certificatoria de Visitatione Monasterij Eueshamensis exempti; factae ex decreto Capituli 1441. Ex Bibliothecâ Clar. Domini D. Rob. Cottoni.

REuerendo in Christo Patri, ac Domino, Domino Willielmo, Dei gratiâ Abbati Monasterij de Perschor ordinis S. Benedicti Wigorniensis diœceseos, à Præsidentibus, & Capitulo Generali dicti ordinis apud Northampton vltimò celebrato Visitatori legitimè deputato, qui humiles confratres, & deuoti, Ioannes permissione diuinâ Abbas Monasterij Euesham Ordinis sancti Benedicti ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, & eiusdem loci Conuentus reuerentiam debitam cum honore. Mandatum vestrum nono die Mensis Maij recepimus, continens hunc tenorem: Willielmus permissione diuinâ Abbas Monasterij B. Mariæ, & S. Edburgo Virginis de Perschor Ordinis S. Benedicti Wigorniensis Diœcesis

cesis per Capitulum Generale vltimò apud Northampton celebratum Visitator deputatus, Venerabili in Christo Patri, & Domino eâdem permissione Abbati Monasterij de Euesham, & eiusdem loci Conuentui prædicti ordinis, & Diœceseos, salutem in omnium Saluatore. Cum ad iniunctum nobis officium studiosius peragendum obedientia nos excitet, & necessitas obsequendi, vos Dominum Abbatem, & Conuentum prædictos præmunimus, & per vos absentes si qui sint volumus præmuniri, quod die Mercurij proximè ante Festum Pentecostes, videlicet vltimò die Mensis Maij, cum continuatione, & prorogatione dierum ex tunc sequentium, si opus fuerit, vos & statum Monasterij vestri prædicti authoritate nobis commissâ intendimus Deo fauente personaliter visitare. Quocirca vobis mandamus auctoritate prædictâ, quatenus in domo capitulari Monasterij vestri prædicti, die supradictâ, horâ competenti coram nobis, vel Commissario nostro, seu Commissarijs nostris in hac parte compareatis, Visitationem nostram, prout decet, subituri, facturi etiam, & recepturi in omnibus, & per omnia, quod Canonicæ sanctiones dictauerint, & regularibus conueniat institutis. De die verò receptionis præsentium, & quid in præmissis facere decreueritis, ac de nominibus, & cognominibus præmunitorum, vnà cum designatione officiorum suorum, nos vel Commissarium nostrum, seu Commissarios nostros, dictis die, & loco debitè certificetis per vestras litteras patentes, harum seriem continentes. Datum in Monasterio nostro prædicto, 3. die Mensis Maij, anno Domini 1441. Cui quidem mandato vestro paruimus, paremus, & parebimus in omnibus reuerenter, cuius auctoritate mandati omnes, & singulos commonachos, & confratres nostros ecclesiæ prædictæ peremptoriè citari, & præmuniri fecimus, quod compareant, & nos comparebimus conuentualiter congregati coram vobis, aut vestris Commissarijs in hac parte, quibuscunque die, & loco, & horâ capitulari, cum continuatione, & prorogatione dierum sequentium, si opus fuerit, vos ad peragendum huiusmodi Visitationis vestrę officium humiliter admissuri ipsamque Visitationem vestram debitè subituri, vlteriusque facturi, & recepturi in præmissis, quod tenor mandati vestri antedicti exigit, & requirit. Nomina verò, & cognomina omnium, & singulorum commonachorum, & confratrum nostrorum ecclesiæ prædictæ, cum plenariâ designatione officij eorundem, continentur in schedulâ præsentibus annexâ, & sic mandatum vestrum supradictum sumus in omnibus executi. In cuius rei testimonium sigillum nostrum commune præsentibus duximus apponendum. Datum in domo nostrâ Capitulari Eueshamæ penultimo Die Maij, anno Domini supradicto.

SCRIPTVRA. LXII.

Fragmentum desumptum ex historiâ Monasterij Crovvlandensis manuscriptâ, quæ ab Ingulphi historiâ inchoatur, continuaturque, vsque ad annum 1500. Est in Bibliothecâ nobilißimi Domini Roberti Cottoni. Titulus in margine libri, eiusdem omninò manus, cuius totum exemplar fuerat, est huiusmodi.

De Congregatione Nigrorum Monachorum coram Rege Henrico quinto.

ANno verò sequente, qui erat annus Domini 1421. & annus Regis Henrici V. octauus, exijt edictum eiusdem Serenissimi Principis, ad omnes Abbates, & Priores, Ordinis S. Benedicti, Nigrorum Monachorum in Angliâ, quatenus omni dilatione postpositâ, apud Westminster coram eo personaliter comparerent. Grauis quidem, & enormis ad aures Regis delata est querela, per quendam, vt ferunt, De monte Gratiæ Priorem Ordinis Carthusiensis, in Religione dicti Ordinis S. Benedicti prius professum de diuersis abusionibus

tis, & excessibus, quę in pręfatâ Religione regnare videbantur. Vnde Rex grauiter torquebatur animo, & aduersus prædictum ordinem non mediocriter mouebatur. Facta est igitur Congregatio solemnis omnium Abbatum, Priorum, nec non Magistrorum Doctorum, Incœptorum, Bacchalaureorum, & aliorum nobilium virorum dicti Ordinis Nigrorum Monachorum in Angliâ, in domo Capitulari Westmonasterij, 7. die mensis Maij, in quâ siquidem Congregatione Illustrissimus Rex prædictus personaliter affuit, & Episcopus Exonensis pro parte Regis coram dictâ Congregatione plures excessus connumerans solemniter proposuit in latinis. Finitâ verò propositione, idem Serenissimus princeps, tres ex suâ parte in hac materiâ deputatos specialiter assignauit, præfatum videlicet Exoniæ Episcopum, suum etiam Secretarium, & Priorem de Monte Gratiæ prænominatum, qui cum sex personis de Congregatione antedictâ, ex parte ordinis eligendis, super reformatione defectuum prædictorum, summatim in certos articulos redactorum, mutuò conferrent, & tractarent. Nomina verò personarum ex parte ordinis electorum, hic in serie subscribuntur. Prior videlicet, ecclesiæ Cathedralis Wigorniæ, Pręsidens, in Theologiâ Doctor; Abbas S. Albani Doctor in eâdem facultate; Abbas Eboraci, scholaris in eâdem; Richardus Abbas Crowlandiæ prælibatus in dictâ facultate bacchalaureus: Prior Dunelmensis in eâdem scholaris; & Prior de Lenton similiter scholaris in eâdem. Quibus sex personis postmodum viginti quatuor alij de Abbatibus, & Prioribus, Doctoribus, & alijs graduatis per Congregationem antedictam fuerunt associati, quibus omnibus simul iunctis, potestas plena commissa est super prætaxatis articulis tractandi, discernendi, statuendi, & confirmandi, ac omnia, & singula peragendi, quæ tale, & tam arduum negotium exigit, & requirit. Qui licet per varias sessiones continuas, ad hoc seorsum deputatas modificationes plurimas super præmissis articulis, hinc inde communicando conceperint, & conscripserint: vna tamen præ omnibus omnium consensu, per Abbatem S. Albani, modificatio, & responsio finalis, summariè est conclusa. Ad cuius obseruationem temporibus post futuris, patres ibidem existentes per sua promissa se Domino regi vnanimiter astrinxerunt. Porrò ex tunc indignationis regię quieuit commotio, admirantis plurimum, imò vehementer congaudentis, se in suo regno tam numerosam literatorum, & graduatorum multitudinem dicti ordinis habuisse. Deinde à regiâ beneuolentiâ gratanter licentiati, ad sua singuli redierunt.

SCRIPTVRA. LXIII.

Statuta Capituli Prouincialis anno 1444. continentia integram formam Congregationis, tam quoad disciplinam regularem, quam quoad regimen politicum, seu Aristocraticum. Ex Bibliothecâ Nobiliss. D. Roberti Cottoni.

Hæc sunt statuta diffinitoria, edita in Capitulo Generali tento Northamptoniæ Pręsidentibus D. VVillielmo Priore ecclesiæ Cathedralis VVintoniensis, VVillielmo Abbate Colcestriæ, & Ioanne Abbate de Chertesey, anno Domini 1444.

CAthedralis ecclesiæ Sancti Swithuni Wintoniensis Willielmus diuinâ miseratione Prior, Willielmus de Colcestriâ, & Ioannes de Chertesey eâdem miseratione Abbates, Generali Capitulo ordinis sancti Benedicti Nigrorum Monachorum in Prouinciâ Cantuariensi, & Eboracensi Pręsidentes, vniuersis Abbatibus, Prioribus cathedralibus, ac superiorem in ipsâ ecclesiâ non habentibus, prępositis, subditis, commonachis nostris in eisdem prouincijs constitutis, salutem, & gratiam Domini nostri Iesu Christi. Nouerit vniuersitas vestra, pro Abbatibus, Prioribus, absentium procuratoribus, anno Domini 1444. Nonas Iulij Capitulo Generali Northamptoniæ celebrato, existentibus, & specialiter diffinitoribus salubriter diffinientibus, cupientes prout decuit inhærere: qui (sicut liquet actus Capitulares

Præfatio Pręsidum Capituli, ad totam Cōgregationem.

lares intuenti) diffinierunt concorditer in hæc verba.

Decretum definitorũ, de statutis coordinãdis.

Nos diffinitores legitimè electi, intendentes sanctissimam reformationem animarum, & nullatenus alicuius diabolicam illaqueationem, videntes, & considerantes difficultates, perplexitates, & turbationes conscientiarum in multitudine, & ambiguitate diffinitionum, quarum quædam videntur cęteris obuiare, & scrupulos non paruos in conscientijs plurium generare, quæ non valent in perpetuo tempore, absque magnâ deliberatione, ad veram, & legitimam concordiam, ad tranquillitatem conscientiarum reduci; Quare ego Ioannes Abbas de Euesham nomine meo, & nomine Collegarum meorum, diffinimus, infringibiliterque ordinamus, quod ante dissolutionem huius Capituli, assignentur, & nominentur quatuor, vel sex, vel tot sicut videbitur vestris reuerentijs expedire, discreti, & experti Monachi, qui authoritatem diffinitorum habeant, ad colligendum, & examinandum, ad concordandum, & in aliquod opus perfectum redigendum sub bonâ formâ omnes diffinitiones præcedentium Capitulorum; Et, vt omnia ista consultius peragantur, citra festum sancti Dionisij, vel citò post, secundum omnem possibilitatem, præfati nominati conueniant in Vniuersitate Oxoniensi, vel alibi, ibidem expensis totius ordinis permansuri, quousque de omnibus prædictis ambiguitatibus, & difficultatibus prædictis aliquod clauum, possibile, & perfectum opus perfecerint, vt consequenter illud opus perfectum Dominis Pręsidentibus oblatum in omni Monasterio nostro Capitulo Generali subiecto, authoritate præfatorum Dominorum Præsidentium executioni debitè, & fideliter demandetur. Quâ definitione Pręsidentibus oblatâ, & ab ipsis sub pręfatâ serie verborum consideratâ, dictæ diffinitioni assensum Præsidentes præbuerunt, eandemque approbauerunt, & venerabiles in Christo Patres, Ioannem Abbatem de Chertesey Compræsidentem, & Willielmum Abbatem Abendoniæ, Radulphum Hainme Priorem Abendoniæ, Stephanum London, Robertum Puriton, Suppriorem Winton: Ioannem Schalford, Thomam Sebrocke in sacrâ Theologiâ Doctores Willielmum Wrowhton in artibus Magistrum, & in sacrâ Theologiâ incœptorem, Nicholaum Gomerstam ecclesiæ S. Augustini iuxta Cantuariam præcentorem, & in sacrâ Theologiâ Bacchalauriũ, ad pręcedentium executionem deputarunt, & dictarunt, vt in crastino Exaltationis Crucis sanctæ in Oxoniâ ordinis expensis concurrerent, & ad annullandum, de nouo condendum, ad abolendum, interpretandum, declarandum, addendum, siue ad diminuendum, & in vnum opus perfectum redigendum, omnes diffinitiones, dictas nouas quantumlibet, & antiquas præcedentes authoritatem infra dictum Capitulum commiserunt, vt super his omnibus diffinitionibus articulis, & conclusionibus prout canonicæ sanctiones permittunt, declararent, & salubriter reformarent, nostroque assensu, & consensu finaliter diffinirent. Ex quarum deputationis, & commissionis vigore dicti patres Abbates, Claustri Priores, Doctores, & confratres, in dictis die, & loco, tanquam filij obedientiæ, comparuerunt: Magistro Thoma Sebroke duntaxat excepto causâ legitimâ præpediente, qui singuli diffinitores, & hac in parte nostri Commissarij dictis tempore, & loco omnes suas conclusiones appunctuarunt, & per Suppriorem Winton, Magistrum Ioannem Schalford, & Magistrum Willielmum Wrowhton, suas appunctuationes, additiones, & conclusiones omnium diffinitorum in vnum opus perfectum redigerunt. Quibus expletis, illud opus sic perfectum per suos nuncios Præsidentibus oblatum, anno superius dicto, & penultimo die Septembris Wintonię nobis obtulerunt, & concorditer præsentauerunt.

Promulgatio, & confirmatio statutorũ coordinatorum.

Nos igitur ad eadem statuta cum suis declarationibus, reformationibus, definitionibus, secundum tenorem infrascriptum recitata aduertentes, quod sint rationi consona, regulæ nostrę professionis, constitutionibus Benedictinis, statutis Episcoporum, & iuri communi non obuiantia: imò regularem conuersationem, & bonos mores fouentia, vel saltem occasionem malorum, & eorum abusum vetantia, dicta statuta approbauimus, & approbamus, ijsque statutis diffinitorum, seu mandatis nostris, imò verius Apostolicis vniuersos Abbates, Priores, & alios quousque commonachos nostros in prouincijs Cantuariensi, & Eboracensi, volumus efficaciter obedire, ac eadem authoritate Apostolicâ nobis indultâ, quâ fungimur in hac parte, vnanimiter approbamus, & sub sigillis nostris approbata pronuntiamus, firmiter statuentes, quod omnes, & singuli nostri ordinis sancti Benedicti professores, in dictis prouincijs existentes, & futuri, ea statuta, quam citò ad notitiam eorum peruenerint, secundum sui tenorem sine vlterioris moræ dispendio recipiant, & obseruent, & vt de materijs subscribendis facilius occurrat quærentibus id quod velint: talem operis sequentis præscripsimus seriem titulorum.

CAPI-

CAPITVLVM I.

De *Prælatis, Præpositis, &* Decanis.

IN dei nomine Amen. Postquam nòs, qui subditorum curam suscepimus, de eis in tremendâ die coram iudice districtissimo, prece, pretio, vel fauore inflexibili, rationem reddituri, si benè, gloriam; si malè in curâ nostrâ nos gessimus, gehennæ pœnam sumus æquo Dei iudicio suscepturi, & rationem pro animâ cuiuscunque pecoris nobis commissi reddituri: super gregem nobis commissum solicitius vigilemus, custodiam adhibeamus, ne dum dormimus, lupus ouem rapiat, vel si absentes videamur antiquus hostis caulam inuadat, & post inuasionem agnellos disperdat. Eorum igitur abusum, aut præsumptionis fiduciam cauentes, qui onus sibi commissum in alios transferunt, & à nimietatis vitio, ne, quod absit, in eis confidant, aut negligentiâ quâdam iugum oneris insolenter postponant, (prætextu cuius, quorumue à suis curis abesse non curant) facti alieni: pastoribus, verò, qui vultum pecoris ad minus semel in die respiciunt similes esse cupientes: occasionem absentiæ præscindere, & medicinam præsentiæ exhibere.

Primum ſtatutum de Prælatis.

Aſſiduitas Prælato um in habitu, & actibus regularibus.

IN præſenti ſtatuimus, quod Abbates, cæterique Prelati, habitu regulariter ſe habentes, in Clauſtro, & Capitulo pro fratribus exemplariter inſtruendis, & confeſſionibus audiendis, in Choro etiam pro diuinis officijs, & in refectorio pro fraternis ſolatijs, quoties commodè poterunt, ſtudeant intereſſe, omneſque conſuetudines ita regulæ derogantes, quod cum obedientiâ, continentiâ, aut bonis moribus non poſſunt ſubſiſtere, tanquam corruptelas ſtudeant extirpare.

Statutum ſecundum de Prælatis.

Reſidētia Prælatorū.

STatuimus etiam firmiter, & diffinimus, vt de cætero tam omnes Abbates, qui bona à Conuentu poſſident diſcreta: quam etiam alij ſinguli Prælati, qui bona cum Conuentu participaliter obtinent concreta; non occaſione cuiuſcunque conſuetudinis in contrarium laborantis, à ſuis curis, & officijs vltra trium menſium ſpatium coniunctim, & ſibi continuè ſuccedentium ſe ſubſtrahant, niſi quatenus præpeditionem habeant canonicam, & ſatis excuſabilem de tanto tempore abſentandi.

Tertium ſtatutum de Prælatis.

Lectio regularis in menſâ.

ET quia ſcriptum eſt, non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei: ita prouidemus pro corporis refectione, quod non negligenter omittetur animæ cibus: volumus idcircò, & ſtatuimus, quod omnes, & ſinguli Prælati in tempore refectionis, ſaltem prandrij, ſtudeant lectioni indulgere, & præſertim quando cum alijs publicè in menſâ præſentiam exhibent corporalem.

Quartum ſtatutum de Prelatis.

Veſtimenta ſint ſtatui Religioſo accommodata.

VLterius ſtatuitur, & diſtrictius diffinitur, quod omnes Prelati, & ſubditi, cappas, pluuiales, ornatumque pro equitaturâ ſuo ſtatui habeant conformes, iuxta formam traditam in Clementinis, de ſtatu Monachorum Capitulo *In agro*, & conſtitutionibus venerabilium antiquorum, nec panno nitido vvurceto duplicato, aut dimidiato, phalaraturâ deauratâ aut nimium ſumptuoſâ vtantur, ſub pœnâ quam Præſidentes poſt commonitionem in huiuſmodi abuſu ipſis notam in proximo Capitulo duxerint inffligendam; nec veſtis ipsa habitui proxima largas aut nimium latas manicas habeat: neque quomodolibet botonatas, in almucijs, caputijs, tunicarum collarijs, in facie municarum circa pugnos, non habeant de cetero Prelati aut ſubditi furruras de vario griſeo, aut prætioſis alijs furruris, Religioſis ſcandalum generantibus.

Equitaturæ, & comitiuæ moderatio.

Neque liceat ipſis Prælatis, dum per viam equitant, aut alibi in itinere tranſeunt, vltra numerum (de propriâ ſaltem familiâ) vicenarium (niſi in caſibus per conſtitutiones Papales Benedictinas expreſſatis,) quomodolibet ſecum ducere: aut in forinſeco ſeruitio retinere, ſed ſemper cum ipſo ſtent contenti, attentèque prouideant, ne in commodulis, (penſatis, & moribus, & temporibus, & perſonis) ſit apparatus curioſus nimis, aut nimium exceſſiuus.

Quintum ſtatutum de Prælatis.

De fugitiuis requirendis capiendis, & cuſtodiendis.

Fugitiui perquirendi, & capiendi à quouis Prælato

STatuimus inſuper, quod omnes Prælati ſuos requirant fugitiuos, item vt omnes Monachi, & eorum quilibet noſtri ordinis, in quemcumque locum noſtri ordinis venerint, per Prælatos, ad quorum loca veniunt, capiantur, & firmiter teneantur, quatenus iura permittunt, donec proprius eorum Prælatus miſerit pro eiſdem, aut per aliquem Præſidentium ſeu per Generale Capitulum determinetur, quid de eis fuerit faciendum.

Miſericordia erga fugitiuos contritos.

Diffinimus etiam, quod quilibet Prælatus, ſi contritio id requirat, ſuum Monachum fugitiuum admittat, ſi reuenire ex mero motu proprio voluerit, & ipſum tractet benigno cum fauore, dum tamen ad fugam non aſſueſcat.

Sextum ſtatutum de Prælatis.

De reddendo computo.

Cōputus, ſeu ratiocinia quitannis à

PRæterea, cum ſinguli Prælati uoſtri ordinis prouidè ex hominibus aſſumpti ſint, & pro hominibus conſtituti; tanquam prudentes villici ſuper ſernos Dei, quatenus ſinguli pro ſeipſis, ipſi verò pro omnibus, & de omnibus in villicatione ſibi traditis fidelem pariter, & prudentem Deo, & Collegio faciant rationem: nos eâdem authoritate, quâ prius, firmiter iniungimus, diſtrictiuſque ſingulorum conſcientias oneramus, quatenus iuxta decretum Benedicti,

nedicti, XII. rubricâ *De Capitulis Generalibus*; Ottoboni, rubricâ *De reddendo computo*, vnà cum glossâ Ioannis Aton super eundem; nec non secundum constitutiones Simonis Cantuariensis Archiepiscopi, Capitulo *Etenim vt rectius*, tam ipsi prælati, quam administratores singuli, qui de more solent, aut de iure deberent, singulis annis ad minus, aut in Capitulo, aut in alio loco seorsim ad id negotium deputato, coram senioribus, & discretioribus ad hoc in Capitulo electis, & secundum consuetudinem loci ad tale negotium vsitatis, reddant de statu Monasterij, & administratione plenariè rationem, faciantque, nomina creditorum, cum debitoribus, & causis, si quę fuerint, plenè, & fideliter, absque alicuius fictionis scrupulo, redigant, seu redigi faciant in scripturam, nec dent aut donent Prelatorum aliqui, de bonis sibi in administratione taliter concessis, in curialitate, prodigalitate, seu liberalitate, summam aliquam notabilem, nisi in vrgente necessitate manifestâ, & tunc hoc faciant ad commodum Monasterij, ac profectum, ac sine dilapidationis specie aliquali.

Prælatis, & administratoribus reddendi.

Moderatio donorum seu munerum, & largitionum.

Item statuimus, quod Prælati non fide-iubeant per chartam suam, vel Monasterium suum pro aliquo obligent, & cum contractus fieri debent, prouideatur, quod sigillo communi contractus aliquis non signetur, nisi de Abbatis, & Conuentus communi assensu, vel maioris partis, vel sanioris. Sigillum etiam commune sub tribus vel quatuor ad minus clauibus custodiatur, & penes Abbatem remaneat vna, & penes alios aliæ, quos Abbas de consensu Conuentus ad hoc duxerit assignandos. Si quis autem contra hæc venire præsumpserit, debitâ inquisitione inde factâ à Visitatoribus, ad Generale Capitulum Visitatores denuncient, & Præsidentes de correctione prouideant.

Monasterium, aut Prelatus nō fideiubeant Sigillum Conuētus.

Statutum 7. de Prælatis.

VT autem Prælatis, & Religiosis, à quibus subditi normam viuendi, & conuersandi assumunt, sanctæ & honestæ conuersationis testimonium copiosius suffragetur: decernimus vt Abbates, cæterique Prælati Cappellanos habentes, ipsorum quemlibet singulis annis mutent, quatenus, si de vitâ eorum, quod absit, scandalum oriatur, tantò plures habeant testes innocentiæ suæ, quantò eorum vita pluribus innotescit. Imò quia in Claustro priuatus modus conuersandi, norma extra viuendi, humanitas hospites alloquendi, cæteraque omnia in conspectu aliorum à Prælatis tutius exercentur, huius statuti per Visitatores negligentia corrigatur.

De capellanis Prælatorum quotannis mutandis.

Statutum 8. de Prælatis.

INsuper statuimus, quod nullus Prælatus quocunque nomine censetur, siue Superiorem habens, siue non, de suâ Religione, tradat ad firmam, illa maneria, de quibus proueniunt prouentus administrationum ordinis seu Religionis, nisi cum certâ solemnitate, & deliberatione Conuentus, secundum quod constitutio Benedictina iubet Cap. 15.

Quomodo elocandæ possessiones.

Statutum 9. de Prælatis.

De tertio Priore, & quarto Priore ordinandis, & quod nullus Prior Claustralis, & Supproir Cathedralis teneatur cursoriè ad tabulam altæ missæ.

VT grex Dominicus eo melius præseruetur ne deuiet, hoc obseruandum esse censemus, vt in singulis ecclesijs Cathedralibus, & Prioratibus alijs, in quibus numerus tricenarius Monachorum exceditur deputetur ad custodiam ordinis quartus Prior: in Abbatijs etiam ipsum numerum non habentibus tertius Prior habeatur ad minus: vbi autem fuerit Congregatio excedens vicenarium numerum ...... Prior aut ordinis custos exteriorem habeat administrationem, per quam ab ordinis custodiâ debeat aliqualiter impediri. Priores verò sub Abbatibus constituti in illo latere chori, quo Prælatus non steterit habeant primum stallum in Capitulo, & refectorio, & alibi primam sedem, quod etiam de Supprioribus in Cathedralibus ecclesijs volumus obseruari. Item diffinitum est quod de cætero nullus Prior claustralis in Monasterijs Abbates habentibus nec aliquis Supprior in ecclesijs Cathedralibus teneatur cursoriè ad tabulam altæ missæ, eo quod onera, & absentiam suorum Prelatorum de necessario supplentes, missas, & alia diuina sæpius celebrant pro eisdem.

Statu-

Statutum 9. de Prælatis.

De Vesperis solemnibus, & principalibus, in quibus Priores claustrales, Suppriores Cathedrales, cum cæteris hebdomadarijs habent reuestiri cum Prælatis.

PRæterea statuimus, quod in vesperis solemnibus, & principalibus, quibus Abbas, vel Prælatus insignijs pontificalibus reuestiri more Monasterij consueuit in Dominicis vesperis, Prior claustralis, & Supprior ecclesiæ Cathedralis cum Prælato vestimentis indui ad incensandum deuotius se disponat. Et quia non intendimus cultus Dominici subtractionem, sed potius eiusdem augmentum, volumus vt post dictos Prælatum, & Præpositum, ornamentis sic indutos, hebdomadarij, seu alij more solito cõsequantur. Statuimus etiam, quod omnes nostræ Religionis filij Priores claustrales, & Suppriores cathedrales, quos Præpositos esse declamus, admittent primos in honore post eorum Prælatos, & ipsis tanquam suo superiori, & loco, & tempore non aliter ostendere se frontuosè præsumant. Item præsenti auctoritate sancimus, quod nullus ordinis custos inferior præsumat alicui nostræ Religionis commonacho limites Monasterij exeundi auctoritatem pręstare seu faciliter licentiare, si pręsentia in Monasterio superioris custodis valeat commodè obtineri.

Statutum 10. de Prelatis.

De licentijs exeundi extra Monasterium.

STatuimus etiam, quod singuli Prælati, Præpositi, seu Decani constitutionem Benedictinam de licentijs extra Monasterium exeundi ad alia loca quatenus eos concernit obseruent, & quatenus subditos tangit, eam faciant inuiolabiliter obseruari. Insuper prohibemus ne quis nostræ Religionis Monachus cui ad exeundum ad certum locum, vel certa loca licentia est cõcessa, ad loca alia lateralia vel vlteriora Religiosorum seu sæcularium quorumcumque se transferat seu diuertat, nisi ante suum egressum, quod ad talia loca se diuertere posset à suo superiore, qui eam valeat indulgere, licentiam specialem habuerit, & expressam: Quod si quis nostri ordinis contrauenerit, & super hoc conuictus fuerit seu extiterit, eum fore ab exitu claustri per quindenam statuimus suspendendum, & aliâs, si quoad multa loca execesserit iuxta discretionem sui superioris, & excessus exigentiam puniendum: Saluâ tamen in ipsis in dando talem licentiam potestate cum personis maturis, & approbatis prout duxerint in genere dispensandi vt ad loca quæcumque lateralia & vicina etiam in petendo licentiam non expressè possunt prout voluerunt se diuertere seu transferre propter vtilitatem Monasterij vel cõmodum personarum, seu causas alias honestas in itinere etiam post concessam licentiam forsitan occurrentes: non tamen liceat cum omnibus indifferenter taliter dispensare, ne insolentibus tribuatur per licentiam indiscretam materia euagandi. Statuimus insuper, quod nullus Prælatus, quocunque nomine censetur bona, aurum, seu iocalia in camerâ, seu custodiâ Monachi defuncti reperta ad alios vsus transferat, licet pios, nisi ad vsus, & ad commodum Monasterij siue Conuentus veraciter conuertendum.

Capitulum secundum.

De diuinis officijs, & eorum reuerentia, & psalmodia.

1 AD excitandos affectus laborantium in vineâ Domini vt verum retributionis mereantur denarium, nocturnum pariter, & diurnum post laborem, decernimus vt Dei opus non fiat in aliquo negligenter, præsertim tamen in generali Capitulo sit districtius pręceptum vt ipsum diuinum officium diurnum, & nocturnum, secundum quod Deus dedit studiosè celebretur, & deuotè saltem inter Religiosos, cum ipsorum effectui principaliter inter cæteros ecclesiæ ministros in diuinorum celebratione deuotius excitetur, eorum defectui cupientes occurrere, qui

indebitè

indebitè ab officio diuino se subtrahunt non attendentes, quod nisi qui altari deseruit de altari viuere debeat, præcedentium Patrum decretis statuimus, vt ad diuinum officium nocturnum pariter & diurnum omnes, & singuli mox audito signo concurrant expectaturi matutinarum horarum & missarum principium medium atque finem, ijs duntaxat exceptis, quibus vt abesse valeant à suis superioribus specialiter est indultum. Quod etiam superiores monemus, & exhortamur in Domino ne nimis faciles sint in his licentijs concedendis. Cum autem Abbas aut Prælatus alius superiorem non habens interfuerit matutinis iuxta regulã Euangeliũ legat; eisque absentibus à Præposito legatur vel hebdomadario altæ missæ. Item ne orandi prolixitas pareat aliqualiter fastidium statuimus vt Antiphona super *Benedictus* & *Magnificat*, non nisi bis cantentur quodcumque solemne contigerit, quod in principalibus festis volumus obseruari vt ad vesperas, & laudes post principalem collectam factam si requiratur de die memoria sufficiat postea de Trinitate, de Cruce, de sanctâ Mariâ, & de omnibus sanctis nisi loci consuetudo aliud exigat, & requirat decantari: Alijs verò diebus fiant memoriæ de Trinitate, de Cruce, de sanctâ Mariâ de patronis, de sancto Benedicto, de reliquijs loci, de pace, & de omnibus sanctis, & capiatur iuxta locorum consuetudinem curta venia super formas: Orationes ad sextam, & ad nonam proprias volumus sed ad omnes horas præterquam ad primam, & ad completorium dici volumus orationem principalem: Item cum iuxta canonum sanctiones Monachorum officium sit sua & aliorũ deflere peccata precibus continuis, & deuotis incumbere, Deo displicere nos credimus si preces olim vsitatas dici omittamus. Hincque licet prædecessores nostri ad horas canonicas preces omitti statuerunt, nos eorum in hac parte statutum aliqualiter duximus imitandum præsentisque auctoritate Capituli statuendo decernimus vt saltem ad primam, & ad completorium olim vsitatæ preces dicantur: inter quas dicatur *Confiteor* sub hac formâ, *Confiteor Deo, & Beatæ Mariæ, sancto Benedicto, & patrono loci* (si placeat locorum consuetudini) *quia peccaui cogitatione, locutione, omissione, consensu, & opere, mea culpa. Ideo precor vos orare pro me Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conseruet, & confirmet in omni opere bono, & perducat ad vitam æternam Amen.* Et ad missam addatur, *Indulgentiam absolutionem, & remissionem, omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus.* Ad cæteras horas sufficiat dicere pro precibus, *Domine saluos fac Reges; saluos fac seruos*, &c. *Oremus pro fidelibus defunctis: Dominus vobiscum*; nisi ex deuotione aliæ fuerint vsitatæ.

Decernimus tamen, & strictè præcipimus temporibus futuris perpetuò duraturum; quatenus exceptis aduentu Domini, quadragesimâ, & octauis sanctorum; singulis septimanis, si quâ die vacauerit, beati Benedicti specialis memoria in tribus lectionibus celebretur, dum tamen beatę Mariæ virginis ac patronorum loci commemorationes solitæ præferantur. *(Speciale officiũ de S. Benedicto singulis septimanis.)*

Statuimus insuper ad primam Dominicis diebus tantum, post collectam *In hac hora* &c, Symbolum Athanasij videlicet *Quicunque vult saluus esse* &c, sequatur; deinde oratio de Trinitate; *Ommipotens sempiterne Deus.* diebus autem ferialibus psalmi pœnitentiales cum Litaniâ dicentur in choro post primam; psalmi prostrales in quadragesimâ duntaxat dicantur, cum curtâ veniâ super formas; longam autem veniam in choro de cætero fieri nolumus, nisi in adorando crucem, aut pro transgressionis emendatione; vel cum pœnitentialibus & litaniâ post tumulationem fratris defuncti dicendis, vel pro pace, vbi hæc fuerit consuetudo; & cum quis in choro diebus ferialibus benedictionem fuerit accepturus. Circuitio vel circumuersio etiam, quæ Ante & Retro dicitur, nõ fiet de cætero: sed loco ipsius profundam inclinationem fieri volumus, & deuotam. *(Ante, & retro nõ fiat.)*

Item quam sit graue periculum attendentes, si pro fundatoribus nostris, & ijs, quorum oblationibus viuimus, prout tenemur, minimè celebramus: præsertim, cum nos, idcircò fidelium fundauerit deuotio, variasque nobis possessiones contulerit vt pro eorum animabus altaris sacrificium iugiter offeramus: præsenti constitutione, præcipimus, vt illud, quod de missarum celebrationibus, & Monachorum confessionibus in constitutionibus Benedictinis statutum existit, inuiolabiliter obseruetur. Et ne in hoc transgredietium culpa pertranseat aliqualiter impunita, statuimus, vt si quis nostri ordinis Sacerdos harum constitutionum in eâ parte trangressor extiterit, aut vltra quatuor dies continuos, sine licentiâ & rationabili causâ suo manifestatâ prælato, a celebratione cessauerit diuinorum, publicè in Capitulo proclametur; & quousque illud, quod negligenter amisit seu omiserit, correxerit, extra Refectorium non manducet, nec claustrum permittatur exire. Si autem talis in Cellâ extiterit, ei vsque ad sufficientem emendationem, carnes præcipimus subtrahi: ipsique de vno genere piscium tantummodo ministrari. Quibus etiam pœnis volumus hos percelli, qui citra sacerdotium in *(Missæ per defunctis benefactoribus diligenter fiãt.)*

alijs ordinibus constituti, confessi aut communicati non fuerint, prout diuersis constitutionibus est statutum.

Ministri Altarium. Sed ne Ministrorum inhonestas, ministrantium missas suas, aut eas audientium deuotionem diminuant: statuimus, vt nostri ordinis Sacerdotes sine Monacho, aut saltem honesto clerico non celebrent missas suas; & vt parati sint Clerici celebrare volentibus, statuimus, vt in singulis monasterijs, Altaribus singulis, per Prælatos honesti deputentur Ministri, quibus exhibeantur victualia de communi eleemosinâ, vel aliunde, prout Prelati duxerint ordinandum.

Vniformitas ceremoniarũ in missis obseruanda. Item ad diuini honoris incrementum, feruoremque deuotionis attendentes, Diffinimus, & obseruari demandamus, quod omnes & singuli nostræ Religionis Sacerdotes Missas celebraturi, præmittentes voce expressâ missæ principio *Confitemini Domino*, &c. subiungendo *Confiteor*, facies ad altare, & non ad populum conuertant: præsentiâ Episcopi, vel Prælati duntaxat exceptâ; ac etiam quod in eleuatione Calicis, fractione Eucharistiæ, & cæteris missæ obseruantijs, ad vnum modum & vsum, cum sint vnius moris, Prelati, & Subditi eiusdem ordinis, tanquam in vnâ domo se debeant commodè conformare.

Confessarij. Et quia insidiatur antiquus hostis iugiter viris sanctis, eaque est naturæ corruptæ conditio, vt diu non possit a vitijs penitus abstinere; sed, iuxta Scripturæ testimonium, in die septies cadit iustus: hinc est quod vt per confessionem debitam quotidiè resurgamus, qui quotidiè per peccata decidimus, statuerunt Prædecessores nostri, quod & nos præcipimus futuris temporibus firmiter obseruari: vt in omni Monasterio iuxta numerum fratrum ordinetur numerus confessorum, Prior videlicet claustralis, & alij, de quorum discretione, & conscientijs eorum Prælati confidant, quibus vices suas committant in fratrum confessionibus audiendis; in criminibus proprietarij, inobedientiæ, conspirationis, & incontinentiæ, maioribus excommunicationibus authoritate absoluendi Prælato speciali reseruatâ.

Confessio quitamus Prælato faciēda. Non cõfiteãtur sæcularibus: Præmissis etiam adijciendum, decernimus, vt quicunque Monachus, præter priuatas confessiones de quotidianis delictis regulariter faciendas, bis vel saltem semel in anno, suo confiteatur Prælato: nisi illud alteri duxerit assignandum, & illud quidem pertinaciter renuentes, aut post quadragesimam differentes, quadragesimalibus cibis duntaxat volumus esse contentos, donec eorum Prælati eos iudicauerint emendatos. Præsentis insuper authoritate Capituli prohibemus, vt nullus Monachus, Prælatus vel subditus, confiteatur alicui sæculari, aut virò alterius Religionis, nisi fortè, qui in itinere constitutus Monachum non possit adire.

Cuilibet decadi vnus detur confessarius. Præterea statuimus, quod in omni Monasterio, vbi extat numerus vicenarius, ad minus sint duo confessores; si triginta tres, & quod ad minus cuilibet fratrum decenario, correspondeat confessor deputatus, sufficienti scientiâ, & discretione instructus ad tale officium requisitis, quod etiam de Decanis, quod sint sapientes, instructi, & discreti, volumus obseruari.

Preces ad Cõpletorium. Ad Completorium verò post, *Kyrie eleison, Pater noster, & Credo*, dicendas fore decernimus preces antiquitus vsitatas. Et ne serpens versutus, quos vigilantes nequit subuertere, dormientes noctanter illudat, opus esse censemus ante somnum, eius implorare suffragium, per quam extitit caput ipsius serpentis contritum: hinc est quod statuimus, vt singulis diebus statim post completorium, in honore Beatæ Virginis vna in choro cantetur Antiphona, tractim pariter, & deuotè: post quam sequatur oratio de eâdem. Inordinatas autem potationes post dictum Completorium interdicimus quibuscunque.

Omnes simul compleant. Ceterum cum expresse in nostrâ regulâ sit contentum, vt in omni tempore in vnum positi compleant: tam obedientiarij, quam alij, à primâ Dominicâ quadragesimæ, vsque ad Pascha, & à primâ Dominicâ Aduentus, vsque ad natale Domini, & ferijs sextis per totum annum, collationi, & completorio intersint, nisi ex speciali licentiâ, cuipiam indulgeatur. A Completorio verò omnes, tam obedientiarij, quam alij, cum Conuentu ad Dormitorium se transferant ad pausandum, nec aliundè se diuertere valeant, nisi licentiam habuerint specialem, quam quidem à Præposito concedi firmiter inhibemus, nisi subsit causa rationabilis atque iusta, vel nisi maior in Monasterio, cum aliquo ex causâ iustâ vel meriti exigentiâ, voluerit dispensare.

Silentiũ post cõpletoriũ Exeuntibus à Completorio nulla sit licentia denuò cuiquam loqui tribuenda, nisi propter hospites, si qui tunc fortè fuerint: vel nisi Prælatus, aliquid iusserit alicui, quos etiam sic absentes seu morantes, potationibus serotinis, fabulis otiosis, imò detractionibus venenosis vacare, vnde à Matutinis se subtrahunt, vel sine deuotione intersunt, ac ad celebrandum in crastino efficiuntur indispositi, & inepti, authoritate præsentis Capituli inhibemus, quam corruptelam cupientes corripere, ac in posterum omninò restringere, mandamus, quod singuli ad ordinis custodiam deputati, seu deputandi de talibus diligenter inquirant, & si correcti se citius

citius non emendent per amotionem ab eorum officijs; si quę habeant, aut per subtractionem cuiuscunque solatij, puniantur. Si Prælati hoc neglexerint per Visitatores eorum negligentiam duximus reprobandam.

Item diffinitum est, quod nullus tempore persolutionis diuini seruitij per ecclesiam deambulare, vel spaciari cum fratre, vel seculari colloquendo vagari præsumat. Nullus deambulet in ecclesia tẽpore officij.

Insuper Diffinitum est sub pœnâ recreationis per tempus notabile ad arbitrium superioris subtrahendæ quoties festa solemnia vel duplicia occurrerint missis matutinis, & vesperis intersint obedientiarij quâcunque consuetudine scriptâ, aut non scriptâ in contrarium non obstante.

Item in obsequijs mortuorum obseruandis decernimus, quod à nostris prædecessoribus est statutum videlicet vt in priuatis diebus sufficiant ante lectiones iij. psalmi, & post iij. lectiones cum totidem Responsorijs versus eorundem tantummodò decantandi; principalibus exequijs, & vbi corpus fuerit præsens, exceptis: in quibus vltimum Responsorium in froccis cum tribus versibus secundum morem loci decantentur, sequaturque versiculus, *Audiui vocem. Pater noster. Et ne nos, A porta inferi Dominus vobiscum,* Et tres orationes duntaxat, quas etiam preces, & orationes in laudibus post, *Benedictus*, & in *Placebo*, post *Magnificat*, dici volumus (precibus, Antiphonis, siue psalmis, qui loco precum valebant antiquitus, prætermissis) *Verba mea* post matutinas non dicatur nisi infra tricenale Monachi mortui in Conuentu, vel pro fratre alterius Conuentus, vbi Conuentio hoc requirit, tuncque sufficiant hi psalmi, *Verba mea, De profundis: Voce mea*: nec alia submissa psalmodia dicatur in Conuentu de cętero, exceptis quindecim psalmis matutinis, & horis Beatę Mariæ, vbi est consuetudo eas dicere in choro, psalmis etiam pœnitentialibus dicendis in ferijs, & psalmis prosternalibus in quadragesimâ, & *Miserere* tunc ad horas, ac commendatione animarum, & psalmis pro rege, & serenitate aeris: quę omnia suis temporibus voce mediocri, & pausatione factâ, prout decet, tractim, & deuotè dicantur: hoc adhibito moderamine, vt in Prælatis, qui in suis Monasterijs iuxta constitutiones Papales actualiter habeant scholas, liceat cum studentibus super horum aliquibus subtrahendis ea; ad quæ ex regulâ non arctantur, secundum horum discretionem dispensare. Abscinduntur multa adiecta psalmodiæ maiori.

Illorum autem consuetudinem, qui tribus noctibus ante Pascha, & tres lectiones cum totidem responsorijs tantum habent præsenti auctoritate decernimus immutandam; statuimusque quod de cætero in singulis Monasterijs quâlibet ipsarum noctium nouem lectiones cum totidem Responsorijs habeantur. Officiũ hebdomadæ pœnosæ plenum sit.

Et vt ipsum nocturnum officium plenius, atque melius cantetur, statuimus vt Sacristę Monasteriorum ad matutinas, & maximè cum propria fuerit historia candelam distribuant indigentibus iuxta hoc quod Prælati viderint expedire. Cadelæ distribuendæ.

Et quia norma psallendi à Beato Bernardo Monachis tradita, Deo & Angelis placere per ipsum est affirmata: nos vbilibet nostræ Religionis locorum eam decernimus obseruari, videlicet, quod in psalmodiâ non nimis protrahatur sed rotundè, & voce viuâ cantetur, metrum, finis versus, simul intonetur, & simul dimittatur, punctum verò nullus nimis teneat, sed cito dimittat, post metrum bonam pausam faciamus, nullus ante alios incipere, vel nimis currere præsumat, aut post alios multum trahere, seu punctum multum tenere, simul pausemus, semper inuicem auscultando. Quicunque incœperit Antiphonã, psalmum, aut hymnum siue Alleluya, vnam partem solus tractatim dicat, alijs tacentibus, & ab eo loco, quo ille dimittit, alij incipiant, non repetẽtes quod ille iam dixit, similiter hoc teneatur, & obseruetur dum cantor reincipit, Alleluya, ante Responsorium, in clausulis aliquantulum expectemus. Norma psallẽdi B. Bernardi.

CAPITVLVM III.

De dormitorio, & qualiter Monachi dormiant, & eiusdem scrucinio.

PRæterea Monachi, cum in dispositione corporali proprietatis vitio, aut fraude diabolicâ, segnitie quâdam lasciuię torpescant: pro vniuscuiusque ardore spirituali de nocte surgentes feruescant, cellas in dormitorio fœlicis recordationis Papa Benedictus Papa duodecimus esse prohibuit, nosque hoc adijciendum decernimus, quod vt tollatur omnis mali suspicio lecti Monachorum velaminibus, si quæ fuerint, amotis, & partitis ita sint ordinati, vt in ipsis lectis existentes vel iuxta sine obstaculo quocunque, die noctuque continue valeant à custodibus ordinis, & alijs transeuntibus contueri. Cellarũ forma.

Scrutiniũ dormitorij. Proprietatis quoque vitium volentes à nostris penitus amputari, præcipimus, vt Visitatores inquirant diligenter, & obseruari faciant id, quod continetur in regulâ, & in constitutionibus Ottoboni, de scrutinijs in dormitorijs faciendis.

Et cum inficiari nequeat quin è pecuniarum receptione oritur aliqualis dispositio ad peculium, & fit in parte concessio præter iura; inde verò præter occulta commercia, clandestina negotia, aliaque, & varia illicita multa, maximè ministratur materia murmuris, quod super omnia pensat, & prohibet nostra norma: Idcircò (primò quia melius, seu magis expediens fore supponimus in manus obijcientium incidere, quam leges, & prohibitiones relinquere nostræ normæ: Secundò quia satis sufficiens esse confidimus si per viam imitationis sit quisque discipulus quemadmodum ille Magister optimus cuius omnis actio nostra est instructio,) & qui iuxta Augustinum de operibus Monachorum, iunctâ sententiâ Ioannis Chrisostomi quâdam cum glossâ communi super Euangelium Ioannis 12. loculos habuit, & pecunias, vt omnem abscinderet malefaciendi materiam, & moribus condescenderet infirmorum. Tertioque quia istud iuris consilium esse perlegimus, vt vbi maius imminet periculum, ibi consultius est agendum: propterque vitandum malum grauius, illud, quod minus est, iuxta regulam iuris, *quotiens cum silentio* toleramus:) hos ipsos singulos subiectos nostros, dum tamen non sint sine discretione iuuenes, aut in expensis prodigi, seu minus in regimine sapientes, permittimus pariter, & toleramus, iuxta antiquam consuetudinem atque vsum, partim pro necessarijs, partim pro recreationibus pecunias recipere, & expendere: non quidem ad libitum, sed in his duntaxat, quæ supra diximus, & cum discretione: & ne hæc permissionis, aut tolerationis libertas in materiam euadat scrupuli, seu ad peculij opus sine freno disponat per regulam penitus interdicti: nos vlterius vsum, formam, & modum de receptâ, seu recipiendâ per confratres pecuniâ taliter cupientes pro viribus moderari vt nec occasio mali sit in facto, nec error ordinis remaneat quomodolibet in concesso: altiori, imò & strictiori modo, quo poterimus iniungimus, firmissimèque mandamus, quatenus ipsorum singuli subiecti, qui huiusmodi pecunias taliter recipiunt, in suos vsus, de talibus receptis totiens quotiens superiori visum fuerit expediens, ad minus semel in anno aut scripto aut verbo, iuxta ipsius superioris arbitrium, fidelem rationem pariter, & relationem faciant: nihilque omninò propter vitandum proprietatis vitium quomodocumque, aut qualitercumque sibi concessum penes se retineant, quod iuxta traditionem Regulæ nec Abbas dederit, nec permiserit possidere; seu in quo ipsi non se semper promptos exhibuerint ad ponendum plenariè in superioris arbitrio, & dispositione: per hanc tamen positionem seu relationem nolumus aliquem strictiorem in aliquo proniorem aut pronitiorem esse ipsum residuum si quod fuerit à fratre auferre aut penes se retinere nisi in pios vsus illud idem applicet, & tunc hoc fiat cum saniori consensu, & absque rancoris vitio seu iniuriandi libidine aliquali.

De licẽtiâ pecunias retinendi.

Ratio reddẽda fidelissima.

Cellæ dentur sine munere aut pretio. Statuimus igitur nè quis Præpositus cellas in dormitorio munere, pretijue exactione vendat, seu inhabitare permittat: neque aliqua exactio pro cameris superioribus deliberandis fiat pecuniaria ab his, quibus incumbit disponere; sed pro modo honesto, & discretiori regulariter disponat sub pœnâ secundum sui superioris arbitrium infligendâ.

Omnes in dormitorio eodem: singuli in singulis lectis. Statuimus etiam quod omnes tam officiarij, quam claustrales, secundum dispositionem dicti sui Præpositi singuli singula lectisternia seu cellas pro modo conuersationis accipiant, ita quod omnes, & singuli in vno loco, & sub vno tecto, tam obedientiarij, quam alij, si commodè fieri poterit, dormiant; lumen verò in dormitorio de nocte iugiter ardeat: Monachi verò in suis cellis, vbi solent dormire, lectisternia desuper aut per lecti circuitum non habeant nisi de albo, vel de nigro panno, vel de bruno cum pellibus agninis albis, vel nigris, vel pellibus mureliginis, aut vulpinis. Tunicas verò superiores non habeant scissas, aut botonatas, curtas, seu minus strictas; sed sint tunicæ colore, & panno moderato, & sicut Monachi Nigri vulgariter vtuntur, sed exterius vestibus Nigris conformiter induantur, cum cucullis, & froccis aliter coloratis, quam Nigro colore non vtantur, vestis ipsa habitui proxima largas habeat manicas, vsque ad pugnum protensas, nec consutitias aut quomodolibet botonatas Cocullis verò Taberdatis Prælati, & subditi non vtantur. Cucullæ verò sic formentur, vt nihil panni abscisso, super brachium ante, & retro saltim ad cubitum descendant, vel cubitum cooperiant, si ad hoc panni sufficeret latitudo.

Tunicæ interiores. Exteriores.

Equitãtiũ habitus. Botas verò Rostratas, aut minus strictas, simul & zonas sericas, siue etiam de aliâ materiâ qualicunque dum tamen cũ argenteo apparatu, ac etiam Capello ornato cum serico vel sendato vel viridi vel blueto aliquo colore, alio quam nigro mero, pœnitus interdicimis, tã Monachis, quã Prælatis, nec Monachum aliquem subditum vel Prælatum cũ cloca vel rotundellâ

aut huiusmodi inhonesto vel solâ cucullâ, sine veste aliquâ superiori permittimus deforis equitare: sed mandamus, quod quotiescunque, & quandocunque ad ciuitates, burgos, seu maneria Dominorum, aut alicubi vbi cum viris honestis versari debeant, iuxta antiquam consuetudinem sui claustri superius induantur, equitaturi verò in medio itinere inter ciuitates, burgos, &c. vel ad propria maneria, tempore æstatis vel cum senibus sine cappis tantummodo dispensamus, dum tamen per illum vel illos qui dederint se in obuiam, scandalum non oriatur. In omnibus istis iam recitatis oneramus tam prælatos, quam subditos. Prælatis insuper strictius mandamus vt ipsi omnes habitus, & eorum abusum his statutis contrauenientes sine morâ in proprijs personis deponant similiter, & subditis illis abutentibus vel aliquo eorundem auferant indilatè.

CAPITVLVM IIII.

De grauioribus culpis, & earum correctionibus, & quotidiano Capitulo.

VT quotidiè corrigantur excessus, quotidiana Capitula fieri decreuerunt antiqui: quod nos obseruari volentes, statuimus, vt omnes infra fores Monasterij existentes, tam forinseci, quam claustrales, intersint Capitulo, nisi ex certis causis necessarijs, & rationabiliter fuerint impediti: in quo quidem casu qui interesse non poterunt, se absentent de Prælati, vel Decani licentiâ, seu præcepto. Statuimus insuper vt tempore ipsius Capituli in locis vbi ostium claustri obseruari non poterit, vt sæcularium arceatur accessus ad claustri custodiam. Capitulo omnes intersint.

Cæterum cum eorum ignorantia, quæ quis scire tenetur, in interitum ducat, neminem excuset, cupientes, vt nostri nullatenus sic ignorent, quoniam sic ignorans ignorabitur: præsenti constitutione statuimus, patrum imitantes decreta, vt in singulis Monasterijs post Martyrologium, & regulam conscribantur sanctiones summorum Pontificum nostrum ordinem concernentes, statuta ista aliaque, si qua sint nostrum ordinem concernentia, de quibus in Conuentu ab aliquo Monachorum singulis diebus post lectionem de regulâ legatur vna particula, quæ ad minus ter in anno per particulas sic legantur, & si aliqui indiguerint, huiusmodi lectione, à Præsidente Capituli, vel ab aliquo alio, cui Præsidens hoc iniunxerit, & præcipuè de regulâ, secundum constitutiones nunc inde editas, exponatur prout Præsidenti visum fuerit expedire. Statuta in Martyrologio scribantur: & quotidiè post regulâ in Capitulo legâtur.

Si verò Præsidens dictum articulum quempiam aduerterit debitè non seruari, moneat comminando vt de cætero obseruetur, rebelles verò regulater puniendo. Si quis verò, quod absit proclamationem vel correptionem indignanter, vel cum euidenti murmure tulerit, aut iudicium Præsidentis in Capitulo vel extra exprobrauerit, & super hoc conuictus extiterit, eodem die, vel sequenti in pane, & aquâ ieiunet. Pœna ob murmurantiû Monachorum.

Appellationibus friuolis viam volentes præcludere, statuimus, vt si quis nostri ordinis absque causâ rationabili ab actis ibidem appellare præsumpserit, cum per eum, ad quem pertinet, fuerit decretum appellationem ipsam friuolam esse, siue nullam; per annum in Capitulo vocem perdat, & per mensem vltimus fratrum existat. Pœna friuolè appellâtium.

Item, cum sit species proditionis, illud, quod est secretum malitiosè detegere: tantum crimen à nostris volentes abesse, sub pœnâ excommunicationis districtius inhibemus, ne quis secreta Generalis, seu Conuentualis Capituli alicui, qui nostri ordinis non fuerit, malitiosè, aut in odium alicuius personæ, siuè in subuersionem alicuius statuti, reuelare præsumat. Pœna reuelâtium ordinis secreta.

Ad hoc etiam decernimus adijcientes vt si quis fratri suo extra Capitulum super emendato excessu iam, vel emendando, exprobrauerit impudenter, cum super hoc conuictus fuerit, tribus diebus in Capitulo disciplinetur, ac per mensem in choro, & alibi vltimus habeatur. Si verò conuersus sic deliquerit, sex diebus continuis ad terram panem commedat, & aquam bibat vno tantum pulmento contentus; tribusque diebus continuis in Capitulo coram omnibus disciplinetur. Qui verò sic exprobrauerit suo Prælato, grauius puniatur, secundum quod in gradum peccauerit altiorem. Pœna impudenter exprobrantiû.

Item cum humana fragilitas frequenter ardentius appetat, quod est prohibitum, quam quod licet, statuimus, quod Prælati ac alij ordinis custodes non præcipitanter, aut leuiter, & sine causâ magnâ, in Capitulo vel extra, in virtute obedientiæ, aut sub pœnâ excommunicationis facienda præcipiat aut cauenda. Non facilè imponâtur præcepta obedientiæ

Et ne istud statutum facilitatem præbeat delinquendi, tum etiam ne impunita licentia scelerum in perniciem transeat animarum, aut ex facilitate veniæ augeatur malitia delinquendi, sic delinquentium puniri desideramus excessus, vt vnius pœna multorum sit metus, & enormitas culpæ nota sit ex magnitudine suæ pœnæ: huius igitur rei gratia statuimus, vt in omni Monasterio sit carcer, in quo puniri possint enormiter delinquentes. Omnes autem proprietarij, & incontinentes, inobedientes, conspiratores, falsè & malitiosè contra quoscunque Prælatos vel fratres ex malitià componentes, & consentientes eisdem, primo die lunæ quadragesimæ legitimâ monitione præmissâ, per locorum Prælatos excommunicentur in scriptis, si hoc Prælati iudicauerint expedire, & idem etiam fieri volumus per Visitatores, si opus fuerit, cum ad Monasteria venerint visitanda. Si quis verò frater etiam contumax, aut superbus, murmurans, aut contrarius existens regulæ,& præceptorum Prælatorum contemptor extiterit, secundum normam regulæ monitus, postea publicè obiurgatus, non emendauerit, si intelligat, qualis sit pœna excommunicationis, huic subiaceat, si verò improbus est, vindictæ corporali subdetur, si quis, verò de aliquo prædictorum criminum legitimè conuincatur, stallum perdat in choro, à celebratione missæ suspendatur maioris, nec tamen administrationem aliquam ex tunc aliquatenus habeat: obseruatâ nihilominus circa tales regulari disciplinâ, quam circa sic peccantes conuenit obseruari. Ne tamen in tyrannidem rigor excrescat, volumus, vt si cordis contritio, & operis humilitas hoc euidenter meruerint, Prælatis liceat cum sic delinquentibus dispensare: dum tamen ad sic peccandum non fuerint assueti. His etiam adijciendum decernimus, quod qui à celebratione missæ maioris pro culpâ suâ vltra vnius mensis spatium sunt suspensi, ad legendum Euangelium compellantur, donec ad gradum pristinum fuerint restituti. Item decernimus, quod pro quâcunque culpâ suspensio à celebratione diuinorum reis infligitur pro eâdem etiam, quoad eosdem, & quoad alios etiam inferiorum ordinum culpabiles diuini prohibeatur perceptio sacramenti.

Sit in omni Monasterio carcer.

Excommunicatio in scriptis ferenda contra proprietarios, &c.

Nota quis dicitur proprietarius.

VT autem liqueat, qui sunt censendi dictis criminibus irretiti; proprietarium dicimus illum, qui de bonis Monasterij sui, præter conscientiam Prælati sui, aliquid possidet, quod suus Prælatus non dederit, aut permiserit possidere, seu in quo Monachus promptum se non exhibuerit ad ponendum plenariè in superiorum arbitrio, & dispositione: Item omne illud dicatur proprium, quod subditus ex proposito vult celari à Prælato suo, nec id secundum Prelati dispositionem in vsus communes vult conuertere.

Nota qui dicuntur inobedientes.

INobedientes autem censemus, qui post factam professionem, temerè & in contemptum Religionis habitum abijcit, vel mandatis regularibus pertinaciter resistendo Prælato suo contumaciter obuiando, obedire contemnit.

Nota qui dicuntur incontinentes.

INcontinentes verò dicimus quoscunque, qui lapsum carnis voluntariè, & ex deliberatione procurant, quocumque modo hoc fiat, si in plenâ vigiliâ se maculant impudicè.

Nota qui dicuntur conspiratores.

COnspiratores verò dicuntur, qui inter se confœderantur ad subuersionem ordinis, vel statutorum à maioribus salubriter prouisorum, vel ad persecutionem alicuius Prælati, vel fratris, ex ambitione, aut odio, vel rancore, & qui alios malitiosè defraudant, de quibus, & de dilatoribus in constitutionibus Benedictinis, quasi in fine tractatur.

Nota quod melius est vt periat vnus, quam vnitas.

ITem cum, teste Bernardo, non sit timendum vnius scandalum pace recompensare multorum, cum melius sit, quod pereat vnus, quam vnitas, statuimus, vt si quis perturbator communis quietis fratrum, seu contentiosus extiterit, tertiòque monitus per suum superiorem à suâ

Perturbator pacis poterit

à suâ culpâ nequaquam destiterit, Prælatus eum de Monasterio possit emittere ad locum alium sibi subiectum, si quem habuerit, vel aliâs ad Monasterium aliud quodcumque infra prouinciam Anglicanam, ad explendam pœnitentiam, quam in litteris communi sigillo signatis ibi taxauerit peragendam. Cum Prælatis autem proteruè contendere præsumentes, acriter verbis corripiantur, aut verberibus, & ieiunijs puniantur. Si autem sic correpti se nequaquam correxerint, excommunicationi subiaceant: ac si ex tunc incorrigibiles sunt reperti, ad locum alium ordinis nostri de fratrum consensu vt supra exprimitur, emittantur, aut penitus expellantur, hoc autem firmiter esse obseruandum præcipimus, vt qui ad aliud quodcumque Monasterium pro suo delicto emittitur puniendus, non remissius, nec aliquo modo alio tractetur, quam in Prælati sui mittentis literis communi sigillo signatis continetur expresè, & Monasterium ipsum, ad quod mittitur, teneatur eum admittere, & ei omnia necessaria ministrare, ad sumptus duorum denariorum in die, nisi ex fœdere aliquo, seu consuetudine inter huiusmodi Monasteria aliud habeatur. Si quis tamen in leuioribus negligens vel defectiuus inuentus fuerit, & post trinam monitionem se non correxerit, solo pane, & simplici potagio die sequenti reficiatur — *ad aliud Monasterium pænitẽtiæ causâ mitti.*

CAPITVLVM V.

De officiarijs, siue obedientiarijs, & de coquinario.

REuerentiæ diuinæ nimis videtur esse contrarium, vt qui sæculo renuntiantes, Christi seruitio se perpetuò dedicarunt, & relictis, quæ Marthæ erant, cum Mariâ solâ decreuerunt cœlestia contemplari, sæcularibus se postea curis nimis immisceant, & delectatione temporalium, à contemplatione torpescant, quod quidem nonnulli, ordinis nostri solam habentes effigiem, minimè prout decet pensantes, in solis se forinsecis negotijs occupare desiderant, & vt liberius per preces, & terrores magnatum, & aliarum personarum sæcularium interuentum, officia, seu administrationes sibi procurant conferri, & se in eisdem contra voluntatem superiorum suorum nefariè detineri, quorum temeritatem reprimere cupientes, procurationes huiusmodi de cætero fieri districtius prohibemus, & vt sic delinquentium culpa nequaquam transeat sine pœnâ, decernimus, taliter procurantes, sicque officiatos seu verius officiorum inuasores, præter inhabilitatem, quam eos per triennium incurrere volumus ad quæuis officia vel beneficia in suis Monasterijs obtinenda, à * curialitatibus quibuscumque fratribus alijs fieri consuetis, per vnum annum huius auctoritate statuti priuatos. — *Contra procurantes indebitè administrationum officia.* — ** Solatijs, courtoysies.*

Item vt singula debitè committantur officia, Prælatorum conscientias oneramus, vt habito respectu ad Deum, & vtilitatem Monasteriorum, non nisi idoneos in officijs ipsis imponant, quorum & fidelitas sit meritò commendanda, si quis autem Abbas vel alius nostri ordinis Prælatus, pensatâ vtilitate sui Monasterij, Monacho alicui quamquam obedientiam interiorem vel exteriorem decreuerit iniungendam ei in hoc pertinaciter resistentem, ac defensores eius quoslibet, & fautores, à suâ pertinaciâ, & defensione huiusmodi seu fauore acriter increpati, & correpti legitimèque moniti, nequaquam destiterint, in scriptis excommunicet, & custodiæ mancipet carcerali, quos etiam, si obstinatos, & incorrigibiles inuenerit, de consensu seniorum, & saniorum sui Capituli vel Conuentus, ad aliud mittat Monasterium corrigendos, vel eos penitus à Monasterio, sicut regula iubet, expellat. — *Vt officia benè idoneis committantur.*

Authoritate verò præsentis Capituli diffinimus, vt non liceat de cætero Abbatibus, aut ordinis nostri Prælatis, in camerâ suâ, vel alibi extra Capitulum obedientiarios sibi creare, saluâ consuetudine Monasteriorum, vbi Prælati bona obtinent separata. — *Obedientiarij non creentur extra Capitulum.*

Item cum mortis incerta præoccupatio nonnunquam tempus anticipet inopinatum infidelium Ministrorum, & aliorum cæca cupiditas ad sacrilegium nimis præceps, obedientiarijs mortuis, bona Ecclesiastica, quæ ad eorum spectabant officia, furtim detrahere non veretur, hincque aduersus huiusmodi dispendium de congruo remedio prouidere cupientes, hoc inuiolabiliter obseruandum decernimus, quod à prædecessoribus nostris olim extitit ordinatum: vt videlicet obedientiarij quicumque graui infirmitate detenti, priusquam ipsa infirmitas nimium inualescat, administrationes suas, & omnia, quæ habent de ipsis Prælatis suis, sine morâ resignent, nec ipsi, sicut nec claustrales, cuiquam alij, sine Prælatorum suorum licentiâ, aliquid dare, seu assignare præsumant: secus agentes, vt proprietarij puniantur. Verum licet — *Obedientiarij ægroti resignẽt statim Prælato.*

superius sit statutum, vt obedientiarij, nisi in certis casibus, extra Capitulum non creentur, sitque in locis nonnullis consuetudo, vt certi obedientiarij per electionem, & non aliter ordinentur: statuimus, vt non obstantibus his consuetudinibus, aut alijs quibuscumque, libere liceat Prælatis, his qui ex causis infirmitatum administrationes resignant, suas extra Capitulum administrationes retradere, cum incolumitati plenè fuerint restituti.

Obedientia tenuior per abūdantiorem releuetur.

Item ne cuiquam tribuatur facultas, id quod commune est, in proprium conuertendi, statuimus, quod si in Monasterio quocumque aliquod officium in temporalibus sit abundans, & sit aliud in eodem, quod sibi sufficere non valeat, insufficientia vnius, per alterius abundantiam releuetur, vel secundum discretam Prælati prouidentiam, ipsa abundantia in alios vsus communes, & necessarios conuertatur, constitutione quâuis contrariâ non obstante, saluis consuetudinibus, & iuribus, Episcoporum, Archiepiscoporum, & Monasteriorum quibuscumque.

Nō habeant arcus cum clauibus.

Statuimus insuper, vt nullus professus, nisi pro officio sibi commisso, arcam habeat, siue cistam cum claue, absque sui superioris licentiâ speciali: quodque cum Prælatus clauem petijerit ei sine difficultate tradatur: alioquin detinentem proprietarium eo ipso decernimus reputandum.

Depositum alienum.

Præcipimus etiam, ne quis obedientiarius, aut alius, depositum alicuius seruandum recipiat, nisi de conscientiâ sui Prælati, & sub laudabili testimonio trium fratrum: quod etiam de Prælatis intelligi volumus.

Itinera scholarium.

Volumus etiam, & declarantes decernimus, quod omnes obedientiarij seu administratores quicumque, sicut supra dicitur de Prælatis, à suo superiore legitimè, & secundum Monasterij consuetudinem de suis officijs plenam, & fidelem rationem reddere saltem semel ad minus in anno teneantur: & taliter reddere recusantes ab omnibus vt proprietarij censeantur.

Rationes obedientiariorum.

Cui etiam addimus statuentes, quod cum Prælati suos scholares vel scholarem ad studium transmiserint, vel pro eis vel pro aliquo eorum miserint, vt veniant, vel veniat domum: quod teneantur ipsi Prælati vltra pensionem ipsorum studentium debitam expensas competentes pro itinere tam eundo ad scholas, quam redeundo ipsis scholaribus ministrare.

De æquis itinerantibus prouidētis.

Item statuimus, quod officiarij, qui equos habent, seu habere tenentur iuxta administrationis exigentiam, non solum scholaribus mittendis, vel à studio reuertentibus, verum etiam fratribus ad visitandos suos parentes, seu amicos, vel ex iustâ causâ licentiatis, equos suos accommodandos non postponant, dum tamen id sepius non frequentant. Scholaris verò à studio abcedens sine mandato sui Prælati, sibi ipsi prouideat de equis simul, & expensis.

De coquinario.

Distristissimè insuper communi deliberatione sancimus, quod ad coquinam talis sit deputatus, qui sit modestus, discretus, patiens, & benignus, qui cibaria fratrum honestè disponat, & vbique fratribus ad minus duo pulmenta ministret, ita quod omninò, qui non potest de vno, habeat vt reficeatur de reliquo: non semper fratribus eadem pulmenta, quia identitas parit fastidium, sed nunc vnum nunc aliud: caueat ergò coquinarius, quod fratribus sic ministret, vnde murmur non causetur, ad quod vitandum Sanctus Pater noster Benedictus Abbatem maximè onerauit: sed secundum facultates Monasteriorum fideliter dispenset, benignus, & mansuetè.

Et vt inuiolabilius istud statutum obseruetur: statuimus, quod nullus coquinarius, de cætero oneretur ad aliquam aliam administrationem, per quam ad officium coquinæ minus reddatur attentus, vel per quam coquinarij diligentia, seu in Conuentu præsentia minimè poterit reperiri.

Et quia secundum regulam vt supra, materia murmuris ab omnibus est semper penitus euitanda, per quam non solum cultus diuinus imminuitur, sed & quies, & fraternalis concordia sepissimè perturbatur: diffinimus igitur, quod omnes officiarij forinsici, & intrinsici, qui de iure, & consuetudine, administrationis solutiones quascumque seu qualescumque habent fratribus certis siue limitatis terminis ab antiquo Monasterij vsu solitis ministrare, terminis eisdem, ad quos terminos ex more tenentur, solutiones huiusmodi fratribus impendant, & omninò persoluant, dum tamen non fuerint legitimè præpediti, quod quidem impedimentum à Capitulo approbandum ante terminum prælibatum fratribus fideliter denuncient, secus agentes limites claustri custodiant, ne crescente negligentiâ seu malitiâ, crescat, & eorum

eorum pœna, & districtè precipimus, quod superior non sit in hac parte nimis remissus, quousque huiusmodi condignè fecerint emendatum.

CAPITVLVM VI.

De infirmitorio, de infirmis fratribus, & Solatio indigentibus.

HVmanè tractandi sunt, qui corporis infirmitate laborant: quia non solum his, sed Christo seruitur in illis, ipsomet dicente, *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*: volentes igitur, quod omnis eis exhibeatur humanitas, statuimus, vt in singulis Monasterijs, Prior, vel Supprior, & coquinarius, seu alius ad hoc deputatus, singulis diebus ante horam primam diei visitét infirmos, & iuxta singulorum indigentias, vnicuique prouideant, seu prouidere faciant, prout opus est. Infirmi autem, qui cibis Refectorij vesci non possunt, cibis eorum infirmitati conuenientibus sint contenti: de quibus quidem cibarijs eis, prout indiguerint, volumus prouideri, medicinalia autem, iuxta peritorum Concilia medicorum, eis precipimus exhiberi. Visitatio quotidiana infirmorum.

Statuimus insuper vt nullus infirmus ab infirmorum mensâ communi se subtrahat, nisi tantâ corporis valitudine sit detentus, quod ad aliam accedere nequeat sine scandalo, vel grauamine corporis euidenti, illis duntaxat exceptis, quibus ob eorum meritum reuerentia maior debetur, quibus in hac parte deferendum esse decernimus, pro loco, & tempore, prout locorum Prælati viderint expedire. Cōmunis mēsa infirmorum.

Sæcularem autem nullum cum infirmis comedere aut in commensando volumus aliqualiter immiscere, medicis, seruientibus, & amicis eorum, gratiâ Visitationis venientibus ad eorum curam, custodiam, seu beneuolentiam, deputatis, aut visitandi causâ permissis, duntaxat exceptis. His quoque adijci volumus, vt nullus infirmus specialem seruientem sibi assumat pro libito suæ voluntatis, sed ministris communibus sit contentus: qui quidem ministri numquam extra infirmariam, nisi ex causâ, & licentiâ speciali, pernoctent, saltem dum fratres actualiter infirmantur. Si verò necesse fuerit vt infirmus specialem habeat seruientem, assignetur ei talis per Prælatum suum, qui sit sobrius, & honestus, non impediens aliorum quietem, hoc semper obseruato, quod nullus ad pernoctandum in infirmariâ, vel ad ministrandum cuiquam infirmo aliquatenus admittatur, nisi prius de fidelitate, & secretis fratrum minimè reuelandis præstiterit sacramentum, quod quidem de omnibus seruientibus infra septa Monasterij volumus futuris temporibus inuiolabiliter obseruari, quod si qui Prælati aliter permiserint, per eorum Visitatores volumus remediari. Seruientes iurati.

Cæterum auctoritate nobis indultâ præcipimus, vt non deficiat lumen nocte coram infirmis, quod & omnes Prælati, quorum infirmariæ sunt infirmorum solatijs minus aptę, vel in redditibus nimis exiles, eas studeant reformare, si commodè fieri poterit, & eas possessionibus necessarijs ampliare. Lumen semper in infirmitorio.

In infirmariâ verò vlterius, ordinamus, & concorditer definimus, vt (his solummodò exceptis cum quibus propter causas multiplices liberè dispensat superior iuxta constitutiones) nullus de cętero cellam aut cameram priuatam distinctam aut seorsum à dormitorio repositam habeat, ad quam mulieres qualcumque introducat, de quibus aliqua suspicio oriri potest, sed neque ipsas, quas concedunt canones, cum etiam in his instigante diabolo scelus nefarium perpetrari posset: & secundum beatum Augustinum, qui mulierum non vult vitare præsentiam, de facili labitur in ruinam; non restat remedium per Apostolum nisi per fugam, hinc constitutionibus Benedictinis, Prouincialisque Capituli in hac parte innitentes, omnes nostri ordinis professores adiuramus in Domino, & sub præcepto instantius exhortamur, quatenus ad interiorem hominem mentaliter reuoluētes, aduertentesque vlterius, quomodo iuxta Sapientis eloquium: *Multi perierint propter mulierum speciem*; asseritque ipsius colloquium fieri quasi ignē exardescentem, in quantum honestè poterunt, aut commodè valeant, ipsarum familiaritatem omninò diffugiant, nec cum ipsis loco aliquo colloquium habeant, nisi cum sufficienti honestatis testimonio, & taliter, vt omnis vitetur materia scandali, nullaque detur occasio de colloquio delinquendi, sed iuxta constitutionem regulæ, decretumque Benedicti 12. Rubricâ, de vsu & abstinentiâ carnium, omnes & singuli quantum commodè poterunt tam cellas, quam cameras, De ijs qui cameras habent extra dormitorium.

cameras in vnâ domo habeant, in vno loco dormiant, cincti pariter & vestiti : volumus etiam & districtè præcipimus quod nullus cum Monachis nostri capituli, cui camera in casibus dictis seorsum à dormitorio est permissâ, dietam prandij vel cœnæ cum alijs tenere præsumat, præterquam singulis vicibus sit petita specialis licentia & obtenta : Et illos, qui secundum vsum Monasterij auctoritatem taliter licentiandi habent, oneramus, quod nullum licentiet, nisi quem personę dignitas, & religionis honestas exigit & requirit. Preterea cum, iuxta sapientis eloquium, tunc mens ad omnia roboratur viriliter, cum de labore pensatur vtilitas, laborantibusque post claustralis ponderis tedium recreabilis solatij conceditur grata merces : votiuis (vt tenemur) desiderijs afflictantes absque infirmitate verosimiliter inusutâ huiusmodi onera claustralia cum mentis hilaritate continuò portari: volumus, oportunúque fore decernimus, vt fratres singuli *Primâ* percursâ solatijs corporalibus se exerceant tam diebus ferialibus quam in festis duodecim lectionum hoc tempore occurrentibus, absque excessu tamen, cum freno modestiæ honestis solatijs licitisque recreationibus de laudabili loci consuetudine approbatis monachaliter indulgeant, & recreent moderatè : Festis verò principalibus & solemnibus fratres nequaquam volumus solatijs recreari vt supra de diuinis.

CAPITVLVM VII.
De refectione, locis, horis, & reliquijs post refectionem.

De esu carnium moderato.

CVm iuxta sanctionem canonicam, omnis lex, constitutio, seu quæuis norma iusta possibilisque debeat, & honesta, secundum naturam, & consuetudinem patriæ, loco, temporique conueniens, prout in canone ponitur, distinctione quartâ; pensatis naturis, & complexionibus, quæ in hominibus satis sunt debiles his diebus, quando per refectionem piscium aut aliorum duntaxat regularium, (cum sint iuxta medicos, idipsumque experientia satis docet, multum contraria stomachoque nociua) posset plebs quidem obedientiæ humilis amplius in viribus attenuari, quam regula iubet, populus verò durioris ceruicis cibum illum velut leuissimum fastidiens cum Hæbræis aspirate ad ollas carnium illicitèque appetere. Nos verò non proprijs, voluntarijsve persuasionibus in hac parte ducti sed illâ generali regulæ clausulâ, quâ fertur omnia per dispositionem Abbatis fieri, totaliter suffulti quinimò vlterius alteri innitentes specialitatem, quâ fertur, quoties minus sunt hospites, in Abbatis sit potestate, quos velit ad suam mensam vocare fratres, nec non, & decretro *Extra* de statu Monachorum ca. *In Monasterio in Refectorio*; vbi sic habetur : *Ex indulgentia potest Abbas nunc hos, nunc illos, prout necessitas postulat, aduocare, ipsosque in camera sua plenius excipere* : necnon dictis, & scriptis sanctorum patrum, Beati Bernardi in lib. de dispens. & præcepto : sancti Thomæ, doctorisque solemnis in suis quod libetis : Hostiensis extra. de statu Monachorum. *Quamquam ex indulgentiâ*, Et Gullielmi Durant. in speculo iudiciali, titulo de legatis *Abbas*: Pro nostris locis, & temporibus Deo iustè possibiliter, & honestè legem de esu carnium moderamus, modificamus, & de cætero decernimus obseruari, vt quotidiè (iuxta Benedicti 12. Institutionem, Capitulo 26.) medietas Capituli vel Conuentus in claustro actualiter residentis, in Refectorio regulariter se reficiat, nec alibi ipso die carnes sumere liceat absque causâ satis notabili, & tunc de maioris in Monasterio licentiâ speciali.

Media pars cõuentus in Refectorio semper comedat.

Et quia habet quorundam abusus, vt in diebus, quibus in Refectorio comedunt, carnes alibi cœnare præsumunt, non aduententes, quod vt caro nostra seruiret spiritui debitè, eiusque contereretur rebellio, antiquis patribus placuit nos omninò ab esu carnium cohiberi, nisi in certis casibus atque locis : horum igitur abusum tollere cupientes, statuimus, vt, si quis de cætero eodem die, quo in Refectorio comederit, in cœnâ vesci carnibus sit compertus, nisi hoc sit in Prælati præsentiâ, vel de eius pręcepto, seu licentiâ speciali, per sex dies proximos extra Refectorium nihil omninò manducet.

Qui in Refectorio comederit, eo die extra carnibus non vescatur.

Et cum vlterius secundum iam dictam sanctionem, iura instituuntur cum promulgantur, sed firmantur cum moribus vtentium approbantur, sint que nonnullæ leges moribus vtentium in contrarium hodiè penitus abrogatæ, prout expressè decretatur vbi supra : statuimus vt lex de regulari Monachorum ieiunio ita dé cætero regulariter obseruetur, veluti in domibus magis Religiosis moribus vtentium his diebus comprobatur : ac quemadmodum in republicâ, illa pensanda est vtilitas, non quæ est vnius tantummodò, sed multorum; ita vt in ponendis ieiuniorum oneribus attendatur non ad illius refectionem, in

Moderatio ieiuniorũ regularium.

quo

quo est singulariter spectanda validitas, & libertas; sed ad communitatis indigentiam, & ad debilitatem complexionis in eâdem.

Item districtè præcipimus, vt qui in cameris Prælatorum, vel alibi sunt carnibus recreati, ipso die à missis vel horis in ecclesijs regulariter dicendis nequaquam se subtrahant, nec à celebratione missarum se abstineant hac de causâ, quod quidem si fecerint, per subtractionem talis solatij, & aliàs grauiter puniantur. Qui sũt in mensâ Prælati, choro debent adesse.

Volumus etiam, & vlterius ordinamus, quod nullus his temporibus vtputa ab idibus Septembris vsque ad caput quadragesimę, (præterquam iuuenes dummodò sunt crescentes) in loco regulari, videlicet Refectorio, cœnet, aut cœnare præsumat quouis modo, diebus Dominicis, festis principalibus, duplicibus duodecim lectionum, ac natalis Domini festiuo tempore, vsque ad octauam Epiphaniæ ab hac lege ob id duntaxat exceptis, vt in vineâ Domini à mane laborantibus, vsque ad vesperam, præter æternæ retributionis denarium in futuro, in præsentiarum ipsâ vesperâ recreationis stipendium sumere liceat, & solamen. Ab idibus Septembris non cœnent in Refectorio.

His etiam adijcimus, quod nullis ferijs sextis cœnetur aliquo tempore anni: sed cibaria aliàs in cœnis ipsis ministranda, horâ prandij ministrentur, & tanquam vigiliæ omni tempore anni obseruentur, præterquam in die natalis Domini, cum in ipsâ feriâ sextâ contigerit: in quo die, ob ipsius reuerentiam, vnicuique volenti liberum sit cœnare. Ferijs sextis non cœnetur.

Item nonnulli, eo quod in prandio alijs temporibus loqui Anglicum liberè permittuntur, nimium efficiuntur loquaces: & cum pro domus negotijs diriguntur, pro defectu Latini, & Gallici idiomatis frequenter incidunt in ruborem: statuimus itaque vt nostræ Religionis Monachi in prandio, & solatijs alijs, ac etiam in Capitulo, in proclamationibus, & correctionibus, seu alijs colloquijs, imò in claustro, in parliamentis, loquantur duntaxat Gallicum seu Latinum, qui aliter fecerit, & super hoc cõuictus fuerit, & se nequaquam correxerit, in Capitulo publicè proclametur, & ab esu carnium per biduum suspendatur. Loquãomnes Latinè, aut Gallicè.

Et cum, iuxta testimonium sapientis, *panis egentium vita sit eorum*, & qui defraudat eos homo sanguinis sit censendus districtè præcipimus, vt eleemosyna de reliquijs post refectionem, iuxta statutum patrum pręcedentium, largiatur; nec de cætero liceat eleemosynario, sicut nec alijs, suos operarios vel ministros extrinsecos de fratrum sustentare fragmentis, vel eos pascere de eisdem. Et vt eleemosyna efficacius conseruetur, statuimus, vt quandiu Conuentus fuerit in prandio, vel in cœnâ, ostia claustri custodiantur vbiuis ne his temporibus in claustrum, quisquam intret sæcularis, & vt pauperes debitis eleemosynis non fraudentur, Prouisum est, vt omnia apponenda sine diminutione apponantur in refectorio, & infirmitorio, & alibi, vbi Monachi reficiuntur, & de appositis totum residuum in eleemosynam cedat, per eleemosynarium pauperibus fideliter erogandum: Præsidente duntaxat excepto; consumptores verò eleemosynę si semel, secundo, & tertiò in Capitulo correpti non emendauerint, tribus diebus continuis in pane, & aquâ ieiunent; vt alijs sint in exemplum. Reliquię Refectorij dentur pauperibus.

Item ordinamus, quod victualia pro fratrum mensâ nullo modo in pecunijs ministrentur.

Insuper victualia, siue administrationes ex quibus victualia proueniunt, omninò per manus sæcularis procurari interdicimus, de quibus victualibus, & eorum ministrationibus expressius constitutiones Benedictinę prohibent totaliter per processum.

De locis verò, & horis reficiendi sicut regula Beati Benedicti iubet secundum laudabilem Monasterij consuetudinem declaratis, volumus obseruari.

CAPITVLVM VIII.

De occupatione, & contemplatione.

CVm sit animabus ociositas inimica, nec facile capiatur à tentatore, qui benè vacat exercitio: præcauere volentes, ne quem nostri ordinis otium præcipitet in reatum, præsenti constitutione statuimus, quod quilibet Monachus, non aliunde rationabiliter impeditus, tempore, & loco prębeat lectioni studium, aut libros scribendo, corrigendo, illuminando, pariter & ligando; aut aliquo opere, quo approbatur honestas, vel aliter secundum, quod eorum Prælatus viderit expedire saluti: contradicentibus autem, vel renitentibus, ac etiam negligentibus, solatia omnia Prælati subtrahere teneantur, donec eos perpenderint emendatos. Opus aliquod singulis iniungendũ.

Idcircò

Magister literarius. Idcircò definientes firmiter præcipimus, quod deinceps habeatur vnus idoneus, & scientificus siue sæcularis siue Religiosus, qui Monachis in claustris ipsorum scientias primitiuas horis debitis legat, & doceat, grammaticam videlicet ad minus. Ordinetur etiam vna domus conueniens, claustro vicina, vel alibi, ad quam studentes horis suis sine dissolutione aut inutili garrulatione teneantur conuenire. A quo loco si quis se absentauerit vel ibidem truffis, & Schola. dissolutionibus intendat, grauiter puniatur. Volentes tamen, quod, non obstantibus istis, secundum discretionem Prælati habeant recreationes suas. Si autem Prælati in studendo sic suos subditos occupari negligentes reperti fuerint, aut remissi per Visitatores ordinis debitè puniantur. Vt verò proprietatis vitium abdicetur, his dignè duximus adiungendum, quod sine Prælati licentiâ nullus librum scribat, illuminet, seu scribi vel illuminari faciat, nec aliquid operetur, nisi in vsus Monasterij conuertendum.

CAPITVLVM IX.

De Hospitalitate, Prælatorum Vnitate, & collapsis Monasterijs in Religione & facultate.

Cura hospitalitatis præcipua. NE reputemur apud homines inhumani, aut de numero simus eorum, quibus in finali dicetur iudicio, *Hospes fui, & non suscepistis me*, sed ad instar Abrahæ, & Loth per Hospitalitatis opera Domino placeamus, vt Angelos hospitio recipere mereamur: præsenti constitutione statuimus, vt in singulis Monasterijs nostri ordinis, iuxta locorum facultates, hospitalitas obseruetur, quodque ad suscipiendos hospites deputetur Monachus diligens, & modestus, qui eos hilariter, & benignè recipiat, Religiosisque hospitibus, & præcipuè nostri ordinis, in edendo, & bibendo, & alijs honestis solatijs comitiuam exhibeat personalem.

Monachos autem nostri Ordinis, cum ad nostræ Religionis Monasteria venerint, in mensis refici volumus Prælatorum, vel alijs in locis competentibus, & honestis.

Nemini denegetur hospitalitas. Si autem alicui, & maximè Religioso, per eum, qui ad suscipiendos fuerit deputatus, sine causâ necessariâ fuerit hospitalitas denegata: à suo remoueatur officio, vel aliâs grauiter puniatur.

Fratres mendicantes. Item cum iuxta Canonum sanctiones in hospitalitate non est facienda distinctio, sed indifferenter, & absque personarum delectu, hospitales nos exhibere, quibuscumque sufficimus, debeamus: ne, quod absit, dum ex hominibus quempiam repellere credimus, Deum à nobis in homine repellamus. Et ideò firmiter obseruari mandamus, vt fratribus mendicantibus quibuscumque ad nostri Ordinis Monasteria venientibus, iuxta statum, & eorum exigentiam, victualia ministrentur. In Refectorio autem eos comedere nolumus; nec in secretioribus locis, pro Monachorum recreatione deputatis.

Monasteria se mutuo defendant. Et quia in primitiuâ ecclesiâ Christi discipulorum erat vna anima, & vnum cor, quorum instar nos, qui discipuli Christi sumus, vnius conuenit esse cordis, vnius & voluntatis, præsertim his diebus, quibus crescente hominum malitiâ datur nostra Religio in conculcationem, possessiones illis traduntur in prædam, & direptionem, & quæ olim deuota fidelium munificentia contulit, modernorũ malitia nobis auferre præsumit: eius igitur rei gratiâ statuimus, vt nostri Ordinis Prælati vniuersi se, & sua Monasteria successiuis temporibus contra prauorum insidias atque versutias mutuis in charitate verâ consilijs, & auxilijs defendere studeant, & fauotare; nec se ingerant clam, vel palam cuiquam, quem alicui Monasterio, vel personæ nostri ordinis nouerint aduersari.

Præsidum cura in componendis controuersijs. Si autem magna quæstio, vel controuersia inter Monasteriorum quoscumque Prælatos, vel inter Prælatos ipsos, & suos Conuentus emerserit: ad Visitatores locorum ipsorum, seu ad Præsidentes, qui vltimo Capitulo præfuerunt, volumus hanc referri, qui statim dirigant aliquos de vicinis Abbatibus, vel alios, quibus interuenientibus inter partes ipsas amicabiliter componatur, fiatque pax, & concordia absque alio strepitu aliquali; quod si fortè per ipsos non valeat fieri finis, huius difficultatis, diffinimus quod vsque ad Generale capitulum differatur. Per hoc tamen statutum in nullo præiudicari volumus regiæ dignitati, quin quilibet pro suo iure impetrare valeat, prout oportet, dum cum medio iam dicto, absque præiudicio partis, lites nequeant tranquillari. Si verò negotium aliquod oriatur in regno, quod Monasteriorum omnium Prælatos concernit: cum hoc ad notitiam Præsidentium peruenerit, omnes

Ordinis

Ordinis Prælatos ad certum locum, si fieri posset, faciant conuocari: sin autem, illos quos pro negotij qualitate potius viderint conuocandos: vt sic, quod omnes tangit, per omnes, vel per eorum partem maiorem conuenienter possit terminari.

His etiam adijciendum decernimus, si (quod absit) aliquod Monasterium incendio, aut aliquo casu quocunque ad tantam deuenerit egestatem, quod per se nequeat releuari: omnes Prælati nostri Ordinis ipsum studeant suo consilio, & subsidio ad statum reducere congruentem. Et vt Monasteria collapsa reparari valeant patet in constitutionibus Benedictinis attentius laboranti. De collapsis Monasterijs.

CAPITVLVM X.

De Nouitijs, & eorum disciplinâ, & ordine suscipiendorum fratrum, & de mittendis ad cellas.

QVorundam Monasteriorum inoleuit abusus, vt sub nostri Ordinis habitu nullum omninò velint inducere, nisi vnà cum habitu nonnulla secum deferat, saltem aliqua in quorum prouidentiâ eum apponere sumptus oporteat excessiuos: non aduertentes decreta sanctorum Patrum, *extra.* de ingredientibus, religionem, vt purè, sponte, non coactè, nudi, pauperes, absque omni exactione, solum propter Deum, & charitatis intuitum admittantur. Hincque etiam nonnulli valentes, habiles, atque digni, quorum deuotio nostræ Religioni se dedit, cum non habeant vnde valeant sibi prouidere, ad alias Religiones se transferunt: nostraque Religio cũ tales abcesserint, huiusmodi occasione frequenter recipit idiotas, tantum igitur abusum à nostrâ Religione tollere cupientes, Præsentis auctoritate Capituli Prælatis præcipimus vniuersis, vt sic de cætero moderentur ea, quæ pro nouitiorum fieri debent ingressu; vt per eos nouitios de lectisternijs, & habitu sufficienter sibijpsis valeant prouideri, Prælatis verò nihil ab ijs sibi expetentibus coactè. Pauperes.

Si verò conuersus in bonis sit potens, dum se per resolutionem transferat, singula per ipsum possessa Monasterio transferantur. Diuites.

Ne etiam viri literati, ac alij in dignitatibus constituti, propter metum suum reddendi seruitium, ab ingressu nostræ Religionis se retrahant: statuimus vt si qui Magistri artium vel aliæ personæ multum habiles ad proficiendum in studio, aut aliâs in dignitate constituti, nostram Religionem intrare voluerint cum literam nocturni seruitij plenè reddiderint, dispensentur de residuo, si eorum Prælati hoc viderint expedire. Literati.

Cæterum ne quis suæ proprietarius voluntatis effectus, de quo constat, quod suum posset reddere si velit seruitium, & id reddere dissumulet vel contemnet; statuimus ne quis talis administrationem habeat aliqualem, donec ea reddiderit, quæ corde tenus scire tenetur. Cui etiam statuto hoc adijci volumus vt tales, sicut nec alij Nouitij, ad pernoctandum aut prandendum exire è monasterio suo permittantur, priusquam in claustris suis fuerint laudabiliter conuersati. Desides, & ignaui.

Item quod vniuersi nostri Ordinis Professores, tam seniores, quam iuuenes, etiam nouitij, honore se debito præuenientes, tales de cætero obseruationes in suis communicationibus habeant, atque modum, vt semper Capitulo regulæ obseruato de ordine suscipiendorum fratrum, seruato etiam ordine, & honestate, nulla detur occasio obloquendi. Cõuersatio.

Et quoniam frequenter per abusum materia solet contentionis ac murmuris exoriri, hinc remedio cupientes, prout expostulat ratio, erroribus subuenire, concorditer definimus, primò, quod nullus commonachus pręferat se suo seniori in loco publico aut occulto, nec per Prælatum suum pręferatur in mensâ Prælati, siue ratione officij, siue cuiuscumque alterius conditionis: sed, sicut regula iubet, qui horâ nonâ diei Religionem ingressus fuerit, est senior illo, qui horâ decimâ venerit, ijs tantummodo exceptis, de quibus scandalum Monasterio nascitur, aut nasci de simili creditur, cuiusmodi sunt Doctores, seu officiarij inter cæteros præcipui, administratores, & graduati, quos secundum quod Prælati viderint expedire, alijs præferri statuta cauerunt, & antiqui diffinitores approbarunt. Præcedentia. Graduati.

Definimus insuper, vt materia contentionis annihiletur, quatenus hoc pronomen *Tu* siue Anglicè *Thou* ac etiam omne verbum opprobriosum, in singulis communicationibus inter Prælatum, & subditum, seniores atque iuniores, in omnibus Monasterijs, de cætero omittantur, Mutua reuerẽtia in alloquutione.

tur: qui verò aliquid istorum suo fratri dixerit, publicè proclametur. Qui verò dixerit *Mentiris*, per tres septimanas claustrum non exeat: qui autem fratrem suum animo deliberato percusserit pugno vel cultello, claustrali per annum custodiæ mancipetur.

Item postquam quidam laxatis frænis labiorum, detestabiliter, & sine causâ iurant per corpus Christi, & alia eius sacratissima membra, in scandalum Religionis: ordinamus, quod si quis in huiusmodi iuramentis negligens, vel defectiuus, & tertiò monitus, se non correxerit, solo pane, & simplici potagio sequenti die simpliciter reficiatur.

Nouitij Capitulo non intersint.

Item cum illorum negligentia atque imprudentia Prælatorum meritò sit arguenda, qui nouitios ante annum probationis, aut antequam votum professionis emiserint, ad secretas causas audiendas solent admittere, permittentes eosdem vsque ad finem Capituli remanere: nos talem negligentiam arguentes, firmiter obseruari præcipimus, vt nouitij ad audiendum Capitulorum secreta, priusquam professionem tacitam vel expressam emiserint, nullatenus de cætero admittantur: ne suadente diabolo eos ante professionem contingat ad sęculum redire, & Capitulorum secreta in præiudicium ordinis alijs reuelare.

Et ne conuincantur odisse Pręlati, quos amare iubentur; nec proprias vindicare velle videantur iniurias: statuimus, vt Prælati nullum de principali Monasterio ad cellam aliquam, vel de vnâ cellâ transmittant ad aliam, ex quâcunque indignationis scintillâ, seu odio qualicumque; sed ex sincero iudicio conscientiæ tales duntaxat ponant in cellis, qui de vitijs, quæ sunt ad diffamationem ordinis, suspecti fuerint, & qui se in eisdem habeant inordinatè; & hoc quidem faciant habito tractatu cum fratribus, & de senioris partis eorundem assensu, nisi aliud ex Priuilegio habeatur.

Item ordinamus quod Monachus ad Monasterium vel ecclesiam transmissus, seu carcerali custodiæ mancipatus, habeat portiforium vel librum, in quo diuina persoluat obsequia, illo abusu non obstante, vbi ad cellam missi, propter defectum libri, in itinere medio horas canonicas non dicerent, sed cum ad cellas peruenerint, ea quæ antea dicere tenebantur, tunc Deo offerre in libro ibi reperto conantur.

CAPITVLVM XI.

De claustro, & claustri custodiâ.

Clausuræ obseruatio.

ABsurdum censuit conditor canonum, vt qui mundo mortui sunt per mundum discurrerent: hincque Monachis intra claustrum morari præcepit, mundum peragrare prohibuit, huius igitur præcepti nostri Ordinis Monachos transgressores esse nolentes; vniuersos nostri Ordinis Prælatos authoritate nobis indultâ monemus, vt fratres suos à vagis compescant discursibus: & prout ordinis honor requirit, eos residere compellant in claustris.

Accessus sæcularium ad claustra prohibitus. Præsertim mulierum.

Prouideant autem diligenter ne quis fratrum in claustro vel alibi impediatur aliqualiter per occursum sęcularium, vel accessum: sed ordinis honestas vbilibet obseruetur. Mulieribus ingressum in claustrum, fratribus ibidem sedentibus, volumus penitus interdici, quæ omnia statuta accessum sæcularium ad claustrum prohibentia vel custodiam ostiorum claustri præcipientia, & quæcumque similia solum extendi nolumus ad eos, qui per claustrum, vel per vnam partem claustri viam communem pro extraneis, & alijs quibuscumque ex antiquo coacti vel voluntariè permiserunt, de quâ viâ iam dierum pertranseuntes præscribunt. De Mulierum accessu intra fores Monasterij, vel extra ad pernoctandum vel prandendum, & de earum colloquia cum Monachis, absque speciali licentiâ districtius prohibemus: saluâ consideratione circa fratrum parentes, sorores, & cognatas nobiles, & honestas, aut alias non suspectas attendendâ pro loco, & tempore, sicut locorum præpositi viderint expedire.

CAPI-

CAPITVLVM XII.

De Visitatoribus.

QVia omnes infirmi, & labiles sumus, ne, quod absit, per desidiam Prælatorum in infirmitate diutius perseueremus, & ex perseuerantiâ nos in peccantis vitæ consuetudinem duceremus, secundum formam decretalis, *Ea quæ pro Religione*, &c. Visitatores diligenter in singulis Monasterijs districtè corrigant, & reforment, quæ correctione, & reformatione inuenerint indigere, ne sanguinem delinquentium de manibus eorum requirat dominus vltionum. Visitationis necessitas.

Et ne tamen æstiment omni spiritui se credulos exhibere, statuimus, quod ad denunciationem vnius fratris super crimen alterius, non ducat accusatum canonicè puniendum, si denunciatus obtulerit se legitimè purgaturum. Declarantes etiam volumus, quod conditio fratris denunciantis sit à Visitatore maximè consideranda: quoniam quidam discreti senes, quidam discreti iuuenes, quidam simplices in senectute, quidam simplices in iuuentute, quidam malitiosi, & quidam ex charitate sunt moti. Quapropter statuimus, quod in omni Visitatione, vbi comperta sunt per simplices, vel malitiosos processisse, à Visitatore sit minor credentia adhibenda. Hinc est quod statuimus, quod si quis alicui crimen imposuerit, quod probare non possit eandem pœnam sustineat, quam reciperet accusatus, si de imposito crimine posset conuinci. Et licet hoc quoad omnes summopere sit obseruandum, circa autem accusantes Prælatum, & Priorem, qui hodiè sunt quasi signum positi ad sagittam, & Suppriorem, diligentissimè obseruetur. Modus denunciationes examinãdi.

Districtè præcipimus Visitatoribus vniuersis, vt qui libellum infamiæ scripserit, vel in medium proiecerit, vel per aliquem miserit cuicumque, vel per domum transiens qualemcunque, & audiens à quocunque vitia cuiuscunque, vel scribere ipsa, vel scripta recipere, siue secum portare malitiosè præsumpserit: tam ipse qui scribit, & mittit, quam qui recipit, & qui schedulam talem, vt dictum, est malitiosè tradiderit, vel retinuerit, si fuerit comprobatus, mittatur à domo propriâ, non reuersurus nisi per Capitulum Generale. Prior, Supprior, & cæteri, qui Ordinis sunt custodes, cum ex illis potissimum pendeat & pax, & perturbatio domus, qui talia sustinuerint vel dissimulauerint, per suorum Prælatorum arbitrium regulariter puniantur. De libellis famosis, & diffamationibus.

Ordinamus etiam, quod Visitatores in vecturis non excedant 12. in numero: quem tamen si propter necessitatem excesserint, sumptibus proprijs debent residuum sustentare. Quicumque verò nostri Ordinis Visitationem recusauerint admittere, à Visitatoribus per censuram ecclesiasticam ad eam suscipiendam compellantur, nisi coram eisdem Visitatoribus manifestè docuerint Priuilegium speciale, quare non debet visitari, sin autem, decernimus eos visitandos. Admissio, & receptio Visitatorum.

Statuimus etiam, quod Visitatores, qui officium sibi iniunctum neglexerint, à celebratione diuini officij sint suspensi, nisi de verâ, & legitimâ causâ suæ impotentiæ docere valeant Præsidentes. Si visitare neglexerint.

Statuimus etiam, quod Visitatores, seu statutorum publicatores in Monasterijs, si, ea, ad quę ratione sui officij accesserint exequenda, commodè primo die sui aduentus vel secundo nequeant expediri, mediocribus sumptibus eorum Monasteriorum stare possint, donec necessaria compleuerint, & non vltra. Mora Visitatorum.

Præterea ne scintilla ex desidiâ Visitatorum seu Præsidentium in flammam transeat destructiuam: statuimus, vt cum per famam, vel relationem fide dignam, seu modum alium legitimum qualemcumque, ad aures Visitatorum, qui per Capitulum fuerint deputati, seu etiam Præsidentium deuenerit notitia de criminibus, inordinationibus, seu malo gestu Religionis, & ordinis scandalo, alicuius Monasterij vel ecclesiæ Monachalis, teneatur quilibet Visitator pro dicto officio sibi deputato, & etiam quilibet Præsidentium, ad cuius vel quorum auditum rumor talis peruenerit, ad locum illum, præfixo eis termino competenti (ad quem terminum spatium quatuor vel trium dierum sufficere decreuimus in hoc casu) cum omni celeritate, quâ commode poterunt, per se, vel per alium nostræ professionis idoneum declinare, & super criminibus, defectibus, & excessibus quibuscunque inquirere veritatem, ac omnia, & singula, iuxta quod volunt Canonicæ sanctiones, corrigere ac reformare quæ reformatione, & correctione viderint indigere. Quod si quis Prælatus loci taliter visitandus, Visitatorem seu Præsidentem, Si rumor de scandalis alicuius domus oriatur.

vel eorum commissarium, seu commissarios, vt præmittitur accedentes, ob breuitatem termini. vel aliâ causâ friuolâ, non admittat, vel huiusmodi Visitatorem subterfugiat quouis modo, decem libras eo ipso Dominis Præsidentibus, qui pro tempore fuerint, soluere teneantur in communes vsus ordinis conuertendos. Quam quidem summam per ipsos Præsidentes etiam per censuram ecclesiasticam, si oporteat, soluere compellantur.

Expensæ Visitatorũ.

Item diffinimus, quod quotiens aliqui nostrę Religionis fuerint deputati per assignationem Præsidentium ad visitandum aliquod Monasterium nostri ordinis, pro reformatione habendâ in rebus, vel in personis, vel in vno eorum: quod idem Visitator, seu Visitatores habeant pro labore ex contributione communi sumptus moderatos, & necessarias expensas.

Impunites denuntiãtium religiose.

Præterea statuimus, & districtè præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, vt nullus Prælatus, claustri Prior, Supprior aut custos ordinis, aliquem vel aliquos affligat seu molestet propter comperta Visitatoribus oblata.

Item statuimus, & firmiter iniungimus, quod Visitatores per Capitulum deputati, in suis Visitationibus, de obseruatione horum statutorum, de lecturâ eorundem in Capitulo post regulam, inquisitionem faciant specialem, Quod si viderint in obseruatione vel aliâs nostra neglecta statuta in proximo Prouinciali Capitulo Præsidentibus relationem faciant personalem.

CAPITVLVM XIII.

De Doctoribus, studentium Prioribus.

Cathedra Doctoralis in Collegio Monastico, à Monacho ordinis occupãda.

CVm in totius ordinis nostri redundet honorem ac scholarium nostrorum Oxoniæ studentibus non parum accrescere videatur profectui, eo magis si in medio Oxoniæ de nostro ordine mensam propositionis paratam inueniant, nec semper aliqua doctrinæ suffragia ab externis mendicare cogantur: nos huius rei gratiâ de fratrum nostrorum assensu statuimus, vt in studio prædicto cathedra Magistralis per Doctorem Theologiæ de ordine nostro secundum cursum Doctorum futuris temporibus occupetur; & ne eam per aliquod tempus per defectum Doctoris de ordine nostro vacare contingat, statuimus vt quotiens scholares nostri in sæpedicto studio Doctore Theologię ordinis nostri caruerint, illud Præsidentibus sine morâ denuncient, & Presidentes Doctoris in claustro residentis scribant Prælato, vt eum ad locum prædictum occupandi causâ cathedram magistralem transmittat: cui quidem magistro, si iuxta statutum vniuersitatis Oxoniæ à tempore inceptionis suæ annum compleuerit in legendo, & alios actus scholasticos, etiam in prædicando exercuerit, de communi collectâ singulis pro annis, in quibus sic occupatus fuerit, soluendas fore decernimus decem libras. Si vero Prelatus, ad quem Præsidés pro huiusmodi Doctore mittit, dictum Doctorem mittere renuerit 10. marcas ad ordinis vsus communes soluere teneatur, nisi causam impedimenti sui legitimam, & suo Monasterio magis expedientem, Capitulo Generali ostenderit.

Honorarium Doctoris.

Adiutorium dandum graduãdis.

Item quia ante hæc tempora, ad euitandas expensas, quæ in Magistrorum inceptionibus esse solent, nonnulli ad incipiendum in Sacrâ Theologiâ, & in iure Canonico propinqui, ad sua Monasteria à studio fuerint reuocati, in totius ordinis verecundiam generalem: volentes igitur vt hoc futuris non contingat temporibus, sed in nostro ordine vtriusque facultatis Doctores crescere poterint præcedentis auctoritate Capituli statuimus, vt quilibet nostræ Religionis incœpturus Oxoniæ in Theologiâ, de cætero si eodem anno, quo incœperit, alium nostræ Religionis in eâdem facultate incipere non contingat, habeat in incœptione suâ præ manibus viginti libras bonæ & legalis monetæ de communi collectâ: si autem vno & eodem anno duos in vniuersitate prædicta in ipsâ facultate incipere contingat, decernimus vt vterque eorum de ipsâ collectâ percipiat in incœptione suâ decem libras duntaxat. Statuimus etiam quod quilibet nostræ Religionis incœpturus Oxoniæ in iure Canonico, si eo anno, infra quem incœperit alium non contingat incipere, percipiat de communi collectâ viginti marcas: si autem vno, & eodem anno duos in eâdem facultate iuris Canonici, sicut prius, incipere contingat, percipiat vterque eorum de dictâ collecta tantummodo decem marcas. Et vt incœpturi in sacrâ Theologiâ, & in iure canonico præ manibus percipiant pecunias superius limitata ordinamus, & vniformiter diffinimus, quod sumptibus ordinis fiat vna communis cista tribus clauibus seruata, quarum vna erit in perpetuam rei memoriam in custodiâ Abbatis Al bendoniæ, pro conditione huius statuti collectoris vnici Generalis; alia in manibus Prioris st dẽtium, sed tertia in manibus illius patris custodis vel guardiani, infra cuius fundum cista com mittitur antedictæ custodiæ duratura; in quam cistam volumus, & ordinamus octoginta bras bonæ, & legalis monetæ vijs, & modis securius thesaurizari, quam summam sufficere cr dimus, de Capitulo in Capitulum duraturam. Proinde declaramus, & firmiter præcipimu ad mini

ad minus per mẽſem ante diem incœptionis ſuæ, clauium cuſtodes ſollicitet, vt in certo die per ſe vel per alios ad ſæpedictam ciſtam omninò declinent, & incœptori ſummam ſibi limitatam eburſent, ad quam ſummam per gradus aſſumptionum exhauſtam, & denuò in ciſtam reparandam, volumus, quod collector Generalis pro tempore, quiſcunque fuerit, prouidè faciat de eâdem finem computus in proximo Prouinciali Capitulo ſequenti: ita quod ſumma ſuperius dicta in Capitulo ſequenti per Præſidentes Doctoribus allocata, qui incœperunt medio tempore, inter duo capitula partim per ſollicitudinem eorum, qui de ciſtâ partem ratam ad ſuos gradus incœperunt, & partim auctoritate Præſidentium, & collectoris infra tres menſes poſt Capitulum, octoginta libræ loco ſummæ extractæ iterum ſubrogentur.

Item ſtatuimus, quod nullus noſtræ Religionis, & noſtri Capituli incipiet in Oxoniâ vel in Cantabrigiâ in ſacrâ Theologiâ, vel in iure Canonico, niſi ſub Doctore eiuſdem Religionis, & eiuſdem facultatis: ſi talis Doctor in ſtudio in tempore incœptionis cathedram occupare contingat. *Sub doctoribus noſtris tantum incipiẽdũ.*

Item ordinatum eſt, quod Doctores ſanctæ Theologiæ, & iuris Canonici poſt ſuſceptum gradum Doctoratus, in Monaſterijs Abbates ſuperiores habentibus, & alijs eccleſijs Cathedralibus Abbates non habẽtibus, in Capitulo Prouinciali, in clauſtro, choro, Refectorio, Capitulo, proceſſionibus, tam extra Monaſteria quam intra, & vbique locorum, poſt Priores clauſtrales proximas ſedes teneant, & poſt Suppriores cathedrales propter gradus dignitatem, eos conſimiliter volumus honorari: dum tamen ipſorum Doctorum mores & conditiones Religioni Doctoralique gradui ſint conformes; Sanè alias dictos Doctores, ſicut cæteros noſtri ordinis ſubditos, regularibus, vt decet, inſtitutis, volumus ſubiacere. Prælatis verò, Prioribus clauſtralibus, Supprioribus cathedralibus, à ſuis dignitatibus, officijs & miniſterio per ceſſationem diſcedentibus, per prædicta non intendimus in aliquo derogare: cui etiam adijcimus, quod nullus alius, ſiue ordinis cuſtos, vel ſenio prouectus, ſeu officiarius contra locum Doctorum hic diffinitum alicubi locorum vſurpet, ordinis cuſtode dum regulariter pręſidet duntaxat excepto. *Præeminentia graduatorum.*

Item ſtatutum eſt, & firmiter iniunctum, quod ſinguli Doctores, & graduati audientijs in ſolemnibus publicè ſermocinantes, niſi fuerint reueſtiti, habitibus de cætero vtentur ſcholaſticis: audientias ſolemnes dicimus, eccleſias cathedrales, Monaſteria ſolemnia, crucem ſancti Pauli, & quamcunque audientiam, ad quam ciuitas concurrit auditum. *Habitus Doctorum ſolemniter concionantium.*

De Priore verò ſtudentium ita ordinatum eſt, quod cum propter præfectionem Prioris ſtudentium Oxoniæ lites maximè retroactis temporibus, & nuperimè accreuerint, vnde grauiſſima oriuntur ſcandala, & non modicum noſtræ Religionis detrimentum: nos auctoritate, quâ fungimur in hac parte, ſub pœna excommunicationis maioris prohibemus, ne quiſquam noſtrę Religionis ſtudentium Oxonijs verbo vel literis per ſeipſos, vel per alios quoſcunque, futuris temporibus pro præfectione dicti Prioris elaboret, procuret, vel intromittat quouis modo, niſi à Præſidentibus vel alijs in tali negotio per ipſos aſſignatis fuerint ſpecialiter requiſiti. Et ſi quis huic ordinationi parere noluerit, aut tranſgreſſor repertus fuerit, decernimus eum inhabilem, & inidoneum ad tale officium, & ſi prope gradum ſit decernimus inhabilem ad quemcunque gradum ſcholaſticum, nec non eo facto, qualiſcunque fuerit à ſtudio reuocandum abſque dilatione aliquali. *De electione Prioris ſtudentium.*

Volumus etiam, & ordinamus, quod Prior ſtudentium, in quantum poteſt, non permittat, vt vnus Monachus inter ſæculares in ſtudio moram trahat. *Nemo ſtudeat inter ſęculares.*

Item ſtatutum eſt vt præfectione Prioris ſtudentium Oxonienſis, Abbas vel Prȩlatus ipſum præficiens iniungat pręfecto ſub virtute obedientiæ, quod quantum commodè poterit conſtitutiones locales noſtri Collegij, ſe & officium ſuum, & noſtros ſtudentes in dictâ vniuerſitate concernentes ſtudeat fideliter exercere.

Sed tamen huc pro ſtudentibus de ipſis pauca ex pluribus elicere intendentes, ordinamus, quod cum deceat, vt qui ſunt in literis eruditi ſint in contemplatione aſſidui, ſtudentes noſtri ordinis in Oxonijs conueniant in Capellam in diebus ſolemnibus, & dominicalibus, & alijs feſtiuis ad diuinum ſeruitium decantandum ſub pœnâ ex arbitrio Prioris ſtudentium taxandâ: de cuius ſtatuti executione ipſius conſcienciam oneramus. *Diuinũ officium in Collegio.*

Item decernimus, vt Priores ſtudentium ſic ordinent de cameris ac ſtudijs in loco prædicto, quod vltra anni medietatem non vacent, ſi qui noſtri ordinis fuerint, qui voluerint occupare: hoc tamen obſeruato, vt ſi quis de domo ſeu de Monaſterio, cuius ſumptibus aliqua camera ædificata fuerit ſeu nobiliter reparata illuc venerit ad ſtudendum, huius auctoritate ſta- *De cametis Collegij.*

tuti eam liberè ingredi valeat, aut pacificè poſſidere. Teneatur etiam, quicunque eam prius occupauerat, abſque difficultate, & contradictione quâcunque exire.

Diſputationes.

De annis verò Logicalibus, & Philoſophis antequam aſcendant ad Theologiam noſtri ſtudentes, ſecundum ſtatuta à prædeceſſoribus noſtris, & loci noſtri conſuetudinem in Oxonijs vſitatam, volumus adimpleri. Præterea in eorum diſputationibus, problematibus, & quæſtionalibus, ſecundum quod hactenus eſt conſuetum, prout ſtatuta tempore magiſtri Ioannis Wheathamſtead, tunc ſtudentium Prioris edita de his omnibus, & alijs noſtros ſtudentes ſufficienter concernentibus intuenti declarant, memoriter ſe diſponant.

Prædicationes ſeu conciones.

Statuimus etiam vt noſtri Oxonienſes ſtudentes, iuxta diſpoſitionem Prioris, & ſaniorum ſtudentium in loco noſtro communi Oxonienſi vel alibi, vbi ipſe, & ſeniores decreuerint, frequenter tam in linguâ Latinâ prædicent, quam vulgari : vt ſic id audacius promptiuſque perficiant, cum eos ad ſua Monaſteria contigerit reuocari; frequēter prædicare volumus, ad minus quater in anno, in vtrâque linguâ, latanâ videlicet, & vulgari: tempora his prædicationibus magis cōgruentia credimus, vigiliam natiuitatis Domini, ſecundā feriam primę hebdomodæ quadrageſimæ, vigiliam Paſchæ, vigiliam Pentecoſtes, vigiliam Corporis, Chriſti, vigiliam Aſſumptionis B. Mariæ, vigiliā ſanctorum omniū, ſabbatum ante primam Dominicam aduentus Domini: in quibus volumus vnum noſtrorum ſtudentiū octauum annū ſtudij prædicti attingentē, in loco, & linguâ ſecundum ſtudentium Prioris, & ſeniorum partis diſcretionem ſtudentium ſalubrius deputari. Quod ſi tot ſtudentes dictum annum attingentes in ſtudio nequeant reperiri, pauciorum ſermonum numero ſint contenti.

De mittēdis ad Collegiú Monachis.

Et cum de paucitate ſtudentium, quę oritur ex negligentiâ Prælatorum ad ſtudia ſuos ſcholares non mittentium, vt deberent, conſultius ſit cauendum prouidemus conſtitutionem Benedictinam de Prælatis ſcholares ſuos non mittētibus ad ſtudium Generale: & cum annus iuxta vniuerſitatis computationem tres anni contineat terminos, quibus Magiſtri communiter ſuas continuant lectiones : cuiuſcunque Prælati ſcholares, vel ſcholaris per terminum talem defuerit à ſtudio, ſoluat pro quocunque ſcholari taliter deficienti tertiam partem ſummæ annualis in conſtitutionibus Benedictinis memoratam, & quia vertitur in dubium penes quoſdam ad quantam ſummam monetæ Anglicanæ taxa illorum ...... Turonenſium ſe extendat, quanquam aliqui ad minus, aliqui ad maius eos vt dicitur æſtiment in valore : nos tamen omnem huiuſmodi dubietatem tollere cupientes, decernimus quatuor groſſos Turonenſium æquiualære libris quindecim Sterlingorum.

Item ſtatuimus vt futuris temporibus ſenes, & ætate prouecti ſaltem pro Philoſophiâ addiſcendâ ad ſtudia non mittantur.

Cauſæ ſtudentium intra ordinē decidātur.

Inſuper viam litis præcludere cupientes, ac ſcandalis obuiare, præſenti ſtatuto ſpecialiter prohibemus, ne ſtudentes noſtri ordinis inter ſe ex quâcunque causâ coram Cancellario, alioue iudice ſæculari placitent, ſeu diſceptent : nec quiſpiam eorum alium coram eis conueniat quouiſmodo. Sed ſi, quod abſit, inter aliquos eorum litis materia futuris temporibus oriatur, ipſa, quatenus poſſibile fuerit, per Priorem, & quatuor vel quinque ſeniores ipſorum ſtudentium ſopiatur, & ſi per eos tolli non poſſit, ipſa materia Præſidentibus intimetur; qui Præſidentes, ſi quid inter eos malè fuerit attemptatum, id debito more corrigant, aut reforment.

Ne procurent fauores contra Prælatorum voluntatem.

Item cum abſurdum videatur in Monacho contra vel pręter ſui Pręlati voluntatem magnatum preces vel literas procurare, vt accedere valeant ad ſtudia literarum, aut inibi commorari, ſeu gradus aliquos in ſtudio attingere, vel ad apicem aſcendere Magiſtratus: hinc diſtrictè præſentibus prohibemus, ne quis noſtræ Religionis Monachus contra, vel præter ſui Prælati voluntatem ſæcularium quorumcumque preces vel literas procuret, aut procurare faciat, vt ad ſtudium tranſmittatur, aut in ſtudio detineatur, ſiue ad gradus quoſcunque ſtudij promoueatur, ſuo Prælato neſciente, & hoc nolente. Secus agentes ad ſtudium mittendi redduntur inhabiles, & in ſtudio exiſtentes de ſtudio ſunt reuocandi. Ex quo volumus quod reclamante Prælato, vel non conſentiente, gradum aſſumens pœnâ inobedientiæ puniatur.

Habitus graduatorum.

Item quod Licentiati ad incipiendum tam in Theologiâ, quam in iure Canonico in ſuis gradibus ſuſcipiendis caputia cappatū ſcholaſticarum cum buggio furrata habeant, ſiue cum ſyndone nigro linita, & conſimiliter bachalaureos ad lecturam ſententiarum, & bachalaureos ad lecturam decretalium admiſſos caputijs cum buggio furratis vti de cæteris ordinamus.

Pernoctatio.

Item diſtrictè iniungendo pręcipimus ne quis ſtudentium noſtri ordinis in vniuerſitatibus Oxoniæ, & Cantabrigiæ præſumat in poſterum quomodolibet vllicubi pernoctare, niſi prius

Priori

Priori studentium insinuet in speciali ad quem principaliter diuertere se intendit, cum licentia sit obtenta.

Item ordinamus, & districtè volumus, quod nostri studentes in Oxoniâ, & Cantabrigiâ rarius frequentent tabernas, quam hactenus consueuerint: & ad superuidendum volumus vt Prior studentium semper habeat oculum specialem. Tabernæ.

Insuper ordinamus, & districtè præcipimus, quod pensiones studentium ab officiarijs, qui soluere tenentur, in suis terminis secundum consuetudinem Monasterij studentibus fideliter soluantur: sin verò in defectu solutionis Prælato, vel Præposito per litteras, vel ore tenus referentibus, ab illo die officiarius, qui soluere negligit, à carnibus, quousque satisfecerit, omninò se abstineat. Pensiones studētium

CAPITVLVM XIV.

De Capitulis Prouincialibus.

ERratur faciliter, vbi, quod arduum est, tractatur improuidè: hinc vt ea, quę in Capitulis Prouincialibus sunt agenda, tractentur consultius: statuimus, vt cum Capitulum ipsum celebrari debuerit, diem celebrationis ipsius statutum præueniant Præsidentes, & ordinent prçcentorem, cuius dispositione pulsetur, & omnia concernentia ministerium, & officium missæ, processionem, & tabulam, si qua fiet, per eundem debitè ordinentur. Præueniē diē Præsidētes.

Primò die Capituli signo pulsato, & demum cessante, omnes Prçlati, & procuratores absentium in choro conueniant, vsque ad finem missæ de spiritu sancto celebrandæ cum collectis pro Romano Pontifice, Rege, & Reginâ, liberis eorum, pace ecclesiæ, & statu regni, quâ missâ finitâ signoque pulsato, ad Capitulum procedant froccis induti, & statim fiet sermo, in cuius principio benefactores ordinis tam viui, quam defuncti commendentur: quo finito exeant sæculares, & qui non sunt de Capitulo, & custodes ad ostium Capituli per Præsidentes idonei deputentur: deindè à Præsidente facto nutu, dictoque *Iube domne Benedicere* à præcentore prædicto vel ab eodem ordinando, datâ benedictione à Prçsidente, legatur martyrologium, & tabula si qua fiet pro ministerio missæ vel aliundè: deindè à cunctis genu flectentibus incipiant Præsidentes hymnum, *Veni creator*, cæteris prosequentibus, vsque in finem solemniter, & deuotè, dictoque ab altero Præsidente versiculo, *Emitte spiritum tuum, & creabuntur*, subiungatur oratio, *Deus qui corda fidelium*: *Actiones nostras*, & iterum sedentibus ordinatè videlicet Præsidentibus in eminentiori loco, assumptis sibi Abbatibus, & Prioribus, Doctoribus, si qui concurrent, in loco decenti, legantur decretales *In singulis* & *Ea quæ*: & Capitulum *Statuimus* de Prouincialibus Capitulis, & constitutionibus Papæ Benedicti: quibus perlectis dicat Præsidens *Benedicite*, & consequenter dicat, *Loquamur de ordine*, & ab illâ horâ nullus loquatur, nisi Præsidentes, & Prælati, seu alius, cui datur licentia specialis, loquētibus verò à Prçsidente silentium imponatur, & si opus fuerit publicè proclamentur ac pœnitentia grauior imponatur, & similiter fiat de quolibet in Capitulo excessu. Prius dicatur Missa de spiritu sancto. Concio. Preces. Lectio decretorum.

Deindè vocentur Prælati, & nomina absentium annotentur: Procuratores verò, si qui fuerint à Præsidente, accipiantur, pro celeri verò expeditione deputentur statim per ipsos Præsidentes viri prouidi, pro dictis procuratorijs examinandis, qui diligenter obseruent, ne quis duorum Prælatorum procurator existat, quod si contingat, alter eorum pro contumaciâ puniatur, si qui etiam procuratorum insufficientes fuerint in crastino repellantur, & pronuncientur eorum Prçlati contumaces: discussione causarum aliorum procuratorum sufficientium Præsidentibus reseruatâ. Regulatio Capitulariū, & procuratorū.

Ordinent etiam Præsidentes cum Consilio Prælatorum, qui esse debeant diffinitores, qui acceptâ potestate sub sigillis Præsidentium, limitatè diffinienda diffiniāt: à quorum diffinitionibus, à Præsidentibus approbatis, non liceat resilire. Et sic continuando Capitulum vsque in diem proximum ad continuandum recedant prout designatum, & modificatum in consuetudinibus Papalibus indè confectis. Definitorum nominatio. Secūdus dies Capituli.

Sequenti die mane conueniant, audiantque missam celebrandam pro defunctis scilicet pro animabus fidelium Regum Angliæ defunctorum, & nostri ordinis benefactorum, ac Monachorum post vltimum Capitulum etiam defunctorum. Missa pro defunctis.

Deindè contributio si fieri debeat, ordinetur, & tempus solutionis huiusmodi limitetur. Contributio.

Relatis Visitatorum.

Postea Visitatores singulatim vocentur qualiter suum officium fuerint executi in scriptis fideliter ostensuri, & tunc contra negligentes, & remissos in hac parte iuxta constitutiones inde editas procedatur. Si qua verò dubia, vel reformanda emerserint, Præsidentibus, vel diffinitoribus ostendantur, & ad expeditionem Capituli deputentur per ipsum Capitulum personæ prouidæ, & discretę pro Visitatoribus.

Vltimus dies Capituli.

Vltimo die omnibus etiam manè conuenientibus, Visitatorum nomina publicè recitentur, & compleantur cætera agenda, videlicet de loco proximo Capituli, missis, & terminibus assignandis, ac Prçsidentibus eligendis, prout in constitutionibus continetur. Et dicto *De profundis*, factâque Generali confessione ab omnibus, & à Præsidente absolutione impensâ, iniungatur simul ordinis nostri conuentibus, quam citius fieri poterit celebretur solemniter in choro vna missa pro omnibus fratribus benefactoribus, & familiaribus Capituli nostri defunctis: quibus expletis fiat ordinatè processio, & missa pro pace, ac sermo ad populum in linguâ vulgari: & sic vnusquisque ad propria reuertatur. Pro negligentijs autem circa verbum Dei proponendum causatis viam præcludentes in futuro, statuimus quatuor graduatos pro sermone proferendo in Latinis, & totidem in Anglicis fore limitandos: ita quod proponens verbum Dei percipiat quadraginta solidos; cæterorum pro sermone laborantium retributionem Præsidentium reseruamus arbitrio, dummodo ostendant in scriptis ad proponendum verbum Dei se esse paratos, & si, quod absit, si limitatorum negligentiâ dedecus oriatur Religionis, eorum quilibet taxetur per Præsidentem, siue multetur.

Prædicatorũ electio.

Ad hæc verò statuta adijcimus, quod si qui Priores, præcentores, & alij claustrales nostri ordinis Monachi, per permissionem Præsidentium, vel prouisionem Generalis Capituli ad exequendum diffinitionum publicationem, seu denuntiationis officium fuerint ordinati, à suis domibus ad dictorum officiorum executionem expensas, & alia necessaria recipiant, quæ quidem expensæ eisdem domibus ex suis contributionibus, si se ad tantundem extenderint, allocentur, alioquin autem eas volumus per Prçsidentes aliundè refundi.

Expensæ deputorum.

Procurator absentis non sit sæcularis.

Item cum dedeceat vt sæculares de nostris Capitulis aliqualiter intromittant, statuimus vt si quis Prçlatus, quo minus ad Prouinciale Capitulum possit accedere, fuerit impeditus, procuratorem sæcularem ad id vice suâ nequaquam transmittat, sed si Monachum mittere de domo propriâ non valeat, Monachum alterius domus de consensu Prælati ipsius procuratorem suum constituat, per quem de impedimento eius legittimo fiat fides; quod etiam de procuratore Capituli carentis Prçlato tempore celebrationis Prouincialis Capituli volumus obseruari: quod vt firmius obseruetur, decernimus huius authoritate Capituli, vt si Prælatus quisquam, aut Capitulum carens Prælato, procuratorem suum in eâ parte constituerit sæcularem, eo ipso contumax habeatur.

Quomodo multe debeant colligi.

Cæterum cum pœna non timeatur imposita, quæ non sentitur inflicta: vt sit contumacibus, & alijs in formidinem, pro horum pœnâ statuimus, vt iniustè contumacium, & rebellium Capitulo, scholares ad studium non mittentium, onera multarum per Prçsidentes taxatarum, nec non & Visitatorum non visitantium, per Præsidentes citra proximum leuentur Capitulum, in quo etiam reddatur fidele ratiocinium de eisdem.

Cista instrumentorũ Congregationis.

Insuper statutum est ad vtilitatem nostri ordinis per Præsidentes, & Collectorem vt sit cista communis in Prioratu Sancti Andreę Northamptoniæ situato, in quâ cistâ reponantur omnes Bullæ Papales habitæ, & habendę, nostræ Religionis iura, libertates, Prçsidentium potestatem, & nostri Capituli authoritatem concernentes: omnia etiam acta Capitularia Capitulorum, Prçsidentium diffinitores; ista statuta nunc edita; copię omnium litterarum per Præsidentes ex parte ordinis transmissarum; omnes indenturæ ex parte ordinis indentatæ; copia computatorum in Capitulo; vel à Præsidentibus de aliquo Monasterio denuntiatorum; omnes litteræ cum sigillis suis Generali Capitulo destinatæ, vnus liber cuiusque computi per collectorem facti; & vt moris est, fideliter permanenter in dictâ cistâ in perpetuam rei memoriam sint seruanda, quę cista clauibus est obseranda, quarum vna erit in manibus Præsidentis, & secunda in custodiâ collectoris, & tertia in custodiâ Prioris sancti Swythuni Wintoniæ, in memoriam reponatur.

Item diffinimus, quia mens humana labilis suam memoriam firmat in scripturis, quod cum in Capitulo diffinitores ad diffiniendum sunt deputati, prius ante quã ad opus procedant, acta Capitularia, & hęc statutâ in dictâ cistâ reperta inspiciant, & reuoluant: Et si quæ ad reformationem Religionis intendant, & illud, vel illa in his statutis, vel per diffinitiones anteriores in actibus repertas prouisa conspiciant, non tunc nouum super his condant, sed illud, & illa

tantum

tantum executioni demandent. Quapropter ad vitandas ordinis expensas circa diffinitores singulos, ex hoc quod singulis diffinitoribus viginti sunt solidi refundendi, eo, prout possibile apud probos, & graues creditur, in his statutis circumquaque in nostro ordine reformando in genere vel specie obuiatur, statuimus, vt singulis Capitulis nostris futuris, ad diffiniendum in nostrâ Religione quatuor discretiores, & maturi, scientijs instructi, morum grauitate, & regularis obseruantiæ religione sufficienter edocti, sint tantummodo deputati: qui antequam definiant, sicut superius statutum est, hæc statuta, & acta Capitularia in dictâ cistâ reperta infra Capitulum relegant, & reuoluant, quibus singulis summa in computis antiquis reperta merito allocetur.

Preterea statuimus quod collector vel collectores contributionum, multarum, & aureragiarum, sacramento Præsidenti præstito, plenum & perfectum computum, atque finalem rationem de receptis omnibus tribuant atque reddant.

Item ordinamus, quod aliquis acquietantiam â collectore causâ recipiendi pecunias impetrans, & illam infra quatuor annos post receptionem non exequens, propter talem negligentiam nolumus vt ordo damnum patiatur: verbi gratiâ vt ratæ summæ allocationem per dictum tempus ab ordine certam impetret & obtineat.

Item diffinitum est, quod quilibet Prælatus ad Prouinciale Capitulum nostri ordinis personaliter veniens, & in ipso Capitulo à principio vsque in finem personaliter interessens, de tertiâ parte contributionis suæ persoluendâ allocationem habeat in futurum.

De verbis prohibitorijs, pœnarum inflictionibus, & eorundem declarationibus.

CVm sit frustra constitutiones aliquas condere, nisi postea ab hominibus obseruentur, placuit ex congruo sic constitutiones per pœnas vallare, vt pœnarum metu ad ipsarum constitutionum obseruantiam homines arceantur, & si aliquorum tanta sit rebellio, quod ad eas obseruandas faciliter flecti nolint, conuenit addere pœnas pœnis, vt quos certè pœnę grauitas, non terret, terreat pœnarum addita multitudo. Hinc nos licet certis pœnis contra istas editiones obuiantes seu delinquentes vallamus, & voluimus vt contra rebelles, vel cum deliberatione statuta præsentia infringentes secundum arbitrium Prælati, Visitatorum, seu Præsidentium, ad quos secundum quod superius limitatur, pertinet correctio grauior, pœna regularis canonicè infligatur; nolentes per verba præceptoria, vel prohibitoria in constitutionibus supra scriptis contenta, quemquam contrauenientem nostris ordinibus (dum tamen hoc non faciat ex contemptu vel cum deliberatione) vinculo mortalis criminis obnoxiè subijcere: sed duntaxat pœnas incurrere superius limitatas; aut vbi pœnæ nullatenus apponuntur, per locorum Prælatos, vel quibus incumbit prout decreuerint infligendas: volumus etiam, & ordinamus, quod nulla constitutio generali perpetuo valitura de nouo fienda, quæ per obedientiam obliget, super communitatem ordinis inducatur: nisi in vno Generali Capitulo primitus ordinetur, & consequenti tempore per fratrum experientiam alio Generali Capitulo confirmetur.

Statuta sint pœnalia.

Quando constitutio laica obliget cōmunitatem.

Item vbicumque in istis constitutionibus continetur aliqua censura ecclesiastica, vbi non sit lata sententia, sed tantum comminatio de futuro, nec ibi exprimitur, à quo imponi debeat vel infligi: intelligitur ab illo infligi debere, coram quo vel quibus legitimè probatur excessus, dummodo talis excessus correctio pertineat ad eundem. In pœnâ verò priuationis vel suspensionis à diuinis, seu ordinis, intelligitur non solum priuatio Prælationis, sed celebrationis, prędicationis, audiendi confessiones, Visitationis, diffinitionis, & cuiuscunque actus alterius ordinis officium consequentis.

Qui debeat pœnas infligere.

Præterea ex communi auisamento illam pœnam, quâ quis à Monasterio expelletur, secundum quod supra dicitur, declaramus fore pœnam, quando quis carcere perpetuò retruditur, ita quod quando quis meretur perpetuò carceribus vinculari, eum extra Monasterium intelligimus, & dignè expulsum. Acta sunt hæc anno, die, & loco supradictis: & Londini eadem sunt nostris sigillis confirmata, ac nostrâ authoritate roborata, vltimo die mensis Maij, anno Domini millesimo quadringentesimo quinto ac Christianissimi regis Henrici sexti regni vigesimo tertio.

Appen-

Appendix in eodem libro inuenta, & Capitulo adiecta.

QVia sacro approbante Consilio summi Pontificis Clementis tertij statutum est, vt in singulis regnis siue prouincijs fieret de triennio in triennium commune Capitulum Abbatum, & Priorum ordinem, & regulam sancti Benedicti professorum, in quo inquiri de iure, & solet, & deberet super reformatione ordinis, & obseruantiâ regulari prædictorum, singulisque rebus, quibuscunque Monasterijs dicti ordinis malè gestis diffinitorum authoritate simul, & prudentiâ remedio medeatur singulari: Nos itaque prædicto diffinitorum officio in præsentis Capituli Conuentu, licet indignè, functi; quanquam superiorum munimentis nostrorum, & auxilio destituti, eâ, quâ possumus curâ, & diligentiâ, diuinâ inspirante gratiâ, Religionis, & bonarum literarum iacturæ remedium studuimus adhibere: quo circa statuimus, ordinamus, diffinimus, & volumus, inter cætera præsenti Capitulo composita, quod omnes, & singuli tam Oxonienses, quam Cantabrigienses nostræ Religionis scholastici, non vt antea, in locis varij pro suo voto dispersi, propterea quod nimiâ sæpe licentiâ deteriores effecti, morentur; sed quoscumque commonachos Religionis nostræ prædicta studia in alterutram vniuersitatum adire permissos, vitam volumus ducere communem; ita quod omnes, & singuli singulorum Monasteriorum scholastici præter Dunelmenses ad Collegia ipsis Monasterijs deputata ad voluntatem Prioris, studentium pro tempore existentis, absque contradictione quâcunque, sese transferant, alias, si modo Collegia seu loca huiusmodi ad hoc sufficiant, sin minus ex solo arbitrio Prioris studentium pro tempore existentis pendere decernimus, quo in loco omnes huiusmodi scholastici morari debeant. Item statuimus, ordinamus, & volumus, quod omnes, & singuli nostræ Religionis Oxoniæ, aut Cantabrigiæ studijs operã dantes sæpedictis Prioribus studentium, in hac aut illâ vniuersitate, quâ fuerint, ad decorem nostri ordinis honestius vitam ducant stipendia singulis annis ad summam vignti denariorum soluere teneantur.

Monachi studeant in Collegijs ordinis.

Quia vitia multa grauia aliqua sunt, quibus nostra Religio grauissimè molestatur, de illis dicimus, qui indigni nominandi sunt Religiosi, qui ad beneficia, & promotiones captandas fauorem Dominorum, & potentum accipiunt à Ducibus, Baronibus, Militibus, atque cæteris nobilibus, magna munera ad eadem beneficia promerenda concedentes: ideo ordinamus, statuimus, atque decernimus, quatenus istiusmodi simoniaci, & bonorum dilapidatores Monasteriorum, vbicunque reperti fuerint, excommunicationi maiori subiaceant, omni honore priuati, & indigni, & præter hoc si in eisdem fuerint conuicti eos volumus carceribus mancipari.

Contra simoniacos,

Quoniam dicente ecclesiastico, *Qui sperrit minima paulatium in maiora decidit*: igitur periculis, quæ possunt euinire nostri ordinis statui ex negligentiâ cupientes præcauere in futurum, statuimus & volumus, quod singuli Patres singulorum Monasteriorum ter vel quater in anno per se, vel per sufficientem deputatum, scrutentur vel scrutari faciant cellas singulorum Monachorum in dormitorio, videantque, quod lectisternia eorum sint ordinaria, lanea non linea; secundum ordinem, & statutum sanctissimi Patris Benedicti, qui dicit laneis omninò, & non lineis vtantur Monachi, & quod aliud ibidem inordinatum fuerit non solum auferendum, sed etiam volumus vt huiusmodi Monachi pœnæ regulari subiaceant.

Scrutiniũ Cellarum.

Contributiones ordinamus obuli de Marcha anni Domini 1491.

SCRIPTVRA. LXIV.

Factum Henrici Abbatis Petroburgensis anno 1118. ex quo constat tunc illud Monasterium nondum fuisse, nec postea subiectum Cluniacensibus.

ANNOTATIO.

Fragmentum hoc, de gestis Henrici Abbatis Petroburgensis, desumptum est ex libro antiquo manuscripto cuius-

to eiusdem Monasterij historiam continens: cuius author Robertus Swaffam eiusdem cœnobij Monachus, vixit tempore Henrici secundi, qui successit Stephano, (vocaturque Henricus filius Imperatoris, eo quod Mathilda mater fuerit Imperatrix) Hic ergo Robertus Swaffam historiam Petrcburgensis Abbatiæ scripsit à fundatione, vsque ad sua tempora: qui quanta fide scripserit, ex hoc historiæ suæ exordio potest colligi, quod tale est.

SCripturus de loco, qui quondam Medeshamstede, nunc autem consuetè vocatur Burgh, primum & præcipuè lectorem admoneo, ne rusticitatem verborum, vel dictaminis, sed veritatem historiolæ attendat, & si cui emendare vel melius dictitare placuerit, concedimus: dum omnimodis, ex sensu inde aliqua demere caueat, sciens pro certo, me ex proprio nihil fingere, nec vt placeam alicui, aliqua mendaciter componere. Testor enim ipsam veritatem, quæ nescit mentiri, me nihil scribere, nihil dictitare, nisi quod in veteribus scriptis reperi: vel antiquorum, & fidelium narratione didici, quod etiam, & qui studiosè requirere voluerit, adhuc scripta reperire, vel narrare, vel probare poterit.

ANNOTATIO.

Exemplaria huius historiæ duo sunt: vnum penes nobilissimum Dominum Robertum Cotton, aliud penes Decanum, & Capitulum Petroburgensis ecclesiæ, quod vltra Swaffami historiam, habet etiã eiusdem continuationem per varios eiusdem Abbatiæ Monachos concinnatam, vsque ad tempora Edouardi primi. Sed in historia ipsius Rob. Swaffami habetur hoc, quod hic posuimus, capitulum: ex quo patet clarissimè, nec vsque ad illud tempus, nec postea, fuisse Monasterium illud Cluniacensibus subiectum: ait igitur.

IN alio item anno ipse Abbas inchoauit nouam ecclesiam, & iactauit fundamentum, octauo Idus Martij, anno ab incarnatione Domini 1118. & multum operatus est in eâ, sed non compleuit, percussus à morbo insanabili, scilicet hydropicâ, vitam finiuit. Rexque tenuit Abbatiam in manu suâ duobus annis. Post hæc venit, quidam Henricus Abbas de Angeli, & persuasit regi, reliquisse se Abbatiam suam propter guerram, & hoc per consilium Papæ, & Abbatis Cluniacensis, fecisse: & mentitus est, sed hoc finxit, vt haberet duas Abbatias in manu suâ, vnam hic, & aliam ibi. Concessit itaque ei Rex Abbatiam de Burgh, reclamantibus, & contradicentibus Baronibus ac etiam episcopis, non debere eum habere duas Abbatias, sed tamen Rex deceptus est, & ipse tenuit per quinque annos. Ipse enim in Clericatu fuerat Episcopus, apud Suessionem ciuitatem, & postea factus est Monachus, & Prior apud Clugny, & postea factus est Prior apud * Suauem. Deinde quia cognatus erat Regis Angliæ, & Comitis Aquitaniç, dedit idem Comes Abbatiam S. Ioannis Angeli, & quia versutus erat, & callidus, & ingeniosus, postea acquisiuit Archiepiscopatum Bizantinum sed ibi non moratus est, nisi per tres dies. Adhuc nõ sufficiebat ei, sed rursum acquisiuit Episcopatũ de Saints, vbi penè per octo dies fuit, & de hoc, sicut de Bisanzum eum Abbas de Clugny expulit; & quia nũquam quietus esse voluit, acquisiuit legationem colligendorum denariorum Romæ, in Angliâ, vt per hoc Abbatiam acquireret, quod & fecit: nam veniens ad Regem Henricum, dixit se esse valdè senem, & valde tribulatum, & non posse amplius laborare, nec ferre mala, & iniquitates terræ, vbi conuersatus est: & sicut, diximus, dimisisse se Abbatiam suam, & hoc per consilium Papæ, & Abbatis Cluniacensis, & hic se velle quiescere; & idcircò nominatim Abbatiam de Burgh, qui tunc sine pastore erat, per se & per suos amicos petijt, & concessit ei Rex eandem Abbatiam. Cum venisset autem præfatus Abbas, ad Monasterium, mansit ibi penè vno anno, & accepit homagium, & pecuniam de militibus, & de totâ Abbatiâ, & nihil boni ibi fecit, sed totum misit, & portauit ad Abbatiam suam, & profectus est illuc, per Regis licentiam, & fuit ibi similiter penè vno anno. Postea autem reuersus, dixit se ex toto reliquisse Abbatiam suam, & eodem anno *Petrus Abbas de Clugny venit ad Angliam, & susceptus est per præceptum Regis cum honore, omnibus Monasterijs. Venit similiter ad Burgh, & ibi honorificè susceptus est, ibique promisit ei Abbas Henricus, acquirere ei Monasterium illud, vt esset subiectum Clugny: & Abbas Clugny domum reuersus est.

Ioannes de Sayis Abbas.

Henricus Abbas.

* Siluiniacum fortè.

*Primus eius nominis, dictus venerabilis.

Alio autem anno, collegit idem Abbas Henricus pecuniam magnam, & mare transfretauit ad Regem, & dixit ei, quod Abbas de Clugny pręceperat ei venire, & reddere ei Abbatiam S. Ioannis de Angeli, & postea liberum redire ad Angliam. Iuit itaque illuc, & fuit ibi, vsque ad natiuitatem S. Ioannis Baptistæ: alio autem die post festiuitatem S. Ioannis, Monachi de eodem Monasterio elegerunt sibi alium Abbatem de suis: Abbatem verò Henricum Comes, & Monachi, cum magno dedecore expulerunt. Eiectus autem, & proiectus inde venit Clugny.

gny, ibique detentus est. Abbas verò & Monachi valdè irati cum eo, dixerunt se perdidisse Abbatiam S. Ioannis per stultitiam eius: nec potuit egredi vel ingredi, donec iterum suâ arte, & astutiâ eos fefellit. Promisit itaque eis, & iurauit, quod si posset reuerti, & venire in Angliam, acquireret eis, & subijceret Burgensem Abbatiam, & ibi constitueret Priores, & Secretarios, & cellerarios, & camerarios, & omnia commendaret in manibus eorum, intus & foris. Sicque per hoc pactum exiuit, & ad Angliam redijt.

Ergo antea nō erat Cluniacensis iuris.

Posthęc Rex de Normanniâ venit, & idem Abbas ad eum accessit, accusans valdè Monachos Burgenses, apud eum: propter hoc, non quod verum diceret, sed vt deciperet Regem, & subijceret Cluniacensibus, sicut promiserat, ipsum Monasterium.

Rex autem iratus nimium misit propter Monachos, apud Bramtum, & ante eum actum est placitum, & penè deceptus erat, nisi adiutorium Dei affuisset, & consilia Episcoporum, de se rescribi, & de incolis, & Baronum interuenissent: qui iam intellexerant fraudulentias eius. Cum autem, quod cogitauerat, perficere non posset; voluit nepotem suum Gerardum hæredem, & Abbatem facere pro se, vt quod ille non potuit, iste perficeret, in illis diebus, & in eius tempore, in magnâ tribulatione, & angustia erant serui Dei, Monachi Burgenses: Deus autem consentire noluit, vt ipse Gerandus Abbas esset. Tandem non post multum temporis posthæc, intellexit Rex fraudulentias eius, & misit pro eo, & iussit ei vt redderet Abbatiam de Burgh, & exiret de terrâ suâ: quod & fecit; & Rex per consensum Monachorū dedit Abbatiam eandem cuidam Monacho Religioso, Martino nomine de Bec, qui Prior apud S. Neotum erat. Abbas autem Henricus, cum suis mare transiuit, & iterum Abbatiam suam de Angli recuperauit. Quicquid tamen fecit, bonus eleemosinator omnibus diebus fuit, & ideò, sicut dicunt, bonum finem fecit, nam non diu postquam ibi venit, vixit. Martinus verò Abbas in die festiuitatis S. Petri, cum magno honore, & gaudio susceptus est à Monachis, & omni populo. In altero autem anno, & alio die post festiuitatem S. Petri, quæ dicitur ad Vincula, Rex mare transfretauit, & in naui vj. horâ obdormiuit. Surrexit post eum Rex Stephanus, nepos eius, mitis & humilis, &c.

Hinc etiā constat Beccensem Abbatiā, (cuius cella fuit S. Neotus) non fuisse iuris Cluniacensis: alioquin Priorē de Abbatiâ Beccensi sibi non elegissent Burgenses, qui tantū laborauerāt, ne Cluniacensibus, per Hēricum illum subijcerentur.

SCRIPTVRA LXV.

Factum D. Sampsonis Abbatis Edmundiburgensis, in receptione Abbatis Cluniacensis Hugonis V. qui fuerat Abbas Ramseyæ: anno 1200. Ex historiâ manuscriptâ Edmundiburgensis Monasterij cuius author Iocelinus de Braclaud, eiusdem cœnobij Monachus. Est in Bibliothecâ Nobilissimi Domini D. Roberti Cottoni.

VIdebatur Dominus Abbas decipi quâdam specie recti, quia scilicet scriptura dicit, *Honorem meum alteri non dabo.* Abbati Cluniacensi venienti ad nos, & à nobis, sicut decuit, suscepto, cedere noluit Abbas noster, nec in Capitulo, nec ad processionem factam die Dominico, quin sederet, & staret medius inter Abbatem Cluniacensem, & Abbatem Certesiensem. Vnde diuersi diuersa sentiebant, & multi multa loquuti sunt.

ANNOTATIO.

Et vt intelligatur non hoc typho superbiæ, aut inobedientiæ vitio fecisse: sed ex iure, & auctoritate sibi in suo cœnobio debitum locum seruasse, quantæ sanctitatis vir fuerit hic Abbas Sampson, ostendunt hæc inter alia quæ de illo habet prædictus Iocelinus noster.

HOmo semper sobrius, nunquam desidiosus: multum valens, & volens equitare, vel pedes ire, donec senectus præualeret, quæ talem voluntatem temperauit, qui audito rumore de captâ cruce, & perditione Ierusalem, femoralibus cilicinis cœpit vti, & cilicio loco stamineæ,

ſtamineæ, & à carnibus, & carneis abſtinere. Carnes tamen voluit ſibi anteferri ſedens ad menſam, ad augmentum ſcilicet eleemoſyne. Lac dulce, & mel, & conſimilia dulcia libentius, quam cæteros cibos comedebat. Mendaces, & ebrioſos, & verboſos, odio habuit, quia virtus ſeſe diligit, & aſpernatur contrarium. Murmuratores cibi, & potus, & præcipuè Monachos murmuratores condemnans, tenorem antiquum conſeruans, quem olim habuerit, dum clauſtralis fuit. Hoc etiam virtutis in ſe habuit, quod nunquam ferculum coram eo poſitum voluit mutare, quod cum ego nouitius vellem probare ſi hoc eſſet verum, fortè ſeruiui in Refectorio, & cogitaui penes me vt ponerem coram eo ferculum, quod omnibus alijs diſpliceret, in diſco nigerrimo, & fracto, quod cum ipſe vidiſſet, tanquam non videns erat. Factâ autem morâ, pænituit me hoc feciſſe, & ſtatim erepto diſco, ferculum & diſcum mutaui in melius, & aſportaui. Ille verò emendationem talem moleſtè tulit, iratus, & turbatus. Homo erat eloquens Gallicè, & Latinè: magis rationi dicendorum, quam ornatui verborum innitens, ſcripturam Anglicè ſcriptam legere nouit elegantiſsimè, & Anglicè ſermocinari ſolebat populo, ſed ſecundum linguam Norfolciæ, vbi natus, & nutritus erat, vnde & pulpitum iuſſit fieri in eccleſia, & ad vtilitatem audientium, & ad decorem eccleſiæ.

SCRIPTVRA. LXVI.

Scripta quædam fragmenta D. Ioannis VVheathamſted Abbatis Sancti Albani, quondam Præſidis, & poſtea Procuratoris Ordinis Nigrorum ad Concilium Papiæ; deſumpta ex veteri manuſcripto libro, quem habet Bibliotheca illuſtris D. Roberti Cottoni, erat autem olim Bibliotheca Sancti Albani.

SAnctiſſimo in Chriſto patri ac Domino Martino, ſacroſanctæ eccleſiæ Roman. diuinâ prouidentiâ pontifici ſummo, eius creationis filius, ſeruitorque continuus, Ioannes Abbas de ſancto Albano Nigrorum Monachorum in Angliâ Præſidens licet indignus, acceptiſſimum obedientiæ, &c.

Præhonorabili in Chriſto patri Ricardo Abbati Abingdon, Ioannes Albanenſis, nigrorum Monachorum in Angliâ Præſidens reuerentiam debitam cum honore. Commiſſi nobis cura regiminis, mentem noſtram vehementer ſolicitat, vt ſuper certis exceſſibus, in quibus, prout ſuſcepimus, grex veſter puſillus notabiliter ſtat ſuſpectus, breues vobis apices pro aliquali reformationis remedio ſcriberemus, ſuſcepimus namque, &c.

Venerabili in Chriſto Patri Domino Willielmo Abbati Malmesburienſi. Suus vnus, & vnicus Ioannes de ſancto Albano, Abbas, nigrorumque Monachorum in Angliâ Præſidens, reuerentiam debitam cum honore. Venerabilis Domine, & pater, &c.

Ioannes diuinâ patientiâ Abbas exempti Monaſterij Sancti Albani Ordinis Sancti Benedicti Lincolnienſis Diœceſeos, &c.

Ioannes permiſſione diuinâ, Abbas Monaſterij ſancti Albani, Ordinis ſancti Benedicti, Lincolnienſis Diœceſeos, ad Romanam eccleſiam nullo medio pertinentis. Dilecto nobis in Chriſto, &c.

Anno iam dicti patris tertio, & Chriſti incarnationis, milleſimo quadringenteſimo tertio, celebratâ Londini Conuocatione ſolemni pro horum electione Prælatorum, qui ad Papienſe Conſilium tranſire habeant, & ibidem reſpondere pro Anglicanâ Natione, & pro parte cleri: cum vndecim electis, duodecimus annumeratus eſt, iſte Abbas ſuperque ſuâ annumeratione has à Cantuariæ Archipreſule recæpit epiſtolas Certiorantes, &c.

Vniuerſis pateat per præſentes, quod nos Ioannes permiſſione diuinâ, Prior eccleſiæ

Cathedralis Wigorniensis Ordinis Sancti Benedicti, Prouincialis Capituli Nigrorum Monachorum in Angliâ, licet immerito Præsidens, satis de fidelitate, & puritate conscientiæ ac circumspectionis industriâ venerabilis in Christo patris magistri Ioannis Dei permissione Abbatis monasterij Sancti Albani Ordinis supradicti, ac sacræ paginæ professoris in Domino confidentes, eundem Magistrum Ioannem præfatum Abbatem, facimus, constituimus, & ordinamus per pręsentes nostrum, & Capituli nostri prædicti, ac ordinis nostri Prouinciæ Anglicanę prædictæ procuratorem, negotiorum gestorem, ac nuncium specialem, & generalem, in omnibus causis, & negotijs nos, & Capitulum nostrum, aut ordinem nostrum huiusmodi, seu statum, & vtilitatem vniuersalis ecclesiæ qualitercunque concernentibus, in proximo generali Concilio apud * Papiam seu, alibi per sanctissimum in Christo patrem, & Dominum, Dominum Martinum diuinâ prouidentiâ Papam quintum, seu eius auctoritate, celebrando, aut in Romanâ Curiâ motis, tactis, mouendis, seu tangendis. Ac damus, & concedimus dicto procuratori nostro potestatem generalem, & mandatum speciale nostro nomine, totius, & Capituli prædicti, & dicti Ordinis Prouinciæ Anglicanæ, in Concilio generali prædicto, & in Romanâ Curiâ huiusmodi, ac in causis, & negotijs prædictis, comparendi, & inter essendi, in his, quę ibidem ad Dei laudem, & vtilitatem communem ecclesiæ vniuersalis prædictæ concorditer, & salubriter ordinari contigerit, consentiendi, ac supplicationes, & petitiones vtilitatem, quietem seu decorem vniuersalis ecclesiæ, aut nostri Capituli Prouincialis, seu dicti Ordinis, concernentes proponendi, & prosequendi, &c,

Venerabilibus in Christo patribus ac Dominis, Dominis Monasticæ Religionis in Angliâ Præsidentibus, suus procurator vtinam tam efficax, quam assiduus Ioannes de Sancto Albano, Abbas in *Genensi Concilio legitimè constitutus, Platonis prudentiâ, in regimine, Salomonisque scientiam in omni tam opere, quam sermone; præhonorabiles Domini patres ordinis, & patroni, multis, &c.

*Senensi.

Verba Abbatis ad Papam Martinum in primâ locutione cum eodem, Pater beatissime, summe vniceque pontifex, & indubitate, de remotis orbis limitibus ad magnæ vrbis vineam, & si nouissimus iam veniat nouissimus vestræ sanctitatis operarius, & post vndecimam horam: attamen quia sui moram accessus vera, non ficta, cunctorum conscio, causauit infirmitas: humilimè supplicat ac inuocat deuotissime illum sibi minime denegandum denarium, quem singuli iam suscipiunt in mercedem, qui primo mane exeuntes ad opus accesserunt Apostolicum, & circa *horam, propterea pater sacer, & sacratissime patrone, quia potestatis arbitrio libet, si velit, primos facere de nouissimis, paucosque eligere de vocatis multis: velit vestra, si placeat, beatitudo vestros filios, quamquam nouissimos, de Sancto Albano adeo specificè habere recommissos, vt inter cæteros, qui ad immediatam vocati sunt obedientiam, statuantur in electorum numero, ac cum ijs, qui portant pondus diei, & æstus, se similes censeant, ac consimiles in stipendio vespertino. Insuper Pastor summe, in ęternumque beate, gratum quia decet filium successibus paternis applaudere, & collaudare Deum, de illâ conductione fælici, & vere fælici, &c.

Quibus sub breuiloquio sic locutis, statim Prælato Pontifex in hac verborum sententiâ dabat benignum responsum dicens. Fili carissime. Et si inter cæteros vestræ nationis Prælatos vos nouissimè laqueo egritudinis retardante ad nostram vineam accesseritis, nos tamen eius vestigijs inhærendo, qui iussit nouissimo dari sicut, & primo, volumus vos in mercede parificare cum priore: nec denegabitur vobis paris valoris denarius cum illo, qui dabatur ipsis, qui priores ad hanc nostram vineam accesserant, & vos præuenerunt ad labores. In tantum vtique habemus vos, & vestros, propter immediatam subiectionem, recommissos; vt quicquid à nobis cum ratione petere decreueritis, concedere nos oportebit, nec poterimus denegare nobis. Igitur cum Sancti Petri, & nostrâ benedictione recedatis, & redeatis cum supplicationibus, quando vacauerit, & nos vobis nostri promissi optatam gratiam faciemus. Abbas igitur post varia interlocutoria, &c.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monasterij Sancti Albani Romanæ ecclesiæ immediate subiecti, Ordinis Sancti Benedicti, Lincolniensis Dioceseos, salutem & Apostolicam benedictionem. Sincere, &c.

SCRIP-

SCRIPTVRA LXVII.

Fundatio & indigenatio Prioratus Bermondſeiæ : ex quo clarè conſtat domos Cluniacenſum in Anglia, & ab alienigenis fuiſſe gubernatas, & alienigenis maxima ex parte repletas : ex deſcriptione Londini edita per Stoum.

PRioratus Bermonſeiæ fundatus per Alduinum Child ciuem Londinenſem, in Southwarke, anno 1081. Petrus, Richardus, Osbertus, & Vnibaldus Monachi de Charitate, primi venerunt Bermonſeiam anno 1089. è quibus Petrum huius domus Priorem conſtituit Prior Charitatis in Franciâ; Propterea cum hæc domus cella eſſet domui illi Charitatis ſubiecta, inter alienigenas computabatur. Anno autem Domini 1371. cum Prioratus alienigenarum per totam Angliam Regio fiſco addicerentur, Ricardus Denton Anglus factus eſt Prior Bermonſeiæ, cuſtodiaque domus dictæ ei commiſſa eſt per literas patentes Regis Edoardi tertij, anno autem 1380. quartoque Ricardi ſecundi, Prioratus iſte factus eſt indigena, ſeu, ciuitate aut immunitate Anglicâ donatus, perſolutâ Regi mnctlâ ducentarum marcarum; anno vero 1399. Ioannes Attleborough Prior Bermondſeiæ creatus eſt primus eiuſdem domus Abbas à Bonifacio nono ad inſtantiam Regis Ricardi ſecundi.

Exemplar indigenationis Prioratus Bermondſeiæ ex patent. 4. Regi Ricardi. 2. in turri Londinenſi.

REx (*Henricus* 4.) omnibus ad quos, &c. ſalutem. Inſpeximus chartam Domini Ricardi nuper Regis Angliæ, &c. Inſpeximus etiam quandam aliam chartam eiuſdem Domini Ricardi nuper Regis factam in hæc verba, Ricardus (*Secundus*) Dei gratia Rex Angliæ, & Franciæ, & Dominus Hyberniȩ, omnibus ad quos præſentes litere peruenerint, ſalutem Sciatis, quod de gratiâ noſtrâ ſpeciali, & eâ conſideratione, quod Prioratus Bermondſeiȩ, qui de fundatione progenitorum noſtrorum, & patronatu noſtro exiſtit, per minus idoneum regimen, & negligentiam Priorum alienigenarum, (qui ibidem ante hæc tempora fuerunt) de Corrodijs vehementer extitit oneratus, & alijs pluribus modis dilapidatus, vt in decaſu ædificiorum, & diminutione redituum ad Prioratum illum pertinentium, vſque ad tempus, quo dilectus nobis in Chriſto frater Richardus Denton Anglicus, qui Prior ibidem in præſenti exiſtit, regimen eiuſdem habuit, qui quidem Frater Richardus tempore ſuo ſtatum Prioratus prædicti maximè releuabat, ſicut certò ſumus informati : Ad requiſitionem prædicti Ricardi de aſſenſu conſilij noſtri, & pro fine ducentarum marcarum, quas prædictus Frater Ricardus nobis in Hanaperio cancellariæ noſtrȩ ſoluit, conceſſimus pro nobis, & hæredibus noſtris, quantum in nobis eſt, præfato fratri Ricardo, quod ipſo, & ſucceſſores ſui in perpetuum ſint indigenæ, & in omnibus tanquam indigenæ, & non vt alienigenȩ reputati, & tractati, & habeant liberè prȩdictum Prioratum cum omnibus terris, & tenementis, reditibus, & poſſeſſionibus feuldis militum, & aduocationibus eccleſiarum ad eundem Prioratum ſpectantibus, abſque aliqua nobis vel hæredibus noſtris pro prȩdicto Prioratu, ſeu pro aliquibus poſſeſſionibus ſpectantibus ad eundem ſoluenda, occaſione alicuius guerræ motæ vel mouendæ inter nos, & aduerſarium noſtrum Franciæ, & hæredes ipſius aduerſatij, quocunque aliquo tempore futuro, quamdiu Prior, & Conuentus Prioratus prædicti, vel Prior, & maior pars Conuentus ibidem Angli exiſtant in Angliâ oriundi : prouiſo ſemper, quodſi ex nunc contingat, quod præfatus Prior, vel maior pars Con-

uentus prædicti durante dictâ guerrâ fuerit alienigena, tuncpro tempore illo Prioratus prædictus cum terris, tenementis, redítibus, possessionibus feudis, & aduocationibus in manum nostram, seu hæredum nostrorum recipiatur, & Prior ibidem oneretur ad soluendum nobis, & hæredibus nostris dictâ guerrâ durante talem firmam, prout ante præsentem concessionem ad firmam nobis solui consueuit pro prioratu supradicto; & hoc non obstante, omni tempore, quando prædictus Prior, & maior pars Conuentus prædicti fuerint Anglici, vt prædictum est, ipsi habebunt liberè prædictum Prioratum cum terris, tenementis, redítibus, possessionibus, feudis, & aduocationibus, & inde erunt quieti, & exonerati de prædictâ firmâ modo supradicto, in cuius rei testimonium has literas nostras fieri fecimus patentes teste meipso apud Westmonaster. vicesimo nono die Maij, anno regni nostri quarto. Nos autem donationes concessiones, confirmationes, remissiones, & exonerationes ratas habentes, & gratas, eas pro nobis, & hæredibus nostris, quantum in nobis est, acceptamus, approbamus, & dilectis nobis in Christo nunc Abbati, & Conuentui de Bermondsey, & successoribus suis concedimus, & confirmamus, sicut chartæ, & literę prædictæ rationabiliter testantur. Et idem Abbas, & Conuentus, & prædecessores sui eis virtute chartarum, & literarum prædictarum à tempore confectionis earundem hactenus rationabiliter vti, & gaudere consueuerunt. In cuius rei, &c. teste meipso apud Westmonst 2. die Aprilis, anno primo Regis Henrici 4.

ANNOTATIO.

Ex hac indigenatione constat, tempore belli inter Reges Angliæ, & Franciæ commoti, omnes Cluniacensium, aliorūque alienigenarum, possessiones in manus regias sumi fiscoque adiudicari solitas: Regemque ipsis Religiosis easdem suas possessiones ad firmam elocare consueuisse constitutâ annuâ pensione, quam tanquam firmarij, seu censuarij pro eisdem possessionibus fisco regio soluerent: vnde etiam patet quid velit ille secundus Catalogus alienigenarum supra positus, & ex turri Londinensi descriptus.

Secundò constat in domibus Cluniacensium plerosque Monachos ipsosque Priores Francicos fuisse, siue alienigenas: & vt huic malo occurreretur, essentque prioratuum superiores, & maior pars incolarum naturales Anglici, concessam fuisse ipsis Prioratibus indigenationem, sub prædictis rescriptionibus.

Tertiò patet, eum qui Ricardo Denton successit in gubernanda domo Bermondseiæ, fuisse iamfactum Abbatem; & hoc factum est, non auctoritate Abbatis Cluniacensis, quia subdi nequiuisset Prioratui de Charitate Abbatia; sed auctoritate Pontificis, & instantia Regis: Cur autem Reges hoc a Pontifice voluerint postulare, causa redditur in sequenti scripto, nempe, vt esset vnus saltem Abbas ordinis Cluniacensium in Anglia, qui professiones nouitiorum exciperet, quoniam Priores dicti ordinis per antiqua statuta id non poterant, sed nouitios professionem edituros trans mare Cluniacum mittere tenebantur. Vnde quis non videt, nullum fuisse in Anglia Abbatem Cluniacensis ordinis, antequam à Parlamento fuisset ordinatum vt Prior S. Pancratij fieret in finem prædictum Abbas? At tunc fuerunt. 25. Abbates ordinis nigrorum, qui in Parlamento ius suffragij haberent, præter alios minorum domuum Prælatos, quibus id non fuit concessum.

Nota, finem ducentarum marcarum; Sic vocant mulctam, qua soluta, finis vadimonio imponebatur. Hanaperium, genus est cistæ, in qua charte, vel alia reponuntur.

SCRIP-

SCRIPTVRA LXVIII.

Supplicatio Cluniacensium exhibita Regi Eduardo III. in Parlamento; ex qua clarißimè patet paucißimos Anglos fuisse Ordinis Cluniacensium. In Turri seu arce Londinensi: ex bundello petitionum Parlamenti apud VVinton anno 4. Eduardi III. num. 63. Orthographia illorum temporum seruata.

A Nostre Seigneur le Roy, & a son conseil monstrent plusieurs de l'ordre de Cluny, coment les mesuns sont malement gouuerné en spirituaute e en temporauté, en grant dishonnour de nostre Seigneur le Roy, e en grant damage des moynes e des mesmes, & de ce prient remedie.

Premierement en grant domage de nostre Seigneur le Roy e en disheritage de ces ministres que fonderent les mesons, la ou dussent estre karant moynes, ou trent, il ny a sur la tierce partie, e nommement a Montaguee a Bermondsey: e per tant, e de ce ke il dussent sustener les moynes, ils donnent grans dons pur mentenyr lur errur, e emportent les byns hors de la terre a dishonnour de Roy e grant damage de mesons e des moynes.

Le second mal, il ne sont visité de Arceuekene de Eueke ne de nul de la natiun de la terre a grant damage de mesmes, e de moynes.

Le ters mal, il ny a nul election e ce encontre la reule seynt Benet: mes cel sera Pastor ke ne set reyns de clergie mes queiller le argent e emporter sevent il byn hors de la terre.

Le kart, ke si vn moyne parle de ordre ou de religiun, il sera mandé cent lewes hors, e a pè, e a poy despenses, e pur ice le ordre de Cluny e alle a hunte, & per ice nul ne ose parler de religiun.

Le quint mal est: nous ne sumus vint profes en cete terre, e les aliens auerunt despenses, & les Engleys faudrunt byn: e les

Domino nostro Regi, & cōsilio suo remōstrant cōplures de ordine Cluniacēs, quod domus male gubernentur in spiritualibus, & temporalibus, in grande dedecus Domini nostri Regis, & grande damnum Monachorum, & ipsorum (*Cluniacensium*) & eius mali remedium orant.

Primum, in grande damnum Domini nostri Regis, & in exhæredationem subditorum suorum, qui domus (*ordinis Cluniacensis*) fundauerunt, vbi debeant esse quadraginta, vel triginta Monachi, non est tertia pars eorum, nominatim in Monteàcuto, & Bermondseia, & similiter in alijs omnibus domibus: & ex eo quo deberent Monachos alere, magna dant munera ad suum errorem manutenendum, & exportant bona extra terram in dedecus Regis, & grande damnum domuum, & Monachorum.

Secundum malum, non visitantur ab Archiepiscopo, Episcopo, aut vllo nationis Anglicæ; in graue damnum domuum, & Monachorum.

Tertium malum, nulla fit electio; & hoc est contra regulam S. Benedicti: sed talis erit Pastor, qui nihil nouerit clericale (*indoctus*) sed tantum argentum colligere, & exportare sæpius bona extra prouinciam.

Quartum, quod siquis Monachus loquatur de ordine, aut de Religione (*de moribus emendandis*) amandabitur per centum leucas pedes, cum expensis paruis: propter quod ordo Cluniacensis abit in ignominiam, & hinc nemo audet loqui de Religione.

Quintum malum est: non sumus viginti professi in hac prouinciâ, & alienigene habent, quod expendant, Anglicis verò desunt

vns sunt karant anns en le ordre auant ke il seyent profes, e les autres ne sunt iames profes. Ce fut vn des ordonances ordiné en parlement pur le ordre de Cluny, ke ky fut Priur de Lewes dust etre vn Abbé pur fere les moynes profes en lur terre deymeine, e oyr e determiner les pleynts en lur terre, ke ons ne vsent mester de passer la mere e estre huny e perdu.

Le sime grant mal est, ke le vne natiun serunt tuz mestres per heritage ne seyent il ya si poy, e ne facent il si malement; e les autres tus suges, ne facent il si byn, e ce en encontre la reule seyent Benet. Les deus naciuns en vne mesun ne sey accorderunt iamés. Grante bonte sereyt de amender les grant damage ke auenent de ces maus.

sunt commoda, & aliqui erunt per quadrata annos in ordine priusquam profitebuntur, & alij nunquam sunt professi. Fuit ordinatum inter cætera Parlamento pro ordine Cluniacensi, vt qui fuisset Prior Lewiarum (*S. Pancratij*) debuisset esse Abbas, vt exciperet professiones Monachorum in terrâ, propriâ, & audiret ac terminaret querelas in ipsâ prouinciâ, absque eo quod necessarium foret mare transire, cum periculo ignominie, & perditionis.

Sextum magnum malum, est quod vnius nationis Monachi (*Franci*) omnes dominabuntur quasi hæreditario, quantumuis pauci sint, & mala faciant alij verò (*Angli*) omnes erunt subditi, quantumcumque bene agant; quod est contra regulam S. Benedicti. Ambæ nationes in eâdem domo nunquam conuenient: Magnæ bonitatis foret mederi magnis incommodis, quæ ex his malis oriuntur.

Apostilla seu responsio superscripta à tergo huius supplicationis.

Soyt maundé a les Abbes, & Priours del dit ordre, que sont del patronage del Roy en Engleterre qil facent hastife amendement des choses contenues in cest petition, in peril appertement issi, que le Roy ne ad mestre de metere la maine en autre manere.

Et quant as Abbeis & Priories que sont de autre aduoere, nihil fiat.

Sit injunctum Abbatibus, & Prioribus dicti ordinis, qui sunt de patronatu Regis in Angliâ, vt celeriter contenta in hac petitione reforment, sub periculo, aliâs imminente: ne Rex habeat causam admouendi manum aliò seueriori modo.

Quantum ad Abbates, & Priores, qui alios habeant patronos: Nihil fiat.

ANNOTATIO.

1. Animaduertendum primo, Monachos istos, quamuis seruarint regulam S. Benedicti, quam & pro se citant: non tamen se vocare ordinis S. Benedicti, sed ordinis Cluniacensis, & de deformatione ordinis Cluniacensis conqueri, non ordinis S. Benedicti.

2. Loqui eos de toto ordine Cluniacensi per Angliam, quasi hi abusus in omnibus domibus Cluniacensium per Angliam contingerent, nominare autem solum Montacutum, & Bermondseiam, quia erant fundationis, & Patronatus Regalis, atque ideo illis duabus domibus prouidetur; non alijs; vel quia alij non sint conquesti, vel quia rem Patronis singularum domum ordinandam Parlamentum reliquerit. Certum est autem hæc mala, quæ hic enumerantur, nullo modo contingere domos Nigrorum ordinis S. Benedicti.

3. Paucissimi dicuntur professi Cluniacenses in Anglia: viginti duntaxat, quod vel de Anglis solis, vel etiam de omnibus intelligi potest; vt non fuerint tot professi de ordine toto Cluniacensi in Anglia, quot Barones parlamentares de ordine S. Benedicti, quos omnes Anglos fuisse certum est, cum ad consilia Regis tunc admitterentur, quando Prioratus Cluniacenses orto bello inter Anglos, & Francos, fisco regis adiudicarentur.

4. Aduerte

4. Aduerte maximum abusum, expectaſſe aliquos per quadraginta annos, ante profeſ-ſionem, & aliquos etiam poſt tot annos nunquam profeſſionem accepiſſe: cum tamen in cænobijs nigri, ordinis Angliæ (vt conſtat ex ſtatutis Ottoboni) non poterat vllius profeſſionem differre vltra biennium; & certum eſt paucos fuiſſe in illis cænobijs, qui non fuerint profeſſi. Numeroſiſſima tamen fuerunt illa cænobia, cum monaſterium Cantuarienſe Chriſti, habuerit centum viginti, & amplius Monachos, & Glaſtonienſe, etiam tempore Henrici, 8. vltra centum Monachos chorales.

5. Non fiebant ſuperiores Cluniacenſes in Anglia per electionem; ſed nimirum per nominationes Abbatis Cluniacenſis, aut Priorum francorum de charitate, vel S. Martini de campis, &c. Atqui ſuperiores Abbatiarum, S. Benedicti fiebant per electionem conuentuum ſuorum.

6. Non viſitabantur Cluniacenſes in Angliâ per vllum hominem nationis Anglicæ: ſed nimirum tantum per francos ab Abbate Cluniacenſi deſtinatos: at noſtræ Abbatiæ ordinis S. Benedicti viſitabantur, & per viſitatores Anglos à capitulo Prouinciali deputatos, & per Epiſcopos Diœceſanos; etiam exemptæ Abbatiæ, licet non ab Epiſcopis, tamen à viſitatoribus capituli prouincialis.

7. Gallis abunde prouidebatur in domibus Cluniacenſium per Angliam: Anglis non item: At hoc malum non poteſt accommodari Abbatiis Anglicis.

8. Nullus ſuper totum Cluniacenſium per Angliam poterat profeſſiones Monachorum excipere: ideoque fuit ordinatum, vt Prior, S. Pancratii Abbas fieret, ad eum finem. At Abbates Angliæ indigenæ ſuorum Monachorum profeſſiones excipiebant.

9. Nouitij Cluniacenſes profeſſionem accepturi debebant mare tranſfretare Cluniacum vſque. At non Abbatiarum indigenarum Angliæ nouitii.

10. Cauſæ & querelæ Cluniacenſium in Anglia non terminabantur vltimo per ipſorum ſuperiores in Anglia exiſtentes: ſed ſæpe cogebantur cum periculo transfretare, vt lites terminarentur: at cauſæ Monachorum Nigrorum terminabantur in capitulo ſuo Prouinciali.

11. Soli Galli erant Cluniacenſium Domuum ſuperiores: at Abbates Capitulares nunquam erant Galli, ſaltem ex quo capitulum prouinciale ſolitum eſt teneri.

12. In domibus Cluniacenſium plures erant Galli, quam Angli; quis credat hoc ipſum fuiſſe in tam celebribus Abbatiis totius Angliæ?

13. Superiores domuum Cluniacenſium, plurima exportabant in Galliam; quomodo hoc auſi fuiſſent Abbates tales ac tanti? lege Breullium in antiquitatibus Pariſientibus initio, & inuenies Hoſpitium Cluniacenſe redemptum, & reparatum fuiſſe peculio relicto ab vno Priore, S. Pancratii. Plura poſſunt ex hac ſupplicatione colligi, pro diſputationibus præcedentibus, ſed quid iſtis clarius aut euidentius potuit dici?

SCRIPTVRA LXIX.

Charta ſubmonitoria, qua Reges ſolebant Abbates, qui in Parlamento ſedem ſuffragiumque habebant inter proceres, ad Parlamenti comitia euocare.

HEnricus Dei gratiâ Rex Angliæ, &c. N. Abbati S. Albani. Quia de auiſamento conſilij noſtri pro quibuſdam arduis, & vrgentibus negotijs nos, & ſtatum, & defenſionem regni noſtri Angliæ, & eccleſiæ Anglicanæ contingentibus, quoddam Parleamentum apud (Weſtminſter, tali die) teneri ordinauimus, & ibidem vobiſcum, & cum cæteris Prælatis, magnatibus, & proceribus dicti regni noſtri colloquium habere, &

tractatum:

tractatum : vobis in fide, & dilectione, quibus nobis tenemini firmer iniungendo mandamus, quod consideratis dictorum negotiorum arduitate, & periculis imminentibus personaliter interfitis, nobiscum ac cum Prælatis magnatibus, & Proceribus prædictis, super prædictis negotijs tractaturi, vestrumque consilium impensuri, & hoc sicut nos, & honorem nostrum, ac saluationem, & defensionem regni, & ecclesiæ prædictæ, expeditionemque dictorum negotiorum diligitijs, nullatenus omittatis, teste meipso.

Catalogus Abbatum, qui erant Barones regni siue Parlamenti.

GVlielmus primus, Normannus, Angliæ conquestor dictus, Episcopatus, & Abbatias omnes, quæ Baronias tenebant, & eatenus ab omni seruitute sæculari libertatem habuerunt, sub seruitute statuit militari, inrotulans singulos Episcopatus, & Abbatias pro voluntate sua, quot milites sibi, & successoribus suis, hostilitatis tempore voluit à singulis exhiberi, iam inde ecclesiastici prædicti omnibus, quibus cæteri regni Barones gauisi sunt, immunitatibus.

1 Abbas Glastoniæ.
2 Abbas S. Augustini Cantuariensis.
3 Abbas S. Petri Westmonasteriensis.
4 Abbas S. Albani.
5 Abbas S. Edmundi de Bury.
6 Abbas S. Petri de Burgo.
7 Abbas S. Ioannis Colcestriæ.
8 Abbas Eueshamiæ.
9 Abbas Winchelcumbiæ.
10 Abbas Croylandiæ.
11 Abbas de Bello, siue Bataliæ.
12 Abbas Redingiæ.
13 Abbas Abendoniæ.
14 Abbas Salopiæ.
15 Abbas S. Petri Glocestriæ.
16 Abbas Bardeneyæ.
17 Abbas S. Benedicti de Hulmo.
18 Abbas Thorneiæ.
19 Abbas Ramseiæ.
20 Abbas Hydæ.
21 Abbas Malmesbiriæ.
22 Abbas S. Mariæ Eboracensis.
23 Abbas Selbeyę.
24 Abbas Tauestoke.
25 Prior Conuentriæ.

ANNOTATIO.

Omnes hi fuerunt Barones regni, & Parlamenti, non modo tantum nomine, sed regni pares, proceres, magnates, & consiliarii nati euocabanturque à regibus ad tractandum de arduis regni negotijs, & consilium de ijs impendendum.

SCRIPTVRA LXX.

Ex antiquo M. S. Dunelmensi.

Litera Abbatum in Capitulo Prouinciali Angliæ apud Northamptonam celebrato præsidentium, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo tertio.

Proæmium.

MOnasteriorum sancti Albani, & sanctę Mariæ Ebor ac sanctæ Wereburgæ Cestriæ Abbates, Prouinciali Capitulo ordinis sancti Benedicti in Cantuariẽsi, & Eboracensi Prouincijs præsidentes, venerabilibus patribus, & fratribus vniuersis eiusdẽ ordinis Abbatibus, & Prioribus proprios Abbates non habentibus, & eorum Conuentibus, ac Monachis singulis de eisdem, per easdem prouincias constitutis, salutem in Domino saluatore. Procliuis est ad malum humana fragilitas, facileque prorumpit in vetita, si proprio dimittitur arbitrio: hincque ne ordinis nostri professores effrenata libertate ad exercenda, quæque nefaria declinarent, leges nobis patres statuerunt antiqui, quibus nostra libertas coerceretur à vitijs, & cogeretur seruire virtutibus. Huius namque rei gratia, præter id quod summi pontifices, & eorum legati nos suis coarctarunt constitutionibus, & decretis, nostri etiam ordinis præsidentes varijs nos obligauere statutis. Ex quibus quidem statutis de totius nostri consensu Capituli nonnulla, eo quod fælicis recordationis Benedicti Papę duodecimi, & aliorum cõstitutionibus legatorum conijciunt: hincque inter statuta, quę per pręsidentes nostri ordinis sunt edita, non sit necesse conscribi, ex hac pagina tollenda fore decernimus, & in ea esse cętera conscribenda, quæ ex his digna duximus temporibus obseruari futuris, verum cum, secundum beatum Ambrosium, ea sit humanæ fragilitatis conditio, vt ardentius prohibita concupiscat, ad nostrumque spectet officium animas subditorum lucrari, non perdere: nostrę intentionis nequaquam existit, vt cum quicquam fieri prohibemus, aut vt quicquam fiat pręcipimus, vel mandamus; contrauenientes per hoc ad culpam aliquatenus obligemus mortalem, sed ad pęnam temporalem duntaxat in his nostris statutis taxatam, vel vbi per nos taxata non fuerit, per eorum Pręlatos taxandam. Vt autem scire possit facilius, quid in ipsis contineatur statutis; certas rubricas, seu titulos iuxta eorundem materias duximus præponendos.

1. De officio diuino.
2. De Pręlatis, & custodibus ordinis.
3. De obedientiarijs.
4. De quotidianis Capitulis.
5. De sigillo communi.
6. De grauibus culpis.
7. De confessionibus.
8. De claustro, & Claustri custodia.
9. De refectione.
10. De eleemosina.
11. De dormitorio.
12. De cura infirmorum.
13. De Nouitijs.
14. De occupatione.
15. De mittendis ad cellas.
16. De Monachis fugitiuis.
17. De Hospitalitate.
18. De vnanimitate Prælatorum.

19. De studentibus.
20. De Capitulis Prouincialibus.

CAPVT I.
De officio diuino.

Omnes adsint choro.

1. CVm in generali Concilio districtius sit præceptum, vt diuinum officium, nocturnum pariter, & diurnum, studiose ab omnibus, quibus id competit, celebretur pariter, & deuote: eorum defectui cupientes occurrere, qui indebite ab officio diuino se subtrahunt, non attendentes, quod non nisi in vinea laboranti sit retributionis denarius largiendus; nec quod nisi, qui altari deseruiunt, viuere debeant de altari; Præcedentium patrum imitantes decreta, statuimus, vt ad ipsum diuinum officium, nocturnum pariter, & diurnum, omnes & singuli mox audito signo concurrant, exspectaturi matutini, horarum, ac missarum principium, medium, atque finem; his duntaxat exceptis, quibus vt abesse valeant, à suis superioribus specialiter est indultum; Quos etiam superiores monemus, ne sint nimis faciles in huiusmodi licentijs concedendis.

Abbas cantet Euangelium in matutinis.

2. Cum autem Abbas, aut Prælatus alius superiorem non habens, interfuerit matutinis: iuxta regulam Euangelia ipsa legat, eisque absentibus ab ordinis custode legatur, vel ab hebdomedario magnæ missæ.

Amputantur prolixæ additiones.

3. Item ne orandi prolixitas pariat aliquale fastidium: statuimus, vt antiphonæ super *Benedictus*, & *Magnificat*, non nisi bis cantentur, quantumcunque solemne festum contigerit, quodque in principalibus festis, & quasi, ad vesperas, & ad laudes, post principalem collectam, facta, si requiratur, de die memoria, sufficiat postea de trinitate, de cruce, & de sancta Maria, & omnibus sanctis memorias decantare; alijs vero diebus fiant memoriæ de Trinitate, de cruce, de sancta Maria, de sancto Benedicto, de Patronis, & reliquijs loci nec non de omnibus sanctis; & capiatur ad singulas iuxta locorum consuetudinem curta venia super formas; orationes autem proprias ad sextam dici nolumus, vel ad nonam, sed ad omnes, præterquam ad primam, & completorium, dici orationem volumus principalem.

Quæ præces in horis dicēdæ.

4. Item, cum iuxta canonum sanctiones, Monachorum officium sit, sua & aliorum deflere peccata, precibusque continuis incumbere, & deuotis: Deo displicere non credimus, si preces olim dici solitas non omittamus; hincque licet prædecessores nostri ad horas Canonicas preces omitti statuerint, nosque in hac parte statutum eorum aliqualiter duximus imitandum, præsentisque auctoritate Capituli statuendo decernimus, vt saltem ad primam, & completorium olim vsitatæ preces dicantur, inter quas dicatur *Confiteor* sub hac forma. *Confiteor Deo, & Beatæ Mariæ, & sancto Benedicto, & omnibus sanctis, & vobis, quia peccaui cogitatione locutione delectatione consensu, & opere mea culpa, ideo precor vos orare pro me. Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, confirmet, & conseruet in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam.* Et ad missas addatur; *Absolutionem, & remißionem omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens, & misericors Dominus.* Ad cæteras autem horas sufficiat dicere pro precibus: *Saluos fac seruos, & ancillas tuas,* ac *Dominus vobiscum*, nisi vbi ex deuotione aliæ fuerint vsitatæ: quem quidem vsum, nisi eidem vsui contradicentibus ipsis Conuentibus, apud quos huiusmodi pius vsus existit, nolumus aliqualiter immutari: statuimus insuper vt ad prrimam Dominicis diebus tantum post collectam *In hac hora huius diei*, dicatur simbolum Athanasij, videlicet *Quicunque vult*; sequaturque oratio de Trinitate, *Omnipotens sempiterne Deus*, diebus autem ferialibus psalmi pænitentiales cum Litania dicantur in choro post primam; psalmi prostrales in quadragesima duntaxat dicantur cum curta venia super formas, longam namque veniam in choro de cętero fieri nolumus nisi in adoratione crucis; aut pro transgressionis emenda; vel cum psalmis pænitentialibus, & Litania post tumulationem fratris defuncti dicendis; vel pro pace, vbi hoc fuerit consuetum, & cum quis in diebus ferialibus benedictionem fuerit accepturus; Circulatio etiam, quæ *ante & retro* dicitur, non fiat de cætero: sed loco ipsius profundam inclinationem fieri volumus & deuotam.

Missis pro benefactoribus satisfaciēdum.

5. Item, quam sit graue periculum attendentes, si pro fundatoribus nostris, & his, quorum oblationibus viuimus, prout tenemur, minime celebremus, cum idcirco nos fidelium fundauerit deuotio, variasque possessiones nobis contulerit, vt pro eorum animabus altaris sacrificium iugiter offeramus: præsenti constitutione præcipimus, vt id, quod de missarum celebrationibus

tionibus in constitutionibus Benedictinis statutum existit, inuiolabiliter obseruetur. Et ne hæc transgredientium culpa pertranseat aliqualiter impunita: statuimus, vt si quis ordinis nostri sacerdos harum constitutionũ in ea parte transgressor extiterit, aut vltra quatuor dies continuos sine licentia, & causa rationabili, suo manifestata Prælato, à celebratione cessauerit in Capitulo publicè proclametur, & quousque id, quod negligenter omiserit, correxerit, extra refectorium non manducet, nec Claustrum permittatur exire, si autem talis in cella extiterit, ei vsque ad sufficientem emendam carnes præcipimus subtrahi: ipsique de vno genere piscium tantummodo ministrari, quibus etiam pænis volumus hos percelli, qui citra sacerdotium in alijs ordinibus constituti, confessi aut communicati non fuerint, prout in dictis constitutionibus est statutum.

6. *De clericis, seu seruitoribus altarium.* Cæterum ne ministrorum inhonestas, celebrantium missas suas, aut eas audientium deuotionem diminuat: statuimus, vt nostri ordinis sacerdotes sine Monacho, vel alio religioso socio, aut saltim honesto Clerico, non celebrent missas suas. Et vt præsto sint huiusmodi Clerici celebrare volentibus: statuimus, vt in singulis monasterijs, altaribus singulis per Prælatos honesti deputentur ministri, quibus exhibeantur victualia de communi eleemosina, vel aliunde, prout Prælati duxerint ordinandum.

7. *Cõpletorij regula.* Ad completorium vero post *Kyrie eleyson, Pater noster, & Credo*, dicendas decernimus fore preces antiquitus vsitatas, & ne serpens versutus, quos vigilantes nequit subuertere, dormitantes noctanter illudat opus esse censemus, ante somnum eius implorare suffragium, per quam extitit caput ipsius serpentis contritum: hincque statuimus, vt singulis diebus, statim post completorium, in honorem Beatæ Virginis vna in choro cantetur antiphona tractim pariter, & deuote, post quam subsequatur oratio de eadem, inordinatas autem potationes post dictum completorium interdicimus quibuscunque. morantes autem de completorio siue post, à detractionibus, & vaniloquijs, ac alijs vitijs, quibus tunc quam plures inuoluuntur, districte præcipimus abstinere, quod si non fecerint, ab omni suspendantur solatio per quindenam, & nihilominus debitæ subiaceant disciplinæ.

8. *Officiũ defunctorum.* Item in exequijs mortuorum obseruandum esse decernimus, quod à nostris prædecessoribus est statutum: videlicet, vt priuatis diebus sufficiant ante lectiones tres psalmi, & postea tres lectiones, cum totidem responsorijs, versibus eorundem tantummodo decantandis; principalibus vel solemnibus exequijs, & vbi fuerit corpus præsens exceptis, in quibus vltimum responsorium in froccis, cum tribus versibus decantetur, sequaturque versiculus, *Audiui vocem. Pater noster, Et ne nos, Aporta inferi, Dominus vobiscum*, & tres orationes duntaxat: quas etiam preces, & orationes in laudibus, post *Benedictus*, & in *Placebo* post *Magnificat*, volumus precibus alijs sine psalmis, qui loco precum dici solebant antiquitus, prętermissis. *Verba mea* autem post Matutinas non dicatur, nisi infra tricenale Monachi mortui de Conuentu, & pro fratre alterius domus, vbi Conuentio hoc requirit: tuncque sufficiant hij tres psalmi, *Verba mea, De profundis, Voce mea*: nec alia psalmodia voce submissa dicatur in Conuentu de cætero, exceptis quindecim psalmis Matutinis, & horis Beatæ Marię, vbi consuetudo est eas in choro dicendi, precibus etiam pænitentialibus dicendis in ferijs, & psalmis prosternalibus in quadragesima, & *Miserere* tunc ad horas, ac commendatione animarum, quæ omnia suis temporibus voce mediocri, & pausatione facta in medio, tractim & deuote dicantur: hoc adhibito moderamine, vt Prælatis, qui in suis monasterijs iuxta constitutiones Papales actualiter habent scholas, liceat cum studentibus super horum aliquibus subtrahendis, ad quæ ex regula non arctantur, secundum horum discretionem pro tempore dispensare, illorum autem consuetudinem, qui tribus noctibus proximis ante pascha tres lectiones cum totidem responsorijs tãtum habent, præsentis auctoritate Capituli decernimus immutandam: statuimusque quod de cætero in singulis monasterijs qualibet ipsarum noctium nouem lectiones, cum totidem responsorijs habeantur.

9. *Distributio candelarum.* Et vt ipsum nocturnum officium plenius, atque melius decantetur statuimus, vt sacristæ monasteriorum ad Matutinas, & maxime cum propria historia fuerit, candelas distribuant indigentibus, iuxta hoc, quod Pręlati viderint expedire.

CAPVT II.

De Prælatis, & custodibus ordinis.

Residẽtia Prælatorũ. CONuenit, vt qui sic subditorum curam suscepimus, vt coram districto iudice pro eorum respondere nos oporteat animabus: circa eorum custodiam inuigilemus sollicite, & quanto rarius

Refidẽtia Prælatorũ. to rarius fieri poteſt ab eis videantur abeſſe, eorum igitur abuſum, qui onus ſic ſuſcepti regiminis in alios totaliter ſe poſſe transferre cõfidunt, & idcirco per tempora nimis longa à ſuis curis abeſſe non metuunt, tollere cupientes: præſenti conſtitutione ſancimus, vt Abbates, cęterique Prælati, habitu regulariter ſe habentes, in Clauſtro, & Capitulo pro fratribus exemplariter inſtruendis, & confeſſionibus audiendis, in choro etiam pro diuinis officijs, & in refectorio pro fraternis ſolatijs, quotiens commode poterunt, ſtudeant intereſſe. Omneſque conſuetudines ita regulæ derogantes, quod cum obedientia, continentia vel voluntaria paupertate, quę ſubſtantialia ſunt regulæ, aut cum bonis moribus non poſſunt ſubſiſtere, tanquam corruptelas ſtudeant extirpare.

Tertius & quartus Prior in maioribus monaſterijs. 2. Item vt grex Dominicus eo melius præſeruetur ne deuiet: hoc obſeruandum eſſe cenſemus, vt in ſingulis prioratibus, in quibus exceditur tricenarius numerus Monachorum, deputetur ad cuſtodiam ordinis quartus Prior: In Abbatijs etiam numerum ipſum habentibus, tertius Prior habeatur ad minus, vbi autem fuerit congregatio excedens vicenarium numerum, nullus Prior, aut ordinis cuſtos exteriorem habeat adminiſtrationem, per quam ab ordinis cuſtodia debeat aliqualiter impediri. Priores autem ſub Abbatibus conſtituti, in illo latere chori, quo Prȩlatus non ſteterit, habeant primum ſtallum, & in Capitulo, & in refectorio primam ſedem, quod etiam de ſupprioribus in Cathedralibus eccleſijs volumus obſeruari.

Seruitores. 3. Onus verò commune vitare volentes, ſtatuimus vt nullus Clauſtralis, exceptis Prioribus, & Prælatis ſedentibus ac doctioribus, habeat cameram, armigerum vel miniſtrum.

CAPVT III.

De obedientiarijs.

Contra ambientes officia lucroſa. REuerentię diuinæ nimis videtur eſſe contrarium, vt qui ſæculo renunciantes Chriſti ſeruitio ſe perpetuo dedicarunt, & relictis, quæ Marthe erant, cum Maria ſola decreuerunt cæleſtia contemplari, ſæcularibus ſe poſtea curis nimis inmiſceant, & delectatione temporalium in cæleſtium contemplatione torpeſcant: quod quidem nonnulli, ordinis noſtri ſolam habentes effigiem, minimè prout decet penſantes, in ſolis ſe forenſecis negotijs occupare deſiderant, & vt id liberius valeant, per prȩces, & terrores magnatum, aut aliarum perſonarum ſęcularium interuentum, officia, ſeu adminiſtrationes ſibi procurant conferri, & ſe in eiſdem contra ſuperiorum ſuorum voluntatem nepharie decerni; quorum temeritatem reprimere cupientes, procurationes huiuſmodi de cætero fieri diſtrictius prohibemus: & vt ſic delinquentium culpa nequaquam tranſeat ſine pęna, decernimus taliter procurantes, ſicque officiatos, ſeu officiorum verius inuaſores, prȩter inhabilitatem, quam eos per triennium incurrere volumus, ad quæuis officia vel beneficia in ſuis monaſterijs optinenda; à curialitatibus etiam quibuſcunque fratribus alijs fieri conſuetis per annum huius auctoritate ſtatuti priuatos.

Obedientiæ dignis cõmittendæ. 2. Item, vt ſingula debite committantur officia, Prælatorum conſcientias oneramus, vt habito reſpectu ad Deum, & vtilitatem monaſteriorum; non niſi idoneos in officijs ipſis ponant, quorum vita, & fidelitas ſit merito commendanda; ſi quis autem Abbas, alius ve noſtri ordinis Prælatus, penſata vtilitate ſui monaſterij, Monacho alicui quamcunque obedientiam interiorem vel exteriorem decreuerit iniungendam: ei in hoc pertinaciter reſiſtentem, ac defenſores eius quoſlibet, & fautores, ſi à ſua pertinacia, & defenſione huiuſmodi ſeu fauore acriter increpati, & correpti, debiteque inde moniti nequaquam deſtiterint, in ſcriptis excommunicet, & cuſtodiæ mancipet carcerali, quos etiam, ſi obſtinatos, & incorrigibiles inuenerit, de conſenſu ſeniorum, & ſaniorum ſui Capituli, vel Conuentus ad aliud mittat monaſterium corrigendos, vel eos penitus à monaſterio, ſicut regula iubet, expellat. Auctoritate vero prȩſentis Capituli diffinimus vt non liceat de cætero Abbatibus aut alijs ordinis noſtri Prælatis in camera ſua, vel alibi extra Capitulum, obedientiarium ſibi creare: ſalua conſuetudine monaſteriornm, vbi Prȩlati bona obtinent ſeparata.

Obedientiarij 3. Item cum mortis incertę præoccupatio nonnunquam tempus anticipet inopinatum, infidelium miniſtrorum, & aliorum cæca cupiditas ad ſacrilegium nimis prȩceps, obedientiarijs mortuis, bona eccleſiaſtica, quæ ad eorum ſpectabant officia, furtim detrahere non veretur: hincque

hincque aduersus huiusmodi dispendium de congruo remedio prouidere volentes, hoc inuiolabiliter obseruandum decernimus, quod à prædecessoribus nostris olim extitit ordinatum, vt videlicet obedientiarij, quicunque graui infirmitate detenti, priusquam ipsa infirmitas nimium inualescat, administrationes suas, & omnia, quæ habent de ipsis, Prælatis suis sine mora resignent; nec ipsi, sicut nec Claustrales, cuiquam alij, sine Prælatorum suorum licentia dare, seu aliquid assignare præsumat, secus autem agentes vt proprietarij puniantur. Verum licet superius sit statutum, vt obedientiarij, nisi in certis casibus extra Capitulum non creentur, sitque in locis nonnullis consuetudo, vt certi obedientiarij per electionem, & non aliter ordinentur: statuimus vt non obstantibus his consuetudinibus, aut alijs quibuscunque, libere liceat Prælatis, his, qui sic ex causis infirmitatum administrationes suas resignant, suas etiam extra Capitulum administrationes retradere, cum incolumitati plene fuerint restituti.

4. Item ne cuiquam tribuatur facultas, id, quod commune est, in proprium conuertendi: statuimus, quod si in monasterio quocunque aliquod officium in temporalibus sit abundans, & sit aliud in eodem, quod sufficere sibi non valeat, vt insufficientia vnius, per alterius abundantiam releuetur, vel secundum discretam Prælati prouidentiam, ipsa abundantia in alios vsus communes, & necessarios conuertatur, consuetudine vel constitutione quauis contraria non obstante. *Obedientiæ minores à maioribus subleuentur.*

5. Statuimus insuper, vt nullus prorsus, nisi pro officio sibi commisso, arcam habeat, siue cistam cum claue, absque sui senioris licentia speciali: quodque cum Prælatus clauem petierit, ei sine difficultate tradatur, alioquin eam detinentem proprietarium eo ipso decernimus reputandum. *Qui debeat arcas clausas habere.*

6. Præcipimus etiam ne quis obedientiarius aut alius depositum alicuius seruandum recipiat: nisi de conscientia, & consensu sui Prelati, & sub laudabili testimonio trium fratrum. *Depositum alienum.*

CAPVT IV.

De quotidianis Capitulis.

1. VT quotidiani corrigerentur excessis, quotidiana Capitula fieri decreuerunt antiqui: quod etiam nos obseruare volentes, statuimus, vt omnes infra fores monasterij existentes, tam obedientiarij, quam Claustrales, intersint Capitulo; nisi ex causis necessarijs, vel rationabilibus fuerint impediti, in quo quidem casu, qui interesse non poterunt, se absentent de Prælati, vel custodum ordinis licentia, vel præcepto. *Omnes intersint capitulo quotidiano.*

2. Statuimus insuper, vt tempore ipsius Capituli, in locis vbi hostium Capituli obserari non poterit, hostia claustri circumquaque claudantur: aut si claudi non poterunt, vt sæcularium arceatur accessus, ad Claustri custodiam certi deputentur custodes. *Claustrũ tẽpore capituli claudẽdum.*

3. Cęterum, cum eorum ignorantia, quæ quis scire tenetur, in interitum ducat, neminemque excuset: cupientes, vt nostri nullatenus sic ignorent, quoniam sic ignorans ignorabitur; præsenti constitutione sancimus, vt in singulis monasterijs in martyrologio, vel statim post regulam, conscribantur sanctiones summorum pontificum, decreta videlicet, ac constitutiones aliæ nostrum ordinem concernentes, iuxta ordinationem, & seriem in fine harum constitutionum sequentem, de quibus in Conuentu quolibet Monachorum, singulis diebus post lectionem de regula, legatur vna talis particula, quod bis annuatim integrè per particulas sic legantur. Et si nouitij fuerint, vel alij, qui indiguerint, huiusmodi lectio à Præsidente Capituli, vel ab alio, cui præsidens hoc iniunxerit, & præcipue de regula, secundum constitutiones Papales inde æditas, exponatur, prout præsidenti visum fuerit magis audientibus expedire; si autem præsidens lectum articulum quempiam aduerterit debite non seruatum, moneat comminando vt de cętero obseruetur, rebelles regulariter puniendo. *Statuta in communi martyrologio describenda.*

4. Si quis autem, quod absit, correptionem, seu proclamationem in Capitulo indignanter, vel cum euidenti murmure tulerit, aut iudicium pręsidentis in Capitulo, vel extra reprobauerit, & super hoc conuictus extiterit: eodem die, vel sequenti, in pane, & aqua ieiunet. Appellationibus etiam friuolis deductis viam ibi volentes præcludere: statuimus, vt si quis Monachus nostri ordinis absque causa rationabili ab actis ibidem appellare præsumpserit, cum per eum, ad quem pertinet, decretum fuerit, appellationem ipsam friuolam esse, seu nullam, per annum integrum in Capitulo vocem perdat, & per mensem vltimus fratrum existat. *Correctionibus sine appellatione obediendum.*

Arcana capituli non reuelāda.

5. Item, cum sit species proditionis, id, quod secretum est, malitiose detegere: tantum crimen à nostris abesse volentes, sub pæna excommunicationis districtius inhibemus, ne quis secreta generalis, seu Conuentualis Capituli alicui, qui ordinis nostri non fuerit, malitiose, aut in odium alicuius personæ, seu in subuersionem cuiuscunque statuti, reuelare præsumat.

Nō exprobrādum.

6. Ad hæc etiam adijcientes decernimus, vt, si quis fratri suo extra Capitulum, super excessu emendato iam, vel emendando, exprobrauerit impudenter, cum super hoc conuictus extiterit, tribus diebus in Capitulo verberetur, ac per mensem in choro, & alibi vltimus habeatur. Si vero conuersus sic deliquerit: sex diebus continuis ad terram panem comedat, & aquam bibat, vno tantum pulmento contentus; tribusque diebus continuis in Capitulo coram omnibus verberetur. Qui vero suo exprobrauerit sic Prelato, grauius puniatur; secundum quod in gradum peccauerit altiorem.

Præcepta obedientiæ facile non imponēda.

7. Item, cum humana fragilitas frequenter ardentius appetat, quod est prohibitum, quam quod licet: statuimus, quod Prælati, ac alij ordinis custodes, non præcipitanter, ac faciliter, & sine magna causa, in Capitulo, vel extra, in virtute obedientiæ, aut sub pæna excommunicationis facienda præcipiant aut cauenda.

CAPVT V.

De sigillo communi.

Legēda publicè, quæ debeant sigillari.

1. VT quod omnes tangit, ab omnibus approbetur: hoc futuris temporis decernimus obseruandum, vt instrumentum, siue factum quodcunque sigillo communi, in Conuentus præsentia recitetur, nec nisi in eorum præsentia vel sanioris partis eorum aliquotiens sigilletur.

Sigillū tribus clauibus custodiendum.

2. Ipsum autem sigillum commune sub tribus clauibus ad minus statuimus custodiri: quarum vna pænes Abbatem, seu alium loci imediate superiorem remaneat, & aliæ pęnes alios, quos Abbas, vel huiusmodi superior, de consensu sui Conuentus, ad hoc duxerit assignandos.

CAPVT VI.

De grauibus culpis.

Carcer in omni conuentu habēdus.

1. NE impunita licentia scelerum in perniciem transeat animarum, aut ex facilitate veniç augeatur malitia delinquendi: sic delinquentium punire desideramus excessus, vt vnius pena multorum sit metus, & enormitas culpe nota sit ex magnitudine suæ pęne. Eius igitur rei gratia statuimus, vt in omni monasterio sit carcer, in quo puniri possint enormiter delinquentes.

Pænæ criminales.

2 Omnes autem proprietarios, & incontinentes, & inobedientes, conspiratores, false & malitiose quoscunque Prælatos, vel fratres, eis crimen imponendo, accusantes; libellos infamiæ contra quoscunque Prælatos vel fratres ex malitia componentes, & consentientes eisdem; primo die lunæ quadragesimæ, legitima monitione præmissa, per locorum Pręlatos excommunicentur in scriptis, si Prælati hoc iudicauerint expedire, & idem etiam fieri volumus per visitatores, si opus fuerit, cum ad monasteria venerint visitanda. Cui etiam penæ adijciendum hoc duximus, vt si quis de aliquo prædictorum criminum licite conuincatur, stallum perdat in choro, ac à celebratione missę maioris suspendatur: nec administrationē aliquam ex tunc aliquatenus habeat, obseruata nihilominus circa talem regulari disciplina, quam contra sic peccantes conuenit obseruari. Ne tamen in tyrannidem rigor crescat: volumus, vt si cordis contritio, & operis humilitas euidenter hoc meruerint, Prælatis liceat cum sic delinquentibus dispensare: dum tamen ad sic peccandum non fuerint assueti. Hijs etiam adijciendum decerni-

decernimus, quod qui à celebratione missæ maioris pro culpa sua vltra vnius mensis spacium sunt suspensi, ad legendum Euangelia compellantur, donec ad statum pristinum fuerint restituti. Item decernimus, quod pro quecunque culpa suspensio à celebratione diuinorum reis infligitur, pro eadem in ecclesia, quoad eosdem, & quoad alios etiam inferiorum ordinum culpabiles, diuini prohibeatur perceptio sacramenti.

3. Vt autem liqueat, qui sint censendi prædictis criminibus irretiti: *Proprietarium* dicimus illum, qui de bonis monasterij sui præter conscientiam sui Prelati sibi aliquid possidet, quod suus Prælatus non dederit, aut non permiserit possidere: *Incontinentem* vero dicimus, qui lapsu carnis voluntarie, & ex deliberatione procurato, quocunque modo hoc fiat, in plena vigilia se maculat impudice. *Inobedientem* autem censemus, qui post factam professionem temere religionis habitum abijcit, vel qui mandatis regularibus pertinaciter resistendo, suo Prælato contumaciter obedire contempnit: *Conspiratores* vero dicuntur, qui inter se confederantur ad subuersionem ordinis, vel statutorum à maioribus salubriter prouisorum; vel ad persecutionem alicuius Prælati, vel fratris ex ambitione, aut odio vel rancore. Crimina grauia, quæ nam.

CAPVT VII.

De confessionibus.

1. INsidiatur hostis antiquus iugiter viris sanctis, eo quod est nature nostre corruptæ conditio, vt diu non possit à vitijs penitus abstinere; sed iuxta scripture testimonium, in die septies cadit iustus: hincque, vt per confessionem debitam quotidie resurgeremus, qui quotidie per peccata decidimus, statuerunt prædecessores nostri, quod & nos præcipimus futuris temporibus firmiter obseruari, vt videlicet in omni monasterio, iuxta numerum fratrum, ordinetur numerus confessorum, Priorum scilicet, & aliorum, quorum discretione, & conscientijs eorum Prælati confidant, quibus vices suas committant in fratrum confessionibus audiendis; super prænominatis tamen criminibus; & alijs maioribus excommunicationibus, auctoritate absoluendi sibi specialiter reseruata. Cõfessores instituẽdi pro numero Monachorũ.

2. Præmissis etiam adijciendum decernimus, vt quilibet Monachus, præter priuatas confessiones de quotidianis delictis regulariter faciendas, bis, vel saltem semel in anno suo confiteatur Prælato, nisi hoc alteri duxerit assignandum. Quod quidem pertinaciter renuentes, aut post quadragesimam differentes, quadragesimalibus cibis duntaxat volumus esse contentos, donec eorum Prælati eos iudicauerint emendandos. Semel in anno confitẽdũ Prælato.

CAPVT VIII.

De claustro, & claustri custodia.

ABsurdum censuit conditor Canonum, vt qui mundo mortui sunt, per mundum discurrerent: hincque Monachis intra claustra morari præcepit, mundum peragrare prohibuit; huius itaque præcepti nostri ordinis Monachos transgressores esse nolentes: vniuersos ordinis nostri Prælatos auctoritate nobis indulta monemus, vt fratres suos à vagis compescãt discursibus, & prout ordinis honor requirit, eos residere compellant in Claustris. In Claustro resideant Monachi.

2. Prouideant autem diligenter ne quies fratrum in Claustro vel alibi, aut ordinis honestas impediatur aliqualiter per occursum secularium vel accessum; mulieribus quoque ingressum in Claustrum fratribus ibi sedentibus volumus penitus interdici: nec etiam eas intra fores monasterij, vel extra in manerijs à fratribus custoditis, volumus aliquatenus ad pernoctandum, vel ad prandendum admitti; salua consideratione circa fratrum parentes nobiles, & honestas, aut alias non suspectas, attendenda pro loco, & tempore, sicut locorum Prælati viderint expedire; prohibemus insuper ne quis infra septa monasterij cum muliere quacunque loquatur, nisi de licentia illius, qui eam poterit indulgere. Illos autem, qui in casibus, vbi licentia pe- Sæculares, & maxime fæminæ à Claustro arcendæ.

tia petenda est, de consuetudine vel statuto, licentiam petere, negligunt, vel contempnunt, ac sic faciunt, quod sine licentia facere non debent, volumus ab exitu Claustri, vsque ad satisfactionem congruam prohiberi.

CAPVT IX.

De refectione.

Qui prandet in refectorio, alibi nō cenet.

HAbet quorundam abusus, vt diebus, quibus in refectorio non comeduntur carnes, alibi cænare præsumant: non aduertentes, quod vt caro nostra debite seruiret spiritui, eiusque contereretur rebellio, antiquis patribus placuit, nos omnino ab esu carnium cohiberi, nisi in certis casibus, atque locis. Horum igitur abusum tollere cupientes, statuimus, vt si quis de cætero eo die, quo in refectorio comedit, in cæna vesci carnibus sit compertus, nisi hoc sit in Prælati præsentia, vel de eius præcepto, seu licentia speciali: per sex dies proximos extra refectorium nil omnino manducet.

Non se ab horis subtrahant.

2. Item districte pręcipimus, vt hi, qui in Cameris Prælatorum, vel alibi de eorum licentia, sunt carnibus recreati, ipsa die à missis vel ab horis in ecclesia regulariter dicendis, nequaquam se subtrahant, nec à celebratione missarum abstineant hac de causa: quod quidem si fecerint, per subtractionem talis solatij, & aliàs grauiter puniantur.

Ieiuniū regulare.

3. Ieiunium autem hyemale, à festo exaltationis sanctæ crucis, vsque ad caput quadragesimæ, regulariter volumus ab omnibus obseruari: Salua dispensatione cum indigentibus tantummodo facienda.

Feriæ sextæ ieiuniū.

4. His etiam adijcimus, quod nullo tempore anni in feria sexta cenetur: Sed cibaria aliàs in cænis ipsis ferijs ministranda, hora prandij ministrentur: præterquam in die Natalis Domini, cum in feria ipsa contigerit, in quo quidem die ob ipsius reuerentiam vnicuique volenti liberum sit cænare.

Loquēdū semper Latine aut gallicè.

5. Item, quia nonnulli, eo quod in prandio, alijsque temporibus loqui Anglicum libere permittuntur, nimium efficiuntur loquaces, & cum pro domus suæ negotijs diriguntur, pro defectu Latini, & gallici idiomatis frequenter incidunt in ruborem: statuimus vt nostræ religionis Monachi in prandio, & solatijs alijs, ac etiam in Capitulo in proclamationibus, & correctionibus, alijsque colloquijs, necnon in Claustro, in parliamentis, loquantur duntaxat gallicum, seu Latinum: qui autem secus fecerit, & super hoc correptus se nequaquam correxerit, in Capitulo publice proclametur, & abesu carnium per biduum suspendatur.

CAPVT X.

De eleemosina.

Eleemosina refectorij in solos pauperes conferēda.

1. CVm, iuxta testimonium sapientis, *Panis egentium vita sit eorum, & qui defraudat eos homo sanguinis sit* censendus, districtè præcipimus, vt eleemosina iuxta statuta patrum pręcedentium largiatur, nec de cætero licet eleemosinario, sicut nec alijs, suos operarios, vel ministros extrinsecos de fratrum sustentare fragmentis, vel eos pascere de eisdem; vt autem eleemosina efficacius conseruetur, statuimus, vt quam diu Conuentus fuerit in prandio, vel in cæna; hostia Claustri custodiantur, vbique, ne his temporibus in Claustrum quisquam introeat sæcularis.

CAPVT XI.

De dormitorio.

Cellæ separatę

1. CEllas in dormitorio fere, Benedictus. Papa duodecimus prohibuit: nos que hoc adijciendum decernimus, quod vt tollatur omnis mali suspicio, lecti Monachorum velaminibus,

minibus, si quæ fuerint, amotis, & perticis; ita sint ordinati, vt in ipsis lectis existentes, vel iuxta, sine obstaculo, quocunque die noctuque continue valeant à custodibus ordinis, & alijs transeuntibus intueri. Proprietatis quoque vitium volentes à nostris penitus amputari, præcipimus, vt visitatores diligenter inquirant, & obseruari faciant id, quod continetur in regula, & constitutionibus Octoboni, de scrutinio in dormitorio faciendum. non sint in dormitorio.

CAPVT XII.

De cura infirmorum.

HVmane tractandi sunt, qui corporis infirmitate laborant: quia non solum illis, sed Christo seruitur in illis, ipsomet dicente, *Quod vni de minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Volentes igitur, vt omnis eis exhibeatur humanitas, statuimus, vt in singulis monasterijs Prior, vel supprior, & coquinarius, seu ad hoc alius deputatus, singulis diebus ante horam primam diei, visitent infirmos, & iuxta singulorum indigentias, vnicuique prouideant, seu prouideri faciant prout opus erit, infirmi autem, qui cibis refectorij vesci non possunt, cibis eorum infirmitati conuenientibus sint contenti, de quibus quidem cibarijs eis, prout indiguerint, volumus prouideri. Medicinalia etiam, iuxta peritorum consilia medicorum, eis præcipimus exhiberi. Cura infirmorum.

2. Statuimus insuper vt nullus infirmus ab infirmorum mensa communi se subtrahat, nisi tanta corporis inualitudine sit detentus, quod ad illam accedere nequeat sine scandalo, vel grauamine corporis euidenti, illis duntaxat exceptis, quibus ob eorum merita, reuerentia maior debetur, quibus in hac parte deferendum decernimus, pro loco, & tempore, prout Prælati locorum viderint expedire; sæcularem autem nullum cum infirmis comedere volumus, aut aliqualiter immisceri, medicis & seruientibus ad eorum curam, & custodiam deputatis duntaxat exceptis, Mensa cõmunis infirmorum.

3. Hijsque adijci volumus vt nullus infirmus specialem seruientem assumat pro suæ libito voluntatis, sed ministris communibus quilibet sit contentus, qui quidem ministri, nunquam extra infirmariam, nisi ex causa legitima, & licentia speciali, pernoctent: si vero necesse fuerit, vt infirmus aliquis specialem habeat seruientem, assignetur eidem talis per Prælatum suum, qui sit sobrius, & honestus, non impediens aliorum quietem; hoc semper obseruato, quod nullus ad pernoctandum in infirmaria, vel ad ministrandum cuiquam infirmo aliquatenus admittatur: nisi prius de fidelitate, & secretis fratrum minime reuelandis præstiterit sacramentum, quod quidem de omnibus seruientibus infra septa monasterij volumus futuris temporibus inuiolabiliter obseruari. Seruitores infirmorum iurati.

4. Cæterum auctoritate nobis indulta præcipimus, vt non deficiat lumen de noctibus coram infirmis: quodque omnes Prælati, quorum infirmariæ sunt infirmorum solatijs minus aptæ, vel in reditibus nimis tenues, & exiles, eas studeant reformare, & possessionibus necessarijs ampliare. Lumẽ perpetuo in infirmaria.

CAPVT XIII.

De Nouitijs.

1. QVorundam monasteriorum inoleuit abusus, vt sub nostri ordinis habitu nullum omnino velint inducere nisi vnacum habitu nonnulla secum deferat alia, in quorum prouidentia eum apponere oporteat sumptus excessiuos: hincque nonnulli valentes, habiles, atque digni, quorum deuotio nostræ religioni se dedit, cum non habeant vnde valeant sibi prouidere, ad alias religiones se transferunt, nostraque religio, cum tales abscesserint, huiusmodi occasione frequenter recipit idiotas. Tantum igitur abusum à nostra religione tollere cupientes, præsentis auctoritate Capituli Prælatis præcipimus vniuersis, vt sic de cætero moderentur ea, quæ pro nouitiorum prouideri debent ingressu, vt cum centum solidis eis sufficienter valeat prouideri. Pro nouitijs pauperibus.

2. Ne etiam

Pro nouitijs doctis, & in dignitate constitutis. 2. Ne etiam viri literarum, aut alij in dignitatibus constituti, propter metum suum reddendi seruitium, ab ingressu nostræ religionis se retrahant: statuimus, vt si qui magistri artium aliue personæ multum habiles ad proficiendum in studio aut alias in dignitate constituta nostram religionem intrare voluerint cum literam nocturni seruitij plenè reddiderint: dispensetur de residuo cum eisdem, si eorum Prælati hoc viderint expedire.

Cautio de non facilè dispensando. 3. Cęterum ne quis suæ proprietarius voluntatis effectus, de quo constat, quod suum reddere posset, si vellet, seruitium; id reddere dissimulet vel contemnat: statuimus, ne quis talis ad ordinem promoueatur sacerdotij, nec administrationem habeat aliqualem, donec ea reddiderit, quæ corde tenus scire tenetur.

Nouitij foras non comedāt. 4. Cui etiam statuto adijci hoc volumus vt tales, sicut nec alij nouitij, ad pernoctandum vel prandendum exire sua monasteria permittantur; priusquam in suis Claustris fuerint laudabiliter conuersati.

CAPVT XIV.

De occupatione.

Opus manuū iniungēdum. CVm sit animabus ociositas inimica, nec facile capiatur à temptatore, qui bono vacat exercitio: præcauere volentes, ne quem ordinis nostri ocium præcipitet in reatum, præsenti constitutione statuimus, vt Abbates, & Priores Monachos suos claustrales loco operis manualis, secundum habilitatem eorundem, certis faciant exercitijs occupari: videlicet studendo, legendo, librosque scribendo, corrigendo, illuminando, pariter & ligando; vel aliter secundum quod eorum viderint expedire saluti: contradicentibus autem, vel renitentibus, ac etiam negligentibus, solatia subtrahere omnia teneantur, donec eos perpenderint emendatos si autem Prælati ipsi in faciendo sic suos subditos occupari, negligentes reperti fuerint, aut remissi, per visitatores ordinis debitè puniantur.

Nemo operetur, nisi quod fuerit iniūctū. 2. Vt autem in omnibus proprietatis vitium abdicetur, his dignum duximus adiungendum, vt sine Prælati licentia nullus librum scribat, aut illuminet, seu scribi, & illuminari faciat; nec aliquid aliud operetur, nisi in vsus sui monasterij conuertendum.

CAPVT XV.

De mittendis ad cellas vel alibi extra monasteria sua.

Nō nisi bonæ notæ Monachi ad cellas mittēdi. 1. NE conuincantur odisse Prælati, quos amare iubentur, nec proprias vindicare velle videantur iniurias: statuimus, vt Prçlati nullum de principali monasterio ad cellam aliquam, vel de vna cella transmittant ad aliam, ex quacunque indignationis scintilla, seu ex odio qualicunque: sed ex sincero conscientiæ iudicio tales duntaxat ponant in cellis, qui de vitijs, quæ sunt ad diffamationem ordinis suspecti non fuerint, & qui se in eisdem habeant ordinatè. Et hoc quidem faciant habito tractatu cum fratribus, & de sanioris partis eorundem assensu; nisi aliud ex priuilegio habeatur.

Turbulenti quomodo emittendi. 2. Item cum teste beato Bernardo, non sit timendum, vnius scandalum pace recompensare multorum: cum sit melius vt pereat vnus, quam vnitas: statuimus, vt si quis perturbator communis quietis fratrum, seu contentiosus extiterit, tertioque monitus per suum superiorem, à sua culpa nequaquam destiterit: prælatusque suus de consensu sanioris partis sui Capituli eum pronunciauerit esse talem: ex tunc teneatur Prælatus suus eum de monasterio emittere ad alium locum sibi subiectum, si quem habuerit, vel alias ad monasterium, aliquod quodcunque infra prouinciam Anglicanam, ad explendam pænitentiam, quam in litteris communi sigillo signatis inibi taxauerit peragendam.

Proteruientes contra Prælatos. 3. Cum Prælatis autem proterue contendere præsumentes acriter verbis corripiantur, ac verberibus, & ieiunijs puniantur. Si autem sic correpti se nequaquam correxerint, excommuni-

excommunicationi subiaceant, ac si ex tunc incorrigibiles sint reperti, ad alium locum ordinis de fratrum consensu (vt supra exprimitur,) emittantur, aut penitus expellantur.

4. Hoc autem firmiter esse obseruandum præcipimus, vt qui ad aliud quodcunque Monasterum pro suo delicto emittitur puniendus, non remissius, nec alio modo tractetur, quam in Prælati eum mittentis litteris communi sigillo signatis continetur expresse: monasterium autem ipsum, ad quod mittitur, teneatur eum admittere, & ei omnia necessaria ministrare ad sumptus duorum denariorum in die, nisi ex fædere aliquo seu consuetudine inter huiusmodi monasteria aliud habeatur. Quo modo sic amotus tractari, & ali debeat.

CAPVT XVI.

De Monachis fugitiuis.

1. CVm in iure sit cautum, vt Prælati suos teneantur querere fugitiuos: statuimus, vt Monachi fugitiui in quæcunque loca nostri ordinis venerint, capti firmiter teneantur, quatenus iura permittunt: donec proprius eorum Prælatus miserit pro eisdem, aut per aliquem Præsidentium, vel per generale Capitulum, decernatur quid de eis fuerit faciendum. Fugitiui requirēdi, & retinendi.

CAPVT XVII.

De hospitalitate.

1. NE reputemur apud homines inhumani, aut de numero simus eorum, quibus in finali dicetur iudicio, hospes fui, & non suscepistis me; sed instar Abrahæ, & Loth per hospitalitatis opera Domino placeamus, & Angelos hospicio recipere mereamur: præsenti constitutione statuimus, vt in singulis monasterijs nostri ordinis, iuxta locorum facultates, hospitalitas obseruetur. Hospitalitas iniungitur.

2 Quodque ad suscipiendum hospites deputetur Monachus diligens, & modestus, qui eos liberaliter, & benigne recipiat, religiosis que hospitibus, & præcipuè nostri nostri ordinis in edendo, & bibendo, & alijs honestis solatijs, comitinam exhibeat personalem. Hospitarius.

3 Monachos autem nostri ordinis, cum ad nostræ religionis Monasteria venerint, in mensis refici volumus Prælatorum: vel alias in locis competentibus, & honestis. Hospites de ordine.

4 Si cui autem, & maxime religioso, per eum, qui ad suscipiendos hospites fuerit deputatus, sine causa necessaria fuerit hospitalitas denegata, à suo amoueatur officio, vel aliter grauiter puniatur. Pœna Hospitarij nō admittentis hospitē.

5. Item cum, iuxta canonum sanctiones, in hospilitate non sit facienda distinctio, sed indifferenter, & absque personarum delectu hospitales nos exhibere, quibuscunque sufficimus, debeamus: ne quod absit, dum hominem quempiam repellere credimus, Deum à nobis in homine repellamus: id firmiter obseruari mandamus, vt fratribus mendicantibus, quibuscunque, ad nostri ordinis Monasteria venientibus, iuxta statuum eorundem exigentiam, victualia ministrentur; in refectorio autem eos comedere nolumus, nec in secretioribus locis pro Monachorum recreationibus deputatis. Hospites de ordinibus mēdicātiū.

CAPVT XVIII.

De vnanimitate Prælatorum.

1. CVm autem primitiua ecclesia discipulorum Christi erat anima vna, & cor vnum; quorum instar nos, qui Christi discipuli sumus, vnius conuenit esse cordis, vnius & voluntatis: præcipue his diebus, quibus excrescente hominum malitia datur nostra religio in Prælati mutuo suas Abbatias defendant.

conculca-

conculcationem, possessiones trahuntur illius in prędam, & direptionem, & quæ olim deuota fidelium munificentia contulit, modernorum malitia à nobis auferre præsumit: eius igitur rei gratia statuimus vt Prælati nostri ordinis vniuersi, se & sua monasteria successuris temporibus contra prauorum insidias ac versutias mutuis in vera caritate Consilijs, & auxilijs defendere studeant, & fouere, nec se iungant clam vel palam, cuiquam quem alicui monasterio vel personæ nostri ordinis nouerint aduersari.

Mutuæ Prælatorũ, aut Conuẽtuũ controuersiæ à visitatoribus, & Præsidẽtibus finiãtur.

2. Si autem magna quæstio, vel controuersia inter monasteriorum quoscunque Prælatos, vel inter Prælatos ipsos, & suos Conuentus, emerserit: ad visitatores ipsorum locorum, seu ad prędidentes, qui vltimo Capitulo præfuerint, volumus hanc præferri, qui statim dirigant, aliquos de vicinis Abbatibus, vel alios, quibus interuenientibus inter partes ipsas amicabiliter componatur, fiatque pax, & concordia, absque alio strepitu aliquali: Quod si discrete per eos non valeat fieri, huiusmodi difficultatis diffinitio, vsque ad generale Capitulum differatur: per hoc tamen statutum in nullo præiudicari volumus regiæ dignitati, in quibus pro iuere suo impetrare valeat vt oportet.

Conuocẽt Prælatos in negotijs grauibus ordinis.

3. Si vero negotium, aliquod oriatur in regño, quod monasteriorum omnium Prælatos concernat: cum hoc ad notitiam præsidentium peruenerit, omnes nostri ordinis Prælatos ad certum locum, si fieri possit, faciant aduocari: Sin autem, illos quos pro negotij qualitate potius viderint conuocandos, vt sic, quod omnes tangit, per omnes, vel eorum partem maiorem commode valeat intimari.

A Ruinę Abbatiarũ à reliquis subleuãdæ.

4. His etiam adijciendum decernimus, quod si, quod absit, aliquod monasterium incendio aut alio casu quocunque ad tantam deuenerit egestatem, quod per se nequeat releuari: omnes Prælati nostri ordinis ipsum studeant suo Consilio, & subsidio ad statum reducere congruentem.

CAPVT XIX.

De studentibus.

Cathedra in Collegio Oxonię̃si erigitur.

1. CVm in totius nostri ordinis redundet honorem, ac scholarium nostrorum Oxonij studentium non parum accrescere videatur profectui, si apud se in loco nostro communi Oxonij mensam propositionis paratam inueniant, nec semper aliene doctrinæ suffragia exterius mendicare cogantur: nos vtriusque rei gratia, de fratrum nostrorum assensu, statuimus, vt in loco nostro prędicto cathedra magistralis per Doctorem Theologiæ de ordine nostro futuris temporibus occupetur; & ne eam per aliquod tempus contingat vacare, statuimus, vt quotiens scholares nostri in loco ipso Doctore Theologiæ caruerint, hoc præsidentibus sine mora denuncient, eisque duos vel tres dictæ facultatis, & nostri ordinis nominent, pro quorum vno: ijdem præsidentes ipsius scribant Prælato, vt eum ad locum prædictum, ad occupandum cathedram magistralem transmittat.

Eiusque stipendium.

2. Cui quidem magistro, si iuxta statutum vniuersitatis Oxon. à tempore inceptionis suæ annum compleuerit in legendo, singulis annis, quibus postea Cathedram in loco nostro communi in Stokwelstreete situato occupauerit, de communi collecta soluendum fore decernimus decem libras.

De promouendis ad Doctoratum Theologiæ, & Canonum.

3. Item quia ante hæc tempora ad euitandas expensas, quę in magistrorum inceptionibus esse solent, nonnulli ordinis nostri ad incipiendum in Theologia seu iure Canonico licentiati, nonnulli, quæ ad incipiendum propinqui, ad sua monasteria fuerint à studio reuocati, in totius ordinis nostri verecundiam generalem: volentes vt hoc futuris non contingat temporibus, sed vt multiplicentur in ordine nostro, vtriusque iuris Doctores, cupientesque vt monasteria in suorum inceptione scholarium nimium non grauentur: præsentis auctoritate Capituli statuimus, vt quilibet nostræ religionis incepturus Oxonij in Theologia, de cætero, si eodem anno, quo inceperit, alium nostrę religionis in eadem facultate incipere non contingat, habeat in inceptione sua viginti libras argenti de communi collecta, si autem vno, & eodem anno duos in vniuersitate prædicta in ipsa facultate contingat incipere, decernimus, vt vterque illorum de ipsa collecta percipiat in inceptione sua decem libras duntaxat: statuimus insuper, quod quilibet nostræ religionis incepturus Oxonij in iuere Canonico, si infra annum, quo inceperit, alium eiusdem religionis in ipsa facultate, & dicta vniuersitate non contingat incipere,

pere, percipiat viginti marcas. Si autem vno, aut eodem anno duos in vniuersitate prædicta in iure Canonico incipere contigerit, percipiat vterque illorum de ipsa collecta tantummodo decem marcas.

4. Item, cum deceat, vt qui sunt literis eruditi, sint etiam contemplatione deuoti: Statuimus, vt studentes nostri ordinis, qui in loco nostro communi Oxonij moram trahunt, conueniant in Capella communi diebus solemnibus, & Festiuis ad diuinum seruitium decantandum, sub pæna arbitrio Prioris studentium taxanda. Super cuius statuti executione ipsius conscientiam oneramus. Chorus studentium.

5. Item cum iuxta constitutionem Benedicti Papæ duodecimi, quanto plures studentes poterunt pariter, debeant conuocari: decernimus vt Priores loci, & studentes sic ordinent de cameris ac studijs loco prædicto, quod vltra anni medietatem non vacent, si qui nostri ordinis fuerint, qui ea voluerint occupare; hoc tamen obseruato, vt cum quis de domo seu de monasterio, cuius sumptibus aliqua camera ædificata fuerit, seu notabiliter reparata, illuc venerit ad studendum, huius authoritate statuti eam ingredi liberè valeat, ac pacificè possidere, teneaturque quiscunque, qui eam prius occupauerit, absque contradictione, & difficultate, quacunque exire. De cameris, & museis studentium.

CAPVT XX.

De Capitulis Prouincialibus.

ERratur facilitet, vbi quid arduum tractatur inprouidè: hincque vt ea, quæ in Capitulis Prouincialibus sunt agenda tractentur consultius: statuimus, vt cum ipsum Capitulum celebrari debuerit, diem celebrationem ipsius statutum præueniant præsidentes, & ordinent præcentorem, cuius dispositione pulsetur, & omnia concernentia ministerium, & officium missæ, processionem, & tabulam, si qua fiat, debitè ordinentur. Præsidentes præueniāt diē Capituli.

2. Primo autem die Capituli, signo pulsato, & demum cessante, omnes Prælati, & procuratores absentium in choro conueniant, vsque ad finem missæ de spiritu sancto celebratæ, cum collectis pro Romano pontifice, Rege, & Regina, & liberis eorum, pace Ecclesiæ, & statu regni: qua missa finita, signoque pulsato ad Capitulum, procedant froccis induti, & statim fiat sermo, in cuius principio benefactores ordinis, tam viui, quàm mortui commendentur, quo finito exeant sæculares, qui non sunt de Capitulo, & custodes ad hostium Capituli per præsidentes idonei deputentur, deinde facto nutu, dictoque *Iube, Domine benedicere*, à præcentore prędicto, vel ab alio ab eodem ordinando, data benedictione à præsidente, legatur martirologium, & tabula, si qua fiat; ac pro ministerio missæ vel aliunde; deinde autem cunctis genuflectentibus, incipiant præsidentes ympnum, *Veni Creator*, cæteris prosequentibus vsque in finem solemniter, & deuote: dictoque ab altero præsidente versiculo *Emitte spiritum tuum, & creabuntur*, Subiungatur oratio *Deus qui corda*, cum oratione *actiones nostras*, & iterum sedentibus ordinate, videlicet præsidentibus in eminentiori loco, assumptis sibi Abbatibus, & Prioribus iuxta eorundem conditionem, & statum, collocatis Doctoribus, si qui concurrerint in loco decenti, legantur decretales *in singulis, & ea quæ* & Capitulum, *statuimus* de Prouincialibus Capitulis in constitutionibus Benedicti Papæ. Quibus perlectis: dicat Prælatus *Benedicite*, & consequenter dicat, *Loquamur de ordine nostro*: & ab illa hora nullus loquatur, nisi præsidentes, & Prælatus, seu alius, cui datur licentia specialis, loquacibus autem à præsidentibus silentium imponatur, & similiter fiat de quomodolibet in Capitulo excessiuis, deinde vocentur Prælati, & nomina omnium absentium annotentur; Procuratoria quoque, si qua fuerint, præsidentibus exhibeantur: pro cæleri vero expeditione, deputentur statim per ipsos præsidentes viri prouidi pro prædictis procuratorijs examinandis, qui diligenter obseruent, ne quis duorum Prælatorum procurator existat: quod si contigerit, alter eorum pro contumacia puniatur, si qua etiam procuratoriorum insufficientia fuerint, in crastino repellantur, & pronuncientur eorum Domini contumaces, discussione aliorum procuratoriorum sufficientium præsidentibus reseruata, ordinent etiam præsidentes cum Consilio Prælatorum, qui esse debeant diffinitores, qui accepta potestate sub sigillis præsidentium limitata, diffinienda diffiniant, à quorum diffinitionibus à præsidentibus approbatis, non liceat resilire, & sic continuando Capitulum, vsque diem proximum, ad comedendum recedant secundum designata, & modificata in constitutionibus Papalibus inde confectis. Agenda primo die. Missa & processio. Sermo seu concio. Lectio martyrologij, & tabulæ. Præces. Lectio decretalium. Nomenclatio Capitulariorum. Procuratoria examinantur. Electio Definitorum.

3 Sequente die mane conueniant audiantque missam celebrandam pro defunctis, scilicet pro

 animabus

Secūdo die agēda. Missa. Contributio. animabus fidelium regum Angliæ defunctorum; deinde contributio, si fieri debeat, ordinetur, & tempus solutionis huiusmodi limitetur. Postea visitatores singillatim vocentur, qualiter suum officium fuerint executi in scriptis fideliter ostensuri: & tunc contra negligentes, & remissos in hac parte iuxta constitutiones inde editas procedatur, si qua vero dubia vel refrenanda emerserint, præsidentibus vel diffinitoribus ostendantur, & ad expeditionem Capituli deputentur per Capitulum personæ prouidæ, & discretæ, pro visitatoribus eligendis.

Visitatorū relatio. Electio. Vltimo die facienda. 4. Vltimo die, omnibus etiam mane conuenientibus, visitatorum nomina publice recitentur, & compleantur cętera agenda, videlicet; de loco Capituli proximi, missis & sermonibus assignandis, ac prę̄sidentibus eligendis, prout in constitutionibus continetur; & dicto de *Profundis*, factaque generali confessione ab omnibus, & ab altero prę̄sidentium absolutione impensa, iniungatur singulis ordinis nostri conuentibus, quod quam citius fieri poterit celebretur solemniter in choro vna missa pro omnibus fratribus benefactoribus ac familiaribus Capituli nostri defunctis: quibus expletis fiat ordinate processio, & missa pro pace, ac sermo ad populum in sermone vulgari, & sic vnusquisque ad propria reuertatur.

Visitatorum promulgatio. Locus capituli futuri. Præsidētum electio. Missa. Processio. Concio. Quorū sumptibus veniāt capitulares non Prælati. 5. Ad hæc autem statuentes adijcimus, quod si qui Priores, pręcentores, aut alij Claustrales nostri ordinis Monachi, per iussionem præsidentium vel permissionem generalis Capituli, ad exequendum diffinitionis publicationis seu denunciationis officium fuerint ordinati, à suis domibus ad dictorum officiorum executionem expensas, & alia necessaria recipiant, quæ quidem expensę eisdem domibus ex suis contributionibus, si se ad tantundem extenderint, allocentur. Alioquin autem eas volumus per pręsidentes aliunde refundi.

Procuratores absentiū non sint sęculares. 6. Item cum dedeceat, vt sęculares de nostris Capitulis aliqualiter intromittant: statuimus, vt si quis Prælatus, quo minus ad prouinciale Capitulum possit accedere, fuerit impeditus, procuratorem sæcularem ad id vice sua nequaquam trāsmittat; & si Monachum de domo propria mittere procuratorem non valeat, Monachum alterius domus de consensu Prælati ipsius procuratorem suum constituat, per quem de eius impedimento legitimo fiat fides, quod etiam de procuratore Capituli carentis Prælato tempore celebrationis Capituli, volumus obseruari, quod vt firmius obseruetur, decernimus huiusmodi auctoritate Capituli, vt si Prælatus quisquam, aut Capitulum carens Prælato, procuratorem suum in hac parte constituerit sæcularem, eo ipso contumax habeatur.

Multæ colligātur à Præsidētibus. 7. Cæterum cum pæna non timeatur imposita, quæ non sentitur inflicta, vt sit contumacibus, & alijs informidinem illorum pæna: statuimus, vt multę contumacium, & rebellium Capitulo, necnon visitatorum non visitantium, per præsidentes circa proximum leuentur Capitulum, in quo etiam reddatur fidele ratiocinium de eisdem.

SCRIPTVRA LXXI.

Ex antiquo M. S. Dunelmensi.

Memorandum, quod anno Christi millesimo quadringentesimo vigesimo secundo, ad mandatum regis Henrici 5. VVestmonasterij; & ibidem per quosdam concepti erant articuli infrascripti numero tresdecim; sed non erant admissi, sed per discretiores patres, & fratres ordinis alij articuli loco, & vice dictorum articulorum concepti erant, & admissi, scilicet numero sex, qui subscripti sunt.

Paragrap. 1. Articuli ab alijs propositi, sed non acceptati.

Abbatū præsentia in Conuētu, & choro. CVm plura sint exorbitantia, & enormia inter professores ordinis sancti Benedicti Nigrorum Monachorum in Anglia, & reformatione digna: aliqua hic duxi notanda, & primo incipiendum est à patribus, & capitibus, quorum actus, & vita sunt subditis in exemplum. Inprimis prouideatur de Abbatibus, tam de his, qui habent bona, &

na, & possessiones à Conuentu discreta, (cum hoc non sit fundabile in regula, nec in intentione fundatorum seu collatorum ipsorum;) quam de alijs singulis dicti ordinis superioribus, & Prelatis, vt iuxta constitutiones sanctorum patrum, & regularia instituta, vigilanter intendant curis animarum, personaliter conuersando, saltem singulis festiuis diebus, in choro, & Conuentu, (si non legitime impediantur) ad officiandum, & celebrandum diuina, propter quæ dicitur officium; nec se subtrahendo, aut commanendo in suis manerijs vltra tres menses; & hoc post Pascha imediatè sequentes, pro solatijs suis fratribus exhibendis.

2. Item moderetur sumptuosa, & nimium ipsorum equitatura scandalosa, tam in vario, & irregulari apparatu famulorum, quam in phaleratura equorum, & quod qui maiores sunt inter eos, vltra viginti equos, computatis summarijs; & cum frenis deauratis; cum pena graui temporali camere Apostolicæ applicanda equitare non præsumant. Moderatio equitaturæ.

3. Item sub graui pena temporali (vt supra videlicet) statuatur, quod singuli Abbates, & Priores dicti ordinis, exempti vel non exempti, & ipsi qui bona habent à suis Conuentibus discreta, semel in anno singulis annis (videlicet infra mensem post Festum Michaelis imediate sequentem) plenum statum, & fidelem rationem omnium bonorum dictis monasterijs suis, & ipsis qualitercunque spectantium, in Capitulis coram toto Conuentu requisiti, reddere teneantur; nomina debitorum, quibus debentur, & à quibus debentur; & causas plane in scriptis redigentes. Conputus fidelis, & annuus.

4. Item nihil de bonis, & rebus suorum dictorum monasteriorum, vltra valorem quadraginta solidorum, aliquibus personis alienent, vel vendant, sine morosa deliberatione, & expresso Consilio, consensu & assensu totius Conuentus. De non alienando.

5. Item quantum ad Conuentuales, sint omnes per regnum vniformes in habitibus, tam in formis, quam coloribus: & statuatur circa formam cucullarum, floccorum, capparum clausarum pro equitatura; & quia in floccis fit magnus excessus (cum manicę ipsorum pro maiori parte in pluribus locis protendantur, vsque ad terram,) quod de cætero non excedant pugnum manus medium vlnæ in longitudine, & trium quarteriorum in latitudine: & de capucijs cucullarum certa tradatur forma; vt omnes vniformiter suis habitibus incedant, vt alij religiosi faciunt; ac pannus ille nitidus de worceto, (qui magis militaris, quam Monachalis censetur) omnibus, tam Abbatibus, quam Monachis penitus interdictus existat; & quod qui talibus vtitur, duplum illius teneatur soluere camere Apostolicæ. Vniformitas, & regularitas habituum.

6. Item, qui minutiones, & solatia, secundum morem locorum, habuerint, & recipiunt: si infra tempus, & diem minutionum, & solatiorum ipsorum festiuus dies, vt aliquod Festum principale, vel duplex, seu duodecim lectionum, contingat; teneantur interesse matutinis missæ maiori, & vesperis infra chorum, cum cęteris de Conuentu: & qui contrarium fecerit, ab huiusmodi solacijs per quattarium suspendatur. Moderata recreatio.

37. Item quia esus carnium ipsis religiosis, exceptis certis casibus, quodammodo est interdictus: pensataque infirmitate modernorum, & longa ac diutina obseruantia in contrarium; videtur multum expediens, vt fiat auctoritate Apostolica modificatio gratiosa: & præcipue attento, quam sumptuosum foret, & quasi importabile, prouidere Conuentibus, qui multum à mari distant, & aquis sterilitatem piscium habentibus, de alio genere, quam de carnibus: & idcirco ordinetur vt cauent statuta, quod die carnium per annum medietas Conuentus (computatis officiarijs, qui infra portas monasterij illo die personaliter existunt) sint in Refectorio in prandio, nec comedant ipso die carnes ad extra, sintque in ipso Refectorio lacticinijs, & piscibus, & pingudine carnium, vt omasis, forsaturis contenti. Esus carnium moderatus.

8. Item, ab exaltatione sanctæ crucis, vsque ad caput quadragesimæ, per regulam, & statuta indicitur ipsis professoribus regulare ieiunium: quanquam inter ipsos minime obseruetur; cum & hoc tempore indistincte comedant carnes; & plures cenent: videtur vero consonum rationi, & conscientijs regulatis, quod modificetur, vt auctoritate Apostolica statuatur, quod nullus hoc tempore (exceptis senibus, & actualiter infirmis, ac debilibus, & iuuenibus infra vigesimum annum suæ ætatis existentibus) cenet: sed vnico prandio in die contentetur: diebus Dominicis, principalibus duplicibus, ac duodecim lectionum Festis, & solemnitate Natalis Dominicæ, vsque ad octabis Epiphaniæ Domini, exceptis; & hoc tempore, à carnibus abstineant. Ieiunia regularia.

9. Item, quia proprietas religiosorum execrabile, & detestabile scelus existit, quæ maxime

 his diebus

Proprietatis vitium. his diebus per receptionem pecuniarum contra iura communia, & statuta surrepit, & inficit simplices Conuentuales: prouideatur, vt statutum Domini Benedicti Papæ duodecimi contra hoc factum, videlicet in rubrica, *Nec victualia ministrentur in pecunijs*, firmiter obseruetur: & quod ordinetur vnus fidelis dispensator commonachus, qui habeat recipere omnes pecunias in præsenti Conuentibus quomodocunque appropriatas, seu assignatas, & de ipsis prouideat singulis huiusmodi Conuentualibus de habitibus, & alijs suis necessarijs; non in pecunijs, sed in ipsis rebus omnino, prout vnicuique opus fuerit, ministrandis; & Abbates, ac priores, qui in his negligentes fuerint, incurrant ipso facto formidabilem pænam pecuniæ, & sui officij multationem, seu suspensionem; & si contingat huiusmodi Conuentuales visitare suos parentes, & amicos, de licentia sui superioris: hoc semel in anno ad maius fiat; & tunc habeant personas sæculares honestas ad ducendum eos, & reducendum, quibus certa summa pecuniarum pro expensis, per Abbatem, vel officiarium prędictum tribuatur; fiatque fidele ratiocinium de receptis, & expensis, post iter completum: nullusque Monachus retineat in sua custodiam sciphum argenteum, seu cocleare, vel alia iocalia aurea vel argentea, seu libros, sine breui, & scriptura indentata, cuius vna pars remaneat in manibus sui Prælati, sub pæna proprietatis; nec talia recipiat, vel donet, sine licentia speciali. Et si alicuius habitus, seu vestimentum sit confractum, tradatur officiario, qui habeat reficere; seu nouum loco ipsius recompensare, absque mora.

Ne habeantur cellæ separatæ. 10. Item nullus Monachus habeat cellam, vel cameram distinctam, seu priuatam: nec aliquando liceat eos ad talia loca priuata ducere quascunque mulieres, ad loquendum, comedendum, seu potandum? aut proprias matres, seu sorores; nec ad alia loca Monasterij, preter ad hospitium hospitum, & hoc cum speciali licentia, & sub testimonio, & præsentia officiariorum, ad talia recipiendum deputatorum: nec liceat alicui Monacho infra Monasterium, nisi in dormitorio communi, de nocte quiescere; pręsentia sui Prelati, & infirmis fratribus in suis locis duntaxat exceptis.

Colloquia mulierum vitanda. 11. Item cum iuxta beatum Augustinum inter omnia certamina Christianorum, duriora sunt prælia castitatis, vbi quotidiana pugna, & rara victoria, & secundum eundem, qui familiaritatem mulierum voluerit, cito labitur in ruinam; nec restat (per Apostolum) remedium, nisi per fugam: statuatur districtè, quod nullus religiosus dicti ordinis, in villis, seu ciuitatibus, vbi sua Monasteria situantur, licentiam habeant exeundi, seu ingrediendi, sed quod suis Prelatis penitus facultas ipsos licentiandi ad comedendum, potandum, seu loquendum in ipsos locis, præterquam cum multis nobilibus interdicatur cum ex hoc grauia oriri poterunt scandala, & incentiua vitiorum.

Obedientia; & de statutis in ordinem redigẽdis. 12. Item, vt saluti animarum consultius prouideatur, & inobedientię temeritas debite præcaueatur: necessarium videtur procurare à sede Apostolica certis personis diligentiam seu potestatem sufficientem, ad declarandum, & reducendum omnia statuta, dictum ordinem, & professores eiusdem concernentia, tam Romanorum pontificum, quam ipsorum legatorum, & subdelegatorum, ac aliorum superiorum quorumcunque, (cum plura sint huiusmodi statuta, & varia penas vero spirituales, & temporales contra non obseruantes ipso iure insligentia,) & quod ipsi sic auctoritate Apostolica delegati statuere, & discernere valeant certum limitatum modum obseruandi, ad quam obseruantiam singuli professores, tam pręsentes, quam futuri, & non aliam inantea, astringantur sub penis temporalibus duntaxat, per suos superiores arbitratis infligendam.

Vestiti dormiant. 13. Item, cum iuxta regulam beati Benedicti, singulis professoribus ipsius iubeatur, vt vestiti dormiant: pluresque solum cum staminis, & femoralibus hoc sufficere credunt: statuatur, quod non solum in staminis, sed etiam cum habitu regulari, femoralibus, & caligis, absque pedalibus omnino dormiant; lintheaminibus de panno lineo, & camisijs interdictis.

C A-

CAPVT II.

Articuli ab ipsis patribus concepti, & acceptati.

Statuta pro reformatione ordinis Nigrorum Monachorum acta apud VVestmonasterum.

CVm, secundum regulam beati Benedicti, nihil debeat Monachus possidere, quod Abbas non dederit, vel permiserit habere: quodque in plerisque Monasterijs, ad euitandam causam murmuris, & inequalitatis, permittunt Prælati suos Monachos pro suis necessarijs emendis pecunias recipere; ne huiusmodi receptio pecuniarum causet vel inducat proprietatis vitium, ita est statutum, & ordinatum: quod quilibet Monachus sub pæna proprietarij teneatur de pecunijs quibuscunque, & quomodocunque receptis, & expensis, suo Prelato fidelem computum reddere, totiens quotiens Prælato visum fuerit expedire, & ad minus semel in anno ad hoc etiam minime requisitus, & si quid super fuerit non expensum, sine fraude ponat plenarie in Prælati dispositione; & ne Prælati, aut alij superiores, huiusmodi bona per subditos in sua dispositione sic posita, sibi retineant, aut approprient pro sua sola voluntate libere disponenda: ordinatum est, & statutum, quod nullus talis Prælatus, aut superior recipiat aliquid de prædictis, nisi ad euidentem vtilitatem sui monasterij, & hoc de assensu, & consensu quatuor vel quinque de senioribus.

2. Cum sacra Monachorum Religio in hac valle lacrimabili, vbi velut signum reponitur ad sagittam, & quasi petra scandali in offensioné, sic iuxta patrum testimonia vitæ radiaret puritate, & mentis mundicia refulgeret, quod nec populus habeat vnde per ministratam occasionem sibi detrahat; nec mundus per violentam suspicionem, quo nocere possit: vt omnis amodo in hac religione tollatur occasio scandali, ponatque de cætero populus cum psalmista ori suo custodiam, & mundus suis labijs circumstantiam silentij, & clausuram; ad complacentiam altissimi, honorem ordinis, & pijssimam exhortationem Christianissimi principis Regis nostri, vna cum patrum assensu pariter, & consensu, auctoritate Canonica, qua possumus, in præsenti statuimus, primo firmiter, & diffinimus, vt de cætero tam Abbates omnes, qui bona à Conuentu possident discreta (de quorum bonorum discretione mentio satis fit expressa *De receptis* Capitulo *edoceri*, in fine textus; & per Ioannem Aytoum in constitutionibus Octoboni Capitulo de *Prælatis*; necnon per venerabilem Simonem Cantuarie in suis constitutionibus Prouincialibus Capitulo *Etenim vt rectius*,) quam etiam singuli alij, qui bona participaliter cum Conuentu optinent concreta, quocunque superioritatis nomine sint vocati, iuxta formam traditam extra *de statu Monachorum* Capitulo, *Cum ad monasterium*. Prior, & in constitutionibus Benedictinis, capitulo 27. *Necnon & Prouincialibus Capituli generalis*, Capitulo secundo; super gregem sibi commissum diligenter inuigilent, studeantque, quantum poterunt, iuxta vim, & effectum eorundem Canonum, & constitutionum, in Claustro, choro & Capitulo pro fratrum constructione, correctione, & regimine; necnon pro celebratione dictorum in Festis solemnibus personaliter interesse; nec occasione cuiuscunque consuetudinis in contrarium laborantis, ab his officijs vltra trium mensium spatium coniunctim, & sibi continue succedentium se subtrahant, nisi quatenus præpeditionem habeant Canonicam, & excusabilem satis de tempore absentandi. Præsentia Prælatorum Cōuentualibus actibus exhibéda.

3. Præterea secundo, cum contra scripturæ doctrinam ille linum cum lana contextum induit, qui de professoribus diuersi generis inordinatum habitum sibi sumit: ac etiam vlterius, secundum sacros Canones nó serico indui aut purpura sed Christum induere conuenit; neque aurum habentes in ornatum, aut cordis ornamenta aut pectoris pariter habere bene valeant: idcirco vt omnes eiusdem nostri ordinis, & professionis, tam superiores, quam subditi, tanquam si essent singuli vnius moris, eiusdemque conditionis in vna domo, in suis sint habitibus, equorumque phaleraturis consimiles, & conformes, vlterius vnanimiter statuitur, & strictius diffinitur, vt post horum per vsum consumptionem, quibus nunc iunguntur: absque renouatione faciant sibi fieri de cætero, iuxta ritum formam, & modum in proximo generali Capitulo ex- Vniformitas, & regularitas habituũ, & vestiũ.

 cogitandos,

cogitandos, floccos, cucullas, & capas, ornatumque pro equitatura suo statui concordes, iuxta traditiones Patrū Consilij in cap *Ne in agro*, constitutionum Benedictinarum capitulo vigesimo tertio §. primo, ceterarumque constitutionum patrum venerabilium antiquorum, nec worceto duplicato aut dimidiato, phaleraturaque deaurata, & nimium fastuosa, sub penis in ipso Capitulo generali statuendis vlterius abuti audeant, aut vestiri: sed sint ab hoc tempore in antea vltra prohibitiones exhortationesque, quas scripserunt sancti patres, hæc omnia vlterius per nos, veluti per aggrauatam sententiam, reiecta, suspensa, pariter & interdicta; nec ipsis liceat Prelatis, dum per viam equitant, aut alibi in itinere transeant, vltra numerum, de propria saltem familia, vicenarium, nisi in casibus per constitutiones Papales capitulo secundo expressatis, quomodocunque secum ducere, aut in forinseco seruitia retinere: sed semper cum ipso stent contenti; attenteque prouideant, ne in eo, medijs pensatis, & moribus, in temporibus, & personis apparatus curiosus nimis sit, aut nimium excessiuus.

Cōputus Prælatorum & administratorum.

4. Præterea tertio, cum singuli Prælati nostri ordinis prouide ex hominibus assumpti sint, vt pro hominibus constituti, tanquam prudentes villici, super seruos Dei, quatinus singuli pro seipsis, ipsi vero pro omnibus, & de omnibus in villicatione sibi traditis, fidelem pariter, & prouidentem Deo, & Collegio faciant rationem: nos eadem auctoritate, qua prius, firmiter iniungimus, districtiusque singulorum conscientias oneramus quatenus iuxta Apostolicæ sedis legati, Domini Octoboni decretum, rubrica *De reddendo compoto*, vnacum glossa Ioannis Aytoum super eandem, necnon secundum constitutiones Simonis Cantuar Archiepiscopi Capitulo *Cum vtrectius*, tam ipsi Prælati, quam ipsi administratores singuli, qui de more solent, aut de iure deberent, singulis annis semel ad minus, aut in Capitulo, aut in alio loco seorsum ad id negotium deputato, coram quinque vel sex fratribus, cum consensu Capituli in hac parte electis, fidele ratiocinium, & plenarium de singulis receptis, & expensis, etiam irrequisiti faciant: nominaque creditorum, cum debitoribus, & causis, si quæ fuerint, plene, & fideliter, absque fraude redigant, seu redigi faciant in scripturam; nec dent, aut donent Prælatorum aliqui de bonis sibi in administrationem taliter concessis, aut in curialitate, prodigalitate, seu liberalitate summam, aliquam notabilem, nisi in vrgente manifesta necessitate: & tunc hoc faciant ad commodum monasterij, ac profectum, & sine dilapidationis specie aliqua.

Modus recreationum.

5. Præterea quarto, cum iuxta sapientis eloquium, tunc meus ad omnia roboratur viriliter, cum de labore pensatur vtilitas; laborantibusque post Claustralis ponderis tedium recreabilis solatij consideretur grata merces, votiuis prout tenemur desiderijs affectantes huiusmodi onera Claustralia cum mentis hilaritate continuo deportari, volumus oportunumque fore decernimus, vt fratres singuli, dum per cursum minutionum solatijs corporaliter se immiscent, tam diebus ferialibus, quam in festis duodecim lectionum hoc tempore occurrentibus, absque excessu tamen, & cum freno modestiæ, honestis solatijs, licitisque recreationibus, de laudabili loci consuetudine approbatis, Monachaliter indulgeant, & exerceant moderate: in diebus tamen solemnibus, festisque duplicibus saltem, si talia frequentent fratres solatia, præsentialiter in Cenobijs, volumus & iniungimus, sub pæna recreationis per tempus notabile ad arbitrium superioris subtrahendę, quotiens talia festa occurrerent, missis, matutinisque, & vesperis intersint, quacunque consuetudine scripta, aut non scripta, in contrarium non obstante.

Esus carnium moderatus.

6. Præterea quinto, cum iuxta sanctorum sententiam, omnis lex, constitutio, seu quęuis norma, iusta possibilisque esse debeat, & honesta, secundum naturam, & consuetudinem patriæ, loco temporique conuenientes, prout in Canone ponitur, Di 4. pensatis naturis, & complexionibus, quæ in hominibus satis sunt debiles his diebus, quomodolibet per refectionem piscium aut aliorum duntaxat regularium, (cum sint, iuxta medicos, idipsumque experientia satis doceat, naturæ multum contraria, stomachoque nociua) posset plebs obedientiæ humilis amplius in viribus attenuari, quam regula iubet, aut de iure libet; populus vero durioris ceruicis, cibum illum velut leuissimum fastidiens, cum hebræis aspirare ad ollas carnium illiciteque appetere postponens: nos non proprijs voluntarijsue positionibus in hac parte ducti, seu illa regulæ generali clausula, quâ fertur, omnia per dispositionem Abbatis fieri, totaliter suffulti, quinimo vlterius alteri innitentes specie, qua fertur, quotiens minus sunt hospites, in Abbatis sit potestate, quos vult ad suam mensam vocare fratres, Capitulo 56. decretalium etiam Canonicorum extra de *statu Monachorum*, *cum ad mensam in Refectorio*, vbi sic habetur, ex indulgentia potest Abbas nunc hos, nunc illos, prout necessitas postulat, aduocare; ipsosque in Camera sua plenius exhibere; necnon dictis, & scriptis sanctorum patrum beati Bernardi, de dispensat. & præceptis, & sancti Thome, doctorisque solemnis in suis quolibets. Hostiensis

extra

extra de *statu Monachorum, cum ad monasterium*, super verbo, *quanquam ex indulgentia*, & *refectorio*, & willhem. Durandi in speculo iudiciali titulo, *delegatis* verbo *Abbas* : pro nostris locis, & temporibus adeo iuste, possibiliter, & honeste legem de esu carnium moderamur, modificamus, & de cætero decernimus obseruari, vt quotidie iuxta Benedicti duodecimi statuta Canone vigesimo sexto, medietas Capituli, vel Conuentus in Claustro actualiter residentis, refectorio regulariter se reficiat, nec alibi ipso die carnes sumere liceat, absque causa satis notabili, & tunc de maioris in monasterio licentia speciali.

7. Et cum vlterius, secundum iam dicta, sanctionum iura instituuntur cum promulgantur; firmantur, cum moribus vtentium approbantur: sintque nonnulle leges moribus vtentium in contrarium hodie penitus abrogatę, prout expresse decretatur vbi supra; vt lex de regulari Monachorum ieiunio ita de cætero regulariter obseruetur, veluti in domibus magis religiosis moribus vtentium his temporibus approbatur; ac vt, quemadmodum in republica pensanda est voluntas, non quæ est vnius tantummodo, sed multorum, ita in imponendis ieiuniorum oneribus attendatur, non ad illius refectionem, in quo est singulariter spiritus Domini, & libertas, sed ad communitatis indigentiam, & debilitatem complexionis in eadem: volumus etiam vlterius, & ordinamus, quod nullus his temporibus vt puta ab idibus septembris, vsque ad caput quadragesimæ, præterquam iuuenes (dummodo sunt crescentes) in loco regulari videlicet refectorio cenent, aut cenare præsumant, quouismodo, Dominicis diebus festis principalibus, duplicibus, & duodecim lectionum, ac Natalis Domini festino tempore, vsque in octabis Epiphaniæ, ab hac lege ob id duntaxat exceptis: vt in vinea Domini à mane laborantibus ad vesperam, præter ęterne retributionis denarium in futuro, in præsentiarum ipsa vespera recreationis stipendium sumere liceat, & solamen.

Ieiuniorum regulariũ modus.

8. Præterea vero cum angustissimum sit vndique, aut legem statuere de non recipienda à fratribus pecunia pro quibuscunque necessarijs, aut indifferenter concedere, iuxta consuetudinem inolitam in diuersis locis, cum inficiari nequeat, quin hinc oriatur aliqualis dispositio ad peculium, & sit in parte concessio preter iura; inde vero preter occulta commercia, Clandestina negotia, aliaque varia illicita multa, maxima ministratur materia murmuris, quod super omnia pensat, & prohibet nostra norma: idcirco primo, quia melius magisque expediens fore supponimus in manus obiectoris incidere, quam leges, & prohibitiones relinquere nostrę normæ, secundo quia satis sufficiens esse confidimus, si per viam imitationes sit quisquis discipulus, quemadmodum ille magister optimus, cuius omnis actio nostra est instructio; & qui (iuxta beatum Augustinum de operibus Monachorum, iuncta sententia Ioannis Chrisostomi vmelia quadam, cum glossa communi super Euangelium Ioannis duodecimo) loculos habuit, & pecuniam, vt omnem abscinderet malefaciendi materiam, & moribus condescenderet infirmorum; tertioque, illud iuris consilium esse perlegimus, vbi magis periculum iminet, ibi cautius oportet agere: & propter vitandum malum maius, quod minus de eodem genere sapit cum silentio tolerare: hos nostros singulos subiectos, dummodo non sint sine discretione iuuenes, aut in expensis prodigi, seu minus in regimine Sapientes, permittimus pariter, & toleramus, iuxta laudabilem locorum consuetudinem, atque vsum, partim pro necessarijs, partim pro recreationibus pecunias recipere, & expendere; non quidem ad libitum, sed in his duntaxat, quæ supra diximus, & cum discretione; & ne hæc permissionis aut tolerationis libertas in materiam euadat scrupuli, seu ad peculij opus sine freno disponat per regulam penitus interdicti: nos vlterius vsum, formam & modum de receptis, seu recipiendis per confratres pecunijs taliter cupientes pro viribus moderari, vt nec occasio mali sit in facto, nec error ordinis remaneat quomodolibet in concesso; altiori imò & strictiori modo, quo poterimus, firmiter iniungimus, firmissimeque mandamus, quatenus ipsorum singuli subiecti, qui huiusmodi pecunias taliter recipiunt, in suos vsus de taliter receptis totiens, quotiens superiori visum fuerit expediens, ad minusque semel in anno, etiam irrequisiti, aut scripto, aut verbo, iuxta ipsius superioris arbitrium, fidelem rationem pariter, & relationem faciant; nihilque omnino, propter vitandum proprietatis vitium, quomodocunque, aut qualitercunque sibi concessum, nec pecunias secum retineant, quod iuxta traditionem regulæ nec Abbas dederit, nec permiserit, seu in quo ipsi non se semper promptos exhibuerint ad ponendum plenarie in superioris arbitrio, & dispositione. Per hanc tamen positionem, aut relationem nolumus superiorem, aliquem in aliquo proniorem, aut promptiorem in esse, ipsum residuum, si quod fuerit, à fratre auferre, aut penes se retinere : nisi in pios vsus illud idem applicet, & tunc hoc fiat cum saniori consensu, & absque rancoris vitio, seu murmurandi libidine aliquali.

Quomodo pecuniæ recipiẽdæ, & expendendæ à Monachis.

Collo-quia, & cõſortia mulierũ vitanda. 9. Præterea ſeptimo, cum ſecundum beatum Auguſtinum, qui mulierum non vult vitare præſentiam, de facili labitur in ruinam: nec reſtat remedium, per Apoſtolum, niſi per fugam: hinc conſtitutionibus Benedictinis, Prouincialiſque Capituli in hac parte innittes, omnes ordinis noſtri Profeſſores adiuramus in Domino, & ſub præcepto inſtantius exhortamur, quatenus id in interiori homine mentaliter reuoluentes, aduertenteſque vlterius, quomodo (iuxta ſapientis eloquium) multi perierunt propter mulieris ſpeciem; aſſeratque ipſius colloquium fieri quaſi ignis exardeſcens; in quantum honeſte poterunt, aut commoede valeant, ipſarum familiaritatem omnino diffugiunt, nec cum ipſis loco aliquo colloquium habeant, niſi cum ſufficienti honeſtatis teſtimonio, & tunc taliter, vt omnis vitetur materia ſcandali, nullaque detur occaſio de colloquio delinquẽndi; & quia adeo inficit mulieris conſortium, vt colloquiũ (iuxta Ieronimum;) propterea nunquam ſolus ad ipſius domum habiturus eſt acceſſum; immò, vt prius, adiuramus in Domino, & exhortamur, ac in abundanti vlterius demandamus, vt ad villas, vbi aut mulieres habitant, aut ipſi fratres, mutuum inter ſe acceſſum nullum penitus habeant, nec cum eis, aut alijs quibuſcunque, niſi in cauſa duntaxat notabili, in his locis comedant, bibant, ſeu quomodocunque ſe reficiant, & tunc de ſuperioris licentia expreſſa, & conſenſu, &c. Acta ſunt hæc in domo Capitulari de Weſtmonaſterio anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſecundo, & regni regis Henrici quinti anno octauo.

SCRIPTVRA LXXII.

Ex antiquo M. S. Dunelmenſi.

Acta capituli generalis, quo inchoata ſuperiori in ſynodo diſciplina perficitur.

NE patrum venerabilium laudabilia ſtatuta iugis memoriæ confinibus prolabantur, ſed potius veridico ſcripturę teſtimonio ad noſtri ordinis debitam obſeruantiam cunctorum notitiæ clarius eluceſcant; proceſſus ſequentis operis ſingula acta capitularia per ordinem declarabit, quæ ſub anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo tertio, menſis Iulij die quinto, cum continuatione, & prorogatione dierunm tunc immediate ſequentium, Capitulo Prouinciali Nigrorum Monachorum prouinciæ Anglicanæ infra Capellam Beatæ Mariæ Virginis Monaſterij ſancti Andreæ Apoſtoli apud Northamptonam Canonice celebrato, geſta extiterant, & debite ordinata. Hoc quidem Capitulum fuerat celebratum per venerabiles in Chriſto patres, & præſidentes Dominum Willielmum permiſſione diuina Abbatem monaſterij ſancti Edmundi de Buri, magiſtrumque Ioannem eadem permiſſione priorem Eccleſiæ Cathedralis Wigorniẽſis, ſacræ paginæ profeſſorem; piæ memoriæ Domino Willielmo olim Weſtmonaſterij Abbate, ac ſeniore protunc præſidente, terræ ſuum corpus, animam vero Deo primitus offerente.

Paragrapho 1. Acta primi diei.

Miſſa de ſpiritu ſancto. PRimo Capituli die, more conſueto pulſationis magnæ campanæ in omnibus obſeruato, honorabiles Prælati, Abbates exempti, & cæteri Priores Cathedrales, & Clauſtrales, Doctores cum bacallarijs Sacræ Theologię, & decretorum; procuratores Prælatorum abſentium, alijque tam regulares, quam ſæculares in notabili numero inſimul adunati, ſacris ſolemnijs miſſæ de ſpiritu ſancto, ad prænotatum ſancti Andreæ Prioratum ſuas perſonales præſentias deuotione, qua decuit, exhibere curabant, quam reuerendiſſimus in Chriſto pater Abbas de Buri, ſenior pro tempore præſidens, pontificaliter infulatus, aſſociato ſibi Priore Wigorniæ compreſidente, eiſdemque inſignijs excellenter decorato, ſolemniter celebrauit; qua tandem Concio Latina. conſummata, vſitataque campana ad Capitulum moroſe pulſata, omnes & ſinguli ſpirituali communione refici affectantes, ad Capellam beatę Virginis prelibatam ſuos maturare greſſus decernebant, quibus Dominus Willielmus Waldens, ſenioris Monachus Præſidentis, ac in Theologia

Theologia graduatus, stilo satis commendabili mentales delicias vniuersis presentibus affluentissime propinans, verbum Dei ibidem fructuose proposuit in Latinis.

Hoc actu solemni commendabiliter terminato, sæcularibusque amotis; Dominus senior præsidens vnam monitionem subintulit, quæ sequitur sub hac forma. In Dei nomine Amen nos monemus omnes, & singulos hic præsentes, sub pæna suspensionis, & excommunicationis, quod à loco nostro Capitulari exeant, & recedant, ad quos non spectat huic interesse nostro Capitulo. Exclusio non capitularium.

Successiue vero fratres, Siluestrum Boltonum, Ioannem Bury, & Ioannem Redings custodes ostiorum Domini Præsidentes inibi deputarunt: secutaque est ad mandatum senioris Præsidentis martyrologij lectio eidem diei conueniens, per vnum de suis commonachis, fratrem Ioannem Colcestre vulgariter nuncupatum; per alium verò confratrem D. Cambregge nomine subiunctus fuit versiculus pretiosa in conspectu Domini cum precibus consuetis, Præterea loco regulæ, decretalibus, scilicet. *In singulis*, ea quæ constitutione Benedictina, *Statuimus*; statum concernentibus Monachorum, à scriba regulariter perlectis, vt in tam arduo, tamque excellenti negotio nemini foret occultum; sed quod cunctis euidentius pateret, qui fuerunt in Prouinciali Capitulo proxima præcedente erga Capitulum præsens electi præsidentes: fratres Ioannem Cranewys sacrorum canonum bacallarius, & Scriba Capituli prænotati, per seniorem præsidentem specialiter deputatus, concordem dictorum præsidentium electionem, quam in actis Capituli præcedentis insertam reperit, intulit sub hac forma. Ianitores capituli. Lectio martyrologij. Prætiosa. Lectio regulæ.

Iuxta vim, formam, & effectum constitutionum præmissarum celebratum fuit Prouinciale Capitulum in isto loco, anno ab incarnatione Domini millesimo quadringentesimo vigesimo, mensis Iulij die octauo, cum continuatione, & prorogatione dierum tunc immediate sequentium, per venerabilem in Christo patrem Dominum Ioannem permissione diuina Priorem Ecclesiæ Cathedralis Wigorniæ, Dominis Abbatibus Westmonasterij, & Winchecombie compresidentibus tantis infirmitatibus tunc temporis detentis, quod ibidem suas præsentias minime poterant personales adhibere: qui de Prælatorum in dicto Capitulo Præsidentium, cæterorumque eisdem assistentium deliberatiuo consilio pariter, & assensu, electores futurorum præsidentium legitime deputauit, ac eorum vnanimem electionem sub forma succedente gratissime acceptauit. Lectura electionis præsidentium in vltimo capitulo.

In Dei nomine amen Ego Richardus, Abbas Eueshamie, vice mea, & collegarum meorum, nomino & eligo in præsidentes pro proximo Prouinciali Capitulo futuro, Willielmum Abbatem Westmonasterij, Willielmum Abbatem de Buri, & Ioannem Priorem Ecclesiæ Cathedralis Wigornie; Sane horum venerabilium patrum sic nominatorum, & in præsidenres Canonice electorum, Domino Willielmo Abbate Westmonasterij viam vniuersæ carnis ingresso, Reuendi Patres, & Domini Dominus Willielmus permissione diuina Abbas monasterij sancti Edmundi de Buri, & Dominus Ioannes eadem permissione Prior Ecclesiæ Cathedralis Wigornie; iuxta vim, formam, & effectum electionis, & nominationis huiusmodi, pro expeditione effectuali celebrationis præfati Capituli Prouincialis, prout iuris exigentia, statuta, & ordinationes dicti ordinis exigunt, salubriter, & requirunt, personaliter assistunt: volentes, & expresse protestantes, quod volunt, & proponunt ipsum Capitulum ab intento celebrare: ac cum omnibus suis emergentibus, dependentibus, & connexis, secundum constitutiones Papales, statuta, & ordinationes monasticas, dictum Capitulum spiritus sancti gratia mediante feliciter expedire. Electio presidentium capituli præcedentis.

Huiusmodi forma electionis, cum matura deliberatione perlecta, Dominus Præsidens senior Capitulum cum his verbis statim inchoauit, dicens *Benedicite, & loquamur de ordine nostro*; sequentem inhibitionem in terminis annectendo. In Dei nomine Amen nos Willielmus permissione diuina Abbas monasterij sancti Edmundi de Buri, & nos Ioannes eadem permissione Prior Ecclesię Cathedralis Wigorniæ ordinis Præsidentes, auctoritate, qua fungimur, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pæna excommunicationis maioris, inhibemus omnibus, & singulis hic præsentibus, & alijs venturis ad istud Prouinciale Capitulum, quibuscunque, ne quis reuelet quocunque modo vel forma secreta nostra istius Prouincialis Capituli præsentis alicui sæculari, seu non subdito huic Capitulo Prouinciali, in detrimentum, vel opprobrium, infamiam, seu grauamen ordinis, monasterij, aut alicuius personæ alterius sæcularis. Initium capituli præsentis. Monitio ad obseruãdum secreta capituli.

Successiue iusserunt Domini præsidentes, omnes & singulos Prælatos, qui de iure Capitulo debent interesse, publice præconizari: vnde singulis conuocatis, personaliter affuerunt, Dominus Willielmus Abbas sancti Edmundi de Buri, Dominus Ioannes Prior Ecclesiæ Cathedralis Wigorniæ, Præsidentes; Abbas Eueshamie; Abbas Glouernie; Abbas Abbendonie; Præconizatio Prælatorum.

Abbas

Præsentium per procuratores.

Abbas Croulandiæ; Abbas de Bardnay; Abbas Alcestrie; Prior Dunelmię; Prior Eliensis; Prior Couentrensis; Prior de Dauentree; Prior de Huffeld; Prior de Bradewelle; Prior de Snelleshale; Quidam vero comparuerunt per procuratores, videlicet, Abbas de sancto Albano; Abbas sancti Augustini Cantuariæ; Abbas Westmonaster; Abbas Malmesburie; Abbas Glastoniæ; Abbas Ramesey; Abbas sancti Petri de Burgo; Abbas Eborum; Abbas de bello; Abbas sancti Benedicti de Hulmo; Abbas de Salopia; Abbas de Hida; Abbas de Thorney; Abbas Colcestriæ, Abbas Winchecombie; Abbas Theukesbury; Abbas Cestrie; Abbas de Cerne; Abbas Radingie; Abbas de Burton; Abbas de Selby? Abbas de Whitby; Abbas Chertesey; Abbas de Tauestoke; Abbas de Perschore; Abbas de Fauerisham; Abbas de Abbotesbury; Abbas de Shirburn Abbas de Mychelney; Abbas de Midiltoũ; Abbas de Aldney: Prior Wynton; Prior Bathoũ; Prior Norwycensis; Prior Roffensis; Prior Douerie; Prior minoris Maluernie? Prior de Monkbretton; Prior de Sandewelle; Quidam vero nec personaliter affuerunt, nec se per procuratores legitime excusauerunt: videlicet Prior de Berkenhed; Prior de Hattefeldbrodoke; Prior de CaneWelli; Prior de Pulla in Wallia. Quantum vero ad Priorem de Colne, qui Capitulo personaliter interfuit, determinatum est per prȩsidentes, & Capitulum, visis euidentijs Abbatis Abbendonie; quod est subditus, & membrum ecclesiæ suæ, & protanto non tenetur dictus Prior, sed Abbas, tanquam pro cella suo Monasterio annexa, in Capitulis Prouincialibus de cætero comparere,

Contumaces.

Examinatores procuratoriorum.

Deinde processum, est ad examinationem procuratoriorum ibidem exhibitorum seu, imposterum exhibendorum, seniore præsidente proferente decretum in forma, quæ subsequitur: in Dei nomine amen nos Willielmus permissione diuina Abbas sancti Edmundi de Bury, ordinis præsidens, vnacum venerabili in Christo patre Domino Ioanne, eadem permissione, Priore ecclesiæ Cathedralis Wigornię; comptesidente, auctoritate qua fungimur, ordinamus, & constituimus discretos viros communiter, & diuisim, Abbatem Abbendonie, & Priorem Eliensem, Priorem Malmesbury, Priorem de Perschore, ac Walterum Freskeney, Alanum kirtonum, Thomam Affcham, & Richardnm Vitum decretorum bacalaurios, ad recipiendum, discutiendum, & acceptandum, approbandum, refutandum, seu reprobandum omnia, & singula procuratoria, in præsenti Capitulo exhibita, & exhibenda: in his vices nostras committimus, reseruata nobis facultate, admittendi, & audiendi iuramenta procuratorum huiusmodi super excusationibus Dominorum suorum.

Auditores cōputorū.

Quibus sic peractis, ad nominandum auditores computi ijdem Domini præsidentes, sub hac forma, quæ sequitur, seriosius processerunt. In Dei nomine amen nos, auctoritate qua supra, nominamus, deputamus, & constituimus vos, reuerendos patres, & confratres, Abbatem Glouernie, & Priorem de Peterburgh, Magistrum Ioannem Shaldforde, Willielmum Walden, Edmundum kirton, Ioannem Cline, Rogerum kirtonum, & Robertum Wesingham, auditores computi quorumlibet receptorum, multarum, collectarum, & eorum omnium, quæ recipi deberent, & Capitulum nostrum Prouinciale concernunt, quæ per collectores principales, Dominos Abbatem Westmonasterij, Abbatem sancti Edmundi de Buri, & Abbatem Winchecombie, eorumque coadiutores, deberent iam leuari: ut expedito computo, nobis relationem faciatis, citra horam quartam crastinę diei post prandium.

Inhibitio nequis recedat à Capitulo.

Et (vt aliquotiens constitit euenisse,) ne quisquam irreuerenter, licentia à præsidentibus non obtenta, à Capitulo recederet, & indebite se subtraheret, dictis Capituli præsidentibus in consultis: Dominus præsidens senior, de Consilio, & assensu sui compræsidentis, inhibitorium decretum contra taliter præsumentes tulit sub his verbis: in Dei nomine amen, nos auctoritate, qua supra, inhibemus, ne quis Prælatus, procurator, aut graduatus, ab isto Capitulo Prouinciali, sine licentia petita, & à nobis optenta, recedat: sub pæna suspensionis à diuinis excommunicationis, & notabilis culpę, quam in contra venientes omnes, & singulos, inferemus.

Monitio ad cōperta in visitatione ordinis.

His ordinate peractis, iniunctum fuerat visitatoribus singulis in vltimo Capitulo deputatis vt comperța singula, propter quæ Dominorum præsidentium consilium foret merito requirendum, in scriptis citra horam tertiam post meridiem redigerent, ac iuxta formam monitionis sequentis, præsidentibus, & Capitulo fidelem relationem facerent in præmissis. In Dei nomine amen: nos, authoritate qua supra, monemus vos, omnes, & singulos visitatores, per vltimum Prouinciale Capitulum nostri ordinis deputatos, quatinus comperta per vos in actuali visitatione vestra in monasterijs, prioratibus, aut cellis, quorum correctio, aut emendatio, aut reformatio ad istud Prouinciale Capitulum pertinet, in scriptis integraliter liberetis, citra horam tertiam post meridiem.

Præte-

Præterea, ne contributiones ad Capitulum deportatæ, per dolum, fraudem, seu collusionem ad manus aliorum, quam ordinis collectorum, quoquomodo deuenerint, Domini præsidentes monitionem fecerunt inhibitiuam ipsorum, sub forma, quæ sequitur, verba decreti publice proferentes. In Dei nomine amen nos Wilhelmus permissione diuina Abbas monasterij sancti Edmundi de Bury, & Ioannes eadem permissione Prior ecclesiæ Cathedralis Wigorniæ, huic instanti Prouinciali Capitulo præsidentes, auctoritate, qua fungimur in hac parte, monemus omnes, & singulos debentes contributiones, siue mulctas nostri ordinis communitati, siue dicto Prouinciali Capitulo, quod satisfaciant de eisdem, soluendo collectoribus ad hoc legitime deputatis, citra horam duodecimam crastinę diei, ante meridiem, sub pęna suspensionis a diuinis ipso facto, nisi cum illis per nos aliter fuerit dispensatum. Monitio ad soluēdū contributiones.

Qua monitione præmissa secuta erat continuatio Capituli, vsque ad horam secundam post meridiem, subsequens per decretum. In Dei nomine amen, nos auctoritate, qua fungimur in hac parte, continuamus omnia, & singula, istud Capitulum concernentia, cum omnibus suis emergentibus, dependentibus, & connexis, vsque ad horam secundam post meridiem, in isto eodem loco: cum continuatione, & prorogatione dierum, & locorum sequentium, per decretum. Continuatio Capituli.

Post prandium vero, hora superius limitata, congregatis singulis regulariter, vt erat moris, cum senior præsidens, *Benedicite & loquamur de nostro ordine*, publice inchoasset: Abbas Abbendonie, cum collegis suis examinatoribus procuratoriarum legitime deputatus, in præsentia pręsidentium, & Capituli assurgens, procuratoria: suæ & sociorum suorum examinationi commissa, in sinum senioris præsidentis singula refundebat, de quibus sex tantum procuratoria, videlicet, Abbatum de Bello, & Michilney; de Shirburn, de Faueresham: Prioris Ecclesiæ Roffensis, & de Sandwell; quia vt eis videbatur, in forma non modicum discrepabant, extiterant reprobata, sed postmodum, ex speciali gratia Dominorum præsidentium, cum alijs, approbata hac vice, tollerata sub conditione tamen, quod omnes & singuli Prælati, & procuratores, copiam vnius sufficientis procuratorij ibidem publice lectam, in Capitulo ante recessum, scriberent eorundem: & pro perpetuis temporibus successuris ipsum sufficiens fore procuratorium capitulariter approbarent. Acta primi diei post prandium. Certificatio examinatorum procuratoriorum.

Quo acceptato iusserunt Domini Præsidentes ad perpetuam rei memoriam ipsum in actis inseri procuratorium prælibatum, quod ex verbo in verbum ponitur in his scriptis. Pateat Vniuersis per præsentes, quod nos N. Abbas vel Prior de D. talis Diocæseos ex causa sufficienti, & clara: tali, vel tali (quæ causa procuratorio inseratur) legitime præpediti, quo minus Prouinciali Capitulo apud Northamptonam die tali, vel tali, proximo post Festum tale vel tale anno Domini, &c. celebrando, poterimus personaliter interesse; dilectum nobis in Christo; N. commonachum, & confratrem nostrum facimus, & ordinamus, & constituimus per præsentes, excusatorem, ac procuratorem nostrum legitimum, ad compatendum pro nobis, & nomine nostro in dicto Capitulo; damusque eidem potestatem in animam nostram iurandi, causam excusationis huiusmodi, quam prætendimus, esse veram; necnon tractandi cum his, qui intererint Capitulo memorato, ac consentiendi omnibus his, quæ in ipso Capitulo fuerint per præsidentem seu præsidentes, & ipsum Capitulum, salubriter ordinata; necnon omnia alia faciendi, quæ ad excusatoris, seu procuratoris officium necessaria fuerint, aut aliqualiter oportuna. Ratum & gratum habituri, quicquid idem procurator, & excusator noster fecerit in præmissis, sub rerum nostrarum, & dicti monasterij seu Prioratus nostri hypotheca; & exponimus cautionem. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum pręsentibus est appensum, datum tali loco, tali die, tali anno. Forma procuratorij.

Qua forma procuratorij approbati perlecta, Domini præsidentes singulos visitatores in vltimo deputatos Capitulo continuo euocabant, vt comperta in suis visitationibus per Capitulum reformanda eisdem plane, & fideliter liberare conarentur; Inter quos ibidem consedentes procurator Abbatis de Bello Monachus Ecclesiæ Roffensis primo se erexit, ex hac causa, vt asseruit, constitutus: quia citra vltimum Capitulum, quam plures Monachi dicti Monasterij de Bello viam sunt ingressi carnis vniuersæ, & illi, qui modo supersunt in religione, penitus sunt nouelli, ac pro tanto ad subeundum visitatoris officium nimium indiscreti; qui videlicet Monachus Roffensis ad visitandum Cantuariensem, Cicestrensem, & Roffensem Diocéses ex causa præmissa legitime deputatus, indubitanter asseruit, quod in prædictarum Diocæsium quolibet monasterio obseruantię regularis floret secunditas, pacis & concordie redundat suauitas, vniuersaque morum, & virtutum inuenitur honestas; Pro quo monasterio, scilicet de Bello, respondit procurator Abbatis Radingie, ipsum affirmans monasterium se vice, Certificatoria visitatorum.

& no-

& nomine patris sui, secundum scientiam à Deo de super sibi ministratam, legitime visitasse, in quo, vt lucidus declarauit, & membra reperijt firmiter colligata nexibus charitatis. Pro Diocesi Londoum respondit Prior de Walden, dicens, quod loca singula visitanda Diocæses prælibatæ, auctoritate patris sui, actualiter visitauit, vbi vitæ sanctimoniam reflorere cognouit, tam in superioribus, quam in eorum subiectis: cæteraque singula in temporalibus inuenit, & spiritualibus, probatissimè gubernata; pro quo frater Willielmus Bret, Monachus & Procurator Abbatis sancti Albani, se in publica audientia constituit responsalem, luculenter declarans, ipsius sacri cænobij patrem, & subiectos de mutuæ charitatis feruore commendandos. Pro Diocæsibus Eliensi, & Norwicensi, Respondit frater Alanus Kirton, Monachus & Procurator Abbatis de Thorney, in iure Canonico Bacallariatus gradu meritò decoratus, exponés vniuersis, quod in locis, per ipsum regulariter visitatis, licet Marthæ vita sit multò commendabiliter obseruata, Mariæ tamen non modicum anteponitur: adeo quod cum à contemplatione cælestium ex diutina mora debilitati cupiunt respirare, ad sacrarum egrediuntur meditationes scripturarum, vbi pausam facientes, audiunt vitæ præsentis miseriam, futuræ beatitudinem considerant, pænam attendunt damnatorum, & præmia beatorum. Pro Monasterio de Thorney respondebat Prior de Burgo sancti Petri, dicens, quod sicut homo exterior ibidem in Refectorio materiali ad constitutam horam cibo sufficienti potuque reficitur: sic homo interior in Refectorio spirituali sanctæ meditationis, acerbæ potatur vino compunctionis, & diuersis boni exempli ferculis sagniatur. Pro Diocæsi Hincolniensi Abbas Ramesiæ visitator per Capitulum fuerat assignatus, cuius procurator vniuersa monasteria illius latissimæ Diocæseos visitans, seriatim indubitanter affirmauit, quod congrua sacræ Religionis ibidem floret disciplina, in tantum quod maiorem reperiebat causam ipsa omnia, & singula loca laudum præconijs meritò extollendi, quam asperæ correctionis luna in eisdem, aliquid reformandum. Et pro ipso Prior Eliensis fuerat assignatus, qui monasterium prælibatum in disciplina regularis obseruantia in præcelsæ deuotionis constantia, & in politice gubernationis excellentia, ex intimis præconihauit suspirijs existere collaudandum. Pro Diocæsi Sarum, surrexit Procurator Abbatis de Miltoum, qui ad visitandum dictę Diocæseos monasteria per Patrem suum fuerat deputatus, in cuius cęnobijs per ipsum actualiter visitatis, Malmesburia, & Abbotisburia tantummodo exceptis, reperijt nostræ Religionis alumpnos pacificos, & quietos sub patribus prouidis, & discretis gratuitè militantes, Ritus nempeque, & defectus istorum duorum locorum tam regulæ Monachali, quam bonis moribus non modicum repugnantes prædictus visitator coram Capitulo nullatenus duxit in specie exprimendos, sed potius cum supportatione benigna ibidem existentium asseruit, se velle eosdem in priuato Dominis Præsidentibus posterius reuelare. Pro isto monasterio de Myltoum, procurator Prioris Bathoum respondens, certissimè affirmauit, quod quædam ibidem erant comperta de fratre Roberto Præstone, Monacho loci antedicti, de quibus detectis siue compertis, quia pręsidentes per ipsum visitatorem plenissimè extiterant informati, melius erat sub silentio tacitè præterire, quam ea in publicam Capituli notitiam, enormitate facti causante, aliquotiens deuenire. Pro Diocæsi Bathoniensi, & Weltensi visitanda, Abbas de Athelney fuerat assignatus: qui singula monasteria sibi commissa regulariter visitans, ipsa omnia in felici reperisse regimine, & sic eadem dimisisse, latius declarauit. Pro quo Abbas de Cerne respondere curauit, verissime affirmando, nostræ Religionis cultum à Deo commendabiliter ibidem fore obseruatum, quod cum illius loci habitatoribus Deus placatur, homines collectantur, mundusque eorum spirituali recreatione in virtutibus indies inpinguatur. Pro Diocęsi Wintoniensi Abbas de Hida suum procuratorem constituit ad visitationis officium pro ipso subeundo, qui in locis sibi limitatis visitationem continuans regularem, vniuersa comperta coram eo detecta, quæ pauca erant, & leuissima, monasteriorum patribus secundum iuris exigentiam commisit emendenda: Pro ipso nempeque procurator Abbatis de Shirburum visitatoris officium super se beneuolè assumebat: dicens, omnia bene reperta ibidem, seu detecta, tanta commendatione digna, quod nullus, licet æmulus, posset sana conscientia ipsorum mores, & pręconia in modico reprobare. Pro Diocæsi Wigorniensi, Abbatis de Pelchor comparuit procurator, qui in visitando monasteria Diocæseos antedictę suum profecisse laborem indubitanter asseruit: vbi singula locorum capita eorum subditis cõformia apertissimæ experientiæ probauit documentis, in tantum quod nihil reperitur ibidem vituperio dignum, sed omnia nitore præclaræ religionis fore rutilantia, multis laudum præconijs extollebat. Pro quo Prior Malmesbury nomine, & vice patris sui se visitatorem asseruit licitè assignatum, vbi Religiosas mentes existere magistra rerum experientia ipsum informauit: pauca tamen communia fuerant reformanda, quæ illius loci

Secũdus visitator.

Tertius visita-tor.

Quartus visitator.

Quintus visitator.

Sextus visitator.

Septimus visitator.

Octauus visitator.

loci prælato commisit exequanda: Pro Diocesi Eboracensi, & Dunelmensi, respondit procurator Abbatis de Selby, indubitanter asseuerans, quod in prædictis Dioc. patris sui visitationi deputatis, omnia reperiebat, quæ religiosum inquirentium refocillarent effectum Et pro ipso, Abbatis de Burton super Trent procurator respondebat, dicens, quod ibidem Dei nutu pax summa reperitur, charitas enutritur, cætereque virtutes regiosis viris pertinentes indies augmentantur. Pro Diocesi Couentrensi & Lichfed Procurator Abbatis Cestriæ, vice & nomine patris sui se optulit respondere, publicè asseuerans quod in visitando monasteria sibi limitata, obseruantias vbicunque inuenit regulares fructuosis motibus fertiles; & fęcundas, singulaque diuina prouidentia fore politicè & discretissime ordinata. Et pro ipso Abbas de Euesham in persona propria luculenter respondebat, dicens, quod ibidem inter eos, pastores scilicet & subditos, raro inuenitur quispiam, qui non eò fidentius ad ea tē dat quæ sacræ religioni sunt consona, vitæque perhenni, quo feruentius sub spirituali militia obseruantiæ perducet regularis ac laboriosi certaminis notabile incrementum. Nonus visitator. Decimus visitator.

Istis per ordinem expeditis Domini præsidentes, electores visitatorum pro singulis Monasterijs nostri ordinis ante proximum prouinciale Capitulū regulariter visitādis, sub forma, quæ sequitur, publicè nominarunt: In Dei nomine Amen. Nos, auctoritate qua supra, deputamus vos, Abbatem Abbendoniæ & Priorem Eliensem, Magistrum Thomam Rome Priorem de Pershor; Iohannem Crosse, & Iohannem Elynge sacræ Theologiæ Bacallarios, walterū Frifkeney, & Iohannem de Bardnay Priorem studentium Cantabrigiæ, & Willielmum Malmesbury decretorum bacallarios, electores visitatorum omniū Monasteriorum nostri ordinis Capitulo subiectorum, in prouincijs Cantuar & Ebor; constitutorum; & ad faciendum relationem de personis, per vos, & Monasterijs eisdem assignatis, cisra horam octauam crastinę diei, ante meridiem. Electores visitatorū erga proximum Capitulum.

Cōsequenter euocati sunt diffinitores, in Capitulo præcedēti licite constituti, videlicet Abbas Eueshamiæ, Abbas Croulandiæ, Magister Iohānes Dethā, & Dominus Thomes Ledbury, Prior studentium Oxon.; vt ipsi, cum certis patribus adiungendis, materias nostri ordinis reformationem concernentes diffinitiue pertractarent, quorum nomina sunt expressa per decretum: In Dei nomine Amen. auctoritate, qua supra, monemus vos, diffinitores in vltimo Capitulo prouinciali deputatos, quatenus diffinita per vos, ac etiam quæcumque proposita coram vobis ex parte ordinis nostri, & non diffinita, si qua fuerint, nobis die crastina citra horam talem in scriptis curetis integre liberare. Et quia quidam de diffinitoribus in vltimo Capitulo deputatis sunt ex causis legitimis adeo præpediti quod huic præsēti prouinciali Capitulo, hac vice nequeunt interesse: Idcirco Nos, auctoritate qua supra, vos reuerendos patres & Confratres, Abbatem de Berdney, Priorem Dunelm. Priorem Couentrensem; Magistrum Thomam Clare, Magistrum Thomam Rome, & Magistrum Willielmum de Norwico, adiungimus & associamus diffinitoribus prænotatis, ad diffiniendum cum Consilio & assensu præsidentium, si quæ fuerint ex parte nostri ordinis per vos diffininienda, circa horam octauam ante meridiem crastinę diei. Diffinitores Capituli præcedentis. Associatio diffinitorū prius electoꝝ

Post hæc fuit lecta longa littera Rethoricæ scripta per fratrem Iohannem Cranewys, scribā senioris præsidentis nostro Prouinciali Capitulo, per Priorem de Michelham canonicum ordinis sancti Augustini, directa, & contra Abbatem modernum sancti Augustini Cantuar cōcepta: Sed quia, vt verissime supponitur, de radice charitatis non creditur emanasse, imo potius in vituperium prædicti venerabilis patris non modicum malitiosè fuerat peractizata; pro tanto Domini Præsidentes ipsam inter dormientes decreuerunt sepeliri. Istis sic consummatis continuatum est Capitulum vsque ad horam octauam crastinę diei ante prandium per decretum à seniore præsidente manifeste perlectum. Continuatio Capituli.

Acta secundi.

Secunda siquidem die hora superius limitata, in choro monasterij sancti Andreæ singulis congregatis, Reuerendissimus in Christo pater, Abbas Eueshamiæ, missam pro benefactoribus defunctis solempniter celebrauit, pontificalibus insignijs honorifice reuestitus. Missa.

Qua completa, omnes, quorum intereat, ad Capitulū suos maturare decreuerunt accessus: vbi Dominus senior Præsidens, more vsitato præmittens *Benedicite & Loquamur de ordine nostro*, quandā monitionē subiūxit, quę sequitur, sub his verbis. In Dei nomine Amē Nos, auctoritate qua supra, volumus, & monemus, quod omnes & singuli, qui petitiones aliquas in presēti prouinciali Capitulo proponunt offerre, porrigant eas coram nobis, seu diffinitoribus nostris, ad hoc per nos (si oporteat) deputandis. Et vos qui estis, aut fuistis Priores studentium Monitio ad proponendū petitiones & querelas.

tium istis tribus annis elapsis, tam Oxonię quam Cantabrigiæ, cum iuxta Constitutionum notarum tenorem, nos certificetis de nominibus prælatorum non mittentium, seu minus tarde mittentium scholares ad studium; & defectus huiusmodi quantitates notificetis nobis in scriptis, citra horam tertiā post meridiem instantis diei.

Querela. Istis effectualiter expeditis. nonnulli prælati, & procuratores, asseruerunt se non esse bene cōtentos cum ordinis collectoribus, ex hac potissime causa, quod secundū vigorē cuiusdā statuti in penultimo Capitulo editi, non exigebant cōtributiones, prout in libro taxationis regię plenius est expressū. Ad quorū nimiū clamorē præsidtes in parte attoniti, vt omnes de cętero soluerēt cōtributiones secundum taxationem Regiā, statutū approbando prætaxatum, ad perpetuam rei memoriam salubriter decreuerunt.

Preconizatio absentium. Subsequenter de mandato Dominorum præsidentium, per fratrem Iohannem Crauecoys scribā, conuocati sunt & preconizati patres & prælati nullatenus comparentes per se, vel per procuratores, primo in pleno Capitulo, ac postea in valuis ecclesiæ, astantibus sibi notario, & testibus requisitis: quorum cū nullus ibidem per se, nec per procuratorē legitimū debite compareret, & hoc per pręnominatum Scribam fuisset præsidentibus & Capitulo fideliter intimatum: Dominus pręsidens senior, de Consensu expresso sui compræsidentis, contra eosdem absentes, vt pręmittitur, hanc sententiam pęnalem protinus fulminauit: In Dei nomine Amen: Nos auctoritate qua supra, omnes & singulos prælatos, atque prępositos ordinis nostri, habentes hos diem & locū ex pręfixione legitima iuxta cōstitutiones in hac parte salubriter editas ad comparendum in hoc Capitulo prouinciali, vnacum cæteris prę latis de reformatione ordinis & religionis eorum tractaturis, vocatos, pręconizatos, expectatos, & nullo modo cōparentes, specialiterque & nominatim, Priorem Hatfeldbrodoke, Priorem de Caneroell, & Priorem de Pulla in wallia, pronunciamus contumaces, & in pænam contumaciæ eorum quēlibet in duplo expensarum, quas facere deberent in veniendo ad dictum Capitulum stando, expectando, & redeundo, multamus; huiusmodi dupli taxationem, quam prolati contumacia meruerunt, reseruantes iudicio nostro alias declarandam. Prior vero de Berkensted ratione absentię suę à Capitulo non pronunciabatur contumax, quia, vt publicè dicebatur à visitatoro Prioratus prædicti, quasi cōtinuo laborabat furore, pauca habens vel nulla dilucida interualla.

Contra non venientes ad Capitulū.

Electio visitatorum. Quo processu finaliter expedito ad publicationē electionis visitatorū erga proximum Capitulum statissime est processū: quam Abbas Abbendoniæ vna cū assensu collegatorū suorū taliter promulgauit. Ego Richardus Abbas Abbendoniæ, vice mea, & collegatorū meorū visitatores hos subscriptos nomino, & eligo, pro Dioc. Cantuar & Roffens & Cicestren. Abbatem Sancti Augustini; & pro ipso Abbatē .... Pro Dioc. london. Abbatem westmonasterij, & pro ipso Priorem Roffensem; Pro Diocesi Eliensi & Norwicen. Priorem Norwicensem, & pro ipso Abbatem Colcestriæ; Pro Dioc. Lincoln. Abbatem de Burgo sancti Petri, & pro ipso Priorem Eliensem. Pro Dioc. Sarum, Abbatem de Cerne, & pro ipso Priorem Bathon.; Pro Dioc. Bathon. Wellensi, & Exon., Abbatem Glastoniæ, & pro ipso Abbatem de Hida. Pro Dioc. Wyntoniensi, Abbatem de Chertessey, & pro ipso Abbatem de Eueshamiæ. Pro Dioc. Ebor & Dunelm. Priorem Dunelmensem, & pro ipso Abbatem de Bardnay; Pro Dioc. Couentrensi & Lichfelden. Abbatē de Burton. & pro ipso Abbatē de Selby Quorū visitatorū nominatione succinctius expedita, continuatū est Capitulū vsque ad horā tertiā post meridiem per decretū.

Supplicatio Prioris Studentiū Cātibrigiæ. Iā hora superueniente superius assignata, pręsidentibus, prælatis absentiumque procuratoribus, prout moris est, insimul adunati postquam senior præsidens inchoasset *Benedicite & loquamur de ordine nostro*, vocati sunt Priores studentium per scribam senioris præsidentis, & si quas haberēt querelas proponerēt sine mora, de nominibus prælatorū non mittentiū, seu minus tarde mittentiū scholares ad studia generalia, vnacū cæteris defectibus prę latos, aut scholares concernētibus, pręsidentes certificādo. Et quia Prior studentium oxon. vnus erat diffinitorū, ac circa arduas materias cū cęteris sibi associatis multipliciter occupatus: Prior studentiū Cātibrigiæ primitus se erexit, styloque satis cōmendabili duo in publica proposuit audiencia cōpendiose. Primo nimiā Abbatis Colcestriæ negligentiā, qui per vnū annū continuum, nulla causa rationabili ipsū excusante, sui monasterij scholarem subtraxit à studio: & pro tanto ne in pristini erroris cōtinuatione diutius moraretur, supplicauit Dominis Præsidētibus Prior prenotatus, quatenus pēsata æquæ discretionis libramine sui defectus quantitate, ipsum in summa taxata per cōstitutiones, auctoritate Apostolica, mulctare dignarentur. Secundo præfatus Prior exhortationis petebat instātijs, vt super certis defectibus, studio liberalis sciētiæ dispēdiosa impedimēta infortunatè causantibus, cōgrua per ordinis patres opponerētur remedia: talia presertim, quæ in notabile releuamē prædictorū studentiū, vtilitatēq; non modicā eorundē, resonare

sonare noscũtur;& inter cętera sedulis precũ instãtijs Dominos Pręsidẽtes obnixius exorabat, quatinus vna notabilis sũma prælibatis Cãtabrigiæ studẽtibus ex speciali gratia foret assignata,cũ qua hospitiũ religiosũ cõpetens,præhabita Regis licẽtia,possit cõparari. Cuius verbis in dualitate petitionũ cõsistẽtibus,præsidẽtes se fauorabiles exhibere annuebãt iuxta vires, præsertim cũ præfati Prioris desideriũ in honorem & cõmodum ordinis nõ modicũ redundabat.

Ipso sic recedente contestim pro studio vniuersitatis Oxon. Prior studentiũ ibidẽ tres materias, in præsentia præsidentiũ & Capituli, succincte proponebat: Prima erat piæ deuotionis affectus, magnæ cõmoditatis effectus, sincereque charitatis zelus, per nonnullos prælatos patres ordinis & amicos, ad fabricã Capellæ Oxon. liberalissime exhibitus; quorum nomina, & quantitates summarum à quolibet persolutarum, cũ præfatus Prior expresse recitasset, conferẽtes infinitas gratiarũ actiones meritis eorum exigentibus recipere meruerũt. In secũda materia prænominatus Prior seriose præsidentibus & Capitulo declarãs, quãtas pecuniarũ sũmas nõ solũ de proprijs gratijs circa Capellã prædictã, verum etiã ex mutuo vicibus iteratis affluẽter; quantas vexationes, & fatigationes circa materiæ & operis dispositionem indies sustinuit; quanta insuper impedimẽta à studio liberalis scientię,& processu actuum scholasticorũ gradui suo incambentium,iam per quadrienniũ, quasi continue persensit: humilimis precum instãtijs Dominos Præsidentes, & præcipue patrẽ propriũ,intentius exorabat, quatinus prællegatis circumstantijs in statera rationis discretius ponderatis, ipsum à labore inchoato,& per tẽpora diutina dispendiose prorogato,ob Dei & sanctæ religionis reuerentiã reputent deinceps penitus excusatũ:vt sic de tẽpore amisso in sui commodi singularis non modicũ detrimentum, reuiuiscere queat in futuro scholastici laboris continuũ per sudorẽ. Cuius petitioni à sũmæ discretionis tramite emananti, Domini præsidentes, licet quodammodo inuiti, annuentes, ipsum regratiatũ à toto Capitulo meritorio pro labore,absolutũ reliquerunt. Vlterius patribus ibidẽ existentibus indubiæ promittentes, quod infra permodici temporis curriculum de alio super visore Capellæ prænotatæ Priori licet dissimili, indubie prouiderent.

Supplicatio Prioris studentium oxon.

In tertia materia idẽ studentium Prior querimoniam de certis prælatis ex zelo religionis facere satagebat, qui in destinando suorum Monasteriorum scholares ad studia generalia reperti, secundum tenorem Constitutionum Benedictinarium, fuerant defectiui; ipsorũ quẽlibet nominando; Abbas de Abbotesbury vnum scholarem per septẽ annos subtraxit de studio; Abbas de Tanestoke etiã vnũ scholarem per vnũ annum non permisit vniuersitatẽ frequentare; Abbas de Burton. in transmittendo vnũ scholarem ad studium per vnum annum integrum extitit defectiuus. Abbas de Michelney in non mittendo suum scholarẽ per quatuor annos culpabilis est repertus. Abbas de Hida in dãpnosum conuicinis Monasterijs exemplũ pensionẽ suo scholari debitam per duos annos integros soluere recusauit. Abbas de Cestria scholarẽ in vniuersitate nõ habuit quasi per duodecim annos:eò grauius puniendus,quo negligentiã suã cõtinuãs tempore tã longeuo. Abbas de Malmesbury vnũ de suis scholaribus subtraxit per bienniũ, cuius defectus tãto attentius cõsiderare oportet, quãto frequentius culpabilis ante hæc tempora extitit prenotatus. Abbas Abbendoniæ qui duos ad studium scholares transmittere obligatur, vnũ per biẽniũ in Monasterio suo permanere cõtinue cõpellebat. Abbas Eueshamiæ,qui Clericus &graduatus extitit, duos de suis scholaribus per biẽniũ subtrahere minime verebatur:eo iustius pœna in cõstitutionibus limitata percellẽdus est, quo clerimoniã enutrire,in qua honor religionis constitit,seipsũ nõ disponit Abbas Westmonasterij per vnius anni spatiũ vnũ de suis scholaribus nõ licentiauit studiũ exercere: vnde tãto iustius meruit specialiter annotari, quãto in ecclesia exẽpta,& regaliũ insigniũ repositorio,pastor est effectus,cuius dignitates ea ratione, qua ad profectũ & honorẽ religionis tẽdere dinoscuntur,feruẽtiori debuisset zelo adimplere.

Querela de scholaribus absentibus.

Istis sic peractis, surrexit Dominus Thomas Gloucestre, Abbas Alcestriæ, asserens publicè coram Præsidentibus cæterisque prælatis, & Capitulo, quòd ex certis causis rationalibus ipsũ ex puritate conscientiæ mouentibus,Iuri & dignitati Abbatiæ suæ prelibatę renunciare voluit continuo, in manus ordinarij, ad cuius resignationem faciendam speciali mandato Dominorũ præsidentium, personæ subscriptæ fuerant euocatæ,videlicet maior villæ Northamptoniæ, Magister Richardus Grafton, vtriusq; iuris bacalarius; Magister Richardus Depynge notarius in causa specialiter ad hoc rogatus; Nicolaus Drury; Edmundus Coureswayke; Robertus Berdewell; Nicolaus Sandbury & Ioannes Barett armigeri. In præsentia Capituli & istorum, sic aduocatorum, sub forma verborum sequentium, Abbas Alcestriæ prælibatus continuo resignauit. In Dei nomine Amen: Coram vobis personis auctenticis, & testibus hic præsentibus, Ego Thomas Gloucetre Abbas Alcestriæ wigorniens. Dioceſi, cupiens & affectans à cura & regimine Abbatiæ meæ ex certis & legitimis causis ad hoc me mouentibus

Abbas Alcestriæ sponte resignat Abbatiam.

Resignatio Abbatis Alcestriæ.

 penitus

penitus exonerari: Dictam Abbatiam meam, cum suis iuribus & pertinentijs vniuersis, in sacras ac venerabiles manus reuerendi in Christo patris ac Domini, Domini Philippi Dei gratia Wigorniensis Episcopi; non vi, nec metu ductus, sed sponte, pure, & absolute, in hijs scriptis resigno, & abea, quatenus in me est, re & verbo simpliciter recedo.

Nominatio electorũ pręsidentiũ. Iam subsequenter post dicti Domini Abbatis resignationem legitimam, nominati erant electores futurorum pręsidentium, sub hac forma: In Dei nomine Amen: Nos auctoritate, qua supra deputamus vos, Reuerendos in Christo patres, Abbatem Eueshamiæ, Abbatem Gloucestriæ, Abbatem Abbendoniæ, Abbatem Croulandiæ; Abbatem de Bardnay; Priorem Dunelm. Priorem Eliensem, Priorem Couentrensem, Magistrum Clare, M. Rome. M. Iohannem Derham. Dominum Thomam Ledbury Priorem studenitum Oxon, magistrum Iohannẽ Shalford & magistrum Willielmum Worstede; ad nominandum & eligendum pręsidentes erga Capitulum prouinciale ad triennium proximum post futurum, & ad nos certificandum de personis per vos in Præsidentes electis, pro expeditione presentis Capituli, citra horam octauam crastinæ diei ante meridiem. Et continuatum est Capitulum vsque in horam crastine diei septimam ante prandium solitum per decretum.

Acta tertiæ diei.

Mulctatio pro scholaribus absentibus. IN crastino vero singulis congregatis ad horã primitus limitatam, primo multati sunt prelati suos scolares minus tarde, vel minime ad studia transmittentes, per decretum. In Dei nomine Amen. Nos auctoritate, qua fungimur, mulctamus patres subscriptos, summa taxata per Constitutiones Benedictinas, pro defectibus & negligentijs eorundem de non mittendo scholares ad studia generalia, nec non pro subtrahendo, vel non soluendo pensiones studentiũ debitas, vt tenentur; videlicet Abbatẽ de Abbotesbury, Abbatẽ de Tauestoke, Abbatẽ de Burton., Abbatẽ de Michelney, Abbatẽ de Hyda, Abbatẽ Cestrię, Abbatẽ Malmesbury, Abbatẽ Abbendoniæ, Abbatẽ Eueshamiæ, Abbatem Westmonasteri, Abbatẽ Colcestriæ; Quorũ quidem prelati & Procuratores rationabiles suæ excusationis causas euidenter pretendebãt. Eandẽ vero sufficientes promittentes emendas, in futurum ipsorum negligentias & defectus gratiæ pręsidentium humillime submittebant. Ad quorum continuum clamorem dicti Domini

Relaxatio mulctæ. pręsidentes solita paternali moti pietate singulorũ mulctas prælatorũ hac vice de illorum celeri emendatione spem indubiam gratiosius retinentes integre relaxabant.

Nominatio diffinitorum. Deinde diffinitores pro proximo Capitulo prouinciali senior Præsidens cum assensu sui cõpresidentis protinus nominauit: In Dei nomine Amen. Nos auctoritate, qua supra nominamus, deducamus, & eligimus in diffinitores pro proximo Capitulo prouinciali, Abbatem sancti Albani, Abbatem Eueshamiæ; Abbatem Ebor, Abbatem Croulandiæ, Abbatẽ de Perschorę; Priorem Dunelm. Magistrum T. Clare, Dominum Thomam Ledbury Priorem studentium Oxon., M. Iohannem Shaldford, Dominum Albanum Kirtonum, & Dominum Iohannem Cranwys; ad diffiniendum cum Consilio & assensu nostris, quascunque petitiones hac vice factas, vel interim faciendas.

Quærela cõtra Prioratum Dauentriæ. Hac diffinitorũ nominatione licite facta, deuenit ad aures presidentiũ, quod multæ exorbitãtiæ in Prioratu de Dauentree, tã ex parte capitis, quã etiam membrorũ, ibidẽ indies pullulabant: quæ, vt dicebatur, nisi debitis remedijs citius soporentur, graue nostræ Religioni scãdalũ exinde orietur. Pro tanto Domini Presidentes ad instantiam prelatorum, & aliorũ ordinis zelatorũ, Priorem Couentrensem ad visitandum locum prelibatũ licite deputauit: & ad faciẽdũ relationem eisdem, si quæ forent crimina, vel defectus, eius excedentes potestatẽ, prædictũ Prioratum in capite & membris iuridice reformandum, quatenus ipsorum Dominorum presidentiũ suffultus releuamine virtuosam conuersationem in loco antedicto deinceps cõtinuari, sacræque Religionis ritus & consuetudines perpetuis futuris temporibus faciat obseruari.

Certificatio computorum. Posterius euocati fuerant auditores cõputi, quorũ voce & nomine respõdit Abbas Glouerniæ, asserẽs indubitãter, quod per fidelẽ examinationẽ ab ipso & socijs suis coauditoribus cum matura deliberationes factã, vel in Collectorũ manibus dinoscitur remanere ymo ordo est indebitatus in magnis sũmis singulis collectoribus, prout planissimè in pede cuiusq; cõpoti poterit apparere. Vnde Domini Predẽtes, cõsiderata ex vno latere patrũ & procuratorũ ordinis necessitate in partibus transmarinis existentiũ, ex alia, releuatione fienda Domino Thomæ Ledbury, qui de expresso sui patris & totius Capituli assensu gressus suos ad partes prenominatas in breui est directurus; & ex tertio consideratis debitis collectorum, & alijs diuersimodis causis honorem Religionis nostræ & onus concernẽtibus; auctoritate sua, seu verius Apostolica,

consentiente

consentiente Capitulo, licet cum difficultate, nouam contributionem imposuerunt, subscriptis terminis annuatim persoluendam, seniore Præsidente hoc pronunciante sequens per decretum. In Dei nomine Amen. Nos auctoritate nostra, & totius Capituli, imponimus nouam contributionem vnius denarij de marca quolibet anno triennij subsequentis: scilicet primo anno ad Festũ S. Michaelis; secũdo & tertio annis ad Festum Paschæ, æqualiter persoluendam. Imposi-tio cõmunis contri-butio-nis.

Dum hec agerentur Reuerendissimus in Christo Pater Abbas Eueshamiæ, cum alijs præsidentibus, assurgens, electoribus, vice sua, & collegarum suorum electionem ipsorum vnanimiter confestim publicauit. In Dei nomine amen. Ego Richardus Abbas Eueshamiæ, vice mea, & collegarum meorum, nomino, & eligo in Præsidentes pro proximo Prouinciali Capitulo futuro Willielmum Abbatem de Bury; Ioannem Priorem ecclesię Cathedralis Wigorn. & Ioannem Priorem ecclesiæ Cathedralis Dunelmensis. Electio pręsidẽtium.

Quorum electione publicata, immediate diffinitores Capitulum intrauerunt, tales materias concorditer per organum magistri Willielmi Worstede diffinitas ostendebant, quę vt speratur, ad honorem Dei, honestatem religionis, & sedationem scandali in clero, & vulgo, tendere dinoscerentur, quarum diffinitionum articuli ordine subsequente extiterant promulgati.

Ad compescendum obloquentium malitias, & ne aliquid in nostra religione reperiatur incongruum, quod in gloria regularis honestatis ponat maculam, aut diuinam in aliquo posset offendere maiestatem: Primo vnanimiter extat diffinitum, quod Abbates singuli, & Priores, gestu & habitu regulariter se habentes, pro fratribus exẽplariter instruendis, confessionibus audiẽdis, & defectibus reformandis, in Claustro, choro, & refectorio, totiens studeant personaliter interesse, & pręcipue pro celebrationibus diuinorum in Festis principalibus, quotiens nec corporis infirmitate, seu debilitate, ecclesiæ, siue necessitate, nec alia causa rationabili fuerint præpediti. Primus articulus diffinitus.

Item, quod de cætero non liceat Prælatis, siue subditis, vti panno nitido de Worceto in cucullis, aut in floccis duplicato, siue dimidiato, sed sit de cætero huiusmodi pannus nitidus in cucullis, & floccis inter omnes nostræ religionis professores reiectus, suspensus, pariter & interdictus.

Item, quod tam Pręlati, quam subditi sellis siue frænis deauratis, cucullis, tabardis, almucijs vario, & griseo furratis, mantellis etiam, & cappis siue capucijs sindone linitis, pręterquam nigri coloris, vti nullatenus permittatur, & quod vetus ille abusus de replicatione manicarum cum pellibus, furruratarum inter subditos nostri ordinis penitus interdicatur.

Item, quod nullus pręlatorum de cætero seruientes habeat numero, & apparatu modum honestum excedentes, vnde ordo Monachalis in aliquo possit argui leuitatis: & quod ab hoc tempore in antea in equitaturis nullus prælatorum numerum excedat vicenarium, nisi causa rationabilis id inducat, sed studeat, quilibet pro Deo, & sanctæ Religionis reuerentia dictum numerum, in quantum poterit, coarctare.

Post istarum promulgationem diffinitionum continuatum est Capitulum, vsque ad horam tertiam post meridiem, qua continuatione perlecta, Prælati Doctores Bacallarij, procuratores, & cęteri vniuersi nostri Capituli professores, processionaliter ad ecclesiam omnium sanctorum bini, & bini in simul transierunt, Quo cum cantantes litanias tandem peruenissent, Dominus pręsidens Prior Wigorniæ, assistente sibi Abbate de Bury compræsidente, missam pro pace solemniter celebrauit. In qua Magister Ioannes Derham prior de Luna, & Sacrę Theologiæ Doctor clero, & populo famosissime prædicauit: missa nempe completa ad refectionem corporalem se quilibet disponebat. Continuatio Capituli. Processio. Missa & Concio.

Acta. 3. diei post meridiem.

Hora tertia appropinquante, & singulis obseruantijs more solito inchoatis, senior præsidens sui officij auctoritate munitus, exonerauit Abbatem Winchecombiæ de onere collectoris contributionum ordinis, cum eodem priorem Wigorniæ onerando, per decretum. In Dei nomine amen. Nos auctoritate, qua fungimur in hac parte, exoneramus Abbatem Winchecombiæ ab officio collectoris, quod auctoritate huius prouincialis Capituli hactenus occupauit, & oneramus priorem Wigornię cum eodem. Exoneratio vnius collectoris & assignatio alterius.

Tũc assignati sũt ad sermones pro proximo Capitulo prouinciali: primo videlicet pro sermone ad Clericos, & literatos in latinis dicendo, Dominus Thomas Hedbury Prior studentium Oxon. Willielmus Ebchestore, Edmundus Kirton, & Ioannes Crosse, Sacræ Theologię bacallarij; pro sermone vero in lingua vulgari dicendo, Magister Thomas Clare, & Magister Willielmus Worsted Theologiæ Doctores; Dominus Ioãnes Selby in prædicta facultate Ba- Assignatio prædicatorum.

 callarius

callarius, & Dominus Ioannes Bardney Prior ſtudentium Cantibrigie in decretis graduatus, quibus effectualiter expeditis, iniunctum eſt cunctis Prælatis, præſentibus, & abſentium procuratoribus vniuerſis, vt quam cito commode fieri poterit, poſt regreſſum eorundem ad Monaſteria, pro fundatoribus,& benefactoribus ordinis, *Placebo & dirige*, cum matutinali miſſa de *Requiem* ſinguli faciant ſolemniter decantari.

Orationes pro fundatoribus.

Continuo pro proximo Capitulo celebrando de conſenſu omnium Prelatorum, cæterorumque ibidem habentium intereſſe, ſenior præſidens ſubintulit ita dicens. Nos aſſignauimus locum iſtum pro proximo Capitulo Prouinciali, hanc ſcilicet Capellam Beatæ Mariȩ Virginis in Prioratu ſancti Andreæ Northamptonienſi: dicto vero primo die Iulij anno Domini mileſimo quadringenteſimo vigeſimo ſexto.

Aſſignatio loci pro proximo Capitulo celebrando.

Et tandem circa horam ſextam poſt meridiem terminatum fuerat Capitulum, ſeniore prȩſidente ipſius diſſolutionem proferente per decretum. In Dei nomine amen, nos auctoritate, qua fungimur, in hac parte diſſoluimus hoc præſens Capitulum Prouinciale. Poſtremo, dicto ab vniuerſis pſalmo. *De profundis*,cum cæteris præcibus antiquitus conſuetis, omnibuſque generaliter confeſſis, & à ſeniore præſidente debite abſolutis, ſinguli cum magna pace,& quiete, captata oportunitate, ad ſuorum monaſteriorum partes redierunt, &c.

Diſſolutio Capituli.

SCRIPTVRA LXXIII.

Expliciunt Acta Capituli Prouincialis anno, &c. milleſimo quadringenteſimo vigeſimo tertio.

ACta Capitularia in Prouinciali Capitulo Nigrorum Monachorum ordinis ſancti Benedicti, infra Capellam Beatæ Mariæ Virginis monaſterij ſancti Andreæ Apoſtoli apud Northamptonam Canonice celebrato, per venerabilem patrem Dominũ Ioannẽ, permiſſione diuina, Priorem eccleſiæ Cathedralis Dunelmenſis, eidem Capitulo ad tunc ſolummodo præſidentem (venerabilibus patribus Dominis Willielmo permiſſione diuina Abbate ſancti Edmundi de Bury, & Ioanne eadem permiſſione Priore Eccleſiȩ Cathedralis Wigorniẽſis compreſidentibus,tunc abſentibus, ex quibuſdã cauſis legitimis, atque iuſtis,) quæ ſub anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexto, menſis Iulij die primo, cum continuatione, & prorogatione dierum tunc immediate ſequentium in dicto Capitulo Prouinciæ Anglicanæ proinde geſta extiterant, & debite ordinata.

Acta primi diei ante prandium.

Miſſa de ſpiritu ſãcto.

PRimo die Capituli prælibati, ſummo mane, hora quaſi ſeptima, campanis pulſatis,honorabiles Prælati ibidem præſentes, videlicet Abbates, & Priores infra ſcripti, Doctores, bacallarij, procuratores Prælatorum abſentium, alijque tam regulares, quam ſȩculares, in notabili numero in ſimul ad vnati, pro inuocatione ſpiritus ſancti, ac omnium faciendorum celebriore expeditione, miſſæ de ſpiritu ſancto infra chorum monaſterij antedicti ſuas præſentias perſonales deuotius exhibebant: quam reuerendus in Chriſto pater, Ioannes permiſſione diuina Prior eccleſiȩ Cathedralis Dunelmenſis, pontificalibus indutus, ſolemniter celebrauit.

Concio Latina.

Miſſa vero finita, campanaque ad Capitulum pulſata, omnes de gremio Capituli antedicti froccis induti dictam Capellam Beatæ Virginis intrauerunt: Quibus ingreſſis Magiſter Ioannes Croſſe, Monachus Glouceſtriȩ, ſacræ paginæ, profeſſor, à dicto venerabili patre Priore ibidem prȩſidente benedictionem humiliter poſtulauit, qua data, verbum Dei fructuoſius propoſuit in latinis.

Monitio ad amouendum non capitulares à capitulo.

Quo finito, prædictus Dominus præſidens ad excludendum omnes, qui huiuſmodi Capitulo de iure non habuerunt intereſſe, quandam monitionem in ſcriptis ſubiunxit,quæ ſequitur ſub hac forma. In Dei nomine amen. Auctoritate Apoſtolica nobis in hac parte commiſſa, monemus

monemus omnes, & singulos hic præsentes, sub pęna suspensionis, & excommunicationis, quod à loco nostro Capitulari exeant, & recedant, ad quos non spectant huic nostro Capitulo interesse.

Quibus egressis dictus Dominus præsidens hos deputauit custodes ostiorum, sic dicendo. Nos deputamus vos, Dominos Thomam Nesbytt, Thomam Forster, & Ioannem Birtley, confratres, & commonachos nostros Dunelmenses, ad custodiam ostiorum. *Ostiarij Capituli.*

Quibus firmatis ad mandatum pręsidentis sequebatur martyrologij lectio eidem diei conueniens, per fratrem Willielmum Daltoum commonachum eiusdem pręsidentis: per alium vero Monachum suum, videlicet Ioannem Mody subiunctus fuit versiculus, *Pretiosa in conspectu Domini*, cum precibus consuetis, quibus expletis Dominus Præsidens flexis genibus, cum alijs Prælatis, alta voce incepit hympnum. *Veni Creator spiritus*, Quo completo subiunxit versiculum. *Emitte spiritum tuum*, &c. cum orationibus. *Deus qui corda fidelium*, &c. Et *actiones nostras quæsumus* Domine, &c. *Martyrologiũ & pretiosa. Preces & orationes.*

Et consequenter sub intulit sic dicendo. *Legantur decretales*. Et statim frater Ioannes Fishburum, commonachus, & scriba Præsidentis, erexit se, & legit has decretales, videlicet Capitulum. *In singulis* Capitulum, *Ea quæ*, & constitutionem Benedictinam: *statuimus*, statum concernentes Monachorum. *Lectio, decretalium, & canonũ.*

Insuper vt nemini foret occultatum, sed clarius eluceret, qui in Prouinciali Capitulo proximo pręcedente erga Capitulum præsens electi fuerunt præsidentes: dictus frater Ioannes Fishburn scriba Capituli, per præsidentem specialiter deputatus, concordem dictorum præsidentium electionem, quam in actis Capituli præcedentis insertam reperit, subintulit, in hac forma: iuxta vim, formam, & effectum constitutionum præmissarum, celebratum fuit Prouinciale Capitulum in isto loco, anno ab incarnatione Domini millesimo, quadringentesimo, vigesimo tertio, mensis Iulij die quinto: cum continuatione, & prorogatione dierum, tunc immediate sequentium, per venerabiles in Christo patres, & præsidentes, Dominum Willielmum permissione diuina Abbatem sancti Edmundi de Bury, Magistrum Ioannem, eadem permissionem Priorem Ecclesiæ Cathedralis Wigor. sacræ paginæ Professorem; Domino Willielmo Abbate Winchecombiæ tanta infirmitate tunc temporis detento, quod ibidem suam præsentiam personalem minime poterat exhibere; qui quidem pręsidentes de Prælatorum in dicto Capitulo præsentium, cæterorumque eisdem assistentium, deliberatiuo consilio, pariter & assensu, electores futurorum Præsidentium legitime deputarunt, ac eorum vnanimem electionem sub forma succedente gratissime acceptarunt. In Dei nomine amen. Ego Richardus Abbas Eueshamiæ vice mea, & collegarum meorum, nomino & eligo in præsidentes pro proximo Prouinciali Capitulo futuro, venerabiles in Christo patres, Dominum Willielmum permissione diuina Abbatem monasterij sancti Edmundi de Bury, & Ioannem eadem permissione Priores ecclesiarum Wigor. & Dunel. *Lectio electionis Præsidentiũ in vltimo Capitulo factæ.*

Sane huiusmodi venerabilium patrum sic nominatorum, & in præsidentes canonice electorum Dominis, Willielmo Abbate de Bury, & Ioanne Priore Wigor. ex causis rationabilibus modo legitime præpeditis, quo minus huic instanti Capitulo poterunt personaliter interesse, Reuerendus in Christo pater Ioannes, permissione diuina Prior Ecclesiæ Cathedralis Dunel. iuxta vim formam, & effectum electionis huiusmodi, pro expeditione effectuali celebrationis instantis Capituli Prouincialis, prout iuris exigentia, statuta, & ordinationes dicti ordinis exigunt, salubriter, & requirunt, personaliter assistit: volens, & expresse protestans, quod vult, & proponit auctoritate sua, & collegarum suorum absentium prædictorum, vna cum venerabili in Christo patre Domino Ioanne, permissione diuina Abbate de sancto Albano sibi associato, & ad vnato, per auctoritatem venerabilis patris Domini Prioris Wigor. vtrique eorum coniunctim, & diuisim commissam, hoc præsens Capitulum ab intento celebrare, ac cum omnibus suis emergentibus dependentibus, & connexis, secundum constitutiones Papales, statuta, & ordinationes monasticas, spiritus sancti gratia mediante, feliciter expedire. *Præsidentes declarant, se Capitulum inchoare.*

Qua forma electionis, & protestatione prædicta ibidem maturius tunc perlectis, & Domino Abbate de sancto Albano auctoritatem pręd ictam sibi per Priorem Wigor. commissam totaliter recusante, Dominus Præsidens Capitulum cum his verbis statissime inchoauit dicens, *Benedicite*, & *Loquamur de ordine nostro*; inhibitionem sequentem subintulit in his verbis. In Dei nomine amen. Nos Ioannes permissione diuina Prior ecclesiæ Cathedralis Dunel. istius ordinis Pręsidens, auctoritate, qua fungimur, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pæna excommunicationis maioris, inhibemus omnibus, & singulis hic pręsentibus, & alijs venturis ad istud *Initium capitulare. Ne quis reueles secretũ Capituli.*

ad istud Prouinciale Capitulum, quibuscunque, ne quis reuelet, quoquomodo vel forma secreta nostra istius Prouincialis Capituli præsentis alicui sęculari, seu non subdito huic Capitulo Prouinciali, in detrimentum, vel opprobrium, infamiam, seu grauamen ordinis, monasterij, aut alicuius personæ alterius sæcularis.

Præconizatio Prælatorum. Subsequenter iussit Dominus præsidens, omnes & singulos Prælatos, qui de iure Capitulo debent interesse, publice præconizari: Vnde singulis conuocatis, personaliter affuerunt Dominus Ioannes Prior ecclesiæ Cathedralis Dunelm. ordinis Præsidens; Abbas de sancto Albano; Abbas Croulandiæ; Abbas de Selby; Abbas de Perſhora; Abbas de Burton; Prior de Luffeld, & Prior de Bradwelle; *Personaliter præsentes.* Quidam vero comparuerunt per procuratores videlicet; Abbas de Bury; & Prior Wigorn compræsidentes; Abbas Glastoniæ; Abbas Westmonasterij; Abbas sancti Augustini; Abbas sanctæ Mariæ Ebor. Abbas de Burgo Petri; Abbas de Ramesey; Abbas de Abbendonia Abbas de Reding; Abbas de Bello; Abbas de Hida; Abbas de Bardnay; Abbas sancti Benedicti de Hulmo; *Procuratores absentium.* Abbas de Tewkesbiry; Abbas de Wynchecombe; Abbas de Colcestria; Abbas de Eueshame; Abbas de Thorney; Abbas de Fauersham; Abbas de Chertesey; Abbas de Walden. Abbas de Whittby; Abbas de Shitburne; Abbas de Cerne; Abbas de Tauestoke; Abbas de Middilton. Abbas de Abbotesbery; Abbas de Muchelney; Abbas de Attelney; Abbas de Alchestre; Prior Winton. Prior Norwicensis; Prior Eliensis; Prior Bathon. Prior Roffensis; Prior de Douer; Prior de Birkenhend; Prior de Dauentree; Prior de Monkbreton; Prior de Holland; Prior minoris Maluerniæ; Prior de Suelleshall; & Prior de Sandwelle. Quidā vero nec personaliter affuerūt nec se per procuratores legitime excusarūt videlicet, *Absentes.* Prior de Hattfeldbrodhoke; Prior de Cāwell; Prior de Pulla in Wallia. Quātū verò ad Abbatem Glouerniæ, Abbatē Eueshamiæ, Abbatē de Cestria, Abbatem de Salopia, & Priorem Couentrensem: Dominus Præsidens eorum absentiam habuit excusatam, pro eo quod complures vicini eorum publice testabantur, quod omnes prædicti æstimabant firmiter instantem diem istum capitularem fore venturum hodie ad septimanam.

Examinatores procuratoriorum. Deinde ad examinandum ibidem exhibita, vel exhibenda, Dominus Præsidens deputauit infra scriptos reuerendos, & discretos viros, sub hac forma. In Dei nomine amen, Nos Ioannes permissione diuina Prior ecclesiæ Cathedralis Dunelm. ordinis Pręsidens, auctoritate, qua fungimur, ordinamus, & constituimus discretos viros, & Dominos. D. Priorem de Malmesbury, Priorem de Bardnay, Ioannem de Langley, Thomam Derham, Siluestrum Bolton, & Robertum Puriton, in sacra Theologia, & iure Canonico bacallarios, ad recipiendum, discutiendum, & acceptandum, approbandum, refutandum omnia, & singula procuratoria, in præsenti Capitulo exhibita, & exhibenda; & in his vices nostras committimus, reseruata nobis facultate admittendi, & audiendi iuramenta procuratoriorum huiusmodi super excusatione Dominorum suorum.

Auditores cōputi. His seriatim expletis, ad nominandum auditores computi collectorum communis contributionis, per Præsidentes cum consensu Prælatorum in vltimo Capitulo imposito, videlicet vnius denarij ad marcham de quolibet anno trium annorum præteritorum persoluendæ, idem Dominus Præsidens sub hac forma, quæ sequitur, tunc processit. In Dei nomine amen. Nos, auctoritate, qua supra, nominamus, deputamus, & constituimus vos, reuerendos Patres, & confratres, Abbatem de Perschora, Abbatem de Burton. Priorem de Burgo Petri, Priorem studentium Oxon. Ioannem Cline, Robertum Wesenham, & Ioannem Selby, auditores computi quorumlibet receptorum, mulctarum, collectarum, & eorum omnium, quæ recipi deberent, & Capitulum nostrum Prouinciale concernunt: quæ per collectores principales, Dominos Abbatem de Bury, Abbatem Westmonasterij, & Priorem Wigorn., eorumque coadiutores, deberent iam leuari; vt expedito computo, nobis fidelem relationem faciatis, quid egeritis in præmissis, citra horam nonam diei Mercurij, ante meridiem proximum futurum.

Ne quis recedat à Capitulo. Ne quisquam irreuerenter, licentia à præsidente non obtenta, à Capitulo recederet, & indebite se subtraheret: Dominus præsidens inhibitiuum decretum contra taliter præsumentes protulit, sub his verbis. In Dei nomine amen. Nos authoritate, qua supra, inhibemus, ne quis pręlatus, procurator, aut graduatus ab isto Capitulo prouinciali, sine licentia petita, & à nobis obtenta, recedat, sub pæna suspensionis à diuinis, excommunicationis, & notabilis culpę, quam in contrauenientes omnes, & singulos intendimus promulgare.

His ordinate peractis, iniunctum fuerat visitatoribus singulis in vltimo Capitulo deputatis, vt comperta singula in suis visitationibus, detecta, propter quæ Domini præsidentis consilium foret merito requirendum, in scriptis redigerent, ac iuxta formam monitionis sequentis

quentis, Domino presidenti, & Capitulo fidelem relationem facerent in præmissis. In Dei nomine amen, nos auctoritate, qua supra, monemus vos omnes, & singulos, visitatores per vltimum prouinciale Capitulum nostri ordinis deputatos, quatinus comperta per vos in actuali visitatione vestra, in monasterijs, prioratibus, aut cellis, quorum correctio, aut emendatio ad istud prouinciale Capitulum pertinet, in scriptis integraliter liberetis, citra horam tertiam huius diei, post meridiem. Vt visitatores certificent.

Præterea, ne contributiones ad Capitulum deportatæ per dolum, fraudem, seu collusionem ad manus aliorum, quam ordinis collectorum, quoquomodo deuenirent Dominus præsidens monitionem quandam contra non soluentes easdem, subsequens protulit per decretum. In Dei nomine amen, Nos Ioannes permissione diuina prior ecclesiæ Cathedralis Dunelium. Huic instanti Capitulo præsidens, aucthoritate, qua fungimur in hac parte, monemus omnes, & singulos debentes contributiones, siue mulctas nostri ordinis communitati, siue dicto prouinciali Capitulo, quod satisfaciant de eisdem, soluendo collectoribus ad hoc legitime deputatis, citra horam duodecimam crastine diei, ante meridiem; sub pæna suspensionis à diuinis ipso facto, nisi cum illis per nos aliter fuerit dispensatum. Monitio contributiones soluantur.

Consequenter euocati sunt diffinitores in Capitulo precedenti legitime constituti tunc presētes, videlicet Abbas de sancto Albano, Abbas Croulandiæ, Abbas de Persshora, Magister Thomas Ledbury, Magister Ioannes Shaldforde, & Dominus Ioannes Cramwis, vt ipsi cum cæteris patribus eisdem adiungendis, materias nostri ordinis reformationem concernentes diffinitiue pertractarent. Quos omnes & singulos diffinitores Dominus Præsidens nominatim monuit, & assignauit per Decretum, eo, qui sequitur, subtenore. In Dei nomine Amen. Nos aucthoritate, qua prius, monemus vos diffinitores in vltimo Capitulo prouinciali deputatos, quatinus diffinita per vos, ac etiam quecunque proposita coram vobis ex parte ordinis nostri, & non diffinita, si qua fuerint, nobis circa decimam horam ante meridiem diei Mercurij proximi subsequentis in scriptis curesis integre liberare. Verumptamen, cum quidam de diffinitoribus in vltimo Capitulo deputatis sint ex causis legitimis adeo prepediti, quod huic presenti prouinciali Capitulo hac vice nequeunt interesse: Idcirco nos, auctoritate antedictor, vos, reuerendum patrem Abbatem de Selby, & magistrum Willielmum Worsted, sacre pagine professorem adiungimus, & associamus diffinitoribus prenotatis, ad diffiniendum cum consilio & assensu nostro, si que fuerint ex parte nostri ordinis per vos diffinienda, circa horam superius limitatam. Diffinitores Capituli procedētis. Associatio ad diffinitores prius electos.

Quibus peractis, secuta est continuatio Capituli vsque ad horam secundam post meridiem, presentis diei huius, subsequens, per decretum: In Dei nomine Amen; Nos auctoritate, qua fungimur in hoc parte, continuamus omnia & singula istud Capitulum concernentia, cum omnibus eius emergentibus, dependentibus, & connexis, vsque ad horam secundam post meridiem huius diei lunæ, in isto eodem loco, cum continuatione & prorogatione dierum & locorum sequentium, per decretum. Continuatio Capituli.

Acta prima diei post meridiem.

POst prandium vero, hora superius limitata congregatis singulis regulariter, vt est moris: cum Dominus presidens. *Benedicite, &c, loquamur de ordine nostro*, publicè inchoasset; Prior de Berdnay cum collegis suis examinatoribus procuratoriorum legitime deputatis, omnia & singula procuratoria sibi tradita Domino Presidenti in quodam sacculo reposita refundebat: de quibus pauca fuerunt reprobata, quæ ad tunc Dominus Presidens ex sua gratia speciali approbauit, sub condicione, quod illi, quorum procuratoria fuerant hac vice defectiua, copiam vnius sufficientis procuratorij in actis vltimi Capituli prouincialis in sertam transcriberent, & huiusmodi forma procuratorij in suis procuratorijs de cætero vterentur. Certificatio examinatorū procuratoriorū.

Quibus procuratorijs approbatis, Dominus presidens singulos visitatores in vltimo Capitulo deputatos continuo euocabat, vt comperta in suis visitationibus per Capitulum reformenda eidem presidenti conarentur plane, & fideliter liberare. Inter quos visitatores procurator Abbatis sancti Augustini primo se erexit, qui videlicet procurator ad visitādū Comtuarieū Cicestren. & Roffensem Dioceses ex causa premissa legitime constitutus, indubitanter asseruit, quod in quolibet Monasterio Dioc. predictarum per eum visitato, tam in personis, quam in rebus regimen commendabile reperit habundare; Pro quo Monasterio, scilicet Sancti Augustini, respondit Abbas de sancto Albano, asserens se per quendam commonachum suum eundem locum visitasse, vbi non nulla, quod dolendum est, inuenerat correctione digna, Certificatio visitatorū.

pro

pro quorum reformatione dixit se velle cum Domino Pręsidente, & alijs patribus plenius pertractare. Pro Diocesi London. respondit procurator Abbatis Westmonasterij, affirmans quod loca singula per eum visitata in Diocesi antedicta, tam in temporalibus, quam in spiritualibus inuenit laudabiliter gubernata: Pro quo procurator Prioris Roffensis respondit, certificans, & declarans eum dictum sacratum cenobium diligentius visitasse, in quo, vt asseruit, caput cum membris, & membra cum capite feruore charitatis continue inuenerat colligari. Pro Dioc. Eliensi & Norwicensi respondit procurator Prioris Norwicensis, indubitanter asseuerans, quod in omnibus locis dictarum Diocesiũ vice & nomine patris sui per eũ regulariter visitatis, plus laudum preconijs extollendum, quam alicuius correctionis rigore inuenerat reformandum. Pro quo procurator Abbatis de Colcestre respondit, quod Capitulum ecclesiæ Cathedralis Norwicensis predicte actualiter visitauit, in quo disciplinę regularis obseruantiã, deuotionis continuæ constantiam, politicique regiminis excellentiam certificauit vberius reflorere. Pro Diocesi Lincoln. procurator Abbatis de Burgo Petri respondit, certificans, quod ipse vniuersa monasteria ipsius Dioceseos spatiosæ seriatim & laboriosè personaliter visitauit, in quibus omnia bene, & honeste, & Monastico ordini congruentia sunt reperta, exceptis paucis, & lenioribus quibusdam articulis, coram eo detectis, quæ Monasteriorum patribus, secundum iuris exigentiam, commiserat emendanda. Pro quo procurator Prioris Eliensis respondere curauit, certissime affirmando, quod ibidem nostræ Religionis cultum commendabiliter obseruatum, & omnia alia sub fælici regimine disposita inuenerat gubernata. Pro Dioc. Sarum Procurator Abbatis de Cerne respondit, quod in omnibus monasterijs dictę Dioceseos per eum visitatis, excepto Monasterio de Abbendonia) reperit singula locorum capita eorum subditis conformia, & obseruantias regulares in eisdem fructuosis moribus collaudandas: quosdam vero defectus in Monasterio de Abbendonia antedicto bonis moribus non modicũ repugnantes, predictus procurator coram Capitulo nullatenus duxit specialiter exprimendos, sed potius cum consensu & voluntate Domini præsidentis eidem in priuato posterius reuelãdos. Pro quo procurator Prioris Bathon. respondebat, dicens, quod ibidem inter pastorem & subditos omnia & singula sacrę religioni consona sunt reperta, summaque prouidentia atque politia discretissime ordinata. Pro Diocesibus Bathon. Wellen. & Exon. visitatis respõdit procurator Abbatis Glastoniæ, sic dicendo, quod omnia & singula monasteria suæ visitationis assignata in Diocesibus antedictis, in quantum sibi pertinuit, diligentius visitauit, & in eisdem omnia reperisset, quæ religiosum animum refouerent. Pro quo procurator Abbatis de Hida respondit, se visitasse dictum nobile monasterium de Glastonia, vbi omnia inuenit tanta commendatione digna, quod nullus vt creditur posset sana conscientia inhabitantium conuersationem atque mores in modico reprobare. Pro Dioc. Wyntoniensi respondit Procurator Abbatis de Cherteshey, asserens, quod in vniuersis Monasterijs dictæ Dioc. per eundem visitatis, auctoritate patris sui, nihil reperit vituperio dignum, sed omnia nitore preclare religionis rutilantia, & multis laudum preconijs extollenda. Pro quo procurator Abbatis de Shirburn in dicto Monasterio de Cherteshay visitatoris officium retulit per implesse; vbi pax, charitas, & concordia cæteræque virtutes religiosis personis pertinentes indies augmentantur. Pro Dioc. Vigornien. procurator Abbatis Winchecombe se optulit respondere, publice asseuerans, quod in visitando Monasteria sibi limitata obseruantias vbique inuenit regulares, & cætera omnia sacrę religioni pertinentia laude digna Pro quo procurator Abbatis de Euesham certificat, quod ipse vice & nomine patris sui prædictum Monasterium de Winchecombe effectualiter visitauit, in quo, vt lucidius declarauit, membra cum capite reperijt firmiter colligata nexibus charitatis. Pro Diocesi Ebor. & Dunelm. Prior Dunelm. & præsidens ordinis, personaliter respondebat, quod ipse omnia monasteria in dicta Diocesi per Commissari um & commonachos suos actualiter visitauit, in quibus nulla grauia siue enormia sunt, sed leuiora quedam, quæ traduntur locorum dictorum Abbatibus emendenda. Pro quo Procurator Abbatis de Bardnay respondit, quod Capitulum ecclesiæ Cathedralis Dunelm. personaliter visitauit, vbi nulla omnino comperta seu detecta habuit, sed omnes vnanimes in vinculo charitatis & pacis inuenit, & sic eosdem Domino Iesu Christo suis precibus commendauit. Pro Diocesi Couentrensi & Lichfeldeusi Abbas de Burton. super Trent personaliter respondebat, quod singula Monasteria sibi commissa infra Dioceses antedictas regulariter visitauit, affirmando quod in omnibus locis per eum visitatis, omnia comperit laude digna: excepto Monasterio de Salopia, in quo, vt in publica audientia referebat, regnant discordiæ contentiones, inuidiæ, & conspirationes, propter Abbatiam optinendam post mortem Abbatis moderni, valetudinarij, debilis, & egroti: cui Abbati de Salopia, vt eidem Abbati de Button. fuerat conquestum,

quidam

quidam frater nomine Willielmus de Pule, contra voluntatem Conuentus de Salopia, adheret, & inter ipsos duos bona monasterij notoriè sunt destructa. Pro quo Abbas de Selby personaliter respondebat, quod ipse Monasterium de Burton prædictum visitauit, & ibidem vniuersa in bono & sufficienti statu inuenit, & sic inuenta Domino commendauit.

His per ordinem expeditis, Dominus Presidens electores visitatorum pro singulis Monasterijs nostri ordinis ante proximum prouinciale Capitulum regulariter visitandis, sub forma subsequente publice nominauit: In Dei nomine Amen. Nos, auctoritate, qua supra, nominamus & deputamus vos. Edmundum de Kirton Priorem studentium in Oxon. Iohannem Shaldford, Iohannem Crosse, Hugonem Whittby, Iacobum wynchecombe, & Willielmum Gare, electores visitatorum omnium Monasteriorum nostri ordinis, huic Capitulo subiectorum, in prouincijs Cantuar & Ebor; & ab faciendum relationem de personis per vos electis, & monasterijs eisdem assignatis, citra horam nonam crastinę diei, ante meridiem. Istis sic consummatis, continuatum est Capitulum secundum formam superius expressatam, in fine actorum præsentis diei lunæ ante meridiem, vsque ad horam octauam crastinę diei, videlicet diei Martis ante meridiem. Nominatio electorū visitatorū.

Acta secundi diei ante meridiem.

Die Martis, hora octaua ante meridiem, superius assignata, in choro Monasterij Sancti Andręe prædicti, singulis, quibus interfuit, regulariter congregatis, Reuerendus in Christo pater Iohannes permissione diuina Abbas de sancto Albano missam pro defunctis benefactoribus ordinis prędicti, pontificalibus insignijs honorifice reuestitus, solemniter celebrauit: qua completa omnes & singuli supradicti ad Capitulum memoratum more solito accesserunt, vbi Dominus Præsidens inchoauit Capitulum, sicut prius, & premittens. *Benedicite & loquamur de ordine nostro* quandam monitionem subiunxit, quæ sequitur, sub hijs verbis: In Dei nomine Amen. Nos, auctoritate, qua supra, volumus & monemus, quod omnes & singuli, qui petitiones aliquas in præsenti prouinciali Capitulo proponunt offerre, vt porrigant eas coram nobis, seu diffinitoribus nostris, ad hoc per nos, si oporteat, deputandis. Et vos, qui estis, aut fuistis Priores studentium istis tribus annis elapsis, tam Oxonij quam Cantebrigiæ, iuxta constitutionum nostrarum tenorem, nos certificetis, de nominibus prælatorum non mittentium, scholares suos ad studium: & quantitates huiusmodi defectuum notificetis nobis in scriptis, citra horam tertiam post meridiem instantis diei Martis, Missa pro benefactoribus defunctis. Monitio ad certificandū de non mittentibus seculares ad dium generale.

Istis effectualiter expeditis, declaratum est, quod statutum de forma taxationis communis contributionis ad Capitulum generale persoluendæ, in diuersis Capitulis præteritis editum, & approbatum, secundum intentionem constituentium plenius obseruetur: videlicet, quod omnes & singuli prælati taxati ad communem contributionem Capituli generalis, vltra taxationem regiam, de cæteris secundum eandem taxationem regiam, & non vltra fideliter onerentur & qui infra taxationem regiam fuerint taxati, in sua antiqua consuetudine permaneant in futurum. Declaratio statuti de cōtributionibus.

Subsequenter, de mandato Domini præsidentis, per fratrem Iohannem Fisshburnum scribam vocati sunt, & preconizati patres, & prælati nullatenus comparentes per se, vel procuratores, primo in pleno Capitulo, & postea in valuis ecclesiæ: quorum cum nullus ibidem per se nec per procuratorem legitimum debite compareret, & hoc per prenominatum scribam fuisset præsidenti & Capitulo fideliter intimatum: Dominus Pręsidens contra eosdem absentes, vt premittitur, hanc sententiam protinus fulminauit: In Dei nomine Amen. Nos, auctoritate, qua supra, omnes & singulos prælatos, atque prepositos ordinis nostri, habentes hos diem, & locum, exprefixione legitima, iuxta constitutiones in hac parte salubriter editas, ad comparendam in hoc Capitulo prouinciali, vnacum cæteris prælatis, de reformatione ordinis & religionis eorum tractaturis, vocatos, preconizatos, expectatos, & nullo modo comparentes, specialiterque & nominatim Priorem de Hattfeldbroke. Priorem de Canwell & Priorem de Pulla in Wallia pronunciamus contumaces, & in penam contumaciæ eorum quemlibet in duplo expensas quas facere deberent in veniendo ad dictum Capitulum, stando, expectando, & redeundo, multamus: huiusmodi dupli taxationem, quam pro tali contumaci meruerant, reseruantes iudicio nostro alias declarandam. Præconizatio absentium. Mulctatio absentiū.

Quo processu finaliter expedito, ad publicationem electionis visitatorum erga proximum Capitulum, statissime est processum: quam Edmundus Kirton, Prior studentium in Oxon.

vnanimi

Electio visitatorum. vnanimi consensu collegarum suorum taliter pro mulgauit: In Dei nomine Amen. Ego Edmundus Kirton, vice mea, & collegarum meorum, nomino & eligo in visitatores omnium, & singulorum Monasteriorum, in prouincia Anglicana, huic Capitulo subiectorum, videlicet pro Dioc. Cantuar. Roffensi, & Cicestrensi, Abbatem de Feruersham; & pro eodem Abbatem de Walden.; Pro Dioc. London. Abbatem de Colchestr. & pro eo Abbatem de Cherteshay; Pro Dioc. Eliensi & Norwicensi, Abbatem sancti Benedicti de Hulmo: & pro eo Abbatem de Ramesey; Pro Diocesi Lincolniensi, Abbatem de Berdnay: & pro eo Priorem Eliensem; Pro Dioc. de Sarum, Abbatem de Abbotesbery: & pro eo Abbatem de Athelney; Pro Dioc. Bathon Wellen & Exon. Abbatem de Muchelney: & pro eo Abbatem de Mydilton.; Pro Dioc. Wynton. Priorem eiusdem: pro eo Abbatem de Abendonia; Pro Dioc. Wigorn., Abbatem de Eueshamia: & pro eo Abbatem de Malmesbery; Pro Dioc. Ebor. & Dunelm. Abbatem sanctæ Mariæ de Ebor.: & pro eo Abbatem de Burton.: Pro Dioc. Couentrensi & Licheld. Priorem Couentrensem: & pro eo Abbatem de Eynesham iuxta oxon.;

Quorum visitatorum electione succinctius expedita, Dominus Edmundus Kirton. Prior studentium in Oxon., ex parte venerabilium virorum, Cancellarij vniuersitatis Oxon. & omnium magistrorum regentium in eadem, exhibuit Domino Præsidenti, & Capitulo, quandam litteram eorum sigillo communi sigillatam, pro subsidio optinendo ad constructionem nouarum scholarum in vniuersitate prædicta, pro theologica facultate, in vico scholarum construendarum; quam litteram Dominus Præsidens ibidem per scribam Capituli in publica audientia legi fecit, & inter acta Capitularia registrari mandauit, eo qui sequitur sub tenore. Venerabilibus in Christo patribus, Dominis Præsidentibus, cæteris què prelatis ordinis sancti Benedicti in sacro generali Capitulo nigrorum Monachorum præsentialiter congregatis, prospera successuum incrementa, ac sinceris affectibus annuere postulatis. Reuerendissimi in Christo patres, & præstantissimi Domini: Quia nuper ex spiritus clementià lepiformis, pijs quorundam cordibus fuerat celitus inspiratum, vt ad Dei laudis honorem, augmentumque studij salutaris scholæ vniuersales sacræ Theologiæ, quibus à principio orbati fuimus, pro communi omnium vtilitate durabili fabrica leuarentur: nos quæ ad huiusmodi operis fundamentaliter iam incep[...] debitum complementum ex nostris non sufficimus; vestris paternitatibus prædeuotis pro nostri [...]ctus releuamine eo confidentius duximus supplicandum, quo nostris profundius radicatur in mentibus, quod alma vniuersitas mater nostra, cuius præclara fecunditas ordinem dign[...]ficat vniuersum, per vestri ordinis sacrosancti patres precipuos & alumnos suæ honorifi[c]æ fundationis felix exordium sumpserit, felicissimumque progressum; tenentes firmissimè certissimeque sperantes, quod nostra suplex petipio, quæ consonat rationi & charitati, à tam deuotis patribus vacua non redibit, quos ad patrum precedentium opera confouenda diuina prouidebit gratia dignissimos successores. Quocirca vestræ sacræ congregationis cœtum venerando, deuota precum in libamina effundimus, pia mente vnanimiter supplicantes, quatinus ad tam sacti, tam vtilis tamque necessarij operis incrementum, vestræ gratissimæ liberalitatis manus munificas extendere dignemini gratiose: Indubie cognoscentes, quod omnes ordinis vestri graduati singulique scholares, quoad actus quoscunque in scholis eisdem scholasticè exercendos subducto quouis obstaculi repulsiuo, libera facultate gaudebunt. Et quia singul[...] nostrum concernentia negotium sub literali compendio claudere non valemus, nostræ causæ promotionem discretissimis viris, patribus venerabilibus, Domino Epmundo Kirton. Priori studentium, nec non eximijs sacræ theologię professoribus, Magistris Thomę Ledbury & Iohanni Croste; ac Willielmo Ebchestre in eadem facultate venerabili inceptori, vestris p[...] præsentijs communitumus declarandum: quorum relatibus aurem fauoris & credentiæ benignius exhibere [...]orum dignetur patrum deuotio veneranda. Cæterum, patres dignissimi, cum vestræ sacræ religionis commodum & honorem instinctus nos excitet naturalis intimius affectare, eo quod (vt superius est expressum) benedicta manus Monastica nostræ vniuersitatis posuerat fundamenta. Hinc est, quòd vestras paternitates exhortamur in Domino, & attentius exoramus, quatinus concorditer disponatis, vt singuli studentes vestri ordinis, quos morum ornat honestas, scientiæ claritas que decorat, ad vniuersalis eccl[e]siæ, & præsertim ordinis vestri stabile fulcimentum, in facultatibus quibus proficiunt, condigne valeant graduari: vt sic augmentata in vestra sacra Religione virorum graduatorum clarimonia, emulorum peruersitas, quæ multum euigilat, hijs diebus facilius repellatur, sed inter præmaturos alios vestræ sacræ Religionis, præfatum venerabilem virum, Dominum Edmundum Kirton. Monachum Westmonasterij studentium que Priorem, qui nedum legitimo cursu secundi studij, verum etiam sano atque politico regimine sui gregis, vtrobique virtuose resplendet, ad apicem fastigij Docto-

Littera supplicatoria vniuersitatis Oxon.

Nota.

gij Doctoralis, vt brauium recipiat dignissime post labores, vestra dignetur discretio paternalis. Quibus ad fęlix regimen pariter & tutamen monasticæ religionis fęlices successus annuat benignitas redemptoris. Script. Oxon. in nostre congregationis domo: Mensis Iunij die vltimo; Cancellarius vniuersitatis Oxon. cetusque vnanimis Magistrorum regentium in eadem. Venerabilibus in Christo patribus Dominis Presidentibus, cæterisque prælatis ordinis Sancti Benedicti in sacro generali Capitulo nigrorum Monachorum personaliter congregatis. Qua littera perlecta, Dominus Pręsidens, cæterique Prælati, cum toto capitulo supplicationem dictorum honorabilium virorum commendabiliter acceptantes, eam decreuerunt effectualiter expediri, quatinus prohabito in hac materia tractatu diligenti, vnam summam notabilem ad constru ionem scolarum prædictarum concederent, & persolui facerent, de contributione communi proxima imponenda.

Subsequenter vero procurator Abbatis de Shirburn. Domino Præsidenti quandam scedulam supplicatoriam in scriptis redactam exhibuit, sub hijs verbis. Piæ paternitati Domini Presidentis supplicat Abbas Monasterij de Shirburn. pro condonatione contributionum suarum, eo quod importabiles sustinet expensas, pro quadam lite placitationis pendentis, inter eum, & quendam armigerum, qui tertiam partem prouentus Monasterij sui sibi iniuste conatur auferre. Qua scedula cum patribus communicata, Dominus Priores Procuratori in futuris solutionibus contributionum suarum promisit gratiam & fauorem.

Quibus expeditis, continuatum est Capitulum vsque horam tertiam post meridiem, instantis diei Martis solitum per decretum.

Acta secundi diei post meridiē

Die Martis hora tertia post meridiem superius assignata, Domino Presidente, Prælatis, graduatis, absentiumque procuratoribus, prout moris est, ad inuicem congregatis: Dictis à Domino Præsidente *Benedicite & loquamur de ordine nostro*; confestim Dominus Edmundus Kirton, Prior studentium in Oxon primitus se erexit, ibidem tres materias publice proponendo, quarum prima erat, quod venerabilis pater Dominus Abbas de sancto Albano pio affectu paternali inclinatus, magnos sumptus, & expensas ad Domum vestiariam iuxta Capellam communem Monachorum in Oxon. de nouo constructam, liberalissime conferebat, in tantum vt illius Domus solus constructor siue fundator merito est censendus; quibus auditis Dominus Præsidens, & omnes Prælati, atque graduati, cum cæteris ibidem presentibus, consurgentes, eidem venerabili patri pro notabili & commendabili beneficio, infinitas gratiarum actiones pro suis viribus exhibebant.

Supplicatio Prioris studentium

Secundario vero dictus Prior quandam supplicationem Domino Presidenti humilimis precum instantijs offerebat, pro vno subsidio sufficienti assignando, ad finalem constructionem communis Capelle Monachorum in Oxon. quatinus illud opus à tamdiu inceptum, & multotiens discontinuatum, tandem posset honorifice consummari, quam quidem supplicationem Dominus Presidens fauorabiliter acceptauit, promittendo quod vellet inde effectualiter consulere cum patribus suis, quid esset in hac materia peragendum.

Vt perficeretur opus sacelli Scholarium.

Et tertio idem Prior studentium quandam querelam proposuit, de prælatis infrascriptis, negligentibus in destinando scholares suos ad studium generale. In primis quod Abbas de Sancto Augustino non exhibuit nisi duos scholares per vnum annum, qui solebat exhibere quatuor. Item Abbas de Tauestoke, non habuit scholarem per duos annos, qui solebat habere vnum. Item Abbas de Burton. non habuit scholarem per tres annos, qui solebat habere vnum. Item Abbas de Whitby non habuit scholarum per vnum annum, qui solebat habere vnum. Item Abbas de Cherteshay non habuit scholarem per vnum annum, qui solebat habere vnum. Item Prior de Couentree non habuit scholarem per duos annos, qui solebat habere vnum. Item Abbas de Eueshamia non habuit scholarem per tres annos, qui solebat habere duos.

Querela Prioris Studentium Cantabrigid.

Subsequenter vero Ioannes Sudbury, Prior studentium in vniuersitate Cantibrigie, propositionem vnicam supplicatoriam tantummodo ibi fecit, videlicet quod cum scholares dicti ordinis studentes in eadem vniuersitate hactenus solebant sparsim per villam commorari in hospitijs laicorum, in magnum detrimentum obseruantiæ regularis, & religionis opprobrium manifestum: Idem Prior studentium, Dominum Pręsidentem obnixius exorando instantius requisiuit, quatenus dignaretur ob reuerentiam Dei, zelum, & honestatem religionis, ex sua gratia speciali, cum consensu

totius Capituli, vnam summam notabilem præfatis studentibus concedere, & assignare, cum qua aliqua sufficiens persona eorum nomine valere temere vnum fundum, siue locum communem, infra eandem vniuersitatem, super quem ijdem studentees, seu eorum prælati, construere possent ędificiū pro eorum mutua cohabitatione congruum, & etiam oportunū qua propositione finita Dominus Præsidens promisit se huic petitioni esse fauorabilem, maximè cum id, quod petebatur, fuerat tam consonum rationi, & euidenter apparuerat, in commodum & honorem ordinis non modicum redundare.

Collegium Cantuariæ, ordinis nigror capitulo subiectum

Deinde vero Dominus Præsidens in virtute sanctæ obedientiæ firmiter iniungendo mandauit. omnibus & singulis Monachis, dicto prouinciali Capitulo subiectis, commorantibusque, vel commoraturis infra Collegium Cantuar in Oxon., quatinus de cætero in esu carnium omni tempore anni alijs Monachis in loco communi dicti ordinis habitantibus sint conformes ita quod deinceps super ista materia nulla querela quomodolibet habeatur.

Nominatio electorum præsidentiū.

Quibus finitis Dominus Præsidens nominauit electores præsidentium sub hac forma. In Dei nomine Amen. Nos auctoritate, qua supra, deputamus vos, reuerendos in Christo patres, Abbatem de Sancto Albano, Abbatem Croulandiæ, Abbatem de Selby, Abbatem de Perschora, Abbatem de Burton., Priorem de Malmesbery, Priorem de Burgo Petri, Priorem de Bardnay, Priorem studentium in Oxon. Magistrum Iohannem Shaldford, Magistrum Willielmum Vhorwich, Magistrum T. Ledbury, Magistrum T. de Burgo Petri, Magistrum Iohannem Crosse, & Magistrum Willielmum Ebchestre, sacræ paginæ professores, ad nominandum & eligendum præsidentes, erga Capitulum prouinciale ad triennuū proximum post futurum, & ad nos certificandum de personis, per vos in præsidentes electis, pro expeditione pręsidentis Capituli, citra horam nonam, crastinæ diei Mercurij ante meridiem Et continuatum est Capitulum vsque in horam crastinæ diei Mercurij septimam ante prandium, solitum per decretum.

Acta tertiæ diei ante meridiem. Specialis assignatio ad visitādū tria monaster infra scripta

Die vero Mercurij hora septima superius limitata, dictis more solito per Dominum Præsidentem *Benedicite & loquamur de ordine nostro*; idem Dominus Præsidens cum consilio prælatorum ibidem existentium considerans quantum quidam graues articuli correctione digni sibi per vltimos visitatores monasteriorum de Sancto Augustino, de Abbendonia, de Salopia, & de Cestria, fuissent exhibiti & detecti, quos non est verisimile per futuros visitatores eisdem locis visitandis superius assignatis congrue reformari; venerabiles in Christo patres Dominum Abbatem de Sancto Albano ad visitandum Monasteria de Sancto Augustino & de Abendonia; & Dominum Priorem Wigor ad visitandū monasteria de Salopia & de Cestria, exhortando & rogando specialiter requisiuit.

Mulctatio contra non mittentes scholares ad studiū.

Deinde mulctati fuerunt præl ti non mittentes suos scholares ad studia generalia, per decretum: In Dei nomine Amen. Nos, auctoritate, qua fungimur in hac parte, mulctamus omnes & singulos patres subscriptos: videlicet Abbatem de sancto Augustino, Abbatem de Tauestoke, Abbatem de Burton, Abbatem de whitby, Abbatem de Chertesbay, Priorem de Couentree, & Abbatem Eueshamiæ qui in non mittendo scholares suos ad studia generalia negligentes fuerant, & remissi: necnon omnes & singulos prælatos qui in subtrahendo, vel non soluendo pensiones studentibus debitas, vt tenentur secundum formam constitutionum in hac parte salubriter editarum, pronunciamus contumaces, & negligentes, & remissos; & in pænam contumaciæ, negligentiæ, & remissionis suarum in his scriptis pronunciamus in pęnam incidisse per constitutiones editam editam in hac parte, & talibus assignatam.

Nominatio diffinitorum

Deinde Dominus præsidens diffinitores pro proximo prouinciali Capitulo celebrando in his verbis continuò nominauit. In Dei nomins Amen. Nos, auctoritate, qua supra, nominamus, deputamus, & eligimus in diffinitores pro proximo Capitulo prouinciali, venerabiles in Christo patres Abbatem de sancto Albano, Abbatem Glastoniæ, Abbatem Ebor, Abbatem Eueshamiæ, Abbatem Croulandiæ, Abbatem de Selby, Abbatem de Thorney, Abbatem de Persora, Richardum Priorem de Burgo Sancti Petri, Magistrum Iohannem Shalford, Magistrum Thomam Ledbury, Magistrum Willielmum Norwich, Magistrum T. de Burgo sancti Petri, Magistrum Iohannem Crosse, Dominum Edmundum Kirton Priorem studentium in Oxon. & Iohannem Sudbury Priorem studentium Cantibrig.

Certificatio auditorum cōputi.

Qua nominatione finita, preconizati fuerunt auditores computi, quorum vice & nomine respondit Dominus Richardus, Prior de Burgo sancti Petri, certificans & affirmans

mans

mans indubitanter, quod per fidelem examinationem ipsius & coauditorum suorum, cum matura deliberatione factam, compertum est, ordinem fere indebitatum in quingentis quinquaginta & quinque libris sterlingorum, diuersis creditoribus persoluendis, prout in pede computi antedicti planissime poterit apparere. Vnde Dominus Præsidens, consideratis debitis antedictis, grauibusque expensis, pro negotijs ordinis, & priuilegijs papalibus, tam in Anglia, quam in Romana Curia, effundendis, nouam contributionem cum consensu totius Capituli imposuit subsequens per decretum. In Dei nomine Amen. Nos auctoritate nostra, cum Consensu totius Capituli, imponimus nouam contributionem vnius denarij de marca quolibet anno triennij subsequentis, scilicet primo anno ad festum Sancti Michaelis, secundo & tertio annis ad Festum Paschæ, equaliter persoluendam. *Impositio nouæ contributionis.*

Istis expeditis, veneralis in Christo pater Abbas Croulandiæ vice sua, & collegarum suorum, electionem futurorum præsidentium publicauit in scriptis, eo qui sequitur sub tenore. In Dei nomine Amen. Ego Richardus Abbas Croulandiæ, vice & nomine collegarum meorum, nomino, & eligo in præsidentes pro proximo prouinciali Capitulo futuro, Iohannem Abbatem de sancto Albano, Iohannem Priorem ecclesiæ Cathedralis Dunelm. & Williel. mum Abbatem de Persora. *Electio præsidentiũ.*

Quorum electione publicata immediate diffinitores Capitulum intrauerunt, omnesque materias siue articulos per eos ibidem diffinitos vnanimiter mandauerunt per magistrum Willielmum Norwich. in publica audientia promulgari, sub forma quæ sequitur in his scriptis.

Articuli diffiniti in prouinciali Capitulo nigrorum Monachorum apud Northamptonam celebrato, anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto. In primis diffinitum est, quod omnes articuli in vltimo prouinciali Capitulo diffiniti, in suo robore permaneant, & vigore; excepto, quod in articulo de receptione pecuniarum, dematur ista Clausula, videlicet, adminusque semel in anno etiam non requisiti. *Antiquę definitiones manent.*

Item quod omnes & singuli nostro prouinciali Capitulo subiecti, in capis & equitaturis de cætero sint conformes, iuxta modum & formam in Monasterio sancti Albani in pręsenti vsitatos. Ita tamen quod prælati duabus aperturis pro suis brachijs extendendis in suis capis vtantur, & quod de cætero tollatur omnis curiosa plicatura flo corum in collis, & pectoribus eorundem: Ita quod plano modo vniformiter vniuersi incedant. *Vniformitas in equitatura.*

Item diffinitum est, quod quilibet prælatus ad prouinciale Capitulum nostri ordinis personaliter veniens, & in ipso Capitulo à principio vsque ad finem personaliter interessens, de tertia parte suæ contributionis persoluendæ alleuiationem habeat in futurum: Alijs prælatis ad prædictum Capitulum non venientibus, nisi rationaliter super hoc se valeant excusare, per præsidentes nostri ordinis siue miseratione mulctandis: in quorum tamen absentia eorum procuratores, de causis in procuratorijs suis insertis, à iuramento corporali nullatenus excusentur. *Mulctę absẽtiũ: alleuiatio præsentiũ.*

Item diffinitum est quod Pręsidentes nostri ordinis imposterum eligendi de his tribus partibus Angliæ disiunctim assumantur, videlicet de oriente, de occidente, & de borea; australi parte in oriente computata, quarum tamen partium limites siue terminos per diffinitores proximi Capituli relinquimus assignandos.

Item diffinitum est, quod fiat diligens prouidentia per præsidentes modernos, vt ordinent idoneas & sufficientes personas nostri ordinis, qui nouerint & sciuerint meliori modo examinare omnia contenta in statutis nostri ordinis, siue papalibus, legatiuis, vel alijs quibuscunque, super esu carnium editis, & receptione pecuniarum, nec non & omnia alia conscientias teneras aggrauantia in eisdem: quibus omnibus sic perfecte examinatis, & discrete laboratis, ordinent præsidentes procuratorem prouidum pro modificatione & pia dispensatione impetranda earundem. *Moderatio statutorum impetrãda.*

Item diffinitum est, quod omnia acta & determinata per diffinitores honestate religionis, & reformationem concernentia, incorporentur & inscribantur à modo in quodam registro, quod quidem registrum semper remaneat penes præsidentem principalem, qui pro tempore fuerit, & post eius cessationem deliberetur seniori præsidenti, qui post eum immediate succedit. *Definitiones registrãtur in libro peculiari.*

Item diffinitum est quod licentiati ad incipiendum tam in Theologia, quam in iure Canonico, in suis gradibus suscipiendis capucia caparum scholasticarum cum bugio Furrata habeant siue cum syndone nigra linita, & consimiliter bacallarios ad lecturam sentẽtiarum & Bacallarios ad lecturam decretaliũ admissos capucijs cũ bugio furratis vti de cætero ordinamus. *Habitus graduatorum.*

Doctorũ gradus seu locus in choro &c.

Item diffinitum est, quod doctores theologiæ, & etiam iuris canonici, post susceptum gradum Doctoratus in Monasterijs Abbates proprios habentibus, tam vbilibet locorum, quam in Capitulo choro, & refectorio, post Priores Claustrales, proximas sedes teneant: & in alijs Monasterijs Abbates non habentibus post locorum suppriores, propter dignitatem gradus, eos consimiliter volumus honorari: Prioribus tamen Claustralibus, siue Supprioribus Cathedralibus, à suis officijs & ministerio per cessationem decedentibus, per prædicta non intendimus in aliquo derogare.

Nihil obtinẽdũ à Papa, superiore inconsulto.

Item diffinitum est, quod nullus subiectus nostri ordinis impetret, vel recipiat aliquod confessionale, siue quinquennale, à Curia Romana concessum, vel à quouis alia potestate inferiori, superiore proprio inconsulto: contra quam diffinitionem si quis contra venerit à receptione pecuniarum sit suspensus, & tanquam inobediens puniendus.

Collectores eligẽdi, & iuramẽto obligãdi.

Item diffinitum est, quod collector vel Collectores contributionum de triennio in triennium, sicut & presidentes, de cætero eligantur, qui sacramento præsidenti vel præsidentibus præstito, plenum & perfectum computum, atque fidelem rationem de receptis omnibus tribuant, atque reddant.

Detractio & exprobratio punita

Item diffinitum est, quod si aliquis suo confratri Monacho seu conuerso malitiose detraxerit, siue super aliquo excessu emendato, vel emendando imprudenter exprobrauerit: si super hoc realiter culpabilis inuentus fuerit, iuxta quod alias diffinitum fuerat, per suum superiorem acriori disciplinę subdatur.

Cista cõmunis pecuniæ.

Item diffinitum est, qupd ad vtilitatem perpetuam nostri ordinis, ordinetur per præsidentes modernos cista communis cui de contributione triennali in quolibet prouinciali Capitulo assignetur vnius Monasterij totalis contributio per præsidentes assignanda. Ad quam etiam cistam totalis mulcta prælatorum scholares in Vniuersitatibus in debito numero non habentium siue diminutione integraliter deueniat in futurum: de cuius cistæ custodibus, & de disparibus clauibus ad eandem pertinentibus, in proximo prouinciali Capitulo siue vlteriori dilatione prudentius pertractetur.

Item diffinitum est, quod de cætero singuli procuratores ad Capitulum prouinciale nostri ordinis conuenientes, antequam ab eodem Capitulo recedant, omnes materias ibidem diffinitas in scriptis redigant, sub sigillo signatas principalis præsidentis in eodem, cum clausula ista in dorso cedulę materias diffinitas cõtinentes inserta videlicet. *Ioãnes vel Willielmus Dei gratia Abbas vel Prior talis Monasterij præsidens ordinis Sãcti Benedicti nigrorũ monachorum in Anglia venerabili in Christo patri eadem gratia Abbati vel Priori talis loci salutem in Domino saluatore. Auctoritae qua fungimur in hacparte vobis iniungimus, quatenus omnes materias in hac scedula contentas vestram personam siue Monasterium vestrum concernentes per diffinitores nostri ordinis in vltimo Capitulo apud Northampton. diffinitas, sub modo & forma infra expressis, in vestro Monasterio faciatis obseruari*, quod visitatores Monasteriorum per Capitulum deputati in suis visitationibus inquirant, an talis iniunctio præsidentium in singulis Monasterijs debite obseruetur. Quod si aliqualis negligentia in pręmissis in prelato aliquo inueniatur, ipsam in proximo Capitulo post venturo pręsidentibus nostri ordinis deregant & reuelent Indorsatio scedulæ præcedentis. *Iohannes permissione diuinina Prior ecclesiæ Cathedralis Dunelm. Præsidens sancti Benedicti nigrorum monachorum in Anglia, venerabili in Christo patri Domino Priori ecclesiæ Cathedrali sanctæ Trinitatis Norwicen. salutem in omnium salutem in omnium saluatore. Auctoritate qua fungimur vobis iniungimus, quatenus omnes materias in hac littera contentas, in quantum personam vestram vel monasterium vestrum concernunt, per diffinitores nostri ordinis in vltimo Capitulo apud Northampton. diffinitas, sub modo & forma infra expressis in vestro monasterio faciatis fideliter obseruari.*

Quos igitur omnes & singulos articulos sic diffinitos atque publicatos, Dominus Pręsidẽs gratanter admisit, cum consensu totius Capituli, ac nemine reclamante, approbauit, & ratificauit: singulisque prælatis, seu eorum procuratoribus, eorum veram copiam liberari præcepit sub forma in eisdem articulis superius expressa.

Subsequenter vero Dominus Pręsidens exonerauit Dominum Abbatem de sancto Edmũdo, & Dominum Abbatem de Westmonasterio, de collectionibus Contributionum, Dominum Priorem Wigorn. onerando cum eisdem: subsequens per decretum; In Dei nomine Amen.

Amen. Nos, auctoritate, qua fungimur in hac parte, exoneramus Abbatem sancti Edmundi de Bury, & Abbatem de Westmonasterio, ab officijs Collectorum communium Contributionum, quæ auctoritate huius Prouincialis Capituli hactenus occuparunt, & oneramus Prioré wigorniæ cum eisdem.

Et similiter ad instantiam & rogatum quorundam humiliter promittentium emendas pro suis defectibus inclinati, reuocamus, relaxamus omnes & singulas sententias, pænas, siue mulctas in eos, & alios absentes superius per nos latas, de eorum emendatione in futurum spé indubiam retinentes.

Tunc assignati sunt ad sermones pro proximo Capitulo prouinciali Primo videlicet pro sermone ad Clericos & literatos in latinis dicendo Magister Willielmus Ebchester sacræ pagine professor, Dominus Iohannes Langley, Thomas Dereham, & Thomas Shrouesbury, eiusdem facultatis Bacallarij. Pro sermone vero in lingua vulgari dicendo, Magister Thomas Ledbury, & magister Iohannes Shalford Theologiæ Doctores, Dominus Edmusdus Kirton Prior studentium Oxionę & Siluester Bolton. Bacallarij in eadem facultate. Assignatio ad sermones.

Quibus effectualiter expeditis iniunctum est cunctis Prælatis præsentibus, & absentium procuratoribus vniuersis, vt quam cito commode fieri poterit, post regressum suum ad Monasterium eorundem, pro fuudatoribus & benefactoribus ordinis *Placebo & dirige* cum missa matutinali *de Requiem* singuli faciant solempniter decantari. Missa pro benefactoribus.

Et continuo pro die & loco erga proximum Capitulum, de consensu omnium prælatorum, cæterorumque ibidem habentium interesse, Dominus Pręsidens subintulit ita dicens. In Dei nomine Amen. Nos auctoritate, qua supra, assignamus locum istum, hanc videlicet Capellam Beatæ Mariæ Virginis, infra Prioratum sancti Andreæ Northampton. : dié etiam lunæ proximé ante Festum Beati Thomæ Martyris, videlicet quartam diem mensis Iulij, Anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo nono. Assignatio pro proximo Capitulo.

Et tandem circa horam vndecimam instantis diei Mercurij, ante meridiem. per Dominum Præsidentem Continuatum est Capitulum sub hac forma. In Dei nomine Amen. Nos auctoritate, qua fungimur in hac parte, propter certas causas veras & legitimas nos ad id mouentes, continuamus hoc præsens Capitulum prouinciale vsque ad Festum Beati Thomę Martyris, post datum pręsentium proxime futurum. Continuatio Capituli.

Postremo dicto Psalmo *Deprofundis* ab vniuersis, cum cęteris precibus antiquitus vsitatis, cunctisque generaliter concessis, & à Domino Præsidente debite absolutis, prælati, Doctores Bacallarij, Procuratores, & cæteri vniuersi dicti Capituli professores processionaliter ad ecclesiam omnium Sanctorum, bini scilicet & bini, in simul transierunt: Ad quam cum peruenissent, Letanias decantantes, venerabilis in Christo pater Dominus willielmus Abbas de Selby missam pro pace solempniter celebrauit: In qua Magister Willielmus Worsted de Norwich. Doctor sacræ Theologiæ clero & populo commendabiliter prædicauit missa nempe finita ad sua hospitia, & deinde ad partes suorum monasteriorum, cum summa pace & quiete quilibet disponebat dirigere gressus suos Amen. Expliciunt acta Capituli prouincialis An. Dom. 1426. Absolutio & processio in litanijs. Missa pro pace. Cócio.

Scriptura LXXIIII.

Ingressus trium Monachorum de Cenobio Cluniacensi in regnum Angliæ causa videndi Dominum Regem, petendique ab eo illa quæ olim debebantur eis ex iure. Ex scriptis D. Ioannis VVheathamsted Abbatis. S. Albani.

Historia accidit Anno Domini 1457.

Ingressus triũ Cluniacensiũ.

EIusdem itaque anni in temporibus, mense videlicet illo, quo reiungitur cultrum aratro, solentque homines exire in agros causa primariæ seminationis: Intrauerunt in regnum Angliæ tres Monachi de Cænobio Cluniacensi, viri probi, & spectabiles; viri graues moribus, & sensu ac sententia plurimum præualentes. Qui applicantes apud Douoriam, perrexerunt itinere recto, quousque venirent ad Ciuitatem Londoniarum: Illuc vtique venientes, & Dominum Regem apud sanctum Albanum esse intelligentes, mox mora seposita inde recesserunt, ascendentes que iterum in equos, vsque ad villam protomartyris veniebant. Ingredientes autem ecclesiam, & varios de ministris Regijs habentes sibi obuiam, petierunt dari licentiam adeundi Domini Regis pręsentiam, ad exponendum sibi causam aduentus sui, ac vlterius ad promouendum materiam suam.

Accessus ad regem.

Certioratus Rex de eorum aduentu & de desiderio, mandauit Domino Episcopo Dunelmensi, Custodi pro tunc priuati sigilli, Domino de Gray de Ruthin, & suo secretario, viro solido, sobrio, & sensato; vt ipsi eos ad partem traherent, audirentque ab ipsis, quid in sui causa aduentus dicere vellent. Gradientes igitur tres viri isti valentes ad ecclesiam, traxerunt eos seorsum ad locum priuatum, ad videlicet vestiarium; ibique quesierunt ab illis, quę fuerat causa sui aduentus, & quæ ipsi habuerunt Domino Regi pro sua parte ad dicendum.

Oratio ad regẽ habita.

Tunc eorum frater senior, vir in se grandęuus, & in facultate sacrę Theologiæ Doctoratus, aperuit os suum, & loquebatur dicens: Egregij patres, & Domini; missi per patrem nostrum Abbatem Cluniacensem, propter tres causas accessimus ad istud regnum. *Primo*, ad aperiendũ excellentiæ regiæ, quomodo, super omnes Reges vniuersæ terræ nobiles ipsius progenitores maximi amplissimique fuerunt benefactores ecclesiæ nostræ; qualiter inter eos Rex Henricus secundus tam largus & largifluus ditator ac etiam dotator illius fertur fuisse, vt dicatur pro nunc à nobis præcipuus fundator noster, præcipueque ac etiam singularissime habeatur recommendatus in omnibus omnipharijsque suffragijs nostris. *Secundo*, ad petendum possessionem & Confirmationem bonorum illorum omnium, quæ dicti progenitores loco nostro contulerant, *& per tempus non paucum iam dudum* à manibus nostris detenta, distractaque erant. *Tertio.* vero, ad impetrandum plenam licentiam, & liberam, ad ingrediendum singula loca religiosa à nostro Cænobio dependentia, & quę per nobiles progenitores nunc regis posita fuerunt sub regimine & gubernatione nostra; Propter has tres causas ad regnum istud accessimus, peroptamusque, si regiæ placeat dignationi, propter eas aperiendas accedere ad præsentiam ipsius.

Nota.

Excipiũtur ab Abbate per quã humaniter.

Rex, audita causa sui aduentus, iussit eos recedere vsque ad Ciuitatem Londoniarum, expectaturos ibidem tam suum aduentum, quam etiam per auizamentum sui Consilij responsum eis dandum; disponentes igitur se ad recessum, perrexerunt prius ad pręsentiam Reginæ, quæ fuit Regis Siciliæ Filia, & de Gallicana natione; deindè per Reginæ directionem, ad Abbatis hospitium; à quo tam humaniter recepti fuerant, tam in mensa prima, quam etiam in secunda, quòd in recessu eorum ab Anglia mitteret eorum senior, vna cum habitu suæ religionis, & quodam tractatulo de ordine militari in regno isto, sibi literam quandam regratiatoriam, continentem hunc tenorem.

Epistola Cluniacensium ad Abbatẽ S. Albani.

REVERENDISSIMO in Christo Patri ac Domino, Domino Abbati Sancti Albani, sacræ Theologiæ Doctori, sanctissimo, vestræ reuerendissimæ paternitatis humilis & deuotus orator

orator frater Edmundus de Beuualet, theologorum minimus. Reuerendissimè in Christo pater, & Domine insper honorande, humili premissa recommendatione; quoniam audiui vos desiderare copias habitus nostri Cluniacensis, quem portabamus, quando ad serenissimum Dominum Regem accessimus: vestram intelligens paternitatem in Domino Iesu esse deuotam, & virum plenum scientia, & virtute; Non immemor Charitatis mihi, & socijs meis impensæ, tam in domo, quam in mensa vestra, in qua vos optimè nos refecistis, & pauistis; vnde merito orare debemus, vt Deus vobis retribuat, & hoc in retributione iustorum; hinc habitum meũ, quo vestimur in vita, & inuoluimur post mortem, per nepotem meum pręsentium latorem transmitto; vtinam esset nouus, sed licet sit miser, ad tegendum tamen humanam fragilitatem terream aptior est & melior. Omnes enim beati patris Benedicti nostri filij hoc habitu tegimur in vita, & post mortem. Exiguum ergo munus, quod offert vobis deuotus amicus, & seruitor, gratum habere dignemini; si valeret plus decies, etiam bono corde transmitterem. Transmitto etiam vobis vnum breuem tractatulum, quem hic edidi, non pro clericis, sed pro ordine serenissimi Domini Regis, & suorum nobilium; Ideo in illo nullam infero scientiam, quia nec vnum librum possideo; corrigatis si placet ignorantiam meam. Cæterum Domine noueritis quod postquam per quatuor mẽses cum dimidio fuimus in itinere & in prosecutione iurium nostrorum apud serenissimum Dominum Regem & illius sacrum consilium, omninò nihil impetrauimus, imo remittimur valde tristes, nostris manerijs priuati, pensionibus alienatis, imo quod peius est, omnium nostrorum Conuentuum qui sunt numero triginta octo, obedientia sumus priuati, nec valuerunt nobis legittima documenta, neque vestrarum Cronicarum testimonia, & tandem nostra vniuersa exposita, expensa & pecunia vacui reuertimur, quia certè his quæ comedimus & bibimus solutis non restant nobis nisi quinque scuta pro recedendo ad ducentas sexaginta leucas, sed quid? vendemus nostra, & transibimus, & Deus ordinabit. Alia vestræ paternitati non occurrunt scribere, nisi quod sicut cum lætitia intrauimus Angliam: Sic cum summa tristitia ab eadem recedemus, vno tamen primo sepulto nostro socio videlicet Archidiacono iuniore nostrorum. Requiescat in pace Amen. Humiliter supplicamus pro nostra omniumque salute dignemini orare, & sanctis orationibus Dominorũ patrum vestri sancti Conuentus nos reconuertere. Et si quid ex nostris regionibus placet imperare, optimo corde faciemus. Valeat vestra reuerenda paternitas, cum vniuerso vobis grege credito, vt optatis Amen. Mensis Nouembris die tertio decimo. Abbas visis literis dictis, & perfectis, receptisque munusculis, de quibus fit mentio in premissis, mox calamum sumpsit, & scedulam, rescripsitque præfato Monacho quandam breuem regratiatoriam cuius tenor hic sub sequitur per hunc modum.

Mittit habitũ suum.

Ettractatum à se scriptum.

Nihil à rege impetrauerunt. Priuati omnibus cõuẽtibus.

Recolende pater & Domine, visis vestræ paternitatis apicibus, vna cum duobus placentioribus munusculis vestris nuper nobis missis, cum munusculo videlicet regularis habitus vestrę domus, & cum munere cuiusdam tractatuli de ordine militę regni huius; in tanto letiori oculo illos perspeximus, de quãto ex illo processisse animo intelleximus, qui recenter recordatur humanitatis exhibitæ, exiguæ quamuis & exilimæ; nec solet, vt moris est plurium, statim post digestionem, gustato modico de letheo poculo, transmittere in obliuionem. In tanto etiam duo vestra munuscula fuerunt nobis acceptiora, de quanto illorum vnum inuitat nos ad bonum, alterum vero instruit ad mores, & dat doctrinationem. Habitus enim vester ad vitam sanctiorem nos instigat, sanctùs enim est, & sanctum ad se trahit non sanctum, aut emendat. Tractatulus quippe plenus est pinguedine moralis scientiæ, moraliterque vnumquemque instruit, qui in ipso vel legere vel studere velit. Et propterea si non venissent locusta & brucus in nostras fruges, intelligatis vos prout vultis, & deuorassent singula quasi granellula in patria nostra, fuissemus vobis pro vestris munusculis retributor talis, qualem decuisset nos fuisse, placuissemusque, non diffidimus, melius vobis, Modo vero, licet assit voluntas, deficit tamen facultas ad conuertendum aut tristitiam vestram in gaudium, aut miseriam in successum prosperum seu fælicitatem. Nihilominus, ne omnino videamur claudere viscera nostræ charitatis à vobis, transmittimus vobis per præsentium baiulum vestrum nepotulum, de illis modicis, imò modicissimis, quæ adhuc nobis restant, pauculos denarios aureos, qui & si nequaquam in toto: dę tantillulo tamen releuare vos poterint in itinere versus vestras partes. Ad quas prospera forte prout optamus cum veneritis, Rogamus vos Cyneæ Pyrrhi Epirotarum Regis legatum statuere vobis in exemplum, & licet nequaquam omnia vobis in vestro fuerint negotio pro voto responsiua: quemadmodum tamen ipse suo respondebat Domino in suo regressu de Romanis; Ita & vos etiam pro nobis Anglicis singulis quęstionantibus respondeatis, Responsum ideo non exprimimus quia benè scimus, satis recenter illius recordati statis, Honesti enim

Rescriptio Abbatis Cluniacensis. Agit gratias pro munusculis.

Mittit eisdem pecunias.

Monet vt in melius omnia interpretentur.

enim viri est honesta dicere, in alijs vero vel interpretari in melius, vel omnino tacere. Igitur vel omnino taceatis, vel in melius reportamen faciatis. In æternum fęlicius, quemadmodum nos vobiscum valere appetimus, vos nobiscum in precibus orationum & in suffragijs charitatis valeatis. Amen. Cursiuo calamo & festino.

Scriptura LXXV.

Ex antiquo M. S. Dunelmensi: deerat character temporis, & nomen Abbatis.

ABbas Monasterij Sancti Albani prouinciali Capitulo ordinis nigrorum Monachorum in Cantuariæ ac Eborum Prouincijs solus fungens officio Pręsidentis: Venerabilibus in Christo patribus & fratribus vniuersis eiusdem ordinis Abbatibus & Prioribus proprios Abbates non habentibus & eorum Conuentibus ac Monachis singulis eorundem per easdem prouincias Constitutis Salutem in amplexibus saluatoris; ac mandatis nostris imò verius apostolicis efficaciter obedire. Cum humanæ memoriæ nimis arcta capacitas in varijs paginis quæque dilate conspersa infra limites sui sinus egrè permittat intellectum recondere, recondita que tenere, aut producere in apertum; si qua tamen actuum multiplicitas, frequens exercitium aut instructio qualiscunque quæuis impresserit recolenda, furatur obliuio, amittit tenuitas, aut mater erroris incuria pretermittit; huius rei gratia in nostræ religionis augmentum, grandis difficultatis remedium, necnon in fructum saluriferum animarum, dignum duximus quasdam sanctiones nostrum ordinem concernentes, summatim perstringere, paucas de nouo statuere, ac aliquas prius editas luculentius enodare. Nolentes per verba præceptoria vel prohibitoria in Constitutionibus infra scriptis contenta quemquam contrauenientem nostris ordinationibus aut mandatis (dum tamen hoc non faciat ex contemptu,) vinculo mortalis criminis obnoxiū subiacere: Sed duntaxat pęnas incurrere interius limitatas, aut vbi penæ nullatenus exponuntur, per locorum pręlatos, prout decreuerint, infligendas. Et vt de materijs subscribendis facilius occurrat quærentibus, quod volunt, talem operi subsequenti præmisimus seriem titulorum.

Capitulum primum de Augmento cultus diuini.
Capitulum secundum de negligentia Prelatorum.
Capitulum tertium de prioribus Claustralibus.
Capitulum quartum de Priore studentium.

De Augmento cultus diuini capitulum primum.

PRæcipit lex naturæ, quod & mandato tam nouæ legis quam veteris confirmatur, vt filij parentibus honorem impendant, ostendant reuerentiam, ac specialem exhibeant famulatum; hinc vt nos, tanquam filij obedientiæ patri nostro ac spirituali patrono debitæ seruitutis ministerium singulare in cumulum suæ laudis deuotius offeramus, Statuimus futuris temporibus perpetuò duraturum, quatinus exceptis aduentu Domini, quadragesima, & octauis festorum singulis septimanis, si qua dies vacauerit, beati Benedicti specialis memoria in tribus lectionibus celebretur, dum tamen beatæ virginis ac patronorum locorum commemorationes solitæ præferantur.

Cōmemoratio S Benedicti, in ferijs de tēpore vacantibus.

Præterea, quia ne dum pro viuis, quin amplius pro defunctis, eò quod extra statum meriti constitutis, precum instantia, deuotionum suffragia potissime requiruntur: Ideo, vt faciamus assiduè memoriam specialem defunctorum, adijcimus ordinantes, vt qui virtute Constitutionis olim editæ in nostro prouinciali Capitulo, ad horas diei preces omiserint antiquitus vsitatas, de cætero in singulis horis diei ac noctis, pręterquam in prima, & Completorio; finita oratione Dominica, ante Collectam, habeant istas preces. *Saluos fac seruos tuos & ancillas tuas. Oremus pro fidelibus defunctis,* ac *Dominus vobiscum,* & sic tam pro viuis, quàm pro mortuis orationis beneficium iugiter impendamus. Ad primam vero preces, *Repletatur os meum laude,* cum sequētibus, Confessione interposita, & ad Completorium *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorū* cum cæteris, & Collectis consuetis, sicut olim habuit vsus, Sic de cætero ab omnibus decantentur.

Preces pro viuis & defunctis.

De

De Negligentia Prælatorum Capitulum secundum.

TEstatur Beatus Gregorius, quod facientis culpam habet, qui quod potest corrigere negligit emendare. Quod non satis aduertentes plerique nostræ religionis prælati, suorum delicta subditorum corrigere negligunt, eosque per eorum negligentiam in deterius labi permittunt. Est enim negligentia prælatorum in subditis, mater erroris, nouerca virtutis. Hęc resistēdi superiorum statutis præstat audaciam, & contempni facit obseruantiam regularem; subditos contra maiores ceruices facit erigere, & se frequenter maioribus anteferre Ex hac etiam prouenit, quod subditi ab officio subtrahunt se diuino, quodque silentium horis & locis debitis non obseruant. Inde etiam oriuntur plurima scandolosa vt puta nonnulli nostræ religionis Monachi contra constitutiones Concilij Vienensis.scilicet *ne in agro*, tunicas quidam ad latus, Quidam anterius habent fissas; Quidam etiam in manicis, vel anterius propter strictitudinem vel lasciuiam tunicas induunt botonatas. Quidam vero biriritas ante ac retrò, quidam quasi per circuitum habent birras. Quidam equidem tunicas nimis curtas, quidam superius nimis strictas induere non verentur; quidam etiam quasi supertunicas more secularium vsque ad medium brachij manicatas. Quidam quasi supertunicas manicis proximas sub habitu asso lent se vestire. Quidam Capucijs vel almucijs furruras gestant de vario vel de griseo. Quidam insuper cucullis quasi taberdatis. Quidam tam froccis quam cucullis in colore adeò vario variatis ab habitu aliorum, quod ne dum in diuersis monasterijs, verum etiam in eodem Claustro videntur in professione disconformes, vtuntur, vel verius abutantur; Quidam siquidem botis rostratis, quidam etiam nimis strictis. Quidam zonis sericis & interdum cum argenteo apparatu in signum lasciuiæ & insolentiæ vestiuntur. Quidam in equitando clochis siue rotundellis, aut huiusmodi monacho in honestis superius sunt induti. Quidam in sola cuculla sine veste alia superiore equitant, vt non decet; Quidam cum Capellis ornatis cum serico & sendato de viridi vel blueto equitant, & incedunt, quidam lectisternijs de super ac per circuitum vtuntur viridibus, quidam rubeis, quidam albis, quidam ex huiusmodi coloribus variatis, quæ omnia & consimilia preter hoc quod regularibus discrepant constitutis, sunt etiam in nostræ religionis opprobrium manifestum.

Negligentia Prælatorum venenū religionis. Fons omniū malorū disciplinam regularē turbantium. Enormis difformitas in vestibus, equitaturis, & lectisternijs.

Tot ergo malis, quæ ex prelatorum negligentia ortum habent, volentes occurrere, vt tenemur, firmiter, præcipimus & districtè, vt nostræ religionis prælati quicunque, in cura eis commissa, se diligentes exhibeant; diuinis officijs & ipsimet debitè inter sint, & suos subditos compellant horis debitis interesse, statuta superiorum, & silentium, quatenus eos concernunt, & ipsi primitus obseruent, & à suis subditis, prout conuenit, faciant obseruari. Sintque ipsi prælati, quatenus ad vitam regularem, & formam ac colorem vestium, suis subditis in exemplum; sicut & Dominus noster Iesus Christus *cepit facere & docere*; nec tunicas vt pręmittitur fissas aut botonatas, aut birratas, seu curtatas, vel nimis strictas induant ipsi, nec suos subditos permittant tales tunicas aut aliquam talem induere quouismodo Sed iuxta prędictam constitutionem *ne in agro*, de veste habitui proxima sint tunicæ singulæ monachorum, colore aut pretio moderatæ, rotundæ etiam per circuitum, non fissæ, nec longitudine nimia vel breuitate notandæ, nec supertunicas seu non manicatas induant prælati proxime sub cuculla, nec suos subditos indui sic permittant, Sed iuxta sepe dictam Constitutionem, *ne in agro*, Vestis ipsa habitui proxima largas manicas habeat vsque ad pugnum protensas, non consuticias, nec quomodolibet botonatas, nec in capucijs vel almucijs habeant de cętero subditi vel prælati furruras de vario, vel de griso, aut aliquas nisi nigras, nec vtantur monachi nostrę religionis superiores aut inferiores cucullis huiusmodi tabardatis; sed singulorum cucullæ àmodo sic formentur, vt nihil panni abscissi super brachium neque retrò saltem ad cubitum descendant; vel cubitum cooperiant, si ad hoc panni sufficerit latitudo. In super in colore cucullarum & floccorum talem discernimus & mandamus de cætero conformitatem in singulis monasterijs & ecclesijs, etiam à monachis singulis nostri ordinis vsitandam, vt rubeo, burneto, blueto & huiusmodi coloribus quibuscunque penitus pretermissis, cucullis ac floccis simpliciter pure nigris induantur singuli tam subditi quam prælati, quatenus sicut nec rubei nec burneti nec blueti, sed dumtaxat nigri monachi nuncupamur, sic nomen nostrum veraciter retinentes, ad purum nigrum saltem in exterioribus vestimentis floccis scilicet & cucullis penitus nos aptemus. Botas etiam rostratas aut nimis strictas simul etiam & zonas sericas siue etiam de alia materia qualicunque, dum tamen cum argenteo apparatu ac cappella ornata cum serico, vel sendato,

Præcipitur Prælatis diligentia. In officio In silētio. In vestitu regulari.

In equitatius

dato, de viridi vel blueto aut colore alio, quam merè nigro, penitus interdicimus, & monachis & prælatis huiusmodi prouinciæ quibuscunque; nec monachum aut subditum vel prelatum cum clochis, vel rotundellis aut huiusmodi in honestis, vel sola cuculla siue veste alia superiore permittimus de foras equitare; sed mandamus firmiter iniungendo vt omnes & singuli foras quotiescunque vel quandocunque equitaturi, capis honestis capucia habētibus assuta iuxta antiquam consuetudinem sui claustri superius induantur. Quod si qua domus nostræ religionis extiterit siue claustrum non habens de antiqua consuetudine cappas tales, assumant sibi consuetudinem monasterij proximioris, vel ab aliquo presidentium capituli nostri prouincialis inquirant, & habeant formam honestam cappæ huiusmodi pluuialis, & ita quod sine cappa tali nulli de cætero sit licentia equitandi, nisi fortè pro forma cappæ huiusmodi addiscenda, vbi nulla forma honesta antiquitus habebatur; Nec lectisternijs de super, aut per lecti circuitū vtantur monachi nostræ religionis superiores seu subditi, nisi duntaxat de burneto, vel blueto, vel etiam mere nigro: Preterea prælatos omnes & singulos nostræ religionis in eorum conscientijs districtius oneramus vt ipsi tales fissas vel botonatas, vt premittitur, seu birratas, strictas siuè curtas, etiam super tunicas manicatas seu non manicatas, quæ immediatè sub habitu deferuntur, nec non capucia vel almucias cum furruris aliquibus, præter nigras, seu cucullas quasi tabardatas & floccos ac cucullas, colorè alium quàm nigrum aliqualiter prætendentes; Botas rostratas siue strictas, zonas sericas, siue zonas alterius materiæ, habentes argenteum apparatum, clochias siue rotundella & alia quæcunque pro equitatura monacho inordinata, Capella ornata cum serico vel sendato de viridi vel blueto aut colore alio quàm merè nigro, lectisternia viridia, rubea, siue alba, vel ex eisdem coloribus variata de super; vel circa lectum, si talibus vel aliquo prædictorum vsi fuerint, sine mora deponant simpliciter & pro semper, ac ea & eorum quodcunque, etiam à subditis vtentibus illis, vel aliquo eorundem, auferant indilatè, ac omnia illa & singula venditioni exponentes, de eorum pretio ipsis monachis de indumentis & alijs necessarijs competentibus & honestis, iuxta quod præmittitur, faciant prouideri Præcipiantque prelati ipsis, & alijs, quod de cetero talibus non vtantur; quod si fecerint, post inhibitionem huiusmodi sibi factam, eos, cum hoc constiterit, pena inobedientię puniāt, vt est dignum; de quibus omnibus & singulis tam quoad subditos, quam prælatos, monemus vt diligenter inquirant visitatores deputati per Capitulum nostrum prouinciale, seu etiam futuris temporibus deputandi; & in quocunque defectionem inuenerint subdito vel prælato, cum sine mitigatione percellant pœnis superius annotatis, vna cum pœnis alijs, quas ipsi visitatores propter circumstantias duxerint rationabiliter apponendas.

In lectisternijs.

Nouitij non intersint actibus capitularibus.

Item, cum illorum negligentia atque imprudentia prælatorum meritò fuerit arguenda, qui beatissimi Benedicti regulam non vt congrueret attendentes, nouicios, priusquam tempus probationis in religione compleuerint, aut votum promissionis emiserint, ad secreta capituli audienda solent admittere, permittentes eosdem vsque in finē Capituli in Capitulo remanere; præsertim cum regula nostra dicat tales in congregationem suscipi non debere, priusquam habita secum deliberatione promiserint, se velle omnia custodire, quæ in ipsa regula continentur, & cunctis imperata seruare: nos talem prælatorum negligentiam arguentes, Statuimus, & id in singulis monasterijs nostri ordinis firmiter obseruari præcipimus, vt nouicij ad audienda Capitulorum secreta, priusquam professionem tacitam vel expressam emiserint, nullatenus de cætero admittantur; Sed lecta in capitulo, iuxta morem, certa particula regulæ, statim à capitulo in claustrum se transferant; ibidem vsque in finem Capituli moraturi; ne fortè suadente Diabolo eos ante professionem contingat ad sæculum redire, ac Capitulorum secreta in preiudicium ordinis alijs reuelare.

Clausuræ custodia iniūgitur.

Porro cum in benedictinis constitutionibus prouidè sit statutum, vt nullus monachus nostræ religionis de Ecclesia, Cœnobio loco vel alio Conuentuali exire presumat, nisi petita prius licentia & optenta ab eius superiore, qui eam valeat indulgere; quodque causam sui exitus omni fictione cessante superiori exponat eidem; ac quod ipse superior licentiam huiusmodi, nisi ex causa rationabili, non concedat; eisque, quibus licentiam dederit, certum prefigat terminum redeundi, vt conuenienter poterit breuiorem: Nos dictam constitutionem ne dum rationabilem, sed necessariam modernis temporibus perpendentes, prælatosque, qui contrariū fecerint, seu fieri permiserint, & scienter, circa suos subditos reputantes culpabiliter negligentes, vniuersis nostræ religionis prælatis, nec non omnibus aliis, quibus ex consuetudine, vel aliàs competit, aliis ad exeundum licentiam indulgere, districtius demandamus, quod Constitutionem ipsam, quatenus eos concernit, obseruent, & quatenus subditos tangit, eam faciant ab eisdem inuiolabiliter obseruari. Insuper prohibemus nequis nostræ religionis monachus, cui ad

tui ad exeundum ad certum locum, vel certa loca licentia est concessa; ad loca alia lateralia, vel vlteriora religiosorum, seu sæcularium quorumcumque se transferat, seu diuertat, nisi ante suũ egressum, quod ad talia loca se diuertere posset, à suo prelato licentiam habuerit specialem & expressam; Quod si quis nostri ordinis conuentus & super hoc conuictus extiterit, eum fore ab exitu claustri per quindenam statuimus suspendendum; & aliàs si quis ad multa loca accesserit, iuxta discretionem sui prælati, & excessus exigentiam, puniendum; Salua tamen prelatis ipsis in dando talem licentiam potestate, cum personis maturis, & approbatis, prout duxerint in genere, dispensandi vt ad loca quecunque lateralia vel vicina, etiam in petendo licentiam non expressa, possint, prout voluerint, se diuertere, seu transferre, propter vtilitatem monasterij, seu commodum personarum, vel causas aliàs in itinere post concessam licentiam forsitan occurrẽtes. Non tamen liceat cum omnibus indifferenter taliter dispensare, ne insolentibus tribuatur per licentiam indiscretam materia euagandi.

Ceterum quum expressè in nostra regula sit contentum, vt tempore siuè ieiunij, siue prandij, omnes in vnum positi compleant, & exeuntibus à Completorijs nulla sit licentia denuo cuiquam quicquam loqui, nisi propter hospites, si qui fuerint; vel nisi prelatus aliquid iusserit alicui illorum: prælatorum igitur negligentiam duximus merito reprobãdam, qui subditos suos, nec in cura hospitu, nec in suis officijs rationabiliter occupatos, nec habentes prelatorum suorum licentiam vel præceptum quominus completorio valeant aút deb eant interesse; post Cõpletorium silentium non obseruare, scienter tamen permittunt, ac debite non impediunt se à Completorio culpabiliter absentare, potationibus serotinis vacare, fabulis otiosis, imò detractionibus venenosis, vsque vel circiter noctis medium vigilare; vndè à matutinis se subtrahunt, vel sine deuotione intersunt, ac ad celebrandum in crastino efficiuntur indispositi & inepti. Talium igitur prelatorum negligentiam supplere, subditorumque vitam tam inordinatam restringere cupientes, Statuimus, vt prælati cæterique ad custodiam ordinis deputati, vel in posterum deputandi, de talibus diligenter inquirant, ac eos ab huiusmodi insolentijs, excessibusque compescant, imò tales quoscunque, nisi correpti citius emendentur, per ammonitionem, ab eorum officijs, si que habent aut per subtractionem cuiuscunque solatij, puniantur.

Silentij post cõpletoriũ stricta obseruantia.

Quibus adijcimus iniungentes, vt omnes tam sequentes Conuentum, quam obedientiarij, pro quanto eos rationabilis occupatio circa eorum officia non excusat, vbicunque comederint, a Dominica aduentus Domini vsque ad Natale, & à Dominica in quinquagesima, vsque ad finem Paschæ, & in omnibus sextis ferijs, & sabbatis, ac etiam in omnibus vigilijs festorum principalium, Collectioni & Completorio vsque in finem inter sint, & à Completorio in dormitorium de consuetudine iacentes, in eodem directè se trausferant ad pausandum: nisi maior prælatus in monasterio cum aliquo ex causa iusta, voluit dispensare, vel nisi ab eo, qui Collationi prefuerit, vt aliunde se diuertere valeant, licentiam habuerint specialem; quam quidem licentiam ab eo concedi firmiter inhibemus nisi subsit causa rationabilis atque iusta. Nullus Claustralis, præter eum, qui post maiorem prælatum Collationi & Completorio præsideret, vel in refectorio reficiens aliquo tempore anni à Collatione vel Completorio se absentet, nisi propter iustam causam ab eo, qui preest in monasterio, licentiam habuerit specialem.

Omnes inter sint collationi, completorio, & dormitorio.

Præterea ne scintilla tenuis ex desidia prælatorum in flammam transeat destructiuam, statuimus vt cum per famam, vel relationem fide dignam, seu modum aliam legitimum qualemcunque, ad aures visitatorum, qui per capitulum fuerint deputati, seu malo gestu religioni & ordini scandalosis alicuius monasterij, vel ecclesiæ Monachalis; teneatur quilibet visitator pro diocese sibi deputata, & quilibet presidentium, ad cuius eorundem auditum rumor talis citius deuenerit, ad locum illum præfixo illis eis termino competenti, ad quem terminum spacium quatuor vel trium dierum sufficere decernimus in hoc casu, cum omni celeritate, qua commodo poterint, per se, vel per alium nostræ professionis idoneum, declinare ac super communibus defectibus & excessibus quibuscunque inquirere veritatem; ac omnia & singula, iuxta quod volunt canonicę sanctiones, corrigere ac reformare, quæ correctione & reformatione viderint indigere. Quod si quis prælatus loci taliter visitandi, visitatorem seu præsidentem vel eorum Commissarios, vt permittitur, accedentes ob breuitatem termini, vel alia causa friuola, non admittat; vel huiusmodi visitationem subterfugiat quouismodo; decem libras ex ipso Dominis præsidentibus, qui pro tempore fuerint, soluere teneatur, in communes vsus ordinis conuertendas; quam quidem summam per ipsos pręsidentes, etiam per censuram ecclesiasticam, si oporteat, soluere compellatur.

Presides & visitatores scãdala statim in ipso ortu tollant.

Insuper ne sanguis ouium oberrantiam de prelatorum manibus, ob eorum negligentiam, requiratur; ac vt malitijs hominum, quę plus solito pululant his diebus, salubrius occurratur præ-

præsentis auctoritate Capituli ordinamus, vt in Curia Romana vnus procurator idoneus pro nostro ordine deputetur, de communi contributione salarium competens percepturus, qui mandatum habeat speciale, quemcunque monachum nostri ordinis, sine literis ac licentia speciali sui prælati, qui talem licentiam poterit indulgere, ad dictam Curiam attendentem, quàm cito de aliquo tali sibi constiterit, capi faciat, & procuret, ac in carcere detineri, quousque de prælato talis monachi fugitiui, quid de eo fieri debeat habeat in mandatis. Qui etiam Procurator omnia & singula negotia communia nostrum ordinem tangentia sumptibus communibus effectualiter prosequi, & quibuscunque quæ in præiudicium nostri ordinis scire poterit, attemptata, pro posse suo resistere teneatur; Ac prælatum, ad quem huiusmodi negotium seu preiudicium spectauerit, quàm scitò poterit premunire.

De prioribus Claustralibus Capitulum tertium.

Priores Claustrales qualiter ab officio amobiles.

QVia regula nostra testante sæpius contingit, vt per ordinationem præpositi scandala grauia in monasterijs oriantur, potissime dum quasi secundi Abbates affectant in monasterijs reputari; propter quę scandala decidenda, cum queritur hoc à nobis, an priores Claustrales qui prepositi monasterij iuxta regulam nuncupantur, valeant pro libito suorum superiorū a suis officijs amoueri, taliter respondemus, quod locis siue monasterijs illis duntaxat exceptis, in quibus de priuilegio speciali, & indulto sedis Apostolicæ est obtentum, & hactenus vsitatum, quod priores huiusmodi Claustrales, postquam ordinati fuerint, siue prefecti, ex tunc in suis officijs perpetuò resideount; In singulis alijs ecclesijs, seu monasterijs nostrę professionis sunt ipsi Priores Claustrales ordinandi, & etiam amouendi ad arbitrium suorum Abbatum, vna cum consilio fratrum timentium Deum, propter causas rationabiles emergentes, iuxta formam & Doctrinam regulę nostræ de prępósito monasterii ordinando.

Prior resideat in claustro regulari.

Hoc tamen præcipimus firmiter conseruari, quod siue mobiles fuerint, siue perpetui; quantum poterunt sine corporis sui iactura, in claustro resideant, & ad custodiam religionis curam adhibeant diligentem, iuxta quod in Benedictinis constitutionibus est iniunctum, quod prior Claustralis resideat continue in Capitulo seu Conuentu, claustrique curam & regimen exercere assidue teneatur. Vnde quantumcunque dociles fuerint, vitæque ac morum honestate decentes, & ad adquirendum fructum scientiæ aptiores: prohibemus tamen eos, siue perpetui fuerint, siue mobiles, mitti vel eligi ad generale studium, vt studentes; nisi ipsi perpetui gratis officijs renunciare voluerint, cùm mittuntur; alijque mobiles à suis officijs etiam absoluantur; sintque in monasterijs, de quibus sunt, alij sufficientes, qui sciant, poterint, & voluerint in officio prepositi alios debite regere; ac statum religionis diligenti cura, prout conuenit, custodire: Et hæc omnia & singula de supprioribus in ecclesijs Cathedralibus, quia officium prepositi ipsi tenent, fore statuimus obseruanda.

De priore Studentium Capitulum quartum.

Priori studentium iniungitur vigilantia in officio.

SOlet effrenata libertas frequenter in deuium prosilire, & dùm à superiore non regitur, à bono torpescere, ac in vetitis occupari, quod quidem Apostolica perpendens discretio, ne studentes nostri ordinis, dum à monasterijs suis absint, libero dimitterentur arbitrio, & in aliqua prorumperent, quæ non licet; proinde statuit, vt vnus ex ipsis studentibus prior esset ipsorum studentium deputatus, per cuius industriam cæteri in suis actibus debite regerentur. Quià tamen ex quorundam clamore didicimus, quod priores, qui retroactis temporibus studentibus Oxonie præfuerint, in executione potestatis per summum pontificem eis commissę, necnon ad debite regulandum ipsos studentes quibus prefuerant, aut nimium negligentes extiterant aut remissi; ne hoc idem contingat temporibus successuris, præsentium tenore districte pręcipimus eos, qui prioris officio futuris temporibus oxoniæ residebunt, vt ad ipsorum studentium regimen inuigilent diligenter, quodque ea, quæ in Constitutione Benedictina titulo *depensionibus studentium* Capitulo *præcauerum* & Capitulo *prouideant* de ipsis prioribus & studentibus statuuntur, priores ipsi quatenus eos concernunt, obseruent; Et quatenus studentes alios tangunt, faciant ab ipsis studentibus absque mitigatione quacunque futuris temporibus obseruari.

Item

Lector Philoſophiæ.

Item ordinet prior quiſcunque, qui ſtudentibus Oxoniæ preerit infuturum, quod ſi quis ex ſtudentibus noſtri ordinis ad legendam philoſophiam fuerit habilis, & tempus audiendi philoſophiam, priuſquam in Theologia gradum aſcendere debeat, non impleuerit requiſitum; Philoſophiam legat in loco, quem ipſe prior ſtudentium magis viderit oportunum; arctetque prior cæteros noſtri ordinis in philoſophia ſtudentes, vt ſuas lectiones audiant de eodem, dum tamen à lectionibus ordinarijs, vel diſputationibus in vico ſcholarum, alijſque actibus ſcholaſticis, per auditionem huiuſmodi nullatenus retrahantur.

Diſputationes hebdomadariæ.

Item cum ars artificem habilem reddere atque promptum efficere ſoleat, vt tam ſtudentes in philoſophia noſtri ordinis, quam ſtudentes in theologia, nec non qui de monaſterijs ad ſtudium tranſmittuntur, vt in theologia apicem magiſtralem aſcendant, ac gradum Bachalauriatus attingant; Sed & vt ibidem addidiſcant alijs debite proponere verbum Dei; in diſputando & prædicando habiliores efficiantur, ac etiam promptiores: Statuimus, vt ſtudentes in facultatibus memoratis bis de ipſis, ſemel videlicet de theologia, & ſemel de philoſophia diſputent ſingulis ſeptimanis; exceptis tamen vacationibus; niſi prior ſtudentium ipſos ſtudentes viderit ſufficere in vacatione ſeu vacationibus diſputare. Quod ſi contigerit, tunc ordinet ipſe prior; quotiens, & in qua facultate, à quibuſque perſonis ſit pro talis vacationis tempore diſputandum.

Concionandi exercitatio crebra.

De his autem, qui ad vniueſitatem non ob aliam cauſam mittuntur, niſi vt ibidem addiſcant alijs ritè proponere verbum Dei: Statuimus, vt illi iuxta diſpoſitionem prioris, & ſaniorū ſtudentium, in loco noſtro communi Oxoniæ, vel alibi, vbi prior ipſe & ſaniores decreuerint, frequenter tam in lingua latina prædicent, quam vulgari; vt ſic id audacius promptiuſque perficiant, cum eos ad ſua monaſteria contigerit reuocari.

Simul hoſpitentur ſtudentes.

Præterea cum in Benedictinis Conſtitutionibus ſtatuatur, quod præſidentes, alijque prælati ad prouinciale capitulum venientes, prouideant, quod monachi ad ſtudia tranſmittendi in ſimul commorentur, ſaltem ad minus decem: nos perpendentes quod prior ſtudentium id melius facere valeat, quàm præſidentes, alijue prælati, qui ad capitulum venient memoratum: Statuimus, vt prior ſtudentium, quatenus ei poſſibile fuerit, ſic de mittendis ad ſtudium ordinet, vt de eis quantò plures poterunt pariter hoſpitentur, nec quouiſmodo permittat, vt vnus inter ſeculares ſine ſecum commonacho moram trahat; cum ſit ſcriptum, *væ ſoli, quia cum ceciderit ſe ſubleuantem non habet*; Et: *melius eſt duos eſſe ſimul quam vnum.*

Prior ſtudentium Cantabrigiæ erigitur.

Porro cum Conſtitutio Benedictina de priore ſtudentium ordinando, ad quæuis ſtudia generalia ſe extendat, volumus vt in vniuerſitate Cantibrigiæ prior ſtudentium iuxta modū & formam in ipſis Benedictinis traditum, à modo deputetur, qui monachorum ibidem ſtudentium ſolicitè curam gerat, ac ipſos ſolerter regulet, & diſtrictè, ſecundum quod volunt dictæ Benedictinæ ac Prouinciales conſtitutiones, ipſum priorem ſtudentium concernentes, & congruerit tam dicto loco quam numero ibidem ſtudentium monachorum.

De mittendis ad ſtudium generale Capitulum Quintum.

Pænæ contra prælatos non mittentes monachos ad ſtudium.

CVm ſit fruſtra conſtitutiones aliquas condere, niſi poſtea ab hominibus obſeruentur, congruit ſic conſtitutiones per penas vallare, vt penarum metu ad ipſarum conſtitutionum obſeruantiam homines arctentur. Et ſi aliquorum tanta ſit rebellio, quod ad eas obſeruandas faciliter flecti nolunt, conuenit addere penas penis, vt quos certæ penæ non flectunt, eos inclinet penarum addita multitudo. Cum ergo fęlicis memoriæ Benedictus papa duodecimus ad noſtræ religionis honorem non modicum nuper decreuerit, quod ex ſingulis monaſterijs noſtri ordinis de quolibet vicenario numero monachorum mittatur ad ſtudium vnus aptus pro fructu maioris ſcientiæ adquirendæ; ac contra non mittentes pęnas ſtatuerit valdè graues; Sintque adhuc, ſicut ex multorum relatu dicimus, quidam noſtræ religionis prælati, quos nec papale ſtatutum, nec ipſarum pænarum metus emollit, vt de ſuis monachis mittant ad ſtudium continuandi gratia iuxta numerum pretaxatum: Nos eorum rebellionem, quatenus in nobis eſt, confundere cupientes, Statuimus, vt prælati noſtri ordinis quicunque, qui virtute conſtitutionis papalis prædicta aliquem vel aliquos de ſuis mo-

nachos ad ſtudium mittere ſunt aſtricti, nec tamen hoc faciunt, vt tenentur; vltra pęnas per ſummum pontificem contra tales ſtatutas, nomine etiam pænæ ſoluant annis ſingulis, pro quolibet quem virtute ſtatuti prędicti mittere tenerētur ad ſtudium, & non mittunt, Dominis præſidentibus qui pro tempore fuerint, decem libras in vſus communes ordinis conuertendas. Et vt de talibus, qui, vt prefertur, de ſuis non mittunt ad ſtudium vt deberent, poſſit citius & certius Dominis præſidentibus apparere, Pręcipimus priori ſtudentium firmiter iniungendo, quod de nominibus talium non mittentium, ſiue mittentium nimis tarde, aut ante finem anni ſtudentes ſuos à ſtudijs reuocantium, certificet per ſuas literas annis ſingulis Dominos præſidentes: vt ſicut non mittentes pæna decem librarum ſicut pręmittitur ſunt multandi; ſic nimis tarde mittentes, vel premature reuocantes, pro quanto in tempore defecerint, pænam ſoluant; vt cum annus iuxta computationem vniuerſitatis tres contineat terminos, quibus magiſtri communiter ſuas continuant lectiones; cuiuſcunque prælati ſcholares vel ſcholaris per terminum talem ſeu termini maiorem partem à ſtudio defuerit, ſoluat pro quocunque ſcholari taliter deficiente tertiam partem totius ſummæ decem librarum ſuperius memoratæ in vſus communitatis, prout predicitur, conuertendam; & conſequenter, Statuimus de alia quacunque maiori temporis quantitate & ſumma communiter maiore pænę nomine perſoluenda; Teneanturque prælati ſinguli ſuis ſcholaribus de annalibus penſionibus prouidere, ſicut in Benedictinis Conſtitutionibus, titulo de penſionibus ſtudientium, eſt taxatum.

Taxatio pēſionis in Benedictina, quātum valeat. * ſenariorum vel, paruorum.

Et quia vertitur in dubium penes quoſdam ad quantam ſummam monetæ Anglicanæ taxa iſtorum * pernorum turonēſium ſe extendat; quanquam aliqui ad minus, aliqui ad maius eos, vt dicitur, eſtiment in valore: Nos tamen omnem huiuſmodi dubietatem tollere cupientes, decernimus quatuor turonenſium pernorum ſterlingo Anglicano in pretio coequari. Ita quod ſexaginta librę illorum turonenſium equeualeant libris quindecim ſterlingarum, & ſic communiter iuxta ſummarum equiualentiam in ipſis Benedictinis taxatarum ſemper equi parando quatuor turonenſes huiuſmodi ad ſterlingum, omnibus ſtudentibus, tam Doctoribus, quam ſcholaribus miniſtretur: nec minus ſufficere credimus his diebus, propter victualium & aliorum neceſſariorum exceſſiuam chariſtiam, que modernis temporibus plus ſolito inoleuit. Cui adijcimus ſtatuentes, quod cum prælati ſcholares ſuos vel ſcholarem ad ſtudium tranſmiſerint, vt præfertur, vel pro eis aut aliquo eorundem miſerint, vt veniat ſibi domum; quod teneantur ipſi prælati vltra penſionem ipſorum ſtudentium ſuperius limitatam, expenſas competentias pro itinere, tam eundo ad ſcholas, quàm redeundo ipſis ſcholaribus miniſtrare. Si quis tamen ipſorum ſcholarium ſine mandato ſui prælati domum venerit, ſibimet prouideat de expenſis. Super quo ac ſuper numero ſtudentium viſitatores per prouinciale Capitulum deputatos, ac in poſterum deputandos, in eorum conſcientijs ſtrictius oneramus, quatenus diligentius inquirentes, vbicunque defectum inuenerint, corrigi faciant indilatè, aut Capitulo denuncient pro remedio congruo apponendo.

De quo numero conuentuali debeant ſcholares mitti.

Et quia plurimi opinantur, quod de nullo numero pauciori quam vicenario, ſcholarem aliquem vel ſcholares teneantur virtute conſtitutionis Benedictinæ mittere ad ſtudium generale: ipſorum opinioni erroneæ idem Benedictus duodecimus in quadam bulla eiuſdem conſtitutionis declaratoria, & ſuæ intentionis plenius expreſſiua, obuiat in his verbis: *Si vero fuerit Eccleſia, Monaſterium, vel alius locus principalis, in quo vicenarius numerus non exiſtat, ſit tamen ibi numerus maior ſenario; teneantur viſitatores per prouinciale capitulum deputati, cum in eis viſitationis officium exercebunt, inquirere de facultatibus & oneribus eorundem, & ſi huiuſmodi oneribus ſupportatis inuenerint facultates ſufficere pro vno vel pluribus monachis ad dicta ſtudia deſtinandis, relationem de hoc faciant in prouinciali Capitulo ſubſequenti, in quo præſidentes cum conſilio & aſſenſu maioris partis capituli ordinent auctoritate Apoſtolica iuxta huiuſmodi ſuppetentiam facultatum de vno vel pluribus monachis ad dicta ſtudia deſtinandis.*

Senes nō mittendi ad philoſophica ſtudia.

Item cum licet in ſenibus ſapientia vigeat, & venerabilis ſic ſenectus, ſunt tamen communiter ingenij obtuſioris, quam iuuenes, & ad ſtudendum in phyſicis minus apti; ac in Benedictinis Conſtitutionibus ſtatuatur, vt tales eligantur ad ſtudium tranſmittendi, qui dociles fuerint, & ad adquirendum fructum ſcientiæ aptiores: Statuimus vt futuris temporibus ſenes & ætate prouecti pro philoſophia addiſcenda ad ſtudium non mittantur. Cui etiam adijcimus ſtatuentes, vt hij, qui per electionem ad ſtudium debent tranſmitti, de quolibet ſcilicet vicenario vnus, iuxta formam in Benedictinis conſtitutionibus traditam eligātur; alij vero vltra numerū in dictis cōſtitutionibus requiſitū ad ſtudium nullatenus tranſmittantur, niſi iuxta

iuxta Capitulum, *Vt periculosa*, videlicet vt vnicuique eorum à suo prælato vna cum consilio sui Conuentus vel maioris partis eiusdem, eundi ad studium licentia primitus sit concessa. Excepto (prout Bulla ipsa declaratoria superius memorata exprimit in hæc verba (*loco quocunque à quo de consuetudine ordinatione seu statuto; quæ decernimus inuiolabiliter obseruanda, plures ad huiusmodi studia mittendi fuerint, quam sit in nostris ordinationibus ordinatum, in quo loco volumus quod seruent deinceps circa nominandas, eligendas & licentiandas personas huiusmodi mittendorum, ea quæ per nos circa alios mittendos ad studia in eisdem constitutionibus continentur.*

Si autem plures monachos de vno monasterio ad studium mitti contigerit, vnus eorum cui hoc suus prælatus commiserit, curam habeat alterius seu aliorum, si plures quam duo extiterint, & circa eos diligenter intendat, vt in religione ac studio se gerant & proficiant sicut decet, nec alicui liceat eorundem alicui monacho alterius monasterij confiteri, aut ab aliquo tali Eucharistiæ recipere sacramentum, nisi in casu quo voluerint ex causa legitima confiteri priori studentium, vel ab eo aut alio prædictum recipere sacramentum; in casu quo nullus sui monasterij monachus voluerit aut potuerit illo die illi Eucharistiam ministrare. Sub ordinatio studentũ eiusdẽ monasterij.

Insuper viam litibus cupientes præcludere, ac scandalis obuiare, præsenti statuto specialiter prohibemus ne studentes nostri ordinis inter se ex quacunque causa coram Cancellario aliove iudice seculari placitent, seu disceptent, nec quisquam eorum alium coram eis conueniat quouismodo: Sed si qua (quod absit) inter aliquos eorundem litis materia futuris temporibus oriatur, ipsa, quatenus possibile fuerit, per priorem, & quatuor vel quinque saniores ipsorum studentium, sopiatur; & si per eos tolli non possit, ipsa materia præsidentibus intimetur, qui si quid inter eos male fuerit attemptatum, id debito modo corrigant & reforment. Nõ placitẽt studentes corã iudice externo.

Cum monachus ex professione debeat eius vestigijs adherere, qui venerat, non vt propriam faceret voluntatem, sed ipsius voluntatem qui eum misit, nec ministrari venerat, sed potius ministrare, absurdum videtur in monacho, cuius est sui prælati subijci voluntati, ac honores fugere mundiales, contra vel præter sui prælati voluntatem magnatum preces vel litteras procurare vt accedere poterit ad studia literarum, aut inibi commorari, seu gradus aliquos in studio attingere, vel ad apicem ascendere magistratus: hincque districtè præsentibus prohibemus, ne quis nostræ religionis monachus contra vel præter sui prælati voluntatem sæcularium quorumcunque preces vel literas procuret, vel faciat procurari, vt ad studium transmittatur, aut in studio detineatur, siue ad gradus quoscunque studij promoueatur, suo prælato nesciente, vel etiam hoc nolente. Statuimusque quod si quisquam nostri ordinis preces vel literas, vt præfertur, per se vel per alium præsumpserit procurare, ac super hoc conuictus extiterit; eo ipso absque causa alia qualicunque, si nondum ad studium missus fuerit, reddatur inhabilis vt ad studium transmittatur; Quod si iam in studio constiterit, eo ipso etiam per suum prælatum reuocetur à studio, deinceps ad studium non mittendus. Contra procurantes studia literis magnatum.

Cui etiam adijcimus statuendo, quod si quis de cætero ipsorum studentium, reclamante suo prælato, gradum ascenderit magistralem, pœna inobedientiæ puniatur in sui verecundiam manifestam: & aliter, prout suus prælatus eum duxerit puniendum. Graduãdus nemo sine Prælati sui licẽtia.

Item cum suadeat ratio naturalis vt vbi fuerit paritas in causis, sit & paritas in effectibus; fueritque alias in constitutionibus prouincialibus apud Northampton editis, titulo *de Studentibus*, ordinatum, quod Doctori Theologiæ, pro quo miserint præsidentes ad occupandum Cathedram magistralem, postquam iuxta statutum vniuersitatis Oxoniæ à tempore inceptionis suæ annum compleuerit in legendo, singulis annis, quibus postea Cathedram in loco nostro communi in Stockwellestreet situato, occupauit; de communi collecta solui debeant decem libræ; eandem ordinationem de pensione ipsarum decem librarum Doctori de communi collecta taliter persoluenda, etiam & ad Doctorem Theologiæ Cathedram occupantem in loco Monachorum Dunelm. super Candith situato, cum pro eo missum fuerit, iuxta formam in dicto titulo de Studentibus limitatam, præsentis auctoritate Capituli extendi statuimus, & mandamus. Honorariũ Doctorum regẽtium cathedram.

Ne studentes graduentur nisi sub doctore ordinis.

Præterea postulat equitas rationis, ordinis quoque connexio debita hoc requirit, vt vinus communitatis membra in simul adhereant adinuicemque nutriantur vigeant atque crescant; Quod si membrum aliquod à communitate subtraxerit semet gratis, illud ideo communitatis careat alimento: Hinc studentibus nostri ordinis precipimus vniuersis, ne quis eorum, quasi ab exteris mendicando, apicem Magistralem seu gradum alium scholasticum temptet ascendete, vel præsumat, sub Magistro aliquo seu Doctore, qui nostræ non fuerint professionis; Dũmodo in ipsa vniuersitate Doctor aliquis nostri habitus foret præsens, sub quo scandere poterit gradum huiusmodi scholasticum, seu etiam Magistratum Quod si quis nostri ordinis sub aliquo nostram religionem regulariter non professo, de cætero gradum assumpserit Doctoralem, eum decernimus eo ipso nullum fore de Collecta Communi subsidium ad suam inceptionem penitus habiturum; præter pænas alias talibus recipientibus magistratum, vel gradum scholasticum sub magistro extraneo, vt prefertur, tanquam discessionis filijs, seu priuignis à præsidentibus meritò infligendas.

ANNOTATIO.

Quuãis in manuscripto libro, vnde hæc statuta capitularia desumpsimus, non erat annotatus annus in quo fuerit capitulum celebratum: constat tamen ex eo, quod in istis erigatur de nouo Prior studentiũ Cantabrigiæ, cũ antea, nullus fuerit vt patet è capitulo anni 1343. cap. 19. de studentibus pag. 162. sed tantum Prior studentium Oxoniæ; in capitulo autem habito anno 1423. pag. 176. iam supponitur erectus, & ibidem querelas suas depromat, insinuetq; nondum monachis ædificatum fuisse hospitium commune Cantabrigiæ; cum iamdudum habuissent commune collegium Oxonij fundatum; præter particularia collegia Albaneuse, & Dunelmense, ibidem pro ipsis Abbatijs ędificata: quæ nunc vocantur, Aula Albanensis & Collegium Trinit. Hinc, inquam constare potest aperte, Capitulum istud celebratum fuisse post annum 1343. & ante annum 1423. Quare locus illi inter acta capitularia illorum annorum fuerat medius assignandus: sed ad nos missum est serius, prelo iam locum illum preteruecto.

Ioan. Spedus diligens historicus, in vltima editione Chronicorũ suorũ ostendit collegiũ Cantabrigense, quod nunc vocatur Magdalenense, vocatum fuisse collegium monachorum ante tempora Henrici 8. & vndecimo anno regni ipsius à Duce Buckinghamiæ pro eisdem monachis fuisse magnificè reædificatum. Hoc ergo putamus fuisse hospitium, quod ex huius capituli contribntionibus (vt apparet) postea fuit coemptum.

Scriptura LXXVI.

Ex antiquo M. S. Dunelmensi.

Hic incipiunt constitutiones Domini Papæ Benedicti duodecimi super ordine monachorum nigrorum. Epistola Abbat. ad alios Abbates & Priores

ABbates monasteriorum Beatæ Mariæ Eborum, & sancti Albani, ordinis Sancti Benedicti, Lincoln. Dioc. executores ad infra scripta à sede Apostolica specialiter deputati: Vniuersis & singulis Abbatibus & Prioribus Abbates Priores non habentibus: ac etiã Prioribus Cathedralium Ecclesiarum, seu maioribus in ipsis Ecclesijs Cathedralibus post antistites earundem, ordinis seu Religionis nigrorum monachorum, in Cantuar & Ebor prouincijs commorantibus, seu degentibus, salutem, & mandatis Apostolicis firmiter obedire. Noueritis nos litteras sanctissimi in Christo patris & Domini nostri, Domini Benedicti diuina prouidentia Papæ duodecimi, cum vera ipsius Domini nostri Papæ Bulla plumbea in filo canabis integra more Romanæ Cariæ bullatas, non vitiatas, non Cancellatas, non abolitas,

nec in aliqua sui parte corruptas; sed omni suspitione carentes, vt prima facie apparebat, nuper cum ea reuerentia, qua decuit, recepisse, tenorem continentes subsequentem.

Benedictus Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Beatæ Mariæ Eborum & Sancti Albani Lincoln Dioc. ordinis Sancti Benedicti Monasteriorum Abbatibus, salutem, & Apostolicam benedictionem. Paterne considerationis aciem ad salubrem statum ordinis seu Religionis Monachorum nigrorum attentius dirigentes: pro salute & prosperitate ipsorum, præhabita deliberatione matura, nonnulla statuta edidimus, & ordinationes fecimus, quæ voluimus, & mandauimus in eodem ordine, seu Religione, perpetuis futuris temporibus, obseruari. Et quia in eisdem statutis & ordinationibus inter alia duximus statuendum: quod in ordine seu in Religione præfata in singulis prouincijs, per nos in ipsis ordinationibus nouiter statutis, & etiam designatis, fiat de triennio in triennium prouinciale Capitulum Abbatum & Priorum Monasteriorum Abbates proprios non habentium; & etiam Priorum Cathedralium Ecclesiarum seu Religionis ipsius, seu aliorum maiorum in ipsis ecclesijs existentium post antistites earundem, apud vnum de monasteriis eiusdem ordinis ad hoc aptum, vel si hoc fieri non posset, apud alium locum ad hoc congruum, & securum, de quo monasterio, seu loco, & die primi Capituli huius celebrandi, & aliis ad id optime facientibus prouidere habent, qui super hoc per sedem Apostolicam forent deputati, prout in dictis ordinationibus plenius continetur: vt hæc executioni debite demandentur, vos, de quorum circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam optinemus, ad exequenda premissa, & alia infra scripta, in Cantuar & Ebor prouinciis, (quos quoad celebrandum nunc & imposterum huiusmodi prouinciale Capitulum pro vna volumus & statuimus reputare prouincia,) tenore presentium deputantes; discretioni vestræ auctoritate Apostolica committimus, districtius iniungimus, vt pro celebrando hac prima vice huiusmodi Capitulo. in dicta prouincia per nos vt præmittitur designata, aliquod monasterium eiusdem ordinis seu religionis ad hoc aptum, si in ea valeat reperiri; alioquin locum alium ad hoc congruum, & securum, & diem ad id etiam congruum, cum continuatione dierum sequentium, eligentes; Abbates, Priores, & alios prenominatos ad Capitulum conuocare curetis, diem, & locum prædictos eis per vestras litteras nihilominus intimantes & quod in ipso primo instante Capitulo miss[illegible]s solempniter celebrari, sermones cōuenientes ad dictum Capitulum fieri prouide ordinando; Eodemque Capitulo congregato faciatis aliquas personas idoneas per ipsum Capitulum eligi, qui in dicto primo Capitulo præsideant, eaque faciant, & adimpleant, quæ iuxta huiusmodi nostras ordinationes, vel alias, sunt per præsidentes huiusmodi prouincialibus Capitulis facienda Statuta quoque & ordinationes huiusmodi, quæ vobis, & dicto Capitulo sub bulla nostra transmittimus, in eodem Capitulo publicetis, ac legi & auscultari integraliter faciatis. Omnes Abbates, Priores, & alios prędictos conuenientes ad Capitulum memoratum, necnon procuratores absentium mouendo, & si necesse fuerit compellendo, vt ipsorum statutorum seu ordinationum copiam sub autentica scriptura recipiant; Illa ad ecclesias, Monasteria seu loca ipsorum fideliter delaturi atque etiam in dictis ecclesijs monasterijs atque locis faciant ea diligentius custodiri ac etiam obseruari. Volumus & per dictum primum Capitulum prouideri de loco ad hoc accomodo, & securo eiusdem prouinciæ, vbi liber ordinationum, seu statutorum nostrorum huiusmodi, bulla nostra munitus, perpetuis futuris temporibus diligenter debeat conseruari. Statuta etiam in prouincialibus seu cōmunibus. Abbatum & Priorum prædictorum dictarum Cantuar & Ebor prouinciarum vel alicuius eorum Capitulis olim facta, portari per eos, qui illa habuerint, ad prefatum primum Capitulum, & ipsa per aliquos ab eodem Capitulo deputandos examinari, cum diligentia faciatis: & quæ de illis (quæ tamen nostris prędictis ordinationibus non obuient) in ipsa vestra prouincia obseruari debeant, in sequenti eiusdem prouinciæ Capitulo ordinetur. Deinde ad ecclesias Cathedrales, Monasteria, & alia loca conuentualia eiusdem ordinis, seu Religionis infra eandem prouinciam existentia, coniunctim & diuisim, per diuersas partes, prout adinuicem conueneritis, personaliter accedentes: de ipsorum, nec non membrorum suorum facultatibus, & quot monachi esse consueuerunt in eisdem, quot etiam de dictis facultatibus (incumbentibus eis supportatis oneribus) commode valeant sustentari, diligenter inquirere, nos que de premissis per diligentem & fidelem relationem plenariè informare curetis: vt consideratis facultatibus, & oneribus supradictis, certum in eis monachorum numerum statuere valeamus Insuper certos, & perpetuos reditus pro pensionibus, magistris, seu instructoribus, ac monachis mittendis ad studia, necnon pro suppletione officiorum, & administrationum in sufficientium assignandis, secundum formam & modum quæ in eisdem ordinationibus exprimuntur.

Litteræ pales ad Abbates Beatæ Mariæ Ebor, & Sancti Albani Linc. Dioc.

Deputātur pro executione Abbates Eborac. & Albanensis.

Quid debeant in primo capitulo facere.

Status monasteriorū post capitulū inquirēdus.

muntur. Necnon vt in exequendis p'e nissis vos non contingat expensis proprijs pregrauari, pro diebus singulis, quibus post prædictum Capitulum c lebratum in prædictæ executionis prosecutione fueritis, eundo, morando, & redeundo, cuilibet vestrum exigendi & recipiendi octoginta Turonen argenti duntaxat ab ecclesijs, monasterijs, alijs que locis prędictis Conuentualibus, & membris eorum congrua per vos, vel vestrum alterum de illis inter ecclesias monasteria loca & membra prędicta distributione facta: Ita quod nihil aliud vltra octoginta Turonen. prędictos, vos, aut familiares vestri, ab ecclesijs, monasterijs, locis, vel membris prædictis, vel a prelatis, seu quibusuis personis ipsorum, petere, exigere, vel etiam à volentibus soluere seu dare, recipere præsumatis. Alioquin pænis contra visitatores in prouincialibus Capitulis deputandos ac familiares eorum, præter expensas eis in victualibus ministrandis, pecuniam aut munera recipientes, ex dictis constitutionibus & ordinationibus nostris inflictis, vos & familiares vestros prædictos volumus subiacere. Contradictores quorum in premissis, vel aliquo premissorum, per censuram ecclesiasticam, & alia oportuna remedia compescendo; non obstantibus quibuscunque statutis, & consuetudinibus Cathedralium ecclesiarũ, monasteriorum & aliorum locorum eiusdem ordinis, seu Religionis prouinciæ prędictę, contrarijs iuramentis, confirmationibus Apostolicis, aut quibusuis firmitatibus alijs roboratis, seu si aliqui super prouisionibus sibi faciendis de beneficijs Monachalibus eiusdem ordinis in eadem prouincia speciales vel generales Apostolicæ sedis, vel eius legatorum litteras impetrauerint, etiam si per eas, ad inhibition m, reseruationem, & decretum, vel alias quomodolibet, sit processum Quas quidem litteras, & processus habitos per easdem, ad beneficia, quæ per vos pro premissis iuxta easdem ordinationes assignata fuerint, volumus non extendi. Aut si Abbatibus, Capitulis, s u Prioribus supradictis communiter, vel diuisim ab eadem sit sede cõcessum, quod eis, seu ipsorum monasterijs, aut locis aliquæ pensiones imponi, vel in illis constitui, seu quod ad contributionem vel solutionem quarumlibet procurationum, seu talliarum, vel impositionum huiusmodi minime teneantur; & ad id compelli, seu si ipsis coniunctim vel separatim a prefata sede indultum existat, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de concessionibus seu indultis huiusmodi mentionem; aut quibuscunque constitutionibus, ordinationibus, vel statutis, priuilegijs, indulgentijs, vel litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus contrarijs, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, earum affectus impediri valeat quomodolibet, vel differri; & de quibus quorumcunque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, plenam & liberam concedimus tenore præsentium potestatem. Volumus autem, quod etiam de his, quæ circa assignationem dictorũ redditũ pro pensionibus Magistro, seu instructori claustralium Monachorum ac monachis mittendis ad prædicta studia impendendis, necnon de redditibus s u pensionibus officijs seu administrationibus in sufficientibus supradictis applicandis, seu etiam vniendis duxeritis ordinanda, & de alijs circumstantijs eorundem, nos per vestras litteras curetis similiter planariè informare. Quod si non ambo premissis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Cæterum, quia pro dictorum statutorum & ordinationum expeditione dilectos filios Bernardum de Genebreda de Iongauilla, & Iohannem de Flisco sancti Pauli de Cada ionis Cluniacen. & sancti Benedicti ordinum, Rotomagen. & Vauren. Dioc. Prioratuum Priores, in Romana Curia prosecutores, per alias nostras litteras duximus deputandos; & eis inter alia exigendi, ab Abbatibus, Capitulis, Prioribus & alijs administratoribus eiusdem ordinis, seu religionis, de quibus videretur eisdem, pro præmissorum expeditione certas pecuniarum summas, & taxandi, & distribuendi inter dictas prouincias quantum videlicet quelibet prouincia per nos destinata de expensis per eos in scriptis aut alias premissorum occasione factis soluere teneatur, liberam dedimus potestatem: Volumus, & mandamus vt tam vos, quàm pręsidentes. primo prouinciali Capitulo, cæterique Abbates eiusdem prouinciæ, taxationem per eos in ipsa vestra prouincia impositam, soluere, & alias circa hæc eorum mandatis deuote & efficaciter parere curetis. Datum Auinion. Idus Decemb. Pontificatus nostri Anno secundo.

Expensæ exequutoribus assignatæ. *Contra obsistẽtes.* *Non obstantibus.*

Nos igitur volentes mandatis Apostolicis, sicut decet, humiliter obedire, Auctoritate dictarum litterarum, Monasterium sancti Andreæ in Northampton. dicti ordinis seu Religionis Lincoln. Dioc. ad celebrandum in eodem dictum primum Capitulum iuxta dictarum continentiam litterarum & ad faciendum cætera quę in ipsis litteris continentur decimo die Mẽsis Iunij cum continuatione & prorogatione dierum sequentium deliberatione pręhabita diligẽti concorditer duximus eligendum. Quem quidem locum pro eo quod quasi in medio Regni cõ-

Indicũt capitulum Abbates deputati.

sistit

sistit congruum & securum, & dictum diem terminum competentem attentis locorum distantijs reputamus. Quocirca vobis omnibus & singulis auctoritate, qua fungimur in hac parte, de qua vobis copiā fieri, si eam congrue petieritis, decernimus, vt tenemur, in virtute obedientiæ qua dictæ sedi tenemini firmiter iniungendo mandamus, Vosque & vestrum quemlibet tenorē præsentium, quas latori earundem ilico tradi volumus, peremptoriè citamus, quod dictis die & loco cum continuatione & prorogatione dierum sequentium compareatis & compareat vestrum quilibet celebraturi & celebraturus tunc nobiscum dictum primum Capitulum prouinciale; audituri etiam & auditurus in ipso Capitulo publicationem & lectionem statutorum & ordinationum, de quibus in dictis litteris memoratur, ipsorumque copiam, & quicquid vlterius in dicto primo Capitulo per præsidentes eidem ad Dei laudem & honorem rationabiliter fuerit ordinatum, recepturi & recepturus. Ac etiam vlterius facturi & facturus quod dictarum litterarum tenor exigit & requirit. Insuper cuicunque vestrum, qui statuta in prouincialibus seu comitiatibus Abbatum & Priorum prædictorum dictarum Cantuar & Ebor prouinciarum seu alicuius earundem Capitulis facta habuerit, auctoritate prædicta iniungimus & mandamus, quatinus ipsa statuta dictis die & loco ad dictum Capitulum secum deferat, seu transmitti per alium faciat, si ad dictos diem & locum personaliter accedere iusto impedimento ipsū cōtigerit impediri: vt tunc de ipsis statutis fieri valeat, prout est in dictis litteris ordinatum. Si vero dictis die & loco legitimo impedimento detenti, seu quiuis vestrum detentus, nequiueritis vel nequiuerit personaliter interesse nihilominus eisdem die & loco cum continuatione dierum sequentium per vnum Commonachum ad faciendum omnia & singula, quæ superius in hoc nostro mandato, quinverius Apostolico, continētur, & vobis omnibus & singulis iniunguntur, procuratorem legitime constitutum, habētem inter cętera potestatem faciendi plenam fidem de impedimento huiusmodi, coram nobis studeatis, & studeat vestrum quilibet comparere, de die vero receptionis præsentium, & quid feceritis & fecerit vestrum quilibet in premissis vnacum causis absentiæ si vos vel vestrum aliquem dictis die & loco abesse cōtigerit faciatis & faciat, nos eisdem die & loco vestris vel suis litteris certiores. Scituri quod si huiusmodi nostris mandatis, quin verius Apostolicis, non parueritis & paruerit vestrum quilibet cum effectu, contra vos & vestrum quemlibet, in quantum de iure poterimus, iuxta dictarum litterarum exigentiam procedemus. Datū quo ad nos Abbatem Monasterij Beatæ Mariæ Ebor in eodem monasterio decimo die mensis Martij Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo. Et quo ad nos Abbatem Monasterij sancti Albani predicti apud sanctum Albanum septimo decimo die mensis eiusdem Anno Domini supradicto. Benedictus Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs vniuersis Abbatibus Prioribus Decanis alijsque personis ordinis seu Religionis Monachorum nigrorum, in proximo ipsorum prouinciali Capitulo in Cantuar & Ebor celebrando prouincia congregandis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad salubrem & fælicem statum ordinis & Religionis Monachorum nigrorum paternę considerationis intuitum attentius dirigentes pro salute, & prosperitate illorum præhabita deliberatione matura: nonnulla stt auta edidimus & ordinationes fecimus, quæ voluimus & mādauimus ac volumus & mandamus vbique infra ordinem seu religionem huiusmodi perpetuis temporibus firmiter obseruari, prout in eisdem statutis, & ordinationibus bulla nostra munitis plenius continentur. Quocirca vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus ordinationes, & statuta prædicta cum multa maturitate digesta & in vnam compilationem redacta, quam sub eadem Bulla nostra vobis transmittimus, prompto & deuoto suscipientes, affectu, ipsa vtpote spiritualem profectum vestrum & totius ordinis decorem respiciētia, memorati efficaciter obseruetis, & quantum ad vos pertinuerit faciatis per alios obseruari, vt luceat lux vestra coram hominibus in bonis operibus, & in eis pater cælestis iugiter collaudetur. Datum. Auinion. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno tertio.

Aliæ litteræ Papales prefixę Benedictionis statutis.

Scriptura LXXVII.

Fundatio Abbatiæ S. Dogmaelis ordinis Tyronensis in VVallia in agro Pombrochiensi, ex Turre Lond. patent. 7. Henrici 4. parte 2. M. 24.

Edwardus Rex primus.

REX &c. Inspeximus Cartam Domini Henrici quondam Regis Angliæ senioris, quã fecit monachis de Tyron in hæc verba. In nomine sanctæ & indiuiduę Trinitatis Ego Henricus Rex Angliæ & Dux Normanniæ pro remissione animæ meæ & prædecessorum meorum Concessi monachis de Tyron vxore mea Adelaide olim concedente, quecunque Robertus Martini filius eisdem monachis vel dedit vel daturus est quieto iure ac perpetuo possidenda sicut infra in præsenti membrana scriptum. Ego Robertus filius Martini de superna cogitans retributionę vxore mea Matilde concedente vel potius monente pro sanctæ ecclesiæ exaltatione in terra mea de Gualis Tyronensium monachorum paupertati compatiens, Monasterium in honore Sanctę Dei genitricis semper Virginis Mariæ constituens, nonnullis fratribus ibi religiose conuersantibus Abbatem eis preponi à Domino Abbate Wlilielmo, & omni Conuentu Tyronensi, Deo auxiliante, tandem multis precibus impetraui, quorum necessitatibus iuxta possibilitatis meæ vires concurrere cupiens, venerando Anglorum Rege Henrico adhortãte, ac pariter & quę daturus sum quieta ac libera iure perpetuo Abbati & eius Monachis eorumque successoribus possidenda concedente, Ita vt in eadem Abbatia nihil ab aliquo potestate sæculari possit contra Canonicam auctoritatem institui, scilicet nec ab ipso Rege, nec ab eius quolibet Principe aut eorum aliquo successorum. Dedi eis antiquam ecclesiam sancti Dogmahelis cum possessione terræ eiusdem ecclesiæ adiacente, cuius nomen est Landodog in prouincia Rames &c. Et alia (bounded.) Dedit denique eisdem Monachis Mater mea Insulam Pyr, quæ alio nomine Caldea nuncupatur, quam à Domino meo Rege mihi datam, matri meæ dederam, quod vtique libens concedo. Et in Anglia dedi eis quoddam manerium nomine Ratren. Hæc igitur omnia quamuis in diuersis temporibus dederim, tamen in ordinatione Abbatis solemniter donatio hæc facta est ea die qua primus eiusdem loci Abbas Fulchandus nomine, à Domino Bernardo Meneuensis ecclesiæ Episcopo intronizatur in sede sua, & concedente eodem Episcopo quicquid de decimis meis eidem Abbati dederam tam de frugibus quàm de animalibus. Data tertio Idus Septembris. Teste eodem Bernardo Episcopo, atque Domino Abbate Tyronensi W. Necnon & Ricardo filio &c.

Scriptura LXXVIII.

Fundatio Prioratus Pullæ ordinis Tironensis in agro Pembrochiensi pat. 3. Henrici 6. parte 2. M. 22.

REX Archiepiscopis &c. salutem. Inspeximus Cartam quam Adam de Rupe fecit Deo & Sanctæ Mariæ & sancto Budoco & Monachis de ordine Tyronensi in Monasterio de Pulla Deo seruientibus in hæc verba. Sciant vniuersi Sanctæ Matris Ecclesiæ Filij præsentes & futuri quod ego Adam de Rupe diuina confidens remuneratione pro Sanctæ Ecclesiæ exaltatione, Monasterium in terra mea de Pulla ad honorem sanctę Dei genitricis semperque virginis Mariæ constituens consensu & assensu hæredis meæ, vxore etiam mea Blandina concedente pro salute animarum nostrarum, patrum nostrorum & omnium Antecessorum & successorum nostrorum, dedi & Concessi & hac mea præsenti Carta confirmaui Deo & Sanctæ Mariæ & Sancto Budoco & Monachis de ordine Tyronensi ibidem Deo seruientibus, vnam Carucatam terræ &c.

Et quia hæ donationes ad prędicti Monasterij ædificationem & ad honestam præfatorum monacho

monachorum sustentationem minus sufficiunt. Dedi eis & concessi omnes ecclesias terræ meę scilicet, ecclesiam Sancti Kiwic de Steintona, & ecclesiam Sanctæ Mariæ de Rupe, & ecclesiam Sancti Dauid de nouo Castello, & ecclesiam Sancti Nicolai de noua mota, & omnes ecclesias totius Conquesti mei cum omnibus pertinentijs & libertatibus suis, & decimas omniũ molendinorum meorum, Has igitur prenominatas terras, ecclesias, decimas & libertates dedi eis & Concessi in puram & perpetuam Eleemosinam liberam & quietam ab seruitio & exactione sæculari, sicut aliqua eleemosina potest melius & liberius exhiberi, Et vt hæc mea Donatio rata & stabilis permaneat, Sigilli mei appositione præsens scriptum corroboraui, His Testibus, Andrea Abbate de sancto Dogmaele, Ricardo Mangunel. Ricardo de Huscart.&c.

Scriptura LXXIX.

Ex manuscripto Roffnsi, cuius hic erat titulus: Registrum VVilielmi VVold Prioris. Est procuratoria absentis à capitulo.

VEnerabilibus in Christo patribus ac Dominis Dei gratia Capituli prouincialis ordinis sancti Benedicti nigrorũ monachorum in Anglia præsidentibus eorumue cõmissarijs seu loca tenentibus quibuscunque Frater Willelmus diuina miseratione Abbas exempti Monasterij sancti Albani eiusdem ordinis Lincolniensis Diocesis Salutem. Cum omnium reuerentia & obedientia tantis patribus debito cum honore. Quia Capitulo vestro prouinciali die lunę videlicet primo die mensis Iulij proximo iam instanti cum continuatione dierum tunc sequentium apud Northampton. Celebrando ex mandato Domini nostri Regis Angliæ ad interessendũ creationi Domini Edwardi ipsius primogeniti in principẽ wallię necnon varijs & legittimis impedimentis & ecclesiæ nostræ negotijs superuenientibus multipliciter prępeditus personaliter interesse nequeo: Reuerendum in Christo patrem & Dominum, Dominum Abbatem Westmonasterij,meum verum & legittimum procuratorem,excusatorem & nuncium specialem ordino, facio & constituo per præsentes, dans & concedens eidem procuratori meo potestatem generalem & mandatum speciale pro me & nomine meo in dicto Capitulo prouinciali coram vobis vestrisue Commissarijs comparendum & interessendum Causam seu causas absentiæ meæ & impedimenti meipredicti, allegandũ & proponendum, ipsam causam seu Causas fore veram seu veras in animam meam iurandum, ac etiam vobiscum vestrisue Commissarijs & alijs prælatis tunc ibidem existentibus de his, quæ ibidem ad honorẽ Dei Cultus diuini augmentationem & obseruantiam regularem contigerit ordinari, tractandum,& eisdem consentiendũ, necnon omnia alia & singula faciendum, exercendum, & expediendum quæ circa premissa & premissorum aliquod necessaria fuerint vel opportuna; promittens me ratum & gratum habiturum quicquid idoneum procurator meus nomine meo in premissis duxerit faciendum sub hypotheca, & obligatione omnium bonorum meorum, & Monasterij nostri predicti. In cuius rei testimonium sigillum meum præsentibus est appensum. Dat. &c.

ANNOTATIO.

Quamuis non fuerit addita temporis nota: constat tamen hoc capitulum, à quo absuit Albanensis Abbas, fuisse anno 1346 eo enim anno Eduardus vocantus Princeps Niger filius Eduardi tertij suscepit à patre suo ordinis equestis insignia, per solemnem ceremoniam, inclytamque pompam Walliæ Princeps creatus.

Scriptura LXXX.

Ex veteri M. S.

Commißio visitationis.

IOANNES permissione diuina Abbas Monasterij de Selby ordinis Sancti Benedicti Eborũ Diocesis Monasteriorum ac prioratuũ eiusdem ordinis in Eborum prouincia per generale capitulum nigrorum monachorum apud Northampton vltimo celebratum visitator deputatus: dilectis nobis in Christo Fratri Ioanni de Branby Priori Monasterij nostri & Bacchalario in Theologia, ac Fratri Willelmo Pygot commonachis nostris salutem in Domino sempiternam. Quia vero pro præsenti sumus legitime prepediti quominus personaliter huiusmodi nobis iniuncto visitationis officio possimus intendere, ad visitandum nomine nostro Monasteria ac prioratus supradicta tam in capite quam in membris, ac inquirendum de statu eorundem, & obseruantijs regularibus corrigendis & reformandis, quę corrigenda & reformanda fuerint, in eisdem, ac etiam faciendum, exercendum, & exequendum omnia & singula, quæ huiusmodi visitationis officium exigit & requirit, vobis & cuilibet vestrum coniunctim & diuisim vices nostras committimus per præsentes, cum cuiuslibet coertionis canonicæ potestate. In cuius rei testimonium sigillum nostrum pręsentibus est appensum, datum in Monasterio nostro supradicto, decimo die mensis Iunij anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo sexto.

Scriptura LXXXI.

Ex archiuis Turris Londinensis.

Ex bundello petitionum Parliamenti, tempore Edoardi tertij.

Regi nostro maxime tremendo.

SVpplicant humiliter eius pauperes fideles oratores Prior & Conuentus monachorũ Thetfordiæ ordinis Cluniacensis, quod cum ante hac collatione dicti Prioratus pertinente ad Abbates Cluniacenses, Priores & plurimi alij monachi in eo existentes fuerint alienigenæ, & ita dicta domus deputata fuerit alienigena, nunc autem euenerit, vt Prior omnesq; monachi dicti loci sint legales & veri Angli nati & nutriti intra regnum, & nihil apportent extra: & auxilio Dei, & aliquorum deuotorum sæcularium (qui sumptus fecerunt) dicti pauperes religiosi acquisiuerint & impetrauerint liberam electionem, sibi & successoribus suis perpetualiter habendam; & quod Prior semper cõfirmetur hic, absque eo quod mare transire debeat: ità vt deinceps dictus prioratus semper mansurus sit, si Deo placeat, totaliter sub gubernatione & administratione personarũ, qui sint veri & legales Angli: Placeat vobis propter Deum, & in opus charitatis, & in releuationem dictæ pauperculæ domus, (quæ propter simpliciratem, & minus cautam

A nostre tres-redoté S. le Roy.

SVpplient humblement ses poueres lieges oratours les Priour & Conuent des Moynes de Thetford de l'ordre de Cluny, que comme auant ces heures la collaçun de la dite Priorie appartenante as Abbez de Cluny, les Priours & pluseurs autres, des moynes estantz en icelle ayent esté personnes alienes, & quely la dite meison ayt estée reputée aliene, & ore soit ensy que le Priour & tous les Moynes en dit lieu sont loyalx & vrays Anglois neez & norriz dedens le Royalme & riens ne apportent pardelà, & par l'ayde de Dieu & de ascunes personnes seculers qount de leur bonne deuocion fait les custages, les diz poueres religieux ont acquis & impetrez franche elecciõ, A auoir à eux & à leur successours à tousiours, & que lour Priour sera toudiz conferme pardecéa sanz passer la mer: ensy que la dicte priorie doremes demorera toudiz, si Dieu plest, tout entierement sous gouuernance & administration, des personnes vrays & loyalx englois: Il vous plese pur Dieu, & en oeuer de charité & en releuacion de la dite pouere meson

cautam gubernationem Priorum & aliorum monachorum alienigenarum, qui in ea fuerint, & propter grandia onera super imposita ei illorum tempore, fere annihilata fuit, & ad destructionem perducta; ordinare & stabilire in hoc præsenti parlamento, quatenus deinceps ipsa domus reputetur denizata & libera in omnibus casibus, quodque nullũ onus aut impositio in vllo tempore venturo imponatur aut tanquam debitum exigatur à dicta domo, nisi tãtũ eo modo quo fit aliis domibus religiosis regni nostri Anglicis & denizatis, seu Anglicani iuris libertate fruentibus.

meson, laquelle par simplesse & meynes auisée gouernance des Priours & autres moynes aliens qui y ount esté, & par les grandes charges surmises à icelle en leur temps, à esté bien pres anyenté, & mys à destruction; ordiner & establir ores en ceste present parlement, que doremes elle soit tenue & reputée denizeine en tous cas; & que nulle charge ne imposition ne soit en nul temps auenyr mys ne chalangée deüe sur la dite meson, fors que ensy come sera dautres mesons religieux du nostre royalme vrays Anglois & denizennes.

Scriptura LXXXII.

Ibidem in eodem bundello.

REGI Domino nostro & honorando concilio ipsius supplicant deuoti ipsius capellani Prior & Conuentus de Spalding: quod cũ teneantur obnoxij & fortiter astricti pro vna pensione anuali confirmata per sedem Apostolicam sub valde grauibus censuris sanctæ ecclesiæ, Abbati Andegauensi, pro pensione annali quadraginta librarum; quæ pensio est fisco regis adiudicata & thesauro illata inter alias possessiones alienigenarum durante bello; & nihilominus dictus Abbas post hoc nouissimum bellum iam inchoauit grauissimum processum cõtra dictum Priorem & Conuentum pro dicta pensione & arreragijs eius (quæ accedunt omnia ad summam 280. librarum, pro toto tempore belli huius) in curia Romana, quo ipsi oratores non possint habere recursum nec defensionem per ordinem iuris in hoc casu, nec vt admittatur dicta solutio Regio Fisco facta: Placeat itaque regali maiestati vestræ, per viam charitatis, & saluationis Sãctæ domus conueniens remedium apponere, & quod non post hac compellantur adducere duplicem solutionem tam gradis summa, in prope tuam distinctam, pauper

A Nostre Sire le Roy & son tres-honorable Counseil Supplient ses deuoutz chapeleyns Priour & Couent de Spalding, que come ilz soyent tenuz & fortaent obligez per vne empension annuele conforme par lapostеille sur moult greuouses censures de seinte Esglise al Abbé D'aungiers en vne empension annuele de quarant liures, laquele empension est pris en la main le Roy entre les autres possessions des aliens durant la guere & payez à son eschequir: & nient meins le dit Abbé adya cõmẽce depuis ceste nouelle guerre greuouse processe contre les ditz Priour & couent pur meisme l'empension, & les arrerages dicelle quamonte à deux cents & quateruintz liures de tout le dit temps de guerre, en la court de Rome, ou ils ne pount auoir recours ne dofens per cour de droit en ceste cas ne allouance del dit payement fait aut Roy: Plaise à sa Royale Maiesté par voye de charité & en socour & saluacion de seinte Esglise couenable remedy sur ce mettre, & qilz ne soient issint compulses à charge de trere double payement de si grosse summe endestruction perpetuele de leur poure Esglise.

Scriptura LXXXIII.

Ex veteri M. S. quod est penes C.D. Ricard. S. Georgij Fecialem.

Ecclesia Cath. wigornienfis.

ALtitonantis Dei largiflua clementia qui est Rex regum & Dominus, Ego Edgarus Anglorum basileus omniumque regū Insularum Oceani, quę Brittanniam circumiacent, omniumque nationum quæ infra eam includuntur Imperator & Dominus, gratias ago ipsi Deo omnipotenti Regi meo, qui meum imperium sic ampliauit, & exaltauit super Regnum patrū meorū, qui, licet Monarchiā totius Angliæ adepti sint à tempore Athelstani, qui primus regum Anglorum omnes nationes quæ Britanniam incolunt sibi armis subegit; nullus tamen eorum vltra eius fines imperium suum dilatare aggressus est. Mihi autem concessit propitia diuinitas cum Anglorum imperio omnia regna Insularum Oceani, cum suis ferocissimis regibus vsque Noruegiam, maximamque partem Hiberniæ cum sua nobilissima Ciuitate Dublinia Anglorum Regno subiugare, quos etiam omnes meis imperijs colla subdere Dei fauente gratia coegi. Quapropter & ego Christi gloriam & laudem in regno meo exaltare & eius seruitium amplificare deuotus disposui, & per meos fideles fautores Dunstanum videlicet Archiepiscopū, Athielwoldum, ac Oswaldum Episcopos quos mihi patres spirituales & Cōsiliatores elegi, magna ex parte secundum quod disposui perfeci. Siquidem temporibus Antecessorum meorum Regum Anglorum monasteria tam monachorum quam virginum pro remedio animæ meæ reparare, & seruorum & Ancillarum Dei numerum multiplicare deuoui. Et ipsis supradictis in eis Cooperatoribus strenuè annuentibus, iam quadraginta & septem monasteria cum monachis & Sanctimonialibus constitui. Et, si Christus tam diu mihi vitam concesserit, vsque ad quinquagesimum remissionis numerum meę deuotę Deo munificentiæ oblationem protendere decreui. Vnde nunc in præsenti monasterium, quod prædictus reuerendus Episcopus Oswaldus in sede Episcopali Veogriceanstriæ in honore Sāctę Dei genitricis Mariæ amplificauit, & eliminatis Clericorum * venijs, & spurcis lasciuijs, religiosis Dei seruis monachis meo consensu, & fauore suffultus locauit: Ego ipsis monasticę religionis viris Regali auctoritate confirmo, & consilio, & astipulatione principum & optimatum meorum corroboro & consigno, Ita vt iam amplius non sit fas neque ius Clericis reclamandi quicquam inde, quippe qui magis elegerunt cum sui ordinis periculo, & ecclesiastici beneficij dispendio suis vxoribus adherere, quā Deo caste & Canonice seruire. Et ideo cuncta quæ illi de ecclesia possederāt cū ipsa ecclesia, siue ecclesiastica siue sęcularia tā mobilia quā, immobilia ipsi Dei seruis monachis ab hac die perpetualiter Regia munificētia, Iure deinceps possidēda trado, & consigno, ita firmiter, vt nulli principū, nec Episcopo succedenti fas sit aut licitum, quicquā inde subtrahere aut peruadere, aut ab eorum potestate surripere, & in Clericorum ius iterum traducere, quā diu fides Christiana in Anglia perdurauerit. Sed & dimidium Centuriatum quod Anglicæ vocatur Cudburigelayes hundred, ad quod iacent quinquaginta hidæ in Croppodorme, quas Offa Rex Merciorum quōdam familiæ in Weogerieceastria donauit liberas ab omni regali exactione, ego ipsis Dei seruis cū eadem libertate trado & conscribo. Insuper etiam ad supplendū ipsum Centuriatum id est hundred, vt ex meo dono illud plenum habeant, terras ipsius ecclesiæ, quæ hactenus Regiæ exactioni subiacebant, ab hac die imperuum liberabo, & liberas esse concedo & precipio: Eas vz quæ sunt vltra Auonę flumen, quæ istis vocabulis nominantur, Werabreodum cum Pleonedoc, Teotnitim cum mutune, Sergesbearmye & in monte wytisca, Noudswica, Eowenlaud, Doegltesforied, & Doriene, & Ittacumb, & in Ripa Sture fluminis Stepwoeficun, & ibi iuxta eam Blatwoelle, & in Occidentali parte Sabrine Grynnauloege cum vecclage, & Cinhrawice, & Hallege cum sibi pertinentibus: Et item Heriefoydtun iuxta Auone pro supplendo vt supradiximus Centuriatu id est Humdred, Deo & sanctæ Dei genitrici Mariæ ad vsum seruorum eius Monachorum, scilicet liberas dono & quietas esse precipio deinceps & imperpetuum, ab omnibus sæcularium reparationibus duris & leuibus, & ab omni seruitute & exactionibus fiscalibus magnis & modicis, notis & ignotis, tam Regis quam Principis & ministrorum, atque exactionibus eorum, exceptis, pontis & arcis Constructione & expe-

* forte: venereis.

& expeditione contra hostem. Habeatque Wulsinus venerabilis sacerdos, quem ipse Episcopus Oswaldus, me fauente, & autoritatem regiam præstante, in sede Episcopali monachis præposuit, quamdiu ipse vixerit, omnesque post eum successores eius Hundredam cum omnibus debitis, quæ Rex antea in ea habuit, & ius & potestatem earundem possessionum, cũ Tolle, & Teame, Sacca & Socca, & Infangtheof, & proprij Iuris, debitum transgressionis, & pœnam delicti, quæ Anglicè dicitur Ofensbeynes & guyltie; Nec sit phas aut potestas cuiquam præpositorum, seu exactorum, vel ministrorum meorum, nec alicui principi, vel ex succedentium numero Pontifici, hanc meæ munificentiæ libertatem, & concessionis firmitatem in aliquo minuere, vel infringere.

Scriptura LXXXIV.

Ex Antiquo manuscripto ecclesiæ Christi Cantuariæ, quod habetur in palatio Dunelmensi Londini.

Decreta D. Lanfranci pro ordine S. Benedicti.

LAnfrancus indignus sanctæ Dorobornensis ecclesiæ antistes, dilectissimis fratribus suis Henrico priori, & cæteris salutem & benedictionem. Mittimus vobis nostri ordinis consuetudines scriptas, quas excerpsimus ex consuetudinibus eorum cœnobiorum, quæ nostro tempore maioris auctoritatis sunt in ordine monachorum. Addidimus quoque perpauca, & mutauimus nonnulla, & maximè in celebrandis quibusdam festis, excellentius in nostra ecclesia oportere ea agi censentes, propter primatem sedem. In quibus nec nobis qui præsentes sumus, nec ijs qui post nos venturi sunt, in aliquo præiudicamus, vt non vel eis addere, vel ab eis tollere, vel in eis permutare aliqua valeamus, si aliter ea commodius posse fieri, vel magistra ratione, vel doctiorum auctoritate intelligamus. Quantumlibet enim quisquã proficiat, maximus ei defectus est existimare se vltrà non posse proficere: nam numerus fratrum auctus vel diminutus, facultates locorum, varietates rerum, quæ sæpe eueniunt, diuersitates sensuũ, quod alij quidẽ sic, & alij sic intelligunt, pleraque diu seruata, plerumque aliter ordinari cõpellunt; hinc est quod nulla fere ecclesia imitari aliam per omnia potest: Illud tamen cautissimè attendẽdum est, vt ea sine quibus anima saluari non potest, omnibus modis inuiolata seruentur, fidem dico, contemptum mundi, charitatem, castitatẽ, humilitatem, patientiã, obedientiam, de perpetratis culpis penitudinem, earumque humilem confessionem, frequentes orationes, competens silentium, multaque in hunc modum; hęc vbi seruantur, rectissime potest dici regulã beati Benedicti, & monachorum ibi ordinem custodiri, quoquo modo varientur cętera, quæ pro arbitrio diuersorum in diuersis sunt cœnobijs instituta: cuiusmodi sunt quod in præcipuis sollemnitatibus alibi in tunicis tantum, quos frocos vocãt, & alibi in albis & cappis cãtores ad Vesperas responsorium canunt; quod in eisdẽ festiuitatibus in alijs locis in albis solummodo, & in alijs cappis etiam induti procedunt; quod in quibusdam cœnobijs viceni, vel triceni, aut plus, aut minus simul in alueis, & in quibusdã singuli in singulis catinis pedes in claustro ante mandatum abluunt; quod pleraque monasteria mense Februario, transacta beatæ Marię festiuitate, officiũ mortuorum post vesperas dicere incipiunt, & pleraque vsque ad septuagesimam præstolantur. Huius generis plurima alia existũt, quæ pro sui prolixitate breuiter enumerari non possunt: Hæc tamen ipsa, postquam seruanda subiectis à pastoribus ordinãtur, ab ijs, quorum tota vita in obedientia sita est, sine culpa minime violãtur. Inde vero nemo turbetur, quod in tractatu earum consuetudinum nomen Abbatis tantum, non Episcopi vel Archiepiscopi, ponitur: Ordo quippe monachorum describitur, quorum per Abbates frequentius, quam per Antistites vita disponitur: Quamuis & ipsi Antistites, si paternam curam vice Christi subiectis suis impendant, non absurde Abbates, id est Patres, cõgruo suis actibus vocabulo appellari queant. Deus pacis, & dilectionis vobiscum maneat, & ipse pace & dilectione sua vos repleat, & ab omnibus peccatis clementer absoluat. Amen. Amen.

CAPVT PRIMVM.

Ordinarium totius anni.

§. 1. *Ab Octobri ad Aduentum Domini.*

Kalendis Octobris remaneat meridiana quā facere solent monachi in æstate, à Dominica prima huius mensis cantetur & legatur de libris Machabeorū vsque ad festiuitaté omnium Sanctorū, canantur Hymni Dominicis diebus vsque ad Aduentū Do... ini ad nocturna *Primo dierum omnium*, ad Laudes *Æterne rerum conditor.* Priuatis diebus post Matutina vsque ad festiuitatem omnium Sanctorum reuertantur ad lectos suos: illucescente autem die pulsetur à custode ecclesię paruulum signum modice. Surgétes fratres in nocturnalibus suis, & infantes & iuuenes cum luminaribus suis, veniant in ecclesiam, & facta oratione cantent Primā & psalmos familiares cum suis collectis, & septem Psalmos & Litaniam: Inde exeuntes sedeant in claustro. Pueri vero primitus alte legant & postea si opus fuerit cantent. Omni tēpore antequam legant infantes nullus in claustro legat aut cantet nisi in silentio nec ad confessionem pergat: Antequam sonet signū ad apparatum Tertiæ nullus calciet se diurnalibus suis: exceptis ijs quibus extra claustrum cura obedientiæ iniuncta est, & hi priusquam exeant aliquantulum in claustro sedere debent & expectare vt prius infantes in stolis suis legant. Cum appropinquauerit tempus horę tertię pulsetur à Secretario modice signum minimum, quam skillam vocant, & statim pergant in dormitorium & calcient se diurnalibus & cultellos accipiant; deinde ad lauatorium vadant & prius lauent se & postea pectinent: dehinc ad ecclesiam veniant aquam benedictam sumant, in chorum vadant & incumbentes terræ infantes expectent. Cum vero infantes loti fuerint & se pectinare incœperint pulsetur maius signum ad Horam: Accedentes & ipsi ad aquam benedictam in chorum veniant & dimisso signo omnes simul tres orationes faciant. Quibus factis pulsetur minus signum & canatur Tertia: Inchoato Psalmo *Miserere mei Deus* surgentes missam matutinalem celebrent ante & retro faciant & se induere pergant. Celebrata missa sedeant omnes in choro præter aliquos conuersos qui sacerdotem & eos qui ad missam seruierunt adiuuare debent; Quod cum expleuerint redeant & ipsi in chorum: Tunc iubente Abbate, Prior sonet signum minimum. Deinde eant omnes in Capitulum duo & duo sicut sunt priores, maiores primò postea infantes. Peracto Capitulo pulsata tabula dicto ab Abbate vel Priore *Benedicite*, loquentur in claustro: Infantes Capitulum suum teneant & postea in refectorium pergant. Post Sextā nullus in claustro loquatur donec infantes de monasterio exeant & minimus eorum alta voce *Benedicite* dicat, facto interuallo pulsata ad apparatum missæ skilla, pulsato ad missam signo oratione facta dicatur ab infante litania induantur qui celebraturi sunt missam & seruituri sunt ad missam. Quarta & sexta feria si post Sextam & ante missam per claustrum processuri sunt non pulsetur skilla ad apparatum missę, sed cum tempus processionis Secretarius instare prospexerit sonet vnum de mediocribus signis. Quo audito statim silentium fiat in claustro. Discalcient se, manus abluant in ecclesiam vadant factaq; oratione & pulsatis duobus signis, dictis que dici solent, processioné faciant sicut in eisdem diebus in quadragesima & in æstate de qua posterius dicendum est: post missam pulsato signo agatur oratio: Post orationem vadant in refectorium accipere mixtū hebdomadarij coquinæ & mensæ lector: Si vero alij sint qui pro vtilitate ecclesiæ maiori Missæ nō possint interesse in potestate Abbatis vel Prioris sit vtrum & ipsi mixtum accipere & statutam Hebdomadarijs debeāt quantitaté panis & potus habere: Alij vero fratres interim in choro sedeant & qui voluerint legant: Seruitoribus in chorum redeuntibus pulsetur signum, cantetur Nona, Cantata Nona exeant Prior ad percutiendum cimbalum, Hebdomadarij coquinæ, & cęteri qui seruituri sunt ad iniuncta sibi officia.

Kalendæ Nouembris si die Dominica euenerint, festiuitas omniū Sanctorum sollemniter agatur, sequentibus vero priuatis diebus responsoria dicantur *Vidi Dominum* & lectiones longæ ex Prophetis. Si vero dies kalendarum feria secunda aut tertia aut quarta euenerit præcedente Dominica inchoetur historia *Vidi Dominum* sed tamen Interualla non nisi post kalendas incipiant. Si vero quinta vel sexta feria vel sabbato kalendæ extiterint sequente Dominica inchoetur historia & lectiones ex Prophetis, lectiones vero grādes & Interualla mox

post festiuitatem inchoentur. Ab hec festiuitate vsque ad quintam feriam ante pascha nisi vbi duodecim lectiones aut octaua fuerint canantur primatis diebus post orationes ante officia nocturna triginta psalmi ab *Ad Dominum cum tribularer* vsque *Omnis spiritus laudet Dominum* Primi decem pro defunctis sine *Gloria*; sequentes decem pro Congregatione bini cum vna *Gloria*, extremi decem pro familiaribus & benefactoribus & hi bini cum vna gloria singuli cnm præcibus & collectis suis: Et post nocturna & familiares psalmos officiũ mortuorum & matutinæ laudes de omnibus sanctis & *Verba mea* si tricenarium habent. Post hęc descendentes è dormitorio sedeant in choro;Infantes cum luminaribus in Capitulo diligenter à magistris custodiantur canentes quod necessarium erit, aut si nimis profunda nocte surrexerint pausent iacentes ad sed ilia sua. Isto interuallo debet prior cum absconsa accensa per chorum ire ac videre quã regulariter sedeant, deinde per altaria & membra monasterij, ne forte aliquis ibi dormiat Si vero aliquem orantem inuenerit silenter pertranseat Quod si aliquem dormientem repererit euigilato in chorum signo facto reuerti præcipiat. Deinde debet per claustrum & in Capitulum ire ac videre qualiter se habeant magistri & infantes & per loca alia vbi necessarium esse perspexerit. Cum tempus fuerit pulsato signo venientibus pueris facta oratione canantur matutinæ laudes, commemoratio sanctorum. Prima cum psalmis familiaribus & præcibus & collectis suis cum septem psalmis & letaniis. Post hæc ita omnia agenda sunt vt supra dictum est in mense Octobri. Secretario autem sollicite prouidendum est vt tali hora matutinas laudes faciat incipere quatenus omnia luce clarescente finiantur. Si autem dubietate aliqua deluditur & aliquid noctis post letaniam fuerit sicut supra in primo interuallo ita se habeant fratres, videlicet vt præter sanguine minutos nullus reuertat ad stratum. Clarescente vero die exeant in claustrum sedere. Ad completoriũ hymnus *Christe qui lux es & dies*.

§. 2. *Ab Aduentu ad Septuagesimam.*

Dominica ante Aduentum Domini canatur historia de sancta Trinitate Hymnus *Primo dierum*. Psalmi *Domine in virtute*, & reliqui. In tertio nocturno pronuncietur Euangelium *Cum subleuasset*, & idem Legatur à sacerdote reuestito cum collecta *Excita Domine*. Ad laudes Psalmi *Dominus regnauit*. Antiphonę de Trinitate & similiter super horas vsque ad Vesperas cum capitulis & versibus & collectis ad Benedictus Antiphona & Collecta de Trinitate. Post Collectam dicatur Antiphona ex Euangelio *Cum subleuaßet* cum *Gloria Patri*. Versus *Dominus regnauit* Collecta *Excita Domine*. Sermo in capitulo & matutinalis Missa de Dominica, maior de sancta Trinitate. Si festiuitas duodecim lectionum euenerit non mutetur ipsa duodecim lectionum festiuitas.

Sabbato præcedente Dominicam de Aduentu Domini, Dimittatur ad Vesperas oratio de Cruce, vsque ad octauas Epiphaniæ. Si festiuitas sancti Andreæ in hac die euenerit, agantur pleniter Vesperæ de Apostolo. Finitis Vesperis incipiatur Antiphona, *Ecce nomen Domini* cum *Gloria Patri*. Dicta Antiphona sequatur Versus & Collecta de Aduentu Domini. In crastino ad inuitatorium duo fratres in albis in sede Episcopali in cappis. Et vbicumque ordo monachorum qui hic describitur, ad inuitatorium, & ad Benedictus & ad Magnificat præcipitur esse in albis. In sede Episcopali institutũ est esse in cappis. Lectiones de Isaia Propheta vsque ad natiuitatẽ Domini. In Matutinis Laudibus Psalmi *Miserere mei Deus* & reliqui. Ad benedictus sacerdos in alba incenset altaria. Ad Primam capitulum *Domine miserere nostri* omnibus Dominicis & festis diebus ad natiuitatem Domini. *Gloria in excelsis Deo* minime dicatur, ad maiorẽ Missam Diaconus & Subdiaconus casulis sint induti. Dominicis & alijs festis quibus duodecim lectiones faciunt, adipem cõmedant, Si festiuitas sancti Andreæ in hac die euenerit præcedente Sabbato sicut in vigilia ieiunetur, & Missa de Vigilia dicatur: commemoratio ad Vesperas, & in crastino ad Matutinas laudes & Missa matutinalis de Apostolo agatur Festiuitas vero in crastinum differatur. Ad Vesperas ipsius diei capitulum & cætera quæ sequuntur de Apostolo dicantur: de hinc commemoratio de aduentu. Priuatis diebus preces *Oremus pro omni gradu ecclesiæ*. Feria quarta, sexta, & sabbato, quatuor temporum pronuntientur Euangelia ipsorum dierum. Vigilia Thomæ Apostoli si dies Dominicus non fuerit radantur fratres & sic balneentur qui volunt balneari, vt duobus diebus, ante Dominicam natiuitatis sint omnes balneati. Si necesse sit ipso Apostolicæ festiuitatis die balneari possunt. Ipsa autem balnea hoc ordine disponantur, præcedente die debet Abbas, aut qui ordinem tenet prouidere vnum seniorem religiosum atque prudentem cui præcipiat curam habere de ipsis qui commoneat fratres qua hora ire debeant & videre quam

ordinate ibi ſe contineant. Qui autem illuc pergens videat qualiter ſint præparata, & quales famuli ibi ſint deputati ſcilicet non infantes nec iuuenes ſed ætate prouectiores. Quod ſi aliquid incongruum viderit, indicet Camerario & ille ſtatim emendet. Reuerſuſque ſenior in clauſtrum commoneat fratres quod opus eſſe cognouerit. Sed hoc caueat ne adoleſcentes & nouitij ſimul eant ſed cum ſenioribus. Illi vero fratres quos commonuerit poſt quam rati fuerint accipientes veſtimenta quæ mutare debent pergant ad locum in quo balnea præparantur ibique exuentes veſtimenta ſua ſic ordinate, vt in dormitorio facere conſueuerunt intrent vnuſquiſque vbi ei fuit demonſtratū & depoſito velo quod ante eos pendet ſedeat cū ſilentio. Si quid vero ei neceſſarium fuerit modeſte ſigno aliquo petat, famulus vero eleuato velo deferat illi celeriter quod petit & ſtatim reuertatur. Poſtquam ſatis ablutus fuerit non delectetur ibi diutius demorari. Surgens vero calciatus atque veſtitus ſicut in dormitorio conſueuit ablutis manibus reuertatur in clauſtrum. Adoleſcentes qui ſunt in cuſtodia cum cuſtodibus ſuis eant & reuertantur. A prima vſque ad Completorum omnibus horis poſſint ire fratres ad balnea ſed nullus præſumat ire abſque licentia fratris cui hoc commiſſum eſt.

Si vigilia Dominicæ natiuitatis in Dominica die euenerit duo fratres inuitatorium de Dominica in albis dicant, primum & ſecundum nocturnū de ipſa Dominica fiāt, tertium & matutinæ Laudes de Vigilia. Poſt primam collectam commemoratio de Dominica: Miſſa matutinalis de Dominica, maior de vigilia: Alia vero die ſicut priuatis diebus ſigna pulſentur & triginta pſalmi dicantur. Inuitatorium duo canant, ſed non in albis. Euangelium pronuntietur. Capitulum ad nocturnum & oratio & verſus de vigilia. Cætera ſicut retro actis diebus ſcilicet officium mortuorum Matutinæ de omnibus ſanctis, infantes in dormitorium vadant & in Capitulum reuertantur. Ad laudes ſicut alijs diebus pulſetur vnum ſignum factaque oratione ſupra formas pulſentur omnia ſigna. Quibus ceſſantibus incipiant matutinas laudes. Pſalmi *Dominus regnauit* & reliqui Primam Antiphonam Hebdomadarius incipiat. Capitulum, *Paulus ſeruus Chriſti Ieſu* Sacerdos indutus alba incenſet altaria. Præces *Ego dixi Domine*. Pſalmum vnum *Miſerere mei Deus*. Commemoratio ſanctorum, Prima, pſalmi, letania, dicta Tertia & miſſa matutinali ſignum Capituli diutius ſolito eſt pulſandū vt cunctis occupationibus pretermiſſis ad initium Capituli omnes conueniant vt cum Chriſti Domini noſtri natiuitas pronunciatur proſternant ſe cuncti in terram. Lector etiam ante Analogium pariter orantes vſque dum qui ordinem tenet oratione facta erigat ſe. Pronuncietur Euangelium & ex eo ſermo agatur; Poſt Sextam facto interuallo pulſetur, ſignum conueniant fratres in eccleſiam orationem communiter faciant letania minime dicatur, induantur miſſam celebraturi, Sacerdos honorifice, leuita dalmatica duo ſubdiaconi tunicis vnus ad prophetiam & alter ad Epiſtolam duo albis ad reſponſoriū Cātor Hebdomadarius cappa ad chorum tres conuerſi vnus ad thuribulum duo ad candelabra pulſetur claſſicum ad canonem ſupra formas proſternantur tabulæ refectorij coopertæ.

In nocte Dominicæ natiuitatis omnia ſigna primum pulſentur ad inuitatorium quatuor fratres in cappis. In vnoquoque nocturno ad tertiam lectionem duo ſacerdotes cappis induti duo thuribula circumferant primo duobus altaribus maiori & matutinali, dehinc fratribus in choro ſedentibus. In tertio nocturno pronuntientur hæc Euangelia *Liber Generationis*. *Exijt edictum*. *Paſtores*. *In principio*. Quibus expletis cum reſponſorijs ſuis incipiat Dominus Abbas *Te Deum laudamus*. Quo dicto legat Euangelium *Liber Generationis*. Dicta oratione incipiāt cantor Antiphonam *O beata infantia*. Quam canentes eant ad altare Sanctæ Mariæ & ibi dictis matutinis de omnibus ſanctis vadant in dormitorium. Deinde pulſetur vnum de maioribus ſignis ſicut pulſari ſolet skilla in duodecim lectionibus poſt Capitulum ante matutinalem miſſam. Tunc fratres qui ad miſſam induendi ſunt vadant ad locum conſtitutum vbi ſit optimus ignis à famulis camerarij præparatus; Baccilia quoque & manutergia & aliqua calida ad abluendas manus. Hac ſola vice antequam lauent pectunt capita ſua. Alio enim tempore prius lauant poſtea pectinant. Poſt hæc pergant in eccleſiam & facta oratione induāt ſe ad celebrandā miſſam. Sacerdos honorificè leuita dalmatica duo ſubdiaconi tunicis vnus ad prophetiā & alter ad Epiſtolam, ad reſponſorium & alleluia quot cantor præceperit & hi in cappis, tres conuerſi tres cātores in choro, ante quos duo candelabra cum cereis accenſis, infantes omnes. Pulſetur claſſicum & poſt inchoetur miſſa. *Gloria in excelſis Deo* & ſequentia canātur. Celebrata miſſa exeant ſacerdos, & qui ad miſſam ſeruierūt & qui in choro Albis vel Cappis induti fuerunt: Quibus deueſtitis & pulſatis omnibus ſignis cantent matutinas decretas Lanfranci laudes. His ita expletis, factaque commemoratione de ſancta Anaſtaſia, & dictis familiaribus pſalmis; reuertantur ad ſtrata. Apparente autem luce pulſetur vt ſupra vnum de maioribus ſignis. Quo audito, expedite ſurgentes omnes, &

ablu

abluti manus, & facies, qui ad missam induendi sunt, veniant in oratorium, factaque oratione induantur, sicut ad priorem missam. Ad quam missam, antequam incipiatur, pulsetur classicum. Expleta autem missa, vadant in dormitorium calciare se: post ea solito more loti, & pexi, faciant in oratorio orationes tres solitas, dicta Tertia omnes induti cappis faciant processionem. Ad quam Tertiam dicatur Antiphona; *Hodie intacta virgo*, Cum autem venitur ad locum vbi dicitur *ipsum adoremus*, ab omnibus flexis ad terram genibus supplicetur, & hoc seruetur quotienscumque prædicta Antiphona in monasterio cantatur.

Tres sequentes festiuitates, id est beati Stephani, Ioannis Apostoli, sanctorum Innocentum, vno eodem modo celebrentur. Ecclesia his tribus diebus, sicut in die Dominicæ Natiuitatis ornata permaneat. Pulsentur signa, accendantur luminaria, agantur cętera omnia sicut in alijs duplicibus, & secundæ dignitatis festiuitatibus; de quibus posterius dicendum est. Ad vesperas super psalmos imponant Antiphonas de ipsis festiuitatibus, quibus, & quas Cantor præceperit. Transactis primis diebus de ipsis festiuitatibus nulla commemoratio fiat, nisi in extremis ipsarum festiuitatum diebus; & tunc tantum tres lectiones fiant. Per totam hebdomadam Missa matutinalis, *Puer natus*, maior in quinta die *Dominus dixit*: in crastino introitus *Puer natus*, & quod sequitur de *Lux fulgebit*. Hi duo dies agãtur sicut in priuatis duodecim lectionibus, nisi quod tres lectiones fiant. Pronuncientur vicissim in eis Euangelia Dominicæ Natiuitatis. Festiuitas sancti Siluestri agatur sicut priuata festiuitas duodecim lectionum. Tertium nocturnum, & laudes de Dominica Natiuitate: Officium *Dum medium silentium*, ante Epiphaniam dicatur. Circumcisio Domini celebretur sicut vna de tribus superioribus festiuitatibus, excepto quod aula monasterij non ornatur quæ quinta Dominicæ natiuitatis die disparari debet.

In crastino post Circumcisionem Domini incipiant legere Epistolas sancti Pauli. Post Nocturna agant officia mortuorum, postea pulsetur signum, cantent Matutinas, Laudes, & Matutinas de omnibus sanctis. Postea reuertantur ad lectos. Hoc modo agatur vsque ad Octauas Epiphaniæ nisi fuerit festiuitas duodecim lectionum.

In vigilia Epiphaniæ non ieiunetur: officium ad Missam *Lux fulgebit*. Ad Vesperas super Psalmos, vna Antiphona: *Stella ista*; In crastino ad Inuitatorium tres in cappis. Processio non agatur ipsa die nisi dies Dominica sit. Tunc enim fit in albis ante Tertiam per claustrum sacerdote eunte per officinas sicut mos est Dominicis diebus. Ad Vesperas dicantur Antiphonæ, & psalmi vsque ad Capitulum sicut in die Natiuitatis. Vltima Octauarum die agatur totum seruitium noctis de ipsis Octauis commemoratio tantum de Sancto Hylario, & missa matutinalis, Vesperæ vsque ad Capitulum sicut die Epiphaniæ.

Post octauam diem Epiphaniæ inchoentur responsoria de psalmis. Psalmodia verò, & cætera omnia agantur nocte, ac die, sicut ante Natiuitatem.

Vigilia Purificationis Sanctæ Mariæ dicantur ad Vesperas Antiphonæ *O admirable*, & reliquæ: psalmi de ipsa feria, Capitulum *Ecce ego mitto angelum*. In crastino cantica. *Populus qui ambulabat*. Ad Tertiam sint omnino albis induti, dicta Tertiã ponatur ante altare tapetũ vbi supra ponantur candelæ quas benedicat sacerdos, aqua benedicta aspergat, & incenset, alba & stola indutus. Postea custos diuidat eas singulis singulas tribuens. Cum autem ceperint accendi cantor incipiat Antiphonam: *Lumen ad reuelationem*: Qua dicta & cum versibus Cantici *Nunc dimittis* quantum Cantor satis esse perspexerit repetita exeãt ad processionem Cantore incipiente Antiphonam. *Aue gratia*, & alias si necesse fuerit per maiores monasterij portas introeant ante Crucifixum stationem faciant: finito cantu quem inceperant, Cantore statim incipiente Antiphonam *Cum inducerent* canentes chorum intrent pulsentur signa & missam celebrent Post refectorium in claustro sedeant donec seruitores de refectorio exeant Qui cum exierint & monasterium ingressi fuerint pulsentur duo maiora signa & canatur Nona. Qua cantata exeat Prior & sonet cymbalum & postea vadant in refectorium. Hanc consuetudinem habeant vsque ad Dominicã palmarum exceptis ieiuniorum diebus. Hoc die inchoandus est psalmus *Ad Dñm cum tribularer* qui pro Vigilia mortuorũ dicendus est vsque ad kalendas Nouembris. Ad vesperas Antiphonam *Tecum principium*, Psalmum *Dixit Dominus* Antiphonam *redemptionem*, Psalmum *Confitebor*, Antiphonam *exortum est*, Psalmum *Beatus vir*. Antiphonam *de fructu*, psalmum *Memento*. Priuatis diebus post vesperas agant vigiliam mortuorum nisi in crastino sit festiuitas duodecim lectionum, Post nocturna vsque ad quintam feriam ante pascha priuatis diebus dicant solitos duos psalmos cum præcibus & collecta post ea *Exultabũt Domino*. Dehinc Matutinas de omnibus sanctis reliqua omnia sicut ante Natiuitatem Domini.

§. 3. A Septuagesima ad Dominicam Passionis.

Dominica prima septuagesimę *alleluia* ex toto dimittatur: loco *alleluia* per singulas horas *laus tibi Domine rex eternæ gloriæ* vsque ad paschalis vigiliæ vesperas dicatur. Historia *in principio fecit Deus* canatur; quinque libri Moysi, & Iosue, & Iudicum, & Ruth ad legendum ponantur Dominicis diebus & cæteris duodecim lectionibus vsque ad pascha Capitulum ad primam *Domine miserere nostri* dicatur: *gloria in Excelsis Deo* & *ite missa est* vsque ad paschale sabbatum minime dicatur, dalmatica & tunica ad missam vsque ad cænam Domini minime induantur, loco earum casulis ministri vestiantur. Ipso die adipem comedant: deinceps vsque ad pascha abstineant.

Feria quarta in capite ieiunij Capitula *conuertimini ad me* & cætera que sequuntur. Post sextam reuertantur in claustrum locuturi; cum tempus fuerit pulsetur vnum de mediocribus signis, quo pulsato statim silentium fiat in claustro. Discalcient se & pergant abluere manus & sic vadant in ecclesiam sine vlla mora faciantque orationem vnam communiter: Qua facta pulsentur duo signa inchoante infante *exurge Domine*. Psalmus *Deus auribus nostris*; His expletis dicat sacerdos *ostende nobis Domine*: Sequatur *Kyrie eleyson*. *Pater noster*: *& ne nos*, psalmus, *Deus misereatur nostri* Capitulum, *& veniant super nos*, collecta pro peccatis, *exaudi quesumus Domine supplicum preces*. Post hæc benedicat sacerdos cineres stolam tantum habens & sparsa desuper aqua benedicta mittat cineres super capita fratrum dicendo. *Memento quia cinis es & in cinerem reuerteris*. Interim cantetur Antiphona *immutemur* cum versibus, psalmi *Deus misereatur nostri* vno aut pluribus si opus fuerit Hoc facto exeant ad processionem cantantes has Antiphonas *exaudi nos Domine*. *Iuxta vestibulum*. Quæ duæ Antiphonæ id est *exaudi nos* & *iuxta vestibulum* ad omnes processiones quadragesime, quę quarta & sexta feria fiūt eodem ordine cantentur: Percantatis Antiphonis, incipiant duo infantes letaniam: Hoc ordine agatur processio sexta feria, quę sequitur caput ieiunij, & quarta, & sexta, feria per totam quadragesimam, vsque ad quartam feriam ante paschalem festiuitatem; nisi festiuitas duodecim lectionum in ipsis ferijs euenerit. Notandum quia si in capite ieiunij festiuitas duodecim lectionum euenerit, non celebratur ipsa die sed differtur in crastinum.

Dominica prima quadragesimæ inuitatorium duo in albis: Post completorium suspendatur cortina inter chorum & altare; Feria secunda ante tertiam, debent esse cooperiæ crux, coronæ capsæ, textus qui imagines deforis habent; Priusquam fratres intrent Capitulū, custos librorum debet habere Congregatos libros in Capitulo super tapetum extensum, præter eos qui præterito anno ad legendam dati sunt; Illos enim intrantes Capitulum ferre debent, quisque suum in manu sua: De qua re pręmoniti esse debent à prædicto librorū custode in capitulo præcedentis diei, legatur sententia regulę sancti Benedicti de obseruantia quadragesimæ; Facto igitur ex eo sermone prædictus librorum custos legat breue, qualiter præterito anno fratres habu runt libros; Cum vero audierit vnusquisque nomen suum pronunciari; reddat librum qui ad legendum sibi alio anno fuerat commendatus; Et qui cognouerit se non perlegisse librum, quem recepit, prostratus culpam dicat, & indulgentiam petat. Iterum prædictus librorum custos vnicuique fratri alium librum tribuat ad legendum; distributis per ordinem libris, præfatus librorum custos in eodem capitulo inbreuiet nomina librorum & eos recipientium; Si hac die festiuitas duodecim lectionum euenerit legantur duæ lectiones in capitulo vna de Euangelio & altera de obseruantia quadragesimæ, Altera legatur statim post alteram; lecta posteriore lectione tunc primum dicat lector, *Tu autem Domine*, Ipsa die incipiant preces *Oremus pro omni gradu ecclesiæ*; Psalmos prostratos, id est, septem pœnitentiales. & septem primos graduum, binos quidem, vnum hinc & alterum inde per singulas horas vsque ad vesperas; ad Vesperas vero quatuor cum capitulis & collectis pro peccatis, adiungentes in fine, *& ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es tribue venire gaudentes*. Hac die incipiant portare absconsam ad secundam tantum lectionem. Tribus diebus, id est, secunda feria, quarta, & sexta vsque ad Pasca nec pulsetur tabula post capitulum, nec loquantur in claustro. Quarta, & sexta feria post sextam antequam de choro exeant dicant *Deus auribus nostris*, In his duabus ferijs post nonam sedeant in claustro, factoque paruo interuallo, pulset secretarius vnum de mediocribus signis, Tunc discalcient se omnes, & lauent manus venientque in chorum & facta oratione inchoet infans Antiphonam *Exurge Domine, adiuua nos*. Pulsentur duo signa; dicat sacerdos *Ostende nobis Domine*; subsequātur *Kyrie eleison*. *Pater noster*. Psalmus quarta feria *Deus misereatur nostri*; sexta feria, *Deus in adiutorium meum*, Item sacerdos *& veniat super nos*; oratio pro peccatis. Postea inchoet cantor

cantor Antiphonam & eant ad processionem. Letania vt supra. Ad hanc processionem nullus vadat calciatus nisi sacerdos & leuita. Si quis pro aliqua infirmitate nudis pedibus ire nequiuerit, de processione remaneat; Redeuntes de processione nullus præsumet se calciare sine licentia. Expleta Missa & facta oratione ad vesperas lauent pedes, & manus: & dicant vesperas.

Si festiuitatem celebrari in quadragesima contigerit, præcedenti die dum canitur *Agnus Dei* ad maiorem Missam colligatur cortina & auferantur de choro formæ, que auferri solent in duodecim lectionibus, Missa finita agatur oratio vespertina sicut Sabbato. Post Collectam de festiuitate dicatur Antiphona de feria, cum *Gloria Patri* : Psalmi prostrati minime dicantur: Post vesperas de omnibus sanctis canũtur vesperæ mortuorũ, Vigilia mortuorũ minime agatur, in die festiuitatis post matutina de omnibus sanctis dicantur Matutina mortuorum. Postea reuertantur ad lectos; Post primam, dictis consuetis Psalmis familiaribus, cum capitulis & collectis suis, dicantur septem Psalmi cum Letania. Per singulas horas vsque ad vesperas, à prima incipientes, dicant Psalmum *inclina Domine*, pro his quos prostrati dicturi erant. Post capitulum sedeant in claustro cum silentio vsque dum pulsetur signum ad tertium; Infantes quoque post capitulum suum descendentes de dormitorio hoc interuallo in scola sua sedeant & legant. Totam diem sollenniter agãt, vtræque missæ ad maius altare celebrentur : Ad missam ieiunij nec Lætania præmittatur, nec ad canonem supra formas curuentur. Ad Vesperas, nisi in crastino sit festiuitas duodecim lectionum, inter signa dicant *Deus auribus nostris*, post collectam festiuitatis collectam de feria, cum *Gloria Patri*, post Vesperas de omnibus sanctis Vesperas pro defunctis, Vigilia mortuorum ipsa die minime agatur. Post completorium cortina extendatur & formæ in chorum referantur.

§. 4. *Tempore Passionis Dominicæ.*

Sabbato ad vesperas ante passionem Domini dimittatur oratio de cruce, nec ad responsoria, nec ad inuitatoria, nec ad missas dicatur *gloria*, vsque ad pascha, nisi missa familiaris sit in conuentu, vel extra conuentum, & nisi festiuitatem alicuius sancti hoc tempore celebrari contingat: Quæ si euenerit & ad responsaria, & ad missam dicatur *gloria patri* sicut alio tempore. Hoc tempore legatur Ieremias vsque ad pascha.

Dominica in palmis ad inuitatorium, duo in albis. Euangelium pronuncietur *cum appropinquaßet*, de quo & lectio, & sermo in Capitulo: in quo Capitulo ordinet Abbas vel prior processionem & quid quisque portare debeat, & qualiter ordinatè eant, ac redeant fratres. Sacerdotes ad priuatas missas vnam tantum collectam dicant; Euangeliũ *cum appropinquasset*, Passionem nullus legat, nisi fratres qui in formis cantant, missa matutinalis cum vna collecta. Post matutinalem missam benedicatur aqua ad quam sint omnes albis induti. Fiat processio per claustrum vt mos est omnibus Dominicis diebus; Intrantibus ecclesiam pulsentur signa, & finito responsorio, & dictis que dici solent Dominicis diebus, cantatur tertia. Cantata tertia legatur Euangelium *turba multa*. Postea accedens Abbas, aut sacerdos benedicat palmas, & flores, & frondes ante maius altare supra tapetum posita, aquam benedictam aspergat, & incenset: Accedentes secretarij distribuant ea, palmas Abbati & prioribus & personis honestioribus, flores, & frondes ceteris. Interim cantore incipiente, cantatur Antiphona *pueri Hebreorum* & alia *pueri hebreorum* : His ita expletis proficiscatur, processio cantore incipiente quę ad hanc processionem cantari oportet : Qua de choro exeunte, pulsentur omnia signa. Præcedant famuli cum vexillis, sequatur conuersus ferens situlam cum aqua benedicta : alij duo portantes duas cruces item duo cum duobus candelabris accensis desuper cereis, alij duo ferentes duo thuribula igne & thure referta : Quod thus in thuribulo debet ponere, vel Abbas si in choro est conuersis thuribula & acerram cum thure deferẽtibus; vel ipse cantor si Abbas deest. Ipse enim distribuit que portanda sunt & processionem ordinat. Hos sequantur duo subdiaconi portantes duos textus Euangeliorum. Post quos laici monachi, deinde infantes cum magistris, Post quos ceteri fratres præcedentes Abbatem, qui vltimus procedit, duo & duo, sicut sunt priores. Hæc sunt que ad hanc processionem cantanda sunt vel omnia, vel quantum permiserit spacium loci, quo ituri sunt : *Ante sex dies. Cum appropinquaret. Prima autem azimorum. Dominus Iesus. Cogitauerint : Cum audisset populus ; Omnes collaudant.* Cum autem peruentum fuerit ad ipsum locum fiat statio à toto conuentu: Cantore autem incipiente Antiphonam, *occurrunt turbæ*, exeant duo sacerdotes albis induti qui portent feretrum, quod parum ante diem ab eisdem sacerdotibus illuc debet esse delatum, in quo & corpus Christi esse debet reconditum : Ad quod feretrum præcedant statim qui vexilla portant, &

cruces, & cætera que ſuperius dicta ſunt. Et ſtantibus ijs qui feretrum portant ſtabunt & ipſi à dextera, & à ſiniſtra ipſius feretri ordinate ſicut venerunt. Pueri vero accedentes ſtabunt verſis vultibus ad ipſos reliquos cum magiſtris ſuis, & quibuſdam cantoribus, qui auxilio eis eſſe poſſunt. Maiores vero verſi erunt ad inuicem, eo modo, quo in choro ſtare ſolent. Sic autem ordinetur hæc ſtatio, vt modicum interuallum ſit inter pueros, & maiorem conuentum: Finita Antiphona, occurrunt turbæ, incipiant pueri, & qui cum eis ſunt Antiphonam *Oſanna filio Dauid* flectentes genua & in principio & in fine Antiphonæ, quia in vtroque *Oſanna* dicitur: Quã Antiphonam chorus repetat, & ſimiliter genua flectat. Deinde à pueris cantetur Antiphona *Cum angelis* in fine tantũ Antiphonæ genua flectẽtibus. Quæ Antiphona à cõuentu repetatur & ſimiliter venia accipiatur: Taliter his peractis Abbate vel Cantore incipiẽte Antiphonã (*Aue rex noſter*) trãſeãt portitores feretri per mediũ ſtationis præcedẽtibus his qui vexilla portãt & cęteris ſuperius dictis portitoribus ſeruato ab omnib⁹ ordine in redeũdo, quẽ habuerũt in eundo, Quibus tranſeuntibus flectẽt genua, nõ ſimul omnes, ſed ſinguli hinc, & inde, ſicut feretrum tranſibit ante eos. Percantata hac Antiphona; cantent & alia, ſi ſpacium loci plura popoſcerit, Cum venerint ad portas ciuitatis ſtationem faciant, ſeparatis ab inuicem prout locus patietur vtriſque lateribus, feretrum vero ante introitum portarum ſic ponatur ſuper menſam pallio coopertam, vt prædicti portitores ex vtroque latere ſtantes, habeant ad feretrum in medio eorum poſitum verſas facies ſuas. Locus vero ſuper introitum portarum honeſte debet eſſe paratus, & cortinis, & dorſalibus. Taliter ordinata ſtatione canant pueri de loco apto, & qui præcepto cantoris cum eis erunt, *Gloria laus* & ſimiliter chorus reſpondeat, pueri, *Iſrael es tu Rex*, & chorus, *cui puerile decus*, Item pueri; *plebs Hæbrea tibi*: & chorus *cui puerile*. Item pueri *cœtus in excelſis*: & chorus; *Gloria laus*. His dictis inchoet cantor reſponſorium, *Ingrediente Domino*: & ingrediente ciuitatem proceſſione, duo maiora ſigna pulſentur, donec cætera ſigna; proceſſione intrante in chorum, pulſentur ad Miſſam. Sic ordinata proceſſio veniens vſque ante portas monaſterij faciat ſtationem ſeruantibus pueris ordinem ſuum inter vtrumque chorum. Deponatur iterum feretrum ſuper menſam pallio coopertam; Cantor vero ſic antea incœptum habeat reſponſorium *Collegerunt Pontifices* vt tunc prope cantatum ſit: Quo cantato tres, aut quatuor fratres induti cappis, quas ſecretarius ibi paratas habeat canant verſum *Vnus autem ex ipſis*, ſtantes inter chorum & reliquias. Quo finito cum regreſſu intrent eccleſiam cantore inchoante Antiphonã *Principes* & aliam *Appropinquabat*. Et ingreſſi eccleſiam faciant iterum ſtationem per omnia ſimilem ante Crucifixum prius detectum. Atque ibi à tribus, vel quatuor fratribus cantetur in cappis reſponſorium *Circumdederunt*. Quo cantato incipiat Abbas reſponſorium *Synagoga* & intrent chorum ſonãtibus ad miſſam ſignis, miſſam celebrent, palmas & frondes in manibus habeant, eaſque poſt oblationem panis & vini, incipiente Diacono, cuncti per ordinem offerant; Tabulæ refectorij coopertæ ſint. Poſt menſam meridiana hora in lectis ſuis quieſcant. Appropinquante hora nona pulset Secretarius ſignum minus modice, Tunc ſurgant omnes & lauent manus, & facies, & pectant ſe, & pergant in eccleſiam, ſedeantque in choro. Cum infantes loti fuerint, & ad terſoria ire cœperint pulſante maius ſignum Secretario, ſurgant omnes de ſedilibus ſuis, & ingreſſis chorum infantibus, faciant prius oratione poſtea cantent nonam: Qua cantata pulſato cimbalo à Priore pergant omnes in refectorium: Talis ordo de meridiana ſeruetur tota æſtate, exceptis ieiuniorum diebus, vſque ad kalendas Octobris.

Feria tertia radendi ſunt fratres, in clauſtro ſimul ipſa die, & in craſtino debent eſſe balnea præparata. Quæ quo ordine fiant, & quomodo illuc fratres ire, & qualiter ibi ſe habere debeant, ſuperius dictum eſt cum ſermo eſſet de balneis ante Chriſti natiuitatem præparandis.

Feria quarta non agatur proceſſio, cætera agantur more ſolito vſque ad veſperas; Ante veſperas non dicantur pſalmi *Deus auribus noſtris* pulſentur ſigna ſicut in feſtis diebus reſponſorium *Circũ dederunt me* Hebdomadarius canat pręces *Ego dixi Domine* pſalmus ad precęs ſolummodo *Miſerere mei Deus*; pſalmi proſtrati nõ dicantur. Poſt Veſperas de omnibus ſanctis dicantur Veſperæ pro defunctis, officium mortuorum, quod poſt menſam dici ſolet non dicatur, Hymnus ad completorium *Te lucis ante terminum*, qui ſimiliter dicendus eſt omnibus diebus vſque ad kalendas nouembris. Poſt completorium cortina deponatur.

Feria quinta tot candelę accendãtur ante lætare quot Antiphonas & quot reſponſoria cantari oportet. Finitis tribus orationibus ſedentes pſallant ſinguli ſilenter quindecim pſalmos abſque *gloria patri* cum Capitulis, & collectis conſuetis; Ad *pater noſter* proſternant ſe ſuper formas & Abbate ſignum faciente ſurgant, Inter pſallendum, & ante nocturnam pulſentur ſigna

ſigna ſicut in duodecim lectionibus: Pulſatis omnibus ſignis inchoet hebdomadarius Antiphonam *Zelus domus tuæ*: Cum incipiunt pſalmum petant veniam ſuper formas, & ad matutinas laudes ſimiliter; Per ſingulas Antiphonas, & ſingula reſponſorij extinguantur ſingulæ candelæ: lectiones ſine *iube Domine* vel *tu autem* legantur. Primæ tres de lamentationibus Ieremiæ ſine cantu, & Alphabetis præſcriptis; In ſecundo nocturno, de expoſitione pſalmi; *Exaudi Deus orationem meam cum deprecor*; In tertio de epiſtola Pauli *Conuenientibus vobis*, Antiphonæ omnes, & verſiculi abſque finis melodia. In matutinis laudibus cum incipiunt. Pſalmum: *Laudate Dominum de cælis* vadant magiſtri inter infantes, qui & verſi ſint ad Priores, ſicut & ipſi infantes, Iuuenes vero qui in cuſtodia ſunt mixtim ſint in ordine ſeniorum. Candelæ extinguantur in toto monaſterio præter vnam quæ in choro ardeat, Quæ & ipſa cantore incipiente Antiphonam *Traditor autem* extinguatur; Finita Antiphona curuentur ſuper formas ſuo ſilentio dicentes. *Kyrie eleyſon*: *Pater noſter* preces *Ego dixi Domine*: pſalmum *Miſerere mei Deus*, ſolum ſine *Gloria patri*: collectam *Reſpice quæſumus Domine* ſignoque facto ab Abbate, vel Priore ſurgentes inclinent ſicut ſolent, ante & retro, & ſtet vnuſquiſque in loco ſuo vſquequo magiſter infantum laternas accenſas in chorum deferat, & ipſis infantibus tribuat; Secretarius quoque accendat lumen ante altare, vnde iuuenes laternas ſuas accendant. His ita peractis reuertantur omnes ad lectos ſuos; Luceſcente die, ita vt pueri & Iuuenes ſine laternis poſſint exire pulſetur à ſecretario paruulum ſignum modicè. Statim ſurgentes fratres calcient ſe nocturnalibus ſuis, & ſic veniant in chorum curuantes ſe ſuper formas in ordine ſuo, quouſque infantes veniant; Qui dum venerint peracta oratione, factoque ſigno ab Abbate, ſurgentes ſtatim incipient hymnum, *Iam lucis orto ſidere*; abſque *Deo patri ſit gloria*. Et inchoata Antiphona dicantur regulares pſalmi, & *Quicunque vult* ſine *gloria patri*; Finita Antiphona curuati ſuper formas dicat vnuſquiſque apud ſe in ſilentio *Kyrie eleyſon*; *Pater noſter*, *Credo in Deum*, preces vſque ad Cõfeſſionem, factoque ſigno ab Abbate, dicatur confeſſio; Deinde ſilenter quæ ſequuntur, dicant *Conuerte nos* & cetera *Miſerere mei Deus* ſine *gloria*, collectam *Domine Deus qui ad principium*. Poſt hæc dicantur in alto ſeptem pſalmi abſque *gloria* cum ſolita letania deinde ſedeant in clauſtro vſque Tertiam; Cum tempus Tertiæ fuerit ſonet Secretarius minimum ſignum ſicut alijs diebus. Tunc pergant fratres ſe calciare, & cætera ſicut alijs diebus fieri ſolet pulſato ad tertiam ſigno factis tribus orationibus ſolitis. Pulſato alio ſigno inchoet infans ſtatim hymnum *Dei fide qua viuimus* ſed non dicatur vltimus verſus *gloria tibi trinitas*; Et pronunciata Antiphona dicantur pſalmi regulares à beato Benedicto inſtituti ſine *gloria*; dictis pſalmis & percantata Antiphona curuati ſupra formas dicant in ſilentio *Kyrie eleyſon* & cætera quę ſequuntur; Collecta *Reſpice queſumus Domine*, Poſt hęc pulſetur ſolitũ ſignum ad Capitulum: lectio ſine *iube domne* verſus in ſilentio dicatur legatur ſententia de regula Sancti Benedicti ſine *tu autem*: factoque ex ea ſermone, correctis quæ corrigi opportet, dicantur conſuetudines quæ agendæ ſunt ab ipſo Capitulo, vſque ad craſtinum Capitulum; dehinc ordinentur quæ ad ſeruitium totius diei ordinanda ſunt. Quibus ordinatis pergant canentes alte *Verba mea ſi* defunctum aut breue pro defuncto habeãt, In ſilentio autem dicant *Pater noſter*, *A porta inferi*, *Abſolue Domine*; Pulſata tabula loquantur in clauſtro. Cum tempus fuerit pulſetur ſignum ad Sextam, & facta oratione, pulſatoque alio ſigno inchoet infans hymnum & cætera ſicut fecerunt ad Tertiam: dehinc pulſato ſigno loquantur iterum in clauſtro. Tunc Secretarius pulſet parum ſignum minimum, ſicut in duodecim lectionibus ante matutinalem Miſſam, Celebretur tunc ab Hebdomadario minoris Miſſæ, Miſſa pauperibus, qui mandato intereſſe debẽt ducente eos fratre Eleemoſinario, cooperantibus cæteris fratribus, quibus iniunctum fuerit; Expleta Miſſa cõmunicet ſacerdos ipſos pauperes de oblatis non conſecratis, ſigno tantum ſanctæ Crucis, in nomine Domini, ſuper eas facto: dehinc ducantur ad reficiendum; His actis pulſato ſigno ad Nonam, facta oratione, pulſatoque alio ſigno canatur Nona, vt Tertia, & Sexta. Qua cantata induãtur infantes, & qui Miſſam ſunt celebraturi, ſacerdos videlicet, vel Abbas honorifice, Diaconus dalmatica, Subdiaconus tunica, duo ad reſponſorium, tres conuerſi ad candelabra, & thuribulum; Interim auferantur formæ de choro, quæ auferri ſolent. Pulſentur ſigna ſicut in feſtis diebus, Cantor hebdomadarius chorum teneat in cappa, miſſa feſtine celebretur, *Gloria in excelſis Deo* minime dicatur niſi Epiſcopus miſſam celebret, & chriſma faciat, nunc etiam in fine miſſæ *Ite miſſa eſt* dicitur. Tot hoſtiæ ponantur ad ſacrandum, quot ſufficere poſſint ipſo die, & in craſtino ad communicandum; Quatuor his diebus nullus à communione ſe ſubtrahat, niſi ſubtrahendi rationabilis cauſa exiſtat. Celebrata fere miſſa reportentur in chorum formæ: pulſetur tabula ad Veſperas. Expleta miſſa fiat oratio veſpertina ſupra formas: Interea ſacerdos præcedente proceſſione cum ad altare venit, vadat ad locum

conſtitutum

conſtitutum decedentiſſime præparatum ibique reponat corpus Domini incenſato ipſo loco, & ante repoſitioné, & poſt repoſitionem: Ante quem locũ lumen continuè ardeat. Quo completo, vadant in refectorium accipere mixtum. Ingreſſi autem refectorium faciant ante, & retro ante ſedilia ſua, & conſidentes ſumant mixtum de pane tantum, & potu, quem ſuper iuſtitias ſuas à refectorarijs in ſciphis poſitum inuenerint. Dum hęc aguntur, Cellerarius & Eleemoſynarius, & cæteri quibus iniunctum fuerit introducant pauperes in clauſtrum & faciant eos ordinate ſedere, alterum iuxta alterum. Qui pauperes priuſquam clauſtrum introeant pedes ſuos abluere debent aqua calida à camerarijs miniſtrata; Omnia vero in locis conuenientibus debent eſſe præpatata, quæ ad mandatum opus ſunt neceſſaria ſcilicet aqua calida à camerarijs, in vaſis idoneis parata; alia quoque vaſa ac terſoria ad pedes, manutergia ad manus, à Cellerario ſciphi, & potus, etſi quæ ſunt huiuſmodi; Præſto ſint ad ſeruiendum famuli Camerarij & aliorum miniſteriorum qui ad hoc ſunt idonei. Qui prius per eos quibus iuſſum fuerit bene debent eſſe inſtructi, qualiter eos ſeruire oporteat. His ita ordinatis cum viſum fuerit Abbati ſurgat. Reliqui quoque fratres ſurgentes ante & retro inclinent. Egreſſi refectoriu n infantes diuertant cum magiſtris ſuis in ſcolam ſuam, ibique ſtent mixtim magriſtris ſuis ante pauperes ſuos; reliqui quoque fratres ſurgentes veniant ante pauperes ſuos, & ſtent ordinate ante eos ſicut ſunt priores ſinguli autem ſingulos; Abbas vero duos habeat. Tunc prior iuſſu Abbatis percutiat tabulam tribus ictibus & inclinantes ſe flexis ad terram genibus adorent Chriſtum in pauperibus, Abbas vel cantor incipiat Antiphonam *Dominus Ieſus*, & alias que conueniunt. Singuli ſingulis abluant pedes tergant & oſculentur ore, & oculis; Ablutis cunctorum pedibus pauperum, duo ex fratribus quibus iuſſum fuerit miniſtrent Abbati, vnus aquam, & alter manutergium; famuli autem reliquis fratribus; Poſtea accipiens Abbas baccilia, & manutergium à fratribus qui ei ſeruierunt, reliqui fratres à famulis, ſeruiant & ipſi pauperibus; A quibus ſubſequentes fratres accipientes miniſtrent Abbati & reliqui, fratribus ſciphos cum potu. Tum prior percutiat tabulam tribus ictibus & dicatur ab omnibus moderata voce *Benedicite*; & data benedictione tribuant potum pauperibus oſculantes eorum manus & receptis ſciphis dent ſinguli ſingulis pauperibus duos denarios, aut quot Abbas, præceperit, iterum oſculantes eorum manus; Ipſos denarios dare debet fratribus Cellerarius, aut Camerarius ſecundum quod Abbati viſum fuerit; Fratres qui eo anno defuncti ſunt ſuos pauperes ad hoc mandatum habere debent; ſimiliter & familiares illi pro quibus vnus in hoc mandato pauperes debere poni Abbas decreuerit. Quibus pauperibus ſupradicto modo ſeruiant fratres quibus iniunctum fuerit: Alter nullus preſumat. Quam diu ad hoc mandatum, cantant, id eſt, dum pauperum pedes, ac manus lauantur. Sedere poſſunt qui volunt, eo tamen modo quo ſedetur in choro vno ſcilicet ſedente, inter duos ſtantes. Dum autem propinatur potus ſedere poſſunt omnes quicunque volunt, alter iuxta alterum non obſeruato illo ſtandi vel ſedendi ordine; Inter hæc Secretarius obſeruare debet congrua interualla, quibus tabulam ad Veſperas pulſare debeat. Semel videlicet lotis pedib⁹, & ſemel lotis manibus. Propinato omnibus potu, reuerſis ſingulis in loca ſua, Prior ter percutiat tabulam. Tunc Abbas vel ſacerdos mediocri voce dicat capitulum *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.* Fratres omnes flexis ad terram genibus reſpondeant, *& ſalutare tuum da nobis*: dehinc inclinati ſuper genua tantum dicant *Kyrie eleiſon, Pater noſter*, Abbas vel ſacerdos dicet mediocri voce *& ne nos. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam; in medio templi tui. Tu mandaſti mandata tua; Cuſtodiri nimis. Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum. Oremus. Adeſto Domine Ieſu Chriſte officio noſtræ ſeruitutis & quia tu pedes lauare dignatus es tuis diſcipulis ne deſpicias opera manuum tuarum, quæ nobis retinenda mandaſti; ſed ſicut his exteriora abluuntur inquinamenta corporum, ſic à te omnia noſtra interiora lauentur peccata: quod ipſe præſtare digneris, qui cum &c.* Ad cuius finem omnes reſpondentes *Amen*: & inclinantes ſe ante, & retro, vadant ad eccleſiam mediocri voce canentes pſalmum *Miſerere mei Deus*; Interim Secretarius & aliqui fratres ſecum percutiant tabulas gradatim, eoque modo, atque ordine, quo ſigna pulſari ſolent in feſtiuis diebus; dicto pſalmo, & fratribus in ordine ſuo in choro ſtantibus, ſtatim puer incipiat Antiphonam *Calicem ſalutaris*; Ad cuius inchoationem petitur venia ab omnibus ſupra formas dicto pſalmo *Magnificat* & repetita Antiphona ſine finis melodia, curuati ſupra formas, dicant in ſilentio: *Kyrie eleyſon. Pater noſter* præces *Ego dixi Domine*: pſalmum *Miſerere mei Deus*; Collecta: *Reſpice quæſumus* Si aliquis de foris veniens benedictionem petierit omnibus horis accipiat ipſo die quo venerit, his tribus diebus: Tabula refectorij coopertæ ſint: Ad cymbalum & ſuper tabulã Abbatis ponantur tabulæ cũ malleolis, verſus & benedictiones in refectorio & *Miſerere mei Deus* poſt menſam humili voce dicantur, lector ſine petita benedictione legat, & ſine

tu autem

tu autem Domine terminet; Interim dum fratres in refectorio sunt, secretarij discooperiant omnia altaria, & parent duo Analogia, vnum quod in Capitulo est, & alterum in monasterio, quod ante collationem in refectorium deportetur: Postquam fratres à mensa surrexerint, & de monasterio, ac dormitorio solito more redierint; lauent sibi pedes, vt sabbato fieri solet; præparentur cuncta, quæ ad mandatum sunt necessaria. Refectis seruitoribus, & pedibus ablutis, pulsetur tabula & ad bibendum in refectorium vadant; Post hæc egressis fratribus de refectorio Prior claustri, iubente Abbate, percutiat tabulam ad mandatum. Ingressis in Capitulum fratribus, Priore claustri sedente in loco Abbatis, præcingant se linteis Abbas & Prior, & inchoante Priore claustri Antiphonam *Dominus Iesus*; veniant in Capitulum, Abbas ad dexteram, & Prior ad sinistram, sequentibus eos fratribus, qui ad seruitium eorum ipsa die in Capitulo fuerint ordinati; & vtrique flexis genibus lauent pedes fratrum, & tergant, & osculentur. Camerarij præsto esse debent, qui madefactis tersorijs alia ministrent, quotiens opus fuerit: lotis omnium qui in Capitulo sunt pedibus, sedeat foris ante Capitulum Prior, & prædicti seruitores cum eo: Quorum pedes præcinctus tersorio Abbas flexis genibus abluat & tergat & osculetur, seruientibus sibi fratribus ad hoc obsequium deputatis. Post hæc redeat Abbas in sedem suam: Ad quem Prior præcinctus tersorio veniens cum fratribus sibi deputatis, lauet pedes eius & tergat & osculetur, & ablutis manibus suis statim deferat sibi aquam ad abluendas manus, vno eorum qui sibi seruierunt tenente manutergium: Deinde redeunte Priore claustri in locum Abbatis, exeat Abbas, & accipientes ipse & prior bacilia cum aqua & manutergia, duo fratres qui de coquina ipsa septimana seruiunt, qui inter cęteros adiutores ad huius mandati obsequium ordinari debét, seruiant omnibus ad abluendas manus, sicut seruierunt ad abluendos pedes. His expletis exeat Abbas, & Prior, & seruitores eorum, & ante Capitulum præbeat eis Abbas aquam ad abluendas manus, tenente manutergium vno eorum fratrum qui ad hoc obsequium ei deputati sunt.

Quo peracto, præcedens Abbas & cæteri sequentes eum introeant Capitulum, & faciant ante & retro, sicut solet fieri die sabbati ab eis qui mandatum fecerunt. Postea pergat Abbas ad sedem suam surgente Conuentu donec sedeat; reliqui similiter ad loca sua: Cessante autem cantu & Secretario percutiente tabulam ad collationem, qui petita licentia ad eam percutiendam perrexit, hora congrua ingrediatur Diaconus Capitulum qui post manuum suarũ ablutionem ad se præparandum iuit, Alba, & stola & dalmatica indutus, textum Euangelij portans, pręcedentibus tribus conuersis portantibus candelabra, & thuribulum igne & thure refertum; Ipse enim Diaconus antequam exeat de monasterio ponere debet thus in ipso thuribulo; Quibus ingredientibus Capitulum totus Conuentus assurget stans donec vnus versus de Euangelio perlectus est; Cum autem esse tempus perspexerit, innuat Abbas Priori vt vadat percutere tabulam; Et cum audierit Prior à diacono *Surgite eamus hinc*; percutiat tabulam, sicut solet percuti cymbalum: Quod dum fit surgant omnes ac præcedente Diacono cum textu, & conuersis cum candelabris & thuribulo; sequatur Conuentus in refectoriũ sicut fit in sabbato ad Charitatẽ. Ibi Secretarius habeat Analogium de ecclesia paratũ; Impositoque desuper textu, iterum mittat Diaconus thus in thuribulum, & incenset Analogium & textum. Et sedente maiore Priore in loco Abbatis ad eius nutum incipiat Diaconus lectionem ab eo loco vbi dimiserat; Et percutiente Refectorario tabulam vno ictu, Abbas & fratres, qui ad pedes lauandos ipsius adiutores extiterant, vadant ad locũ vbi potus Charitatis paratus est, ferentes vitreas phialas aut sciphos fratrum in manibus suis. Et accepto vino in prædictis vasis tacente lectore præcedant ad gradum sicut mos est: Refectorarius vero ex quo accepto potu incipiunt ire paulatim percutiat tabulam suam, quousque ad gradum perueniant, Quo cum peruenerint, ter aut quater festinantius percutiat, & cesset. Tũc omnibus humili voce dicentibus, *Benedicite* sacerdos hebdomadarius surgat, & eadem voce benedictionem faciat. Benedictione facta, porrigat Abbas Priori potum, & reliquis sicut sunt priores; osculans eorum manus, ministrantibus ei fratribus qui cum ipso potum ad gradum detulerunt: Ministrato potu maioribus & infantibus: post maiores accedat Abbas ad Diaconum, qui collationem legit & expectato fine incœpti versus prębeat ei potum, dehinc tribus illis, qui de candelabris & thuribulo seruiunt, seruitoribus Abbatis candelabra & thuribulum interim tenentibus. Qui & sciphos à Diacono & ab eis recipientes portent ad tabulam Abbatis & super eam ponant, his actis prædicti seruitores Abbatis qui cum eo potũ ad gradum detulerunt, ante ipsum gradum simul veniant, & ante & retro faciant, & postea sessum vadant: Quibus Abbas similiter potum ferat osculans eorum manus ministrantibus illi fratribus illis, qui ei ad lauandos pedes Prioris, & ipsorum seruitorum ministrauerunt;

Hec

Hoc facto Abbas ad ſedem ſuam vadat, & ante eam ante & retro faciat, aſſurgente ſibi conuentu donec ſedeat; Prior vero ſurgens porrigat illi potum oſculans eius manum; lecto ſermone quantum Abbati viſum fuerit, innuẽte eo Diaconus lectionem abſque *Tu autem Domine* finiat, & clauſo libro, ante & retro faciat, & poſtea dalmaticam, & ſtolam, & manipulum ſupra Analogium ponat; Conuerſi vero candelabra, & thuribulum ſuper menſam Abbatis ferant, & ante ipſam menſam ante & retro faciant. Poſt hæc & Diaconus, & conuerſi, ad ipſã menſam ſedentes, bibant, Diaconus iuxta Abbatem, conuerſi iuxta Diaconũ, ſicut ſunt priores. Abbas vero lecto ſermone, ſtatim percutiat vno ictu tabulam. & poſtea tot vicibus, quot vicibus ſkillam percuti conſuetudo eſt ſabbato ad charitatem poſt mandatum. Interim duo ſecretarij ſurgant & Analogium & dalmaticam, cum textu, & ſtola, & manipulo, ad monaſterium ferant. Poſt hæc Abbas ſurgat & humili voce dicat, *Adiutorium noſtrum in nomine Domini*, & eadem voce conuentus reſpondeat, *Qui fecit cælum & terram*: deinde præcedente Diacono cum conuerſis candelabra & thuribulum portantibus, ſequatur conuentus ad monaſterium, Secretario percutiente tabulam ad completorium; & facta confeſſione dicant completorium, bini aut terni ſub ſilentio. Poſt completorium tres orationes ſolito more faciant; Prior tabulam percutiat tribus ictibus poſt orationes infantum, ſicut ſkillam pulſare ſolet: Notandum eſt autem in huius diei obſequio, quia ſi Abbas ſufficere valet omnium fratrum pedes ſolus in hac die lauare debet; reſtante enim beato Benedicto, vices Chriſti agit in monaſterio, & maxime in hoc miniſterio.

Feria ſexta ante nocturna pulſetur tabula in clauſtro, & ante cellarium, & ante domum infirmorum, ad excitandos dormientes. Poſt orationes ſolitas, ſicut in quinta feria, quindecim pſalmi dicantur, candelæ extinguantur, lectiones in primo nocturno, & ſecundo legantur, vnde lectæ ſunt in quinta feria. In tertio nocturno de Epiſtola ad Hæbræos *Fratres feſtinemus ingredi*; Et cętera omnia vſque ad primam ſicut in quinta feria. Ad primam pulſata tabula ſurgentes nudis pedibus vadant ad monaſteriũ, & ſic maneãt omnes donec impleatur diei officium, niſi iuſſu Abbatis calciẽtur pro nimia aſperitate frigoris; Quod ſi euenerit, officio tantum intererunt nudis pedibus. Primam & omnes horas diei, præter veſperas, vſque ad Veſperas Sabbati dicãt ſicut in quinta feria, excepto quod in quinta feria in alto cantãtur hymni, intonantur pſalmi, cantantur Antiphonæ; in his vero diebus duobus hæc omnia in ſilentio & indirectum dicuntur; dicta prima ſeptem pſalmos & litaniam in alto dicant: Poſtea ſedeant omnes in clauſtro, & inchoante Abbate, dicant pſalterium ex integro; Quo cõpleto vadant ad confeſſionem qui voluerint vſque ad horam officij. Appropinquante hora tertia pulſata tabula ſicut ſolent pergant in dormitorium; Dehinc abluti, & pectinati, pulſata tabula vadant ad monaſterium, & factis ſolitis orationibus dicant tertiam. Poſt tertiam pulſata tabula pergant in Capitulum: In quo verſus in ſilentio dicatur, & ſententia ſicut in quinta feria de regula legatur. Poſt ſermonem narrentur, & ordinentur, quæ agenda ſunt vſque ad craſtinum Capitulum: Exeuntes de Capitulo ſedeant in clauſtro non loquentes, ſed cantantes aut legentes; dicta nona induantur ſacerdos, & leuita, & reliqui qui ad officium ſunt ſeruituri: Procedant ad altare ſacerdos, & leuita ſoli, Sacerdos in caſula, Diaconus in ſtola, nullaque præmiſſa ſupplicatione dicat Sacerdos *Oremus*; Diaconus *Flectamus genua*; & ad alteram Collectam ſimiliter: Altare ſit coopertum deſuper vno tantum lintheamine: Singulos tractus duo in albis canant; Paſſio abſque *Dominus vobiſcum* legatur: ad quam nec candelabrum, nec thuribulum; Et cum peruentum fuerit ad locum vbi dicitur *Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi* ſint duo de indutis iuxta altare hinc & inde trahentes ad ſe duos pannos, qui ante officium ſuper altare miſſi fuerant, lintheo tamen remanente ſubtus miſſale: lecta paſſione dicantur orationes ſolemnes, ſicut in miſſali continentur; Pro cunctis ordinibus flectantur genua, niſi pro Iudæis. His expletis depoſita caſula, & ſtolis reuertantur Sacerdos, & leuita in chorum in albis. Tunc duo Sacerdotes, quibus cantor iuſſerit, induti albis accedant ad crucem, quæ debet eſſe præparata, & cooperta ad altare matutinale, quam accipientes ferunt eam paulatim progredientes, & cantantes Verſus *Popule meus*; Duo leuitæ in albis ſtantes ante gradus, ante altare maius reſpondeãt *Agyos o theos*, Chorus autem dicat, *Sanctus Deus*: Sacerdotes, *Quia eduxi vos*: Leuitæ, *Agios*: Chorus, *Sanctus*, Sacerdotes, *Quid vltra*. Leuitæ, *Agyos*: Chorus, *ſanctus*: Tunc Sacerdotes crucem ferentes veniant ante altare, & cum finierint *ſanctus*; ſtatim diſcooperientes eam incipiant ambo Antiphonam *Ecce lignum*: & tũc demum omnes flectant genua: Repetatur Antiphona cum verſibus pſalmi *Beati immaculati* quantum Cantori viſum fuerit: Dehinc canantur alia ad hoc ſeruitium pertinentia quantum opus fuerit; Tapetia ſint extenſa ante altare, ſuper quę proſternãtur primum domnus Abbas, & induti, interim in locum eorum, qui tenent crucem ſuccedentibus alijs, deinde cæteri,

ſicut

ficut eft, ordo eorum; Et non prolixè adorantes iaceant, fed breuiter & pure orantes: Poftea vnufquifque ofculetur pedes crucifixi, & poft reuertatur in chorum; Quod fi conuenerint aliqui vel clerici vel laici volentes adorare crucem, portetur eis crux in alium locum, vbi aptius adorent eam, Quæ fi per chorum tranfierit flexis ad terram genibus adoretur à fratribus, non fimul omnibus, fed ficut portabitur coram eis; Adorata ab omnibus cruce portitores eius eleuantes eam incipiant Antiphonam, *Super omnia ligna cedrorum* & fic vadant ad locum vbi eam collocare debent: Tunc omnes petant veniam flexis ad terram genibus. His ita geftis Sacerdos refumpta cafula cum ftola, & diaconus ftola, præcedentibus conuerfis cũ candelabris, & thuribulo, vadant ad locum vbi quinta feria corpus Domini fuit repofitum; Et pofito incenfo in thuribulo incẽfet illud, & fic tradat diacono ad reportandum; In eundo & redeundo conuerfos fequatur diaconus, facerdos extremus veniat. Cum appropinquant altari adorent omnes Fratres corpus Domini flexis genibus: Collocato fuper altare Chrifti corpore, facta in calice vini & aquę commixtione, dicta à Sacerdote cum Diacono confeffione, facta fuppliciter à Sacerdote ad altare oratione, incenfet Sacerdos corpus Chrifti, & calicem; Deinde dicat mediocri voce, *Oremus*; *Præceptis falutaribus moniti*, & cætera vfque *Et ne nos inducas in temptationem* & chorus refpondeat, *Sed libera nos à malo*; Dehinc Sacerdos in filentio *Libera nos quæfumus Domine*; & cætera vfque *In vnitate Spiritus Sancti Deus* Et poft moderata voce *Per omnia fæcula fæculorum*. Et refpondente choro *Amen* nihil amplius dicat; miffaque in calicem ficut folet particula Dominici corporis, communicet fe, & fratres omnes, fine ofculo pacis. Communicatis omnibus pulfetur tabula, & fiat oratio vefpertina. Qua completa, exeant in clauftrum, & lauent pedes de aqua calida, & calcient fe diurnalibus fuis. Poftea pulfatis tabulis redeuntes in chorum dicant vefperas in filentio, eifdem ficut in quinta feria Pfalmis, Antiphonis, precibus, collectis, nifi quod pro Pfalmo *Voce mea*, qui dictus eft quinta feria, hac die dicitur Pfalmus, *Benedictus Dominus Deus meus*; Dictis vefperis & pulfata tabula eant in refectorium, vbi reficiantur pane tantum, & aqua, & herbis crudis; Cibi fratrum coquantur in coquina ficut cæteris diebus, & inde portentur ad eleemofynam; Solitus quoque potus detur pauperibus; Reficiente conuentu, fecretarij adiunctis fibi Sacerdotibus, quot neceffarij fuerint, & quibus iuffum fuerit, remaneant in Ecclefia, ad abluenda altaria omnia, quæ prius lauanda funt aqua, deinde vino; Refectis feruitoribus, poftquam de monafterio & dormitorio in clauftrum redierint, pulfata tabula fratres eant in refectorium propter feruandum ordinem, quafi ad bibendũ, & bibant aquam, qui voluerint alium potum, minime; Illis exeuntibus de refectorio, & in clauftro refidentibus facto congruo interuallo pulfetur tabula & vadant omnes ad collationem; A qua iubente Abbate, percuffa à priore tabula, furgentes pergant in refectorium ad caritatem bibendam.

Sabbato Sancto percutiatur tabula ante nocturna ficut in fexta feria, & cætera fimiliter fiant vfque ad Primam; In tertio nocturno legatur de Epiftola Pauli Apoftoli *Chriftus affiftens Pontifex futurorum*; Ad primam furgant in nocturnalibus fuis: Primam, & feptem Pfalmos, & litaniam, & cæteras horas, vfque ad Vefperas dicant, ficut in fexta feria; In Capitulo legatur fententia de regula Sancti Benedicti & difponantur quæ agenda funt vfque ad pafchale Capitulum; Ante Capitulum, & poft Capitulum debent fecretarij monafterium & omnia altaria ornare, cereos vbicumque effe debent collocare, cereum ad benedicendum in loco fuo ftabilire; In quo à Cantore fcribi debet quotus annus ille fit ab incarnatione Domini, & crux defignari infixis in quinque locis quinque granis incenfi; Poft Nonam induantur qui officium funt celebraturi, & ad officium fpecialiter ferituri, & infantes omnes, Sacerdos alba, & ftola, cæteri albis induti, in chorum redeant: Dehinc procedant ad facrandum ignem, canentes Pfalmum quinquagefimum; Primus omnium fecretarius qui haftam portat, in qua facratum ignem reportet; Dehinc portitor aquæ benedictæ; Poft hos qui portant crucem, & thuribulum: Deinde Sacerdos, qui ignem facraturus eft; poft quem infantes; Dehinc reliqui induti, poft quos alij fratres, ficut procedunt Dominicis diebus; Sacrato igne, proijciat Sacerdos aquam benedictam fuper eum, & poftea ex carbonibus ipfius ignis impleatur thuribulum, quo impleto, imponat Sacerdos thus, & incenfet ignẽ: Tunc accendatur cereus, quem portare in hafta debet Secretarius; Accendatur & candela in laterna vt fi forte in eundo extinguatur cereus ex ea accendatur; hanc laternam portare debet vnus de magiftris puerorum. Ad hanc proceffionem candelabra non portantur: Eundẽ ordinem feruent in redeundo, quem habuerunt in eundo. Reuertentes dicant hos Pfalmos, *Deus in nomine tuo*: *Miferere mei Deus, miferere mei*; *Deus mifereatur noftri*; *Deus in adiutorium*; In fede Epifcopali canatur a duobus pueris Hymnus *Inuentor rutili*. Ignis fanctificatus qui in

claustro remansit à famulis Celerarij colligatur, & ex hoc igne omnes foci in omnibus officinis prius extincti iterum accendantur. Plurima monachorum cœnobia faciunt hanc ad sanctificandum ignem processionem, in quinta etiam, & sexta feria, Secretario præferente cereũ in hasta, vel virga in quinta feria, Priore in sexta, Abbate in sabbato. Processione in chorũ reuersa sine candelabris & thuribulo, Sacerdos indutus casula procedat ad altare; Diaconus vero stola & dalmatica indutus veniat ante Abbatem, & petat ab eo benedictionem; Dehinc vadat ad cereum, & benedicat eum, nec ante benedictionem, nec post benedictionem ante & retro faciens, vnus autem ex conuersis cum tempus fuerit, indicante Cantore, deferat Abbati ignitis carbonibus plenum thuribulum; In quo thure iniecto accedat ad Diaconum, & iuxta eum sit, vt cum tempus fuerat, accipiat Diaconus ab eo thuribulum, & incenset cereum. Secretarius vero sit paratus, vt cum dictum fuerit *Rutilans ignis accendit* statim accendat cereum; Benedictione peracta Diaconus deposita dalmatica, & stola, ad suum locum in chorum reuertatur Cereus vero non extinguatur vsque in crastinum post Vesperas, lectiones statim inchoëtur, Sacerdos absq; cantu dicat orationes ad altare sicut sunt per ordinem, vltima oratione dicta Cantor, & alter frater, quem voluerit induti cappis incipiant in choro Litaniam ternam, hoc modo; Cantores *Kyrie eleyson*; dexter chorus similiter respondeat *Kyrie eleyson*; Deinde sinister, & cætera eodem modo, vsque ad finem litanię: Ternos Sanctos de vnoquoque ordine dicant: Ad singula Sanctorum nomina vterque chorus incliner, Cantores ad nullum: Incœpta Litania fratres accedant ad formas sicut in duodecim lectionibus, ad Tertiam Sacerdos reuertatur in Secretariam & deposita casula & stola redeat in chorum. Cum dixerint Cantores *Omnes Sancti orate pro nobis*, exeant de choro Sacerdos, Leuita, Subdiaconus, tres conuersi, & induat se Sacerdos casula, Leuita dalmatica, Subdiaconus tunica. Finita Litania pronuncient Cantores tribus vicibus alta voce *Accendite* & tunc primum accendantur candelabra & cætera luminaria, quæ ante altare, & circa altare sunt, & Cantores incipiant festiuum *Kyrie eleison*; & Sacerdos, cum processione solita, ad altare procedat, & signa tunc pulsari incipiant, nec desinant, vsque ad finem *Kyrie eleison* Et tunc primum det Cantor cappas his qui *Alleluia* & tractum cantaturi sunt. Finita *Kyrie eleison* incipiat Sacerdos, *Gloria in excelsis Deo*; Quando legetur Euangelium non teneantur candelabra, sed solum thuribulum: In hac consuetudine concordant omnes fere principales monachorum Ecclesiæ, quæ nostro tempore maioris auctoritatis sunt, sicut & in eo quod offerenda, & *Agnus Dei*, & *Communio* ad hanc Missam non dicuntur, licet cætera festiue dicantur. In quibusdam quoque non improbandæ auctoritatis cœnobijs, nec ante Sacerdotem ad altare procedentem hac die candelabra portantur. Celebrata fere Missa Sacerdote incipiente *Per Dominum nostrum* incipiant pulsari duæ skillæ ad Vesperas vt mos est in maximis festiuitatibus: Responso *Deo Gratias* ad *Ite missa est*, fiat oratio Vespertina, Qua facta vadant infantes in refectorium, si aliqui adeo parui sunt, vt vsque post Vesperas expectare non possint; Interim pulsentur maiora signa duo & duo; Ad extremum pulsatis omnibus signis canantur Vesperæ vt decet solemniter: Hebdomadarius Cantor incipiat *Alleluia* ex aliqua Antiphona ex qua Cantor præceperit: Psalmi *Confiteantur*; Capitulum; *Si consurrexistis*; Responsorium *Angelus Domini locutus est*; Hymnus *Ad cœnam agni prouidi*; Versus *Resurrexit Dominus*; Ad *Magnificat*, *Vespere autem sabbati*; Collecta, *Deus qui hanc sacratissimam noctem*. Post Vesperas, procedant ad crucifixum.

§. 5. *Tempore sancto Paschatis.*

Die Sancto pasche ante Vigilias matutinas pulsentur omnia signa, dehinc duo & duo, sicut mos est, Ad inuitatorium quatuor in cappis, Psalmi à beato Benedicto instituti, id est *Domine in virtute tua* & cæteri; Ad lectiones circumferantur thuribula, sicut in die Dominicæ Natiuitatis institutum est: Totum denique officium more monachorum agatur: Processio ad crucifixum post matutinas laudes, & post Vesperas, per totam septimanam vadat, Missa Matutinalis hac die cum vna collecta; processio in cappis: Ad Vesperas Psalmi regulares id est *Dixit Dominus* & reliqui, qui diebus Dominicis dici solent; Super Psalmos Antiphonæ, quæ ad Matutinas laudes dictæ sunt. Tribus sequentibus diebus ante Vigilias pulsentur signa duo & duo; ad inuitatorium tres in cappis; Psalmi feriales dicantur, sex sub vna Antiphona, & sex sub alia; duo & duo primum, & secundum responsorium: tertium tres: laudes sub vna Antiphona; Ad thuribula duo Sacerdotes cappis induti ad Laudes, & ad Vesperas; Missa matutinalis cum vna collecta; ad maiorem omnes sint cappis induti: Ad Vesperas per totam hebdomadam sub vna Antiphona dicantur Psalmi, qui in die paschæ ad

Vesperas

Vesperas dicti sunt; Tribus sequentibus diebus, ad inuitatorium duo in froccis; ad nocturna Psalmi feriales, tres lectiones de pronunciato Euangelio; maior Missa, & cætera omnia, sicut in duodecim lectionibus. In hac hebdomada non loquantur in claustro: Missa matutinalis *Resurrexi*: omnes horæ cum Antiphonis canantur: Sabbato tantum ad Vesperas Psalmi cũ *Alleluia* dicantur. Octaua die ad inuitatorium tres in cappis; Ad lectiones legantur Paschales Sermones; in tertio nocturno pronuntietur Euangelium *Cum esset sero*; Missa matutinalis *Quasi modo geniti*: Processio in albis: maior Missa *Resurrexi*, ad quam sint omnes cappis induti; Feria secunda ponatur ad legendum liber Actuum Apostolorum vsque ad sequentẽ Dominicam: ad vtrumque nocturnum & ad omnes horas *Alleluia* dicatur vsque ad Ascensionem Domini. Post Capitulum, pulsata tabula, loquantur in claustro; Post Nonam, cum exierint de refectorio, pergant in Capitulum, & supplicent ante, & retro, pulsetque Prior tabulam tribus ictibus, dicatque ter, *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina*: & conuentus idem ter respondeat adiungentes *Gloria Patri, Kyrie eleyson; Christe eleyson; Kyrie eleyson. Pater noster*; & Prior *Et ne nos, Adiutorium nostrum in nomine Domini*, conuentus *Qui fecit cœlum & terram*; & à Priore dicto *Benedicite*, post loquantur in claustro: Hic loquendi ordo teneatur vsque ad idus Septembris priuatis diebus, nisi ieiunium fuerit.

Dominica prima post Octauas paschæ, legatur Apocalypsis, & canatur historia *Dignus es Domine* duabus septimanis. A Dominica tertia vsque ad Ascensionem Domini legantur septem canonicæ Epistolæ, & canatur historia *Si oblitus*; diebus rogationum dictis Matutinis pro defunctis, fratres ad lectos redeant, & qui volunt plus solito dormiant; His enim diebus meridianis horis non dormiunt nec aliquo sonitu, vt alijs diebus mos est, manẽ excitantur, sed cum tempus visum fuerit congruum, excitare debent infantes magistri eorum, quam quietius possunt: Quibus in claustro legentibus, surgant sine mora, qui in lectis adhuc quiescunt. Post Primam, & familiares Psalmos primæ, & septem Psalmos & Litaniam, dicatur Missa de ieiunio ad maius altare; Post cuius primam orationem dicantur aliæ, quæ ad maiorem Missam quotidianis diebus dici solent, addita in fine alia, id est, *Sanctorum tuorum intercessionibus*. Omnes offerant ad pacem, solus Prior, aut qui in loco Prioris est vadat. Sententia de regula legatur in Capitulo, & ordinetur processio. Post Tertiam sumant mixtum pueri, & infirmi, qui ieiunare non possunt. Cantata Sexta vadant in dormitorium, sicut alio tempore, quando meridianis horis in lectis quiescere solent, & facto paruissimo interuallo pulsetur skilla; Dehinc nudis pedibus de dormitorio descendant, manus abluant, ad Ecclesiã vadant, orationem faciant. Qua facta incipiat infans Antiphonam *Exurge Domine*. Interim pulsentur duo signa: Cantata Antiphona dicat Sacerdos *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*: Sequatur *Kyrie eleison, Pater noster* Psalmus *Deus misereatur nostri* In crastino *Deus in adiutorium meum*, Dehinc Sacerdos *Et veniat super nos*, collectam pro peccatis. Postea sonantibus signis exeant processuri canentes, incipiente Cantore, quæ ad processionem pertinent, præcedant famuli cum vexillis, sequetur conuersus cum aqua, post quem alius cum cruce: Dehinc Subdiaconus ferens textum, post quem fratres laici, dehinc infantes cum Magistris, post quos Cantores, extremis prioribus, & præcedentibus iunioribus, sicut est ordo eorum; In egressu monasterij sint famuli Camerarij, habentes ibi baculos præparatos quos tribuant fratribus ad se sustentandos; Cum peruenerint ad Ecclesiam ad quam ituri sunt incipiat Cãtor Antiphonam vel responsorium de sancto in cuius honorem fundata est ipsa Ecclesia; Intrantes fratres reddant baculos prædictis famulis ab eisdem iterum recepturi exeuntes. Finito incœpto cantu dicat statim Sacerdos Capitulum de sancto illo, & collectam cum *Dominus vobiscum* alta voce & sollemniter; Infans *Benedicamus Domino*. Quo dicto inclinantes se faciant orationem. A qua facto signo surgentes inclinent ante, & retro Dum hęc fiunt Sacerdos, & Leuita, & cæteri, qui circa altare seruituri sunt, præparare se debent ad celebrandam Missam, Secretarius quoque pallio & honestis pannis altare decenter parare, omnia enim quæ ad hoc seruitium sunt necessaria instantia Secretarij, illuc prius debent esse delata. Paratis omnibus celebretur iterum Missa de ieiunio: Post primam orationem dicatur oratio de sancto illo, cuius est Ecclesia, nullaque amplius: Celebrata fere Missa, duo fratres qui cappis induti debent dicere *Agnus Dei* ad portas monasterij inclinantes se ante, & retro, regrediantur, sumentes secum aliquos ex famulis, quibus iussum fuerit, & dicentes inter se Litaniam quam conuentus in reditu cantaturus est; Expleta Missa accedant statim fratres, quibus iussum fuerit, & stantes in medio pronuncient Litaniam: Interim Sacerdos, & qui ad Missam seruierunt, expediant se, & sic reuertantur in chorum; Post *Sanctum Ioannem*, & *Omnis chorus Prophetarum*, pronuncient illum Sanctum duabus vicibus in cuius nomen est Ecclesia dedicata; Postea inclinantes se omnes ante, & retro, regrediantur eo ordine, quo

 venerunt;

venerunt; Cantores Litaniæ producant aut breuient ipsam Litaniam secundum quantitatẽ itineris: Qui in redeundo pergere debent post infantes, ante reliquum conuentum Cantorũ. Cum autem processio rediens ante monasterij introitum venerit, statione facta Litaniam finiant: Qua finita Cantores eius in ordinem suum redeant, & prædicti duo Cantores, qui præcesserant cappis induti nudis pedibus ante portas monasterij stantes dicant *Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis*; Chorus similiter respondeat: Cantores *Suscipe deprecationẽ nostram qui sedes ad dexteram Patris*: Chorus *Agnus Dei* sicut supra: Cantores *Gloria Patri & filio & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum, Amen.* Interim præcedentibus qui vexillum portant, & cætera quæ superius dicta sunt, sequantur Cãtores, & reliquus conuentus; Dicta *Gloria* respondeat conuentus *Agnus Dei* vt supra. Conuentu intrante monasterium pulsentur signa: Cantores *Exaudi Deus*: Conuentus *Orationem populi tui*. Cunctis fratribus chorum ingressis, collocata cruce, & reliquis, quæ portata sunt in locis suis, prædicti duo Cantores in medio Chori stantes pronuntient Litaniam *Sancte Sãctorum Deus miserere nobis*, priores à parte altaris sint, reliqui post eos, sicut est ordo eorum. Expleta Litania pulsetur signum ad Nonam, factaque oratione Nonæ, vadant in claustrum lauare pedes; Quibus lotis, reuertentes in chorum, pulsato alio signo, cantent Nonam; Ad Vesperas secunda, & tertia feria, pulsentur signa, sicut priuatis diebus; Inter signa dicãtur Psalmi *Deus auribus nostris*; Post Vesperas de omnibus Sanctis, dicantur Vesperæ mortuorũ: Vigilia mortuorum his diebus non agatur si processio extra claustrum perrexerit, alioquin agatur sicut solet: His tribus diebus ad nocturna, capitula, & collectæ de resurrectione, & ad Vesperas secundæ, & tertiæ feriæ; Ad matutinas vero laudes, & ad Tertiam, & ad Sextam, & ad Nonam, capitulum, & collectæ de ieiunijs. Si in his tribus diebus festiuitas duodecim lectionum euenerit totum seruitium noctis, & diei, de ipsa festiuitate agatur; Dicta Tertia, & pulsatis omnibus signis Missa ipsius festiuitatis sicut alio tempore sollemniter celebretur, Processio vadat sicut alijs diebus excepto quod calciati, & sine baculis ibunt; Missa ieiunij ad monasterium quo processerint celebretur. Si autem festiuitas trium lectionum euenerit, commemoratio ipsius tantummodo fiat ad Vesperas, & ad Matutinas laudes, & ad priorem Missam de ieiunio.

§. 6. *Tempus Pentecostes.*

Sabbato in Vigilia Pentecostes surgentes à Meridiana abluti, & pectinati ad Ecclesiam veniant, & oratione facta, induantur officium celebraturi, & ad officium seruituri, Agatur officium festiuè sicut in sabbato sancto; Cantor, & alius frater, quem voluerit, induti cappis pronuncient Litaniam ternam, sicut in Vigilia paschæ; Cum pronuntiatum fuerit *Accendite* accendatur cereus benedictus, & reliqua luminaria, vnus enim cereus solummodo ante illam horam debet esse accensus, ante altare; Cum incœperint *Kyrie eleyson*, pulsentur omnia signa; Sequatur *Gloria in excelsis Deo*; Ad Euangelium teneantur Candelabra, & Thuribulum, Post Missam pulsatis duobus maioribus signis faciant orationem Nonæ, etiam duo Cantores in cappis. In crastino & totis octauis agatur sicut in paschali solemnitate, & octauis paschalis sollemnitatis, nisi quod Octaua huius festiuitatis die, vtraque Missa est *Spiritus Domini*.

Feria secunda, si nulla festiuitas sit, dicatur Missa *Domine in tua misericordia*. Hac hebdomada inchoanda sunt ieiunia, quæ regula præcipit, quarta, & sexta feria, vsque ad idus Septembris, nisi rationabilis causa existat cur Abbas, vel Prior bis reficiendi licentiam tribuat; Post Capitulum ipsis ieiuniorum diebus, sedeant in claustro loquentes: Secretarius vero non pulsabit minimum signum sicut consuetudo est post Capitulum ad apparatum Missæ: Post Tertiam pergant infantes, & minuti sanguine, & infirmi quibus licentia data est accipere mixtum; Post sextam agatur meridiana: A qua surgentes, nudis pedibus, in claustrum veniant, afferentes sua calciamenta; Post hæc abluti, & pectinati veniant in ecclesiam, & facta oratione pulsatisque duobus signis, inchoet infans, *Exurge Domine*, & cætera sicut longe superius dictum est Hic ordo seruandus est feria quarta, & sexta, vsque ad festiuitatem omniũ sanctorum, nisi sit Vigilia, cuius Missa sollemniter celebretur, tunc enim processio ex toto dimittitur.

Dominica prima post Octauas Pentecostes canantur Hymni ad nocturna, & ad Matutinas laudes, *Nocte surgentes*: *Ecce iam noctis*, qui canendi sunt Dominicis diebus, vsque ad Dominicam primam mensis Octobris, ponantur ad legendum libri Regum, & Paralipomenon vsque ad Dominicam primam mensis Augusti: Historia *Deus omnium*.

Dominica

Dominica prima mensis Augusti ponant Salomonem, vsque ad Dominicam primam mensis Septembris; Responsoria *In principio*.

Dominica prima mensis Septembris ponant Iob; Tobi; Iudith; Hester; Esdram vsque ad Dominicam primam mensis Octobris.

Ab idibus Septembris priuatis diebus agantur continuè ieiunia, quæ regula præcipit, atque ipsa die Iduum incipiant ieiunare sicut beatus Benedictus instituit, vna tantum vice loquantur in claustro vsque ad kalendas Octobris, id est post Capitulũ vsque ad Tertiam. Post Sextam in dormitorium vadant, & post paruissimum interuallum, pulsato minimo signo, descendant, lauent, ad monasterium pergant, factaque oratione, dictaque Litania, Missam celebrent. Celebrata fere Missa pulsetur signum ad Nonam. Post Missam, facta oratione, pergant seruitores accipere mixtum: Quibus reuertentibus pulsato alio signo canatur Nona.

§. 7. *Quinque festiuitates Præcipuæ.*

Quinque sunt præcipuæ festiuitates, id est, Natale Domini, Resurrectionis eius, Pentecostes, Assumptio Sanctæ Dei genitricis Mariæ, Festiuitas loci. Seruatis omnibus, quæ de Sabbato sancto dicta sunt, in harum festiuitatum vigilijs ornetur totũ monasterium, & omnia altaria, secundum facultatem loci, sicut honestius fieri potest; Mundentur officinæ, & claustrum: Sedilia Refectorij, Capituli, Claustri tegantur, bancalibus sternatur iuncus. Ad Missam ieiunij induantur honestè, qui eam sunt celebraturi, Sacerdos honorificè, Diaconus dalmatica, Subdiaconus tunica: Tres conuersi, Cantor Hebdomadarius cappa, duo fratres ad responsoria, Ante Missam pulsentur signa, sicut in festis diebus, Litania minimè dicatur; *Kyrie eleyson*, festiuum canatur, vna tantum collecta dicatur. Si festiuitas in hac die euenerit, Missa matutinalis de ea cantetur. Ad Nonam duo maiora signa pulsentur. Ad Vesperas duo minima dehinc gradatĩ duo & duo, ad extremũ omnia. Inter signa luminaria Monasterij omnia accendantur. Ante singula altaria quæ extra Presbyterium sunt singula luminaria ardeant; Antiphonas super psalmos, quibus Cantor præceperit incipiant; Responsorium quatuor in cappis canant, Antiphona ad *Magnificat* ter dicatur; Abbas, & Prior cappis induti incensent vtraque Presbyterij altaria, ante, & desuper vterique simul, singuli singula latera; Parati sint duo alij Sacerdotes Hebdomadarij, scilicet maioris Missæ, & minoris, qui thuribula de eorum manibus accipiant, & hinc, & inde per altaria, quæ extra sunt circumferant: Qui reuertentes in Chorum Abbati prius, Priori postea ferant, post eis, qui Responsorium cantauerunt, non ambo simul, sed vnus hinc, & alter inde; dehinc duo conuersi in albis, cæteris fratribus. Abbati de libro seruiat qui thuribulum de eius manu accepit; In his Vigilijs tabulæ Refectorij debent esse coopertæ. In crastino ante nocturnas Vigilias ad excitandos fratres pulsentur omnia signa; dehinc gradatim duo, & duo, ad extremum omnia. Ad Inuitatorium quatuor in cappis. Terna responsoria in tribus nocturnis duo, & duo; Quartum quatuor; Octauum quinque; Duodecimũ sex canant. In tribus Nocturnis dum legitur tertia lectio duo Sacerdotes cappis induti incensent altaria maius, & minus: dehinc ferant Abbati, & Priori, & cæteris fratribus, per ordinem; Octauum, & duodecimum responsorium post *Gloriam* à capite repetantur; pronunciato Euangelio Altare discooperatur, & omnia luminaria accendantur; Ad *Te Deum laudamus* duo maiora signa pulsentur; lecto Euangelio, collecta dicta, pulsatis omnibus signis, inchoet Sacerdos Matutinas Laudes; dehinc in vestiarium rursus casulam, & stolam deponat, & sic in alba, cum manipulo in chorum redeat, incœpto Hymno exeat, manipulum deponat, cappam induat, & cum alio fratre similiter cappa induto, sicut ad hesternas Vesperas cum Thuribulis per altaria vadat, duobus conuersis cum eis indutis in albis. Si Abbas Euangelium legerit, post Euangelium indutus cappa in Chorum reuertatur: Antiphona ad *Benedictus* ter dicatur; Ad Primam duo maiora signa pulsentur. Tres cerei ante Altare accendantur, similiter ad Tertiam, & Sextam, & Nonam; Capitulum breuiter peragatur. Missa matutinalis cum vna Collecta, & præfatione dicatur, Dum Sacerdos in canone est remanentibus infantibus cum magistris suis in Choro, qui ante Missam debent esse induti, cæteri pergant induere se, qui accipientes à Secretario vestimenta extra Secretariam se induant. Si vero paruus locus est exeant aliqui in Claustrum vel Capitulum, & ibi induant se: Meliores vero albæ tribuantur prioribus, & honestioribus personis; vnusquisque mox vt indutus fuerit, reuertatur in chorũ, Missa peracta si dies Dominicus non fuerit, cessante maiore signo, quod incœpta vltima collecta missæ pulsari cæpit, fiat oratio Tertiæ. Post orationem, pulsato alio signo, cantetur Tertia; Si vero Dominicus fuerit expleta

pleta matutinali Missa, non pulsato adhuc Tertiæ signo, fiat aqua benedicta, sicut aliis Dominicis diebus fieri solet: dum cantant *Asperges me* pulsetur maius signum ad Tertiam. Aspersa aqua benedicta, vadat sacerdos per officinas, cum portitoribus aquæ, & crucis: Cessante signo fiat oratio Tertiæ. Qua expleta pulsato alio signo canatur Tertia; Sacerdos interim, qui per officinas iuit, reuertens ante introitum monasterij, dicat orationem solitam; dehinc intrans ante vnum de altaribus via sanctorum; dicta Tertia, distributis cappis, dispositis in choro à Cantore, qui ea, quæ portanda sunt, portare debent, exeant omnes hoc ordine processuri: Primum conuersus ferens situlam cum aqua benedicta, dehinc duo portantes duas cruces, post quos duo cum duobus candelabris accensis desuper cereis, alij duo ferentes duo thuribula igne & thure plena; hos sequantur duo subdiaconi tunicis induti, portantes duos Euangeliorum textus, post quos infantes cum magistris suis: extremi Abbas, & Priores, præcedētibus alijs binis & binis, sicut est ordo eorū. Cum processio de choro incipit exire pulsētur duo maiora signa, nō cessatura vsque dū processio in chorū sit reuersa, cessentque alia signa; Procedentes per maiores ianuas monasterium introeant, & ante Crucifixum stationem faciant. Qua facta expleto cantu quem incœperant, incipiat Abbas, vel Cantor, quod ad ipsum idem pertineat, & sic sonantibus omnibus signis chorum introeant, eisque cessantibus Missam incipiant. Ante Missæ introitum sternatur vnum, aut duo tapetia per transuersum chori, vbi stare debeat Cantor, & cæteri, quos ad se vocauerit ad chorum regendum; Omnes cerei, qui in coronis sunt, & cætera luminaria, quæ in choro, & presbyterio, & ante Crucifixum sunt accendantur, Cantor prouideat quot, & qui, quæ singulariter cantanda sunt, cantent. Ad sequentiam duo maiora signa pulsentur. *Communio* si opus fuerit repetatur cum versu, & *Gloria Patri*. Expleta Missa pulsentur omnia signa; vnusquisque vestimentum suum, & cappam, vtraque bene plicata deferat secretario ad arcam; Festiuæ mappę super tabulas refectorij sint extensæ ita vt ante pēdeant; Sint & quotidianæ, lotæ tamen, super quas manducent fratres: Manutergia etiam candida, & honesta super tersoria: quotidiana sint extensa; Quæ manutergia post Capitulum à camerarijs sunt extendenda; Nullus tamen fratrū debet ibi manus tergere, nisi solummodo ad refectionem primam, & sero ad cœnam. Ad Nonam duo maiora signa pulsentur. Ad Vesperas agatur de signis, & cereis, sicut actum est ad Vesperas pręcedentis diei. Post cœnam refectis seruitoribus colligant refectorarij mappas festiuas, & bene plicatas reddant Celerario conseruandas; Camerarius vero honestiora tersoria accipiat, & custodiat.

§. 8. *Festiuitates præcipuæ secundæ classis.*

Sunt aliæ festiuitates, quæ magnificè celebrantur, quamuis non æqualiter superioribus, Sunt autem hæ; Epiphania, Purificatio Sanctæ Mariæ, Festiuitas sancti Gregorij, Annunciatio Christi, Octaua dies Paschalis solemnitatis, Festiuitas sancti Alfegi Martyris, Ascensio Christi, Festiuitas sancti Augustini Anglorum Archiepiscopi, Octaua pentecostes dies, Natiuitas sancti Iohannis Baptistæ, passio Apostolorum Petri & Pauli, Translatio sancti Benedicti, Natiuitas Sanctæ Mariæ, Festiuitas sancti Michaelis, Festiuitas omnium sanctorū, Festiuitas sancti Andreæ, dedicatio Ecclesiæ; Harum omnium Festiuitatum pręcedentibus diebus ornentur altaria, presbyterium, chorus, membra monasterij, ex vtraque parte chori; pulsentur signa sicut in præcipuis Festiuitatibus; accendantur duæ partes cereorum coronæ presbyterij, & omnia luminaria quæ circa maius altare sunt; & cereus ante Crucifixum: Antiphonæ, si propriæ habentur, quibus Cantor præceperit, super Psalmos imponant: Sin autem, cum vna Antiphona de ipsa Festiuitate canantur; Responsorium duo in cappis; Antiphona ad *Magnificat* bis dicatur; duo sacerdotes cappis induti ad thuribula sicut superius de præcipuis Festiuitatibus dictum est. Missæ vigiliarum ascensionis Christi, Iohannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, Omnium sanctorum festiuè celebrentur; Si quęlibet harū Vigiliarum, vel alia aliqua quæ festiuè celebretur Dominica die euenerit totum seruitium noctis, & Missa matutinalis de Dominica agatur; maior verò Missa, cum *Alleluia* post responsorium de Vigilia dicatur excepta Dominicæ Natiuitatis Vigilia, in qua si ita euenerit in tertio nocturno de ipsa Vigilia cantatur, & legitur: In crastino ante nocturnas vigilias pulsentur signa, bina, & bina, dehinc simul omnia; Ad inuitatoriū tres in cappis, tria respōsoria in tribus nocturnis duo, & duo canant, quartū tres, octauum quatuor, duodecimū quinque, quod post *Gloriam* à capite repetatur; Pronunciato Euangelio altare discooperiatur, luminaria, sicut ad vesperas præcedentis diei, accendantur; Antiphona ad *Benedictus* bis dicatur & thuribula similiter circumferantur; Ad Primā duo signa pulsentur, tres cerei accendantur, similiter

militer ad Tertiam, & Sextam, & Nonam; Ornentur sedilia, extendantur mappæ, & terso-
ria, sicut supra dictum est; Missa matutinalis de ipsa sollemnitate cum vna collecta, nisi sit
festiuitas alicuius sancti, vnde commemoratio fiat: quod si euenerit, matutinalis Missa erit
de sancto, & collecta prima, secunda de ipsa sollemnitate, & non amplius: Sacerdotes ad
Missas priuatas similiter collectam vnam; Dicta matutinali Missa conatur Tertia, celebretur
Missa in cappis, excepta Purificatione sanctæ Mariæ, in qua ad Missam sint omnes albis in-
duti propter cereos, præter cantorem, & eos, qui circa eum sunt, quos cappis etiam indu-
tos esse oportet. Excipiuntur quoque Beati Gregorij, & Dominicæ Annunciationis festiui-
tates, quando intra quadragesimam celebrantur; In his enim similiter sint omnes albis in-
duti, præter supradictos, & eos, qui responsorium, & tractum cantant; Hi namque præci-
piente cantore, accedentes ad cantandum cappas in choro induant, & cum percantaue-
rint venientes in vestiarium eas ibi deponant: Cantor quot, & quos voluerit ad se vocet;
Numerus cantantium Responsorium, & *Alleluia*, & cætera quæ cantanda sunt in arbitrio
cantoris sit. Celebrata Missa pulsentur omnia; Si aliqua harum festiuitatum Dominica die
euenerit, dicta Matutinali Missa, fiat aqua benedicta, & processio per claustrum, sicut solet
Dominicis diebus, omnes tamen sint albis induti. Ad Nonam pulsentur signa duo, & agan-
tur Vesperæ, sicut præcedenti die. Festiuitatem beati Gregorij inter superiores ideo com-
putamus; quia noster id est Anglorum gentis Apostolus est. Si Dominicæ Annunciationis
festiuitas aliqua quadragesimæ Dominica euenerit in crastinũ differatur; alioquin seruitiũ
Dominicæ diei recitaurari non posset; Vesperæ vsque ad Capitulum de Dominica agantur,
Capitulum de festiuitate dicatur; Post primam collectam commemoratio Dominicæ diei
fiat; Si sabbato euenerit, totum diei seruitium de ipsa sollemnitate agatur. Post primam ves-
pertinam collectam, collecta de Dominica dicatur, excepto sabbato ante palmas, in quo si
hæc festiuitas euenerit, de ipsa festiuitate agatur seruitium, vsque ad Capitulũ vespertinum.
Ipsa die duo fratres in fro[illegible] responsorium cantent, vnus sacerdos cappa indutus altaria in-
censet; Post primam coll[illegible] commemoratio festiuitatis fiat; Si vero tertia feria post pal-
mas euenerit, festiuitas quidem, sicut dictum est, celebretur, sed fratres in crastino radan-
tur, & tunc post Capitulũ & post sextam in claustro loquantur. Qui autem * ipso die bal-
neentur. Si vero quinta feria, vel sexta, vel sabbato ante Pascha, vel in Paschali sollemnitate,
vel tribus sequentibus euenerit, in quintam feriam post Paschalem sollemnitatem differatur;
Festiuitas ista tunc ita sollemniter agatur sicut Paschalis sollemnitatis, excepto quod pro
skilla ante nocturnas Vigilias ad excitandos fratres classicum non pulsetur nec processio fiat:
Antiphonæ, & responsoria, quæ in hac festiuitate in quadragesima canerentur, in hoc quo-
que tempore, cum adiunctis *Alleluijs* canantur; versiculi quoque omnes cum finali *Alleluia*
dicantur: Inuitatorium, *Alleluia Alleluia* secundum melodiam inuitatorij, *Aue Maria*, Can-
tica de aduentu Domini.

* videtur de esse vox *indigent* aut alia similis.

Die ascensionis Christi fiat processio in albis, vel extra claustrum circa monasterij curiam,
præcedentibus vexillis, & reliquijs cum reliquis, quæ ad festiuam processionem præcedere
solent, vel per claustrum sine vexillis: ex quo incipit processio exire pulsenter duo signa, si-
cut superius dictum est in die Natiuitatis sanctæ Mariæ. Ad Vesperas Psalmi; *Dixit Dominus*:
Lætatus sum in his: *Nisi Dominus*: *Memento Domine* cum Antiphona *De fructu ventris tui*, Qui
Psalmus cum hac Antiphona quartus dicitur in omnibus festiuitatibus sanctæ Mariæ. In
festiuitate sancti Michaelis Psalmi ad Vesperas *Dixit Dominus*: *Confitebor*; *Beatus vir*: aliud
Confitebor cum Antiphona *In conspectu angelorum*. Vigilia omnium sanctorum ad Vesperas
Psalmi cum Antiphonis de ipsis Psalmis, qui quotidie ad eorum memoriam solent dici; Pre-
ces, *Post partum virgo* & cætera: Cum dictum fuerit *Adducentur regi virgines post eam* adiun-
gatur *Pro fratribus nostris absentibus*; *Mitte eis Domine*: *Domine exaudi orationẽ*: *Domine Deus virtu-
tũ*; *Dominus vobiscum*; Post collectam cõmemoratio solummodo de sancta cruce. In crastino
ad laudes similiter preces *Post partum virgo*: Ad Vesperas Psalmi, & super Psalmos Anti-
phonæ, sicut præcedenti die; dictis Vesperis pulsentur omnia signa, & productius solito ca-
nantur Vesperæ pro defunctis, nisi in crastino sit dies Dominicus, vel quælibet festiuitas duo-
decim lectionum Collecta vna *Fidelium Deus*: Sequente autem nocte ad Vigiliam mortuorum
pulsentur similiter omnia signa. Ipsa die sacerdotes omnes celebrent Missas pro omnibus fi-
delibus defunctis, Qui vero sacerdotes non sunt, iniungantur eis in Capitulo Psalmi pro
Missis. Agatur Missa matutinalis festiuè, pulsentur omnia signa, cappa sit in choro; Leuita, &
Subdiaconus casulis induantur; duo infantes responsorium in albis, duo maiores fratres tra-
ctum similiter in albis, tres conuersi ad Thuribulum & Candelabra: septem diebus plena
officia, vsque ad triginta dies *Voce mea* & *Verba mea*. In festiuitate ecclesiæ dedicationis cerei
accensi

accensi ad priores Vesperas per omnia altaria, quæ ipsa die sacrata fuerunt, non extinguãtur vsque in crastinum post completorium. Cantica *Lætare Ierusalem*: *Vrbs fortitudinis*: *Non vocaberis vltra*. Ipsa die celebretur Missa per vnumquodque altare si numerus sacerdotum tantus est; Dicta Tertia agatur processio festiua in albis, aut circa monasterium, si locus aptus est, aut per claustrum præcedentibus quæ festiuam processionem præcedere solent, & ingrediatur monasterium per maiores ianuas, fiatque statio ante crucifixum. Psalmi ad Vesperas qui in festiuitate Virginum dici solent. Hæc festiuitas Octauas habet.

§. 9. *Festiuitates tertiæ clasßis.*

Sunt aliæ tertiæ dignitatis festiuitates, quæ non tantopere celebrantur. Hæ autem sunt: Festiuitas sancti Vincentij, Conuersio sancti Pauli, Philippi & Iacobi, Inuentio sanctę crucis, Iacobi Apostoli, Sancti Petri in kalendis Augusti, Laurentij Martyris, Octaua dies Assũptionis sanctæ Mariæ, Bartholomæi Apostoli, Augustini Doctoris, decollatio Iohannis Baptistæ, Exaltatio sanctæ crucis; Mathæi Apostoli; Simonis & Iudæ, Beati Martini, Thomæ Apostoli. & si quæ alię festiuitates ita celebrari instituantur. Pridie ante has festiuitates parentur duo Præsbyterij alteria, Præsbyterium, & Chorus. Ad Nonam, & ad Vesperas pulsentur signa sicut priuatis duodecim lectionibus, nisi quod maiora signa pulsari debent. Tria candelabra ante altare, & cętera luminaria, quæ circa sunt accendantur. Vesperæ cum vna Antiphona de ipsa festiuitate canantur, nisi præcedat festiuitas de qua dicantur Vesperæ vsque ad Capitulum: Responsorium si propria historia est duo fratres canant in froccis suis; Si non est propria historia, sicut in festiuitatibus, quorundam Apostolorũ, aut si iam cantata est quemadmodum Octaua die Assumptionis sanctę Mariæ, duo pueri canant breue responsorium: Sacerdos indutus cappa incenset altaria: Conuersus sit in alba. In crastino ad inuitatorium duo in Cappis; Tria responsoria in tribus nocturnis singuli singula; Quartum responsorium duo, Octauum tres, Duodecimum quatuor, quod post *Gloriam* repetatur. Pronunciato Euangelio discooperiatur altare, & accendantur luminaria, sicut pridie ad Vesperas; Ad *Te Deum laudamus* duo mediocria signa pulsentur; Post lectum Euangelium Sacerdos in chorum redeat in alba, Ad laudes duo pueri breue responsorium, siue sit propria historia, siue non: Et ad Vesperas similiter. Ad Primam pulsetur vnum de maioribus signis; accendantur duo cerei ante altare, & per omnes horas vsque ad Vesperas. Ad Missam in choro omnes sint in albis præter Cantorem, & eos, qui secum erunt, qui etiã cappis induti chorum regere debent. Ad Nonam pulsetur signum sicut ad Primam: Antiphonas super Psalmos ad Vesperas imponant iuuenes quibus Cantor præcepit: Cætera agantur, sicut ad Vesperas præcedentis diei. Ad priores Vesperas Inuentionis sanctæ crucis Hymnus *Vexilla regis*; In crastino inuitatorium & duo nocturna de Martyribus, Tertium de sancta cruce, Cantica *Domine audiui* quod diuidatur in tres *Glorias*: Prima *Gloria* est ante versum *Pro iniquitate*: Secũda ante versum *Egressus es*. Hymnus ad laudes *Lustris sex*, Missa Matutinalis de martyribus, maior de sancta cruce, Psalmi ad Vesperas *Dixit Dominus*: *Confitebor*; *Beatus vir*: *Laudate pueri*; Hymnus *Vexilla regis*. In Exaltatione sanctæ crucis simile seruitium est seruitio Inuentionis eiusdem, nisi quod in hac sancta crux adoratur, in illa minimè. In hac itaque sollemnitate, dicta Tertia, sternatur præsbyterium tapetibus, vsque ad maius altare; Quo facto exeant de parte matutinalis altaris duo fratres in albis, quibus Cantor præceperit, portantes crucem coopertam, donec veniant super gradum, qui ante altare est propior ipsi altari; Tunc à portantibus discooperta cruce, & ab eisdem incæpta Antiphona *Ecce lignum crucis*, omnes flectant genua, ac deinde super tapetia prostrati toto corpore adorent eam, & osculentur pedes crucifixi, sicut sunt priores. Cantata Antiphona supradicta, incipiat Cantor Antiphonã *Crucem tuam adoramus* quam repetant per singulos versus Psalmi *Deus misereatur nostri*. Deinde alia quæ conueniunt, si opus fuerit. Adorata cruce, prædicti duo fratres, qui eam tenẽt, incipiant simul alta voce Antiphonam *Super omnia*; Et flectentibus omnibus genua, fixaque cruce in loco suo, pulsatis signis celebretur Missa. Ad introitum *In nomine Domini omne genu flectatur* Euangelium, *Nunc iudicium est mundi*.

§. 10. *Quinque Dominicæ principales.*

Quinque dies Dominici sunt, qui communia quædam inter se habent separata a cæteris diebus Dominicis, Dominica videlicet prima de Aduentu Domini, Dominica prima septuagesimæ, Dominica prima quadragesimæ, Dominica in medio quadragesimæ, Dominica in palmis

palmis. In his duo inuitatorium canant in albis; Sacerdos lecto Euangelio, exutus in vestiario casula & stola, reuertatur in chorum in albis, cũ manipulo, exiturus incœpto Hymno, & incœpta Antiphona ad *Benedictus* similiter in alba intraturus, & incensum per altaria portaturus; Chorus ab hesterna die debet esse paratus, & per chorum iuncus sparsus. Ad vtrasque Vesperas, & ad Laudes duo fratres in froccis Responsorium canant. Tabulæ refectorij sint coopertæ, honesta manutergia sint extensa super tersoria, sicut in omnibus festiuitatibus, in quibus inuitatorium in cappis canitur. Quæ extendantur, & colligantur, sicut superius dictum est.

§. 11. *Festiuitates duodecim lectionum.*

In omnibus festiuitatibus duodecim lectionum, quæcumque sint, & in omnibus diebus qui infra Octauas sunt, in quibus in claustro non loquuntur monachi, quamuis ipsi dies trium lectionum sint, & in omnibus vigilijs, in quibus missæ pulsatis omnibus signis, festiuè aguntur, & in omnibus Sabbatis ieiuniorum quatuor temporum, cum cantor inchoauerit *Gloria Patri* ad officiũ, Sacerdos ingrediatur ad altare ferẽs Missale manibus suis, præcedẽtibus trib⁹ conuersis cum candelabris, & thuribulo, subdiacono post eos cum textu, Subdiaconum sequente Diacono, & posito Missali super altare faciat orationem suppliciter inclinatus; Diaconus quoque retro post eum similiter faciat; factaque oratione signet se Sacerdos, & osculetur textum Euangelij, quem Subdiaconus super altare positum habere debet; Diaconus quoque similiter signans se faciat ante & retro, & veniens ad sinistram sacerdotis osculetur cornu altaris, dehinc faciant simul confessionem, qua facta imposito à Sacerdote thure in thuribulo, tradat Diaconus Sacerdoti thuribulũ, Sacerdos incenset altare ante, & desuper, reddatque Diacono; Diaconus incenset vtraque altaris latera, & altare matutinale, & sic reddat Conuerso: Qui deferens in chorum offerat primum Cantori, & ipsis qui cum eo sunt; dehinc in dextro choro omnibus per ordinem, & sic in sinistro; deinde infirmis, qui extra chorum sunt; duo vero, conuersi qui tenent candelabra ante altare non dimittant ea, vsque quo inchoetur *Kyrie eleyson*, Quo inchoato, depositis candelabris, reuertantur in chorum. Ad Euangelium dum canitur offerenda, vel versus offerendæ, conuersus afferat thuribulum cum acerra cantori, quicumque ille sit, qui chorum tenet, si festiuitas sit duodecim lectionum vel festiui dies sint trium lectionum intra Octauas superius descriptas: Cantor vero cum viderit tempus esse ponat incensum in thuribulo, & mittat diacono ad altare, & diaconus moueat sacerdoti, nisi Abbas, vel Episcopus in choro sit, vel missam celebret: Quod si euenerit ad ipsum deferatur thuribulum cum acerra; ad introitum, & ante Euangelium, à diacono & conuerso; post offerendam à Cantore & conuerso. Circa finem Missæ cum peruentum fuerit ad prioris collectæ *Per Dominum nostrum* deponant duo conuersi candelabra ante altare, & sic cum eo qui thuribulum tenet reuertantur in vestiarium. Expleta missa sequatur sacerdos præcedentem diaconum ferentem missale. Si festiuitas trium lectionum eueniat in aliqua die Dominica, vel in alia festiuitate alicuius sancti, quæ propriam historiam habeat, vel si propriam historiam non habet, in albis tamen, vel in cappis fit, commemoratio de festiuitate trium lectionum solummodo fiat ad priores Vesperas, & ad matutinas laudes, & Missa matutinalis de ea canatur; Si vero historia iam alia die Dominica cantata est, aut illa alia Festiuitas duodecim lectionum historiam propriam non habet, nec in albis nec in cappis fit, Antiphona de Festiuitate, de qua tres lectiones fierent, ad cantica pronuntietur, & deinceps totum seruitium vsque ad finem vltimæ collectæ de ea agatur; Post *Benedicamus Domino* fiat commemoratio Festiuitatis de qua octo lectiones fuerint: omnes quoque horæ de illa dicantur, sermo in Capitulo, & maior Missa; matutinalis vero vnde laudes fuerunt.

Si Festiuitas alicuius sancti, de qua duodecim lectiones fiunt, eueniat in die Dominica, de qua historia iam cantata sit, aut subsequente die Dominica cantari possit, totum seruitium noctis & diei de sancto agatur, Missa tantum matutinalis de Dominica dicatur: Tertium enim nocturnum de Dominica die nunquam erit, nisi præcedentia duo de ea fiant; In omnibus Dominicis diebus, & in prima die Dominicæ Natiuitatis ad maiorem Missam tantum, & in die Dominicæ circumcisionis, & Epiphania, & in prima die Paschalis sollemnitatis, & in die Ascensionis, & in prima die Pentecostes, & in Festiuitate omnium sanctorum, & in dedicatione Ecclesiæ, & in omnibus Festiuitatibus Beatæ Mariæ, & in die passionis Apostolorum Petri & Pauli, & in cæteris Festiuitatibus aliorum Apostolorum, dicatur ad maiorem Missam, *Credo in vnum Deum*, Nam ad matutinalem Missam in conuentu nunquam dicitur.

§. 12. Ex-

§. 12. Exceptio personæ Principalis.

Quotiens disponitur vt aliqua persona cum festiua processione suscipiatur, tangatur ter breuiter vnum de maioribus signis, vt hoc signo conueniant omnes fratres in Ecclesiam ad induendum se. Et cum omnes cappis induti fuerint, si tanta capparum copia est, aut casulis, & dalmaticis, si cappæ desint, & pueri tunicis, expectent sedentes in choro, donec procedant: Secretarius interim extendat vnum tapetem, & desuper pallium ante maius altare super priorem gradum, & similiter faciat ante crucifixum in medio Ecclesiæ; his peractis cum indicatũ fuerit iam prope adesse personã pulsentur duo maiora signa; Tunc aliqui de maioribus accipiãt aquam benedictam, & cætera quæ ad festiuam processionem portari solent; hos præcedentes sequantur Abbas, & cæteri, vt sunt priores; Pueri cum magistris suis extremi veniant, & in ordine suo stent inter choros duos, cum facta fuerit statio ad susceptionem personæ, Quæ cum suscipitur det ei Abbas aspersorium cum aqua in manum, si Episcopus fuerit, aliam personam aspergat ipse, dehinc porrigatur ei incensum, similiter ab Abbate, textus à priore: dum hæc fiunt, pulsentur omnia signa; Cantor vero incipiat cantum, qui conueniat personæ, dehinc reuertatur processio; Pueri cum magistris suis primi ingrediantur Ecclesiam, hos sequantur reliqui sicut in statione fuerunt; Extremus veniat Abbas cum suscepta persona præcedentibus eos supradictis portitoribus. Ingressi monasterium faciant stationem ante crucifixum: Pueri vero similiter stent inter vtrosque choros; Prædicti portitores paulatim progrediantur per medium eorum, & stent ante crucifixum versis vultibus ad eum. Interim oret suscepta persona, finito cantu, surgente ea ab oratione, incipiat cantor Antiphonam, vel Responsorium de sancto, in cuius honorem fundata est ecclesia: Tunc præcedant prædicti portitores deposituri in locis suis ea quæ portant statim cum ad altare venerint. Sequantur infantes, post hos reliqui, eo ordine, quo superius dictum est. Ingressi chorum stent à parte altaris ex vtraque parte sicut sunt priores: Oret iterum suscepta persona; finito quod cantatur, surgat, & si Episcopus est qui suscipitur post datam benedictionem osculetur omnes fratres per ordinem; Fratres vero quia induti sunt non flectant genua ante eum, sicut solent facere cum osculantur Episcopum vel Abbatem, vel principem terræ, sed humiliter inclinantes se procedant ad osculum eius. Si spiritualis persona fuerit & Abbas expedire indicauerit, disuestitis fratribus, & in capitulo sicut solent considentibus, ducatur illuc prædicta persona, &, petita benedictione, legatur ante eam lectio diuina: Qua finita cum *Tu autem Domine* sermonem si voluerit de ea faciat. Si Abbas fuerit, qui suscipitur, ante introitum Capituli egredientes fratres osculetur. Si vero Capitulum non intrauerit seruata competenti hora in claustro osculetur eos.

CAPVT SECVNDVM.

DE ABBATE.

Abbas cum eligitur omnes fratres, vel maior & melior pars in eius electionem consentire debent: Electus autem si extra monasterium consecratur, cum redierit cum festiua processione suscipiatur; Ipse vero in vtraque statione prostratus iaceat. Finito cantu secundæ stationis, Episcopus, si adest, vel legatus eius, in loco & statione Abbatis, eum statuat; Quo statuto, si Episcopus abest, incipiat Prior *Te Deum laudamus*, Quod dum cantant accedant omnis fratres sicut sunt priores ad osculum eius, bis flectentes genua, semel ante osculum, & semel post osculum; Ex illa die in omni loco singulari reuerentia honorandus est. In primo Capitulo vbi sederit omnes qui intra monasterium obedientias habent, & res monasterij seruant, suarum obedientiarum claues ante pedes eius ponant: Ipse vero recommendet eis ipsas obedientias, si non aliter ordinandas esse decreuerit. Inclinari debet à toto conuentu cum post incœptam Antiphonam inclinat, cum in tabula in Capitulo nominatur si ibi præsens est, cum in Psalmo vel in alio aliquo fallitur in choro, pro quo veniam petat. Eunte eo ad legendum vel redeunte à legendo assurgat ei totus conuentus; Transeunte eo per claustrum vel per quemcumque locum assurgant ei omnes ante quos transit, quoadvsque pertranseat; Cum Capitulum introierit, fratribus iam in eo considentibus de omnibus gradibus omnes descendant donec idem consideat; vbicumque sit, ibi debet esse ordo & disciplina: Quapropter in quocumque loco fuerit siue in claustro siue extra claustrũ, cum

cum reprehendit aliquem fratrem inordinate agentem siue loquentem, mox ille coram eo humiliter veniam petat, sicut in Capitulo & tam diu ster ante illum donec illum iubeat sedere. Et si viderit illum irasci tam diu satisfaciat ante ipsum veniam petendo quousque illum reddat placatum. Abbas tamen prouidere debet ne hoc faciat coram sęcularibus hominibus: vbicumque sederit nullus iuxta eum sedere præsumat, nisi ipse iusserit: Iussus vero sedere ad genua eius se flectat & osculetur, & sic humiliter iuxta eum sedeat. Quicumque ei in manum aliquid dederit, vel de manu eius aliquid acceperit, osculetur manum ipsius: intraturo in refectorium duo fratres seruiant ei de aqua & manutergio. Quamdiu in choro fuerit, nullus infantibus nisi eo iubente audeat disciplinam inferre; Quamdiu dormierit in lecto suo mane nullus sonitum audeat facere, Magister tamen infantum si viderit transire horam qua sonitus à Priore fieri solet surgat & quam quietius possit infantes excitet virga tantummodo tangens pannos quibus cooperti sunt, Quo facto exeuntes de dormitorio lauent se, & pectant, & factis solitis orationibus, in scholam suam redeant, & cum silentio sedeant, donec Abbas de lecto surgat; Cum alicubi extra monasterium moram faciens, mandat conuentui salutes seu orationes, omnes qui in Capitulo sunt inclinent, flexis vsque ad suppedaneum scabellum genibus; Eodẽ modo fit pro Papæ vel Regis salutatione: Pro aliarũ vero personarũ salutationibus, humiliter inclinetur tantum. Cum autem alicui fratri mandat huiusmodi aliquid, vbicumque dicatur ei ipsa salutatio, continuo humiliter inclinet flexis ad terram genibus: Quicumque frater ad eum extra claustrum venerit, primum dicat *Benedicite*, deinde indicet propter quam causam venerit; Nec sedere coram eo, nec recedere ab eo audeat sine eius licentia; Accepta ab eo recedendi licentia, primum dicat *Benedicite*, deinde recedat; Omnis totius monasterij ordinatio ex eius arbitrio pendeat; Si quid nouum, necessitate cogente, vel ratione suadente, eo absente, in monasterio ordinatum fuerit; cum redierit indicetur ei, & postea fiat sicut ipse præceperit: Si de monasterio exierit, & vel vna nocte extra moratus fuerit, mox vt redierit cuicumque fratri abstinentia in capitulo iniuncta fuerit, absolutus erit. Cum de hac vita decesserit, de proximo inuitandus est Abbas, vel Episcopus ad sepeliendum eum. Præter omnia, quæ alijs defunctis fratribus fieri solent, addantur ei hæc: Circumdentur ei sacerdotalia indumenta, & virga pastoralis ponatur in eius dextro brachio; *Verba mea*, per vnius anni circulum pro eo dicatur: & iustitia eius per totum ipsum annum ad mensam Abbatis quotidie cum tribus pulmentis danda pauperibus ponatur: Omni anno anniuersarius dies mortis eius festiuè celebretur.

CAPVT TERTIVM.

DE PRIORE.

SEruata Abbati in omnibus reuerentia Prior, qui & Præpositus in regula nominatur, honorabilior est reliquis ministris domus Dei; Ipse solus cæterorum ministrorum primum suæ partis locum habet in choro, in capitulo, in refectorio. Ipsi soli seruit sacerdos de thuribulo post Abbatem, ad Vesperas, & ad matutinas laudes, quotienscumque ad easdem horas circumfertur thuribulum per chorum; Ea quoque, quæ extra claustrum sunt, si Abbas deest, iuxta ipsius arbitrium disponuntur; Si Abbas longius à monasterio fuerit, ipse deponere potest eos, quos intellexerit non iuxta proficuum Ecclesiæ, res sibi commissas tractare. Quotiens res expostulat tenet, aut teneri iubet capitulum de omnibus seruientibus, qui intra officinas monasterij conuersantur, & secundum merita delinquentium, eo iubente, vindictæ inferuntur. Intrante eo capitulum omnes ei assurgant, stantes in suppedaneis, donec consideat. Quod si tardauerit, & Prior claustri in loco superiori prius sederit, intrare non debet. Si causa fuerit quę differri non possit, aut non debeat, ingresso eo, Prior claustri ex altera eius parte, prior omnibus sedeat. Transeunte eo per claustrum, vel per chorum, non assurgetur ei: volente eo sedere in claustro vbi alij fratres sedent, assurgunt ei tantum iuxta quos sedere vult: vbicumque extra claustrum fratres sedentes inuenerit, assurgunt ei omnes; Prior claustri quocumque maior Prior eat, si fieri possit in claustro, vel circa claustrum, debet semper esse & ordinem claustri omni sollicitudine seruare; Cũm Abbas & maior Prior absunt, si cõtingat quemlibet fratrum ex infirmitate laborare, potest ei præcipere in domum infirmorum ire, & si tanta ægritudo est, carnem comedere; Ad ipsum maximè pertinet infirmos fratres visitare, & quid agant, & quid velint cognoscere, & in omnibus, quæ vel corporibus, vel animabus eorum necessaria sunt, consulere. Absente maiore Priore Capitulum seruientium

tium debet tenere, & secundum culpas vindictas inferre, sed non est sui iuris quemlibet addere vel auferre; Sui quoque officij est omni die post completorium, suscepta, dante hebdomadario sacerdote fratribus, aqua benedicta, remanere, donec omnes pertranseant, in aliquo congruo loco, vnde bene possit obseruare, qui sint qui non reuerenter incedunt, & qui in exitu Ecclesiæ, vt mos est, non velant caputijs capita sua, & multa huiusmodi: egresso toto conuentu, accepta absconsa, si nox est, vadit per criptam, & cætera membra monasterij, vbi suspicio potest esse per claustrum, capitulum, cæterasque officinas subtiliter obseruando ne aliquis frater, qui non debeat, ibi remanserit. His ita expletis vadit in domum infirmorum, eodem modo consideraturus, vtrum omnes in lectis suis iam collocati sint, & habeant se silenter, & omnibus modis regulariter, sicut mos est. Reuertens quoque in dormitorium hoc idem consideret; In hieme autem ad interuallum, quod fit inter nocturna & matutinas laudes, si maior Prior abest, eandem circam facit, quam maiorem Priorem debere facere superius dictũ est, cum in tractatu mensis Nouembris de hoc interuallo sermo fuisset. Facit & aliam circam, cum tardantibus vesperis, seruitores nocte in refectorio cœnant, & fratres qui maiori cœnæ interfuerunt accensis luminaribus in capitulo eos expectant, circumit enim tunc superius dicta loca, obseruans ne aliqui, qui cum cæteris in capitulo sedere debeant, ociosis verbis, aut alicui vanitati intendant: quod cum accidit, si tanta noctis obscuritas est, accendantur luminaria in monasterio, claustro, dormitorio, vt exeuntes ab vtraque cœna videant quo procedant; Seruitores verò surgentes à cœna, ante capitulum, tunc ad monasterium vadant: Et dum transeunt ante capitulum incuruati eant, quoadusque pertranseant. Ante introitum tamen capituli se erigant, & solito more ad orientem versi humiliter inclinent. Fratres quoque qui in capitulo sedent surgentes à sedibus suis illis transeuntibus humiliter se inclinare debent; Quæcumque maior Prior dum in monasterio est concedere potest, vel prohibere, vlcisci culpas, vel indulgere, hæc quoque Prior claustri absente eo facere potest, exceptis maioribus causis, quas vel ipsius maioris Prioris, vel Abbatis iudicio reseruare debet; vbicumque vel in refectorio, vel in capitulo, siue in claustro, siue extra claustrum, assurgi debere maiori Priori superius dictum est; absente ipso maiore Priore, huic similiter assurgi debet.

CAPVT QVARTVM.

DE CIRCVITORIBVS.

Circumitores monasterij, quos alio nomine *Circas* vocant, iuxta Sancti Benedicti præceptum certis horis circumire debent monasterij officinas, obseruantes incurias, & negligentias fratrum, & statuti ordinis præuaricationes isti: eligantur de totius monasterij melioribus, & prudentioribus, qui nec malitiose pro priuato odio vnquam clamorem de quolibet faciant, nec pro priuata amicitia negligentias aliquorum taceant. Numerus eorum sit secundum facultatem loci, & necessitatem rei; hi religiosè, & ordinate maximè in circumeundo debent incedere, & exemplum religionis videntibus ostendere; dum circumeunt nulli signum faciant, nulli quacumque occasione loquantur, studiosè tantum negligentias, & offensiones inspiciant, & tacitè prætereuntes, de eis postea in Capitulo clamores faciãt. Cum autem extra claustrum inueniunt aliquos fratres loquentes, simul assurgant eis ipsi loquentes, dicatque eis vnus eorum, si ita est, quia per licentiam ibi loquuntur. Circumitores vero, nec verbo, nec signo eirespondeant, sed modestè pertranseuntes, intenta aure subaudiant, ne ipsa verba sint inutilia, quæ non oporteat dici. Cum autem cum famulo, seu cum alio quolibet laico inueniunt aliquem fratrem loquentem, non est mos vt ipse frater assurgat cuilibet eorum, aut dicat eis quicquam; nunquam cum circumeunt debent simul ire, sed vnus hac & alter illac, secundum quod iniunctam curam inter se diuiserint, & Abbas, vel Prior eis ordinauerit; Officinas monasterij nunquam pro hac cura ingrediantur, sed per ostia eorum prospiciant, si forte aliqui fratres per curiam vadant vagantes, aut stent, vel sedeant fabulantes; hæ sunt horæ, quibus ex consuetudine circumire debent, quamuis & aliis horis, si Abbas, vel Prior ita oportere iudicauerit; Completis tribus orationibus quas conuentus facit ante Psalmos, quos ante nocturna dicere solet, tunc enim, accensa candela in absconsa, vnus eorum in dormitorio debet circumire lectos omnium, & omnia sedilia in necessariis sollicite considerans, ne forte aliquis frater dormiens ibi remanserit, dehinc reuertatur in monasterium, & circumeat omnia altaria in criptis, & quæ ex vtraque parte chori subtus sunt, cæteraque monasterij

monasterij loca, vbi suspicio poterit esse diligenter obseruans, ne aliquis frater ibi dormiat, vel iaceat, vel inordinatè sedeat; Sanguine vero minuti, & egri, & debiles ne clamantur in capitulo, si ea hora inueniantur sedendo quidem, non iacendo quiescere. Cæteros vero cum dormientes inuenit, non eos quocumque modo tangat, sed modeste atque ordinate sonitum tantummodo quo excitentur faciat. Circa medietatem secundi nocturni, & in laudibus paululum ante *Laudate Dominum de cœlis* accensa candela in absconsa, circumeat prædicta monasterij loca, obseruans omnia quæ superius dicta sunt; In die autem circumeat post offerendam minoris, & maioris missę & post cænam, cum bis fratres reficiunt, & post prandium, cum semel: vadant in fine vigiliæ defunctorum: Surgant etiam sæpe de prandio, aut cæna, non omnes quidem, sed aliqui cum suspicantur se inuenturos aliquid negligētiæ, hoc vero non longè à refectorio fiat, vt si opus fuerit statim possint occurrere cum aliis; ad versum, qui finito prandio, vel cœna dicitur, isti attente, & reuerenter audiendi sunt in capitulo: Auditis eis, qui sponte venias petunt, istorum est primos clamores facere.

CAPVT QVINTVM.

DE CANTORE.

Cantor, quamdiu Abbas in monasterio est conuentum sequens, non scribatur in tabula ad lectionem, vel ad responsorium vt videlicet si forte Abbati commodum non fuerit legere aut cantare, ipse sine mora pro eo inueniatur paratus: Cum vero Abbas extra monasterium, vel intra monasterium conuentum sequi non potest, in locum ipsius scribatur cantor in tabula, ad lectionem, & ad responsorium. Quicumque lecturus, aut cantaturus est aliquid in monasterio, si necesse habet ab eo priusquam incipiat debet auscultare. Ipsius est omni hora sollicite prouidere, ne eueniat negligentia in quocumque obsequio, quod fit in monasterio: Si quis obliuiosus non incœperit, cū incipere debet responsorium, aut antiphonam, aut aliud huiusmodi, siue in eodem iam bene incœpto, aliquo modo deuiauerit, ipse debet esse prouisus, atque paratus, vt sine mora, quod incipiendum erat incipiat, vel eum, qui fallendo deuiāuerat, in viam reducat: ad ipsius arbitrium cantus incipitur, eleuatur, remittitur, nulli licet cantum leuare, nisi ipse prius incipiat, ipsius est omnes fratres in tabula ad omnia officia annotare, non considerato conuersionis ordine, aut voluntate eorum, sed secundum quod ei visum fuerit, honestatem, aut ædificationem in hoc vigilanter consideranti. In festiuitatibus, quæ fiunt in cappis, secretarius debet eligere quod opus fuerit de melioribus cappis, earum, quæ ipso die habentur in choro, & ante initium missæ ponere eas supra dextram formam chori, Cantor vero distribuat eas fratribus illis, quos secum in choro habere voluerit: Ipsa enim capparum distributio, eorum est ad regendum chorum aduocatio: Nullusque eorum ante finem missæ, de choro debet recedere sine eius licentia. Cantor vero cuiuscumque ordinis, vel ætatis sit, in medio eorum debet esse in choro. Quotienscumque textus, aut thuribulum affertur eis, vtrumque prius cantori offeratur nisi aliquis Episcopus, vel Abbas, seu maior Prior, vel ille qui tenet ordinem ibi sit inter eos: Cantor in dextro choro semper sit & dum tenet chorum quicquid incipit siue *Kirie eleyson*, siue aliud huiusmodi dexter chorus prius suscipiat, quod ab eo incœptum fuerit, & sequatur ipsum: Omnes qui in choro sunt inclinati quidem cantent *Sanctus sanctus sanctus* nisi versus interponantur, erecti vero *Dominus Deus sabbaoth* & cætera: Cantor & illi qui cum eo sunt totum erecti canant: Ad collectas omnes, & cum sacerdos dicit *Orate fratres*, & ad totum *Pater noster* inclinentur sed ad finem ipsius *Pater noster* responso, *Sed libera nos à malo*, erigantur quod aliis non licet: Eodem modo fit cum in festis in Albis solus, vel cum aliis, chorum tenet, quod non licet ei qui in Dominicis & huiusmodi festis hebdomadarius Cantor existit. In omnibus præcipuis sollennitatibus cum eueniunt in Dominicis diebus scribatur in tabula ad officium missæ, & cum eo duo, quos ipse voluerit: De thuribulo post offerendam ei deferendo superius dictum est. Cum fit opus manuum, ipsius est, aut legere, aut magistro infantum ostendere, quo in loco infans debeat lectionem incipere: In Dominicis diebus, & huiusmodi festis, incæpta offerenda accedat, qui chorum tenet ad Cantorem, faciatque illi signum incipiendi versus offerendę: Ad ipsum enim pertinet tunc incipere eos etiam si succentor chorum teneat: Cantor viso signo inclinet ei, & hebdomadarius Cantor similiter ipsi. Incæpto vnoquoque versu, Cantor ante & retro faciat, & omnes infantes inclinent: Ipsius est notificare Abbati omnes cantus, quos ipse cantat, vel incipit: Cura breuium qui foras mitti solent pro defunctis fratribus, & cura

numerandi tricenaria & septenaria, ad eum pertinet: de vniuersis monasterij libris curam gerat, & eos in custodia sua habeat si eius studij, & scientiæ sit, vt eorum custodia ei commendari debeat.

CAPVT SEXTVM.

DE SECRETARIO SEV SACRISTA.

AD Secretarij officium pertinet, omnia ornamenta monasterij, & omnia instrumenta, & supellectilem, quæ ad ipsum monasterium pertineat custodire; horas præedere; In duodecim lectionibus pronuntiato Euangelio in tertio nocturno & in festiuis octauis altare discooperire; textum tunc in vestiarium portare, quem sacerdos ferat cum in cappa per singulos dies processerit ad altare; Sacerdoti ab altari ad analogium reuerso absconsam cum candela ministrare, finitaque collecta eandem absconsam recipere, & postea textum ponere super altare; Ipsius est signa pulsare, vel qualiter pulsentur aliis indicare, de nulla hora sonanda à quouis licentiam petit, nisi de sola Prima, & collatione, excepto de Tertia & Vesperis, cum loquentibus fratribus Abbas in claustro sedet; Candelas per officinas distribuit, secũdum quod opus fuerit, & Abbas, vel Prior præceperit: De sepulturis, tam monachorum, quam laicorum curam gerit, vt videlicet fiant, & vbi fiant. Sui officij est calices bis in hebdomada, aut si opus fuerit sæpius lauare, corporalia quoque ante pascha semper, & quotiens reliquis anni partibus expedit, vtrumque si diaconus aut presbyter sit: Si vero non sit, Priori, vel Abbati indicare, & ipsius licentia alicui, qui huius ordinis sit, hanc curam commendare; lauandis corporalibus quanta possit diligentia adhibeatur; vasa ænea ad nullos alios vsus destinata, ad hoc opus habeantur, aqua qua lauantur, sicut & calicum in sacrarium proijciatur: lotis dum siccantur ne aliquæ sordes adhereant, omnibus modis prouideatur: Cura faciendi hostias super eum est, quæ vt mundissimè & honestissimè fiant summopere studere debet: In primis si fieri potest frumentum cum magno studio granatur eligatim, electum in sacculo mundo, & de bono panno facto, & ad hoc opus tantum ponatur, & à famulo boni studij, ad molendinum deferatur; Quo delato famulus aliud frumentum in ipso molendino moli prius faciat: vt illud, vnde hostiæ fieri debent, sine aliqua sorde moli postea valeat: Reportata farina Secretarius vas, & locum, quo farina buletari debet in circuitu cortina paret, ipsemet vero, indutus alba, & velato amictu capite, hoc opus agat: Ea autem die qua hostiæ fieri debent Secretarius & fratres qui eum iuuare debent, antequam incipiant manus & facies lauent, albis induantur, capita amictibus velent, præter eam, qui ferra tenturus, & inde seruiturus est. Horum vnus super tabulam mundissimam ipsam farinam aqua conspergat, & manibus fortiter compingat, & maceret, frater qui ferra in quibus coquuntur tenet manus chirothecis habeat inuolutas. Interim dum ipsæ hostiæ fiunt, & coquuntur, dicant ijdem fratres psalmos familiares horarum, & horas canonicas, vel de psalterio ex ordine quod tantumdem valeat, si ita potius voluerint; Silentium loquendi omnino teneant, Ille tamen qui ferra tenet si necesse sit breuiter quod vult indicare potest famulo qui focum facit, & ligna portat, quæ debent esse valde sicca; & ante multos dies de industria præparata. Eius sollicitudinis est ampullas vinarias, & aquarias bis in hebdomada, id est quarta feria & sabbato lauare; omni die vinum & aquam ad Missas celebrandas portare, offerentibus ad vtramque Missam hostias ministrare; Candelas ad lectiones, & in Matutinis Laudibus; Ad primam collectam accendere; Quæ Matutinæ Laudes, si vltra modum & in decenter tardauerint, Secretarius, cui huius rei cura tunc commissa erit, ante gradum satisfactionum prosternatur, quousque ipsa collecta vsque ad *Benedicamus Domino* finiatur: quo incœpto nulla expectata licentia recedat & ante & retro non faciat. Hoc modo satisfaciat, quocumque die huiusmodi negligentia eueniat, & inde postea in capitulo aliam veniam non petat. Et quia huius ministerij, & in his quæ scripta sunt & in multis aliis quæ scripta non sunt, multiplex, & valde implicita cura est, non vni tantum, sed multis commendari, atque inter eos diuidi debet: vnus eorum sit Magister aliorum, ad cuius dispositionem cæteri agant, maioribus causis seruatis arbitrio Abbatis, vel Prioris.

CA-

CAPVT SEPTIMVM.

DE CAMERARIO.

CAmerarij est procurare omnia vestimenta,& calceamenta,& lectos, & stramenta lectorũ, quæ fratribus sunt necessaria, & iuxta regulam habere concessa; rasoria quoque,& forfices, tersoria ad radendum; tersoria in claustro pendentia; tersoria,& manutergia mandati, & omnia vasa eius; vitreas dormitorij facit, & reficit cum opus est; dat ferra quibus ferrantur equi Abbatis, & Prioris, & omnium hospitum, quibus ferra dari Abbas, vel Prior prçceperit, fratribus quoque in iter profecturis cappas, fasciolas, calcaria; Semel in anno renouari facit fœnum in omnibus lectis fratrum;& tunc etiam mundari dormitorium.

CAPVT NONVM.

DE CELLERARIO.

AD Cellerarij ministerium pertinet, omnia quæ in pane, & potu, & diuersis ciborum generibus fratribus sunt necessaria, secundum facultatem loci procurare, omnia vasa Cellarij, & coquinæ, & sciphos, & iustas, & cætera vasa refectorij, & omnem horum triũ necessariam supellectilem ministrare; Pater totius Congregationis debet esse, de sanis, & maximè infirmis fratribus sollicitudinem habere; præter consilium Abbatis, vel Prioris de maioribus causis nihil facere; Rogandus est ab eo Cantor, vt ante aliquot dies præmoneat eum, & prænuntiet ei diem quo sententia sua de regula legenda est in capitulo, vt videlicet honestum, & festiuum seruitium ipsa die possit facere fratribus in refectorio; Tabulæ tamen refectorij non sunt copertæ: lecta vero in capitulo & exposita prædicta sententia, cum dictũ fuerit à Priore *Loquamur de ordine nostro*;statim prostratus in loco vbi mos est dicat: Istam obedientiam, quæ mihi iniuncta est, mea culpa, neglegenter, & tepidè,& multa aliter quam oportet tracto; & in ea in multis offendo Dominũ,& nostros seniores,mea culpa;& requiro inde absolutionem vestram & seniorum; Quo dicto absoluat eum, qui capitulum tenet de his offensis quas ibi enumerauerit; & de omnibus reliquis,quæ in eo sunt; Ad cuius absolutionis finem responso ab omnibus cum omni deuotionis affectu, vt mos est *Amen*, vadat ad pedem eius, & deinde iubeatur ire sessum; Finito capitulo,& dicto *Verba mea*,si ipsa die dici debet, in eodem capitulo dicant fratres pro eo quinquagesimum psalmum; Quo completo cum *Gloria Patri*,& *Pater noster* dicat Hebdomadarius,*Et ne nos inducas*; *Saluum fac seruũ tuum*; *Dñs vobiscum*,*Omnipotẽs sempiterne Deus miserere famulo tuo*;& reliqua; Quod si suscepto breui pro defuncto, ipsa die canentes *Verba mea*, in monasterium ituri sunt; priusquam eant prædictum psalmum, cum capitulis, & collecta dicant. Si autem prædictam sententiam contigerit tali die legi, qua non possit refectio honorabiliter fieri,sicut est in vigilijs quatuor temporum, & huiusmodi diebus, petat Cellerarius à Priore, & capitulo licentiam quo differre possit refectionem in aliam diem, qua honestius & plenius fieri valeat.

Frater qui ad suscipiendos hospites deputatus est, in ipsa hospitum domo hæc præparata habere debet; Lectos, sedilia, mensas, manutergia, mappas, scyphos, scutellas, coclearia, baccilia, & si qua sunt huiusmodi; ligna quoque; panem, vero & potum, & cætera cibaria, ad opus hospitum per famulos sibi deputatos, in cellario recipit; Quicumque Abbati, vel Priori, seu alicui de claustro loqui vult, legationem suam huic debet iniungere; Ipse vero nihil inde alicui aliquo modo indicans ad Abbatem, vel Priorem voluntatem hospitis perferat; & postea quod ipse decreuerit fiat; Si autem fratri,qui in claustro est loquendi cum hospite, vel propinquo, vel extraneo concessa licentia fuerit, istius est ipsum fratrem de claustro ad hospitem ducere; Quod si Abbati, vel Priori non placuerit vt simul loquantur, nec verbum,nec signum, nec aliquem nutum ipsi fratri faciat, quo aliquid inde percipere quolibet modo valeat. Ipsius est præ omnibus sollicite obseruare de fratribus,qui in obedientijs sunt, cum ad monasterium redeunt, vtrum famulos idoneos, & cellam regularem habeant, & quomodo se in curia contineant, vt si extra ordinem aliquid fecerint clamorem inde super eos in capitulo faciat; Si extranei clerici se dixerint in refectorio velle comedere, istius est voluntatem ipsorum Abbati, vel Priori indicare: Quod si Abbas, vel Prior petitioni eorum

annuerit, iste eos quomodo in refectorio se habere debeant bene instruat, & ita instructos pulsato iam cymbalo, in locutorium adducat, ibique Abbas, vel Prior, si Abbas deest, manibus eorum aquam tribuat, & postea prædictus frater eos ad mensam Abbatis ducat: completo autem prandio, atque exeunte conuentu de refectorio, præfatus eorum ductor post Abbatem, vel Priorem solus cum illo remaneat; & sequatur cum eis processionem, donec de ostio refectorij exeat, postea ducat eos extra claustrum mediocri voce psallendo cum eis *Miserere mei Deus*; & cætera quæ sequuntur. Ipsius est extraneum monachum, qui ignarus loci sit per claustrum in monasterium ad orationem ducere; Breues pro defunctis per manum illius magistro infantum dari, vel in capitulum deferri debent; Ad eum pertinet sæculares homines, qui societatem fratrum suscepturi sunt adducere in capitulum; Ipsius est volentibus videre officinas, ipsas officinas ostendere, obseruato vt conuentus tunc in claustro non sedeat, nec aliquem ocreatum, vel calcaria habentem, nec aliquem qui nudis pedibus sit, vel solis femoralibus calceatus in claustrum pro qualibet causa introducat; Suum præterea est nouitios, qui de sæculo veniunt in capitulum adducere, & docere eos priorem petitionem facere.

Eleemosynarius aut per se, si opportunum sibi est, perquirat, aut per veraces, & fideles homines cum multa sollicitudine perquiri faciat, vbi ægri, & debiles iaceant, qui non habeant vnde se sustinere valeant; Si autem ipsemet ad perquirendum, & visitandum perrexerit duos famulos secum habeat, & priusquam intret domum, ad quam iturus est, mulieres si aliquæ in ea sunt, exire faciat; Ingressus domum blande consoletur ægrum, & offerat ei quod melius habet, & sibi intelligit esse necessarium: Quod si æger aliud requirit, & ipsum perquirat, si aliqua modo habere potuerit. In eas autem domos in quibus mulieres ægræ, vel debiles iacēt nunquam introeant, sed per vnum de famulis suis quod habere poterit, & eis necessarium est transmittat; prius tamen quam aliquid de supradictis agat, Abbati, vel Priori indicet, & secundum eorum dispositionem eleemosynam monasterij eis dispenset.

CAPVT DECIMVM.

DE INFIRMARIO.

FRater cui cura domus infirmorum commissa est, & infirmis fratribus seruire deputatur, coquum suum habeat, & coquinā separatim, si loci situs, & facultas talis sit, vt quod infirmis præparari necessarium est opportuno tempore parari possit; Omnia fercula apponenda infirmis ipse administret eis: Omni die post completorium spargat aquam benedictam per omnes eorum lectos: factis tribus orationibus, quæ fiunt ante nocturna, circumeat cum absconsa lectos infirmorum omnium, obseruans sollicitè ne aliquis qui valeret surgere in lecto remanserit; Ipsius est præcipuè manifestare, & clamare in capitulo, negligentias omnium in prædicta domo commorantium; Cum perceperit infirmum iam esse prope finem suum, suū est præcipere famulis suis, vt calefaciant aquā ad lauandū ipsum. Cura de feretro custodiendo, & administrando cum opus fuerit super eum est, & super famulos suos, sicut & cura de administranda tabula, quam ex more Prior semel percutit, completa ablutione ipsius defuncti; defuncto fratre & in monasterium deportato locum in quo iacuit mundari, & fœno, vel iunco renouari faciat; Abbas vel Prior omnibus modis sollicitudinem gerat ne aliquid, quod ad hoc ministerium necessarium est, in illa domo vnquam deficiat.

CAPVT VNDECIMVM.

DE NEGLIGENTIA CIRCA CORPVS DOMINI.

CVm de corpore, vel sanguine Domini tanta negligentia aliquo casu accidit, vt cadat deorsum; siue in alium locum vbi plene percipi non possit quo ceciderit, & verum ad terram inde aliquid venerit, quam citius fieri possit, indicetur res Abbati vel Priori; qui adiunctis sibi aliquibus fratribus properè veniat ad locum, vbi hoc contigerit. Et si corpus ceciderit, vel sanguis effusus fuerit super lapidem, aut terram, aut lignum, aut mattā, aut tapetem, aut aliquid huiusmodi, puluis terræ colligatur, pars illa lapidis radatur, pars ligni, mattæ tapetis, aut si quid aliud est huiusmodi abscindatur, & in sacrarium proijciatur; Quod si locus vbi

cus vbi ceciderit manifestè depræhendi nequiuerit, & tamen deorsum cecidisse constiterit, in loco, & circa locum, in quem maximè cecidisse crediderint, similiter colligatur, radatur, abscindatur, & in sacrarium recondatur: hi vero quorum negligentia hoc euenerit, in proximo capitulo humiliter culpam suam dicant, iudicium suscipiant nudi, & iniungatur eis pœnitentia, vel de ieiunio, vel iudiciis, vel Psalmis, vel aliquid huiusmodi; Quibus de iudicio ad loca sua reuersis, omnes sacerdotes, qui tunc præsentes erunt, surgant, & ad iudicia suscipienda cum omni deuotione se offerant; Tunc ille qui capitulum tenet, septem tantum quos voluerit de ipsis ad suscipienda iudicia retineat; & cæteris ire sessum præcipiat. Finito capitulo omnes simul prostrati dicant septem Psalmos in monasterio, incipientes eos psallere, cum exeũt de capitulo; Quos sequatur *Pater noster*, cum his capitulis & collecta, *Et super nos misericordia tua Domine*; *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*; *Dominus vobiscum*; *Oremus*, *Exaudi Domine preces nostras & confitentium tibi parce peccatis vt quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absoluat*, Per: aut illam collectam, *Deus cui proprium est misereri semper*: Aut aliam pro peccatis. Si vero super corporale vel super aliquem honestum pannum sanguis ceciderit, certumque fuerit quo ceciderit, pars illa panni in aliquo calice abluatur, & prima ablutio à fratribus absumatur, reliquæ duæ in sacrarium proijciantur; In primo autem capitulo dicta culpa, hi soli tantum, quorum negligentia hoc euenit, supradictam disciplinam sustineant; fratres vero omnes septẽ Psalmos cum capitulis, & collecta sicut superius dictum est in monasterio dicant; Si ipsa die breuis pro defuncto in capitulo lectus fuerit; prius canant *Verba mea* pergentes in Ecclesiam; postea septem Psalmos sicut superius dictum est; Si vero alio aliquo modo de hoc sacramento leuior negligentia euenerit; ex iudicio Abbatis, vel Prioris leniori vindicta frater cuius culpa hoc contigerit puniatur.

CAPVT DVODECIMVM.

DE RASVRA FRATRVM.

QVa die radendi sunt fratres citius solito pulsetur signum ad Primam, vel ad Tertiam, si ipsa Tertia ante capitulum dici debet; In capitulo non diu sedeant, sed necessariis rebus explicitis surgentes, pulsata tabula, dictoque *Benedicite* exeant in claustrum: Infantes ipsa die capitulum non teneant sed statim post alios exeant & in scholam suam pergant; residentibus cunctis, & ad radendum paratis incipiat Abbas, aut Prior, quinque Psalmos, id est *Verba mea* pro defunctis; Sacerdos hebdomadarius sedens dicat collectas, Alter quoque hebdomadarius iuxta eum sedeat, & cum eo Psalmos teneat, post quinque Psalmos dicant omnes canonicas horas in quarum fine vsque ad Vesperas non dicat sacerdos *Dominus vobiscum*; nec *Benedicamus Domino*, sed post *Per omnia sæcula sæculorum*; statim incipiat *Adiutorium meũ*, post Vesperas vero dicto *Benedicamus* Domino, psallantur vesperæ mortuorum, dehinc completorium vt canonici; postea familiares Psalmi horarum. Nullus in cuculla radatur, sed prius cuculla exutus, & frocco indutus, cuculla plicata, & iuxta se posita radatur; Ille qui radit frocco exutus sit. Iuuenes qui sunt in custodia custodes suos radant; & custodes ipsos iuuenes; Quod si custos nequiuerit, aut nescierit radere, roget aliquem maturum fratrem, vt eum radat, ipse tamen custodiens ipsum iuxta eum sedeat. Iuuenes quoque siue nutriti, siue de sæculo venientes, vtrique tamen extra huiusmodi custodiam existentes non præsumant, vt alter alterum radãt, sed seniores ab illis, & illi à senioribus radantur; Magistri pueros radant, & ipsi à pueris radantur, si tamen huiusmodi scientiam habent: Hiemali tempore quando pueri, & sanguine minuti, atque infirmi post capitulum accipiunt mixtum, refectorarij primi se radant, & post Psalmos, tam cito apparatum refectorij faciant, vt fratres accepturi mixtum omnia parata inueniant. Quamdiu Psalmi dicuntur nemo tondeatur, vel caput abluat, vel vngues incidat, nec extra claustrum sine licentia ire præsumat; Finitis Psalmis dicat Abbas, vel Prior *Benedicite*, Et responso *Dominus*, postea loquantur: Tunc lesciua in claustrum deferatur, & qui vult caput lauet, quisque sibi, nullus alij, præter magistros infantum, qui paruulis pueris, qui id non possunt capita lauare debent; Frater dum raditur, si signum ad horam sonuerit induat cucullam, super froccum, & pergat in chorum si tamen omnino barbam rasam aut omnino adhuc intactam habet, alioquin extra chorum maneat. Ipso die quo se radunt fratres mappæ in refectorio mutandæ sunt; Alijs diebus quando fratres in claustro loquuntur, qui necesse habet tonderi potest in claustro sed per licentiam Abbatis siue Prioris:

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

DE SANGVINIS MINVTIONE.

Licentia minuendi sanguinem omni tempore statim post capitulum petenda est, & celario indicanda hora minuendi est, in hieme post Euangelium maioris Missæ, in æstate post Nonam, ante Vesperas, in quadragesima post Vesperas; cum ij qui minuendi sunt calciati nocturnalibus suis ad locum qui huic operi deputatus est, venerint; versi ad orientem ante & retro inclinent, deinde Priore eorum incipiente versum *Deus in adiutorium meum intende*, ter dicant, & cætera, sicut in æstate post Nonã in capitulo, quando fratres loquuntur in claustro; Si vnus tantum fuerit solus hoc faciat. Postea exuant froccos, & parent se ad minuendum. Silentium ibi omnino teneant nisi necessitas loqui cogat, quæ differri, aut non possit aut non debeat. Quod si euenerit breuiter, & modeste, & humillima voce id fiat: chorũ non cogantur intrare vsque in crastinum post orationem Primæ, vel Tertiæ, quo tempore ante capitulum tertia dicitur: si plus indigent petita licentia diutius extra chorum remaneant. Crastina die nocturnales suos calcient, duobus diebus mixtum accipiant: cum ad ipsum mixtum ventum fuerit, si tempus sit quo fratres semel reficiunt, simul omnes dicant versum, & ante mixtum, & post mixtum, cum psalmo *Miserere mei Deus*: & reliquis eo modo quo dicitur à conuentu, cum bis reficiunt omnes fratres: Benedictio à priore sacerdote detur: lectio ab vno aliquo memoriter recitetur: in refectorio totum fiat. In crastino minutionis clamatus aliquis minutorum surgat, & ad petendam veniam se offerat, aliquis vero eorum, quibus minutio nota est, Priori dicere debet, quod frater ille minutus sit, & Prior ei præcipere vt stando loquatur, & maximè si de vena brachij minutus sit: si culpa leuis indulgeatur ei, si autẽ talis fuerit, quę sine corporali disciplina dimitti non debeat, in aliud tempus differatur. Hæc sunt tempora quibus fratres minui non debent nisi necessitas cogat: Si in crastino Festiuitas duodecim lectionum sit, exceptis sabbatis quadragesimæ vsque ad passionem Domini: si crastina die Festiuitas trium lectionum sit, in qua Missa in cappis celebretur, sicut sunt tres dies post pascha, & tres post Pẽtecosten, quatuordecim dies ante pascha, si ipsa die, vel in crastino canonica ieiunia sint, quæ violari non possint, Festiuitas omnium sanctorum quia in crastino omnes sacerdotes pro defunctis Missas celebrare, & reliqui psalmos pro missis ordinatos dicere debent.

CAPVT OCTAVVM.

DE HEBDOMADARIO MISSÆ MAIORIS.

Cvm sacerdoti maioris Missæ Hebdomadario aliquid dormienti euenerit, propter quod ipsa die Missam celebrare non debeat, si fuerit priuata dies, non dimittat quicquam facere de suo officio, nisi Missam, & benedictionem in refectorio, & completorium, quia aqua benedicta post completorium fratres aspergere ad ipsum pertinet qui completorium dixit, & Missam celebrauit; Quod si duodecim lectiones fuerint, dimittat etiam Vesperas, matutinas quoque laudes, si ad ipsas reuestiri debeat sacerdos; Finita autem principali oratione, cum sacerdos reuestitus, qui pro eo facit officium exierit de choro, sacerdos Hebdomadarius in quacumque parte chori sit, nullo expectato signo compleat reliqua omnia, quæ sequuntur: Cum autem ipse Hebdomadarius reuestitus cantat Vesperas, aut matutinas laudes, & completa principali oratione egreditur chorum vt exuatur, tunc vni de suo choro cui voluerit signum faciat, vt agat pro eo commemorationem sanctorum: Qua completa Hebdomadarius reuersus in chorum compleat quæ sequuntur.

CAPVT

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

DE ITINERANTIBVS FRATRIBVS.

FRater in aliquod iter profecturus, & in craſtino non reuerſurus, accipiat benedictionem exeundi; ſi vero contigerit vt altera die reuertatur, non accipiat benedictionem reuertendi, ſi autem profecturus ſperat ſe in craſtino rediturũ non accipiat benedictionem eundi, Quod ſi euenerit vt vltra biduum moretur reuerſus reuertendi benedictionem accipiat. Ille vero frater qui accepta pergendi benedictione vltra biduum moratus fuerit, ſi ipſo die quo redierit in aliquem locum extra monaſterium perrexerit, & vnius noctis moram fecerit, in craſtino reuerſus omnes reuertendi benedictiones accipiat, quia ex quo primum abijt non iacuit in monaſterio; ſi vero ſine benedictione exeat ſperans ſe in craſtino rediturum, & ita eueniat, atque ipſa die qua redijt extra monaſterium, vbi vna nocte moretur, in aliquem locum pergat reuerſus ipſa die omnes reuertendi benedictiones accipiat. Hoc propterea fit, quia duabus continuis noctibus extra monaſterium fuit. In exeundo nullam benedictionem accipiat, niſi vltra biduum ſe moraturum exiſtimet. Si frater quilibet deforis veniens accipiat vtramque benedictionem, veniendi ſcilicet, atque exeundi, nec ſit ei opportunum ſtatim, vel etiam per totam ipſam diem exire, ad quorcumque horas in monaſterio fuerit accipiat benedictiones veniendi, exeundi vero minimè; niſi forte contigerit eum ipſa nocte in monaſterio remanere, tunc enim in craſtino ſi exire voluerit ſuſcipiat eam. Ad Veſperas, vel ad completorium nunquam debet dari benedictio exeundi; frater accepta benedictione, ſi prius quam de clauſtro exeat ſignum regularis horæ ſonuerit, cum cæteris in chorum pergat, & dicta hora, in viam ſuam vadat; ſi autem extra clauſtrum fuerit, & priuſquam portam curiæ egreſſus ſit, ad regularẽ horam ſignum pulſatum fuerit, ad eccleſiam redeat, & regularẽ horam extra chorum dicat, & poſtea viam ſuam teneat. Faſciolatus, aut cinctus, ſiue cum cappa, nunquam in clauſtrum introeat. Fratres in viam directi cum horam regularem dicunt aut orationem faciunt, aut *Deus in adiutorium meum*, cum *Gloria patri* dicunt, ſi dies talis eſt, ſicut in monaſterio, genua flectant; ſed ante & retro nuſquam faciant, nec cum falluntur, veniam petant, niſi ſint in Eccleſia: diebus quibus ſuper formas orant dicturi aliquam horam, ſi equitant de equis deſcendant, & inchoata hora, ac venia petita, à manibus chyrothecas, & à capitibus capitia auferant, & ſic aſcenſis equis horam finiant: Quod ſi inter pſallendum neceſſitas loquendi eueniat, finita locutione, iterum à capite horam incipiant: dum hora in hoſpitio canitur, aut cum manducant froccis induti ſint, aut ſolis cucullis cunctam pſalmodiam quam in nocte eis dicere commodum non eſt equitantes per viam dicant, pręter eã, quam in die dicere ſolent ad complendum ordinem, ad vitandam curioſitatem, ſcurrilitatẽ, otioſitatem, antequam dormitum vadant, completorium dicant; Quo dicto ſi grandis, quæ vitari non debeat neceſſitas loquendi eueniat, dicto verſu quam breuius fieri poſſit loquatur; Et ſi ante matutinas hoc accidat, completorium iterum dicant, & poſtea ſilentium teneant. Vbicumque monachus ſit tota nocte ante eum lumen ardeat; De monachis in viam directis hunc morem cœnobia illa tenent, quæ noſtro tempore noſtri ordinis maiorem auctoritatem habent; Beatus tamen Benedictus moram dierum non determinat; ſed abſolute imperat vt de itinere reuerſus monachus per omnes canonicas horas benedictionem accipiat.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

DE SILENTIO REGVLARI.

CVm regularis hora præter completorium in monaſterio canitur, nullus fratrum loquatur intra officinas totius monaſterij; nec infra totam curiam; nec etiam in domo infirmorum, præter illos, quos tanta infirmitas anguſtat, vt eos interim ſilentium tenere non ſinat; Completorium vero dum canitur, licet Priori, & eis, qui per licentiam de completorio remanent, de vtilibus, & neceſſarijs rebus loqui; Similiter dum regularem horam fratres in eccleſia dicunt, nullus comedat in refectorio, excepto ſolo completorio, tunc enim licet ijs qui aliqua vtilitate impediti ante illam horam ſe expedire non poſſunt, & fratribus, qui deforis veniunt comedere in refectorio; Qui ſi ante collationem incipientes comedere circa finem

nem completorij cœnam ſuam commode explere non valent, licet eis à menſa ſurgere, & in monaſterium ad benedictionem ire, & poſtea in refectorium ad complendam cœnam redire.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

DE CVLPIS ET SATISFACTIONIBVS.

AD leuis culpæ ſatisfactionem adiudicatus frater à communi menſa ſeparatur vſurus cibo, & potu, quibus alij fratres, niſi ei nominatim fuerit interdictum, refecturus hora nona, ſi fratres ſexta, vel ad veſperam, ſi fratres hora nona, In monaſterio, & in capitulo, in loco vbi ſolet eſſe, ſit aut vltimus omnium, aut inter vtrumque, ſecundum quod culpa fuerit, & Abbas præceperit. In Eccleſia Miſſam non celebret, Epiſtolam, vel lectionem, Euangelium non legat, Reſponſorium non canat, Antiphonam ſuper Pſalmos non imponat, nec aliquid huiuſmodi, niſi cum cæteris agat, ad candelabrum, vel ad thuribulum non ſe reueſtiat, ad offerendam, vel ad pacem non accedat; Circa finem regulariter instituti operis Dei, tam in nocte, quam in die, cum incipiunt *Kyrie eleyſon*, proſternat ſe ante gradum vbi benedictiones accipiuntur, ibique tam diu proſtratus iaceat, vſque quo dicatur *Qui tecum viuit*; ſi feſtiuitas duodecim lectionum eueniat, tam diu ab hac ſatisfactione quieſcat, quouſque priuati dies redeant: dum fratres in refectorio comedunt, ipſe ſit in Eccleſia; Cum Abbati placuerit ab hac ſatisfactione eum abſoluere, ſi in monaſterio fuerit in conuentu mittat ad illum, cum proſtratus fuerit, vnum de prioribus qui circa eum ſunt, qui ex parte ipſius ſignum proſtrato faciat, vt ſurgat; Qui ſtatim ſurgens humiliter incliner Abbati, & ad locum ſuum vadat. Porro ſi Abbas in capitulo ſederit, rogantibus fratribus, dicat ei, indulta ſit vobis hæc leuis culpæ ſatisfactio, vel aliquid huiuſmodi; & ille frater ſtatim ſurgat, & ad pedes Abbatis vadat, & poſtea in locum ſuum reuertatur; Si Abbas in itinere fuerit, licet Priori, vel ei, qui ordinem tenet, abſente Priore, hoc totum facere.

Si frater aliquis (quod Deus auertat) culpam grauem commiſerit, & ipſa culpa manifeſtata ſecretò emendari competenter nequiuerit; in capitulo ante Abbatem in conuentu fratrum examinetur, & communi iudicio frater ille corporalem diſciplinam acriter patiatur; & in grauis culpæ ſatisfactione eſſe iubeatur; Qui accepta diſciplina veſtitus atque cinctus, cultellum ſuum ibi deponat, caput ſuum caputio cooperiat, & cum ſummo ſilentio ad locum huic negotio ordinatum pergat, præcedente fratre illo, qui clauem ipſius loci ſeruat; tunc Abbas prouideat vnum de ſenioribus, cui eum cuſtodiendum ſecurè poſſit committere, qui eum ad horas ducere, & poſt horas ad locum ſuum debeat eum reducere; Qui ſenior poſt capitulum ſecretò ab Abbate inquirat; quo ordine frater ille viuet, & quid, aut qua hora comedere debeat: loquatur ei frater ille, & alij quibus Abbas præceperit, cæterorum autem nemo illi ſocietur, neque colloquatur. Cum pulſatur ſignum ad horam, cuſtode ſuo ducente, cooperto capite, ante oſtium monaſterij veniat; & ſi conuentus adhuc monaſterium non intrauit, quouſque totus introeat ibi proſtratus iaceat, ſi verò iam intrauit, ſtet ibi, & incliner, & genua flectat, ſicut fratres qui in choro ſunt, dum cantatur hora, ſi aliqui fratres iuxta ſe tranſierint, humiliter incliner eis: Tranſeunte tunc Abbate proſtratus veniam petat, ſi frater ille iuxta ſe eum tranſire cognouerit. Finitis horis regularibus exeuntium ab Eccleſia pedibus, cooperto capite, proſternatur; quouſque omnes pertranſeant. Egredientes verò dicant ei ſub ſilentio, *Miſereatur tibi Deus*; Egreſſis omnibus operto capite, cuſtode ſuo eum præcedente, ad locum vnde venit reuertatur: in capitulum, ſtatutis ab Abbate diebus, prædicto cuſtode eum ducente, veniat, & corporale iudicium humiliter, & patienter ſuſtineat, de cibo, & potu competens ei miſericordia impendatur, ne forte nimijs anguſtijs oppreſſus immoderata triſtitia abſorbeatur; hoc modo tractetur quoadusque humilitate, & patientia, & emendationis promiſſione, adiunctis fratrũ precibus miſericordiam cõſequatur: Qua vero die, precãtibus fratribus, decreuerit Abbas miſericordiã ei impẽdere, eo modo, quo ſuperius dictum eſt, in capitulum veniat, proſtratus culpam ſuam fateatur, & emendationem promittat, & miſericordiam quærat, iuſſus ſurgere frequenter ſe proſternat, & eadem verba, & ſimilia dicat, ceſſaturus cum Abbas dixerit ei, ſufficiat: poſtea iubeatur exuere, & corporalis diſciplinæ iudicium ſuſtinere. Quo facto dicat ei Abbas, motus fratrum noſtrorum precibus, & patientia, & humilitate veſtra, & promiſſione emendationis veſtræ, hanc miſericordiam vobis impendo, vt dehinc cum fratribus ſitis in refectorio, in loco, quem vobis deſigna-

deſignabimus, comedatis, diſciplinam corporalem pro hac culpa vlterius non ſuſcipiatis, de cæteris ad comprobandum adhuc humilitatem, & patientiam veſtram, ita vos habete, ſicut frater, qui in leuis culpæ pœnitentia eſſe iubetur, excepto quod incœpto *Kyrie eleyſon*, ad gradum vos non proſternetis, ſed expleta regulari hora, in loco, in quo ſtabitis, ſicut beatus Benedictus pręcipit, flexis ad terram genibus, ſicut qui in pſalmo fallitur, humiliter ſatisfacietis. Hęc audito frater ille ad pedes Abbatis vadat, & rediens in locum, in quo ſtabat, tres genuum flexiones, ante ſcilicet, & ad dexteram, & ad ſiniſtram cum omni deuotione faciat, gratias referens fratribus, quia pro ſe rogauerint, & humiliter ſupplicans quatenus adhuc rogare dignentur. Poſtea deſignet Abbas ei locum, vbi debet eſſe, & eo pręcipiente ſeſſum vadat. Hæc quidem culpa ad Abbatem propriè pertinet corrigenda: Qui tamen ſi deſit à patria, nec ad pręſens, vt veniat expectatur, à Priore corrigi poteſt totius congregationis aſſenſu.

Si frater peccans peccatum ſuum defendere potius quam cognoſcere, & emendare voluerit, proclamatus etiam Abbati vel Priori contumaciter reſpondere præſumpſerit; admonitus quoque vt reſipiſcat, in ſua pertinacia permanere decreuerit; hunc talem ſurgentes fratres quot, & quibus iuſſum fuerit violenter arripiant, & in carcerem huiuſmodi arrogantibus deputatum trahant, vel ferant, ibique depoſitus tam diu ſeruata diſcretione affligatur, quouſque ſuperbiam deponat, culpam cognoſcat, humiliter emendationem promittat. Quod ſi inſpirante Deo, euenerit, res prius in capitulo oſtendatur, dehinc à fratre, cui huiuſmodi cura iniuncta ſit, in capitulum deducatur, introeat autem vel nudus ſicut fugitiuus monachus, vel indutus, prout res popoſcerit, conſiderata qualitate, & quantitate vel pręcedentis culpæ, vel ſubſequentis arrogantiæ, poſtea tractetur ſicut ſuperius dictum eſt, hoc eſt, vel grauiter, ſi graui, vel leuiter, ſi leui culpæ fuerit deputatus. Quod ſi ſpiritu diabolico plenus ſuperbire magis, quam promittere emendationem elegerit, adhibeantur ei de toto conuentu orationum ſuffragia; Si vero Abbas nec ſic ſuam in iuſtitiam præualere conſpexerit, prudenter tractet cum conſilio omnium fratrum, vtrum expediat eum vel diutius detineri, vel de monaſterio expelli.

Fugitiuus de monaſterio monachus, ſi reuerſum ad monaſterium ſuſcipiendum eum eſſe Abbas iudicauerit, hoc modo ſuſcipiatur. In hoſpitali domo aliquantis diebus primum maneat, ad clauſtrum, vel ad officinas clauſtri, vel ad monaſterium niſi iuſſus nullatenus accedat, vt interim pœnitudinis ſuæ, & humilitatis, & patientiæ aliquod documentum oſtendat, nullus frater ſecum conuerſetur, nullus ei in aliquo cõſortio, vel colloquio coniungatur, niſi ei ab Abbate, vel à Priore, vel ab eo, qui ſeruat ordinem iubeatur. Ea vero die, qua in capitulum intraturus eſt, in locutorio veſtimentis ſuis ſe exuat, ſtaminia, ſi habitum non reliquit, circumpoſito cingulo ſe circumcingat, ſiniſtro brachio cucullam plicatam, & in dextera manu virgas ſumat, & ſic nudis pedibus, & nudo deſuper corpore, ducente eum fratre, cui iniunctum fuerit in capitulum veniat: Quo ingreſſus in loco, vbi proſterni ſolet, ſtatim ſe proſternat: interrogatus more ſolito culpam dicat, dehinc ſedens corporalem diſciplinam ad imperium Abbatis ſuſcipiat, qua ſuſcepta, cuculla tantum ibi induta, ſicut venit, ſed non ferens virgas, in locutorium redeat, ibi ſe calceet, & regulariter induat, & in capitulum rediens, tam diu ſe proſternat, donec ab Abbate dicatur ei, ſufficiat: Iniungatur ei ſatisfactio grauis culpæ, & in ipſa ſatisfactione habeat ſe, ſicut ſuperius dictum eſt, cum de graui culpa ageretur: Si abiectis monachi veſtimentis in ſæculari habitu ad monaſterium redit, ſeruatis circa eum cæteris, quæ ſuperius dicta ſunt, ſæculari veſte in qua reuerſus eſt circumcinctus, ſicut ſupra de ſtaminia dictum eſt, & non portans cucullam, capitulum ingrediatur; & poſt ſuſceptam diſciplinam, cuculla à Camerario ante ipſum poſita, ab eo ſuſcipiatur, & ibi ſtatim induatur.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

DE NOVITIIS SVSCIPIENDIS.

Veniens aliquis ad conuerſionem de ſæculo, in primis ſicut alij hoſpites ſuſcipiatur in hoſpitio; cuius voluntate cognita, frater, qui cellæ hoſpitum procurator eſt, Abbati, vel abſente Abbate, ei qui ordinem tenet rem nuntiet. Loquatur cum eo Abbas, vel Prior, vel aliquis ſpiritualis frater, cui iniunctum fuerit; Quod ſi deſiderium petentis, ex Deo eſſe cognouerit, oſtendatur res fratribus in capitulo, quorum audito conſilio, ſi ſuſcipiendum

eum

eum esse Abbas decreuerit, statuta die ducente eum prædicto hospitum susceptore, & doctus ab eodem qualiter petitionem facere debeat, in capitulum veniat, in loco, vbi prosterni solet, se prosternat, interrogatus quid dicat? quam humiliter poterit, in his, vel in similibus verbis petitionē suam faciat: *Dei misericordia, & vestram societatē, & fraternitatem huius loci requiro, in hoc monasterio monachus fieri, & Deo seruire desidero.* Respondet ei Abbas, vel qui loco Abbatis ordini præest: *Societatem, & consortium electorum suorum concedat nobis omnipotens Deus*: & responso à toto conuentu, *Amen*: iussus surgere surgat, pronuncientur ei dura, & aspera, quæ in hoc ordine perferunt, qui piè, & regulariter viuere volunt: Item duriora, & asperiora, quæ, si indisciplinatè se habeat, sibi poterunt euenire. Quibus auditis, si adhuc in proposito suo perstiterit, & duriora, & asperiora se paratum perferre promiserit, respondeatur ei ab eo qui capitulum tenet: *Dominus Iesus Christus sic perficiat in vobis quod pro eius amore promittitis, vt eius gratiam, & vitam æternam habere possitis.* Et respondentibus omnibus, *Amen*: subiungat *Et nos pro eius amore hoc tenore concedimus vobis, quod tam humiliter, & tam constanter requiritis.* Hoc audito nouitius vadat, & humiliter osculetur pedes ipsius: Tunc ipso præcipiente ducat eum magister nouitiorum in Ecclesiam, ibique coram quolibet altari extra chorum sedens præstoletur, donec capitulum finiatur. Quo finito ducat eum prædictus magister suus in cellam camerarij, vel in aliam domum, vbi id quod agendum est oportunius fieri possit, benedicta sibi prius corona, si laicus sit, cum Antiphonis, & Psalmis, & collectis, ad hoc officium ordinatis vel in Ecclesia ante introitum missæ ad gradum vbi benedictiones fratres accipiunt, vel in capella infirmorum, aut in capella Abbatis, secundum quod ipsi Abbati placuerit: ductus itaque nouitius siue laicus, siue clericus, in prædictum locum tondeatur, & radatur more monachorum; dehinc vestibus sæcularibus exuatur & rebus monasterij regularibus, præter cucullam, capitio assuto tunicæ induatur: dum hæc aguntur à fratribus quibus iniunctum fuerit, septem pœnitentiales Psalmi indirectum dicantur; Sic paratus ducatur in conuentum fratrum: in choro, si clericus est, vltimus sit in ordine clericorum; si laicus laicorum: & ad processionem, similiter in capitulo, & refectorio, sicut est ordo conuersionis eius. In cella nouitiorum dormiat, aut in dormitorio si cœnobium huiusmodi cellam non habet; In conuentu non legat, solus non cantat, ad missam non offerat, pacem non sumat, in claustro separatim sedeat cum magistro suo, in loco nouitiis deputato, nullus ei loquatur aut signum faciat absque magistri sui licentia, magister talis sit, qui exemplo vitæ, & verbo doctrinæ possit eum de anima sua monere, & ordinem docere. Loquentibus in claustro fratribus si quis amore Dei, & zelo iustitiæ ad eum venire, eumque vel arguere vel monere voluerit, licet vt veniat, & accepta à magistro licentia, quod dicere voluerit, dicat; facto autem clamore, statim surgens coram magistro suo, sicut fratres in capitulo, veniam petat; non sessurus, donec, emendatione promissa, idem magister præcipiat. Et de leuibus quidem culpis hoc modo agatur: pro maioribus autem culpis, aut in capitulo, pro quantitate culpæ corripiatur; aut si ibi cella nouitiorum est in ea quemadmodum in capitulo increpetur, & verberetur: de capitulo, facto sermone, quotidiè exeat, & interim in monasterio maneat, nisi pro maiori culpa, vt dictum est, castigandus remaneat; de his culpis, quas in sęculo gessit, & quæ in hoc ordine sibi euenerunt, vel eueniunt, frequentes confessiones faciat Abbati, Priori, spiritualibus fratribus quibus hæc iniuncta est: Trāsactis plerisque diebus, si vita eius fratribus, & fratrum conuersatio sibi placuerit, monendus est à magistro suo quatenus roget Priorem, & aliquos maiores fratres, vt & ipsi pro eo intercedant, apud Abbatem pro benedictione tribuenda, & professione suscipienda. Quod si eum benedicere Abbati non placuerit, statuta die in capitulo finito sermone, in loco vbi solet se prosternat, prostratusque pro impetranda benedictione petitionem faciat: Iusso eo surgere, narrentur ei rerum dura, & grauia, quæ in nostro ordine à sanctis patribus sunt instituta: Qui si hęc omnia, & adhuc grauiora, si necesse fuerit, humiliter, & patienter se ferre paratum esse responderit: interroget Abbas confidentes fratres, quid inde sentiant? & vtrum precibus eius annuendum esse concedant? Quibus respondentibus se libenter concedere, adiungat, & nos concedimus in nomine Domini: Quo dicto vadat ad pedes Abbatis, vel eius qui ordini pręest, si Abbas deest; Dehinc reuersus in locum, in quo stabat, flexis ad terram genibus, humiliter inclinet ante, & ad dexteram, & ad sinistrā, gratias referens fratribus pro misericordia eorū precibus sibi impensa. Postea præcipiente Abbate cum magistro suo exeat; finitoque capitulo, si scribendi scientiam habet professionem suam scribat, aut si nescit scribere alium roget qui pro se scribat: ipse tamen in fine ipsius professionis signum crucis faciat: deinde ablato à tunica caputio vsque ad horam benedictionis suæ, extra chorum maneat. Cantor vero procurare sibi debet membranam, & incaustum, & scriptorem si nescit scribere: hora benedicendi in arbitrio

arbitrio Abbatis est, videlicet aut ante introitum Missę, si Missam non celebrat, aut post Euãgelium, siue Missam celebret, siue non: Ipse tamen in consecratione monachi si ei commodum est Missam celebrare debet, sicut canones præcipiunt; lecto igitur Euangelio, intrante chorum nouitio, præcedente eum magistro suo, incipiente dextero choro, dicat conuentus psalmum *Miserere mei Deus*; nouitius ante altare veniens super gradum se prosternat; dictoque psalmo surgens professionem suam legat, & super altare ponat: Quod si ignarus litterarum est, magister suus debet eam pro eo legere, & ipse nouitius super altare ponere: Quo facto, flexis coram altari genibus, veniam petat, & postea ad locum vbi se prostrauit rediẽs versum *Suscipe me Domine* ter dicat, ibique inter dicendum ter genua flectat; Quem versum ter repetens conuentus, adiungat ad vltimum, *Gloria patri*: *Kyrie eleyson*: *Christe, eleyson*: *Kyrie eleyson*: *Pater noster*: Conuentu incipiente, *Gloria Patri*; nouitius inclinatus prouoluat se in circuitum, & statim prosternat se. Abbas dicto, *Et ne nos inducas in tentationem*; & responso, *Sed libera nos à malo*, incipiat psalmum, *De profundis*: quo finito à conuentu cum *Gloria Patri*, adiungat, *Saluum fac seruum tuum*; *Mitte ei Domine auxilium de sancto*: *Nihil proficiat inimicus in eo*; *Esto ei Domine turris fortitudinis*; *Domine exaudi orationem meam*; *Dominus vobiscum*: Deinde collectam, *Deus indulgentiæ pater*: Item aliam: *Deus qui per coæternum*: Item aliam: *Domine Iesu Christe qui es via*: Dictis his tribus collectis singulis cum integro, *Per Dominum nostrum*, incipiat Abbas hymnum, *Veni creator Spiritus*; Quo à conuentu deuote, & sollemniter decantato, dicat collectam; *Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum*: qua dicta surgat nouitius, & spargat super eum Abbas aquam benedictam; eoque stante benedicatur cuculla, & aspergatur aqua benedicta; qua benedicta accedat nouitius ad Abbatem, & flexis genibus, stet ante eum, quem tunica exuens Abbas dicat, *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis*: Et induens eum cuculla subiungat; *Induat te Dominus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis*. Ad vtrumque respondeant audientes fratres, *Amen*; Subsequatur super eum flexis genibus inclinatum, oratio: *Deus misericors, Deus clemens*. Qua dicta osculetur eum Abbas, induens caput eius caputio: dehinc ducatur per chorum ad osculandum omnes fratres, vltimus collocetur: Tribus diebus communionem corporis, & sanguinis Christi accipiat: Tertia die ad pacem Missæ auferat ei caputium de capite Abbas, vel cui Abbas præceperit, si ipse id faciendi oportunitatem non habet: Ante hanc horam, ex quo benedictus est, summum silentium teneat: de capitulo facto sermone exeat, ad processionem non vadat, cuculla indutus, cucullato capite dormiat: In primo autem capitulo, quo ei licet loqui, debet magister eius de eo memoriam habere coram Abbate dicens, Domine si placeret vobis præcipere, posset iste frater, ab hac die in antea legere, & cantare in conuentu, sicut alij fratres: respondente Abbate, faciat, cum Dei benedictione; inclinet ipse nouitius ad Abbatem de loco in quo sedet, Ex illa die cuiuscumque ordinis sit habeat licentiam, exequendi omnia, quæ sui ordinis sunt, nisi sit sacerdos, ipsi enim infra primum conuersionis suę annum Missam celebrare non licet, nisi in sæculo probatæ castitatis fuerit, & Abbas pro hac re specialem ei licentiam dederit.

Offerendus puer, facta sibi prius corona, manibus portans hostiam, & calicem cum vino, sicut mos est, post Euangelium sacerdoti, qui missam celebrat à parentibus offeratur. Qua oblatione à sacerdote suscepta, inuoluant prædicti parentes manus pueri in palla, qua altare coopertum est, & cuius pars anterius pendet, & tunc suscipiat eum Abbas: Quo facto præfati parentes coram Deo, & sanctis eius statim promittant, quod per se, aut à se suppositam personam susceptum ordinem puer nunquam relinquat neque se ei aliquid scienter daturos, vnde puer, quod absit, perire possit: hanc promissionem prius scriptam coram testibus verbis ibi prius edicant, & postea super altare ponant. His expletis, benedicat Abbas cucullam, & exuẽs puerum cappa, vel pellibus, vel aliqua huiusmodi chlamyde, dicat; *Exuat te Dominus veterem hominem*, vt supra: & induens eum cuculla, subiungat; *Induat te Dominus nouum hominem*, & cætera. Dehinc ducatur ad radendum, & vestiendum, sicut nostri ordinis consuetudo est; Cum vero adulta ætate facturus professionem fuerit, fiant ei cætera, quæ superius debere fieri conuerso iam diximus. Hoc enim quod modo factum est iterari non oportet.

CAPVT

CAPVT DECIMVMNONVM.

DE CAPITVLO REGVLARI.

OMni die minimi ſigni, ad deſignandum capitulum, incipiente ſono, fratres omnes, qu
ſedent in choro ſtatim ſurgere, & verſi ad orientem interim debent ſtare; fratres quo-
que, qui alicubi in monaſterio ſunt, chorum intrare. Nullus eorum librū teneat; nullus in li-
bro aliquid legat, aut inſpiciat; nullus in clauſtro pro qualibet occaſione tunc ſedeat; prędicti
ſigni ceſſante tonitu, præcedentem Priorem ſequantur alij, ſicut eſt ordo conuerſionis co-
rum, Conſidentibus fratribus in capitulo, ad nutum ordinem tenentis, petita benedictione,
lectis & pronuntiatis, quæ legi, & conſiderari conſuetudo eſt, facto ſermone, *Dicto loquamur*
de ordine noſtro, ſi clamatur aliquis, qui commune cum vno, aut pluribus nomen habeat niſi
clamans ita diſcernat & determinet, vt nulla dubitatio poſſit eſſe, omnes qui eiuſdem no-
minis ſunt cuius eſt ille qui clamatur ſtatim debent ſurgere, & ad venias humiliter ſe præſen-
tare, donec clamator determinate eligat, de quo dicat: ipſa autem determinatio ab ordi-
nibus vel officijs ſi poſſit fieri, debet eſſe, hoc modo: domnus Eduardus pręsbyter, diaconus
ſubdiaconus, ſecretarius, magiſter infantum, vel iuuenum, vel aliquid huiuſmodi, non Ar-
chidiaconus, non Londonienſis, non aliquid cognominatum de ſæculo: Clamator ei ſuper
quem clamatorem facit, in ipſo capitulo iudicium non faciat; Interrogatus more ſolito, qui
proſternitur, ad omnes venias *Mea culpa dicat*, excepto cum ſocietatem poſtulat, aut obe-
dientię abſolutionem, aut cum aliquis frater minimam petit, pro ſuo propinquo, nouiter, &
poſtquam ad ordinem venit defuncto, patre ſilicet, matre, fratre, ſorore, vel cum vnus, aut
plures pro eo, qui in grauis culpæ ſatisfactione poſitus eſt, miſericordiā petunt, vel cū aliquis
frater in longum iter profecturus eſt, aut cum aliquid magnum, & arduum, & ſuis viribus
impar fratri iniungitur: in his & in huiuſmodi, hoc modo reſpondetur; *Dei miſ ricordiā, & be-*
ſtram requiro, & obſecro, & cætera, ſicut ratio rei, pro qua petitur, poſtulat. Suſcepturus iu-
dicium, aut ſola groſſiori virga ſuper ſtamineam verberetur, & proſtratus iaceat, aut pluribus
gracilioribus virgis, & nudus ſedeat, vtrumque ad arbitrium eius qui præeſt ordini, conſi-
derata qualitate, & quantitate culpæ, dum corporalis diſciplina infertur, fratres omnes in-
clinato capite debent eſſe, & pio, & fraterno affectu compaſſionem ſuper eum habere. In-
terim in capitulo nemo debet loqui, nemo ad illum aſpicere exceptis grauibus perſonis, qui-
bus licet pro eo intercedere, Clamatus, ſuper eum à quo clamatus eſt, in ipſo capitulo clamo-
rem facere non licet, diſciplinam corporalem inferat, quicumque ille ſit cui ab Abbate vel
Priore iniungitur, hoc obſeruato, ne infantibus, vel iuuenibus, aut nouitijs id facere iniun-
gatur: nemo ibi cum vno, aut pluribus ſecretò loquatur, quicquid quis loquitur à rectore
ordinis, & à toto conuentu audiatur. Sermo tantum ſit de vtilibus, & de ijs qui ad ordinem
pertinent loquente vno taceant alij, verba loquentis nemo interrumpat præter eum qui re-
ctor eſt ordinis, cui licet loquenti præcipere vt ſileat, ſi forte ei ſermo ille ſuperfluus & in-
utilis videatur. Rectore ordinis incipiente loqui, etiam ſi aliquis loquebatur taceat, & ab om-
nibus ſilentium ſummum fiat.

CAPVT VIGESIMVM.

SIQVIS FRATER ALTIORI GRADV DONETVR.

SI placet Abbati aliquem fratrem pro ſuis meritis honorare, & conſiderata perſonæ eius
honeſtate, in ſuperiori loco ſtatuere, audito, frater ille, ab Abbate ſedente in capitulo, ite
ſuperius ſedere iuxta illum fratrem: ſtatim ſurgens ad pedes Abbatis vadat, & poſtea ad lo-
cum vbi ei præcipitur ſeſſum pergat, & ex illa die in monaſterio, & proceſſione, & refectorio
ipſum locum habeat; laicum conuerſum beatus Benedictus non præcipit taliter promoueri;
Si tamen Abbati promouere cum placuerit, locum, quem in capitulo ſuſcipit, in refectorio
etiam tenebit, in monaſterio vero, & proceſſione, ſuper eos conuerſos, eſſe iubebitur, quibus
frater ille iuxta quem locum habet; prior eſſe dignoſcitur. Euenire poteſt cū huiuſmodi pro-
motio ordinatur, vt abſentes ſint aliqui fratres honeſti, & bonis actionibus præditi; quibus
Prior

prior sit frater ille, iuxta quem promotus sedere iubetur; & ideo determinatè oportet ei in capitulo dici, vtrum super ipsos etiam absentes cum redierint esse debeat. Ingrediens frater capitulum loquentibus aliis *Benedicite* dicat, Egrediens vero si est reuersurus nec ante & retro faciat, nec *Benedicite* dicat: si non est reuersurus vtrumque agat.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

DE CONFRATERNITATE.

MOnachus petiturus concedi sibi societatem, & beneficium monasterij, introductus in capitulum, *Benedicite* dicat: deinde prostratus ad gradum vbi consuetudo est, interrogatus, quid dicat? humili & deuoto corde in his verbis respondeat; *Peto per misericordiam Dei, & vestram, & omnium istorum seniorum societatem, & beneficium huius monasterij*: quo dicto, respondeat Abbas; *Omnipotens Dominus concedat vobis quod quæritis & ipse præstet vobis consortium electorum suorum*; Postea iussus surgere accedat ad Abbatem, & ab eo per librum regulæ sumat monasterij societatem. Qua sumpta acceptoque ab eo osculo inclinet se ad pedes Abbatis, deinde osculetur omnes fratres in circumitu. Quo facto reuertatur ad locum vbi se prostrauit, ibique tres genuum flexiones solito more faciat. Fratres vero inclinent ei, dehinc præcipiente Abbate sessum vadat, designato ei prius loco, vbi sedere debeat. Porro si Abbas fuerit, ingrediente eo in capitulum totus conuentus ei assurgat, & tam diu stet, quousque humo prostratus, sicut superius, petitionem faciat, & erectus cum monachis suis societatem suscipiat, eaque suscepta iuxta Abbatem considat; monachi vero eius societate suscepta, reuersi ad locum, vbi se prostrauerunt, tres genuum flexiones, sicut superius dictum est, faciant. Egredientes Fratres de capitulo osculentur Abbas, & monachi eius. Si maior congregatio fuerit ab osculo cessari potest, quod in multis iam cœnobijs fieri consueuit, si secularis persona fuerit ante Abbatem, vel iuxta Abbatem, si honorabilis persona sit, sedeat; postea ostensa eius petitione fratribus, per textum Euangelij societatem suscipiat: Dehinc ad osculandum fratres, si mulier non sit, in circumitu, pergat.

CAPVT VICESIMVMSECVNDVM.

DE DISCIPLINA PVERORVM.

TAli hora Prior mane ad excitandos fratres sonitum debet facere, vt pueri factis solitis orationibus, in claustro valeant legere. Qui cum legere inchoant alte, quamdiu legant separati ab inuicem ita sedeant, vt alter alterum nec manibus, nec vestibus contingere possit. Infans infanti non signo innuere, non verbo aliquid dicere, nisi vidente atque audiente magistro præsumat; non de loco in quo sedet sine præcepto, vel licentia surgat. Quocumque pergunt infantes vnus magister inter duos infantes sit. Transeuntes ante fratres inclinent fratribus, & fratres eis sedentes tantum; duobus vna laterna sufficiat, si tres fuerint tertius alteram portet; si plures fuerint, hoc ordine disponantur. In nullius manum aliquid dent; de nullius manu aliquid accipiant nisi Abbatis, Prioris maioris, magistri eorum, & hoc non vbique, sed in congruis locis, vbi aliter esse non possit, aut non debeat; Cantor quoque, cum in scholis eorum est, potest librum in quo cantari, aut legi debet, dare eis, & accipere ab eis. Ad altare si seruiunt, dant etiam ibi, & accipiunt sicut ordines eorum exposcunt. In capitulo suo vapulent, sicut maiores in maiori capitulo; Confessuri ad Abbatem, vel ad Priorem vadant, vel ad eos, quos specialiter in capitulo designauerit Abbas, dum confitetur vnus, sedeat alter in suppedaneo, magistro eorum extra capitulum sedente in proximo; Si post versum qui ante cibum dicitur ingrediuntur refectorium, vel post *Gloriam* primi Psalmi ad horas intrant chorum, ipsi quidem ad loca sua vadant, solito more inclinent, magister vero eorum ad loca, quæ tardantibus instituta sunt, eat; Puero, qui ante mensam Abbatis seruit, abstinentia cibi, vel potus sine eius præcepto minimè iniungatur. Quod si præcipiente eo iniungitur, aut ei indulgeatur aut interim à mensa Abbatis remoueatur. In choro præsente Abbate nisi præcepto eius nullus eos percutiat, nullus exuere faciat. Absente eo cantor de ijs, quæ sui officij sunt, eos castiget: Prior vero de cæteris, in quibus se leuiter habent. Vbicumque sint præter personas superius designatas, nullus eis signum faciat, nullus arrideat. In scholam eorum nullus

ingrediatur, nullus cum eis alicubi loquatur, nisi sibi ab Abbate, vel Priore ingrediendi, vel loquendi licentia concedatur; Meridianis horis in lectis suis nunquam legant, nihil aliud ibi agant, sed cooperti tantum quiescant; vnus, super alios magistros, sit magister eorum maturus, & discretus, qui auditis clamoribus culpas delinquentium moderata discretione sciat vel punire, vel indulgere; Collocatis in lectis suis assistant magistri dum sint cooperti, in nocte cum accensis candelis.

Iuuenes tam nutriti quam de sæculo venientes, qui magistris custodiendi commẽdantur, in multis sicut infantes, de quibus superius dictum est, custodiantur; Remoti, vt supra, à se inuicem sedeant; extra locum custodiæ suæ sine custode nusquam procedant; duo, & duo laternas ferant; Abbati, vel Priori, & nulli alij, nisi specialiter designatum sit, confessiones suas faciant. Meridianis horis in lectis suis non debent legere; non scribere; non quippiam operis facere; sed cooperti tantum quiescere; lectos suos ante, vel inter lectos magistorum habere; Si necesse habent surgere, prius magistros excitent, & postea accensa laterna, si nox est ad necessitates suas explendas cum magistris ambulent. Præter Abbatem, Priorem, magistrosque eorum, nulli liberum sit in loco custodiæ eorum deputato, sedere, nec verbo, nec signo aliquid eis innotescere, nisi accepta licentia ab Abbate, vel Priore: Quę licentia cum conceditur, magister sedere debet inter iuuenem, & eum, qui iuueni loquitur; Iuuenis cum iuuene non loquatur, nisi audiente, & intelligente magistro quid vtrimque dicatur; Magistri inter eos sedeant, vel ante illos, sic vt eos cum volunt conspicere valeant. Cum dormitum vadunt tam diu stent ante ipsos magistri vsque dum ipsi iuuenes in lectis suis iaceant cooperti: Si nox est cum candelis accensis assistant; In monasterio, capitulo, refectorio, processione mixti sint senioribus, non obseruato, si necesse sit, ordine conuersionis eorum. Si ad mensam legunt, vel de coquina seruiunt, surgentibus à mensa fratribus cum eis ad monasterium vadãt, & dicto, *Et ne nos*, cum custodibus ad refectorium reuertantur; duo simul, aut plures si fieri possit de conuentu remaneant: Quod si paucitas maiorum, & pluralitas iuuenum aliter agendum coegerit, sufficientes eis custodes deputentur; Porro, si custodia illa iuuenum, quæ in nonnullis cœnobijs tenetur, magis placet, vt videlicet in diuersis, ac separatis ab inuicem locis per claustrum sedeant, singuli singulos, aut plures, si tãta copia est, custodes habeãt; singuli singulas laternas in nocte ferant; Custos iuuenem non relinquat nisi commendatum alicui fratri, in quo, & de quo bene confidat, Omnis denique custodia ei adhibeatur quæ superius descripta est.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

DE MISERICORDIA CONCESSA DEBILIBVS.

Frater aliqua sui corporis incommoditate detentus, si conuentum sequi non potest, humiliter prius in capitulo petita venia, iussus surgere stans fateatur se non posse conuentui interesse propter infirmitatem suam. Cui respondet Abbas, vel qui loco Abbatis ordini præsidet: *Omnipotens Dominus concedat vobis vtilem sanitatem, sicut vobis expedire cognoscit. A modo tractate vos, secundum infirmitatem vestram & remanete de conuentu, sicut vobis melius visum fuerit*; Si ægritudo adeo inualuerit, vt in conuentu remanere non possit, præcipiat Abbas fratri cui huiusmodi cura imposita est, vt ducat ægrum in cellam infirmorum; in qua domo seruiatur ei secundum loci possibilitatem, tam de communibus cibis, quam de esu carnis, vt nullius rei si fieri possit indigentiam patiatur, Ex quo carnem comedere incipiet, quocumque perget caput opertus capitio & baculo se sustentans incedere debet. Qua vero die sanitate recepta ad conuentum redire voluerit, si carnem comederit, prius rasus, ad horam, quæ ante capitulum canitur chorum introeat, & si post ipsam horam in conuentu missa dicitur, ad ipsam non offerat. Ingressus capitulum, cum indictum fuerit de ordine loqui, primus surgat, & in loco vbi consuetudo est prostratus veniam petat; Interrogatus, & respondens vt fieri solet, iussus surgere hæc vel similia verba dicat, *Domine infirmitate mea grauatus in domo infirmorum diu fui, in cibo, & potu, & alijs multis offendi, & contra ordinem nostrum feci, & inde peto absolutionem vestram*; Hoc dicto absoluat eum Abbas dicens: *Omnipotens Dominus absoluat vos ab his, & ab omnibus alijs vestris delictis*; Conuentu respondente, *Amen*; offerat se frater ille ad pedem Abbatis; Postea reuersus ad locum vbi se prostrauit gratias referens Abbati, & toti conuentui quia ministrata sunt ei, quæ infirmitati suæ fuerant necessaria, tres genuflexiones

nes solito more faciat; Ipsa die, & deinceps quantum opus fuerit iubeatur mixtum accipere. Si vero carnem non comedit, in dispositione Abbatis sit, qua hora in conuentum petita licentia redire, & quomodo se de cætero habere debeat.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

DE ÆGROTANTIBVS MORTI PROXIMIS.

SI infirmus magis ad mortem, quam ad salutem tendere videatur, & se petat inungi, frater qui domui infirmorum præest rem fratribus in capitulo narret; tunc iubente Abbate, vel qui loco Abbatis in capitulo sedet, exeant Sacerdos hebdomadarius, Secretarius, quatuor conuersi, & parent quæ ad huiusmodi negotium parari oportet; Quibus paratis, expletisque quæ in capitulo agi ordo requirit, exeuntes de monasterio transeant ante capitulum, hoc ordine procedentes; primus ex conuersis vnus cum situla aquæ benedictæ, dehinc alius cum cruce, post hos duo cum candelabris, extremi Secretarius cum oleo, & Sacerdos alba indutus, & stola, cum manipulo portans librum; Istis transeuntibus surgens conuentus, percussaque tabula, si dies talis est, egrediens de capitulo iungatur eis, & psallentes septem psalmos ad ægrum veniant; & ordinate circumstent, sicut locus, in quo iacet, fieri permittit. Primum spargatur aqua benedicta, dehinc finitis psalmis sequatur *Kyrie eleyson*, & capitula, & collectæ, quæ ordinatæ sunt vsque ad confessionem; facta confessione absoluatur ab omnibus, & ipse absoluat omnes; Dehinc osculetur ab omnibus: Interim dicantur aliæ collectæ vsque ad vnctionem; facta vnctione, lauet sacerdos manus, & projciatur aqua in ignem, vel in sacrarium deferatur; Quo facto dictis collectis quæ sequuntur, vadat sacerdos, præcedentibus duobus conuersis cum candelabris * vadat & tertius ad thuribulum deferendum; Quibus reuertentibus flexis genibus adorent omnes corpus Domini quod à sacerdote affertur; Quo allato abluto prius ore eius communicetur infirmus, nisi forte ipsa die communicatus sit; Si fratres ipsa die post capitulum psallentes *Verba mea* in monasterium ituri sunt, expletis in choro psalmis dictaque collecta paratis ante maius altare, quæ supra dicta sunt, exeant, & sequantur eo ordine quo superius indicatum est; Quod etiam finitis quibuslibet horis à prima vsque ad completorium obseruandum est, si necessitas vrgeat non expectare capitulum. Porrò si nec hora ipsa qua percantata id fieri debet, expectari potest, disponat Abbas, vel Prior sicut melius possit, quia necessitas lege non tenetur. His expletis reuertatur conuentus in claustrum. Sed infantes minimè ingrediantur, ad tenendum suum capitulum; Ab hac die nisi melioretur infirmus carnem non comedat. Quotidie istud pro eo seruitium impendatur: Ad Missam matutinalem collecta, *Omnipotens sempiterne Deus salus æterna credentium*, cum ceteris duabus: Aliquādo si dies vacuus fuerit ipsa matutinalis Missa pro eo canatur: ad maiorem Missam post *Sanctus* psalmus primus, *Domine ne in furore tuo* ab vnoquoque sub silentio dicatur, *Kyrie eleyson*: *Pater noster*: *Saluum fac seruum tuum*: *Mitte ei Domine auxilium de sancto*: *Omnipotens sempiterne Deus salus æterna credentium*: Et hoc tam diu agatur quousque ad sanitatem redire videatur; Porrò si ad sanitatem minimè redire, mortique potius appropinquare dignoscitur, ex quo certa in eo mortis signa apparere incœperint, sine duobus fratribus esse non debet, qui diebus, & noctibus quam diu intellectum tenet legant coram eo passiones Domini, & Euangelia, & cum intellectu priuatus fuerit, quam diu superuixerit, psalterium ex ordine decantare non cessent: Et sic ordinetur vt discedentibus duobus, succedant duo alij: horas vero regulares ibi dicant: ægro autem in agonia posito, & iam iam si ita visum fuerit morituro, famulus qui ad hoc deputatus est cilicium expandat, & supra illud ad mensuram longitudinis, & latitudinis, quam ipsum cilicium habet, signum crucis de cineribus faciat: morientemque fratrem desuper ponat: Cui postea indesinenter assidens studiosè consideret, qua hora exitum eius conuentui debeat indicare: Cumque eum iam in exeundo viderit laborare, gestans manu tabulam ad ostium claustri currat, ictuque creberrimo acriter eam ibi percutiat, quousque in conuentu auditū esse cognoscat: Quo percepto sonitu si ad maiorem, vel minorem Missam, vel ad regularem horam fuerint, remanentibus in choro infantibus cum magistris suis, & aliquibus fratribus, quibus iussum fuerit, reliqui omnes ad ęgrum currant, & mediocri voce canentes *Credo in vnum Deum*, ad eum veniant: fratres vero qui remanserunt, expleto quod cœperant, eodem modo currentes, & canentes ad morientem properent: vbicumque vero alias, vel quocūque alio

* Deest; *ad ecclesiam pro venerabili sacramēto*: vel quid simile.

alio negotio occupatos prædictus sonus inuenerit, sine aliqua excusatione, vel mora similiter currentes, & *Credo in vnum Deum* canentes; ad ægrum veniant. Quo peruenientes, & *Credo in vnum Deum* communiter explentes; canant septem psalmos pœnitentiales sine *Gloria Patri*; Quibus expletis subiungat sacerdos capitulum *Parce Domine, parce famulo tuo, quem redimere dignatus es precioso sanguine tuo, ne in æternum irascaris ei*; Hoc tertio à sacerdote dicatur, & per singulas vices à toto conuentu repetatur: deinde sequatur Litania, quæ solet, quam protrahi, vel breuiari oportet, secundum quod, fratris exitus visus fuerit admonere; si autẽ, vt aliquando fit Litania expleta nondum migrauerit, conuentus discedat, aliquibus fratribus, quibus iussum fuerit, ibi remanentibus, qui psalterium ex ordine psallere incipiant; Cum autem venerit hora, vt iterum vocari debeant, supradicto modo vocentur, & veniant; Egressa iam de corpore anima, tribus vicibus, cum paruis interuallis, pulsentur signa, Cantor incipiat responsorium *Subuenite sancti Dei*; Quo cum versu, & regressu expleto, subiungat sacerdos, *Proficiscere anima Christiana*, Quo dicto incipiant commendationem animæ; dictaque prima collecta, *Tibi Domine commendamus*, sacerdote & conuentu prosequente cætera, portetur corpus ad lauandum, ab his de quorum ordine fuit, id est sacerdos à sacerdotibus, diaconus à diaconis, & sic in reliquis ordinibus, conuersus à conuersis; infans tamen non ab infantibus, sed à conuersis Hi vero sunt qui lauare non debent corpus defuncti: Sacerdos Hebdomadarius, & reliqui ministri qui circa altare seruiunt, & vasa sacrata contrectant; Hebdomadarij coquinæ, Cellerarij, Refectorarij; dum lauatur corpus, Camerarius præsto esse debet, habens vestimenta idonea, & fila, & acus ad consuendum, & cætera quæ sui officij sunt, & suo operi necessaria: Inter lauandum circuncinctus sit staminea, qua indutus antea erat, circa pudendas sui corporis partes; lotus autem vestiatur staminea noua, vel nouiter lota, & cuculla, & in capite eius ponatur sudarium, in modum caputij de staminea factum; huic superducatur caputium cucullę & cum filo in tribus locis annectatur; Calcietur caligis supradicto panno factis, vsque ad genua attingentibus, & nocturnalibus; Manus cuculla sint copertæ; Cuculla hinc & inde consuatur, & circa crura similiter: nocturnales, alter alteri filo connectãtur: taliter paratum corpus feretro imponatur, & pallio cooperiatur; Quo expleto, expletisque quæ in conuentu dici cœperant, percutiat Prior tabulam vno ictu: Quo audito inclinati fratres dicant *Pater noster*: Sacerdos circa corpus aquam benedictam spargat, & incenset; Dehinc dicat; *Et ne nos*; *A porta inferi*: Postea collectam. His ita gestis pulsentur signa: Cantor incipiat responsorium, *Subuenite sancti Dei*; Et præcedentibus his, qui situlam cum aqua, crucem, candelabra, thuribulum portant; sequentibus infantibus, & reliquo cõuentu, extremis eis qui corpus lauarant, & portant, veniant in ecclesiam: Positoque corpore in loco, vbi poni solet, cessent signa, figatur crux ad caput eius: ponantur duo candelabra, vnum ad caput, & alterum ad pedes, cum cereis desuper accensis, qui continuè ibi ardeãt vsquequo ad sepulturã deferatur; Finito cantu inclinati dicãt *Pater noster*, Sacerdos, *Et ne nos*; *A porta inferi*, collectã sicut superius dictũ est; His peractis si sonitus tabulę de refectorio fratres adduxerat, ablutis manibus ad refectoriũ reuertãtur, perficiantque quod imperfectũ remãserat, remanentibus cũ corpore aliquibus fratribus, quot, & quibus iniunctũ fuerit, qui psalmos ibi interim canãt, nunquã enim sine psalmodia corpus esse debet, excepto quãdo in choro aliquid cõmunis officij celebratur: Conuentus in die circa corpus sẽper debet esse, nisi quando canunt horas, vel Missas, vel processionem circa claustrum, vel extra claustrum, si ita contingat, faciunt, vel in capitulo sunt, aut in refectorio, aut in dormitorio meridianis horis, & tunc tantũ deputentur aliqui fratres, qui ibi remaneant, Psalterium ex ordine psallant, commendationem animæ agant, Vesperas, vigilias, cum laudibus, *Verba mea*, & hæc eadem frequenter; Nocte vero post completorium, incipiens primam vigiliam dexter chorus faciat, secundam sinister, persoluentes vtrique supradicta obsequia, prout quantitas noctium fieri permiserit, hoc obseruato diligenter, ne vtrique Priores in vna vigilia deputentur. Circa finem primæ vigilię exeat Prior ferens absconsam, & vadat in dormitorium, exciterque fratres, qui secundam vigiliam facturi sunt. Post matutinas laudes, dictis in choro, quæ dici ordo deposcit, quicquid superest noctis infantes cum magistris canendo expendant, intersint quoque infirmi illi, qui in domo infirmorum assidue conuersantur, & facultatem hoc faciẽdi habere videntur; Cæteri vero fratres in lectis suis quiescant vsque quo facto mane surgentes, calciati, loti, & pexi, factisque orationibus aggregentur & ipsi ad corpus. Quibus aggregatis pergant infantes se calciare, lauare, & pectere, solitasque orationes facere, & post accedant & ipsi, & hoc fit si dies talis sit, vt post matutinas laudes, ad lectos redire fratribus licitum sit. In hieme vero, quando interualla fiunt, si post litaniam aliquid superest noctis,

licet

licet prædictis reliquis fratribus in lectis suis vsque ad diem quiescere; vestiti tamen, & calciati quiescant; Infantes sicut superius dictum est, cum magistris & infirmis suam circa corpus agant vigiliam; Ea autem hora, postea omnes calcient se, & lauent, & pectinent, sociatasque orationes faciant, quas ordo illius temporis poscit: Sedentes psallant nisi ad *Magnificat*, & ad *Benedictus*, Tūc enim stare debent; *Ad pater noster*; & ad collectas quas sacerdos dicit inclinati sint super genua sua. Si ante nocturnas vigilias frater obierit, tanta iam noctis parte transacta, vt duas vigilias facere commodum nō sit, locato in Ecclesia corpore, fratres omnes vigilantes & psallentes ibi remaneant: infantes cum magistris suis, dormitum in dormitorium redeant: Quamdiu corpus super terram est, nullus in claustro loquatur: Tabula tamen si dies talis sit, in capitulo pulsetur, & *Benedicite* dicatur, sicut alijs diebus: si tamen ipsa die post capitulum sepeliri debet, prius quam sepeliatur nulli liceat extra claustrum monasterij exire, nisi tam prope sit locus, vt ad sepeliendum fratrem possit redire. Omnes, qui possunt, ipso die pro eo missam celebrent: Missa matutinalis, pro eo festiuè agatur, etiamsi dies præcipuæ festiuitatis sit. Ad quam missam quotiens diaconus incensat altare, ad corpus quoque incensandum cum thuribulo debet accedere. Facto in capitulo sermone absoluat eum Abbas, vel qui ordini præest. Deinde recipiat pro eo celebrari triginta diebus triginta missas, singulis videlicet diebus singulas missas, præter eas, quæ in conuentu celebrandæ sunt, ita vt nullus prætereat dies quo missa pro eo non celebretur, nisi parasceue sit, aut sabbatum sanctum; & qui inchoat non ipsa die qua sepelietur, sed in crastino inchoare debet: Celebratis quisque sibi iniunctis missis ipso die id in capitulo dicat, quatenus alij, qui subsequi debeat, ibidem Abbas vel Prior idem iniungat: Ipso die infantes suum capitulum non teneant. Quacumque hora, per totam diem, post sonitum, quem Prior ad excitandos fratres mane facere solet, frater moriatur, sepultura eius vsque post crastinum capitulum differatur, nisi rationabilis causa existat, quæ vel post maiorem missam vel post nonam sepeliri eum suadeat: & maximè si ante horam quæ vel æstate vel hieme ante capitulum dicitur mori eum contingat. Quod cum accidit præter seruitium quod pro mortuo fratre facere solent fratres: integrum psalterium, cum integra mortuorum psalmodia, pro eo singulis est fratribus iniungendum. Si ante nocturnas vigilias moritur, subsequente similiter die post capitulum sepeliatur: Si inter ipsas vigilias, vel postea ante prædictum sonitum de hoc sæculo migret, post maiorem missam tradi eum sepulturæ oportet. Si festiuitas duodecim lectionum, aut trium; in qua in claustro minime loquantur fratres, ipsa die fuerit, post capitulum celebretur pro eo missa matutinalis festiuo more, sicut superius dictum est: Dehinc dicta Tertia, Missaque maiore pergant ad sepeliendum fratrem. Ad quem accedentes siue de capitulo, siue de choro exeant, canendo *Verba mea* ad corpus veniant: Interim pulsetur tribus vicibus vnum de maioribus signis vt si qui forte absunt ad hunc sonum sine mora conueniant. Secretarius Abbati, & Priori, & sacerdoti, qui obsequium facturus est cereos distribuat, candelas reliquis fratribus, magister infantibus. Sacerdos indutus sit alba, cū stola, & manipulo, & in albis duo fratres ex ijs qui antea lauerant mortuū: Albæ vero sint ad huiusmodi negotiū specialiter deputatæ. Ij qui portant situlam cum aqua benedicta, crucem, candelabra, thuribulum, stent hinc, & inde, ad caput defuncti, reliquus conuentus ad dexteram, & ad sinistram, sicut est ordo eorum. Sacerdos adueniens prius aspergat corpus aqua benedicta, dehinc accedens ad caput defuncti stet ita vt prædictos portitores ad dexteram suam, & sinistram habeat. Accedant duo Cantores, & stantes inter altare quod ibi situm est & corpus dicant, *Kyrie eleyson*; *Christe eleyson*; *Kyrie eleyson*. Conuentu duo priora repetente, & vltimum *Kyrie eleyson* cum eis dicente: Postea sacerdos humiliter inclinatis omnibus, dicat collectam, *Oremus*: *Non intres in iudicium*; Qua dicta prædictis cantoribus incipientibus canatur responsorium cum versu; *Qui Lazarum*; Quod dum canitur incenset sacerdos altare, quod ibi est, & corpus; Hoc agatur secundo; & tertio, excepto quod aliæ collectæ, & alia responsoria dici debent, sicut in libris, vbi actio huius officij est ordinata, continetur. Finitis versibus tertij responsorij quod Cantor præcepit, repetatur à capite responsorium: quo percantato roget Sacerdos pro eo orari, ita dicendo; *Pater noster*; *Et ne nos*: Non intres: A *porta inferi*: *Dominus vobiscum*: *Oremus*: *Inclina Domine aurem*: & reliqua; His ita peractis cantore incipiente Antiphonam. *In paradisum*: exeant canentes Psalmum, *In exitu Israel*: Præcedant prædicti portitores aquæ, crucis, candelabrorum, & thuribuli; Sequantur Sacerdos, & Cantor cuius officij specialiter interest omni sollicitudine prouidere, ne in hoc obsequio aliqua possit negligentia euenire; Post hos procedant infantes cum magistris suis, dehinc reliqui fratres, extremis prioribus, præcedentibus iunioribus, sicut est ordo eorum conuersionis; Post omnes veniant qui corpus portant, hi vero sint, si

commode fieri poſſit, qui lauerant illud, adiuuantibus eos, ſi opus fuerit, alijs fratribus quibus Abbas, aut Prior præcepit. Cum exire incipiunt, pulſentur ſigna vſquequo corpus collocatum ſit in ſepultura; Cum vero ad ſepulturam peruenerint ſtent ordinatè hinc & inde, ſicut in choro ſtare ſolent. Sacerdos ſtet inter duos choros, non longe à ſepultura; ad dexteram eius, & ad ſiniſtram, qui portant aquam, & crucem, & cætera de quibus ſuperius dictum eſt: dicta collecta, *Piæ recordationis affectu*: accedat Sacerdos, & aſpergat ſepulcrum aqua benedicta, & impoſito thure tribuat thuribulum vni eorum, qui albis induti illuc diſcenderant, & incenſetur ſepulchrum: Dehinc dicta collecta, *Obſecramus miſericordiam tuam*, duo ex fratribus qui foris ſunt pallium deſuper extendant, alij duo, corpus de feretro accipientes, illis tribuant qui in tumulum deſcenderant. Illi diligenter illud in ſepulchro componant, & abſolutionem ſcriptam, & à fratribus lectam ſuper pectus eius ponant, & operiant, & ſtatim exeuntes, & ad monaſterium reuertentes, exuti albis, & induti veſtibus ſuis, ad conuentum redeant. Corpore in ſepultura poſito, protinus extinguantur candelæ, & ceſſent ſigna. Expletis reliquis, ſicut in codice, in quo hoc officium ordinatum eſt, reperitur, reuertantur canentes ſeptem Pſalmos pœnitentiales: Sacerdos præcedens infantes cum ad monaſterium venerit, diuertat in veſtiarium, & depoſita alba, & manipulo, atque indutus veſtibus ſuis, reuertatur in chorum, & proſtratus cum cæteris proſtratis, quod reliquum eſt de Pſalmis dicat: Quibus dictis ſubiungant, *Requiem æternam dona eis Domine*: *Pater noſter*: *Et ne nos*: *A porta inferi*: *Dominus vobiſcum*: Collecta *Satisfaciat tibi Domine Deus noſter*: poſt hæc reuertantur in clauſtrum & dicto ab infante *Benedicite*, loquantur in clauſtro, ſi dies talis, & hora ſit: Septem plena officia pro eo in conuentu agant: triginta diebus *Verba mea*: & ad omnes horas *Voce mea*, pro eo dicant: ſingulariter vnuſquiſque quantum Abbas præcepit pro anima eius faciat: triginta quoque diebus, aut pluribus, ſi Abbas ordinauerit, panem vnum cum potu, & regularibus cibis eleemoſynarius accipiat.

CAPVT DIAESIMVMQVINTVM.

DE MORIENTIBVS EXTRA MONASTERIVM.

SI frater extra monaſterium de hac vita migrauerit, nec fratres ſecum fuerint qui eum abluant, cæteraque quæ ſuperius dicta ſunt circa eum adimpleant; deportatus ad monaſterium in feretro, quod ſibi præmitti debet, cum pallio per portas curiæ ingrediatur, & cooperante fratre, cui infirmorum cura commiſſa eſt, in domo infirmorum deponatur, quo depoſito famulus vt ſolet ad oſtium clauſtri veniat, tabulam percutiat, conuentus adueniat, fiátque cætera, ac ſi de hac vita migraſſet in eadem infirmorum cella, excepto quod non dicitur *Proficiſcere anima Chriſtiana*: Porro ſi fratres ſecũ fuerint vnus aut plures, factaque ſunt ea quæ in tali negocio fieri oportet, procedat ei conuentus obuiam per maiores portas monaſterij, pſallendo hos pſalmos, *Miſerere mei Deus ſecundum*: *Deus in nomine tuo*: *Miſerere mei Deus, miſerere mei*: *Ad Dominum cum tribularer*: & qui ſequuntur donec ad corpus perueniant: At vbi peruenerint faciant ſtationem verſi ad alterutrum; Sacerdos alba indutus, & ſtola, accedat & aſpergat corpus aqua benedicta, & incenſet: deinde moneat, vt orent pro eo, dicendo, *Pater noſter*, *Et ne nos*; *Non intres in iudicium*: *Requiem æternam*: *A porta inferi*: *Dominus vobiſcum*: *Oremus*: Collecta; *Suſcipe Domine animam ſerui tui*. Aliam, *Suſcipe Domine ſeruum tuum*. Inde reuertantur Cantore incipiente reſponſorium, *Subuenite*. Dum intrant in eccleſiam pulſentur omnia ſigna, & deponatur in loco in quo cæteri fratres deponi ſolent, & agantur cætera quæ agerentur ſi in domo infirmorum mortuus, & de illa domo illuc deportatus fuiſſet.

Quacumque hora, ex quo infantes mane incipiunt legere vſque ad collationem, de monacho Congregationis alibi defuncto atque ſepulto vel ſepeliendo certus nuntius, aut breuis ad monaſterium venerit; ſi fratres non ſunt in capitulo, aut in refectorio, aut in dormitorio meridianis horis, aut ſi in monaſterio, vel extra monaſterium non interſint alicui obſequio, quod deſeri, & imperfectum relinqui commodum non ſit, ſtatim Prior tabulam percutiat, & reſidentibus in capitulo fratribus, fratris obitum nunciet; & ſubiungat, *Eamus, & faciamus ei quod iuſtum eſt, & noſtri ordinis conſuetudo habet*: & ſurgentes, & *Verba mea* canentes ſonantibus ſignis in chorum veniant, expletiſque incœptis pſalmis cum collecta, veſperas mortuorum, & officium cum nouem lectionibus & laudibus dicant, accenſis ante altare

duabus

duobus luminaribus: Missa matutinalis pro eo festiuè dicatur, nisi dies dominicus aut magna sollennitas sit. Quod si euenerit, in alium diem differatur; Post hæc in primo capitulo absoluatur. Continuatio triginta missarum, si in eo loco, vbi mortuus est, non fit, pro eo iniungatur, fiantque cætera, quæ pro fratre congregationis in congregatione defuncto fieri solent.

PRO CELLERARIO.

PAter noster; Et ne nos; Saluum fac seruum tuum; Mitte ei Domine auxilium de sancto; Dominus vobiscum.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo N. & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ: vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

FINIS STATVTORVM D. LANFRANCI.

LECTORI BENEVOLO.

SEquebantur in eodem veteri manuscripto Ecclesiæ Christi Cantuariæ vnde hæc Lanfranci statuta describi curauimus, duo catalogi: vnus fraternitatum, siue societatum initarum inter ipsos Monachos Cantuarienses, & aliarum Ecclesiarum personas diuersorum ordinum; alius obituum, qui in Capitulo annuatim pronunciabantur post lectionem quotidianam martyrologij: quorum aliqua ponemus exempli causa (ob memoriam honestißimarum ceremoniarum) prout in ipso libro ea scripta inuenimus.

Conuentio inter monachos Cantuar. & Cluniacens.

Hæc conuentio facta est in capitulo Christi Cantua. præsente Domino Stephano Abbate Cluniacensi, & monachis suis, inter conuentum Cantuariensem & conuentum Cluniacensē. Singulis annis secunda hebdomada quadragesimę, secūda etiā feria, nisi impediente solemnitate, conuentus Cantuariensis in ecclesia sua, & conuentus Cluniacensis in sua similiter pro omnibus defunctis vtrarumque Congregationum solemne seruitium in conuentu facient; quisque sacerdos Missam vnam cantabit, qui vero Missam non celebrauerit 50. psalmos dicet; quod si in secunda feria fieri nequiuerit in sequentem deferatur. Concessum est etiam domno Abbati Stephano anniuersarium suum in martyrologio Cātua. ecclesiæ scribendum & seruitium in conuentu in obitu ipsius. Sed & ipse Abbas domno Priori Wiberto anniuersarium suum in martyrologio Cluniacensi scribendum concessit, simul cum tricenario, societasque & beneficia vtrarumque ecclesiarum, cum locis, & cellis suis, animabus patrum, & matrum, parentum, & benefactorum vtrarumque Congregationum, vicissim plenariè concessa sunt.

Pro Cluniacensibus & alijs.

Officium festiuum in conuentu, quisque sacerdos Missam vnam, reliqui vero dicant psalmos constitutos pro omnibus defunctis monachis Cluniacensibus; & pro omnibus defunctis monachis ecclesiæ S. Andreæ de Cliuo Scauri Romę, & pro monachis defunctis Pontiniaci; & pro defunctis monachis Sanctæ Mariæ.....sensis ecclesiæ; & pro defūctis monachis Helmwardensis ecclesiæ; & pro omnibus defunctis monachis Casæ Dei Auerniæ.

Pro monachis Cluniacensibus de Lewes septem plenaria officia in conuentū, & per septem dies cibus ad eleemosynam; quisque sacerdos vnam missam, alij psalmos, & triginta diebus verba mea.

Pro monachis S. Bertini.

HÆc eſt ſocietas inter nos & eccleſiam Sancti Bertini, percuſſa tabula pronunciatoque obitu defunctorũ, fiet officium in conuentu & Miſſa. Præterea tricenarius miſſarum fiet cum præbenda, & nomina eorum in martirologio, & in breui ſcribentur, & ſi aliquando eis placuerit, moram nobiſcum facere de licentia Abbatis ſui, ſicut vni ex nobis fiet eis, & ſimiliter nobis, cum eis commorantibus.

Similiter, pro multis monaſteriis Tranſmarinis, & Anglicanis; quæ ſi erunt Cluniacenſia, apponebatur illic titulus; Si ordinis nigrorum, apponebatur ſimpliciter nomen monaſterij; erant etiam monaſteria clarum regularium, atque etiam Canonicorum ſecularium eccleſiæ, quibuſcum ſimilis ſocietas inita narrabatur. Inter Obitus vero, ſiue dierum emortualium memorias, celeberrima & hæc quæ ſequitur, eoque modo, quo hic ſcribitur, ſolebat anniuerſario die pronunciari in Capitulo coram conuentu; pronunciatioñeque finita, pro eo fundebantur preces.

Obijt Ludouicus Rex Francorum piiſſimus, frater, & benefactor noſter, qui deuotionis obtentu, ad Sanctum Thomam viſitans Cantuariam venit, & ſuper tumbam S. Thomæ ad opus conuentus Cantuariæ, centum modios vini, per quandam cuppam auream obtulit in perpetuam eleemoſynam annuatim, in Caſtellaria Piſſiaci recipiendos. Quam donationem ſua etiam charta confirmauit, cuius inferius denotatur. Vnde reuerendus pater. Richardus Archiepiſcopus, totius Angliæ Primas, & Apoſtolicæ ſedis legatus, & Alanus Prior, conuentuſque Cantuarienſis eccleſię, ipſum Regem cum ſuis in ſuam receperunt fraternitatem, beneficiorum eiuſdem eccleſiæ participem eſſe conceſſerunt, & quædam alia pro ipſo Rege, & ſuis ſpecialiter facienda ſtatuerunt. Ne vero res ipſa debeat, vel poſſit obliuione deleri, literas ſuas ſuper hoc eidem Regi in hunc modum tradiderunt. Excellentiſſimo Domino in Chriſto chariſſimo Ludouico Dei gratia Francorum Regi illuſtriſſimo, Ricardus Dei gratia Archiepiſcopus Cantuarienſis, totius Anglię Primas, & Apoſtolicę ſedis Legatus, & Alanus dictus Prior, conuentuſque eccleſiæ Chriſti Cantuariæ æternam in Domino ſalutem. Placuit omnipotentis Dei miſericordiæ, temporibus noſtris, per Magnitudinis Veſtræ præſentiam eccleſiam Cantuarienſem exaltari, in quo & nos, ſicut tenemur, ita & deſideramus paratiores inueniri, vberiores proinde Deo gratiarum actiones referre. Licet autem iuxta merita Celſitudinis Veſtræ, prout cupimus, vobis non poſſumus reſpondere, id tamen modicum quod valemus, ad pręſens proſequi decreuimus. Sane de communi voluntate, & aſſenſu omnium noſtrum, vos, & Dominam Reginam hæredemque veſtrum, & veſtros, beneficiorum Cantuarienſis eccleſiæ participes, plenius eſſe conceſſimus. † † † † † † †

Aliquid hoc loco, ſpectans ad honorem S. Thomę martyris hæretica manu deletũ fuit.

Inſuper adiecimus, quod ſingulis diebus debeat vnus de fratribus noſtris, ſpecialiter pro vobis, & Domina Regina, hærede veſtro, & veſtris, in vita veſtra Miſſam de ſpiritu ſancto celebrare. Sacerdotes etiam, cum cæteris fratribus inferioris ordinis, in celebratione miſſarum, & maximè in perceptione corporis, & ſanguinis Domini, tenentur, quantum ad hoc Deus eos inſpirauerit, memoriam veſtri, veſtrorumque facere. Ad hoc tres monachos ad pręſens ſpecialiter pro vobis faciemus, qui debeant, toto tempore vitæ ſuæ, pro veſtra, & Dominæ Reginæ, veſtrique filij, veſtrorumque ſalute Dominum iugiter implorare: Cum vero dies obitus veſtri nobis innotuerit fiet pro vobis ſeruitium ſicut pro vno Archiepiſcopo, Cãtuarienſis eccleſiæ: Hoc eſt, ſinguli ſacerdotes triginta Miſſas, alij vero inferioris ordinis decẽ pſalteria dicent, præter ipſum officium quod in conuentu generaliter fiet: Procuratio etiam vnius monachi per totum illum annum dabitur vni pauperi: facta anni vniuſcuiuſque reuolutione, cum dies anniuerſarij veſtri aduenerit, fiet in conuentu pro vobis officium ſpeciale: Singuli etiam ſacerdotes ſingulas Miſſas celebrabunt, cum cæteris, quæ ibi fient beneficijs, & orationibus. Vt autem nulla obliuione deleri debeant in poſterum, hæc omnia in Martirologio noſtro ſcribi fecimus, & ſingulis annis, die recordationis veſtræ relegenda ſtatuimus.

F I N I S.

